EPISTOLAE

ROMANORUM PONTIFICUM GENUINAE

ET QUAE AD EOS SCRIPTAE SUNT

A S. HILARO USQUE AD PELAGIUM II.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLAE

ROMANORUM PONTIFICUM GENUINAE

ET QUAE AD EOS SCRIPTAE SUNT

A S. HILARO USQUE AD PELAGIUM II.

EX SCHEDIS

CLAR. PETRI COUSTANTII ALIISQUE EDITIS,
ADHIBITIS PRAESTANTISSIMIS CODICIBUS ITALIAE ET GERMANIAE

RECENSUIT ET EDIDIT

ANDREAS THIEL,
SS. THEOLOGIAE DOCTOR EJUSDEMQUE IN FACULTATE THEOLOGICA LYCEI REGII
HOSIANI BRUNSBERGENSIS PROF. PUBL. ORD.

TOMUS I.

A S. HILARO USQUE AD S. HORMISDAM

ANN. 461—523.

BRUNSBERGAE
IN AEDIBUS EDUARDI PETER.
MDCCCLXVIII.

Digitized by Google

C 70.12

Harvard University
Divinity Library
Riant Collection
Gift Soc. Prom. Theol. Educ.
Feb. 26, 1909.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

1437
47-10.1
17

Digitized by Google

PRAEFATIO EDITORIS.

§. 1.

De causis et origine hujus novae editionis epistolarum Romanorum pontificum.

1. Multa erant, quae ad novam editionem epistolarum Romanorum pontificum doctos omnes jam dudum invitarent. Sive enim historiam sive doctrinam aut jus ecclesiasticum spectaveris, in illis fons quidam primarius invenitur; sive viros ipsos respexeris, prae omnibus memoria lucida dignissimi sunt. Verum haec quidem res secus tractata est. Quum enim Coustantius et qui studia ejus continuare susceperunt Mopinotius et Durandus mala fortuna ab incoeptis propulsi essent, vix manca repetitio jam editi operis tentata, novae curae ei nullatenus admotae sunt. Nimirum qui ad id omni ex parte adornati erant viri docti, aut animis ad alia studia honesta et bonis litteris utilia ferebantur, aut certis causis fastidiebant illud, nec deerant, qui operam et ingenium suum rebus aut viris memoria indignissimis advertere malebant. Alios etiam operis difficultas et locorum temporumque iniquitas deterruerit, quum pro ejus integritate aliquatenus restituenda fere innumeri libri adeundi, ex diversissimis collectionibus et remotissimis codicibus singula enucleanda essent. Ita quidem factum est, ut opus illud desiderarent plurimi, nemo serio promovere curaret.

2. Quam rem quum jam juvenis aegre semper tulissem, tandem Dei auxilio confisus ipse aggredi constitui. Ac statim magis congruum doctisque omnibus gratum fore mihi visum est, si primum prosecutioni studiorum Coustantii et fratrum Balleriniorum manum admoverem, et hac demum parte absoluta illorum novam editionem curarem. Omnem igitur in id intendi animum, ut simili modo, quo illi viri

Digitized by Google

doctissimi, epistolas et acta publica pontificum, qui post Leonem I usque ad Gregorium I sedem Romanam obtinuerunt, quasi totius collectionis tomum tertium et quartum praemitterem, primum et secundum longe facilioris laboris si Deus voluerit postea adjicerem.

3. Quum pro hac re lustratio praestantiorum archivorum necessaria, primum Romam intendi, quo simul valetudinis meae ratio ex hieme septentrionali me summopere vocabat. Qui tunc in regno Borussico rebus sacris et scholasticis administrandis praeerat vir illustrissimus Augustus a Bethmann-Hollweg, qui in doctis studiis multos annos prioris vitae magna cum laude sua et litterarum utilitate posuit, concessit mihi unius anni ferias, reverendissimum Capitulum cathedrale Warmiense, antiquitus omnis justi honestique studio praecellens, fundatione Preuckiana liberalissime mihi collata expensarum mearum aliquod emolumentum adjecit. Ac Romae quidem in bibliotheca omnium praeclarissima Vaticana quod vix sperare ausus eram inveni. Mox ab initio enim quum codicum pro re mea utilium lustrationem quamdam generalem instituerem, vir humanissimus reverendissimus Alexander de S. Marciano, archiepiscopus Ephesinus et bibliothecae Vaticanae praefectus, cujus et deinceps summam in me humanitatem vix satis praedicare possum, oculos meos ad schedas quasdam manu Coustantii scriptas et a cardinali eminentissimo doctissimo Angelo Majo relictas convertit. Quibus pro re mea nihil felicius, nihil laetius mihi obtingere potuit. Pro pluribus enim pontificum illorum, quos ipsos spectabam, epistolis ibi notae criticae, pro aliis textus correctus, pro aliis variae lectiones codicum praestantissimorum bibliothecae regiae Parisiensis exhibebantur. Unum dolendum, quod pleraque misere distracta, nec quidquam fere lacunis satis magnis egebat. Unde et factum esse puto, ut nec ille ipsarum prior possessor rei litterariae sollertissimus in collectionibus anecdotorum ullum de iis usum fecerit, nec curae viri ex omni parte strenuissimi eminentissimi cardinalis Jacobi Antonelli pro earum editione feliciter processerint. Quas quum mihi omnes ab amanuen-

Digitized by Google

sibus transcribendas curarem, ipse ad complendum opus et praeprimis dictas lacunas resarciendas codices Romanos, quibus Coustantius fere prorsus destitutus fuerat, quantum per valetudinem saepe vacillantem potui, intentissime perlustravi. Nec negare possum, illis codicibus circiter triginta, quos in bibliothecis Vaticana, Vallicellana, Sessoriana et Barberina, plurimum adjutus summa praefectorum earumdem humanitate et urbanitate, et ipse pervolvi et deinde per amicos conferendos curavi, mihi tantum subministratum, ut non solum lacunas illas satis explere sed etiam textum Coustantii in permultis promovere et opus ejus vere perficere potuerim. Praeprimis epistolae Simplicii, Felicis II et Gelasii causam Acacianam spectantes ac Symmachi synodi et Vigilii scripta demum horum codicum ope integritatem aliquatenus receperunt. Cui eidem rei deinde per sequentes sex annos omne otium et studium meum tribui. Ubi quum identidem ad codices Romanos recurrendem esset, amici reverendissimi, fundationis Preuckianae alumni Adalbertus Strehl, Franciscus Weitzenmiller, Josephus Krause, candidissime mihi operam suam impenderunt. Denique codices quosdam rei meae summe necessarios ex dissitis bibliothecis ipsam in domum meam perlustrandos ut reciperem, et qui deinde apud nos rebus sacris et scholasticis praepositus vir illustrissimus a Muehler liberalissime copiam suppeditavit, et praeprimis de bibliotheca Monacensi viri clarissimi professores DD. Giesebrecht et Halm humanissime opem tulerunt. Quo magis factum esse confido, ut quae tandem praebetur nova haec lucubrationum Coustantii editio et prosecutio doctis omnibus nec ingrata nec inutilis futura sit.

§. 2.

De prioribus harum epistolarum editionibus, quae Coustantii curas exceperunt.

1. De epistolarum pontificiarum editionibus, quae usque ad initia saeculi XVIII prodierunt, luculentissime vir reverendissimus doctissimus Petrus Coustantius in prolegomenis editionis suae disseruit. Restat, ut quae inde ex illo tempore additae sunt referamus. Primum igitur nominandi

Digitized by Google

sunt novi conciliorum collectores Harduinus, Mansius, Labatus. Ex quibus P. Johannes Harduinus S. J. in *conciliorum collectione Regia maxima* (Parisiis 1715 seq. 12ti) non solum actorum synodalium, quae a diversis auctoribus prolata erant, plenissimam collectionem praebuit, sed etiam plurima vitia textus partim ingenio et eruditione sua, partim adhibitis schedis doctissimi Jacobi Sirmondi removit.

2. Alter vir mirae eruditionis et sollertiae, quique inter ejusmodi collectores fere palmam tenet, Johannes Dominicus Mansius in *sacrosanctorum conciliorum nova et amplissima collectione* (Florentiae et Venetiis 1759 seq. 31ti) non solum acta synodalia omnia et epistolas Romanorum pontificum, quot innotuerunt, produxit, sed etiam aliquos novos codices adhibuit. Quos quum suis locis speciatim laudaturi simus, hic generatim notasse sufficiat. Sunt igitur, qui pro epistolis pontificiis conferunt:

1) Codex Lucanus Nr. 89 (Ballerini *Nr. 88* dicunt), nunc Nr. 490, praestantissimae notae, circa ann. 787 scriptus;

2) Lucanus Nr. 125 saeculi XI, secundum indicem a Mansio in praefatione p. XIV exhibitum Vallicellano A 5 persimilis. Qui in Hilari synodo (tom. VII col. 959) Lucanus 129 ab eodem laudatur, non alius esse videtur.

3) Casinensis acta ad concilium Ephesinum pertinentia amplectens, a cardinali Fortunato Tamburino collatus;

4) Vaticanus 1313 saeculi XI, pro actis concilii Calchedonensis;

5) Lucanus Nr. 123 saeculi XI, collectionis Pseudo-Isidorianae;

6) Lucanus Nr. 124, saeculi XII codex (conf. tom. VII, 893) Burchardi Wormatiensis decretum exhibens;

7—9) Vaticani 630 et 4961 et Veronensis 46 paucis tantum locis adhibiti sunt.

Sed in his omnibus vir prudentissimus quum probe agnovisset, quam parum ad criticam textus restitutionem sufficerent, satis habuit, collationes suas Labbeano textui pro variantibus lectionibus addidisse, hunc ipsum inde plerumque nihil mutavit.

3. Denique Johannes Baptista Labatus quum

Digitized by Google

novam conciliorum Galliae editionem suscepisset (*Concilia Galliae opera et studio monachorum congregationis s. Mauri. Tomus I. Parisiis 1789*), pluribus etiam epistolis Romanorum pontificum opem tulit. Qui codicum, quibus usus est, longiorem catalogum texuit, quem, quatenus has epistolas complectitur, hic adnectere juvat. Hi igitur ejusmodi codices laudantur (praef. pag. V seq.; repetiit fonte non notato Migne *dictionnaire des manuscrits.* Paris 1853 tom. I col. 715 seq.):

Manuscripti regii Parisienses.

A. 1451, membranac. saec. X, olim monasterii s. Petri Fossatensis, deinde Nicolai Fabri, tum Colbertinus 1868, denique Regius 3887. 9. 9.

B. 1452, membr. saec. X, ol. Aniciensis capituli, deinde Colbertinus 449, tum Regius 3887ª, praeter Dionysianam collectionem Symmachi et Gregorii II decretis auctam antiqua Galliae concilia multa continet ab Arelatensi I ad Matisconense I.

C. 1454, membr. saec. X, ol. Gulielmi Sacherii, deinde Mazarinaeus, tum Regius 4241 [Secundum indicem in *Catal. Cod. Manuscript. Biblioth. Reg.* P. III tom. III p. 114 et Maassen *Biblioth. lat. jur. can.* in *Annal. Acad. Caes. Vindob. class. hist. phil.* LIV, 190 exhibitum collectionis Quesnellianae exemplar est.]

D. 1455, membr. saec. X, ol. Jacobi Tavelli Senonensis, deinde Colb. 3368, tum Reg. 3887. In omnibus fere consentit cum eo, quem Sirmondus *Bellovacensem* vocat.

E. 1458, membr., ol. Colb. 2576, deinde Reg. 3887, liber pluribus aliis compactus.

F. 1460, membr. saec. XIV, ol. Colb. 540, deinde Reg. 3665, Hispanicam collectionem exhibens.

R. 1563, membr. saec. XV, ol. Colb. 1567, deinde Reg. 3887, collectionem conciliorum Hispanicam continens auctam pluribus epistolis Romanorum pontificum a Siricio usque ad Nicolaum II.

S. 1564, membr. saec. IX, ol. Colb. 1863, deinde Reg. 3887, idem ipse, quem Sirmondus *Pithoei* codicem vocat.

Y. 1594, membr. saec. IX, ol. Bigotianus 261, deinde Reg. 4351; plurima ad concilium Duziacense et causam Hincmari Laudunensis pertinentia continens, quorum nonnulla apud Labbeum desunt.

a. 3846, membr. saec. X, olim monasterii sancti Amandi dioecesis Tornacensis, deinde Tellerii archiepiscopi Remensis 262, tum Reg. 3665, collectionem Dionysii cum additamentis Hadriani papae et quaedam recentiora (epistolam Paschalis II *B. Noviomensi seu Tornacensi episcopo*, decreta concilii Arvernensis sub Urbano II ab iis, quae Labbeus et Cossartius ex variis auctoribus ediderunt, aliquatenus discrepantia) exhibet.

b. 3849, membr. saec. X, a Nicolao de Cusa libro III de concordia catholicorum cap. 35 nominatus, fuit olim Petri Pithoei, deinde Mazarinaeus, tum Regius 3989; continet epistolas Romanorum pontificum a Zosimo ad Pelagium I. Recenti manu in dorso inscriptus est *Arelat.*, quod nimirum plures epistolas ad episcopos Arelatenses directas contineat. Ab eo tamen *Arelatensi* est discernendus, ex quo Baronius Romanorum pontificum et imperatorum decreta de privilegiis ecclesiae Arelatensis

Digitized by Google

primum edidit, et ad quem Coustantius eadem pontificum decreta contulit. Hic enim primitus Saxii fuit, ex catalogo vulgato, in quo Nr. 5537 signatur.

c. 3855, membr. saec. XIV, ol. Colb. 628, deinde Reg. 3887, Isidori Mercatoris collectio decretalium Romanorum pontificum a Clemente usque ad Melchiadem.

Sancti Germani a Pratis.

Corbejensis 936 (ol. 26) signatus, membranaceus in 8vo saeculi VI, semiuncialibus litteris exaratus.

367 (ol. 423), membranaceus codex saec. IX, Dionysianam collectionem ab Hadriano I Carolo Magno Romae oblatam continens. Titulis canonum apostolicorum, a quibus incipit collectio, praemittitur acrostichis. Versus uno tenore in codice descriptos Sirmondus totidem lineis distinxit. Litterae autem, a quibus principia versuum, inscriptionem hanc efficiunt: DOMINO EXCELL. FILIO CAROLO MAGNO REGI HADRIANUS PAPA. Temporis nota ad calcem codicis apposita haec est: *Facto hunc libro in anno XXXVII regnante Carolo imperatore.* Si Carolus Magnus intelligitur, annum Christi 805 refert, si Carolus Calvus, annum 876.

365, ol. 25 (Coislin.), membr. saec. X, eamdem collectionem continens.

366, ol. 668 (Coislin.), membr. saec. IX. [Pleniorem ejus indicem clarissimus Haenel in *dissertatione de constitutionibus quas Jacobus Sirmondus Parisiis anno 1631 edidit* pag. 6 (*Nov. Const. imp. Theod. II, Val. III etc.* Bonnae 1844 pag. 417 sq. not. 23) praebet.]

937, ol. 669, membr. saec. IX, itidem Hadriano-Dionysiam collectionem sed absque canonibus apostolorum exhibet. Aliorum vero canonum itemque decretorum a Romanis pontificibus editorum tituli simul collecti exstant initio canonis.

938^{2}, membr. saec. XII, selecti canones ex pontificibus a Cleto ad Urbanum II, ex conciliis Orientis, Africae, Galliae (ab Arelat. I ad Aurelian. I) et Hispaniae.

Collegii Jesuitarum Parisiensis.

A. 563, membr. in 4° initio et fine mutilus, saeculi VII vel VIII, uncialibus aut rusticis ut ajunt litteris exaratus; idem ipse, quem Sirmondus *Lugdunensem* vocat.

B. 569, membr. saec. VIII, item uncialibus et majoribus litteris exaratus, fuit olim s. Remigii Remensis.

C. 570, membr. in 4° saec. IX exeunte exaratus, olim s. Benigni Divionensis, collectionem canonum et libros tres concilii Aquisgranensis II ad Pippinum regem Ludovici Pii filium continens.

D. 574, membr. in 8vo saec. XII diversis manibus exaratus, fuit olim D. de Hauteserre de Salvaison, et collectione canonum in tres libros distributa constat.

E. 571, membr. in 8vo saec. IX exeunte diversis manibus exaratus, antiqua privilegia monasterii Corbejensis inter cetera continens. Fuit olim Corbeja Viridunum forte translatus, et idcirco *Virdunensis* a Sirmondo vocatus.

Ita quidem amplissimus codicum apparatus auctori praesto erat, et multum dolendum, quod hujus operis primus tantum tomus in lucem prodiit. Verum quantum ibi-

Digitized by Google

dem ad epistolas pontificias pertinet, solum Sirmondi et Coustantii studia adhibita esse videntur, etsi ipse auctor nonnullis locis cum Sirmondo repetat, etiamtunc *aliorum exemplariorum opem desiderandam fuisse* (conf. l. c. I, 597). Certe jam in praefatione generali pag. II aperte declarat, sibi in hac re Coustantii annotationes usui fuisse, idemque in ipso opere col. 305 plenius ita repetit: *Quum scriptas ad septimum usque saeculum a pontificibus Romanis epistolas ad manuscriptos et editos libros ab eodem Coustantio collatas habeamus, variantes lectiones et alia fere omnia, quae circa decretales epistolas daturi sumus, Coustantii annotationes tum editae tum ineditae suppeditabunt.* Ac revera nullas nos ejusdem notas criticas nec ampliorem codicum usum deprehendimus, quam in quibus Coustantius antesignanus exstitit. Nihilo secius quum hujus schedae, quae nobis patebant, iisdem locis saepius defecerunt, Labati opus plurimae nobis utilitati fuit.

4. Similiter *Bibliothecae Patrum*, quae ab illo tempore adornatae sunt, inter cetera etiam epistolas pontificias exhibebant. Inter quas prae omnibus nominandae:

Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum op. Andreae Gallandii Venetiis 1765—1788 in 14 tom.

Patrologiae Cursus Completus accur. J. P. Migne Parisiis 1843 seq. (Patres latini ad Innocentium III usque vol. 217, graeci usque ad Photium vol. 104).

Quum autem textus ibi solummodo ad litteram priorum editionum revocatus, pro critica restitutione sua nihil promotus est.

5. Novam epistolarum pontificiarum ipsarum editionem deinde Schoenemann suscepit hoc titulo: *Epistolarum Pontificum Romanorum a s. Clemente I usque ad s. Leonem Magnum Tom. I. Ex recensione Petri Coustantii cum ejusdem admonitionibus et selecta adnotatione curavit aliorumque nonnullas et suas animadversiones addidit Car. Traug. Gottlob Schoenemann. Gottingae 1796.* Sed, ut jam inscriptio docet, summa illius cura in excerpendis Coustantii notis jam editis versata est, quibus quaedam pauca ex Balleriniorum studiis adjecit; ultra vix ullo modo progressus est.

Digitized by Google

6. Quo magis dolendum est, quod studia omni ex parte perfectissima Coustantii et sociorum ejus, quae epistolas pontificias jam usque ad saeculum septimum amplexa fuerant, iniqua fortuna usque ad nostra tempora desideriis doctorum praerepta sunt. Reverendissimus ille et cum primis ingenio et eruditione praecellens totius operis auctor Petrus Coustantius, edito tomo primo, die XVIII Octobris anni 1721 in illo litterarum asylo monasterio s. Germani a Pratis morte praematura sublatus est. Quum autem pro prosecutione ejusdem operis amplissima studia fecisset, immo secundum et tertium tomum jam fere edendum parasset, alter ejusdem congregationis frater illiusque jam pridem in hac ipsa re socius Simon Mopinotius ultimam manum ei admovere subiit. Verum et ipse mox anno aetatis suae trigesimo nono die XI Octobris anni 1724 cursum finivit humanum. Suscepit tertius laborem sollertissimus ille anecdotorum collector Ursinus Durandus, et secundum tertiumque tomos jam edendos perfecerat, quartum magna ex parte praeparaverat. Neque hoc quidem incoeptum ad finem perductum, res denuo nescio qua causa in incertum dilata est. Fere suspicor, tum turbas Jansenisticas, in quibus dictus editor implicatus erat, tum violentissimam illam rerum publicarum in Gallia eversionem, quae mox secuta est, in culpa fuisse. Sed juvat, de his curis ipsius Durandi verba audiisse, quae pro praefatione editionis suae posuit, quaeque inter memoratas Coustantii schedas asservantur.

(Ursini Durandi) **Praefatio generalis.**

7. *Plures jam anni sunt, ex quo in lucem prodiit primus novae editionis epistolarum summorum pontificum tomus, eximium doctissimi opus Coustantii. In eo opere sua epistolarum textui restituta puritas, nativus redditus nitor, notae criticae, praeviae admonitiones aliaque omnia, quibus haec illustratur et insignitur editio, fidem jam fecere omnibus suam plenissime liberasse auctorem, nec in operis fronte pollicitum quidquam fuisse, quod in opere toto cumulatissime non fuerit exsecutus. Unum in votis esse poterat, scilicet ut quod tam felici successu coeperat, ipse absolveret, et qui primam operi manum admoverat, idem admoveret extremam. Supremo rerum Domino aliter visum est. Vix enim e prelo primus exierat tomus ille, quum mors magno bonorum doctorumque omnium moerore nec minori rei litterariae damno abstulit eruditum virum tum pietate tum doctrina commendandum, sed singulari imprimis exquisitoque critices gustu, cujus olim non dubium specimen dederat in emendandis Hilarii operibus, ut omittam,*

Digitized by Google

quid in praeclara operum divi Augustini editionis praestiterit, et quanta illius pars fuerit. Haec pro tempore de viro insigni pietate et scientia dixisse sat est; erit forsan, ut liceat plura dicere ad praefationis calcem.

8. *Exstincto domno Petro Coustantio labori successit Simon Mopinotius, qui jam antea socius ipsi additus suam in eodem curriculo industriam exercuerat, felicemque dicendi facilitatem, quae certe in eo praecipua fuit, in elaboranda seu limanda politius praefatione priori tomo praevia ostenderat. Hoc equidem alterius jacturam solabamur, rati hunc alterum a Coustantio futurum, quum ecce iterum veluti a transverso incurrens heu nimium cita et immatura mors spes omnes, quas tum magna eruditionis suppellex eximiaque dicendi copia, tum ipsa viri aetas florens et integra ratas esse jubebant, rescidit, vitae ipsius vel ante filum resecans, quam quidquam in lucem emisisset. Ita tamen fato praeoccupatus rem infectam reliquit, ut quum e vivis sublatus est, si necdum penitus prelo maturus alter tomus, magna saltem ex parte esset confectus, si generalem excipias tomo praemittendam praefationem. Quod nos hic idcirco monemus eoque dictum volumus, ut sua cuique laus servetur, nec nobis, qui tantas post moras ad opus istud in alias ex aliis manibus et demum in nostras transmissum aggredimur, indebita tribuatur. Haec etiam referre operae pretium esse duximus, ut mirari desinant qui forte mirabantur, cur tamdiu epistolarum summorum pontificum editionem pendere interruptam pateremur. Intelligimus enim, jam diu laborem hunc a nobis exspectari, immo vere non deesse, qui licet norint esse opus hujus generis, quod institui nisi praeparato otio non possit nec exiguo tempore absolvi, tam multos tamen annos desiderari querantur.*

9. *Jam vero quod alterum hunc tomum spectat, id omne, quod in priori praestitum est quoad ordinem, methodum, notas, praevias monitiones, praestare conabimur. Quum praetergressi primaevae antiquitatis tenebras majori jam in luce versaturi simus, in notis criticis praeviisque admonitionibus brevioribus nobis esse licebit, quamvis forsan tamen sicut superiorum temporum obscuritas plura dicere compulit, ita posteriorum ubertas, tametsi e multis pauca dixerimus, longiores interdum esse coget. Sua huic quoque tomo essè debuit atque etiam erit et quidem ampla satis praefatio. Visum est in ea primum, si quid novi et hactenus irrepertum ediderimus, de eo verba facere, quibus manuscriptis codicibus usi fuerimus, exponere, subdita etiam ineditarum substantia epistolarum. Deinde praecipua historiae et critices capita, eventus rerum memorabiles, facta splendidissima, quae in eo tomo hinc inde dispersa sunt et per totum volumen vagantur, in unum collecta ordinate annorumque et rerum ratione servata oculis subjicere, ut uno velut aspectu quidquid toto volumine continetur lector conspiciat. Demum si qua visa sunt (sunt autem bene multa) prolixiorem uberioremque postulare disputationem, quam ut commode et abunde satis intra notarum criticarum aut etiam praeviarum angustias admonitionum possent illustrari, iis in postrema praefationis parte dare lucem quantum sat erit, ut tractata prolixius nitescant, conabimur. Quidquid autem praestiterimus, non dubitamus, quin magnum virorum doctissimorum Coustantii et Mopinotii, quorum labori successimus, desiderium facturi simus. Plurima namque in successoribus desiderabunt, quae in utroque mirati sunt lectores. Alii eximiam criticae peritiam repetent, requirent alii eloquentiae splendorem, quae in praefatione priori tomo praevia maxime nitet, aliaque alii desiderabunt. Hi vero meminisse debebunt, non omnia omnibus esse concessa, et ut sua cuique est animi cogitatio, sic et colorem esse proprium. Ceterum efficiemus, ut nec fides nec diligentia requirantur. Ignoscet autem benignus*

Digitized by Google

lector, si qua inter legendum quandoque occurrerint errata, quae humana natura cavere non potuerit.

§. 3.

Prospectus hujus novae editionis. Quomodo Coustantii et Durandi ibi studia connexa. Principia critica, quae in eadem adhibita.

1. Cognovisti, lector candidissime, qui pro re nostra fructus ex studiis sollertissimis doctissimorum illorum filiorum s. Benedicti parati erant. Quorum plena species in tomo primo epistolarum pontificiarum prostat, qui Coustantii ipsius manu prodiit et cujus sequentes tomi fidelissime imaginem retulissent. Atque in pluribus quidem partibus, ubi integrae ejusdem viri clarissimi schedae sese excipiebant, fieri poterat, ut eadem imago hac ipsa editione redderetur. Non nego, me perdiu anxie haesitasse, qua potissimum ratione illas venerandas reliquias tractarem, quum aliud pietatis aliud veritatis amor suaderet. In pluribus enim, quae optima ibi exhibebantur, non deerant quoque, in quibus codices Romani Coustantio prorsus ignoti, studia aliorum virorum eruditissimorum (praeprimis Maffeji, Blanchini, Balleriniorum, Mansii, Maji, Rossi al.), et meae ipsius qualescunque lucubrationes supplere quid aut corrigere juberent. In aliis deterrebat sermonis prolixitas; atque illa omnino codicum mera appellatio, qua nec aetas nec ordo ipsorum proderetur, non minus incommoda quam stabiliendo judicio critico difficilis esse apparebat. Denique ipsorum virorum summe venerandorum Coustantii et successorum studia, quanticunque per se aestimanda et praedicanda, tamen non ita publica documenta aut aeterni cujusdam juris esse visa sunt, ut jam omnino mutationem non saperent, aut ea attingere diceretur nefas. His igitur causis nihil dubitandum duxi, quin textum Coustantii et Durandi, tametsi plurimum retinerem, tamen quantum rationes quas modo extuli suaderent, desererem et meo genio formarem. Si autem singulae ejusmodi mutationes singulis locis litteris aut notis significatae essent, vix ortum inde incommodum aeque tulisset aequissimus lector. Quapropter ut, quantum per me staret, nec veritas nec justitia pietasque laederetur, nec

Digitized by Google

ipsum opus detrimentum caperet, rem meam in hunc modum absolvi.

2. Primum luculentissima illa Coustantii et Durandi in singulas epistolas monita praevia religiosissime reddidi. Quae tamen, ne textus epistolarum nimis interrumperetur, corpori earum conjunctim praemisi, simul si qua ex propriis addenda erant, speciatim signata addens aut inserens aut adnotans. Deinde in notis criticis pro more nostri temporis et lectoris utilitate singulos codices, quantum fieri poterat, ex ordine et aetate certis litteris signavi, prout recensio ipsorum mox sequens plenius rationem reddet. In quibus simul quae nimis prolixa videbantur, nihil dubitans resecavi, quae necessario addenda aut mutanda, addidi, mutavi, simul suum cuique, quantum fieri poterat, jus testans (nam in pluribus jam ipsa recensio codicum prodet, ad cujus potissimum auctoritatem singulae collationes et lectiones inde provenientes referendae sint). In textu epistolarum ipso generatim, quantum recognoscere potui, Coustantii recensionem secutus sum, nisi novi codices aut justa ratio mutandum quid poscerent, ubi tamen de Coustantii lectione, si fieri poterat, monere nunquam omisi. Notitias denique epistolarum pontificiarum non exstantium, quae sane summi aestimandae, ita ex Coustantii schedis produxi, ut tamen pro lustratione faciliore proprias inscriptiones aut summas imponerem, et quae ex opusculis recentius repertis addenda erant adderem, et quae exciderant ipse supplens componerem.

3. Ut jam quibus siglis pro vindicandis singulorum auctorum juribus usus sim appareat, ita institui. Ubi integrum aut fere integrum Coustantii opus reddidi sive in monitis praeviis sive in notis criticis, addito ad marginem initii signo [a^3] notavi. Similiter si forte ex propriis aut alius auctoris curis plura addenda, affixi ad marginem litteras [Ed.], aut nomen auctoris ipsum adscripsi. Si totum mutandum videretur, ita ut utriusque nostrum curae jam strictim aut sine lectoris incommodo discerni non possent, aut omne signum omisi aut apposui litteras [a^3. Ed.]. Pauca, quae uno alterove loco aut ipse studiis Coustantii, aut hic meae operae

Digitized by Google

praebuerit, si non ipse asteriscis inclusi et praedictis signis notavi, prudens lector ex recensione codicum, quam mox exhibebo et qua cujusvis auctoris curae strictim notabuntur, ipse agnoscet. Ita quidem factum puto, ut et veritati quantum per me staret consulerem, et impietatis et injustitiae notas effugerem.

4. Restat, ut quae ipse in recensione textus principia secutus sim, paucis adaperiam. Primum de codicum auctoritate, quam aut generatim aut in unaquavis epistola praetulerim, partim in subsequenti illorum recensione partim in monitis epistolarum singularum praeviis plenius ratio reddetur. In iisdem his monitis alia etiam momenta diplomatica, inscriptiones, summae, notae marginales, et quidquid pro authentia aut usu critico facit, simul accurate disserentur. — Deinde in edendo textu ipso cum venerabili totius operis parente Coustantio religiosissime summam praestantissimorum codicum fidem observandam duxi, contra quam editorum aliorumque nec errores nec arbitrarias correctiones admisi. Saepissime enim primorum editorum meri errores calami ab omnibus sequentibus repetiti sunt, qui si vel uno codice fulcirentur, ut lectiones difficiliores indubie veriores esse crederentur. Unde nemo praeceps suspicionem malam concitabit, si ex accurata archetyporum vel archetypi lustratione permulta editorum menda remota esse cognoverit. Alia autem ex parte ut ejusmodi textus vitia contra omnium codicum auctoritatem corrigerem, etsi praeiissent editi, non aut vix admisi. Partim enim non mirandum, si vere in occupatissimorum illorum pontificum scriptis saepius salebrae quaedam restiterint, quum inter summa negotia et acerrima certamina limae labor et mora vix exspectandum; partim autem sub ejusmodi velamine haud raro textus lacuna latet, quae aliorum exemplarium medelam flagitet, quamque lectoris oculos celasse parum gratum foret. Unde ibi quidem plerumque nonnisi ad marginem, quam putavi, correctionem addidi; in ipsum textum tunc solum immisi, si aut palam prostaret librarii legentis audientisve error, aut contextu aut aliorum locorum similitudine necessario correctio juberetur; nec tamen

Digitized by Google

unquam quominus de hoc lectorem diserte monerem omisi. Scribendi et interpungendi rationem autem, quam exhibent codices manuscripti, quod non retinui, jam nemo mihi vitio vertet. In re prioribus quidem saeculis fere nonnisi ab arbitrio vel barbarie cujusvis librarii pendente si usus et doctrina nostri temporis desereretur, in opere ex variorum saeculorum codicibus conflato recte ineptissimum videretur. Quare nec ejusmodi differentias singillatim adnotandas duxi. Ubi tamen scriptio a consueta diversa alicujus momenti esse videbatur (praeprimis in omnibus nominibus propriis), aut novum quid ex uno codice vetustiore proferendum aut omnino variae lectiones exhibendae erant, rem fidelissime ad litteram expressi.

5. Si autem in his omnibus non defuerint, quae aut vere vacillaverint aut nondum satis matura aut certe aliis aliter praestanda visa fuerint, haec quidem, etsi omni fide et diligentia adhibita, omnis operis humani conditio est, ac plura meliora excusabunt illa quae parum bona. In illis s. Pauli verbis: *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*, in illis dico omnis harum curarum honor esto! Cuivis lectori autem et earumdem rerum gnaro aut studioso preces illas Horatii offero: Philipp. 3, 12. Horat. ep. I, 6.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

§. 4.

Brevis recensio codicum, qui in hac editione adhibiti sunt.

1. Quum de collectionibus canonum earumque codicibus satis luculenter tum a Coustantio (*Epistolae Romanorum Pontificum. Praefatio generalis*) tum a Balleriniis (*De antiquis collectionibus et collectoribus canonum* in Leonis Magni Op. tom. III pag. V—CCCXX) disputatum sit, supersedere hoc loco possum, ut in eam rem denuo speciatim inquiram. Suffecerit, puto, si quae illi eruerunt ipseque in lustratione codicum Romanorum aut probavi aut complevi, ad succinctam quamdam amussim revocaverim, unde fontium hujus editionis ratio apud doctos constare possit. Quare nihil de origine aut forma primarum collectionum, de usu et aucto-

Digitized by Google

ritate singulorum earumdem capitum nihil dicam; solum pro efficiendo et stabiliendo textus fundamento critico epistolarum pontificiarum codices secundum antiquitatem aut familias suas brevibus perlustrabo. Summopere doleo, quod studia de hac eadem re sollertissima clar. Dr. Friderici Maassen (*Bibliotheca latina juris canonici manuscripta* in *Annal. Acad. Caes. Vindob. class. hist. phil.* t. LIII et LIV) demum absoluto hoc opere et sub prelo constituto ad notitiam meam pervenerint. Quare etsi candidissime mecum mox communicavit vir humanissimus, tamen ut justam utilitatem inde perciperem, jam deerat tempus, nec nisi in praefatione quasdam notas adjicere potui, unde codices ibi recensiti aliquatenus illustrarentur. Plenius in hanc rem, si Deus voluerit, toto corpore epistolarum absoluto operam convertam.

2. Antiquissimus igitur hujusmodi codex est ille Corbejensis XXVI, deinde S. Germani a Pratis 936, vel Parisiensis lat. 12097, quem et characterum forma (conf. specimen in Mabillon *de re diplomatica* pag. 357 n. 2) et catalogus pontificum in Vigilii anno XIV desinens medio saeculo VI (sec. Maassen l. c. LIV, 268 *saec. VII*) vindicat. Pleniorem ejus notitiam Montfalconius *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscr.* tom. II pag. 1124, Coustantius *Praefat. in Epist. Rom. Pontif.* n. 61—69, Sirmondus et Labatus *Praef. in Concil. Gall.*, et ex his Ballerinii l. c. p. II c. 5 praebuerunt; denique Maassen, qui eum saeculo VII adseruit, l. c. LIV pag. 268 ss. accuratum ejus indicem protulit; (conf. etiam Haenel *Nov. const.* pag. 418 sq.). Coustantius et praedicti conciliorum Galliae editores amplissimum ejusdem usum fecerunt. Ceterum praeter Hilari ad Leontium et Symmachi ad Caesarium nullas litteras pontificias Leone I recentiores amplectitur, quare pro hac nostrae editionis parte vix concurrit.

3. Hoc quidem, si fontem unde prodierit spectaveris, fere vetustior est Vaticanus Reginae 1997, forma fere quadrata foliorum 161. Qui et monumentorum genuitate et catalogo pontificum in Hormisda desinente initium saeculi VI prae se fert, quare a Balleriniis l. c. p. II c. 4 omnium praestantissimus primo loco ponitur. Verum ejus aetas non

Digitized by Google

similiter, atque illi viri doctissimi innuere videntur, eidem tempori tribuenda. Nam characterum Langobardicorum forma satis saeculum VIII prodit. Ipse scriptor in fine primariae collectionis fol. 153[a] (nam fol. 153[b] usque ad finem demum imperante Ludovico II addita sunt) post capitula Silvestri eodem contextu et iisdem litteris majusculis ita patriam et aetatem suam notat: CHRISTO ENIM FAVENTE LEGENTIBUS CUNCTIS IMPLORO PRO EXIGUO ME CETERISQUE SACERDOTES CIVIB HIS QUAMQUAM INMERITO NOMEN SACERDOTII MINIME FUNGENTI HONORE SICIPERTUS HUMILLIMUS CHRISTI HUNC OPUSCULUM OPERE EXPLICAVI DOMNO BEATISSIMO PRAECIPIENTI FIERI INGILRAMO. RURSUM MAGIS MAGISQUE LECTORIBUS QUESO, QUOD SI AUT EX SYLLABIS SCISMA ALIQUA INVENERITIS MINIME DETRAHATIS INSIPIENTIE MEE SED QUOD VRA HABUNDAT SAPIENTIA CORDIS SYLLOGISMO AUFERATIS AB EO. ⁞ UT ALMA DĪ INTEMERATA MARIA ET BEATI THOME SIMUL ET BEATI JUSTINI IN CUJUS SEDIS HUNC PERFICITUS FUIT DELICTAQUE VRA DELEANTUR PERENNE POLLEAT PRECEPTOR OPIFEX SALVIFICETUR IN EVUM AMIN. Qua inscriptione pro origine nostri codicis dioecesis *Theatina* et tempus episcopi ut videtur *Ingilrami* vindicatur. Nam qui hic memorantur *beati Thomas et Justinus,* ut amicissime me monuit cl. Fr. Maassen, illius ipsius cathedralis ecclesiae patroni sunt (conf. Ughelli *Ital. sacr.* ed. II. Nic. Colet. VI, 671), cujus ejusdem episcopi *In.* epistola formata manu saec. X in prima pagina codicis asservatur. Aetas tamen ipsa hujus Ingilrami ignota, tantumque moneo, illum episcopum, qui in dicta epistola *inspeculator Theatinus* legitur, vix alium a nostro *Ingilramo* esse, atque immerito litteras *in* a Balleriniis in *M* mutatas. Utique codex iste unus ex longe praestantissimis litterarum canonicarum libris est, quique nostrae rei plurimum profuit. Sive enim monumentorum exhibitorum aetatem sive textus genuitatem speetaveris, revera aevum ante Dionysianum agnoscere necesse est. Plenariam ejus notitiam Ballerinii l.c. II, 4 praebent, et pro editione sua collectionis Quesnellianae textum contulerunt. Ipse quominus eum denuo quam accuratissime perlustrarem, cum summa operis mei utilitate haud omisi.

4. Tertio loco memorandus Parisiensis lat. 3836 (ol. Colbertin. 784, tum Paris. reg. 3887. 3. 3), eodem fere

Digitized by Google

tempore litteris Langobardicis majusculis exaratus, quem Coustantius l. c. n. 89—99 et Ballerinii l. c. II, 6 descripserunt et in editionibus suis adhibuerunt. Qui quum in canonibus jam partim Dionysianam versionem sequatur, in aliis longe pluribus tamen primario quodam jure gaudet, nec Symmachi aevo recentior putandus est. Cui in omnibus fere similis est Lucanus 490 (ol. 89) saec. IX, quem Mansius in commentario de celebri codice saeculi Caroli Magni scripto (apud Calogera opuscula tom. XLV pag. 76) et Ballerinii l. c. II, 6 plenius descripserunt et pro editionibus suis contulerunt. Tertium s. Pauli in Carinthia saec. VI ejusmodi codicem memorat Maassen *Biblioth. lat. jur. can. ms.* l. c. LIII p. 381).

5. Seriem excipiunt duo alii ejusdem aetatis (initii scilicet saeculi IX) et similis ordinis codices Barberinus Nr. 2888 foliorum maximae formae 298 et Vaticanus Nr. 1342 ejusdem formae foliorum 213. Quorum uterque in fronte indicem titulorum XC Gelasii aevum non excedentium praefert, sed Barberinus tantum textu exsequitur, Vaticanus pluribus locis deserit, capita Dionysio-Hadriana inserens. In hoc enim fol. 39—53 constitutiones Hilari, trium synodorum Symmachi et Anastasii ad Anastasium Augustum, fol. 93—96 synodus Zachariae papae *Liutprando regnante a. XXXII Ind. XII*, fol. 185—189 instituta Gelasii („*Necessaria rerum*"), fol. 190—213 variae synodi Gregorii I et II, Eugenii et Leonis IV aliaque canonica adduntur, desunt indicis tituli 33, 42, 43, 45 (75—77). Ac difficillimum est, in dictis additamentis discrimen aliquod characterum dignoscere; ex. gr. fol. 39 eadem prorsus manus apparet, quae antecedenti fol. 37 epistolam synodi Carthag. ad Bonifacium („*Quoniam domino placuit*") scripsit. Quare nescio, num cum Balleriniis, qui de utraque collectione l. c. II, 7 plenius disseruerunt, plane consentiendum sit, lacunas solummodo prioris textus hoc modo resartas esse. Utique pro critico usu Barberinus codex multo praestantior. Ex hoc aut hujusmodi codice cardinalem Deusdedit saeculo XI in collectione sua Graecarum praesertim synodorum canones excerpsisse, Ballerinii monent. Ex Bar-

Digitized by Google

berino Lucas Holstenius quaedam anecdota protulit, utroque pro editionibus suis docti fratres usi sunt. Quare pro omnibus epistolis pontificiis novam collationem mihi instituendam esse summo jure duxi.

6. Sed jam de familia illa codicum, qui collectionem primo a Quesnello (unde breviter *Quesnelliana* vocatur), deinde a Balleriniis (Leonis Magni Op. III col. 13—472) editam exhibent, paucis agendum. Quae etsi non, sicut primus editor voluit, publica sedis Romanae auctoritate composita dicenda, tamen materiarum et genuitate et ubertate pro una ex praestantissimis habenda est, praesertim quum, etsi in Gallia confecta, tamen quoad fontes primario quodam jure gaudeat, quoad aetatem Gelasii fere aevum sibi vindicet. Amplissime de ea rationem reddiderunt Quesnellus Op. Leonis M. tom. II (etiam apud Ballerinios Op. Leon. M. tom. III, 685 ss., et Gallandii sylloge pag. 286 ss.), Coustantius Praef. in ep. Rom. Pontif. n. 70—88, Ballerinii l. c. p. II cap. 8 et notis in Quesnelli dissert. cit. (Op. Leon. M. t. III, 685 ss.). Praecipui autem codices ejus, qui aut prioribus editoribus aut in hac nostra editione usui fuerunt, hi sunt: Caesareus Vindobonensis Nr. XXXIX foliorum max. formae 171, ex fine saeculi VIII aut initio saeculi IX, et alter Caesareus Vindobonensis Nr. XLII sequioris aevi, a Balleriniis adhibiti; Oxoniensis et Thuaneus (postea Colb. 932, deinde Paris. reg. 3887. 12, nunc Paris. lat. 3842 saec. IX—X) a Quesnello producti; Treco—Pithoeanus (nunc Paris. lat. 3848. A., saec. VIII—IX), Colbertinus, Bellovacensis, s. Vedasti Atrebatensis, Hubertinus et Colbertinus Nr. 3368 (nunc Paris. lat. 1455 saec. IX—X) ex ejusmodi collectione partim haustus, a Coustantio collati. His omnibus autem fere praetulerim codicem Eremensem Nr. 191 fol. max. formae 229, sub Hadriano I, sicut catalogus pontificum Romanorum in eo desinens et characterum forma significant, scriptum, et cum archetypo suo accuratissime collatum (saepius notatur *contuli;* conf. fol. 88^{b}, 104^{b}, 228^{a}), nisi forte hic codex quasi principalis exque ipsis variis monumentis compositus dicendus. Saltem in indice capitum praevio post Nr. 17

Digitized by Google

eadem manu notatur: *Haec tria descripta a Henrico Gravio ex codice s. Vedasti Atrebatensis.* Quapropter accurata hujus codicis collatione nullo modo supersedendum mihi ratus sum.

7. Ejusdem fere aetatis alia eaque in usu ecclesiastico celeberrima collectio est, Dionysii Exigui inquam. Sed quod sane multum dolendum, vix ullus codex invenitur, qui aut tempore aut textus genuitate illam prorsus sequatur. Accessere deinceps varia additamenta, quorum omnium pleniorem rationem reddunt Coustantius Praef. n. 105—109 et Ballerinii l. c. p. III c. 1—3, nec ipsi codices, qui supersunt, ullatenus aevum Dionysii attingunt. Inter quos prae omnibus nominandi Parisiensis lat. 3837 (ol. 3887. 3) saec. IX a Coustantio, et Vaticanus 5845 *fol. max. formae 327, litteris Langobardicis saec. VIII exaratus,* a me pro epistolis pontificiis examinatus. Quamquam et ille teste Coustantio *nonnullam habet cum Dionysiano dissimilitudinem,* et hic non solum fol. 135^{b}—157^{b} et 158^{a}—167^{a} (scil. Nr. 1—5 novi additamenti) additamenta Hadriana etsi sejunctim et perturbato ordine chronologico, sed etiam fol. 167^{a}—327 illas *additiones Dionysianas* n. 74 (secundum codicis dispositionem n. 6—79) exhibet, quas similiter Barberinus 2888 et Vaticanus 1342 exsequuntur, et Vallicellanus A 5 collectioni Hadrianae assuit (conf. Ballerinii l. c. p. III cap. 2 n. 3 et cap. 3). Nec codex ille, unde Christophorus Justellus in editione sua (*Collectio decretorum Pontif. Roman. autore Dionysio Exiguo* ed. a. 1643, repet. in Gul. Voelli et Henrici Justelli *Bibliotheca jur. can.* tom. I pag. 101 ss.) genuinum Dionysii opus extraxisse sibi visus est, jam posterioribus additamentis caret (conf. Ballerinii l. c. p. III c. 1 §. 1 n. 5). Denique Vaticanus Palatinus 577 ex fine saeculi VIII codex, quem Ballerinii l. c. p. III c. 1 §. 3 et ipsum pro genuino Dionysiano provinciae Gallicanae adducunt, solam primam collectionis illius partem praebet[1]).

[1]) Eodem etiam litterae *F* addita minuscula littera siglo usus sum pro pluribus saeculi VII—IX codicibus, qui pro una alterave tantum epistola concurrerunt, quorumque plenior notitia mihi aut omnino deerat aut serius advenit (ex. gr. pro Monacensibus lat. 5508 et 6243 ac pluribus codicibus Gelasii epist. 42).

Digitized by Google

8. Maxima vero codicum Dionysianorum est copia, qui Hadriani nuncupari solent, iis scilicet capitulis aucti, quae exemplar ab Hadriano I papa Carolo Magno anno 774 oblatum continebat. Duobus codicibus *propter admirandam scripturae vetustatem suscipiendis ac venerabilibus* in sua editione (*Canones apostolorum. Veterum conciliorum constitutiones. Decreta pontificum antiquiora.* Moguntiae a. MDXXV mense Aprili) usus est Johannes Wendelstinus. Quae editio quum a Francisco Pithoeo anno 1609 simpliciter repetita esset, in nova editione (*Codex canonum vetus eccl. Rom.* Parisiis anno 1687) exemplar Treco—Pithoeanum *non minus venerandae vetustatis* et variae notae Pithoei adhibita sunt, etsi textus inde vix usquam mutatus videtur. Idem dicendum de editione a Christophoro Justello anno 1643 ex proprio codice adornata et in Biblioth. jur. can. cit. tom. I pag. 101—274 producta.

Coustantius in clarissima epistolarum pontificiarum recensione de hujusmodi familia non minus XIX codices manuscriptos adhibuit, inter quos Sangermanensis Corbejensis Nr. 367, ol. 423 anno 805 vel 876 exaratus[1]), alter Sangermanensis (Nr. 937, ol. 669 saeculi IX), Harlaeani tres[2]), Coisliniani duo[3]), Colbertini duodecim[4]), (conf. Praefatio cit. n. 128). Praeterea codex Virdunensis s. Vitoni ab ipso saepissime laudatus Hadrianus fuisse et monumentis prolatis et ipso illius judicio[5]) evincitur.

---

[1]) Scilicet ad calcem libri additum: *Facto hunc libro in anno XXXVII regnante domno Carolo imperatore;* conf. Labat. conc. Gall. tom. I. Praef. pag. VIII.

[2]) Quorum duo nunc in bibliotheca Parisiensi asservatos, Nr. 391 (Paris. lat. 12446) et 503 (Paris. lat. 12447) saec. X recenset Maassen l. c. LIV, 284.

[3]) Nescio an iidem, quos postea inter *Germanenses* Labatus recenset, scil. Germ. 366 (ol. 466, membr. saec. IX) et 365 (ol. 25, membr. saec. X).

[4]) Ex quibus hi codices postea *Regii Parisienses* recensentur: Nr. 1452 (saec. X), 1453 (saec. X), 3182 (saec. X—XI), 3838 (membr. saec. IX—X), 3839, 3840, 3841, 3842, 3843, 3844, 3845, 3848 (membranacei max. formae, saec. X), 3846 saec. IX, 3847 saec. XII, 4278 (membranaceus formae quadratae saec. X), 10741 (saec. X). (Catalog. Biblioth. Reg. Paris. apud *Migne* dictionnaire des Manuscrits I, 700 ss. et *Maassen* l. c. II, 184 ss.).

[5]) Ex. gr. in Hilari epist. 15 not. 22: *In vulgatis autem et manuscriptis coll. Hisp. et Isid.:* „sententias causas . . ."; *quam lectionem etiam habet codex s. Vitoni Hadrianae collectionis.* Eodem modo in Gelasii epist. 14 not. 2 et 4 *codex s. Vitoni Hadrianae collectionis* notatur. Quod idem Maassen l. c. 288 secundum Waitzii indicem sentit et codicem saec. XI dicit.

Digitized by Google

Quos deinde Ballerinii l. c. p. III c. 2 n. 4 inter *antiquiores et memoratu dignos* codices recensent, ipse perlustravi, et hic brevibus notare placet. Est igitur Vaticanus 1337, quo praecipue correctores Romani in editione Gratiani usi sunt, fol. max. form. 179 litteris Langobardicis initio saeculi IX scriptus et cum originali suo diligenter collatus. Vaticanus 1338 fol. max. form. 268 ex saeculo X vel XI in prima parte canonibus quibusdam Isidorianae collectionis auctus, in secunda parte autem sola ex collectione Hadriana transcriptus est, ut in fronte libri fol. 1[b] adnotatur: *Iste codex est scriptus de illo autentico, quem domnus adrianus aplicus dedit gloriosissimo carolo regi francorum et longobardorum ac patricio romanorum quando fuit rome* (conf. Ballerinii l. c. p. III c. 5). Vaticanus Reginae 1021 fol. max. formae 245 Lothario imperante scriptus est, sicut haec scriptoris verba monstrant: *In hoc quisque legat patrum dulcissima verba, Dicat in aeternum vivat Lotharius oro.* Ejusdem fere aetatis est Vaticanus Reginae 1043 fol. max. formae 159. Vallicellanus A 5 autem, fol. max. formae 336 et vivente Nicolao I scriptus (sicut catalogus pontificum in eo desinens, annis demum postera manu adscriptis, et splendida characterum forma ostendit), quamvis et ipse prima parte totam seriem Hadrianae collectionis exsequatur, tamen majoris momenti est, quam ut inter ejusmodi codices unus de numero dicatur. Nam et in illa ipsa parte (fol. 12[a]—208 vel Nr. I—LXVIII) genuitate quadam textus primaria excellit, ab Hadrianis codicibus saepissime differente et magis ad lectiones Vaticani Reginae 1997, Barberini 2888 et Vaticani 1342 accedente, et in secunda parte (fol. 208[b]—336 vel Nr. LXIX—CXLI) gravissima illa capitula LXXIV *additionum Dionysianarum* praebet, quas similiter Vaticanus 5845, Barberinus 2888 et Vaticanus 1342 exsequuntur (conf. supra n. 7 et Ballerinii l. c. p. III c. 3 n. 3 ss.). Cui prorsus consonus, ita ut apographon fere diceretur, est Vaticanus 1353, auctore Johanne Bergomate episcopo ex ejusdem ecclesiae codice vetustate paene corroso anno 1461 exscriptus et Petro Barbo cardinali postea Paulo II pontifici oblatus. Iisdem saltem *ad-*

Digitized by Google

ditionibus Dionysianis instructum Ballerinii l. c. p. III c. 3 n. 2 etiam perantiquum codicem Vercellensis capituli jam saeculo X ab Attone episcopo usurpatum laudant. Quum in illis codicibus Romanis tabulam capitum CXLI inscriptio, praefatio et index capitulorum CCC breviarii Cresconiani excipiant, cardinalis Baronius Vallicellanum nostrum A 5, Romani editores epistolarum pontificiarum autem similiter Vaticanum 1353 nomine *Cresconianae collectionis* ubique laudant, id quod Coustantio hoc nescienti multos scrupulos movit (conf. Praef. cit. n. 125 et 127 et saep. in edit. ipsa). Alios codices hujus familiae a Balleriniis l. c. p. III c. 2 n. 5 laudatos, Vaticanum 4969 et Vaticanum Palatinum 578, non inspexi. Vallicellanus XVIII autem ibidem adductus, fol. max. formae 280 ex saeculo X aut XI inter varia monumenta canonica (conf. infra n. 17c) etiam nostram collectionem habet.

Sed praeter illos, duo alios Hadrianos perlustrare contigit, qui sane inter primos ponendi: scilicet Sessorianus LXIII membranaceus fol. max. formae 232 aetate auctori suo suppar (sicut catalogus pontificum in Hadriano desinens innuit et characterum forma confirmat), et Vaticanus 4979 fol. max. formae 124, priore vix recentior, multis partibus tamen mutilus.

9. Inter longe praecipuos epistolarum pontificiarum fontes ponenda est illa collectio, quae a principali suo codice monasterii s. Crucis Fontis Avellanae in Umbria siti Avellana nuncupata est. Quae et documentorum ubertate (n. 246) et textus genuitate fere omnes antecellit, fontibus quos secuta est primario quodam jure gaudet (conf. Coustantius l. c. n. 166, Ballerinii l. c. p. II c. 12). Quum nulla documenta Vigilio papa juniora praebeat, forsitan jam saeculo VI originem cepit. Princeps ejus codex autem (foliorum max. formae 109), qui ex dicto monasterio Avellano demum exeunte saeculo XVI in bibliothecam Vaticanam translatus (notatur in pag. 1: *Emtum ex libris Cardinalis Sirleti*) ibique Nr. 4961 signatus est, quamvis singulari scripturae diligentia excellat, vix saeculo X aut initio saeculi XI antiquior est. Cujus apographa sunt Vaticanus 3787,

Digitized by Google

membranaceus fol. max. formae 163 ex saeculo XI aut XII (a Baronio et editoribus Romanis breviter *codex Vaticanus* citatus, dum Vat. 4961 ab illo *codex Sirleti* nuncupatur), Vatic. 3786 et 4903. Alia ejusdem exemplaria Ballerinii l. c. recensent: ex bibliotheca Angelica PP. Eremitarum s. Augustini 5. III. 9, ex biblioth. Corsiniana Nr. 817, ex biblioth. s. Marci Veneta Nr. 171 et 172. Vaticanus 3787 est ille *„vetus codex Vaticanus“*, qui editoribus Romanis epistolarum pontificiarum (Romae 1591) celeberrima illa et fere innumera monumenta inedita (praeprimis pontificum Simplicii, Felicis II, Hormisdae et Vigilii) subministravit. Coustantius deinde ejusdem familiae *„Vaticanum“* per amanuensem conferendum curavit, cujus lectiones tamen nonnunquam a Vaticanis illis, quos modo enumeravi, discedunt. Quapropter codicem principem Vaticanum 4961, cum quo alii Vaticani mire consonant, denuo summa diligentia aut ipse aut per supra dictos amicos contuli.

10. Ex alia Ecclesiae parte propria quaedam magnique momenti collectio est Hispanica, vulgo s. Isidori Hispalensis dicta. Quae etsi epistolas pontificias ex Dionysiana repetiit, tamen alias proprias adjecit, et in textu et in recensione synodorum sui juris est. Quum ipsa intra annos 633 et 636 fortasse auctore s. Isidoro Hispalensi episcopo concinnata sit, codices ejus tamen saeculum VIII non excedunt. Inter quos forte praeclarissimus Caesareus Vindobonensis 411 ol. 41 (antea Ambrasianus 281), membranaceus fol. max. formae 314 (fol. 310—314 autem alia etsi antiqua manu adjecta) litteris cursivis Gothicis scriptus, quae saeculum[1]) VIII vel IX (fol. 310 ss. saec. X) referunt. Saeculum IX etiam sibi postulant Vaticanus 1341, membranaceus fol. max. formae 188, qui cum Coustantii codicibus ejus familiae plane concordat, et Vaticanus 1127 membranaceus foliorum 165, qui simul in initio quasdam notitias historicas saeculi IX[2]) praebet. Johannes Ba-

[1]) Fol. 314[b] sigla epistolae formatae graecis elementis producuntur in hunc modum: ΠΤΑ | Π | BI IN | AMHN | DCCXXXVI |. Quam ultimam lineam Lambecius pro numero anni sumens, codicem nostrum a. 736 exaratum esse ponit.

[2]) Scilicet f. 1 et 31 *Notitiam provinciarum ecclesiasticarum*, *f.* 9—10 *Catalo-*

Digitized by Google

ptista Perezius in praeclara lucubratione sua Gregorio XIII transmissa (nunc cod. Vatic. 4887), quam postea cardinalis Aguirre in editione conciliorum Hispaniae secutus est, inter multos Hispanos quatuor praesertim laudat codices Lucensem, Hispalensem, Alveldensem et s. Aemiliani. Garsias Loaisa in praefatione ad concilia Hispaniae, praeter dictos duos Alveldensem (ab ipso Vigilanum) et s. Aemiliani (ab ipso Hispalensem dictum), extollit duos Toletanos. Petrus de Marca et Stephanus Baluzius duos Rivipullenses, unum Urgellensem (cujus apographon Paris. lat. 3850), Colbertinos et Lugdunensem memorant. Coustantius in editione sua Gerundensem, Laudunensem, Noviomensem, Bellovacensem, Suessionensem, Coislinianum, Colbertinum 3368 (nunc Paris. lat. 1455 saec. X) et alium Colbertinum collectionem in usum Hispanae ecclesiae libris X adornatam complectentem (nunc Paris. lat. 1565 saec. XI, cujus alterum exemplar saec. IX est Sangermanensis 364) adhibuit. Denique Franciscus Antonius Gonzalez in editione sua (*Collectio canonum ecclesiae Hispanae.* Matriti 1808. *Epistolae decretales Roman. Pontif.* Matriti 1821) hos codices produxit: Alveldensem seu Vigilanum anno 976 a Vigila presbytero monasterii s. Martini de Alvelda scriptum, Aemilianensem anno 994 exaratum, Toletanos duo (unum anno 1072, alterum anno 1133 a Juliano presbytero confectum), Regium Matritensem P. 21 saeculi X vel XI, Escurialenses duo (quos *tertium* et *quartum* vocat, quia Vigilanus et Aemilianensis hodie ejusdem sunt monasterii) saeculi X et XI, Urgelitanum ejusdem aetatis, Gerundensem denique dimidio saeculo XI conscriptum; simul addit, Hispalensem et Lucensem codices voracibus flammis anno 1671 bibliothecam Escurialensem vastantibus consumptos esse (conf. Coustant. Praef.

---

gum Pontificum usque ad Paschalem (*sed. a. VI d. XVI*); fol. 11 Chronicon ab a. 815 (*V Kal. Febr. Karolus aug. moritur*) usque ad a. 872, postera manu usque ad a. 1000 (videntur *annales Engolismenses* esse Pertzianis illis t. VI p. 5 multo pleniores); fol. 11. b^b *nomina regionum earumque provinciarum;* fol. 21—30 *Catalog. pontificum Roman.* (usque ad Pelagium II sine annorum significatione; tunc eorum brevis historia usque ad Felicem IV, et anni usque ad Pelagium II).

Digitized by Google

n. 132—152, Ballerinii l. c. p. III c. 4 et Ant. Gonzalez praef. 2^{dae} part. op. cit.

11. Gallicanae deinde collectiones, etsi fere nullae publicam auctoritatem sortitae, pleraeque (saltem in capitulis communibus) ex dictis fontibus profectae sunt, tamen propter aetatem et doctam antiquitus illius regionis sollertiam canonicam magnum sibi honorem vindicant. Porro capitula ad illam ecclesiam speciatim pertinentia ibi potissimum inserta, eaque summi momenti esse, citra dubitationem patet. Ejusmodi exemplaria *Sirmondus* in editione sua conciliorum Galliae adhibuit: Aniciense, Corbejense (nunc Sangermanense 466 seu Paris. lat. 12098 saec. X), Remense et Fossatense, quae *optimae prae ceteris notae* vocat, etsi inter ea Remense s. Remigii (nunc Philippicum MDCCXLI saec. IX)[1]) fere primo loco ponit. Addit praeterea s. Benigni Divionense partim ex Dionysiana partim ex prisca Gallicana sumptum, Lugdunense, s. Mariae Laudunense et Engolismense. Coustantius praeterea adduxit Morbacense (ex saec. IX), Tilianum, Treco-Pithoeanum; denique illius Corbejense Nr. XXVI (nunc *Paris. lat. 12097*) et Colbertinum 784 (nunc *Paris. lat. 3836*) jam antea insignita (cf. supra n. 2 et 4) eidem origini vindicanda sunt. Porro quibus manuscriptis ultimus conciliorum Galliae editor Labatus opus suum fulserit, jam antea § 2 n. 3 dictum est (conf. etiam Ball. l. c. p. III c. 10).

12. His quidem statim adjungenda specialis quaedam illius regionis collectio, Arelatensis dico, quae documentorum ubertate et antiquitate summi momenti est. Cujus Coustantius haec exemplaria contulit: Parisiense Regium Nr. 3989, nunc *Paris. lat. 3849* ex saeculo IX (Coust. *Regium*), Colbertinum 5034, nunc *Paris. lat. 2777* saec. IX (Coust. *Colbertinum*), et alterum Colbertinum 5141 (*Arelatense* a Baronio et Coustantio, *Lirinense* a Sirmondo vocatum), postea Paris. reg. 3989. 3 nunc *Paris. lat. 5537* saec. XI—XII. Mihi quidem solum apographon hujus tertii saeculo XVI confectum codex Vallicellanus G 99, a Baronio

[1]) De hoc codice, qui postea Jesuitar. Paris. 569, nunc Philipp. MDCCXLI, conf. Haenel *Nov. const. imp. Theod. II, Val. III* etc. ed. 1844 pag. 415 sq. (not. 22).

Digitized by Google

simpliciter *collectio Arelatensis* dictus, pro usu aderat (conf. Coustantius Praef. cit. n. 165 et Ballerinii l. c. p. II c. 13 n. 5).

13. Nec minoris valoris est alia collectio specialis ecclesiae Thessalonicensis, quae gestis synodi Romanae anno 531 sub Bonifacio II habitae tota inserta, non pauca documenta sola nobis transmisit. Quae quidem primum Lucas Holstenius in *collectione Romana* Romae 1662 ex codicibus Vaticanis 5751 et 6339 publici juris fecit, cujus simul opera iidem in codicem Barberinum 3386 diligenter exscripti sunt. Dictos codices Vaticanos, quos Ballerinii invenire non potuerunt, ipse inspexi et pro re mea examinavi. Quorum prior membranaceus foliorum 77 formae quadratae *Liber s. Columbani de Bobio* insignitus, characteribus saeculum X prodit, alter foliorum 378 maximae formae saeculum XVI (conf. etiam Coustant Praef. cit. n. 164, Ballerinii l. c. p. II c. 13 n. 1—4).

14. Statim hoc loco memoraverim collectiones ad causas Nestorii et Eutychetis pertinentes, unde nobis compluria summi momenti documenta pontificia prodierunt. De causa Nestorii et concilii Ephesini quidem praestantissimi codices hi sunt: capituli Veronensis LVIII (ol. 56) quem *vetustissimum* Ballerinii, Maassen sec. Reifferscheid saec. X vocat, Bellovacensis nunc *Paris. lat. 1456* saec. XI, a Baluzio in editione conciliorum Veneta adhibitus, duo Casinenses a P. Christiano Lupo vulgati (*Ad Ephesinum concilium variorum Patrum epistolae ex Ms. Cassin.* etc. Lovanii 1682). Vaticanus 1319, membranaceus saec. XII foliorum max. formae 260, quem inspeximus, acta conciliorum Ephesini, Antiocheni et Calchedonensis complectitur. — Pro actis ad concilium Calchedonense et turbas Monophysiticas spectantibus unus praestantissimus est Vaticanus 1322 formae quadratae foliorum 285, scriptura majuscula sane saeculum VI aut VII significans; cujus exemplar plenius in Veronensis capituli cod. XXX (saec. X—XI) invenitur. Alii Vaticani 1321 (foliorum max. formae 279) et 1323 (fol. max. form. 199), qui praeter eadem acta quaedam ad causam trium capitulorum pertinentia exhibent, demum saeculum XIII aut XIV prae se ferunt. Summi

Digitized by Google

autem momenti pro documentis schismatis Acaciani sunt codex capituli Veronensis XXII (ap. Ballerin. *Nr. 46*), mox post Vigilii mortem originem sortitus, ex quo Franciscus et Josephus Blanchinii ac Marchio Scipio Maffejus, et Virdunensis, ex quo Jacobus Sirmondus in *appendice codicis Theodosiani* (Parisiis 1631) plura documenta protulit. Pleniora de hujusmodi collectionibus et monumentis videantur apud Ballerinios l. c. p. II c. 11.

15. Ut jam ad collectiones illas, quae in Ecclesia publicam quamdam auctoritatem sortitae, revertar, prae omnibus Pseudo-Isidoriana occurrit. De cujus ratione et origine nescio an plus aequo disputatum sit; sed et de ejus usu diplomatico jam dudum justa principia Coustantius Praef. cit. n. 153—162, Ballerinii l. c. p. III c. 6 § 1 et 2, et praeprimis ultimus ejusdem editor Paulus Hinschius constituerunt. Hic idem vir doctissimus etiam de codicibus tanta sollertia perscrutatus est, tam perite disseruit, ut vix quidquam addere ausim. Verum id ibi summopere doleo, quod non pariter eidem placuerit, genuina quoque capitula ad amussim illorum codicum vocare et repraesentare. Quae quum solum ex fide aliorum editorum (genuinarum scilicet collectionum, unde profecta videntur) reddat, ipsis jam ex omnibus illis codicibus nihil utilitatis criticae adcrevit. Quare operae pretium est, codices recensere, qui mihi in hac editione aut per me aut per alios editores usui fuerunt. Ipse igitur hos codices adhibui: Vaticanum 630 duobus tomis (priore folior. max. formae 1—182, altero fol. 183—322) scriptura splendidissima exaratum, sed etsi a Balleriniis l. c. p. III c. 6 § 5 primo loco positum, tamen antiquitate finem saeculi XI vix excedentem; Vaticanum 1340, membranaceum saeculi XII, foliorum max. formae 390. Merlinus in editione sua (*Tomus I conciliorum generalium etc.* Parisiis 1523; denuo Coloniae 1530 et Parisiis 1535), quam nuper J. P. Migne in *Patrologiae cursu completo* tom. CXXX (Parisiis 1853) simpliciter repetiit, codicem ut videtur Vaticano 1340 prorsus similem, ut Hinschius l. c. praef. pag. LXXII docet, Parisiensem B. 19. saec. XII vel XIII, nunc quidem in bibliotheca corporis legislativi asservatum, secutus

Digitized by Google

est. Coustantius pro collatione sua his codicibus Pseudo-Isidorianis usus est: Navarrensi[1]) ex initio saec. XII, Colbertino 351 nunc Caesar. Paris. 3852 saec. XI, Sorbonico (Sorbon. 729 secundum Hinschium saec. XV), Capucinorum Remensium, Capucinorum Rotomagensium, Victorino saeculi XIII, Daguesseo, Beccensi saeculi XI, Marchiano. Mansium denique in collectione conciliorum Lucanum 123 saeculi XI codicem Pseudo-Isidorianum, paucissimis etiam locis Vaticanum 630 adduxisse, jam supra memoratum est.

16. Qui post Isidorum Mercatorem novas curas ejusmodi lucubrationibus impendebant, quippe rari ad fontes ipsos primarios descendentes, jam fere deesse hic posse videantur. Verum quia ipsi saepius fontibus saltem aut collectionibus, quibus nunc egemus, usi sunt, factum est, ut nonnunquam et nova quaedam protulerint, et pro textus genuitate haud parum conducant. Ex multis illis ejusmodi operibus ipse haec quatuor tantum adhibui, quae et Coustantii et Balleriniorum sententia facile omnibus praeferenda: Anselmi Lucensis collectionem, circa finem saeculi XI confectam (conf. Ballerinii l. c. p. IV c. 13), pro qua Coustantius duobus Sangermanensibus, ipse Vaticano 1364 sub Gregorio VII scripto (membranac. fol. max. formae 265) usus sum; Gregorii seu Polycarpi dictam circa medium saeculum XII adornatam (conf. Ballerinii l. c. p. IV c. 17), pro qua Coustantius Colbertino, ipse Vaticano 1354 saeculi XII usus; Ivonis Carnutensis decretum initio saeculi XII conflatum (conf. Ballerinii l. c. p. IV c. 16), quod primo Lovanii a. 1561, deinde ad fidem *antiquissimi codicis Victorini* iterum impressum Parisiis 1647, et a me in quibusdam capitulis ad trutinam codicis Vaticani 1357 (membranac. saec. XII) vocatum; denique collectionem cardinalis Deusdedit circa finem saeculi XI compositam (conf. Ballerinii l. c. p. IV c. 14), cujus exemplar auctori suppar Vaticanum 3833 ipse consului. Aliae collectiones similes so-

[1]) Hos quidem codices Pseudo-Isidorianos deprehendi ex iis, quae Coustantius aut in monitis praeviis aut in notis ad epistolas genuinas a Pseudo-Isidoro receptas apertis verbis significavit.

Digitized by Google

lummodo aut ex editis aut ex aliorum collationibus mihi usui fuerunt: collectio Reginonis Prumensis saeculi X (ed. Baluzius Parisiis 1671), collectio Anselmo dedicata saeculi IX exeuntis, cujus exemplar Sorbonicum 841 Coustantius, Vaticanum 4899 et Vat. Palat. 580 et 581 (saec. X) Ballerinii commendant (conf. Coustantius Praef. cit. n. 169, Ballerinii l. c. p. IV c. 10); collectio Burchardi Wormatiensis initio saeculi XI exarata (conf. Baller. l. c. p. IV c. 12), cujus praeter Coustantii codicem Lucanus 124 (saeculi XII) a Mansio adhibitus patebat.

17. Denique praestantiores quasdam ex illis collectionibus mere privatis, quas partim Ballerinii l. c. p. IV c. 18 recensent, perlustrare operae pretium duxi, nec contemnendos inde fructus tuli.

a) Vaticanus Reginae 978 membranaceus fol. max. formae 91, characteribus saeculum X vel XI referens, initio mutilus (incipit: *Item epistola b. Leonis ad Theodosium*), epistolas Pseudo-Isidorianas usque ad Gregorium I mutato tamen nonnunquam ordine exhibet (fol. 1—70); fol. 71 excerpta ex diversis locis (incip. *Ratio nulla permittit*); fol. 73 decreta synodica Martini papae contra Theodorum et Cyrum („*Si quis non confitetur*"); fol. 74^{b} decreta Gregorii II („*In nomine domini*" Ps.-Isid.); fol. 75 *Capitula quae ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilramno Mediomatricae urbis eppo Romae a beato Hadriano tradita XIII Kal. Oct. Ind. VIIII quando pro sui negotii causa agebatur. „Dei ordinationem* etc."; fol. 77^{b} Isidori epistolae quaedam; fol. 78^{b} synodi Ephesinae, fol. 81 conc. Calched. act. 1, fol. 91 syn. VI Constantinop. excerpta. Cui in multis similis Vaticanus 3791, membranaceus saeculi XII formae quadratae foliorum 308.

b) Vaticanus 3832, membranaceus fol. max. formae 199, saeculi XI aut XII, initio donationem Constantini et epistolas Pseudo-Isidorianas primorum pontificum exhibet; fol. 18 Gelasius ad Anastasium imperatorem („*Pietatem tuam precor*", fragm.); f. 18 *Dilectissimis fratribus universis orientalibus Gelasius. „Quid ergo isti"*; f. 24—27 *Index capitum*

Digitized by Google

(est collectio canonum et decretalium secundum materias adornata); f. 34—35 *Nicolaus ad Michaelem imperatorem. ..Proposueramus"*; f. 66—70 Fragmenta epistolarum Gelasii et Pelagii pontificum (plura nova); f. 75^{b} Hieronymus ad Damasum papam. *„Quoniam vetus oriens"*; f. 94^{b} Gelasius ad episcopos Dardaniae. *„Valde mirati sumus"*; f. 105^{b} Hormisda ad episcopos per universas provincias. *„Ecce manifestissime"* (Pseudo-Isid.); f.108^{b} *In Christi noie. Incip. decreta de recipiendis et non recipiendis libris quae scripta sunt a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris eppis in sede aplica urbis Romae. „Post propheticas"*; f. 110 Pelagius ad episcopos synodi Constantinopolitanae Johannis. *„Scitote certam provinciam"*; f. 117^{b} Nicolaus papa Photio. *„De consuetudinibus, quas nobis opponere"*; f. 142^{b} idem Rodulpho Argenteae recensis(?). *„Dum de universis mundi partibus"*; f. 147^{b} idem Adalwino Vivariensis eccliae archieppo. *„Quod autem interrogasti"*; f. 166^{b}—174 quaestiones quaedam confessarii (excerta ex Melchiade papa etc. — concil. Tribur.). Codici isti simillimos suspicor Josaphataeum ac Pithoeanum (saec. XII, aevi Ivonis Carnut.), quibus Coustantius pro permultis fragmentis Gelasii et Pelagii fontibus utitur.

c) Vallicellanus XVIII membranaceus fol. max. formae 280, characteribus saeculum X referens, diversas collectiones praebet, quarum tabula fol. 136^{b}—143 prostat. I *Incipit Concordia canonum* (est Cresconii, conf. Ball. l. c. p. IV c. 3) f. 1—48; II *Incipit Capitula sanctorum canonum septuaginta duo* (est Gallicana in multis Herovallianae similis; conf. Ball. l. c. p. IV c. 7 §. 3) f. 49—58; III *Incipit gratissima canonum collatio quae scriptorum testimoniis et sanctorum dictis roborata legentem aedificat. ubi si quippiam discordare videtur illud ex iis eligendum est quod majoris auctoritatis esse decernitur* (est collectio Hibernensis conf. Ball. l. c. p. IV c. 7 §. 1) f. 59—136[1]); IV *De episcoporum transmigra-*

[1]) Finita hac canonum collectione sequitur haec de variis tonsurae originibus notitia: *Romani dicunt, comam Hierosolymitanorum tonsuram fore, cujus tonsurae origo in lege a Nazareis coepit, in novo vero a Christo Jacobo Alphaei eppo rum eppo ac deinceps tenens. Ephesianorum item rasa capita intactas barbas ab Johanne evangelista docent, qui in hac contumelia, quam pro Christo passus est, leto-*

Digitized by Google

tione etc. (regulae XLIV); V *De septem gradibus, quos Christus adimplevit;* IV *Praefatio Isidori de conciliis;* VII *Confirmatio canonum apostolorum;* VIII *Ejusdem Hisidori eppi ad Masonem eppum de restauratione sacerdotii.* Sicque varia excerpta et capitula asseruntur usque ad Nr. CCCCLII *Quod presbyter idem sit quod est episcopus epistola s. Hieronymi ad Evangelum.* Ex quibus codex ipse autem solum usque ad Nr. CCCCXX *Altercatio s. Athanasii eppi Alexandrini contra Arium Sabellium vel Photinum haereticos. „Cum apud Niceam urbem* etc. (f. 266—278 fragm.) textum exsequitur.

d) Alii codices ibidem a Balleriniis l. c. p. IV c. 18 memorati, Vaticanus Reginae 973, Vaticani 1339, 1346, 1349 pro his quidem epistolis pontificiis, quarum editionem paramus, nihil peculiare afferunt.

e) Magnum autem fructum ex duobus codicibus praestantissimis Monacensibus cepi, scil. cod. lat. 5508 (ol. Diessensi 8, saec. IX exeunt.) et 6243 (ol. Frisingensi 43, saec. VIII—IX), quorum notitia ususque mihi demum patebat, quum opus ipsum epistolarum jam sub prelo et ad Gelasii usque scripta productum esset. Uterque a notis collectionibus, si unam Quesnellianam excipias, minime pendet, quum vel in synodis saepius et a Dionysii et ab Isidori redactione discrepet. Frisingensis praeter alias synodos et decretales communes praeprimis acta haeresim Nestorii et schisma Acacii spectantia collegit, in hisque eum et Quesnellianam collectionem adhibuisse et in multis Veronensi XXII esse similem deprehendimus. Diessensis, in hisce ex eodem fonte profectus, addidit tamen cum Vaticano Reg. 1997 et Paris. lat. 1564 synodos Symmachi et acta illa memorabilia, quae pro appendice ad Symmachi epistolam 5 subjecimus; prolatis praeterea synodis haud obscure Gallicanam originem prodit.

---

tenus perseveravit. Item civitatis Patrae habitores crucem vertice gestare scribunt, quam Andreas apostolus domini certo vexillo praefixit in crine, ut quam verbum praedicaret, Scythus habitu ostenderet. Item Petrus apostolus peragrata omni causa contumelioso habitu affectus Romam venit et per Spiritum magis utile concilium ratus deposita contumelia incurtat caput corona, quam reges Romani aut in bellis aut in urbe regia utebantur. Explicit.

Digitized by Google

§. 5.

Tabula codicum adhibitorum eorumque siglorum.

A[1] Sangermanensis 936 (antea Corbejensis XXVI), seu Paris. lat. 12097 saeculi VI—VII, ex Coustantii schedis.

B[1] Vaticanus Reginae 1997, saec. VIII, a me excussus.

C[1] Colbertinus 784, nunc Paris. lat. 3836, saec. VIII, a Coustantio (sub nomine *Colbertini Langobardici*),

C[2] Lucanus 460 ol. 89, ex aevo Caroli Magni, a Mansio et Balleriniis collatus.

D Collectio Quesnelliana:

D[1] Caesareus Vindobonensis XXXIX, saec. VIII vel IX, a Balleriniis in editione dictae collectionis,

D[2] Eremensis 191, saec. VIII, a me,

D[3] Caesareus Vindobonensis alter a Balleriniis,

D[4] Thuaneus, nunc Paris. lat. 3842, saec. IX—X.

D[5] Oxoniensis,

D[6] Threco-Pithoeanus, nunc Paris. lat. 3848 A, saec. VIII —IX, a Quesnello et Coustantio,

D[7] Colbertinus,

D[8] Bellovacensis,

D[9] Atrebatensis s. Vedasti,

D[10] Hubertinus,

D[i] Colbertinus 3368, nunc Paris. lat. 1455, saec. IX—X, a Coustantio collati.

d[1] editio Quesnelli,

d[2] editio Balleriniorum.

E[1] Barberinus 2888, init. saec. IX, ab Holstenio et Balleriniis adhibitus et a me denuo collatus,

E[2] Vaticanus 1342, saec. IX, a Balleriniis adhibitus et a me denuo excussus.

F Collectio Dionysiana:

F[1] Regius Parisiensis 3887. 3, nunc Paris. lat. 3837, med. saec. VIII (sec. Maassen saec. IX) a Coustantio,

F[2] Vaticanus 5845, saec. VIII,

F[4] Monacensis lat. 5508 (antea Diessensis 8) saec. IX,

F[m] Monacensis lat. 6243 (antea Frisingensis s. Corbiniani 43) saec. VIII—IX, a me excussi.

Digitized by Google

G Collectio Avellana:

- G^1 Vaticanus 4961, saec. X aut XI (secundum fontes saec. VI), ab editore Romano epistolarum pontificiarum adhibitus et a me diligentissime cognitus,
- G^2 *Vaticanus* Coustantii ejusdem collectionis.

H Collectio Dionysio-Hadriana:

- H^1 Sangermanensis Corbejensis, ol. 423 nunc 367, anno 805 vel 876 exaratus,
- H^2 Sangermanensis alter, ol. 669 nunc 937, saec. IX,
- H^3 Harlaeani (exemplaria tria),
- H^4 Coisliniani (exemplaria duo),
- H^5 Colbertini (exemplaria duodecim),
- H^6 Virdunensis s. Vitoni 21, saec. XI, a Coustantio adhibiti.
- H^7 Sessorianus LXIII, aetatis Hadriani,
- H^8 Vallicellanus A5, temp. Nicolai I,
- H^9 Vaticanus 1337, saec. IX, a me collati.
- H^{10} Lucanus 125, a Mansio,
- H^{11} Laudunensis a Coustantio,
- H^{12} Codex Justelli (jam Pseudo-Isidorianis auctus) a Justello et Mansio,
- H^{13} Vaticanus Reginae 1021, saec. IX, a me,
- H^{14} Marchianus a Coustantio,
- H^{15} Eremensis 199, saec. IX vel X a me adhibitus.
- h^1 editio Wendelstini Moguntiae 1525,
- h^2 editio Francisci Pithoei Parisiis 1687.

J Collectio Hispana:

- J^1 Vindobonensis XLI, saec. VIII vel IX,
- J^2 Vaticanus 1341, saec. IX,
- J^3 Vaticanus 1127, saec. IX, a me adhibiti.
- J^4 Gerundensis,
- J^5 Laudunensis,
- J^6 Noviomensis,
- J^7 Bellovacensis,
- J^8 Suessionensis, a Coustantio adhibiti.
- J^9 Alveldensis seu Vigilanus, a. 976 scriptus,
- J^{10} Aemilianus, anno 994 exaratus,
- J^{11} Toletanus prior, anno 1072 scriptus,

Digitized by Google

J^{12} Toletanus alter, anno 1133 scriptus,
J^{13} Regius Matritensis P. 21, saec. X vel XI,
J^{14} et J^{15} Escurialensis tertius et quartus, saec. X et XI, quos omnes Franciscus Antonius Gonzalez in editione Matritensi *coll. can. eccl. Hispanae* adhibuit.
J^{16} Urgelitanus, saec. X vel XI,
J^{17} Colbertinus, nunc Paris. lat. 1565 saec. XI, a Coustantio adhibiti.
i^1 collectio conciliorum Hispaniae, ed. Aguirre Romae 1693,
i^2 collectio canonum ecclesiae Hispanae, ed. F. A. Gonzalez Matriti 1808 et 1821.

K collectio Gallicana:
K^1 Corbejensis, nunc Sangermanensis 466 seu Paris. lat. 12098 saec. X,
K^2 Fossatensis (sec. Ball. *antiquissimus*, sec. Labatum saec. X, sec. Maassen saec. IX), nunc Paris. lat. 1451,
K^3 Remensis s. Remigii, deinde Jesuit. Paris. 569 nunc Philippicus MDCCXLI, saec. VIII vel IX,
K^4 Morbacensis,
K^5 Aniciensis, nunc Paris. 1452, saec. X,
K^6 Lugdunensis, tunc Jesuit. Paris. 563, saec. VII vel VIII,
K^7 Engolismensis,
K^8 s. Benigni Divionensis, tunc Jesuit. Paris. 570, saec. IX,
K^9 s. Mariae Laudunensis,
K^{10} Tilianus,
K^{11} Pithoeanus, (sec. Labatum et Maassen idem esse videtur, qui sequitur Colb. 1863),
K^{12} Colbertinus 1863, nunc Paris. lat. 1564, saec. IX, a Sirmondo, Coustantio et Labato adhibiti;
K^{13} Vaticanus Palatinus 574, saec. VIII vel IX,
K^{14} Vat. 3827, saec. X, a me recogniti.

L Collectio Arelatensis:
L^1 Parisiensis Regius 3989 (Coust. *Regius*), nunc Paris. lat. 3849 saec. IX,
L^2 Colbertinus Arelatensis 5034 (Coust. *Colbertinus*), tunc Paris. Reg. 3989/3, nunc Paris. lat. 2777, saec. IX,
L^3 Colbertinus Lirinensis (Coust. *Arelatensis*), nunc. Paris. lat. 5537 saec. XI—XII, a Coustantio exhibiti;

Digitized by Google

L^4 Vallicellanus G 99, saec. XVI, a me collatus.

M Collectio Thessalonicensis:

M^1 Vaticanus 5751, saec. X,

M^2 Vaticanus 6339, saec. XVI, ab Holstenio adhibiti, et a me denuo excussi.

N Collectio ad causam Nestorii et Eutychetis pertinens:

N^1 Vaticanus 1322, saec. VI aut VII, a me adhibitus,

N^2 Capituli Veronensis LVIII (ol. 56), saec. X,

N^3 Capituli Veronensis XXII (sec. Ballerin. *46*), saec. VI aut VII, a Maffejo, Balleriniis et Mansio,

N^4 Bellovacensis, nunc Paris. lat. 1456 (sec. Baluz. *antiquissimus,* sec. Maassen saec. XI), a Baluzio adhibitus,

N^5 Casinensis, a Christiano Lupo editus, et a cardinali Fortunato Tamburino denuo pro editione Mansii collatus,

N^6 Virdunensis, a Sirmondo adhibitus.

O Collectio Pseudo-Isidoriana:

O^1 Vaticanus 630, saec. XI,

O^2 Vaticanus 1340, saec. XII, a me collati;

O^3 Navarreus, saec. XII, a Coustantio,

O^4 Lucanus 123, saec. XI, a Mansio,

O^5 Colbertinus 351, saec. XI,

O^6 Sorbonicus,

O^7 Capucinorum Remensium.

O^8 Capucinorum Rotomagensium.

O^9 Victorinus, saec. XIII,

O^{10} Daguesseus,

O^{11} Beccensis, s. XI,

O^{12} Marchianus, qui omnes Coustantio usui fuerunt.

o^1 editio Merlini (seu *Mignii*, qui eam *Patr. lat.* t. 130 repetiit).

P Collectio Reginonis Prumensis.

Q Collectio Anselmi Lucensis:

Q^1 Vaticanus 1364, sub Gregorio VII scriptus, a me consultus,

Q^2 Sangermanensis,

Q^3 Sangermanensis alter, a Coustantio exhibiti.

R Collectio Burchardi Wormatiensis:

Digitized by Google

R^1 Coustantii codex ejus collectionis,
R^2 Lucanus 124, saec. XII, a Mansio adhibitus.

S Collectio Gregorii, vulgo Polycarpus:
S^1 Colbertinus Coustantii,
S^2 Vaticanus 1354, saec. XII, a me consultus.

T Decretum Ivonis Carnutensis:
T^1 Coustantii codex,
T^2 Vaticanus 1357, saec. XII, a me consultus.

U Collectio cardinalis Deusdedit:
U^1 Vaticanus 3833, saec. XI, a Balleriniis exhibitus et a me in pluribus recognitus.

V Variae collectiones adhibito Pseudo-Isidoro adornatae:
V^1 Vaticanus Reginae 978, saec. X vel XI,
V^2 Vaticanus 3791, saec. XI, a me consulti.

X Varia excerpta ex variis collectionibus post Pseudo-Isidorum:
X^1 Vaticanus 3832, saec. XI vel XII, a me,
X^2 Josaphataeus, saec. XII, a Coustantio adhibitus,
X^k Vallicellanus XVIII, saec. XI, a me consultus.

Y Collectiones diversae:
Y^b Veronensis LXIII (ap. Ballerin. *61*), saec. X,
Y^c Casanatensis D. IV. 23 (saec. XI),
Y^o Vaticanus Palatinus 584, in Gelasii *decreto de libris* a Balleriniis laudati.
Y^v Vaticanus 1349, saec. IX vel X, a me consultus.

Z Decretum Gratiani.

Codices a Coustantio generatim citati:

α Regius (= L^1), estque
α^1 Parisiensis Regius 5537, saec. XI—XII (= L^3),
α^2 Parisiensis Regius 3989/3 (nunc Paris. lat. 2777) saec. IX (= L^2),
α^3 Parisiensis Regius 3849, saec. IX, (= L^1).

β Colbertinus.

Γ Coislinianus.

Δ Mazarinaeus.

Φ Collectio Anselmo dedicata.

Alios codices a Coustantio generatim laudatos, quorum nomina cum antea dictis conveniunt, horum ipsorum siglis

Digitized by Google

signabo. Praeterea hic strictim monitum velim, saepissime unum eumdemque codicem plures diversi generis collectiones aut saltem additamenta quaedam amplecti, ubi diversas similiter significationes adhibere nimis incommodum esset.

Codices in Gelasii epistola 42 adhibiti.

(praeter eos, qui supra sub litt. *Y* dicti.)

F^c Caesareus Vindobonensis 16 (ol. 310), saec. VIII vel IX;
F^g Germanensis (codex Fortunati, saec. VII vel VIII);
F^f Florentinus s. Marci;
F^v Vaticanus Palatinus 493 (additamentum ex saec. VIII);
H^d Dacherianus (Hard.);
J^c Jurensis Chiffletii;
J^h Parisiensis Harduini;
J^p Vaticanus 4587 (manuscriptum Perezii);
J^v Vaticanus 1341, saec. IX (= J^2);
O^m Venetus s. Marci 169 (Ball.);
O^v Vaticanus 1339 (Ball.);
X^c Colbertinus 1463 (sec. Coustant. saec. XI);

Editiones conciliorum et epistolarum pontificiarum.

a editio epistolarum pontificiarum:
  a^1 Romana Antonii Carafae et Antonii de Aquino a. 1591,
  a^2 ed. Holstenii in *collectione Romana bipartita.* Romae a. 1662,
  a^3 editio (aut schedae) Petri Coustantii.
b Baronii annales ecclesiastici.
c editiones conciliorum:
  c^1 Merlini, Parisiis a. 1523,
  c^2 Crabbi, Coloniae a. 1551,
  c^3 Surii, Coloniae 1567,
  c^4 Binii, Coloniae a. 1618,
  c^5 Sirmondi, *conc. Galliae,* Paris. 1629, (etiam pro ejusdem *appendice codicis Theodosiani.* Romae 1631),
  c^6 Lupi, Lovanii 1665 (*Op. omnia.* Venetiis 1724),
  c^7 Labbei, Parisiis a. 1671,
  c^8 Baluzii, Parisiis 1683,
  c^9 Harduini, Parisiis 1715,
  c^{10} Mansii, Florentiae et Venetiis 1759—1789,
  c^{11} Labati, Parisiis 1789.

Scribebam Brunsbergae in festo ss. Apostolorum Petri et Pauli a. MDCCCLXVII.

Digitized by Google

MONITA PRAEVIA

IN

EPISTOLAS ROMANORUM PONTIFICUM

HILARI, SIMPLICII, FELICIS II, GELASII, ANASTASII II, SYMMACHI, HORMISDAE.

Monita praevia

in Hilari papae epistolas.

In Hilari epistolam 1 („*Σπουδὴν*“, „*Studium mihi*“).

Exstat in latinis codicibus collectionis Calchedonensis, ex quibus in cod. [d² Ed.] Venetum s. Marci 79 (a Balleriniis *coll. XXII* signatum) traducta fuit. In plerisque vero codicibus Graecis ejusdem collectionis Calchedonensis desideratur; at a Cotelerio inventa fuit in duobus mss. Regiis, ex quibus eam edidit in Monument. eccles. Graec. tom. I pag. 60. Originale latinum hujus epistolae intercidisse credimus. Latinus enim textus, qui superest, vetus potius ex Graeco interpretatio quam originalis videtur. Unde chronica notatio non minus in Graeco quam in latino textu deest, quam latinus collector semper supplevit, quoties originale latinum nactus fuit. Hinc Graeco textui, qui originalis vicem gerit, primum locum, latino autem secundum Balleriinii in editione sua Opp. Leonis M. tom. I pag. 925 vindicaverunt, quos prorsus sequimur. — Scripta vero fuit haec epistola, quum vix Hilarus Leonis legatus ex impiorum Ephesinorum manibus evasisset, et una cum illius et synodi Romanae epistola *III Idus Octobris Asturio et Protogene consulibus* (i. e. a. 449) data (Leon. epist. 45) ad Pulcheriam Augustam transmissa est.

In Hilari epistolas 2 et 3 („*Quum pleraque*“ et „*Utinam*“).

1. Ex Aegidio Bucherio, cujus studio in lucem prodiere[1]), exhibentur hae [a³. Ed.] epistolae. Occasionem iis praebuit vehemens scrupulus, quo Leo diu stimulatus fuit circa paschalem anni 455 diem, in quo designando quum longe dissentirent, quas hactenus secuti erant occidentales quasque orientales praescribebant leges, omnia tentavit providus pontifex, uti orientales ad morem, quem in occidente receptum credebat, adduceret. At nihil progressus, his unitatis et pacis studio potius quam ullius manifestae rationis persuasione cedendum duxit[2]). Sed ne quid simile in posterum contingeret, virum aliquem diligenter exquiri praecepit rerum hujusmodi peritum, qui novum Paschae canonem

[1]) Aegidii Bucherii: *De doctrina temporum commentarius in Victorium Aquitanum* (a. 1564) ed. Antverp. 1634 pag. 1 ss.

[2]) Leo epist. 138 ad episcopos Galliae *se studio unitatis et pacis*, ait, *maluisse orientalium definitioni acquiescere, quam in tantae festivitatis observantia dissidere.* Similiter in epist. 137 et 142 ad Marcian. imperat. (edit. Ballerin.), et Prosper in chronico ad a. 455.

Digitized by Google

ad Latinorum regulas exactum constitueret. Data igitur haec provincia est Hilaro archidiacono, qui opus propositum Victorio in his apprime versato detulit.

2. Is Victorius, ab Isidoro Hispalensi origin. VI, 17 dictus *Victorinus*, quod nomen pariter in duabus pervetustis membranis a Scaligero repertis obtinet, ab aliis cum Fredegario coll. hist. chronograph. c. 108 *Victor* nuncupatus, Aquitanus origine fuit (teste Gennadio de vir. illustr. c. 88), ac quidem Lemovicibus natus [1]). Opus sibi injunctum Constantino et Rufo consulibus, quos nimirum in epist. n. 8 *praesentes consules* vocat et ad quos usque catalogum consulum ad operis sui calcem appositum perducit, hoc est anno 457, absolvit. Quum igitur Gennadius l. c., Ado in chronico, Sigebertus de scriptoribus ecclesiasticis c. 20, Paulus Middelburgensis Victorium ajunt *a s. Hilario urbis Romae episcopo invitatum* operi suo manum admovisse, vel minus accurate loquuntur, vel certe Hilaro in antecessum attribuunt Urbis episcopi nomen. Quippe sub Constantini et Rufi consulatu (h. e. anno 457) et Leo Romanae ecclesiae digne feliciterque praeerat, et strenue fungebatur archidiaconi munere Hilarus.

3. Si autem Victorius ab Hilaro invitatus opus suum anno 457 absolvit, serius hoc anno consignari nequit hujus invitatio. Quid, si superiori anno adscribatur? Certe jam anno 454 desiderio aestuabat Leo, ut quis Paschae canonem instauraret, nec longiorem videtur moram ferre potuisse. Inde vero sequitur, ut hae Hilari Victoriique litterae ipsius Hilari pontificatum longe antecesserint. Unde igitur illis inter pontificias epistolas locus? Primo quidem ad eum attinent, qui saltem postea dignitatem pontificiam est adeptus. Deinde Leonis tum pontificis jussu ideoque sunt conscriptae, ut ejus successores certius Paschae diem per universam ecclesiam denuntiare possent. Quod munus divus Leo decessorum suorum, praecipue vero Innocentii, ut alios omittamus, vestigiis insistens studio singulari obiit. Quanta fuerit ejus hac in parte sollicitudo, etiamnunc permultae ejus epistolae docent, hasque inter epist. (3), 88, 96, 121, 122, 127, 131 (133), 134, 137, 138, 142. Quocirca et hae duae, de quibus agimus, facile potuissent Leoninis accenseri. Commodior autem, quippe justior, hic visus est locus, ubi ipsae simul illarum quasi appendix et supplementum reputari possunt. Quidquid igitur acute et diligenter Paschasinus et Proterius de hoc argumento disseruerunt, ut nihil plane desideretur, id adjiciatur necesse est, quod postmodum Victorius hortante Hilaro conscripsit, ut satis Leonis votis fieret.

4. Neque tamen haec Victorii conscriptio omnibus probata fuit. Italos quidem eam ambabus manibus recepisse, et Romanae ecclesiae praepollens auctoritas et monumenta a clarissimo de Rossi in celeberrimo opere, cui titulus *Inscriptiones Christianae Urbis Romae*, tom. I Proleg. pag. XCIII citata probant. Etiam apud Gallos eam jam anno 470 in usu fuisse, inscriptio ab eodem viro doctissimo l. c. pag. XCIV producta ostendit. Qui deinde anno 541 in concilio Aurelianensi IV c. 1 eam omnibus praescripserunt: „*Placuit*, inquiunt, *Deo propitio, ut Pascha secundum laterculum Victorii ab omnibus sacerdotibus celebretur.* Contra vero Britonibus occidentalibus displicuit adeo, ut teste Aldhelmo (Migne Patr. lat. tom. 89 col. 90) nec *Victorii paschalis curriculi laterculum, qui DXXXII annorum circulis continetur, posteris sectandum decreverint.* Eumdem laterculum etiam Beda de rat. temp. c. 51 (ed. Migne l. c. t. 90) secundum Victorem Capuanum respuit [2]). Ab his pariter est rejectus, qui paschale sacramentum XIV

[1]) Paulus Middelburgensis (mort. a. 1535) in opere *de paschali observatione* primus hoc retulit, quem alii deinde scriptores secuti sunt. Nec aliter noverunt editores clarissimi historiae litterariae Francorum („histoire litteraire de la France" II, 424).

[2]) Qui quidem Victor episcopus Capuanus de Paschate anni 550 adversus Victorii nostri canonem paschalem acriter scripsit. cf. Beda l. c. cap. 51, van der Hagen Obs. in prol. et epist. pasch. p. 311 et 312, et clar. de Rossi Inscr. Christ. Urb. Rom. I Proleg. pag. XCVI.

Digitized by Google

luna celebrantes a Romanae ecclesiae more deflexerant. Denique iis alii accednut, de quibus Coustantius in appendice tom. I monito in epist. 11 n. 12 disserit.

In Hilari epistolas 4, 6—11 („*Quantum reverentiae*" etc.).

A Baronio hae epistolae ex Arelatensis ecclesiae codice, quem Sirmondus [Ed.] Lirinensem vocat, primum evulgatae sunt, ac quidem epistolae 4, 6, 7, 8 ad ann. 462 n. 3—11, epistolae 9 et 11 ad ann. 463 n. 4 et 5, epistola 10 ad ann. 464 n. 4—8. Deinde eaedem a Sirmondo quum ad eumdem codicem tum ad alterum Pithoeanum postea in Regia bibliotheca asservatum (Reg. 1564) recognitae editaeque sunt. Postremo Coustantius eas ad eosdem et ad unum Colbertinum, nunc item Regium exegit. Nec plus laboris pro textus puritate adjecit Labatus (conc. Gall. I, 597 ss.), etsi cum Sirmondo repetit, *esse in iis epistolis quaedam loca, quae emendatiorum exemplariorum opem postulant.*

In Hilari epistolam 5 („*Quod Leonem*").

E schedis clarissimi viri Vignerii prodiit in Dacherii spicilegio tom. V pag. 578 [Ed.] (ed. II. tom. III pag. 302). Unde eam editor supplem. conc. Galliae, Labbeus coll. conc. IV col. 1828, Mansius coll. conc. tom. VII col. 931, et Labatus conc. Gall. tom. I col. 599 repetierunt. Incertum, quo data sit die, obliteratis ad calcem notis chronicis. Verum quum Hilarus in epistola 6 sequenti pro certo ponat, necdum, quum scriberet, quartam superiorem Leontio redditam esse, eo quod *perlatorem aliqua causa tardasset*, sequitur, ut hac quarta sit posterior. Nec tamen multo posterior potest esse, quam Leontius se scripsisse testatur, ubi de Hilari ordinatione per Concordium ecclesiae suae diaconum, qui ei interfuerat, certior est factus. Allata vero fuit per Pappolum virum spectabilem, ut sequens epistola docebit.

In Hilari epistolam 12 („*Movemur*").

In editione Romana jam excusa *ex manuscriptis* fuerat, quum eam Jacobus [a^3] Sirmondus ad exemplar Corbiense saeculo sexto exaratum et ad Remigianum recognitam tom. I col. 135 conciliorum Galliae emisit. Unde in posteriores conciliorum collectiones Harduini, Coleti, Mansii et Labati transiit. Exstat praeterea in uno Colbertino et in Coisliniano. Synodale exhibet judicium causae jam antea quodam modo a Leone finitae, contra cujus sententiam Auxanius obreptione ab Hilaro novum quoddam jus impetrarat. Refertur a Baronio et Sirmondo ad annum 465, quo Ingenuus Ebredunensis episcopus Romanae synodo, cujus acta suo loco subjicientur, interfuit et subscripsit. Verum non deest conjectura, Auxanium jam anno 462, quo Gallicarum provinciarum legatione fungebatur, exeunte id, de quo nata deinde est controversia, impetrasse. Quod si ita est, non videtur haec epistola anno 463 posterior. Neque repugnat, Ingenuum semel et iterum in Urbem contendisse.

In Hilari epistolas 13—16 („*Etiamsi nulla*" etc.).

1. Haec scripta partim in Hadriana collectione, partim in Hispana habentur. [a^3 Ed.] Ita tres epistolas 13, 14 et 16 nec non Romani concilii acta asservat, haec eadem acta sed truncata retinet cum epistolis 16 et 17, Pseudo-Isidorus autem omnia ex utraque collectione, quam penes se habebat, accurate decerpsit riteque et ordine operi suo inseruit. Ad antiquiores quod attinet, nulla usquam in pura Dionysii collectione occurrunt, immo nec in generali ejus indice memorantur, Leonis successorum quum scripta tum decreta praeter unius Gelasii, quae illius decretis protinus subjiciuntur. Ac Dionysium secutus est in breviario suo Cresconius, nullo pariter citato decreto, quod sit Leone recentius, si Gelasium unum exceperis.

Digitized by Google

Si autem editor Romanus tres illas epistolas *Cresconio* acceptas refert, codicem Vallicellanum A 5 aut potius ejus apographon Vaticanum 1353, quem ibi sequitur quique revera Hadrianus est sed quibusdam additamentis auctus, sub illo nomine laudat [1]).

2. In alium offendit scopulum clarissimus editor, quum Ascanii epistolam 13 sequenti postposuit, idque ex memoratis, ut videtur, concilii Romani actis, quibus inverso hoc ordine inserta fuit. Quod quo casu evenerit, facile advertitur. Ascanius et ceteri Tarraconensis provinciae episcopi primum Hilaro scripsere, de Silvani episcopi molitionibus adversus ecclesiae canones expostulantes. Interim Hilaro non statim respondente sed Silvani defensionem, ut videtur et maxime decebat, operiente contigit, ut Nundinarius Barcinonensis antistes imminente morte successorem sibi deligeret Irenaeum virum omnium judicio huic oneri parem. Novis itaque litteris iidem episcopi cum honoratis provinciae Hilarum adierunt enixe postulantes, ejus electionem omnibus acceptam firmare ne gravaretur. Sed dubii haerentes, utrum priores litterae redditae fuissent, earum exemplum his posterioribus subjici curarunt. Hae duae igitur epistolae simul inversoque ordine exaratae, continuo ad Hilarum moxque ad coetum episcoporum, *quos anniversarius ejus dies congregarat*, delatae ibique recitatae atque eodem ordine gestis insertae fuerunt, quo hodieque in vulgatis exhibentur, nec sane sine gravi incommodo studiosi lectoris, qui statim in exordio epistolae ibi praemissae, ubi haec leguntur *jamdudum sane questi fueramus de praesumptione Silvani*, haeret diuque et aegre exquirere cogitur, de quibus litteris hic sermo sit. Adeo necesse est, ut quisque facile possit rerum gestarum seriem assequi et quid in quaque re verum sincerumque sit animadvertere, omnia haec scripta rite et justo ordine proferri.

In Hilari epistolam 15 (et 16) („*Flavio Basilisco*").

[a³. Ed.] 1. Ut huic scripto locum inter Hilari epistolas daremus, praeluxit nobis antiquorum exemplum. Quippe his epistolis insertum admixtumque est quum in Hispana et Isidori collectionibus, in quibus *synodale Hilari decretum* inscribitur, tum in Hadriani I codice sub titulo *regularum Hilari papae*. Unde et apud antiquos canonum compilatores Ivonem, Anselmum, Gratianum et ceteros uni adscribitur Hilaro. Hic itaque omittendum non fuit, maxime quum nostri sit instituti, omnia summorum pontificum decreta simul ordineque colligere. Quibus adde, sequentes epistolas una cum hoc decreto missas ita ipsum respicere, ut eo distracto mutilae quodammodo et aliqua sui parte diminutae viderentur.

2. Duo autem Hilarus, quae de Nundinario Barcinonensi antistite Tarraconensis provinciae episcopi significaverant, synodo in primis discutienda proponit: eum videlicet tantulas facultates suas seu modicum peculium, *quod potuit habere paupertas*, *supremae voluntatis arbitrio* Irenaeo dereliquisse, simulque ut *in locum suum substitueretur* expetiisse. Quae duo Probus episcopus synodi nomine exponens ac dividens, alterum licitum, non ferendum alterum pronuntiat. Jam antea Theodoretus h. e. V, 23 Evagrii pariter ecclesiae Antiochenae a Paulino praefecti ordinationem improbaverat: *Neque enim*, ajebat, *canones morienti episcopo permittunt, ut suo loco quemquam constituat.* Ac vero Johannes Antiochenus presbyter, a Justiniano imperatore in Eutychii patriarchae Constantinopolitani locum suffectus, in sua canonum collectione tit. VI apostolicum canonem 75 et Antiochenum c. 23 edidit, quibus haec ecclesiae disciplina firmissime adstruitur. In priore legitur: *Quod non oportet episcopum, fratri vel filio vel alteri cognato gratificantem, ad episcopatum quem vult eligere. Episcopatus enim haeredes facere justum non est, ea quae Dei sunt humana affectione largientem; nec*

[1]) Quod idem clarissimum annalium parentem Baronium facere, hic semel monuisse sufficiat; conf. supra Praef. general. § 4 n. 7.

Digitized by Google

debet ecclesiam Dei pro haereditate ducere etc. Altero vero expresse irrita declaratur successoris hujusmodi institutio: *Ne liceat episcopo alium pro se successorem constituere, etiamsi sit in fine vitae. Si quid autem fiat hujusmodi, irrita sit constitutio.* (Voelli et Justelli biblioth. jur. can. vet. I, 517.) Itaque tam in orientali quam in occidentali ecclesia stetit vetitum, ne episcopus ipse sibi successorem eligeret (cf. Schelstrate sacr. Antioch. conc. dissert. IV, cap. 20). Quod vix semel ob gravissimas causas s. Bonifacio archiepiscopo Moguntino concessum est. Qui eligendi successoris facultatem quum a Gregorio III impetrasset, a successore Zacharia papa confirmari petiit (epist. 1 ad Zach. pap.): *Licentiam petere necesse habeo*, inquit, *eo quod venerandae memoriae praecessor vester, sicut audistis, in praesentia vestra mihi praecepit, ut presbyterum post obitum meum Deo volente in ecclesiastico ministerio haeredem et successorem constituere deberem, . . . et obsecro, ut auctoritatis vestrae licentia sit, ut cum consilio servorum Dei de ista electione faciam, quod nobis in commune pro Deo et pro ecclesiae utilitate vel fructu spirituali et defensione religionis optimum esse videatur.* Verum quid tunc Zacharias re attentius expensa sanctissimo viro, certe Germaniae apostolo, respondit? *De eo autem*, ait, *quod tibi successorem constituere dixisti, ut te jubente in tuo loco eligatur episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta patrum esse monstratur.* Ne tamen praedecessoris sui gratiae et menti adversari videretur, speciali indulto addidit: *ea hora, qua te de praesenti saeculo migraturum cognoveris, praesentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi caritate cogente largiri censuimus.* — Ex posteris temporibus quam religiose idem observatum sit, opportune se offert, quod memoriae proditum est in vita s. Udalrici Augustensis antistitis. Quum venerandus ille pontifex jam senio gravis et virtutum fama conspicuus caeco erga Adalberonem sororis suae filium studio ab Ottone imperatore, ut sibi succederet, exorasset, continuo hoc audito Germaniae episcopi et eumdem Adalberonem accepta episcopatus procuratione *jam baculum pastoralem publice portare*, convenientes apud Ingelenheim de eo statim dejiciendo deliberarunt dicentes, *ut contra canonicae rectitudinis regulam in haeresim lapsus fuisset, et quod pontificalis honorem sublimitatis vivente episcopo sibi plus justo vindicaret, et ideo ultra eum episcopum ordinari non deceret.* Sed multis inter se habitis colloquiis sapientissimi eorum satius duxere, ipsum admonere Udalricum, ne vitam ad hunc diem omnibus celebratam hac manifesta canonum violatione infuscari sineret: *qui semper*, inquiunt, *callem rectitudinis ambulasti non deviando, non decet, ut nunc istam viam, quam semper tenuisti, omittens, seminarium ex te sumat talis error, ut alius in loco tuo te vivente ordinetur; quia si ex te talis consuetudo incipit perpetrari, in posterum multis reverendis et bonis episcopis ab eorum nepotibus et clericis talia desiderantibus multa concrescunt adversa.* Tam salubri consilio facile obsecutus est Udalricus, pergit auctor citatus, sed brevi hujus noxae poenam exsolvit, subita morte erepto Adalberone. Unde moestus senex, *heu, heu*, ajebat, quasi de gravi somno expergefactus, *quod illum nepotem meum Adalberonem nunquam vidi, quia pro eo, quod ei secundum suum desiderium consentiebam, nolunt me in suum recipere consortium!* Porro is Adalbero ibidem praedicatur multis et egregiis ornatus dotibus fuisse, uti et Irenaeus, quem Hispani ob merita sua commendabant. Quanta igitur ii impendunt mala, qui solo carnis affectu non morum honestate aut virtutum experimentis inducti beneficia ecclesiastica et animarum curam ut haereditatem propriam dispensant ac saepe indignis prostituunt! Quod vitium ne in ecclesiam serperet, Hilarus pro virili cavit; et fidem faciet sequens decretum, per eum non stetisse, quin radicitus evelleretur.

Digitized by Google

Petrum Placidiae comitem, qui superiorem detulit, perlatam, adeoque utramque simul missam esse indicatur. Inde et quo tempore utraque conscripta sit, facile innuitur. In superiori epistola 9 anno 478 d. 13 Martii data Simplicius Timotheum Alexandrinum ab Acacio commoneri cupit, ut quod Dioscori nomen ad altaria recitari permittens deliquerat, abstergeret. Satis Simplicii votis fecit Acacius, ab eoque admonitus Timotheus *sollemnia scripta per legatos* pontifici direxit, quibus id quod sibi timore extortum fuerat, *destruxisse se* affirmabat, *remissionem ipsius erroris expetens*. Vix autem Timothei legati Romam advenerant, quum Simplicius opportunitatem nactus Petri comitis in regiam urbem redeuntis, duas epistolas de quibus agimus scribendas duxit. Jam si his addamus, earum epistolarum in subsequentibus litteris 12 et 13 die 17 Octobris ejusdem anni 478 consignatis mentionem fieri, hinc conficitur, eas ita post 13 Martii diem collocandas esse, ut Simplicii epistola 9 Acacio reddi, Acacius Timotheum Alexandrinum commonere, atque hujus legatio Romam pervenire ante potuerint, nec tamen litterae ad diem 17 Octobris ejusdem anni differantur.

In Simplicii epistolam 14 („*Si quis*").

[a.] Ex iis est epistolis, quibus Hadrianus I aut aliquis ejus decessorum Dionysii Exigui collectionem auxit, indeque mutuatus est eam Isidorus Mercator.

In Simplicii epistolam 15 („*De ecclesia*").

[a.] Superiori epistolae haec praeponenda videretur, si certa esset, quae ei subjicitur nota consularis. At mendosam eam esse, ex sequentibus epistolis 17 et 18 patebit.

In Simplicii epistolam 16 („*Clementissimi*").

[a. Ed.] In collectione Avellana Vatic. 4961 ita haec epistola inscribitur: *Simplicius epṡ acacio ordinato ab eo Kalendione Antiocheno epō.* Unde Kalendionem caeso Stephano ordinatum esse ab Acacio palam indicatur. Ille autem Simplicius Acacio, ut superiori epistola imperatori, respondet, et quum uterque ipsi una hujusce ordinationis causam significaverit, valde veri simile est, et hanc epistolam una cum superiore missam fuisse.

In Simplicii epistolam 19 („*Sed jam*").

[Ed.] Fragmentum hoc epistolae a P. Frobenio Forstero, Benedictino et s. Emmerani Ratisbonensis bibliothecario *ex vetustissimo codice Frisingensi* viro clarissimo Dominico Mansio suppeditatum et ab hoc in collectione conciliorum tom. VII col. 994 publici juris factum est. Simplicium quidem ad Zenonis imperatoris de causa Alexandrina legationem respondisse, compertum habemus ex ipsius epistola sequenti, qua Acacium hortatur, ut *participata sollicitudine litteras suas apud principem praesentibus prosequeretur alloquiis.* In eadem responsione eumdem *de restituendo Petro prorsus abnegasse*, successor Gelasius in breviculo hist. Eutych. c. 10 tradit. Felix autem in epist. 1 n. 2 de eadem addit, Simplicium ibi *imperatorem metuendis obstrinxisse sacramentis, ne sedem beati Marci evangelistae a doctrina magistri sui vel communione permitteret separari.* Ejusdem igitur responsi fragmentum hoc esse videtur, unde una cum superiori epistola 18 ideoque die 15 Julii a. 482 conscriptum et per Uranium transmissum veri simile est.

In Simplicii epistolam 20 („*Cogitationum*").

[Ed.] Praeter mss. collectionis Quesnellianae continetur haec epistola in Veronensi 46, in Vallicellano A 5, in Vaticanis 5845 et 1342, et in Barberino 2888. Unde

Digitized by Google

in collectionem additionum Pseudo-Isidori, qualis est Vaticanus 1340, translata et a Merlino edita, in sequentibus conciliorum editionibus locum accepit. Denique Quesnellus et Ballerinii in laudato *codice canonum ecclesiasticorum etc.* ex plenioris censurae trutina eam repraesentarunt.

In Simplicii epistolam 21 („*Plurimorum*").

Ad nos pervenit ope Hispanae collectionis, ex qua et in antiquo illo canonum [a]
codice Hispanae ecclesiae, cui nihil ex falsis Isidori mercibus admiscetur, exscripta fuit. Unde eam expiscatus Mercator *ad Zenonem episcopum Spalensem*, sicut et alias *Spaniam* pro *Hispania* pingere solet, inscripsit; quam inscriptionem deinde arripuere editor Romanus et conciliorum collectores. Quum vero nullam temporis notam prae se ferat, hic eo commodius ultimo loco subjicitur, quo propius altera Felicis ad eumdem Zenonem cum ipsa comparari poterit.

Monita praevia

in Felicis II papae epistolas.

In Felicis epistolas 1—4 („*Decebat*" etc.).

1. Quatuor haec scripta primum a Baronio e veteri collectione, quam Cre- [Dur. Ed.]
sconianam vocat[1]), edita simul misisse liquet Felicem sub ipsum pontificatus sui exordium, ut, quod tum ratio et consuetudo exigebant, imperatori et episcopo Constantinopolitano significaret, sese in demortui Simplicii locum suffectum esse. Nec minus constat iis mittendis occasionem dedisse quum Johannis Talajae in Urbem adventum, tum oblatos ab eo adversus Acacium libellos. At quo tempore Johannes in Urbem advenerit, non convenit inter scriptores. Si fides sit Liberato breviar. c. 18, *Johannes ejectus de sede Alexandrina propter Petrum Mongum Antiochiam profectus est, ut videret Illum magistrum . . . Ingressus ad Calendionem Antiochenum patriarcham, sumptis ab eo intercessionis synodicis litteris, Romanum pontificem appellavit, et suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano episcopo. Et quidem ad hoc Simplicius praeparati animi et voluntatis fuit.* Verum huic narrationi fidem nonnihil detrahunt, quae idem auctor de mutuis illis Simplicii ad Acacium et Acacii ad Simplicium litteris subjicit, quas spurias esse cum Coustantio et Valesio aliisque doctis haud dubitamus. Etenim idem sentire videtur cum Evagrio h. e. III, 15, Johannem videlicet Simplicio adhuc superstite advenisse, id quod uterque forte ex quodam Zacharia hausit, quem fatetur ipse Evagrius *nihil eorum, quae tunc gesta sunt, explorate cognitum habuisse.* Certe idem Evagrius III, 15 ubi Johannem Romam advenisse tradit ac postea apud Simplicium Zenonis litteris perjurii accusatum esse, aperte confundit et ipsius Johannis adventum et legati, qui litteras ordinationis ipsius indices pontifici paullo ante reddiderat.

2. Propius ad veritatem Theophanes accedere videtur rem ita exponens (chronograph. ed. Bonn. p. 202): *Johannes Talaja comperto Petri Mongi* in Alexandrinam civitatem *adventu, quae mala commissurus esset secum reputans, clero licet ac populo ad ponendas pro ipso animas paratis eumque ne discederet deprecantibus, clam et citra tumultum urbe dilapsus est.* Ubi autem Ro-

[1]) Revera haec est Vallicellana A 5, Hadrianam collectionem variis iisque sejunctis additionibus auctam exhibens; cf. supra Praef. general. § 4 n. 7 et Ballerinii de antiqu. collect. can. III cap. 3 n. 3.

Digitized by Google

mam pervenit, jam Felici traditae erant a regiae urbis civibus cunctisque orientalibus adversus Acacium conscriptae litterae (adeoque Simplicius jam decesserat). Tunc contra eumdem episcopum Johannes libellum obtulit. In quo quum eadem, quae orientales, de illo denuntiaret, Felix in templo Petri apostolorum koriphaei congregata synodo duos episcopos ac defensorem Constantinopolim cum litteris legavit, qui Petrum Mongum ceu haereticum Alexandria ejiciendum esse Zenoni Acacioque significarent. Quibus concinit Evagrius III, 18, quatenus libellos adversus Acacium a Johanne Felici, non Simplicio, porrectas docet, atque his excutiendis indictam et celebratam synodum, ex qua Vitalis Troentinus et Misenus Cumanus episcopi cum Felice defensore delegati, qui litteras imperatori deferrent et Romam evocarent Acacium, eorum, quae ipsi Johannes objiciebat, rationem redditurum. Quibus verbis Evagrius postremum ex his quatuor scriptis haud obscure indicat. Primum vero Gelasius diserte laudat sub tractatus II initium, secundum Victor Carthaginensis episcopus et Martinus papa I.

3. Pro textu denique epistolarum 1 et 2 permultis ex partibus laborante Coustantius nullum codicem adhibere potuit, Durandus autem semel tantum (ac nescio an erronee) Remigianum ms. laudat. Nobis eum ad quatuor praestantissimorum exemplarium trutinam vocare licuit, videlicet Barberinum 2888, Vaticana 1342 et 5845 et Vallicellanum A 5. Unde demum ejus integritatem ab innumeris mendis teterrimis restitutam esse, quisque ad editorum formam conferens facile invenerit.

In Felicis epistolas 3 et 4 („*Episcopali*“ et „*Quum sibi*“).

[Dur.] Licet per Vitalem et Misenum transmissae adeoque cum duabus epistolis superioribus conscriptae, haud tamen a legatis erant ante tradendae, quam probassent, Acacium morem nolle facere iis, ad quae ipsum Felix epistola superiore adhortatur.

In Felicis epistolam 5 („*Filius noster*“).

[a³] Exstat in iisdem omnino exemplaribus, in quibus postrema Simplicii ad eumdem Zenonem epistola. Ideo vero huc eam referimus, quod prius haud dubie sit a Felice conscripta, quam Zenonis litteris praeventus esset, nec probabile est, eum, cui Felicis decessor vicem suam illis in regionibus delegaverat, diu salutandi novi pontificis officio defuisse.

In Felicis epistolam 6 („*Multarum*“).

[Dur.] 1. Celeberrima haec epistola in editione Romana notatur *ex Cresconio* [1]) descripta. Nos eam reperimus in veteribus mss. collectionis Quesnellianae et Hispanae Isidorique exemplaribus. Praeterea tota inserta est veteri canonum collectioni ante Isidori aevum concinnatae, cujus quidem exempla in Colbertina et Coisliniana bibliothecis asservari jam observavimus, [nec non vetustissimis codicibus Barberino 2888, Vaticanis 1342 et 5845 atque Veronensi 46]. Eam Liberatus breviar. c. 18 *scripturam* seu *chartam damnationis* vocat. In collectione Quesnelli is ei titulus praefigitur: *In damnatione Acacii* (in 2 mss. *De damnatione ejus*), *quod haereticis ausus sit communicare.* Atque haec quidem praecipua damnandi Acacii causa fuit. At alias etiam Felix huic praemittit sententiae, quam adversus eum pronuntiat. Jam prima ejus verba: *Multarum transgressionum reperiris obnoxius*, non unum Acacio crimen objectum esse indicant. Deinde quum subdit: *in venerabilis concilii Nicaeni contumelia saepe versatus alienarum tibi provinciarum jura temerarie vindicasti*, ostendit, Acacium jus sibi

[1]) Est Vaticanus 1353, ut jam saepius observavimus, cujus exemplaria longe vetustiora Vallicellanum A 5 et Vaticanum 5845 contulimus.

Digitized by Google

vindicasse, quod sedi suae Anatolius in synodo Calchedonensi attribui procurarat, seque idem jus velut Nicaeno concilio contrarium irritum habuisse ac rejecisse. Si etiam Liberatum brev. c. 18 audiamus, *ad plenum detectus est Acacius haereticus.* Sed non aliunde probatur haec plena haereseos convictio, nisi ex aperta ejus communione cum haereticis atque iis praesertim in rebus, in quibus haeresi favere eamque promovere deprehensus est. Quod vero tum a Felice praestitum sit, idem Liberatus ita explicat: *Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius haereticus, papa Felix in litteris suis synodicis ad Acacium sic posuit: „peccasti, ne adjicias et de prioribus supplica.“* Tum subdit: *Susceptis his Acacius litteris perseverat, neque recedens a communione Petri neque suadens ei palam suscipere Calchedonense concilium et tomum papae Leonis. Haec cognoscens papa Felix damnationis scripturam misit Acacio per Tutum defensorem, cujus est principium: „Multarum transgressionum reperiris obnoxius.“ Et datis Acacio hujusmodi litteris eas non suscepit, patrocinio fultus imperatoris, ita ut cogerentur, qui eas detulerunt, per quemdam monachum Acoemitensem ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus pallio et discedere.* Quod autem Liberatus in hujus narrationis initio refert de *synodicis litteris*, in quibus ad Acacium scripserit Felix: *peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica*, merito in dubium vocari[1]) licet, quum de hujusmodi litteris in gestis de nomine Acacii (Gelas. tract. I) sileatur, in quibus duo tantum Felicis scripta ad Acacium, quae superius habemus, ipsius damnationem praecessisse annotantur. Ipse quoque Felix in edicto sententiae, quo eumdem damnat, eum a se *secundo*, non *tertio*, admonitum memorat. Tertiae tamen vel quartae admonitionis vice censere poterat decessoris sui monita. Unde in iisdem gestis n. 13 praemittitur: *Postquam ergo nihil profecisse litteras praedecessoris sui sanctus papa cognovit;* ac deinde additur, Vitalem ac Misenum ab eo sub hac instructione legatos esse, tum *ut Petrus de Alexandrina pelleretur ecclesia,* (ad quod Acacium superiore epistola 2 Felix invitat), tum *ut libello sancti Johannis episcopi Alexandrini responderet Acacius, atque ipsi denuntiaretur Acacio, ut anathema Alexandrino diceret Petro* (id quod subnexo Felicis libello seu epistola 3 praestari legimus). Et vi legatis illata ipsorumque legatorum flagitio expositis subjicitur: *Quibus commotus beatissimus papa habita synodo Vitalem et Misenum ab officio et communione suspendit Acaciumque damnavit.* Neque etiam tempus excogitari potest, quo missae sint synodicae litterae a Liberato memoratae, si ab iis distinguantur, quibus officii sui admonetur Acacius, aut ab iis, quibus Romam vocatur ad dicendam causam, aut subnexis, quibus damnatur. Duas enim priores legatis tradidit Felix cum primis ordinationis suae nunciis deferendas, nullasque igitur antea miserat. Neque Acacii distulit damnationem, ubi ea, quae cum legatis egisset, comperit.

In Felicis epistolam 7 („*Acacius*“).

Hoc edictum in editione Romana deerat, primusque ex codice Virdunensi [Dur.] evulgavit Jacobus Sirmondus in appendice cod. Theodos. pag. 123. Publice propositum est generatim legendum, quo porro differt a superiore damnationis sententia Acacio tradenda, in qua et Felix ipsummet alloquitur. Similiter in concilii Calchedonensis actione 3 (Harduin. coll. conc. II, 377) latam adversus Dioscorum

[1]) Est Felicis, quae quidem in conciliorum editionibus ejus nomine fertur, epistola 3, his verbis incipiens: *Quis dabit.* Eam cum tota similium documentorum serie suppositam esse, satis luculenter Henricus Valesius dissert. de Petro Antiocheno cap. 4 et Ballerinii de antiqu. collect. latin. p. II cap. 11 § 3 demonstrarunt.

Digitized by Google

sententiam ipsi missam habemus, et [l. c. 377 inferius) edictum adversus eumdem omnibus propositum.

In Felicis epistolam 8 („*Quoniam pietas*").

[Dur.] Ab eodem Sirmondo una cum sex aliis infra subjiciendis e veteri codice Virdunensi eruta anno 1631 in *appendice codicis Theodosiani* publica luce donata est. Nec incognita fuit Nicolao I, qui plures ejus locos data occasione laudavit.

In Felicis epistolam 9 („*Petrus vero*").

[Ed.] E veteri Vaticano codice, in quo gestis de nomine Acacii subnectitur, erutum hoc fragmentum primum in editione Romana prodiit, his inductum verbis: *Ita Felix papa episcopis per Aegyptum, Thebaidem, Libyam et Pentapolim constitutis post alia.* Huic autem scribendae epistolae occasionem dederunt memoratae ab Evagrio III, 20 *litterae episcoporum et clericorum Aegyptiacae dioecesis ad Felicem scriptae de Petro tamquam haeretico et de iis, qui huic communicabant.* Ideo vero huc a nobis refertur, quia eam ex ipsa synodo, quae Acacium damnavit, missam esse conjectamus.

In Felicis epistolam 10 („*Probatam*").

[Ed.] Missa fuit post Vitalis et Miseni atque Acacii damnationem, adeoque et statim post Romanam synodum anno 484 habitam. Eam vero Sirmondus e Virdunensi codice in append. cod. Theodos. pag. 130 edidit.

In Felicis epistolam 11 („*Olim nobis*").

[Dur.] 1. Romae primum inter pontificias epistolas e Vaticano [1]) codice anno 1591 prodiit, consularis notae expers. Ex quo nata de tempore, quo scripta est, occasio disceptandi. Eam Baronius anno 484 retulit, veluti ab ea ipsa conscriptam synodo, in qua damnatus est Acacius. Negat Valesius, eam ad hanc synodum pertinere sed ad posteriorem eodem anno Romae coactam, prolixaque dissertatione, quam *de duabus synodis, a quibus damnatus est Acacius*, adornavit et ad calcem Theodoreti pag. 179 edidit, adversus Baronium et qui eum secuti sunt conciliorum editores contendit, Acacium gemina fuisse damnatione percussum duabus in synodis eodem anno in s. Petri basilica habitis, octavo videlicet et vigesimo die Julii et primo sequentis Augusti, ita ut *inter utramque quatuor dumtaxat dierum spatium intercesserit.*

2. Duplicem synodum ex eo probat, quod priori subscripsisse reperiantur praeter Romanum pontificem episcopi 67 vel 77, posteriori non plures *duo et quadraginta* cum episcopo Tiburtino. At si negari nequit duplex synodus, non inde sequitur, in utraque Acacium fuisse damnatum. — Deinde priori illi synodo, quam collectam ponit *ad audiendam rationem legationis Vitalis et Miseni*, unam solam epistolam VI ad Acacium eamque *aliquamdiu suppressam* adscribit, alteri vero in Antiochenae ecclesiae causa congregatae plures ac nominatim epistolam VIII ad Zenonem imperatorem, X ad clerum et populum Constantinopolitanum, istam XI, ad alios alias.

3. Nobis vero prior synodus anno 484 *d. V Cal. Augusti* habita non minus videtur ad cognoscendam Acacii causam convenisse, quam ad rationem audiendam Vitalis et Miseni legationis. Cui synodo et sextam Felicis epistolam et sequentes quatuor adscribimus, pro certo habentes, alteram synodum, ex qua prodiisse constat istam undecimam, longe esse posteriorem, quam sibi persuasit laudatus vir Valesius, neque veri esse simile, duas synodos tam impari episcoporum numero

[1]) Nos eam ad hunc codicem (scil. Vaticanum 4961) iterum conferentes, non paucis editorum mendis liberavimus. Ed.

Digitized by Google

constantes intra quatuor dies in eadem urbe eademque in basilica convenisse. Praeterea quis clarissimo viro annuerit, epistolas VIII et X, quum e synodo Antiochenae ecclesiae causa congregata missae dicantur, nullam ejusdem ecclesiae mentionem facere?

4. Verum hic mirari subit, Valesium virum sane oculatum haec leviter praeteriisse subnexae epistolae 11 n. 5 verba: *sic autem Acacius impietatem pestiferae damnationis tetendit, ut etiam dejectus insultet, ut scissus saevire non desinat, et quum omnino extra corpus habeatur Ecclesiae, ejus tamen membra dilaceret.* Certe Acacius in jus vocatus sistere se renuerat, neque adeo in urbe agens regia Romae argui potuit, quod *dejectus insultet et extra corpus habitus Ecclesiae ejus membra dilaceret*, nisi quae ille a denuntiata sibi damnationis sententia patrarat facinora, Felix certis testibus didicisset, quod brevissimo quatuor dierum spatio fieri nullo modo posse manifestum est. In eumdem offendit scopulum, quum sententiam in Acacium latam *aliquamdiu suppressam* dicit, eaque prolata exspectasse Felicem, *num Acacius resipisceret et mutato proposito sese ab haereticorum communione revocaret.* Posito enim, quod quatriduo post geminata fuerit, uti asserit, eadem sententia simul suspensa dicitur et statim iterata, ita ut Felix dum exspectare fingitur, num Acacius resipiscat, eum iterum damnare properet.

5. Duo autem observat a Graecis in Acacii damnatione et depositione fuisse maxime reprehensa: primum, *quod in synodo damnatus ac depositus non fuisset, sed solus Felix papa nomen suum sententiae depositionis praefixisset*, alterum, *quod nec convictus nec discussus juxta regulas damnationis sententiam excepisset.* Tum excutiens, cur Acacium nulla in synodo damnatum esse affirmarent, eos de synodo specialiter ob ipsum congregata locutos esse arbitratur, ac fatetur, ex duabus synodis, in quibus damnatus est Acacius, neutram ipsius causa congregatam esse, sed priorem ob Vitalem et Misenum legatos, posteriorem Antiochenae ecclesiae gratia. Deinde ad postremam Graecorum reprehensionis partem, qua *Felicem solum ei sententiae*, qua damnatus est Acacius, *nomen suum praefixisse querebantur*, observat in ipsa hac epistola XI n. 4 responderi his verbis: *unde nunc in causa Antiochenae ecclesiae apud beatum Petrum apostolum congregati rursum dilectioni vestrae morem, qui semper apud nos obtinuit, properavimus indicare. Quotiens intra Italiam propter ecclesiasticas causas, praecipue fidei, colliguntur Dei sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor praesulum sedis apostolicae ex persona cunctorum totius Italiae sacerdotum ... cuncta constituat.* Quibus datur ratio, cur conciliorum Romanorum synodicis litteris solius papae nomen praefigi soleat. His autem praemissis necesse est tota corruat et funditus evertatur Valesii hypothesis de brevissimo quatridui spatio inter utramque synodum.

6. Primum queri non coeperunt Graeci ante acceptam et recitatam sententiam in Acacium latam, nec Felix potuit eorum respondere querelis, nisi sibi prius innotuissent. Deinde si attentius expendantur proxime citata hujus epistolae verba, manifeste patebit, Felicem satis Graecis fieri voluisse querentibus, Acacium fuisse contra canonum praescripta depositum *extra synodum*, extra synodum inquam *quolemcunque*, non vero extra synodum *specialiter ob ipsum congregatam*, ut vult Valesius. Si enim expostulari sensisset a Graecis, quod non speciali ille esset synodo damnatus, frustra ipsis opposuisset Romanorum conciliorum consuetudinem, in promptu habens, eos injuste queri, quum non minus fuisset adversus eum congregata, quam adversus Vitalem et Misenum. Quippe exstincto Simplicio, qui non semel Acacium officii sui admonuerat, Johannes Alexandrinus antistes Romam appulsus accusationis libellos adversus eum obtulerat. Vocatus interim fuit per Vitalem et Misenum legatos Constantinopolim missos, ut se sisteret coram pontifice

Digitized by Google

libellis illis responsurus. Quos quum acerbius, ut notum est, habuisset ac demum praemiis deliniisset eoque pellexisset, ut Petro Mongo, ad quem expellendum missi fuerant, communicarent, Acoemitae monachi Vitalis et Miseni delictum simul atque Acacii nequitiam denuntiatum advenere, teste Evagrio h. e. III, 20 instantes apud Felicem supplicesque orantes, ut orientali ecclesiae in summum discrimen adductae subvenire ne moraretur. Quum igitur congregatur postea synodus, in qua Vitalis, Misenus et Acacius condemnantur, quis eam propter solos illos legatos *specialiter* congregatam dixerit, et non propter ipsum Acacium? Soli quidem auditi sunt Vitalis et Misenus, at Acacius non semel vocatus ante utriusque delictum fuerat, ejusque absentis vices abunde supplebant Johannes accusator, testes legati, Acoemitae monachi, et aliorum monachorum atque ipsius Acacii litterae. Inde vero *praevaricationum*, quas denuntiata ipsi sententia continet, evictus condemnatusque est. Quibus attente et aequo animo consideratis quis eum in synodo damnatum dixerit, vel quae *non specialiter ob ipsum congregata*, vel ex qua *nec convictus nec discussus juxta ecclesiasticas regulas fuerit?* Cui etiam non est perspicuum, hanc Graecorum expostulationem, Acacium sine synodo fuisse damnatum, simpliciter et obvio sensu verborum intellectam fuisse, quod et ipsius successor post Flavitam Euphemius objicit apud Gelasium epist. 10 n. 4, *Acacium ab uno non potuisse damnari?* An vero aliud sive hic Euphemius sive alii sibi velint Graeci, quum dicunt apud Gelasium epist. 26 n. 1, quod *non speciali synodo dejectus fuisse videatur*, commodius in hunc locum expendemus. Interim maneat, quod et in subjectis notis confirmabitur: epistolam, de qua agimus, non quatuor dumtaxat diebus sed multis mensibus esse posteriorem sexta praecedenti. Valesium et alios viros doctos fefellit hic epistolae locus haud parum intricatus: *Post illam sententiam, quae in Acacium perturbatorem totius orientis ecclesiae dicta est, his quoque nunc iterum congregati adjicimus litteris memoratam subdendo sententiam, quam placuit per Tutum defensorem Acacio dirigi.* Non significat synodus, has litteras synodicas per Tutum, uti interpretantur, allatas fuisse, sed iis, quas mittebat, litteris ad archimandritas in regia urbe ac Bithynia constitutos sententiam adversus Acacium, quae olim per Tutum missa fuerat, se adjunxisse. Quod confirmatur his verbis proxime sequentibus: *Quod ergo placuit s. synodo apud beatum Petrum apostolum, sicut diximus, et per Tutum ecclesiae defensorem sanctissimus vir Felix caput nostrum et archiepiscopus indicavit, in subditis continetur.*

7. Jam nihil obesse videtur, quin veterem sequamur Petri Labbei codicem, in quo haec epistola *III Nonas Octobris Symmacho v. c. cons.* (i. e. anno 485 d. 5 Octobr.) consignetur. Ac vero ideo relata a Valesio est ad Calendas Augustas praecedentis anni, quod eam eodem scriptam die crederet, qua superior octava ad Zenonem, quae revera ipsis Augustis Calendis data notatur. At quod vir eruditus credidit aut pro certo posuit, longe a vero abest, quum nullum sit dubium, quin haec epistola a priori synodo sit missa. Neque hic obest, quod synodi illius epistola ad Acacium quatuor ante hanc diebus data notetur. Neque enim insolens fuit Romanis pontificibus, ut synodorum, quibus praeessent, gesta et litteras inde missas non iisdem sed diversis interdum diebus consignarent. Notum est, Hilarum quum synodum Romae propter Gallos habuisset XIII Cal. Decembris, iis tantum III Nonas ejusdem mensis scripsisse. Similiter Hispanos vix certiores fecit III Cal. Januarii de gestis synodi in eorum causa XIII Cal. Decembris habitae. Itaque nihil vetat, quominus Felix epistolas 6 et 8 eadem in synodo scriptas diversis consignarit diebus.

In Felicis epistolam 12 („*Diabolicae*").

[a³] 1. Ex iis est epistolis, quas Jacobus Sirmondus e veteri codice Virdunensi edidit in saepe laudato appendice cod. Theodos. pag. 134. Erunt fortasse, quibus

Digitized by Google

suspecta videatur, primum quod Tuti lapsus nusquam alias memoretur; deinde quod certum sit ex Theophane (ed. Bonn. pag. 205), eum ad Dieuse monasterium superatis insidiis sibi Abydi comparatis appulisse, ac Dieusium monachorum opera sententiam depositionis, quam ferebat, traditam fuisse ipsimet Acacio, quod et Liberatus breviar. c. 18 et Victor Tunonensis in chronico ad a. 487 confirmat; postremo quod quum hujus Tuti mentio incidat in epistola 11 anno post ejus ab Urbe discessum elapso [1]) scripta, non modo defensoris nomen retineat, sed nec ulla perfidiae nota aspergatur.

2. Verum hujus epistolae sinceritatem haud parum adstruunt alia eodem codice contenta, de quibus nullus est ambigendi locus. Praeterea Tutus infinitam nec certe praedicta epistola 11 tacendam retulisset laudem, si creatus ad tempus ecclesiae Romanae defensor minis et praemiis, quibus fracti episcopi legati fuerant, infracte obstitisset. Quid vero dico minis, immo poenis gravioribus et inauditis suppliciis. Nam legatos, qui litteras solum comminatorias attulerant, carceri mancipatos fuisse constat. Is vero ipsam depositionis sententiam; quam qui Acacio tradidere, alii necati, ut scribit Theophanes, alii suppliciis affecti, alii in carceres detrusi. Solum igitur hujus tragoediae auctorem Tutum his exemptum malis tute agere Constantinopoli et impune abire potuisse, non est veri simile. Nihil tamen praedicta epistola 11 de structis ipsi insidiis aut de vi illata habet. Sicut igitur male quis ex eo, quod haec prorsus sileantur, nihil eum esse perpessum concluderet, sic et ex silentio lapsus confici nulla ratione potest, eum minis aut praemiis invictum fuisse. Nullum itaque fit de hujus epistolae sinceritate dubium nullave suspicio.

3. Jam si quis quaeret, ad quod praecipue tempus referri debeat, facile se offert, eam tum scriptam fuisse, quum Tutus in Urbem regressus rerum a se gestarum rationem Felici reddidit. Quum vero nonnisi post latam adversus Acacium sententiam delegatus aut Constantinopolim missus fuerit, h. e. post d. 28 Jul. anni 484, circa ejusdem anni exitum adscribi commode potest, computato spatio, quo Tutus Constantinopolim ire indeque redire potuerit.

4. Nobis quidem veri esse similius videtur, fraudem Tuti demum post synodum anni 485, unde epistola antecedens missa est, detectam, itaque epistolam nostram ad finem hujus anni referendam esse. Quapropter eam contra Coustantium illi postponendam hoc loco putavimus. Nam concessis omnibus, quae suo more candide et argute disputat vir clarissimus, tamen vix credere possumus, Tutum nuper defensoris officio sollemniter exutum, in dictae synodi epistola nulla vituperationis nota interjecta simpliciter *defensorem* nuncupari. Magis suspicio est, eum tunc nondum reversum Romam fuisse, unde synodus sollicita, ne forte ipsi ut aliis legatis contigerit aut interceptae litterae fuerint, eas adjiciendas denuo censuerit (cf. epist. 11 n. 4). Quo facto Tutoque reverso et mox per Basilium tristi nuntio de ejus inconstantia allato, pontifex in novo *conventu fratrum* sententiam in eum tulit et hac epistola presbyteris et archimandritis Constantinopolim significavit. [Ed.]

In Felicis epistolam 13 („*Flavio Boetio*").

1. Epistolam hanc cum gestis ei praefixis vetera collectionis, quam Hadrianus I Carolo Magno dedit, exempla exhibent cum hoc titulo in fronte: *Incipiunt constituta papae Felicis. Exemplaria gestorum, quibus allegatum est praeceptum* (H[1] antiqua manu *alligata sunt praecepta*) *Felicis papae.* In generali autem titulorum indice horum praeceptorum summa ac gestorum inscriptio ita [a 3]

[1]) Ita Coustantii sententia, quam omnino opprimere nefas duximus. Nostra sententia inversus ordo harum epistolarum: quam ille postea, nos antea scriptam esse putamus; conf. infra n. 4.

Digitized by Google

exprimitur: *Constitutio papae Felicis Africanae provinciae de non rebaptizandis;* quum in iisdem exemplaribus subnexa epistola *universis episcopis per diversas provincias constitutis* inscribitur. At in vetusta coll. Hisp. in perantiquo codice ad ejusdem ecclesiae usum concinnato et apud Isidorum Mercatorem sola retenta est epistola *dd episcopos per Siciliam* inscripta, praetermissis in ejus fronte gestis et ad calcem consulari nota, sed praefixis ei quinque titulis, quibus synodalium decretorum summa repraesentatur. Subinde qui Navarreum Isidorianae collectionis exemplum ab annis saltem 600 descripsit, in aliquo codicis Hadriani exemplari gesta nactus, ea sic perstrinxit: *Flavio Boethio v. c. cs. sub d. III Id. Mart. in basilica Constantiniana residente venerabili viro P. Felice una cum episcopis numero XLIV, residentibus etiam presbyteris LXXVI, adstantibus quoque diaconibus vel cuncto clero, Felix praedictus episcopus etc. .... Anastasius episcopus recitavit.* Quibus verbis proxime subjicitur: *Dilectissimis fratribus et universis episcopis per diversas provincias constitutis Felix episcopus in Domino salutem.* Ipsa etiam gesta integra in Colbertino item collectionis Isidori codice not. 351 adsuto semifolio ante annos 600 suppleta sunt. Ita in variis illis codicibus duplicem vel etiam triplicem offendimus ejusdem epistolae inscriptionem: unam scil. minus expressam sed indice seu summario titulo notatam *Africanae provinciae,* alteram *universis episcopis per diversas provincias constitutis,* postremam *episcopis per Siciliam.* Quomodo vero componi queat ista varietas? Ut hoc perspectum habeatur, operae pretium est, quae synodicae hujus epistolae conscribendae occasio fuerit, paucis explicare.

2. Victor Vitensis hist. persec. Vand. l. V, 13 persecutionis, quam Hunericus rex in Africa proxime excitarat, gravitatem exponens, *tum,* inquit, *Vandali ubique obsidebant itinera, ut transeuntes rebaptizandos ad sacerdotes suos adducerent, nec ullis sive privatis sive negotiatoribus quoquam transire, nulli aliquid vendere vel emere licebat, nisi prae se ferrent scripturam, quae eos rebaptizatos esse fidem faceret.... Ipsi etiam ejusdem sectae episcopi et presbyteri cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos et castella circuibant.... et quos domi repererant, etiam in lectulis soporatos, imbre igneo et fulmineo respergentes daemoniaca vociferatione Christianos suos vocitabant.... Tanta vero erat eorum protervia tanta violentia, ut episcopus quidam praestantem ecclesiae catholicae praesulem, Habetdeum nomine, pedibus manibusque colligatis et ore obturato ne clamaret, Christianum se effecisse gloriaretur,* quia *aquam rebaptizationis ipsius corpori infudisset. At non omnes ea constantia, qua insignis ille praesul, hanc sacrilegam aquam repulsarunt. Neque tamen eos etiam, qui impiae tyranni voluntati cesserant, quietos esse sivit turbulenta saevae persecutionis procella. Hinc plurimi primum per vicinas ac deinde per alias paulo remotiores provincias disjecti dispersique.* Quocirca Felicis successor Gelasius ep. 15 n. 1 in generali formula, quam episcopo cuique seu Italiae seu regionum aliarum in ordinatione sua constituit tradendam, istud nominatim praescripsit: *Afros passim ad ecclesiasticos ordines praetendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichaei, aliqui rebaptizati saepius sunt probati.*

3. Ex hac simplice expositione perspicuum habetur, qua ratione eadem epistola et *provinciae Africanae* et *episcopis per Siciliam* et *universis episcopis per diversas provincias* inscribi potuerit: et *Africanae quidem provinciae,* utpote ad quam proprie pertinebat; ceterarum vero provinciarum episcopis, quia eorum intererat nosse, quo pacto cum iis, qui veniebant ex Africa, se gererent. Nec alia causa fuit, cur in collectione *episcopis per Siciliam* inscribatur, nisi quia ejus compilator in exemplum incidit ejusmodi, quod nominatim ad Siculos missum

Digitized by Google

fuerat. Ita Siricii epistola 5, licet ad Italiae episcopos primum scripta, epigraphen tamen prae se fert *ad episcopos Africae*, quia postmodum ad Afros missa Teleptensisque in Numidia concilii gestis inserta, non aliunde ad nos pervenit. Hadrianus autem seu quivis alius, cujus opera collectio aucta est, quam is papa Carolo Magno dedit, exemplar penes se habuit gestorum synodicorum adeoque epistolae, qualis ipsis gestis illigata est. Num vero eadem epistola etiam ad Afros missa sit, dubitare licet. Certe illius exordium *Qualiter in Africanis* (non *in vestris*) *regionibus astutia diaboli saevierit, nulla terra nescivit*, sermonem sapit de regionibus Africanis non ad ipsos Afros sed ad alienos scribentis. Idque confirmat, quod initio n. 4 legimus: *venientis ad vos et remedium postulantis sollicite discutienda est professio et persona decepti.*

4. Hinc Baronii, quam Binius pro more suo sequitur, admitti nequit conjectura circa id, quod praefixa gesta *Boethio consule* h. e. anno 487, subnexa vero epistola *Dynamio et Sifidio css.* i. e. anno 488 consignantur. Frustra enim clarissimi illi viri ajunt accidere potuisse, ut *tunc, quum habita est synodus, epistola minime mitti valuerit, sed quum diu Romae retenta esset, dies appositus illi fuerit, quo in Africam mitteretur.*

5. Quum enim de epistola sermo sit non in Africam sed ad alias provincias missa, propositum nodum ne attingunt quidem, nedum expediant. Ad nos quod attinet, Felicem imprimis Africae necessitatibus prospexisse, ac decreta, quae in synodo sua sanxerat, sine mora illuc misisse arbitramur. Properum remedium exigebat alta huic ecclesiae inflicta plaga, praesto erant in synodo 4 episcopi Africani, qui statuta ejus in patriam suam perferrent, nec quidquam metuendum erat a novo rege, qui episcoporum et aliorum orthodoxorum exilia nuper relaxarat. Morari tamen nos non debet injecta difficultas. Nullum enim est incommodum, si eadem decreta serius in diversas provincias missa et eo die, quo mitti coeperunt, consignata dixerimus. Istud porro in eis singulare, quod diversos poenitentiae publicae gradus tunc usitatos explicent. Ideo synodica illa epistola Ivoni digna visa est, quae decreti sui p. I c. 293 tota insereretur.

In Felicis epistolam 14 („*Multa sunt*").

1. Jacobus Sirmondus epistolam hanc e Virdunensi codice erutam in appendice [a³] cod. Theodos. edidit, admonens, eam perperam Gelasio, qui nondum quum scripta est pontificatum adeptus fuerat, attribui in illo exemplari. Et vero tradit Liberatus brev. c. 18, Flavitam litteras synodicas ordinationis suae indices ad Felicem misisse eumdemque Felicem ipsi rescripsisse, quod et diserte confirmat Theophanes in Chron. pag. 206 ac Nicephorus Callisti XVI, 19. Unde idem de hac sentiendum arbitramur, quod de Gelasii tractatu I seu Breviculo historiae Eutychianae, eam et Gelasii esse et Felicis: Gelasii, a quo scripta videatur, quod et suadet stilus ipsi proprius, et archetypi auctoritate firmatur; Felicis, cujus nomine sit scripta.

2. Porro Flavitas, a Victore Tunonensi Flavianus ab Evagrio ac Theophane Fravitas appellatus, fuit Evagrii ejusdem et Theophanis ac Nicephori judicio homo plane, qui eo ipso tempore, quo Felici significabat, se ad ejus communionem rejecto Petro Mongo accedere, ejusdem Mongi societatem litteris aliis expeteret, praedicans, sese prorsus alienum a pontifice esse. Verum parvo admodum intervallo regiae urbis sedem tenuit statimque morte interceptus, ait Liberatus, hanc Felicis epistolam nec recipere potuit nec Petri Mongi responsum circa idem tempus datum, quod successori ejus Euphemio redditum fuisse docent Theophanes et Nicephorus. Eum Victor Tunonensis, cui Theophanes concinit, *tertio promotionis suae mense mortuum*, Nicephorus vero lib. 16 c. 19 et Evagrius *quatuor menses* episcopatu potitum fuisse scribunt. Sed accuratius loqui videtur idem Nicephorus l. c. c. 18, ubi eum in episcopatu *non totos quatuor menses* transegisse asserit.

Digitized by Google

3. Victore Tunonensi anno 489 adscribente Flavitae ordinationem, nihil vetat, quominus ad anni hujus exitum referri queat. Certe nondum mortis ejus nuncium Felix acceperat, quum sequentem epistolam 16 scripsit, adeoque primo mensis Maji die anni 490. Nisi quis dicat, ea hujus epistolae 16 verba, quae Labbeus de vacante regiae urbis sede interpretatur, eam re ipsa vacantem enuntiare, unde et colligendum esset, epistolam, de qua agimus, ad anni 490 initia pertinere. Verum quum certum sit, Felicem haud ante Flavitae ac Zenoni rescripsisse, quam archimandritarum legati, ad quos epistola 16 dirigitur, in urbem ingressi ipsum de Flavitae fide perversa ac dolis certiorem fecissent, longe veri est similius, ordinatum Flavitam circa anni 490 initium atque hanc epistolam ad ipsum cum sequente ad Zenonem haud citius aut certe haud multo citius epistola 16 ad Thalasium, quae ipso anno 490 Maji die I consignatur, conscriptam fuisse.

In Felicis epistolam 15 („*Dignas*").

[a³] Una cum superiore in eodem codice Virdunensi reperta, Jacobi Sirmondi opera simul prodiit. Simul etiam utramque missam esse Felix satis aperte indicat.

In Felicis epistolam 16 („*Post factas*").

[a³] 1. In laudato codice Virdunensi, ex quo Jacobi Sirmondi opera cum aliis superioribus edita est, hunc praeferebat titulum: *Exemplum epistolae, quam pertulerunt in legationem directi monachi ad Rufinum, Hilarum et Thalasium archimandritas Constantinopoli.* Unde et nomina discimus archimandritarum, qui monachos Romam legarunt, ut clericorum a Flavita ad Felicem missorum molitionibus intercederent, atque hujus pseudopatriarchae mendacia detegerent et dolos; et docemur praeterea, epistolam hanc non ad unum Thalasium sed et ad duos ejus socios a pari scriptam fuisse.

2. Labbeus eam datam existimat *vacante post mortem Acacii sede Constantinopolitana.* Vacantem quidem sedem innuere videntur haec Felicis verba: *Constantinopolitanae ecclesiae vel quicunque ejus futurus est episcopus:* item et quae mox subsequuntur: *qui fuerit creatus episcopus.* At si inde conficiatur eam tum vacasse, certe non Acacii morte, sed Flavitae vacabat. Verum Felix apertius declarat sub epistolae finem, *illic creatum pontificem, cum quo neque posset sociari communio,* utpote, inquit, *cujus adhuc a nobis nec honor probatur susceptus, nec fides neque intentio comprobata.* Quibus quidem verbis certo designatur tempus, quo professus est Felix, communionem se nondum posse cum Flavita, atque adeo jam creato, inire. Quae itaque praemittuntur, id unum indicant, persuasum Felici fuisse, nihil Flavitae de honore suscepto constare, quoad episcopatus sui *firmitatem* Romani pontificis approbatione *sumpsisset.* Jam antea scripserat Bonifacius epist. 15 n. 6, Nectarii ordinationis confirmationem a sede Romana petitam: *Princeps Theodosius*, inquit, *Nectarii ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis, formatam huic a sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus sacerdotium roboraret.* Eamdem etiam potestatem Felicis decessor Simplicius sibi haud obscure attribuit in Alexandrinum antistitem epist. 18 n. 2. Ubi enim Timotheum hujus urbis episcopum obiisse, inque ejus vicem consona fidelium voluntate Johannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum enarravit, statim subjicit: *Et nihil omnino restare videbatur, nisi ut . . . quod catholicus in defuncti ministerium successisset antistes, apostolicae quoque moderationis assensu votivam sumeret firmitatem.* Denique quum haec epistola iis monachis sit tradita, qui post legatorum Flavitae et Zenonis adventum supervenisse memorantur in duobus superioribus, dubium non est, quin post Flavitae ordinationem scripta fuerit. Alterius ad eos-

Digitized by Google

dem archimandritas, quam iidem monachi simul pertulerant, sed quae desideratur, veluti appendix est et supplementum.

In Felicis epistolam 17 („*Quod unitatis*").

Hanc quoque epistolam Jacobus Sirmondus in Virdunensi codice nactus in appendice cod. Theod. publici juris fecit. Clericorum a Flavita ad Felicem delegatorum mentio argumento est, eam non esse tribus superioribus anteriorem; immo et simul cum illis mitti potuit. [a³]

In Felicis epistolam 18 („*Quod plene*").

A Sirmondo cum aliis e codice Virdunensi eruta et vulgata fuit. Andreae episcopi Thessalonicensis artes et dolos nec non in schismate pertinaciam Gelasius notat epist. 18 n. 4. [a³]

In Felicis II epistolas tres supposititias Constantii censura.

1. Tres illae epistolae, scilicet ad Petrum Fullonem („Τίς δώσει", „*Quis dabit*"), ad Petrum Antiochenum („Ἐπειδὴ δυστυχῶς", „*Quoniam importabilibus*") et ad Zenonem imperatorem („Πρέπει", „*Convenit clementiae*"), inter epistolas Romanorum pontificum cum ceteris Felicis II editae sunt, prima quidem et postrema ex synodo Constantinopolitana, secunda ex codice Vaticano. Deinde anno 1618 ad calcem concilii Constantinopolitani sub Mena Binius graece, Fronto Ducaeus in appendice Zonarae graece et latine easdem cum pluribus aliis aliorum episcoporum ad eumdem Petrum scriptis litteris vulgaverunt. Has omnes Baronius anno 483 aut refert aut notat, easque in uno eodemque codice[1]) Vaticano haberi monet. Nimirum Petri Fullonis causam hoc anno et ab Acacio Constantinopolitano et a Felice Romae duabus synodis dijudicatam esse arbitratur, eique sententiae subscribunt Binius aliique subinde conciliorum editores. Hinc in Lupareis Labbeanisque conciliis anno 483 duae ponuntur synodi, Romae sub Felice et Constantinopoli sub Acacio, et sub utraque omnes illae litterae distribuuntur velut acta adversus Petrum Fullonem producta. His si fides aliqua habenda foret, primum Constantinopolitana tunc Romana collocanda fuisset, quum Felicis litterae hujus synodi nomine scriptae Petri jam ab Acacio in synodo damnati meminerint.

2. Sed Henricus Valesius ad calcem observationum ad Theodorum lectorem *de synod. adv. Petr. Fullon.* c. 4 falsas et suppositias esse putat omnes illas epistolas. Primo quia quamvis a diversis episcopis scriptae, omnes tamen ex graeco sermone in latinum sunt conversae, id quod re ipsa qui utramque linguam calluerint non inficiabuntur. Deinde nomina ipsa episcoporum, qui ad Petrum Fullonem scribunt, haud dubie conficta et commentitia sunt, utpote nullis monumentis nota. Praeterea si Felicem et Acacium excipias, quo jure id sibi arrogarunt modicarum urbium episcopi et in diversis provinciis longe ab Antiochena dioecesi dissiti, ut hujus patriarcham scriptis litteris acriter corriperent et admonerent? Denique quod epistolarum illarum falsitatem demonstrat, omnes illas epistolas licet a diversis episcopis et in diversis provinciis, uno tamen eodemque stilo i. e. rudi ac barbaro sermone observat esse elaboratas. Addit, et Romanos episcopos illis temporibus alia quam latina lingua ad episcopos graecos litteras scribere non consuevisse. Nollem tamen eam ob rationem, si una adesset, litteras illas rejicere, quum fieri potuerit, ut Felix exemplari latino graecam versionem adjunxerit, vel etiam graeci episcopi, quod sibi latine missum, graece verti curarint,

[1]) Est codex collectionis Avellanae Vaticanus 3787, cujus exemplar principale Vaticanus 4961. (Plura de nostra eadem re conferantur apud Ballerin. de antiqu. collect. can. p. II c. 11 § 3 et c. 12 n. 4 (71—78).

Digitized by Google

atque haec una versio ad nos pervenerit. Qua ratione factum, ut una Sixti III litterarum graeca exemplaria habeamus.

3. Gravioris momenti videtur, quod de Felicis litteris nominatim monet, nihil esse ineptius, quam quod ipsi affingitur his verbis: *sit in te haec fixa damnatio a me et ab iis, qui sub me constituti episcopales sedes gubernare noscuntur, et ab Acacio Constantinopolitanae ecclesiae pastore et a venerabilibus episcopis ejus juri subjectis.* Primo enim, inquit, hic mos non erat Romanorum pontificum, ut episcoporum, qui una cum ipsis in synodis consederant, in decretis suis ac sententiis mentionem facerent. Quod et confirmat verbis synodi Romanae in Felicis epistola XI n. 4. Quid, quod ibi Felix Acacium sibi adjungere ponitur, quasi ejus sententiam in damnando Petro Antiocheno secutus videatur, omissa mentione Simplicii papae, a quo idem Petrus diu antea fuerat condemnatus!

4. Gravibus illis eruditi viri momentis suppetunt alia. Nam hae litterae Felicem et Acacium velut in unum conspirantes faciunt, quasi Acacius de damnato a se ac subjectis sibi episcopis Petro ad Felicem scripserit ac Felix illius laudarit sententiam, quum jam ab aevo Simplicii Acacius obstinatum quoddam silentium affectarit ac solitum intermiserit aut etiam ruperit cum Romano pontifice commercium. Praeterea epistolam *Petro episcopo Antiocheno* inscriptam legere est, quum sedes apostolica Petri ordinationem seu potius invasionem nunquam non reprobarit, nunquam non damnarit, atque hunc haereticum una cum omnibus, qui ab eo sese ordinatos existimabant, ab Antiochena civitate depellendos censuerit Simplicius epist. 7 n. 3 idque confirmarit epist. 15. Sed ex epistola synodi Romanae, quae infra habetur inter Felicis epist. 11 data III Nonas Octobres Symmacho consule (h. e. anno 485), manifestum est, eosdem episcopos, qui anno praecedente Romae convenerant pro Acacii causa, iterum anno 485 *causa Antiochenae ecclesiae* congregatos esse. In hoc porro sita erat Antiochenae ecclesiae causa, quod *Calendione nuper ejecto* (Acacius) *Petrum in ejus immiserit ecclesiam.* Neque illud „*nuper*“ latius extendi valet; siquidem hoc molitus esse Acacius dicitur jam *dejectus et quum omnino citra corpus haberetur Ecclesiae*, h. e. post denuntiatam ipsi damnationis sententiam. Ex quo sequitur, ut Calendio Antiochenam sedem obtinuerit, donec Acacius accipiens se a Felice damnatum ipsum ab illa deturbare coepit, adeoque in synodo anni 484 tantum de Acacii, nihil de Petri Fullonis damnatione actum fuerit. Rursus quum eadem synodus Romana ibidem n. 5 expostulat cum Acacio, quod *Calendione nuper ejecto Petrum totiens et a se damnatum in ejus immiserit ecclesiam*, satis aperte indicat, se de damnatione, quae anno praecedente facta sit, minime loqui (hunc enim intellectum non permittit particula „*totiens*“), atque insuper confirmat, Petrum Fullonem, ex quo a Simplicio damnatus est, nunquam a Felice habitum esse velut episcopum. Quid igitur sibi vult prima epistola, qua eum hortatur Felix, ut ad meliorem frugem se convertat, quasi, si resipisceret, ab ejus damnatione paratus esset abstinere! Denique si verae essent illae epistolae, Hormisdae legati adversus Scythas monachos *unum de Trinitate crucifixum* dici volentes hanc eorum sententiam Felicis papae auctoritate jam pridem explosam esse non tacuissent. In toto tamen illo conflictu, qui sane acerrimus tum fuit, neque legati Hormisdae neque Hormisda ipse neque Justinianus, nemo denique a Felice papa hac de quaestione quidquam scriptum esse meminit, ut fidem faciunt Hormisdae epistolae 75, 76 aliaeque subsequentes. Nec tamen hae Felicis litterae, utpote graece latineque scriptae, Graecos Latinosve latere debuissent. Censendae sunt igitur et Felice II et Hormisda posteriores.

5. Alia adhuc adversus fictas illas synodos anni 483, in quibus Petrus Fullo damnatus sit, opponi possent. Sed haec satis ac plus quam satis demonstrant, quam aequa sit Henrici Valesii tum de illis tum de monumentis, quae in illis producta dicuntur, censura. Neque vero Felicis stilum aut ingenium ullo modo sa-

Digitized by Google

piunt. Et mirum foret, synodum quam Baronius celeberrimam vult exstitisse, scriptoribus, qui rerum Eutychianarum historiam texuerunt, aut incognitam fuisse aut tacitam.

6. Ex variis illis monumentis, quae eamdem materiam idemque ingenium sapiunt, in veteri Corbejensi codice ante annos 800 exarato latine exstant fragmenta epistolarum tum *s. Quintiniani episcopi Ascyliani*, tum *Asclipiadis episcopi Trallensis*, quae dicuntur *missae ad Petrum Antiochenum.* [Secunda etiam Felicis et septem epistolae aliorum episcoporum collectionis Avellanae optimae notae codicibus vi. 71—78 praebentur.] Quod notasse juverit, ut hinc scriptorum illorum antiquitas aliquatenus dignoscatur. [Qui collectionem Avellanam confecit, post Felicis ad Petrum Antiochenum epistolam „*Quoniam pestiferis*" etiam aperte notat, unde fons graecus palam fit: *Explicit epistola papae Felicis ad Petrum Antiochenum damnans eum: quae epistola ante damnationem Acacii, quantum ejus textus indicat, comperitur scripta. Sed quia cum aliorum litteris ad eumdem Petrum directis in graeco volumine invenimus de latino translatas, quas nunc iterum de graeco in latinum necessitate compulsi transferentes descripsimus propter haereticorum insidias, et supradictis epistolis ejusdem papae connectimus.*]

7. Litteras illas non Felicis sed Simplicii esse vult Antonius Pagi ad annum Baronii 478, ut ad annum 483 post Guilielmum Cave Valesii rationes refutat. Sed Felici eas adscribunt ejusdem seriei epistolae Quintiani et Justini [nec non Cyrillus Scythopolitanus in vita s. Sabae n. 32.].

Monita praevia

in Gelasii papae epistolas.

In Gelasii papae epistolam 1 („*Post quingentos*").

1. Praestantissimum hoc opusculum Gelasii ex codice Veronensi 46 primum [Ed.] vulgavit clarissimus marchio Franciscus Scipio Maffejus in Coleti collect. concil. tom. V col. 195 ss., et eodem tempore anno 1728 separatim Venetiis sub titulo: *Supplementum Acacianum monumenta nunquam edita continens, quae marchio Scipio Maffejus e vetustissimis Veronensis capituli codicibus eruit atque illustravit.* Unde a Josepho Blanchino in appendice operum Sirmondi ed. Venetiis tom. IV pag. 553, ab eodem Maffejo *istoria teologica* ed. Tridenti anno 1742 pag. 220, a Mansio coll. concil. tom. VII col. 1069 et a Mignio Patrolog. curs. complet. tom. LVIII col. 937 iterato productum est. Idem laudatus marchio praefatione et notis instruxit, quas alii repetiisse satis habuerunt. Doctissimus solum Josephus Blanchinus nova de eodem inquisitione et dicti codicis collatione sibi supersedendum non ratus est, unde ad ipsius praeprimis textum nobis recurrendum erit.

2. De statu archetypi et oratione opusculi hujus saepe dictus marchio eruditissimus ita fere praefatur: *Quod ad epistolam nostram attinet, pluribus locis eloquentiae luminibus nitet, quamvis inficiari nemo possit, luxuriari auctorem aliquando acutumque ac subtile dicendi genus curiose consectari. Ordinem mirabitur aliquis, quo utitur sive quo caret, tum inconnexa quandoque membra et sententias saepe repetitas. At praeterquam quod adversario fortasse κατακόρως insistit, luxato codici id ex parte tribuendum suspicor. Mirum sane est, quot librarii mendis, quanta ut videtur sententiarum corruptione ac per-*

Digitized by Google

turbatione non uno laboret loco: quibus si stilum adjicias quibusdam locis aliquanto implexum difficultatemque ex interpunctionis atque distinctionis defectu scriptionibus antiquis communem, eae creabantur ambages, ut cum extricari vix posse crederem, poenituerit non semel tam molesto operi manum admovisse, hancque curam abjecturus jam fuerim non semel. Transpositis praecipue deterrebar ac luxatis locis, quod vitium cum alicubi deprehenderem, cogebar et alibi suspicari. Sed confirmavit id me tandem atque in proposito retinuit, cum animadverterem, ceteris quoque tum Felicis tum Gelasii scriptis idem prorsus infortunium veluti fato quodam accidisse: quorum plura monumenta ita perturbata ni fallor ad nos pervenerunt atque intermixta, ut tanquam Sibyllina carmina foliis mandata „rapidis ludibria ventis" volitasse aliquando mihi videantur. A falso titulo epistola nostra rem in manuscripto auspicatur: „Exemplum rationis reddendae beati Gelasii papae de evitanda communione Acacii missa ad orientales episcopos." Habet etiam in fine: Explicit beati Gelasii de evitanda communione Acacii. Quo nomine perspicuum est falso inscribi. Cum enim vivente Acacio aut nondum certe mortis ejus nuntio Romam perlato exarata sit, Gelasio tribui non potest post annos tres ab Acacii morte inaugurato. Sed in aliis quoque, addit, Felicis epistolis similis error, ut Gelasii nomen prae se ferant: *in quem delabi notariis in proclivi fuit cum ob stili similitudinem ac temporis propinquitatem, tum ob res easdem eademque argumenta ab utroque pontifice pertractata.*

3. Ita quidem marchio sagacissimus. Quae sicut maxima ex parte libentissime nobis subscribenda sunt, in quaestione tamen de auctore non similiter illi assensum praebere possumus. Praevalet apud nos codicum auctoritas, qui uno consensu omnes Gelasii nomen inscribunt. Siquidem praeter Veronensem ipsum, ex quo prodiit cujusque inscriptionem supra adduximus, etiam probatissimae notae codices Vaticanus 5845, Vallicellanus A 5 ejusque apographon Vaticanus 1353 opusculi nostri longius fragmentum (scilicet illa n. 30 *Nos non in Acacium* etc. usque ad *vel everti et plantari*) proferentes hoc titulo inducunt: *Ex epistola beati papae Gelasii ad orientales de evitanda communione Acacii, ubi datur intelligi, nullum esse vinculum insolubile nisi circa illos, qui in errore persistunt.* Pari modo initium ejusdem (n. 1 *Post quingentos — damnatus sit*) laudantes, Nicolaus I epistola 42 (ed. Hard. et Mans.) ad archiepiscopos et episcopos Galliae *Gelasius ad episcopos orientales*, Anselmus coll. IV, 27 et Gratianus c. 9 C. XVI qu. 3 *Gelasius episcopis Dardaniae*, Deusdedit coll. part. I *Gelasius papa* inscribunt. Item aliud ejusdem fragmentum (n. 43 *Cui est illata sententia etc.* usque ad *nullatenus perspicit obligatum*) Ivo decr. p. XIV c. 8 *Gelasius de communione Acacii vitanda*, Gratianus c. 46 C. XI qu. 3 *Gelasius papa episcopis orientalibus de damnatione Dioscuri* insigniunt. In tabula illa autem variorum documentorum ad causam Acacianam pertinentium, quam corpori Pseudo-Isidorianae collectionis teste Hinschio (proleg. in ed. Ps. Isid. pag. XLII) praemittunt codices Parisiensis 4280 AA., Pistoriensis n. IX, Lucensis n. 123 Plut. II, Bambergensis C. 47, inter opera ejusdem papae sed sine ejus nomine collocatur hac inscriptione: *Item de evitanda communione Acatii.* Contra hos varios codices, qui omnes epistolam hanc Gelasio tribuunt, ne unus quidem alius exsistit, qui Felicis nomen tueatur.

4. Cui quidem codicum consensui in scripto ipso pro Gelasio quaedam suffragantur. Plures enim ibi occurrunt loci, in quibus ita Gelasii ratio argumentandi et loquendi reperitur, ut aut auctor hunc pontificem, aut hic illum novisse et adhibuisse negari non possit. Sufficiat pauca perstrinxisse. Quae n. 4 et 13 de *necessitate Petri restituendi per populum Alexandrinum imperatori impo-*

Digitized by Google

sita refutantur, simillima sunt iis, quae Gelasius epistola 3 n. 15 et 12 n. 10 disputat. Deinde quod Acacius *non contra fidem peccasse* (n. 14), sedes apostolica autem eum a communione sua submovisse dicatur, *ne et ipsa perfidorum contagia iniisse videretur* (n. 11), satis consone commemorat et rejicit Gelasius epist. 3 n. 8 et 26 n. 4. Itidem qui n. 27 Acacii coactioni *timor divini metus* opponitur, in Gelasii epistola 3 n. 7, 13 et 14 recurrit; nec illa, quae n. 30 de Acacio *nunquam solvendo* disputantur, ab iis abhorrent, quae Gelasius tract. IV n. 6 seq. profert. Exempla illa autem de viris, qui *persecutoribus fortiter restitissent*, n. 25 perstricta, tantum imaginem Gelasii epistolae 26 n. 11 referunt, ut vel persecutio *nuper in Africa* facta producatur. Pariter argumenta, quae contra Graecorum de *correcto Petro* objectionem n. 15 proferuntur, plurimum attingunt eamdem causam apud Gelasium epist. 26 n. 5 tractatam. Nec aliter dicendum de iis, quae n. 24 de *condescensione* pontificis ad schismaticos proferuntur, ubi Euphemium ex Gelasii epistola 3 n. 7 fere loquentem audire videamur, ita ut vel vox illa *descendere* utrinque resonet. Alia, quae pari modo in Gelasii scriptis occurrunt, suis locis adnotabimus. Sed jam inde satis efficitur, singularem quamdam affinitatem esse inter hoc opusculum atque Gelasii epistolas 3, 10, 12, 26, 27 et tractatum IV. Qua re codicum auctoritas, qui illud Gelasio tribuunt, haud parum confirmatur. Nam tali modo pontificem disertissimum decessoris sui argumenta et verba mutuatum esse, nemo sibi facile persuaserit.

5. Sed alia ex parte contra Gelasium auctorem in ipso opusculo haud parvae exsistunt difficultates. Ubique quidem scriptor ejusdem praesul sedis apostolicae hujusque nomine et auctoritate agens apparet. Suo quasi nomine suaque persona nonnunquam vel Simplicium papam [1]) comprehendit. Ex omni autem fere ejusdem linea arridet, eum Felicis II praeprimis acta sibi [2]) vindicare, et hoc ipsum opusculum scribere superstitibus etiamtunc Acacio Constantinopolitano [3]), Petro Alexandrino [4]), Zenone imperatore [5]). Eodem aliae quoque notae chronologicae, quae ibidem forte occurrunt, respiciunt. Ita Vitalis et Misenus damnati sed nondum restituti apparent (n. 34, 35, 38, 39), persecutio Vandalorum in Africa *nuper* facta dicitur (n. 25), fortasse etiam Felicis synodus Romana anno 487 celebrata [6]) notatur. Nihil autem obviam fit, quod nobis vel usque ad Gelasiani pontificatus initia descendendum suadeat. Quare nullo modo Felicis II tempus relinquere possumus, et opusculum nostrum omni jure hujus praesulis auctoritati vindicandum est.

6. Quae quum ita sint, ut epistola haec et Felicis tempore auctoritateque et a Gelasio scripta dicenda, hians differentia non aliter expleri potest, quam ut eam a Gelasio, priusquam pontificatum iniisset, et nomine et auctoritate Felicis praesulis sui scriptam esse dicamus. Revera, ut jam supra [7]) monuimus, Gelasius Felici a scribendis litteris et praesertim in causa Acaciana quasi commissarius deputatus

---

[1]) Sufficiat locos quosdam notasse, quos sollers lector facile in scripto ipse recognoverit: conferantur igitur epist. 1, n. 9, 21, 28.

[2]) Conferantur epist. 1. n. 11, 12, 18, 21 (ubi haud dubie Felicis epist. 2 n. 6 laudatur), 27, 30, 34, 35.

[3]) Conferantur l. c. n. 9, 11, 12, 21, 25, 26, 30, 31, 34, 35, 39, 40, 43.

[4]) Conferantur praeprimis l. c. n. 4, 7, 8, 11, 13, 14, 16, 20, 22, 24.

[5]) Conferantur l. c. n. 4, 10, 12, 22, 27, 31.

[6]) Scilicet n. 26. Conferantur tamen, quae ibidem not. 2 *t* observabimus. — Ibidem autem n. 25 persecutionem Vandalicam jam finitam, ideoque tempus post annum 494, notari, Josepho Blanchino l. c. IV, 550 asserenti assentiri non possumus. Nam quae ibi de forti victoria confessorum illorum christianae veritatis enuntiantur, generatim ad omnes ibidem nominatos spectant, non speciatim ad solos Africanos.

[7]) Conferantur monitum in Felicis II epist. 14, Gelasii vita n. 1, Gelasii tract. I n. 11, et monitum in eumd. tract. n. 3.

Digitized by Google

fuisse videtur. Ita quidem factum est, ut aliquae epistolae, quae in plerisque codicibus Felici inscribuntur, in quibusdam sincerissimae fidei exemplaribus Gelasii nomine[1]) insigniantur, aliae quae vix minus illius sibi aetatem postulant, nihilo secius in omnibus manuscriptis Gelasii nomen prae se[2]) ferant. Ejusmodi igitur hoc quoque opusculum esse putaverim, quod codicum auctoritas et stili proprietas Gelasio, tempus et ratio, quo scriptum, Felici vindicat. Ab illo ergo hujus nomine anno 488 aut initio anni 489 elaboratum crediderim, quo versutiis et variis objectionibus orientalium schismaticorum[3]) obviaretur. Fortasse autem in hac forma ne in lucem quidem emissum, quum mox ab auctore successione apostolica insignito idem argumentum proprio nomine identidem pertractandum esset. Ita quidem quum magis librarii ope ex schedis clarissimi pontificis prodiret, etiam forma ista manca et luxata satis declaratur. Quamquam fortasse ad idem hoc opusculum Gelasius epistola 27 n. 2 respicere videtur, scribens ad orientales: *si ipsi sint judices, qui ea perpetrarunt* (scilicet orientales), *quum evidenter fuerint confutati, a sui damnatione non temperent. Palam enim illic aperteque monstratur, nihil aliud quam quaesitam causam, quemadmodum catholico qualicunque depulso pontifice haeretico Petro reseraretur accessus.* Quae quorsum referenda sint, non satis patet; nec tamen inde certi quidquam asseri potest, quare hic modo memorasse sufficiat. Tantum autem apud omnes constare puto, haud relinquendam codicum auctoritatem, qui omnes hanc *epistolam ad orientales episcopos* Gelasii nomine inscribunt.

In Gelasii papae epistolam 2 („*In prolixitate*").

[a[3]] 1, Ut epistolam hanc, quae Gelasii nomine tum in collectione Avellana fertur, tum inter pontificias litteras in conciliis vulgata est, Anastasio restitueremus, permoti sumus primum auctoritate codicis Corbejensis ante annos 800 exarati, Bellovacensis haud recentioris, Remigiani atque aliorum, qui tria ejusdem epistolae fragmenta sub nomine *Anastasii*[4]) *ad Ursicinum episcopum* exhibent. Deinde Gelasium commodius quam Felicem intelligas *praedecessorem* illum initio epistolae memoratum, cujus epistola *de excessibus Acacii* in ecclesia Thessalonicensi aliisque recitata sit, quique *medicinam fidei* episcopis Illyrici copiosissime ministrarit. Etiamnunc enim plures habemus Gelasii, nullas[5]) Felicis epistolas ad episcopos Dardaniae aliosve, in quibus *de excessibus Acacii* copiosissime disseratur, et quod fidei est abunde subministretur. Postremo quod in epistolae hujus exordio narratur, in ecclesia Thessalonicensi recitatam fuisse praedecessoris de excessibus Acacii epistolam, haud facile conciliatur cum his Gelasii epistolae 18 ad

---

[1]) Ita quidem Felicis II epistola 14 in cod. Vird. *Gelasio* inscribitur.

[2]) Ejusmodi sunt Gelasii epist. 1 et tract. I, fortasse etiam epistola 4.

[3]) Similiter Josephus Blanchinus l. c. IV, 552 de opusculi nostri origine *fortasse non abs re esse* ait *opinari*, illud *alicujus Romanae ecclesiae clerici foetum esse, qui sexto circiter ineunte saeculo Felicis papae sententiam in Acacium prolatam susceperit propugnandam, ac in apologetico tractatu ejusdem personam induerit, ut plerique alii praestiterint, ne palam orientalium invidiam subiret.*

[4]) Ita mutavimus, quod per apertum calami errorem Coustantius scripsit *Gelasii ad Ursicinum episcopum.* Cf. Baluzius in conc. col. tom. V, coll. 411, qui eadem fragmenta sub nomine Anastasii II ex mss. Bellov. et Corbej. vulgavit.

[5]) Hoc quidem argumentum cadit, si plures ejusmodi epistolas nunc *Gelasii* nomine insignitas ab ipso quidem scriptas, sed nomine Felicis datas missasque esse posuerimus, quales sunt prae omnibus Gelasii epistola 1 proxime antecedens et tractatus 1. Sed alia ex parte contra Gelasium hoc accedit argumentum, quod ipse epistola 7 Dardanis pontificatus sui initia indicans res ecclesiasticas illius regionis longe alias supponit, quam quae nostra epistola memorantur.

Digitized by Google

episcopos Dardaniae et Illyrici n. 4: *Noverit autem vestra fraternitas, ecclesiae Thessalonicensis antistitem nostris adhortationibus saepius incitatum contagia communionis externae nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii vel ceterorum similium perfidorum hisque communicantium congrua professione damnasse.* Nam ex Felicis epistola 18 et ex libello, quem dederunt apocrisiarii Alexandrinae ecclesiae legatis ab Anastasio papa Constantinopolim missis (Anastasii II epist. 5 n. 4) constat, unum eumdemque Andream toto pontificatus Gelasii tempore Thessalonicensi ecclesiae praefuisse, adeoque locum non esse, quo Gelasius in duabus illis epistolis de diversis ecclesiae illius antistitibus locutus esse sentiatur.

2. Sed hac epistola Anastasio restituta, cum hac apprime congruent res monimentis antiquis proditae. Nam quae in praedicto libello narrant Alexandrinae ecclesiae apocrisiarii, fidem faciunt, Andream Thessalonicensem episcopum statim ab ordinatione Anastasii II legatum ad eum misisse et cum eo de pace ecclesiarum conseruisse verba et pro ecclesiis ad unitatem revocandis allaborasse. Quod autem haec epistola in ms. Vaticano, unde eruta est, *Laurentio de Lignido*, fragmenta vero ejusdem *Ursicino* in pluribus mss. inscribuntur, neminem movere debet, quum Romanorum pontificum sollemne sit, plura ejusdem epistolae exempla singula singulis ejusdem provinciae episcopis mittere. Excepto igitur exordio, quod forsitan Laurentio, quia ipse prior scripserat, proprium erat, de cetero parem Ursicino epistolam missam fuisse valde probabile est.

3. Ne tamen lectori incommodum faciamus, qui epistolam hanc inter Gelasianas legere consuetus, si non invenerit, facile turbetur et ubi jam quaerat anxius haereat, utque simul fidei codicum morem geramus, qui eamdem fere omnes Gelasio inscribunt: ita rem disposuimus, ut illius inscriptionem et initia etiam hoc loco (*Gelasii epistolam* 2) ponamus, textum ipsum autem et notas criticas pro *Anastasii II epistola* 3 subjiciamus. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 3 („*Quod plena*").

1. Epistolam hanc quum veteres conciliorum collectiones, tum epistolarum pontificiarum editio Romana, tum etiam Baronius ad annum 492 n. 10—25 praebent. In notis canonum collectionibus deest, solum in Veronensi 46, Acacianorum documentorum collectione, et in posterioribus Pseudo-Isidori additamentis (codicibus in editione Hinschii *classi C* attributis) habetur. Pro textu ejus emendando hic codices Corbejensis et Remigianus nec non Vaticanus 1340 adhibiti sunt. [Ed.]

2. Litteras alias non *communicatorias* quidem sed *commonitorias*, quae exciderint, ante a Gelasio ad eumdem Euphemium scriptas esse Baronius arbitratur. Aliud tamen suadet ipsum epistolae prooemium. Ibi nempe notatur, primum Euphemium aliquamdiu exspectasse, num Gelasius pontificatum iniens litteras ordinationis suae indices ipsi de more mitteret; sed quum nihil acciperet, eumdem praeveniendum duxisse, ut sic provocatus, si non salutasset primus, saltem secundis seu secundus salutationis vicem rependere non dedignaretur. Nunc vero ad primas illas Euphemii litteras rescribit Gelasius. Unde mihi demonstratum videtur, nullas alias ad Euphemium illius nomine praecessisse. Verum non ignorabat idem pontifex, quas Euphemio litteras Felix scripserat quasve ipsi proposuerat ineundae pacis conditiones. Et quia necdum adduci potuerat ille praesul, ut eis morem gereret, non alia quaerenda est causa, cur paullo asperius cum illo agat, quam postulare videantur litterae illius verbis officiosissimis atque observantiae plenis refertae. Hinc prorsus manifestum est, epistolam istam ad ipsum Gelasiani pontificatus initium non attinere. At nihil vetat, quominus ad exitum anni 492 vel circiter referatur. Ea enim impatientia, qua Euphemius Gelasii communionem expetebat, hujus sibi conciliandae multam moram interponi non sinebat. Illum a

Digitized by Google

Romano papa scripta suscepisse tradit Liberatus breviar. c. 18, ubi praesertim epistolam hanc nuncupari haud temere sentiamus.

In Gelasii papae epistolas 4—6 („*Licet*" etc.).

[a¹] 1. Tres illas epistolas eminentissimus cardinalis Baronius jam penes se habebat ex Vaticano codice erutas et cum altero pervetusto exemplari s. Petri in Avellana monasterii in Umbria contulerat, quum Romae in epistolarum pontificiarum collectione prodiere. Unde nulla habita ratione Avellanensis codicis satis habuit duorum priorum initia suis annalibus inserere. Nobis igitur eumdem codicem, qui nunc in Vaticana bibliotheca asservatur, denuo recognoscere visum est operae pretium [1]).

2. De tempore, quo duae priores conscriptae sunt, disceptatur. Prima quidem consulatu consignatur Fausti. Sed quum is consulatus in annum 490 cadat, quo Gelasius Romanae ecclesiae regimen nondum susceperat, Baronius hanc notam falsi suspectam habet, et *Albino* pro *Fausto* substituendum esse arbitratur. Ad hanc autem opinionem non alia videtur ratione inductus, nisi quod e tribus istis epistolis postrema ad episcopos per Picenum constitutos Albini consulis nomen in fine adscriptum habeat. Verum etiamsi haec pariter adversus Pelagianam haeresim pugnat, inde tamen non sequitur, ut et eodem tempore conscripta fuerit. Jam vero observavimus, Felicis II epistolam 16 *Fausto consule*, in cujus consulatum re ipsa convenit, consignatam, Gelasio nihilo minus in archetypo exemplari [2]) adscriptam esse. Nec alia occurrit hujus rei ratio, nisi quia Gelasius jam ab anno 490 Felici ab epistolis fuerit, atque praedicta epistola Felicis auctoritate ac nomine, ipsius calamo et ingenio scripta sit. Quum autem nihil obstet, quominus id ipsum circa epistolas illas contigisse sentiamus, ut nimirum Felicis nomine ad Honorium missae, postea Gelasii nomen retinuerint, quia scriptae ab illo fuerunt, ideo veterum codicum fidei haerendum et *Fausto consule* retinendum esse duximus. Hinc et epistolarum illarum primam sicut et sequentem, quam non longe post missam esse et Honorii impatientia suadet et Gelasii caritas, Felici restituere liceret. Verum quum Gelasii nomen prae se ferant nec ullum appareat incommodum, si inter pontificis hujus scripta collocentur, immo quoddam sit commodum tres epistolas, quas veteres codices conjunctas repraesentant, quaeque ad eamdem haeresim confutandam attinent et ad eumdem pertinent scriptorem, ita ordinatas haberi, ut continua et non intermissa serie legi possint, eas hic censuimus exhibendas.

In Gelasii papae epistolam 5 („*Miramur*").

[Ed.] Epistolam hanc non longo post superiorem intervallo ponendam esse et impatientia Honorii et Gelasii caritas persuadent. Quemadmodum enim ea commotio, qua Honorius Gelasii admonitionem excepit, eum diutius sustinere non permisit, quam sibi ab eo factam putabat injuriam, ita et Gelasium ursit caritas, ut perturbationem illius quamprimum sedaret.

In Gelasii papae epistolam 7 („*Ubi primum*").

[a³] Vaticanis typis anno 1591 *ex vetusto codice Vaticano* primum prodiit. Eam ad alterum ejusdem bibliothecae exemplar, quod olim monasterii s. Petri in

---

[1]) Nec nos nova collatione Vaticani 4961 nobis supersedendum rati, plura menda feliciter submovimus. Unde *Vaticanum* illum Coustantii vel prorsus alium codicem, aut ab amanuensi viri doctissimi haud aequa sollertia recognitum esse deprehendimus. *Ed.*

[2]) Immo hoc quidem supra solum de Felicis epistola 14 observatum est, sed fortasse pro tota illa epistolarum ejusdem temporis serie dictum valet. [*Ed.*]

Digitized by Google

Avellana fuit [1]), recognovimus. Ejus praeterea duo fragmenta, quae codex Corbejensis Nicolao I pontifice exaratus asservat, contulimus. Ab ejus exordio Gelasius illam scribere se testificatur, *ubi primum respirare fas est a continuorum tempestate bellorum:* adeoque et post epistolas 4 et 6, in quibus respirare necdum sibi licuisse queritur, concinnasse, et circa id tempus, quo superiorem misit, utpote in qua pariter *barbaricis hactenus incursibus* se afflictum praefatus, barbarica illa bella recens quievisse innuit. Primum autem anno 493, pace inter Theodoricum Gotthorum ducem et Odoacrem Herulorum regem Februarii die XXVII composita atque hujus septem post diebus secuta nece, bella illa quieverunt. Unde hanc epistolam ad annum 493 pertinere colligitur. Et id quidem Gelasius ipse infra n. 2 confirmat, ubi Eutychetis haeresim *jam ante annos fere quadraginta quinque* natam docet. Anno enim 448 nata est haec haeresis. Notandum est, hanc epistolam per *Ursicinum episcopum* transmissam dici (n. 1), ne ea ipsa esse existimetur, quam Dardaniae episcopi epistola 11 n. 2 *Tryphone viro religioso deferente* sibi redditam [2]) renuntiant. [Quumque in Vaticano 4961 fol. 28 ejus [Ed.] inscriptioni haec addatur nota *sicut etiam cunctis fratribus per Dalmatias destinata est*, eam encyclicam fuisse recte concludemus. Quod idem et finis epistolae probat.]

In Gelasii papae epistolam 8 („*Quamvis*").

1. Ex codice Veronensis capituli signato Nr. 46 primum prodiit curante [Ed.] Francisco Blanchino in editione Anastasii biblioth. tom. III col. 51, deinde recusa a marchione Maffejo in Coleti coll. conc. tom. V col. 206 sicut in appendice hist. theol. pag. 235. Denuo ad trutinam dicti codicis vocavit et edidit Josephus Blanchinus in Jacobi Sirmondi opp. var. Venetiis 1728 tom. IV p. 573, unde repetierunt Mansius collect. conc. t. VII, 1096 et Migne patrolog. curs. complet. tom. LIX col. 24. Titulum quidem hujus et sequentis epistolae etiam illa tabula documentorum Acacianorum praebet, quam teste Hinschio l. c. pag. XLXII corpori collectionis Pseudo-Isidorianae praemittunt codices Parisiensis 4280 AA., Pistoriensis n. IX, Lucensis n. 123 et Bambergensis C. 47, hoc modo: *Item epistola beati Gelasii ad Succonium episcopum Affrum. Item ejusdem ad Natalem abbatem.*

2. Data fuit ad Natalem abbatem quemdam, ut suspicari licet, Dardaniae aut vicinae regionis, qui litteras fervoris catholici plenas ad Serenum episcopum direxerat itaque Gelasii animum in se converterat. Quapropter sollicitus papa, quo magis ejus zelum accenderet et opem in gravissimis dissensionum concertationibus sedi apostolicae adscisceret, quum *ad episcopos per Dardaniam constitutos competentia scripta* daret, sane eodem Ursicino deferente propriam hanc ad illum addidit epistolam quasi encyclicam omnibus Dardaniae provinciae monachis reddendam (conf. n. 3). Unde nec mirabimur, quod ipsa illis *scriptis* apparet et sensu et verbis simillima, et eam prorsus eodem tempore anni 493 scriptam esse recte conjectabimus. Denique eumdem *Natalem* esse, ad quem *episcopum* epistola 29 directa, et *Serenum* illum ipsum esse Nolanum episcopum, qui et synodis Romanis annis 499 et 501 subscripsit et in Gelasii epistola 39 et fragmento 13 memoratur, haud levis suspicio est.

[1]) Est Vaticanus 4961. Nec tamen nobis nova collatione supersedendum rati sumus, unde revera plura menda, quae supererant, corrigere licuit. [*Ed.*]

[2]) Tillemontius autem, quem sequitur Josephus Blanchinus (in Sirmondi op. t. IV p. 580), eamdem utroque loco epistolam dictam esse autumat. Gelasium enim, ait, Ursicino quidem demandasse munus exhibendae illius epistolae, hunc autem quum ob aliquot rationum momenta nobis jam ignota exsequi Gelasii jussa non potuisset, Tryphoni tradidisse, qui statim ad Dardanos profectus. Nec abhorret argumentum ipsum epistolae 7, si cum Tryphonis ista epistola conferatur. [*Ed.*]

Digitized by Google

In Gelasii papae epistolam 9 („*Quum iuae*").

[Ed.] 1. Et haec epistola ex eodem codice Veronensi 46 iisdem auctoribus producta et publici juris facta est. In notitia illa episcoporum, qui ex edicto Hunerici regis anno 484 Carthaginem convenerunt, quam ex codice Laudunensi primus edidit Sirmondus et posteriores editores Victoris Vitensis in appendice addiderunt (Migne Patr. lat. tom. 58 col. 269), vocatur *Sacconius Uzalensis* (vel *Uzialensis*) *provinciae proconsularis*. Qui idem esse, ad quem nostra haec epistola data, facile creditur. Nam plures illorum episcoporum ingravescenti tyranni persecutioni se fuga subduxisse, partimque Italiam, alios Constantinopolim petiisse, ex Victore Vitensi aliisque earum rerum monumentis palam fit. Ubi eosdem propter praeclaram Christi confessionem aeque magni aestimatos fuisse, atque ipsorum lapsum ecclesiae et orthodoxis scandalum praebuisse, abunde patet. Hinc ille Gelasii de Succonio dolor, hinc ut eum a fraude haereticorum revocet, praepotens studium.

2. De tempore, quo scripta sit haec epistola, etsi desint certae notae, unde enucleari possit, tamen eam ad eamdem Fausti magistri legationem anni 493 referendam, itaque eodem cum superiori tempore a sollicito pontifice datam esse putaverim. Nec propter persecutionem Vandalicam, quae in eadem etiamtunc vigens ponitur, eam cum marchione Maffejo contra archetypi fidem *Felici* adscripserim. Nam etsi Guntamundus ab anno 484 Vandalorum rex, in catholicos indulgentior, aliquot episcopos ecclesiasque eorum statim restituit, tamen persecutionem non prorsus desiisse, multis documentis patet. Immo eum demum *decimo anno regni sui* (i. e. anno 494) *ecclesias catholicorum aperuisse et omnes Dei sacerdotes petente Eugenio Carthaginensi episcopo de exilio revocasse*, docet fragmentum Chronici Prosperi a Canisio lect. ant. tom. I vulgatum (cf. Ruinart in hist. pers. Vand. comm. hist. cap. 10). Unde satis constat, exilium istud non necessario flagitare Felicis tempora, sed cum Gelasii pontificatu optime convenire.

In Gelasii papae epistolam 10 („*Ego quoque*").

[a³. Ed.] 1. Hoc scriptum vetustis exemplaribus codicis a Quesnello vulgati acceptum habemus, indeque Isidorus Mercator in collectionem suam transtulit. [Praebetur etiam in probatissimae notae codice Veronensi 46 collectionis in causa Acaciana adornatae.] In praevio indice generali Colbertini codicis ita designatur: *Gelasii papae ad Faustum in legatione ad orientem directum instructio super damnatione Acacii;* quum tamen is titulus eodem in codice sit epistolae ipsi praefixus, qui et in ceteris Quesnellianae collectionis exemplis: *S. Gelasii papae commonitorium Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopoli.* Quem titulum Isidorus Mercator retinuit. Vitiosa est autem Remigiani exempli lectio: *epistola Gelasii papae ad Faustum Magistrianum* etc., quum Faustus officiorum magister, non *magistrianus* fuerit. Citatur ab Algero lib. *de misericordia et judicio* cap. 69 et 74 sub nomine *epistolae Gelasii ad Euphemium.* Quod unde hauserit, nescio; potius *adversus*, quam *ad* Euphemium inscriberetur.

2. Baronius observat ad ann. 493, Faustum cui inscribitur unum ex iis exstitisse legatis, quos Theodoricus post Odoacris necem Italia tota potitus ad Anastasium cum epistola, quae apud Cassiodorum *var. lect.* prima exstat, destinavit; legationem porro illam non nisi circa mensem Novembrem anni 493 missam esse, id vero colligi e superiori Gelasii nostri epistola 6 Kalendis Novembris ejusdem anni consignata, in qua pax inita pridem composita et bella recens sedata memorantur; ac demum hoc commonitorium Fausto non traditum fuisse, quum Constantinopolim est profectus, sed quum mora ibi jam aliqua facta et se, ut Graecos ad parendum Gelasio adduceret, operam dedisse, et eos obstinatos permanere Gelasio renuntiasset. Unde sequitur, ut hoc commonitorium non ante anni 494 initia

Digitized by Google

conscriptum sit. Sed prius est concedendum, legationem praedictam non statim ab Odoacris nece, quae Martii die V ponitur, missam esse, sed aliquanto post fuisse dilatam.

3. Denique nobis silentio non praetereundum videtur, quod Scipio Maffejus [Ed.] in praefatione celeberrimo suo *supplemento Acaciano* praemissa commonitorium nostrum inter illa monumenta ponit, quae nonnisi ita *perturbata atque intermixta ad nos pervenerunt, ut tamquam Sibyllina carmina foliis mandata „rapidis ludibria ventis" volitasse* dicenda sint. Quibusdam locis enim, ait, labare connexionem, ad finem prorsus perire. Nam ab iis n. 7 *Illud autem nimis est impudens* usque ad ea *in suam traduceret pravitatem* diversam videri epistolam, ac quidem Felicis, a quo Andromachus *instructus fuerit, ut Acacium cohortaretur*. Sequentem deinde periodum redire ad anteriora, at subsequentem usque ad verba *Non est mirum* rursus Felici tribuendam. Neque doctissimi, pergit, Baronii sufficere interpretationem, ut nempe ex persona apostolicae sedis Gelasius loquatur. Illa enim n. 8: *quod ait, si necesse fuerit veniam postulare, existimans nimirum tunc se peccati veniam necessario postulare, si ei concedamus ne peccare desistat*, Acacium etiamtunc hac aura vescentem manifesto ostendere. Deinde iterum cum Graecis, etsi confuse, rem esse; at ea in fine *Neque plane cum istis non corrigentibus ineunda congressio* ad supra posita referri *nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienae*.

4. Non nego, multis locis commonitorii nostri argumenta abrupta congeri orationisque justum ordinem desiderari. Verum ea quidem ratio omnis ejusmodi indiculi esse videtur, qui legato pro diversis causis forte intercidentibus instructionem praebere parat. Certe ibi strictam sermonis dispositionem fere nunquam inveneris. Nec magis nos movet alia viri sagacissimi adversio, Acacium ibi etiamtunc vivum produci. Nam etsi eodem diserte negante, tamen Baronio assentiendum est, ex persona sedis apostolicae Gelasium ibi loquentem accipi posse. Nisi forte quis id admittere maluerit, quod similiter scrupulum omnem adimit, scilicet Gelasium re vera ipsum illam rem cum Acacio egisse, quum jam, ut saepe monuimus, per ultimos Felicis annos controversiarum orientalium quasi judex delegatus extitisset. Certe hujusmodi salebrae contra diversissimorum probatissimorumque codicum auctoritatem probare nihil valent.

In Gelasii papae epistolam 11 („*Saluberrima*").

E Vaticano codice primum Romae anno 1591 excusa est. Illam Dardaniae [a³] episcopi non superiori epistolae 7 per Ursicinum episcopum missae, sed posteriori per Tryphonem sibi transmissae rescribunt. Nempe quum Gelasius Orientalium pertinaciam et ad manifestum schisma propensionem Fausti legati litteris, ut in epistola proxima n. 1 videmus, comperisset, Dardanis sibi denuo scribendum duxit, quo eos ab eorum sequendis vestigiis deterreret. Hoc sane innuit, quod n. 1 profitetur: *Si qui forte prava intentione, quod neque arbitramur neque optamus, a sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur*. Quocirca ut posterior Gelasii ad Dardanos epistola eodem tempore, quo superius commonitorium ad Faustum, missa, ita et haec Dardanorum paullo post rescripta non immerito censeatur.

In Gelasii papae epistolam 12 („*Famuli*").

Exstat in iisdem collectionibus et veteribus libris, in quibus superior epi- [a³] stola 10. Qua autem occasione sit scripta, Gelasius indicat in ipso ejus exordio: se videlicet a Fausto magistro et sociis in Urbem e sua legatione reversis admonitum, *quaesisse* Anastasii *clementiam, cur* legationis opportunitate neglecta *salutationis scripta* ad se non misisset, *perpendisse, non immerito sibi reputandum*,

Digitized by Google

si taceret. Unde epistolam hanc duabus superioribus nec anteriorem nec multo posteriorem esse facile quisque judicabit.

In Gelasii papae epistolam 13 („*Inter ingruentium*").

[a³] Epistolam hanc in schedis Hieronymi Vignerii relictam Lucas Dacherius a fratre illius Benjamino accepit, et Spicilegii tomo V p. 581 in lucem emisit. Quam ob causam scripta, qua occasione missa sit, ipsa epistola explicatur. Nempe Rusticus Lugdunensis, Aeonius Arelatensis, ac forte alii Galliarum episcopi de tristi Italiae statu permoti subsidiaria ad Gelasium munera miserant, eaque recens acceperat is papa, quum Theodoricus Italiae rex Epiphanium Ticinensem episcopum ad Gundohaldum Burgundiorum regem ad gentis suae relevandas miserias et redimendos captivos legatum destinavit. Hujus igitur legationis opportunitatem nactus Gelasius hanc ad Rusticum scripsit epistolam, tunc ut gratum de acceptis muneribus animum testificaretur, tum etiam ut Epiphanium ei commendaret.

In Gelasii papae epistolam 14 („*Necessaria*").

[a³] 1. Haec epistola antiquis collectionibus scilicet [Vaticana Reg. 1997], Dionysii Exigui atque Hadriani I, nec non in Langobardica, Hispana, Isidoriana, ut et in veteribus codicis a Quesnello vulgati exemplaribus exhibetur. Eam laudant veteres canonum compilatores Cresconius, Anselmus Lucensis, Ivo, Polycarpus, Gratianus, item concilia Parisiense VI, Suessionense III etc. Sed in variis illis monumentis non una est ejus inscriptio. In aliis enim *ad universos episcopos*, in aliis *ad quasdam Italiae provincias* notatur scripta. Utra vero e duabus illis inscriptionibus praeferenda esset, aliquamdiu haesi.

2. Et in veteribus quidem Quesnelliani codicis exemplis inscribitur: *Dilectissimis fratribus universis episcopis Gelasius.* Unde inducimur, ut eam ad omnes episcopos pertinere sentiamus. Idem suadet et haec, quae in Langobardico Colbertinae bibliothecae [nec non in Vatic. Reg. 1997, Vaticano 1342 et Barberino 2888] illi praefigitur, epigraphe: *Incipiunt statuta Gelasii papae. Gelasius episcopus universis episcopis per unamquamque provinciam constitutis.* In eam quoque sententiam nos inducunt quum Dionysius Exiguus, a quo haec epistola in praevio indice generali *papae Gelasii generale decretum ad omnes episcopos* nuncupatur, tum Hadrianus I, qui Dionysianum indicem eo loci intactum reliquit[1]). His etiam suffragatur libri pontificalis scriptor, ubi epistolam istam notat his verbis: *hic fecit constitutum de omni ecclesia.* Hac quippe loquendi ratione decretum designare solet, quod ad ecclesiam pertineat universam. Demum eamdem epistolam ut *ad omnes episcopos* scriptam Polycarpus citat.

3. Verum in Hispana collectione quamvis pariter vocetur *papae Gelasii generale decretum*, inscribitur tamen *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutis.* Hinc et in pervetusto canonum codice ad Hispanae ecclesiae usum concinnato, ubi epistolae hujus exscribitur exordium, eadem ei praemittitur inscriptio; quamvis aliis in locis, ubi subjecta referuntur decreta, vel *generalis epistola* vel *generale decretum* vel simpliciter *decretum Gelasii papae* appellatur. Porro Isidorus Mercator eum ipsum titulum, quem Hispana collectio prae se fert, retinuit, ejusque auctoritate varii canonum compilatores Anselmus Lucensis, Ivo, Gratianus et alii eamdem epistolam laudant ut *ad episcopos Lucaniae, Brutiorum atque Siciliae* scriptam: Iisdem concinunt et omnes editiones.

4. In hoc codicum dissidio nihil temere sequendum duximus, maxime quum

---

[1]) Immo hoc modo quasi ampliavit inscriptionem: *Incipit epistola papae Gelasii. Papae Gelasii generale* (H⁵ H¹⁵ *generaliter*) *decretum ad omnes episcopos de institutis ecclesiasticis moderate pro temporis qualitate dispositis.* [Ed.]

Digitized by Google

nostra intersit nosse, utrum ad unos Italiae episcopos, an etiam ad alios haec epistola scripta sit. Ipsum igitur expendimus epistolae corpus. Neque vero ibi cap. 1 et 15 desunt momenta, unde inscriptionem, quae obtinet, praeferendam esse nobis persuadetur. Primo enim ad eam scribendam sese Gelasius permotum esse ait relationibus, quas quum a Johanne Ravennate episcopo, tum ab aliis de Piceni partibus acceperat. Unde illam propter Italos scriptam esse conficitur. Id confirmant, et quae ab ipso exordio praefatur idem papa: scilicet sese *reparandis militiae clericalis officiis* operam dare, *quae per diversas Italiae partes belli famisque consumpsit incursio*. Praeterea id, quod de basilicis noviter constructis cap. 4 praecipitur repetiturque cap. 25, eas nimirum *non petitis ex more sedis apostolicae praeceptionibus dedicare nemini licere*, de universis totius ecclesiae episcopis dictum intelligi repugnat. Quippe in toto orbe nulli nisi ex auctoritate sedis apostolicae novas ecclesias consecrare tunc licuisse, quis assentiat. Hunc autem usum in Italiae provinciis obtinuisse, tunc ista Gelasii scripta tunc plures Gregorii I epistolae fidem faciunt. Forte et postea idem usus in aliis quibusdam provinciis receptus est. Certe saeculo nono desinente Johannem VIII s. Jacobi ecclesiae, quam Compostellae Alphonsus III rex construxerat, consecrandae potestatem facere tom. IX concil. ed. Lab. pag. 219 legimus. Denique generales illas querelas, quas Gelasius cap. 14, memorat, si cum subjectis epistolarum ipsius fragmentis contulerimus, eas ad speciales Italiae provincias pertinere haud aegre largiemur.

5. Cur autem *generale decretum ad omnes episcopos* a Dionysio aliisque nuncupetur, si quis quaerat, haud aegre hujus rei afferatur causa. Primo enim antiquis id contingere potuit, quod etiam nunc pluribus accidit, ut quum opera, quorum tituli sunt prolixiores, citare coguntur, prima eorumdem titulorum verba referre satis habeant. Hinc ab Anselmo Lucensi haec ipsa epistola nunc simpliciter ut *omnibus episcopis*, modo ut *omnibus episcopis per Lucaniam, Brutios et Siciliam* inscripta laudatur. Nec alia fuit causa, cur in veteri canonum codice ad usum ecclesiae Hispanae concinnato nonnunquam epistola *ad episcopos per Lucaniam etc.*, saepius *generalis epistola* vel *generale decretum* appelletur. Praeterea monito in epistolam 5 Siricii n. 8 observavimus, id Romanis pontificibus moris fuisse, ut quae propter speciales quasdam ecclesias ediderant decreta, ea etiam ad alias mitterent. Nihil autem videtur incommodi, si Gelasius hic eumdem majorum morem imitatus credatur.

6. Hac etiam in re eosdem est imitatus, quod non sine synodo celebre illud decretum composuit. Hinc idem epist. 20 ab ipso commendatur, ut quod *tantorum collectione pontificum sub omnium saluberrimae provisionis assensu perfectum* fuit. Ejus autem duas partes distinguendas esse ipse cap. 24 docet, ubi sic loquitur: *De monachis laicisque copiosius in primae praeceptionis hujus parte digestum*. Rursum in epist. 25 duplicis hujus partis distinctionem aperte indicat his verbis: *Praecepta synodalia, quae ante paucos menses de sede nostra ad provinciam sunt directa, et antiquis canonibus consentiunt, et ea, quae minus esse probantur, addidimus, et in utraque parte constat* etc. Neque solum inde partium illarum distinctionem, sed et distinctionis hujus rationem compertam habemus. Hi nempe Gelasius id, quod antiquis canonibus sancitum erat, primo firmare, ac deinde quod eisdem deesse vel minus esse videbatur, supplere se studuisse monet. Nec alia quaerenda est ratio, cur eaedem res primis in capitibus jam tractatae, iterum subinde in posterioribus tractentur et explanentur.

7. Totam epistolam Dionysius Exiguus et Hadrianus I. in 28 capitula, Hispanae autem collectionis compilator et Isidorus in 30 diviserunt. Non aliud tamen inter eos est discrimen, nisi quod e duobus primis in Hispana collectione et apud Mercatorem quatuor confecta sunt. Et nos quidem divisionem Dionysianam ut antiquiorem, et quam Cresconius, concilium Parisiense VI, Suessionense III, Hinc-

Digitized by Google

marus sequuntur, praeferimus. Ubi vero apud alios canonum compilatores indicatam lector offendet, primo inde admonebitur, offerri sibi epistolae hujus capitulum vel ex Isidoriana vel certe ex Hispana collectione descriptum, deinde arduum ei non erit alteram illam divisionem ad nostram divisionem revocare. Ubi enim sextum laudabitur, in quarto e nostris quaerendum erit, ubi septimum, in quinto invenietur, et sic deinceps ad finem. Majoris enim momenti erit recolere, quod observavimus: epistolam istam primo ad quasdam Italiae provincias scriptam esse, adeoque nonnulla continere, quae regionis hujus episcoporum propria sunt, quamvis multa eis admixta sint decreta generalia, quae ad omnes ecclesias aeque pertineant.

In Gelasii papae epistolam 15 („*Probabilibus*").

[a². Ed.] 1. Constituta subnexa, quae Labbeus *e codicibus*, ut loquitur, *fide dignis* ad calcem tractatuum Gelasii jam ediderat, in duobus perantiquis Colbertinae bibliothecae exemplaribus, uno scilicet not. 784 Langobardicis characteribus exarato et altero not. 3368 ab annis saltem 800 descripto, [sicut in Lucano 88, Barberino 2888, Vallicellano A 5 et in Vaticano 5845, vix minoris antiquitatis codicibus, reperiuntur. In omnibus iis excepto ultimo] proximae Gelasii epistolae cum titulo, quem duximus servandum, subjiciuntur. Formulam exhibent ei decreto, quod Justinianus imperator Novell. 123 cap. 1 episcoporum electioni praemitti jubet, consentaneam. Eam contexuisse videtur Gelasius, qui in manuscriptis et in fronte et ad calcem adscribitur, ut decretorum, quae in epistola superiori sanxerat, exsecutioni prospiceret. Exinde fluxit mos, saltem in Italia, ut episcopo cuique in ordinatione sua, uti nos docet titulus, traderetur [unde et in librum diurnum Romanorum pontificum cap. III tit. 9 relata est]. Hanc certe consuetudinem Gelasio recentiorem non esse subsequens epistola 16 confirmabit. Ad eamdem haud dubie respexit Gregorius I, quum ad Augustini interrogationem respondit (epist. XI, 64): *Mos autem sedis apostolicae est, ordinatis episcopis praeceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones.* Et is quidem papa Johannem episcopum e Lissitana civitate, quae ab hostibus capta fuerat, in Squillacinum transferens, totum Gelasianae hujus formulae caput I ei repetere non omittit (epist. II, 37), licet eamdem ipsi in prima ordinatione, uti prope certum videtur, jam tradidisset. Ejusdem quoque formulae verbis Gregorius II Bonifacii Moguntini episcopi ordinationem, uti testis est quae apud eumdem Bonifacium exstat epistola 154 (ed. Giles ep. 10), renuntiavit. Immo anno 978 quum Stephanus Cajacensis ecclesiae praesul electus esset atque ordinatus, Gerbertus confirmationis ejus decretum ad clerum et populum Cajacensem misit his verbis[1]): *Fratrem jam et coëpiscopum nostrum Stephanum vobis ordinavimus sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationem praesumat illicitam*, et cetera ex eadem Gelasii formula expressa.

2. Rationem vero, cur in illa formula peculiaris de Afris ad ordinationem non recipiendis mentio fiat, monito in epistolam 13 Felicis II n. 2 jam attigimus: nimirum Felice II pontifice contigit, ut Afri plures dira Genserici et Hunerici persecutione exagitati, baptismum iterato susciperent, ac deinde varias in regiones dispersi, etiam sacros ambirent ordines, tametsi ecclesiasticae leges denuo baptizatos, quemadmodum et haereticos aut ab haeresi venientes, a clero arcebant. Haec autem disciplina ne quavis ratione temeraretur, quum Gelasius Felici proxime successisset, formulae ordinatis episcopis tradendae praedictam de Afris clausulam inserendam duxit. Quod si ita est, inquiet aliquis, saltem sublata causa removeri debuit et clausula. Diu tamen retenta est. Eam enim non modo in epistola, qua Gregorius I Johannem

[1]) Hae quidem Gerberti Capuani litterae leguntur apud Ughelli Italia sacra ed. II tom. VI p. 442.

Digitized by Google

Squillacinae ecclesiae episcopum constituit, sed in iis etiam litteris, quibus et Gregorius II Bonifacium Moguntinum et Gerbertus Stephanum Cajacensem a se ordinatos significant, legimus. Sed ea vis est consuetudinis, maxime circa formulas diuturno usu receptas, ut rarius in eis quidpiam mutetur. Hincmarus tamen in litteris Hedenulpho episcopo a se ordinato datis et clero, ordini atque plebi inscriptis, plura formulae consuetae verba sic servat, ut quod nominatim de Afris in ea cautum est, penitus reticeatur. Has porro litteras sic auspicatur: *Sicut b. papa Innocentius docet, oportet nos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua principium sacrae institutionis nos accepisse dubium non est. Propterea documento ac verbis b. Gregorii vos alloqui procuramus, insinuantes, quia probabilibus desideriis vestris nihil attulimus tarditatis, fratrem jam et coëpiscopum nostrum Hedenulphum vobis ordinantes ... Cui his litteris, quas sacri canones ordinatos prius de conciliorum placitis, ne se aliquid contra eorum statuta egisse poeniteat, instructos ab ordinatoribus suis manibus eorum conscriptas jubent accipere, secundum traditionem ecclesiasticam dedimus in mandatis: ne unquam ordinationes praesumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem, si de conjugatis agendum est, non est sortitus uxorem, neque illiteratum*... et cetera nostrae formulae instar usque ad verba *non audeat promovere* (Sirmond. conc. Gall. I p. 658, Hincmari ep. 52 ed. Migne Patr. lat. t. 126 col. 271). Ubi notandum, Hincmarum testari, ita se in dandis illis litteris ecclesiasticae traditioni morem gerere, ut nominatim ecclesiae Romanae hac in re consuetudinem sequi se profiteatur. Deinde neminem movere debet, quod ipsis etiam Gelasianae formulae verbis utens, *documento ac verbis b. Gregorii* alloqui se scribat. Ita enim locutus est, quia quum ejusdem formulae partem a Gregorio usurpatam ac litteris ipsius insertam legisset, eam etiam ab ipso primum conscriptam esse existimavit. Sed ejus auctorem se non esse ipse Gregorius vel verbis superius allatis satis significat.

In Gelasii papae epistolam 16 („*Concesso*").

Ab Anselmo Lucensi collectionis canonum lib. 6 cap. 47 (43) inserta, exinde- [a³. Ed.]
que a Luca Holsteniō in *collect. Rom. bipartita* pag. 217 edita est. Pene totam jam habebamus apud Gratianum c. 26 C. XII quaest. 2. Ut antecedenti formulae haec epistola, ita huic epistolae praedicta formula lucem et auctoritatem vicissim praestat. Quapropter gratum simul et commodum lectori fore putavimus, si utrumque scriptum a se invicem non distraheretur. Eam hic ad codices Germanensem et Vaticanum 1364, Anselmi aetati fere aequales, recognitam praebemus.

In Gelasii papae epistolam 17 („*Praesulum*").

Ex Hispana collectione hanc epistolam Isidorus in suam transtulit. In utrius- [Ed.]
que veteribus exemplis asservatur et, ut visuri sumus, jam antiquitus synodis Hispanis rememoratur. Quare viri doctissimi Berardi de ejus authentia haesitationes (in op. praeclarissimo: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti* ed. II Venet. 1783), quum certis nullis argumentis nitantur, admitti non possunt. Eamdem et posteriores canonum collectores decretis suis inseruerunt, ac quidem primam partem Ivo part. III c. 147 et Gratianus c. 2 C. XVI qu. 3, secundam Vaticanus 3832 f. 65ᵇ (cum inscriptione: *ex decreto Gelasii Papae de XXX annorum possessione*), Burch. l. III c. 149, Anselm. l. V c. 19 (20), Pannorm. l. 2 c. 65, Grat. c. 1 C. XIII qu. 2.

In Gelasii papae epistolam 18 („*Audientes*").

Inter pontificias epistolas Romae anno 1591 e Vaticano codice excusa et dein- [Ed.]
ceps cum omnibus librarii mendis ab editoribus conciliorum repetita est. Quam

Digitized by Google

quum nos denuo ad Avellani exempli (Vat. 4961) trutinam revocavissemus, perplures salebras removere licuit; in aliis etiam novi codicis statera desideranda.

In Gelasii papae epistolam 19 („*Inter difficultates*").

[a^{3}] 1. Baronius ad annum 494 epistolam hanc ex Arelatensis ecclesiae codice acceptam primus vulgavit. Eamdem exhibet alter olim Lirinensis monasterii, nunc in Colbertina bibliotheca cum praedicto Arelatensi asservatus, nec non Regius. Ratus fuerat aliquando laudatus cardinalis, Caesarium a temporibus Felicis II Arelatensi ecclesiae praefuisse, adeoque et epistolae huic et aliis Symmachi *Aeonii* loco *Caesarium* substituendum esse; isque error, quem tandem posuit, praejudiciis aliis aditum praebuerat. Jam supra Gelasius epist. 13 n. 1 Aeonii meminit. Et in collatione episcoporum coram Gundebaldo rege adversus Arianos anno 499 habita, in Dacherii Spicil. tom. 5 pag. 110 imprimis memoratur *de Arelatae Aeonius*. Nempe eruditum cardinalem fefellerat altera Felicis ad Caesarium epistola, quam Felicis papae, qui Gelasium praecessit, non qui longe postea successit, esse falso sibi persuaserat, [quem errorem in recognitionibus tomi decimi correxit].

[c^{11}] 2. Denique mirari subit, advertit Labatus conc. Gall. I 655, cur non nisi mense Augusto episcopum Arelatensem consecrationis suae certiorem faciat, quum ejusdem anni mense Januario ad Rusticum Lugdunensem scripserit. Simili tarditate in alios episcopos usus fuerat, cujus causam aperit in ep. 7 ad episcopos Dardaniae his verbis: *Regimen apostolicae sedis indepti, strepitu publico retardante, commissum nobis sacrae dispensationis officium propriis, ut mos erat, litteris nequivimus indicare.* Itaque mense Januario scripsit ad Rusticum, quia Epiphanii Ticinensis sese obtulit occasio. Ad Aeonium scribere distulit, quia turbatis adhuc Italiae rebus clericos litterarum latores itineri committere tutum non erat.

In Gelasii papae epistolam 20 („*Et antiquis*").

[a^{3}. Ed.] Anselmus Lucensis lib. 7 cap. 29 (seu secundum Germanensem codicem cap. 24) et Gratianus c. 9, D. 54 nec non ms. Vatican. 3832 f. 66 sub inscriptione *Gelasii de mancipiis non ordinandis et si ordinantur domino eorum restituendis*, hanc nobis epistolam transmiserunt. Exstat et in Ivonis decreto part. 6 c. 353 sicut in ms. Josaphateo, primis ejus versibus resecatis. In ea Gelasius synodale decretum suum Martii 11 die anni 494 editum ut *novellum* ac *moderuum* memorat. Unde sequitur, ut hoc decreto nec anterior sit nec longe posterior. Quominus autem ad anni 494 exitum referatur, nihil vetat.

In Gelasii papae epistolam 21 („*Frequens*").

[a^{3}. Ed.] Iisdem haec epistola auctoritatibus, quibus superior, fulcitur, nempe mss. Germanensibus Anselmi lib. 7 c. 30 (al. 25), Gratiani c. 10 D. 54, Ivonis decr. p. 6 c. 354, Pannorm. 3, 165, Polycarp. l. 2 t. 31, Vaticano 3832 et ms. Josaphateo. In hoc codice ut et apud Ivonem incipit ab his verbis: *Nuper etenim actores*, omissis superioribus. In Germanensibus mss. integra quidem est, sed simpliciter inscribitur *Gelasius Papa*, nominibus episcoporum praetermissis. In concilio Romano, quod anno 499 celebratum est, praeter *Justum Acherontinum* subscribit etiam *Stephanus Nursiensis* et alter *Neapolitanus;* epistola 35 autem in Vaticano 3832 inscribitur cuidam *Herculentio episcopo Potentino*, (ac *Potentia* quidem in Lucania *Acherontiae* finitima erat). De epistolae hujus veritate ac sinceritate pluribus disserere nil opus est, quum quae ad superiorem ea de re praemissa sunt, etiam in hanc pariter conveniant.

Digitized by Google

In Gelasii papae epistolam 22 („*Quis enim aut*").

Ex ms. Josaphateo nec non ex Ivone p. 4 c. 179 ac p. 6 c. 104, [Pannorm. l. 2 c. 150, Deusdedit p. 4] et Gratiano c. 11 D. 54 exscripta est. Ut in proximis epistolis, ita in hac memorat Gelasius *admonitiones modernas*, hoc est synodalia decreta, quae in epist. 14 sanxit. — Non alius forte est *Rufinus*, cujus nomen prae se fert, quam qui in subscriptionibus concilii Romani anno 499 celebrati *Canusinus episcopus* appellatur. Conciliis autem Romae anno 501 et 502 habitis duo subscribunt *Apriles*, primo quidem *Lateranensis*, alteri vero *Nucerinus* episcopus. Quamvis apud Gratianum absolute sic inchoatur *Quis aut leges* (sine *enim*), haec tamen conjunctio in ms. Josaphateo ut apud Ivonem exstat, quod indicio est, aliquam saltem praefatiunculam desiderandam esse. [a³]

In Gelasii papae epistolam 23 („*Silvester*").

Haec epistola, quam nobis ms. Josaphateus nec non Ivo p. 6 c. 108 et Gratianus c. 13 C. XI quaest. 1 suppeditant, a superioribus separanda non fuit, non solum propter affinitatem materiae, sed etiam quod eam circa idem tempus scriptam esse haud temere conjectemus. Probabile est enim, id quod Gelasius anno 494 epist. 14 c. 14 sanxerat de servis aut originariis praeter dominorum aut patronorum voluntatem ad clerum non adscribendis et si qui jam adsciti essent restituendis, locum dedisse nonnullis, ut clericos etiam manumissos inique repeterent. Berardus tamen et hoc fragmentum falso inscribi judicat, quippe archidiaconorum jurisdictio recentioris sit disciplinae. [a³. Ed.]

In Gelasii papae epistolam 24 („*Christianis*").

Epistolae superiori apud Gratianum c. 12 C. XI qu. 1 haec anteponitur, postponitur vero in Josaphateo ms. Simul ac propter eamdem causam conscriptam esse perspicuum est. Etsi in recentioribus Gratiani editionibus *Ezechiae*, in antiquioribus tamen ut in ms. Josaphateo *Zejae* inscribitur. [a³]

In Gelasii papae epistolam 25 („*Praecepta*").

Ex ms. Vaticano 3832 nec non ex mss. Germanensibus duobus et Vaticano 1364, veterem complectentibus canonum collectionem quae Anselmo tribui solet lib. 5 c. 5, sicuti ex Polycarpo l. 1 t. 12 et Gratiano c. 5 D. 1 de consecrat. huc revocatur. Apud hunc ut in dictis mss. desideratur inscriptio, sed simpliciter sic citatur: *Item Gelasius papa;* in Vaticano autem: *Gelasius quod nova ecclesia non sit consecranda absque sedis apostolicae licentia.* Scriptam esse certum est ad episcopum et, ut quidem videtur, ejus provinciae, ad quam Gelasius *ante paucos menses e sede sua directa* dicit *praecepta synodalia*, hoc est epistolam 14. Unde et epistolae illi 14 hanc paucis dumtaxat mensibus posteriorem esse, adeoque ad annum 494 pertinere colligitur. Ex hac autem consensione cum nox dicta epistola 14 veritas ejus eo magis patescit, quum quas contra eamdem Berardus l. c. II, 370 sq. movet difficultates nullius momenti sint. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 26 („*Valde mirati*").

1. Sub duplici forma epistolam hanc habemus. Nempe in priscis conciliorum editionibus brevior, in Romana autem pontificiarum epistolarum collectione longe auctior atque diffusior est. Utraque tamen forma veterum codicum auctoritate fulcitur. Nam diffusiorem unum exemplar Vaticanum et aliud monasterii s. Petri in Avellana in Umbria; breviorem Regium, Colbertinum olim Thuaneum, Pithoeanum, Remigianum, Navarreum, Veronense 46, uno verbo quotquot exstant collectionis a Quesnello vulgatae seu alterius Gallicanae necnon Isidori Mercatoris exempla. Utriusque formae exemplaria penes Anselmum Lucensem fuisse hoc indicio est, [a³. Ed.]

Digitized by Google

quod in duobus mss. Germanensibus eam compilationem, quae ipsi tribuitur, complectentibus lib. 12 cap. 68 tota describitur diffusior, exceptis tribus locis, in quibus quaedam adsuuntur et aptantur sententiae ex breviori repetitae. Auctor additionum collectionis Dionysianae et Hadrianae in Vaticano 5845 et 1353 ac Vallicellano A 5 duo fragmenta illius[1]) proferens, breviorem formam secutus est. Nunc vero ex duplici illa forma quae potior judicanda quaeve alteri praeferenda sit, excutiendum.

2. Diffusiorem, ex qua in Romana editione prodiit, anteferre, et breviorem, quae prius obtinebat, supprimere non dubitarunt editores conciliorum; hanc autem breviorem e codicis sui fide revocans Paschasius Quesnellus, quae authentica habenda sit, decernere se nolle testatus est sed hoc aliis examinandum relinquere. Non siluit tamen prorsus, quid ea de re sentiret. Nominatim vero notat, ea numeri 4, quibus Romanum exemplar suo auctius est, vel huc aliunde adscita, vel forsan omnino conficta esse, utpote quibus orationis filum et sensum intercipi arbitratur. Rursum et alia, quibus numeri 10 et 11 in eodem exemplari prae suo abundant, ab aliena manu addita se vehementer suspicari admonet his verbis: *Quod enim ait s. Ambrosium Theodosio communionem suspendisse, recentioris stili esse mihi videtur. Quod a Leone papa asserit Theodosium Ephesino latrocinio excedentem libere esse correptum, falsissimum est. Quod denique se ipsum ait Odoacri iniqua praecipienti non paruisse, cum temporum ratione conciliari non potest.* His adjicere potuisset vir eruditus, non solum plures mss. editioni suae suffragari, sed et hanc epistolam a Gratiano pluribus in locis, ab Hincmaro opusc. 55 capitum cap. 24, a Nicolao I papa, Aenea Parisiensi et Hadriano I in privilegio s. Dionysii, cujus exordium est *Quanta beate*, laudari.

3. Verum hac in disceptatione plurimi facienda mihi videtur auctoritas Facundi Hermianensis, qui quum opus suum ante annum Christi 547, adeoque 52 annis, postquam haec Gelasii epistola scripta est, nondum penitus exactis, aggressus sit, authentica ejus exempla et vidisse et citasse nonnisi temere negaretur. At vero lib. 5 cap. 4 locum ex ea satis amplum laudat, cujus maxima pars in editione Quesnelli desideratur, quique contra in Romana et aliis integer est asservatus. Nihil est igitur, cur accessiones hujusmodi aut recentes aut etiam a Gelasii manu alienas judicemus.

4. Neque vero ea objicit vir doctus, quae aliud persuadeant. Quod enim pronuntiat, iis accessionibus, quae num. 4 leguntur, *filum seu contextum orationis sensumque intercipi*, cum bona ipsius venia, qua et addit „*quod aliis examinandum ad meliora properans relinquo*“, examinavimus, et ipsius pronuntiatum hominis nimium festinantis esse probavimus. Nequidquam etiam, saltem post emendatum locum, autumaverit, *recentioris stili fuisse*, *quod* num. 11 dicitur *Ambrosius Theodosio communionem suspendisse.* Verba loci hujus ex mss. Germanensium fide ea sunt: *Ambrosius Mediolanensis sacerdos ecclesiae majorem Theodosium imperatorem a communione publice palamque suspendit;* qua loquendi ratione nihil est Gelasii aetate usitatius. Namque in breviculo historiae Eutychianae, quod a Gelasio nondum pontifice anno 486 adornatum creditur (Gelas. tract. I), legimus num. 10: *Ab illius confirmatione papa suspensus est:* et num. 13: *Papa habita synodo Vitalem et Misenum ab officio et communione suspendit.* Ipse Felix ep. 11 n. 3 scribit: *Vitalem atque Misenum a sacerdotali collegio et communione suspendimus.* Lecturi sumus et in Vigilii papae epist. 19 n. 3: *Te quoque Menam... et vos orientales ... tamdiu a sacra communione*

[1]) Scilicet illa n. 5 *Nec plane tacemus* etc., et *Sed nec illa praeterimus* etc., idque hac inscriptione: *Incipit sententia papae Gelasii, quod sedes apostolica omnium ligata dissolvere possit, ad episcopos per Dardaniam.*

Digitized by Google

suspendimus. Ita et cod. can. eccl. Afric. c. 19 cavetur: *Nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur*, et Liberatus cap. 18 dixit: Calendionem ideo adversariis suis fuisse infensum, *quia se non suspenderet a Felicis papae et Johannis communione*. Ipse demum Gelasius epist. 27 n. 11 scribens: *Neque enim ab omnium, qui Antiocheno Petro communicabant, semet Acacius communione suspendit*, in objecta locutione nihil esse, quod a suo ipsius stilo abhorreat, plane demonstravit. Neque etiam horum: *beatae memoriae papa Leo imperatorem Theodosium juniorem Ephesino latrocinio libere coarguit excedentem*, quae num. 11 legimus, adeo manifesta est falsitas, ut a mendacio vindicari nequeant. Quid enim liberae correptionis nomine donari vetat, quod Leo epist. 43 n. 2 ad ipsummet imperatorem scribit his verbis: *Ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseperabili Trinitate, quae tali facto laeditur, quum ipsa vestri sit custos et auctor imperii; nec alieno peccato patiamini vos gravari: quia, quod necesse est nos dicere, veremur, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur?* Servat quidem reverentiam imperatori debitam, sic tamen servat, ut et eum admoneat officii sui, et ab eo deficientem et excedentem terreat metu judicii. Eamdem libertatem exserit et epist. 44.

Denique nec deest, unde concilietur atque componatur, quod Gelasius ait se Odoacri iniqua praecipienti non paruisse. Quamvis enim Odoacer, Cassiodoro teste in chronico, anno 490, adeoque antequam Gelasius in Petri sedem eveheretur, a Theodorico victus Ravennam fugerit ibique obsessus et inclusus post triennium interfectus sit, nihil tamen opus est, ut de iis, quae jam pontifex gesserit, eum ibi loqui necessario intelligamus, maxime quum eum Felicis in rebus ecclesiasticis administrandis adjutorem exstitisse aliunde exploratum sit. Quo autem probabiliter eo loci spectet, quum ad ipsum locum venerimus, aperiemus.

5. Nec majoris momenti sunt, quas clarissimus marchio Maffejus in *supplemento Acaciano* Quesnelli haesitationibus addit. Praeter Odoacris exemplum enim ea verba n. 11 falsi arguit, ubi Eugenius multique cum eo catholici *nuper* Honorico regi Vandaliae constanter restitisse *hodieque* persecutoribus resistere non omittere dicuntur. Quum scilicet anno 495 signetur nostra epistola, Hunericus autem jam anno 484 e vivis excesserit, haud videt vir doctissimus, quomodo *nuper* contigisse dici potuerit, quod ante annos saltem undecim evenerat. Neque anno illi ea competere existimat *hodieque resistere non omittunt*, quum jam anno 494 Guntamundus episcopos omnes ab exilio revocarit suisque ecclesiis reddiderit. Sed recte Ballerinii *de antiqu. collect.* II c. 11 § 4 respondent, nemini mirum visum fore, illud ante undecim annos factum *nuper* evenisse dici, si animadverterit, ab eodem Gelasio epist. 12 n. 10 Nestorium *nuper* ejectum dici, qui jam ante annos sexaginta ejectus fuerat. Illa vero *hodieque persecutoribus resistere non omittunt*, addunt iidem fratres doctissimi, non de Hunerico sed de Arianis episcopis accipienda sunt, quos apud Guntamundum potentes adversus catholicos ex exilio revocatos plura tentasse dubium non est, ideoque hic *persecutorum* appellatione designatos. Procopius quidem de bello Vandalico c. 8 persecutionem sub Guntamundo haud omnino conquievisse tradit. Quare jam nulla causa est, ut cum eodem Maffejo ponamus, additamenta nostrae epistolae potius genuinae breviori formae ex Gelasii epistola, quam ille quidem Felici attribuit, intrusa esse.

6. Itaque totam illam epistolam, qualis e Vaticani codicis fide expressa est, et authenticam et sinceram et ab omni alienae manus interpolatione puram arbitramur; quum id, quod interpolatum suspicatus est vir clarissimus, et Gelasii esse facundi probet auctoritas, et ipsius revera stilum non secus ac cetera omnino spiret et ingenium. Neque tamen inde sequitur, ut quae minus ampla ex aliis codicibus prodiit, ab aliena manu truncata atque mutilata censenda sit. Verum imitari

Digitized by Google

voluisse credendus est Gelasius Leonem, qui in rebus gravissimi momenti, quas primo dictasset litteras, recognoscere, elimare et perpolire non gravabatur, quique aliquando etiam duplex legatis litterarum suarum tradebat exemplum, unum amplius, in quo quaedam adnectebantur, quae pro tempore dicenda vel tacenda crederet, alterum, a quo haec aberant, eorumque permittebat prudentiae, utrum redderent, quales ex. gr. sunt Leonis epistolae 12, 30 et 31[1]). Leonem vero, si nostra nos non fallit opinio, in eo imitatus est Gelasius, eo quod opus rudiore penicillo primum delineatum postmodum perficere atque omnibus numeris suis explere nisus est. Ac primo quidem brevius epistolae hujus exemplum non alicujus librarii opera truncatum esse, sed veluti primum specimen ab ipso Gelasio conscriptum haberi debere inde nobis persuasum est, quod non uno vel altero aut paucis locis mutatum mutilatumve, si cum altero conferatur, appareat, sed a capite ad calcem, paucis adjectis, pluribus tacitis, verbis sententiisque identidem mutatis passim ab illo discrepet. Deinde vero exploratum habentes, id omne, quod in ampliore exemplo adjectum, resecatum mutatumve est, vel ad nitorem sermonis vel ad elegantiorem orationis nexum aut ad pleniorem factorum expositionem, seu ad amoliendos atque amovendos sensus nonnullos, qui ex simplicibus ac minus aptis prioris exempli dictis subire animos possent, denique ad argumentorum vim augendam vel illustrandam conducere, incunctanter judicavimus, hoc non opus esse interpolatoris, sed ipsius Gelasii, qui nihil negligendum duxit, ut scriptum ad conciliandos Graecos vel ad ceteros ab eorum schismate avertendos a se concinnatum numeris omnibus absolveret. Quae quum ita sint, satis esset, amplius illud exemplum oculis subjicere. Sed quia alterum a pluribus antiquis citatum est, operae pretium fuerit, et illud e regione[2]) opponere. Hinc certe discent eruditi, ne opera sua retractare et ad incudem revocare eos vel pigeat vel pudeat, quum iis clarissimorum occupatissimorumque praesulum tam illustre praefulserit exemplum.

In Gelasii papae epistolam 27 („*Quid ergo*“).

[a³. Ed.] 1. In veteribus tum codicis a Paschasio Quesnello vulgati tum Isidori Mercatoris exemplaribus asservatur haec epistola, et in quibusdam (sicut Vaticano 1340 fol. 281, Veneto s. Marci 169 et aliis codicibus Pseudo-Isidori in editione Hinschii classi B et C adnumeratis) sine ulla distinctione praecedenti post voces *communione tractatum* adnectitur. In hac eam forma etiam Merlinus edidit. Deinde ab illa sejuncta anno 1551, adeoque antequam eam Jacobus Sirmondus anno 1631 una cum *appendice cod. Theod.* vulgaret, conciliorum collectioni a Petro Crabbe concinnatae inserta legitur. Postmodum vero a Labbeo tom. IV concil. et a Quesnello ad calcem operum s. Leonis sicuti in posterioribus editionibus conciliorum ab Harduino et Mansio et collectionis Quesnellianae a Balleriniis adornatis recusa est. In antiquis autem codicibus epistolae superiori subnectitur hocce titulo interjecto: *Expliciunt rationes reddendae, Acacium a sede apostolica competenter fuisse damnatum nec posse quempiam sine discrimine animae suae ejus communionis participem effici. Incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientis.* Quae postrema verba in exemplis Isidorianae collectionis excipiunt ista: *Dilectissimis fratribus universis episcopis orientalibus Gelasius.* Et hanc quidem inscriptionem, quae stilum epistolarem sapit, Sirmondus retinuit. Idem tamen in praefatione ad lectorem dubitare se notat, *epistolare an potius fragmentum seu portio dicenda sit tractatus, qui a Nicolao papa in epist. 8 ad Michaëlem imperatorem dicitur „Tomus Gelasii ad Orientales“.* At existimavit nempe,

---

[1]) Prorsus eadem sententia Balleriniorum est, sicut de duplici forma dictarum epistolarum Leonis non aliter censent.

[2]) Quod nos ita absolvimus, ut textum ex recensione Balleriniorum *cod. can. eccl.* c. 50 apposuerimus. [*Ed.*]

Digitized by Google

locum a Nicolao I laudatum ex aliqua tractatus hujus parte, quam desideremus, excerptum esse. Sed quum ex ejus pontificis *tomo de anathematis vinculo* n. 13, quem integrum habemus, exscriptus sit, nullus est illius conjecturae locus. Id etiam a multis saeculis obtinuisse, ut subjecto scripto daretur epistolae nomen, Colbertinus codex 2579 ab annis circiter 700 exaratus, quo nonnulla ejus fragmenta continentur, persuadet. Sic enim in eo fragmenta illa inscribuntur: *Ex epistola sancti Gelasii de ratione reddenda, quod Acacius competenter fuisset damnatus, ad episcopos orientis.* Similiter Gratianus c. 12 D. 96 secundum Anselmum libr. 6 c. 157 (155) et Polycarpum l. 1 t. 19 fragmentum quoddam hujus scripti inscribit: *Item Gelasius ad episcopos orientales.* Certe si epistolarem formam exordium, quod truncatum esse palam est, minus manifeste prae se ferat, eam apertius exhibent, quae in ejus serie disseruntur.

2. Tempus autem, quo scripta sit haec epistola, e chronica nota, qua superior consignatur, licet augurari. Quum enim utrique communis sit titulus, utraque etiam ad idem tempus haud temere referatur. Valde enim probabile est, vigilantissimum ecclesiae pastorem fideique catholicae defensorem acerrimum, simul ut calamum, quo Dardanos adversus captiosos Orientalium sermones muniret, sumpsit, ad ipsos etiam Orientales revinciendos animum adjecisse.

3. A quibus doctissimi Ballerinii *de antiqu. collect. latin.* p. II c. 11 § 4 non multum dissentiunt. Epistolam hanc enim illum tractatum esse credunt, quem Gelasius epistola antecedente n. 16 pollicitus erat, se intendere scribens, ut *eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, exponeret. Quodsi*, inquiunt, *non ita prolixus est, ut vox „latius" significare videtur, animadvertendum est, ipsum acephalum esse, ita ut plura initio desiderentur. Forte etiam*, addunt, *Gelasius eum nec perfecit nec edidit, sed ut in schedis ejus inventus fuit, in lucem prodiit.* Hoc quidem similiter jam supra de illius epistola 1 monuimus; nec quae erat solliciti praesulis sollertia et schismaticorum durissima pervicacia, a vero abhorrere videtur.

In Gelasii papae epistolam 28 („*Quia per*").

Ex Gratiani c. 6 D. 64 eam exscripsit et primus vulgavit Mansius coll. conc. [Ed.] t. VIII col. 134. Eam in schedulis suis ex codicibus Josaphateo et Pithoeano derivatam etiam memorat Coustantius, cujus tamen exemplar nobis non adfuit. Veritatem ejus confirmat non solum sequens epistola, sed et ipsius cum ep. 26 consensio. Forte etiam hanc praecessit. Certe non longe posterior est. Sed nec eam epistola 18 ad eosdem Dardanos mense Augusto anni 494 scripta anteriorem judicari, ea censura permittit. Ad metropolitanos, uti sequens epistola docet, missa fuit, ut eorum opera ceteris episcopis legeretur.

In Gelasii papae epistolam 29 („*Quia per*").

Ex Anselmi Lucensis collectione lib. 6 c. 41 (al. 39) ab Holstenio eruta et in [a³. Ed.] *coll. Rom. bip.* I, 215 edita est. Germanensis quidem codex (lib. 6 c. 35) et Vaticanus 1364 (l. 6 c. 36) *Natali presbytero* eam inscribunt; sed verior visa est, quae apud Holstenium et in collectione cardinalis Deusdedit obtinet inscriptio. Is enim Natalis merito credatur insignis aliquis Dardaniae episcopus, cui Gelasius majorem prae ceteris fidem haberet. Hanc epistolam una cum superiore missam esse perspicuum est. Utriusque vero exordium quum commune sit ac ne apice quidem differat, ab illo recudendo abstinemus.

In Gelasii papae epistolam 30 („*Residente*").

1. Inter pontificias epistolas Romae primum e vetusto codice Vaticano, sed [a³] valde mendoso et in quo finis desiderabatur, vulgata sunt haec gesta. Eadem deinde

Digitized by Google

Baronius, quum a Frontone Ducaeo saniora et integriora accepisset e Virdunensi ms. descripta, annalibus suis ad annum 495 ex hujus exemplaris fide inseruit. Fatetur quidem, nec in hoc etiam codice deesse menda, sed monet, collatione facta cum iis gestis, quae e Vaticano cusa sunt, parum abesse, quin in pristinum candorem habeantur restituta. In hoc tamen variarum lectionum delectu si occupatissimo viro ad pensitanda quaeque necessarium non defuisset tempus, felicior esse potuisset. Neque hunc laborem postea in se susceperunt Binius ac sequentes conciliorum editores, ut varietates a Frontone Ducaeo annotatas ad trutinam revocarent, easque in textum transferrent lectiones, quae potiores viderentur: Baronianum exemplar penitus secuti, quasdam ex praedictis varietatibus ad calcem subjicere satis habuerunt. Hoc itaque opus nobis nunc tentandum.

2. Ac primo quidem occurrit non leve illud discrimen, quod subnexis gestis in editione Romana ex Vaticano codice praemittitur *Dionysius Exiguus Romae de graeco converti*, Virdunensi autem ms. abest. Hinc oboriri nonnullis suspicio posset, duplex in duobus illis mss. eorumdem gestorum asservari exemplum, unum scilicet ex authentico latino descriptum, alterum conversum e graeco, nec aliam quaerendam causam, cur duo illa exempla tot inter se locis discrepent. At inter varietates, quibus mss. Vaticanus ac Virdunensis dissident, excutientibus nulla apparuit, quae interpretationi diversae ac non potius uni librariorum majori vel minori diligentiae tribuenda videretur. Deinde persuasum nobis fuit, Romani concilii in causa Itali episcopi gesta latine conscripta esse, aut si etiam in graecum sermonem propter Graecos fuissent conversa, latinum eorum exemplar authenticum Dionysio Exiguo, qui Romae Symmachi papae temporibus scribebat, ejusve aequalibus Romanis nequaquam ita ignotum aut occultum futurum fuisse, ut vel essent, qui novam e graeco conversionem ab eo quaererent, vel qui eum ad inutilem hujusmodi operam suscipiendam inducere potuissent. Praeterea et in iis, quae interloquitur Gelasius, adeo manifestus visus est ejus stilus, ut authenticum latinum ad nos pervenisse nihil dubitaremus.

3. Ista quum observassemus, archetypum recognosci curavimus Vaticanum, ex quo totius rei veritas tandem nobis explorata fuit. In hoc quippe exemplari gesta de Miseni absolutione proxime antecedit *libellus, quem dederunt apocrisiarii Alexandrinae ecclesiae legatis ab urbe Roma Constantinopolim destinatis*, infra inter epistolas Anastasii II edendus, ad cujus calcem legitur: *Explicit Dionysius.* Tum sequitur hoc Dionysii testimonium: *Dionysius Exiguus de graeco converti:* cui subjiciuntur gesta de absolutione Miseni. Quibus probe perpensis Romanum editorem, quum Dionysii testimonium de gestis in absolutione Miseni dictum intellexit, hallucinatum esse constitit. Licet enim ita sit positum hoc testimonium, ut ad gesta illa perinde atque ad antecedentem libellum referri valeat, illud tamen ad libellum pertinere aperte docuit librarius, quum ad ejus calcem adscripsit: *Explicit Dionysius.* Neque vero apocrisiariorum Alexandrinae ecclesiae libellus Dionysio attribui potuit *ut auctori.* Quocirca restat, ut ipsi adscribatur tamquam interpreti; qua de re ut nemo ambigat, docti hujus monachi disertum illud subjicitur testimonium: *Dionysius Exiguus de graeco converti.*

[Ed.] [Idem confirmat codex Vaticanus 4961, quem etiam pro hac synodo recensui et cujus forte ille editoris Romani nonnisi apographon erat; in quo fol. 63 aperte litteris majusculis adscribitur: *Explicit. Dionysius Exiguus Romae de graeco converti.*]

Denique cetera conveniunt. Nam et libellus ab apocrisiariis Alexandrinae ecclesiae legatis Anastasii II papae datus latina interpretatione eguisset, et Dionysium Exiguum proxime post mortem Gelasii, cui Anastasius successit, Romam venisse certum est. Alias autem varietates in subjectis annotationibus expendemus.

4. Gesta haec laudat Vigilius papa in constituto seu epistola 24 n. 125, ubi

Digitized by Google

gesta synodalia de Miseni episcopi Cumani absolutione nuncupantur. Misenus autem una cum Vitali anno 485 mense Octobri ineunte Felicis II sententia a *sacerdotali collegio et sacra communione suspensus* fuerat, ut ipsius Felicis epist. 11 n. 3 docet. Coetum hunc die XIII Martii celebratum, in quo confecta sunt gesta illa, praecesserat alter ejusdem mensis Martii die VIII habitus.

In Gelasii papae epistolas 31 et 32 („*Constat*").

Utramque apocham de reditibus ecclesiae Romanae anno 494 a certis fundis perceptis ex collectione cardinalis Deusdedit l. II c. 101 doctissimi fratres Ballerinii de antiqu. collect. latin. p. IV c. 14 et clarissimus Mansius coll. conc. VIII, 142 protulerunt. Est igitur hoc exemplum quoddam formulae, quam Honorius et Anthemius imperatores ejusmodi chartis legitimam praescripserunt l. 1 C. X, 22: *Sed et aurum, quod ex hujusmodi contributione redigitur, ita debet susceptori aurario consignari, ut securitatibus nomen inferentis, dies, consul, mensis, causa et summa comprehendantur, quo et descriptionis aequitas illustretur, et descriptus documentis evidentibus fulciatur.* Ejusdem generis alia exstant exempla in Pelagii I fragm. 50 et Gregorii I epistolis I, 19, 24, 39; II, 1 al. Porro de modo hujus rationis faciendae pro ecclesia Constantinopolitana Justinianus imperator l. 25 §. 6 C. I, 2 praescripsit: *Cum inquisitione diligenti oeconomi computent ex sententia patriarchae factam impensam ab emphyteutis et conductoribus et administratoribus, unoquoque ex oeconomis inquirente in sibi commissa regione; reliquarum vero rationem inquirant ex jussione scripta patriarchae, qui rationibus subscribet hoc: „relegi"; et si quid rationum citra hanc observationem redditum fuerit, ex suis sumptibus oeconomi praestabunt.* De ecclesiae Romanae hujusmodi administratione si quis plura scire cupit, adeat Muratorii antiquitat. Italic. dissert. 69. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 33 („*Certum est*").

1. In Anselmi collectione l. V c. 6 (al. 8) sicut in cardinalis Deusdedit lib. 2 cap. 93, unde eam ex cod. Vatic. 3833 notarunt Ballerinii Opp. Leon. tom. III pag. CCCIV, praebetur haec epistola. Eamdem et Gratianus sed sublata chronica nota decreto suo c. 7 D. I de consecr. inseruit. [Ed.]

2. In utraque illa collectione dies et mensis, quibus scripta sit (sc. *Idib. Apr.*), designantur, sed siletur annus. Eam autem anno 494 anteriorem non esse inde conficitur, quod Gelasius in illa decretorum meminerit, quae ipso anno 494 Martii 11 die ediderat. Quum autem decreta illa ita memoret, ut non vel *moderna* vocet vel *noviter directa* vel *ante paucos menses directa*, ut aliis in epistolis (puta 20, 21, 22, 25 etc.) facere solet, hanc ad mensem Aprilem ejusdem anni 494 non pertinere prope certum est. Superest igitur, ut anno 495 vel certe 496 conscripta sit.

In Gelasii papae epistolam 34 („*Piae mentis*").

Etiam hanc nobis epistolam Anselmus coll. l. 5 c. 7 (al. 9) et Deusdedit coll. p. 1 c. 99 subministrarunt. Eamdem Gratianus c. 26 C. XVI qu. 7 refert, omissa de more nota chronica. Unde eam Ballerinii l. c. notarunt et Mansius coll. conc. VIII, 134 primus vulgavit. De anno, quo scripta, nihil effici potest certum. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 35 („*Trigetius*").

Apud Gratianum epistolam antecedentem haec consequitur. Apud Anselmum vero tria inter utramque capitula interponuntur (refertur l. 5 c. 11). At ne separentur, materiae postulat affinitas. Et quidem decreto anni 494 multi videntur permoti, ut hujusmodi petitiones Romano praesuli offerrent. Praefatiunculam de- [Ed.]

Digitized by Google

siderari initium ejus indicat. Episcopi, ad quem scripta est, nomen nec Anselmus nec Polycarpus, qui eamdem l. III t. 12 habet, nec Gratianus docent. Sed Vatic. 3832 f. 67 ita eam inscribit: *Gelasius Herculentio episcopo Potentino de nova basilica consecranda.* In synodis Romanis sub Symmacho subscribit quidam *Amantius* vel *Amandus Potentinus.* Sed *Herculentium* quemdam episcopum in epist. 21 memorari vidimus.

In Gelasii papae epistolam 36 („*Nos ausus*").

[Ed.] Una cum aliis fragmentis ex Ivonis decreto p. X c. 13 primus protraxit Mansius coll. conc. VIII col. 126. Pro textu constituendo Vaticanum 1357 Ivonis aevo fere aequalem adhibuimus. Ac fortasse est idem *Johannes* Vibonensis episcopus, cui sequens epistola 37 adscripta est, et causa eadem, videlicet Scyllacenorum antistitis caedes. Hoc supposito dictam epistolam sane praecessit, quippe quae causae illi jam definitivam quamdam sententiam dicat, quum nostro fragmento vix nuntius de patrato scelere Romam allatus videatur.

In Gelasii papae epistolam 37 („*Ita nos Scyllacenorum*").

[a³] Haec epistola duplici parte constat, quarum prima proprio episcopo privat Scyllacenos parricidas, altera eos ab eucharistiae perceptione removet, qui a sacro calice superstitiose abstinebant. Primam ejus partem [Deusdedit l. I c. 140] Ivo p. 10 c. 18 [Polycarpus l. 3 t. 30] et Gratianus c. 25 C. XXV quaest. 2, alteram vero iidem Ivo decr. p. 2 c. 89 (al. 86) nec non Gratianus c. 12 D. II de consecratione divisim referunt. At utramque simul [Vaticanus ille Nro. 3832 annorum circiter septingentorum (f. 66ᵇ)] Anselmus Lucensis lib. 6 c. 144 (al. 148) et Polycarpus l. 3 t. 30 conjunctim exhibent. Laudatur ab Algero lib. 2 c. 8 et a Micrologo c. 19. Eamdem et apud Ughellum Italiae sacrae (ed. II tom. IX col. 424)[1] offendimus in quadam *Chronica trium Tabernarum*, sed mirum in modum depravatum ac praeter scriptorum ceterorum consensum *Pelagio II* adscriptam. Si eidem scripto habenda fides, epistolae huic occasionem dedit episcopns, quod archipresbyteri uxorem frequens viseret, diffamatus et ab ipso archipresbytero necatus veneno ac per rupem praecipitatus. Verum Ughelli judicio suppositionis suspecta et sublestae auctoritatis est haec *Chronica*. Et in iis quidem, quae de hoc facinore narrat, valde nutat ejus fides. Nam si veneno, quod clam propinari solet, interiisset episcopus, ac necis ejus auctor unus archipresbyter exstitisset, ipse etiam unus, non tota civitas, tanti sceleris poenas dare debuisset. Neque etiam una unius episcopi, sed *geminata pontificum* caedes, non *veneno* sed *ferro* sublatorum, hic ponitur. Ipsam quoque epigraphen, qua haec epistola Pelagio II tribuitur, falsi arguit Gregorii papae epist. lib. II Ind. 10 epist. 37 (ol. 25) ad *Johannem Squillacinum*. Inde enim Squillacenis proprii episcopi habendi jus a Pelagio II ablatum non esse conficitur. Neque vero librariis insuetum est *Pelagii* nomen loco *Gelasii* ac vicissim pingere. Hic autem *Gelasium* loco *Pelagii* scriptum non esse, non modo plurimorum auctorum seu codicum consensus, sed et epistola sequens 38 sicut antecedens 36 suadent. Nam et hanc *Johanni episcopo*, et illam rursum *Majorico* et *Johanni* simul conjunctis inscriptam legimus. Neque ejusdem epistolae contextus ullum permittit ambigendi locum, quin *Johannes* ille fuerit Vibonensis apud Brutios seu in provincia Calabriae ulterioris episcopus, quem anno 499 Romano concilio interfuisse concilii hujus subscriptiones fidem faciunt, quique adeo et Gelasio aequalis et Pelagio etiam primo multis annis antiquior negari nequit. Ipsi vero nominatim Scyllacenae ecclesiae, quae in eadem provincia sita erat, ut vicino congruenter visitatio demandata est. [Plura de isto flagitio epistolae 36

[1]) Ibi quidem ex Gratiano datur. Porro ista *Trium Tabernarum chronica* eodem tomo col. 358 ss. praebetur. [*Ed.*]

Digitized by Google

et 38 afferre videntur; fortasse etiam epistola 39 partim ad idem respicit.] Poenam autem, qua Gelasius Scyllacenam civitatem nunc multat, perpetuam non fuisse argumento sunt non solum citata Gregorii epistola sed et Vigilii papae epistola 15 n. 11 et epistola 19 n. 3, in quibus Zacchaeus Scyllacenus episcopus annis 550 et 551 huic papae, quum Sebastianum et Rusticum tum Menam, Theodorum ac socios damnanti, adfuisse memoratur.

In Gelasii papae epistolam 38 („*Coelestini*").

Mansius coll. conc. VIII, 131 primus hanc epistolam ex Ivouis decreto p. 10 c. 12 eruit, cujus ad exemplar Vaticanum 1357 nos haud inutiliter textum contulimus. Vix dubitandum, quin haec *Coelestini causa*, qua idem *conscius conjectus in caede parentis et episcopi* dicitur, cum isto crimine Scyllacenorum cohaereat, quod praecedentibus epistolis 36 et 37 tractatur et ad quod fortasse etiam sequens epistola 39 partim respicit. Quod si ita est, *Philippum* et *Cassiodorum*, quibus inscribitnr, presbyteros Scyllacenae ecclesiae crediderim, penes quos tunc maxime administratio illius steterit. Quamquam etiam *Philippo episcopo* Gelasii fragmentum 4 inscribitur. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 39 („*Qui et humanis*").

Gratianus c. 24 C. XII quaest. 2 epistolam hanc media parte truncatam ita exscripsit, ut quidpiam a se de medio sublatum ac praetermissum esse nulla nota moneret. Accuratiores illo fuere, qui codices Josaphateum ac Pithoeanum ante annos 500 exararunt. Ea enim ipsa, quae uno tenore Gratianus decreto suo inseruit, in duo fragmenta diviserunt, ac verbo *item* in fronte secundi praeposito non nihil inter utrumque deesse indicarunt. Lacunam tandem supplevit Lucas Holstenius coll. Rom. bipart. pag. 213, ubi epistolam integram ex collectione cardinalis Deusdedit descriptam protulit. Nulli est ambigendum, quin *Majoricus* et *Johannes*, quibus inscribitur, ii ipsi sint, quos Gelasius in epistola superiori *Scyllacenae ecclesiae visitatores* constituit. Nemo etiam negaverit, hunc *Johannem*, qui nunc *Vibonensis* ecclesiae jura vindicat, alium non esse a Johanne Vibonensi, qui concilio Romano anno 499 subscribit, et ad quem nominatim exstat infra subjiciendum Gelasii fragmentum 42. Neque minus exploratum esse debet, *Serenum*, qui eis adjungitur, eum ipsum esse *Nolanum* episcopum, qui pariter in ejusdem Romani concilii recensetur subscriptionibus, quique infra in fragmentis 11 et 13 a Gelasio ipso ut Nolanae ecclesiae praefectus memoratur. Ita duae illae epistolae mutuam sibi conferunt lucem, unde earum veritas certo asseratur. [a³]

In Gelasii papae epistolam 40 („*Olibula*").

Ex codice Vindobonensi protulit clarissimus Augustinus Theiner disquisit. critic. in praecipuas canonum et decretalium collectiones I pag. 201. Nec abhorret ab ingenio praestantissimi praesulis, qui inter acerrima certamina ecclesiastica pupillorum viduarum et pauperum causas cum primis tuebatur. Porro s. Meletius, qui in episcopatu Spoletano Johanni antecessit, in catalogo ejus sedis episcoporum apud Ughellum Ital. sacr. tom. I col. 1256 (ed. II Coleti) quidem demum die IV Decembris anni 500 obiisse dicitur. Sed monet ipse Ughellus, Campellum in *historia Spoletana* illius obitum die XVI Decembris anni 497 ponere, itaque revera *Johannes* Gelasii aequalis efficeretur. Certe synodis Romanis annis 499 et 501 subscripsit *Johannes Spoletanus* (vel *Spoletinus*) *episcopus*. [Ed.]

In Gelasii papae epistolam 41 („*In parochia*").

Ex Anselmi Lucensis exemplari Vaticano 1364 fol. 176 (lib. VII c. 103) hic profertur. Praebetur etiam a Polycarpo l. II t. 32, et sub nomine *Pelagii* a Gra- [Ed.]

Digitized by Google

tiano c. 31 C. 16 qu. 1, pluribus tamen ejusdem codicibus (teste Berardo Grat. can. genuin. II pag. 408) eam aut omnino aut saltem in argumentorum contextu *Gelasio* tribuentibus. Berardus quidem et ipsam falsi arguit, mercem monasteriorum causam propriam tuentium nuncupans. Sed omnino penes nos argumenta mere negativa non ita valere debent, ut inde statim codicum auctoritates relinquamus. Porro Gratiani inscriptionem Ughellus l. c. I, 157 arripiens, *Bonum* vel *Borsum* anno 580 episcopum Sabinatem statuit. Nec nobis aliunde temporibus Gelasio coaevis ejus nominis episcopus occurrit, nisi *Bonus Ostiensis* in synodo Romana anni 487. *Sabinensis* autem episcopus in eadem synodo *Felicissimus*, in synodo anni 499 *Dulcitius* subscribitur.

In Gelasii papae epistolam 42 (*Decret. de libris recip.*).

[a³] 1. De sequenti decreto non una est eruditorum sententia. Illud nonnulli primo a Damaso sancitum et post a Gelasio auctum, quidam Gelasio auctore conscriptum atque ab Hormisda postea confirmatum putant; alii vero totum ad Gelasium, alii ad Hormisdam pariter totum referunt. Inter eos autem, qui Gelasio illud vindicant, non sine laude memorandus est Justus Fontaninus, qui novissime *antiquitat. Hortens.* lib. II cap. 3 amplam ea de re ac multiplici eruditione refertam dissertationem edidit. Circa idem tempus operam dedit Antonius Pagi, ut diversa illa dissidia componeret. Immo id invenisse se, unde litem dirimeret, est arbitratus. Nempe pro certo ponit, primum ejus auctorem esse Gelasium, atque Hormisdam, ubi de Fausti libris a Possessore episcopo Africano interrogatus est, merum illud Gelasii decretum, in quo *nihil ab Hormisda immutatum fuerit*, ad eum misisse; et *quia ab Hormisda papa missum fuerat ejusque nomine ubique divulgatum, eidem ab aliquibus temporis progressu imprudenter adscriptum esse.* Quo posito exsolvisse se gratulatur, quod n. 3 demonstrandum in se receperat: *Gelasium videlicet celeberrimi hujus decreti auctorem esse, et nonnisi per errorem illud Hormisdae attributum.* Sed frustra est illius de diremta lite gratulatio, quum id, de quo disceptatur, pro certo ponat, nec stare possit, ut infra demonstraturi sumus, quod de mero Gelasii decreto ab Hormisda ad Possessorem misso sibi persuasit.

2. Nuperus scriptor idem decretum etiam Leoni I attributum esse opinatur. Sed non aliunde nititur ejus opinio, nisi his Bardi verbis in vita Anselmi Lucensis, cujus idem Bardus aequalis dicitur: *nihil in ecclesia legere permisit* (Anselmus) *praeter orthodoxorum scripturas. Apocrypha omnia, sicut beatissimus papa Leo constituit, in ecclesiae non recepit officio.* Quantum vero scriptor ille a Bardi mente aberraverit, ipsomet Anselmo teste convincitur. In ejus quippe compilatione, (secundum Germanensem codicem lib. 6 cap. 187) quaeritur: *Qui libri sunt legendi?* Tum respondetur: *Gelasius papa in synodo episcoporum septuaginta opuscula atque tractatus omnes diversorum patrum orthodoxorum etc.* Unde Anselmum nec dubitasse liquet, quin Gelasii re ipsa sit decretum de libris, quod ipsi adscribitur. Quid igitur sibi voluit Bardus? Et hoc ipsum Anselmus in antecedenti capitulo 186 apertissime declarat. Ibi enim praefixo titulo *De falsis et apocryphis libris, ut in usu lectionis non habeantur*, proxime subjicit: *Leo episcopus Turribio Asturicensi episcopo salutem. Curandum et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsi codices et a sincera veritate discordes in nullo usu lectionis habeantur, apocryphae autem scripturae, quae sub nominibus apostolorum habent multarum seminarium falsitatum etc.* Ubi igitur de Anselmo dixit Bardus: *apocrypha omnia, sicut beatissimus papa Leo constituit, in ecclesiae non recepit officio;* luce clarius est, eum ibi non nostrum de recipiendis aut non recipiendis libris decretum, sed Leonis epistolam 15 ad

Digitized by Google

Turribium commemorasse: adeoque nulla ratione nullave auctoritate fulciri, quod de praedicto decreto Leoni quondam tributo novissime divulgatum est.

3. Idem decretum Johannes Pearsonius Ignatianorum pag. 44, Guilielmus Beveregius et alii, praesertim additamentis quibusdam moti, quibus in vulgatis auctum legitur, incertum esse foetum volunt, qui post quintam prodierit synodum, adeoque nec Hormisdam nec Gelasium, multo minus Damasum parentem habere queat. Quibus concinens Guilielmus Cave iis mercibus adulterinis, quas nobis Isidorus Mercator venditavit, illud accensendum suspicatur. Exstat quidem in hujus compilatoris exemplaribus, sed quomodo celebre aliud Gelasii decretum ad episcopos per Lucaniam, et quomodo alia quam plurima, quorum parentes non minus certi sunt. Neque vero in illis solis, sed in pluribus etiam aliis, quae de mercibus ejus nihil habent quaeque aetatem illius superant, asservatur. Ac primo quidem de Isidorianis mercibus nihil habebant codices, seu unde Romanus editor decretum illud descripsit, seu ex quibus varia ejus fragmenta in quinque saltem annalium locis Baronius [1]) laudavit. Ita enim ab illis erant puri, ut Cresconianam collectionem iis contineri, etiamsi re non satis acri judicio perpensa, existimarent. Ea ipsa fragmenta, quae Baronius laudat, exhibet et bibliothecae Regiae codex 3887. 3 circa medium saeculum VIII, ut ex quibusdam monimentis ipso contentis et charactere colligitur, exaratus. Mabillonii nostri judicio ante annos fere mille scriptum est exemplar Vaticanum [2]), cujus apographum novissime Justus Fontanius antiquitat. Hort. pag. 317 summa fide excudi curavit. Idem censendum est de Germanensi, quo idem decretum una cum Venantii Fortunati scriptis continetur. Neque his recentior videtur egregius codex Colbertinus majusculis litteris Langobardicis descriptus, cui insertum est. Illud quoque non tacendum, in praevio indice codicis Gerundensis, in quo pura et sincera exhibetur Hispana collectio, ultimo loco notari *Decretum Romanae sedis de recipiendis et non recipiendis.* Quamvis autem hoc decretum in ipso libro non describatur, tum tamen, quum concinnata est illa collectio, in Hispania notum fuisse suadet, quod Isidorus Hispalensis libr. de viris ill. c. 5 sic Probam Falconiam ob Centonem de Christo laudet, ut nihilo minus subjiciat: *Cujus opusculum legitur inter apocryphas scripturas insertum.* Ad hoc enim decretum ibi respicere non dubitatur. Idem quoque palam laudat Carolus Magnus imperator Carolini lib. 2. c. 13 et lib. 4. c. 10 et 11, adeoque ante vulgatas Isidori merces. Ad haec quam tenuis et quam angusta fuerit Mercatoris scientia, non recogitarunt, qui tam multiplici tamque recondita eruditione refertum opus homini tam imperito tribui probabiliter posse sunt suspicati. Sed et illud sic nunc edimus, ut nullus omnino jam supersit hujusmodi suspicioni locus. Inde enim liquet, nequaquam integrum esse, quod Isidorus compilationi suae inseruit, sed mutilum et ex plenioribus gestis decisum. Haec autem gesta quo anteriora esse quis neget? Ad summum suspicari eum liceret detruncationis hujus auctorem. Sed neque istud permittunt pervetusti codices, Vaticanus, Germanensis, Colbertinus Langobardicus et alii, in quibus eadem ratione truncatum atque accomodatum legitur, ut integri operis speciem prae se ferat. Referemus et nulla Hormisdae verba, quibus hoc decretum indicari plures viri eruditione clarissimi consentiunt, quaeque vix alio referri posse largiendum est. Unde illud et quinta synodo et Hormisda ipso antiquius esse conficitur. Denique nullum in toto illo opere sive catholicum sive suspectum aut haereticum scriptum, nullum nomen, nullum factum memoratur, quod Gelasio sit recentius. Haereticorum vero, quorum damnatione decretum clauditur, novissimi appellantur Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus et Acacius Constantinopolitanus. Horum autem damnatio

[1]) Sunt Romani codices Vaticani 5845 et 1353 et Vallicellanus A. 5, revera nihil Pseudo-Isidorianum habentes, immo his antiquiores. [*Ed.*]

[2]) Est Vatican. Palatin. 493. [*Ed.*]

Digitized by Google

quantum Gelasio cordi fuerit, nemo, nisi qui in ejus scriptis sit omnino peregrinus, ignorat. Hac etiam damnantur formula, iis adjunctis, quae papam eumdem prorsus sapiant. Unde sensim conficitur, hoc decretum non modo Isidoro Mercatori perperam tribui, sed nec ad Damasum referri totum posse. Huic enim papae scriptum, in quo Petri Alexandrini, Petri Antiocheni et Acacii Constantinopolitani mentio fiat, adscribi perabsurdum. An vero saltem ejus pars in eum conveniat, expendamus.

4. Stephanus Baluzius notis in Gratianum pag. 444 a se visum esse testatur vetustissimum collectionis Dionysianae exemplar, in quo exhibebatur idem decretum quasi a Damaso papa editum. Hoc exemplar, quod in bibliotheca Regia not. 3887, 3 nunc asservatur, vidimus et ipsi et excussimus. Medio saeculo VIII, uti jam observavimus, exaratum esse, quum ex charactere, tum ex Andegavensium episcoporum catalogo ad ejus calcem adscripto apparet. Eo majoris est pretii, quod sinceram Dionysii Exigui collectionem asservet in Anastasii II epistola desinentem ac nullam habentem earum epistolarum, quibus aucta temporibus Hadriani I legebatur. In hoc porro exemplari Anastasii II papae decretis proxime subjicitur: *Incipit concilium urbis Romae sub Damaso papa de explanatioue fidei. Dictum est: Prius agendum est de spiritu septiformi* etc., ut in subjectis gestis ab initio ad haec verba n. 6 *Item Chronica Eusebii Caesariensis.* Tum sequitur Gallicanarum provinciarum notitia, cui demum Andegavensium episcoporum catalogus adjungitur. Nec temere suspicamur, fragmento huic simile exstitisse illud, quod Lucas Holstenius (coll. Rom. I, 178) *in vetustissima canonum collectione bibliothecae Vaticanae* nactum se ait, unde et primam decreti hujus partem, quam nos n. 1 et 2 recudi curavimus, quia sola nondum vulgata erat, edere satis habuit. [1]) Hoc certe prodit titulus, quem ex archetypo suo expressit in hunc modum: *Ex concilio urbis Romae sub Damaso Papa de explanatione fidei,* ideoque confirmat, quod Baronius ex eodem codice in annalibus excerpsit. Eum enim ipsum, simul et alterum similem, penes eruditum illum cardinalem fuisse, largietur ultro, qui quod ille ad annos 447 et 867 Spiritus sancti ex Patre et Filio processionem probaturus ex codicibus suis profert, cum eo contulerit, quod Holstenius e Vaticano, nos e Regio eruimus. Item in Baronianis illis exemplaribus, adeoque in Holsteniano, non minus amplum quam in Regio decreti hujus fragmentum exstitisse persuasum habebit, quisquis de praerogativa sedium testimonium ab eodem cardinali ad annos 69 et 382 e codicibus eisdem exscriptum ad fragmentum in Regio exemplari asservatum exegerit. Unde quum non alio fundamento, nisi exemplarium illorum, quae fragmentum hujusmodi Damaso inscriptum prae se ferunt, nitatur opinio, quae decreti hujus partem Damaso attribuit, nihil profecto est facilius, quam ut ea ex animis convellatur. Quod priusquam aggrediamur, operae pretium est, unum aut alterum obiter observare.

5. Primo quidem, si tam certum esset, in Romanis codicibus, quos Holstenius et Baronius laudant, non aliam haberi canonum collectionem, nisi quae in Regio exemplari asservatur, quam certum est, et collectioni in illis asservatae non

---

[1]) Hoc quidem secus. Nam Holstenii codex est Vat. 5845, in quo ita inscribitur: *Concilium urbis Romae sub Damaso de explanatione fidei. Dictum est: prius agendum etc. — annuntiabit vobis. Item dictum est: Nunc vero de scripturis divinis agendum est, quid universalis recipit ecclesia, et quid vitari debeat.* Ac subjecto scripturarum sacrarum catalogo prosequitur: *Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas et apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas* etc. *— primum nomen christianorum novellae gentis exortum est.* Ac aliquot interjectis idem codex sic refert (fol. 279 b): *Incipit decretalis de recipiendis et non recipiendis libris, qui scriptus est a Gelasio papa cum LXX viris eruditissimis episcopis in sede apostolica urbis Romae. Post propheticas et evangelicas scripturas, quibus* etc. Prorsus ejusdem formae utrumque decretum habent Baronii codices Vatic. 1353 et Vallicell. A. 5. *Ed.*

Digitized by Google

aliud fragmentum subnecti Damaso attributum, nisi quod Regii exemplaris collectioni subjicitur; inde sequeretur evidenter, tam illam canonum collectionem, quam Holstenius *vetustissimam* et Baronius *Cresconianam* vocant, quam nostram Regii exemplaris non aliam esse a Dionysiana. Verum licet Dionysianae collectioni, saltem in Regio exemplari, proxime subnexum sit fragmentum saepe memoratum, ad Dionysianam tamen collectionem nihilo magis, quam aut eidem fragmento subjectam Gallicanarum provinciarum notitiam aut huic adhaerentem Andegavensium episcoporum catalogum, censendum est pertinere. Et vero, si pertinuisset, Dionysius, qui singulorum pontificum decreta non confuse, sed habita ratione temporis, quo quisque gessit pontificatum, ordinavit, illud nequaquam Anastasii II, qui Damaso atque Gelasio posterior est, decretis subjecisset. Neque etiam omissum esset in ea Dionysii collectione, quam Carolo Magno Hadrianus I multis decretis auctam et in nullo imminutam tradidit. Hic forte quaeret aliquis, cur Dionysius ipse praetermiserit decretum, quod quidem, si vere est Gelasii, eum fugere non potuit, quum proxime post hujus papae obitum venerit Romam ejusque admirator et encomiastes exstiterit. Huic quaestioni num. 7 faciemus satis. Sed prius ostendendum est, fragmentum, quod in exemplari Regio ac duobus tribusve Romanis Damaso inscriptum est, hujus pontificis falso prae se ferre nomen, ac Gelasio restituendum esse.

6. Ad inscriptionem illam quod attinet, falsitas ejus nullo negotio demonstratur. Quis enim Damaso id falso adscribi non perspiciat, in quo non ea modo memorari Rufini scripta, quae ab Hieronymo reprehenduntur adeoque post Damasi obitum lucubrata sunt, sed et Caelestini papae, Cyrilli Alexandrini, Leonis, Eutychetis, nec non conciliorum Ephesini et Calchedonensis mentionem fieri legat.[1]) Hoc autem mendum uno librariorum errore irrepsisse, atque *Gelasii* nomen loco *Damasi* restituendum esse, plane persuadet Harlaeanus codex. In eo quidem gestorum synodalium, quae in Regio Romanisque codicibus describuntur, pars omittitur prima et postrema tantum retinetur, sed haec exprimitur ea fide, quae et primam indicet, ita ut ejus nobis crearet desiderium, nisi eam praedictorum codicum beneficio jam haberemus. Sic quippe nostrum decretum in illo codice inscribitur[2]): *Incipit decretale de recipiendis libris, quod scriptum est a Gelasio papa cum LXX eruditissimis episcopis in sede apostolica in urbe Roma.* Tum proxime sequitur: *Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas, quibus* etc., dehincque cetera, ut in praedictis codicibus Regio atque Romanis, efferuntur. Sane hoc Harlaei codicis exordium, nisi supplerent alii nimirum quod ipsi deest, duplicitер peccare merito censeremus: quatenus et a verbis *Item dictum est*, quae aliquid aliud jam dictum denotent, incipit, et deinde omnes scripturas *superius depromptas* indicat, de quibus nullum antea verbum habetur. Sed hinc firmatur veritas fragmenti, quod nunc primum Gelasiano decreto praemittimus, ejusque initium cum extrema ejusdem decreti parte comprobatur. Postquam enim primae partis hoc exordium fuit: *Dictum est: prius agendum est de Spiritu septiformi:* hinc recte ad alteram transitur his verbis: *Item dictum est: nunc vero agendum de scripturis divinis:* et contexto scripturarum illarum catalogo, non minus aptus est ad postremam hic transitus: *Item dictum est: post has omnes propheticas*

[1]) Atque hoc quidem solum de forma decreti, quam Colb. 3387. 3 repraesentat, non de forma ejusdem ex dictis codicibus Romanis deprompta valet. Quippe hi quum in verbis *exortum est* finiant, minime chronologicum ordinem perverterunt.

[2]) Contra Veron. 61: *De concilio in urbe Romana sub Damaso papa edito. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas scripturas* etc. usque ad fin. *Explicit concilium sub Damaso papa.* Frisingensis s. Emmerani similiter totum cum illa de Spiritu septiformi actione usque ad finem catalogi *Damaso* tribuit. *Ed.*

Digitized by Google

etc. Quapropter indubitatum mihi videtur, eum, qui decretum de libris, quale in Harlaeo exemplari exstat, descripsit, ex eo gestorum fonte, unde prima gestorum illorum pars in Regio ac praenominatis aliis codicibus derivata est, hausisse. At vero is gesta illa non *Damaso* sed *Gelasio* inscripta vidit. Hinc igitur eo certius corrigitur, quae in exemplari Regio atque Romanis praefigitur inscriptio, quod haec, uti praemonstravimus, cum fragmento, cui praefixa est, componi nulla ratione queat. Praeterea codice Harlaeo hac in re adstipulantur non modo Gratianus dist. 15. c. 3, Burchardus lib. 3. c. 220, Ivo decr. part. 4. c. 64 et 65, Pannorm. II, 94 et 123, Anselmus Lucens. lib. 6 c. 187 (lib. 2. c. 193 al. 208?), Hariulfus Spicileg. tom. 4, p. 484, Hincmarus lib. 55 capitum c. 24, Nicolaus I. epistola olim 42, Lupus Ferrariensis lib. de tribus quaest. et epist. 128, atque Carolus Magnus lib. Carolin. l. 2. c. 13 et lib. 4. c. 10 et 11, sed et innumeri codices antiqui, qui decretum de libris Gelasio adscribunt. Pearsonius ipse testis est, hunc papam ejus auctorem asseri in codice, quem Lanfrancus Cantuariensis episcopus *de Beccensi coenobio, ut antistes ille loquitur, in Anglicam terram transferri fecit*, quique etiamnunc Cantabrigae visitur. Scribit Mabillonius noster lib. de liturg. Gallic. pag. 386, in Vaticano exemplari litteris quadratis ante annos fere mille scripto decretum idem haberi sub hoc titulo: *Incipit decretale Gelasii papae urbis Romae* [1]); ac praeterea inter codices, qui Ludovici Pii principatu ab Ansegiso Flaviacensi monasterio concessi leguntur in Chronico Fontanellensi, recenseri volumen unum praeter alia *continens decreta Gelasii papae de libris recipiendis et non recipiendis*. Vidimus ipsi ac recognovimus non pauca ejusdem decreti exempla vetera nominatimque unum olim s. Sergii Andegavensis, nunc RR. PP. Capucinorum Rotomagensium, Remigianum, Josaphateum juxta Carnutas, Beccense, Navarreum, Coislianum, Germanense haud procul ab aetate Venantii Fortunati, cujus carmina continet, exaratum, Morbacense non multo recentius, Colbertinae bibliothecae quinque, et inter ea unum, ut diximus, pervetustum litteris Langobardicis descriptum. At vero tot inter codices nullum deprehendimus, qui hoc opus Gelasio non adscribat.

7. Huc redit quaestio, quomodo Dionysium fugerit, aut cur ab eo praetermissum sit hoc decretum, si Gelasio auctore ac praeside in frequenti synodo Romana editum fuit. Ni fallor, non ideo praetermissum est, quia ipsi latuerit, sed quia minime ad scopum illius pertinebat. Ipsi nempe id consilii fuit, ut primae collectionis suae parti canones pridem receptos, ac postremae Romanorum pontificum epistolas, non synodalia gesta, quae formam epistolarem minime prae se ferrent, insereret, adeoque in neutram conveniebat hoc decretum. Nam neque inter canones olim receptos neque inter antistitum Romanorum epistolas censeri poterat, sed inter synodalia gesta. Postea quidem Dionysianae collectioni, qualem Hadrianus I Carolo Magno dedit, diversa Romanorum conciliorum sub pontificibus Hilaro, Felice II, Symmacho et Gregorio juniore accesserunt gesta. Sed hujusmodi gestorum in primaeva et genuina Dionysii collectione nihil comparet. Nec alia, ut mihi videtur, causa fuit, cur sapiens ille monachus semper sibi constans alia Gelasii de absolutione Miseni celebria gesta pariter praetermisit. Quemadmodum vero ex illa praetermissione id nemini venit in mentem, ut haec in dubium vocaret, ita et de veritate gestorum illorum, in quibus decretum de libris editum est, nulli justa dubitandi causa ex eo est, quod in Dionysiana collectione omittantur. An saltem eorum, qui decretum illud Gelasio attribuunt, auctoritatem non imminuant veteres codices, qui simile de libris decretum Hormisdae papae attribuunt, nunc explorandum.

---

[1]) Est Vatic. Pal. 493, ejusque ipsum decretum a dicto Fontanino editum. Sed haec ejus forma: *Incipit decretale sancti Gelasii papae. Post propheticas* etc. (*Ed.*)

Digitized by Google

8. Franciscus Chiffletius notis in Vigilium Tapsensem pag. 149 incidisse se testatur in vetus exemplar Jurensis monasterii, in quo *decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum* habetur. Monet et Stephanus Baluzius pag. 444, idem decretum in vetusto Urgellensis ecclesiae exemplari pariter Hormisdae attribui. Ipse quoque in ditissima bibliotheca Colbertina codicem nactus sum not. 1463 ab annis circiter 600 scriptum, in quo decretum de libris asservatur ei quum in inscriptione tum in ceteris omnino simile, quod Chiffletius ex laudati Jurensis codicis fide publicavit. Verum hi codices, qui decretum de libris Hormisdae attribuunt, quum aliter illud efferant atque ii qui Gelasii nomen prae se ferunt, nihil istorum officiunt auctoritati, immo ei non nihil momenti adjiciunt, utpote in quibus Gelasianum ab Hormisda recognitum et in nonnullis auctum vel mutatum esse comperimus. Porro gestorum synodalium, in quibus Gelasius decretum de libris edidit, triplex habemus exemplarium genus. Nonnulla enim expositionem fidei de Spiritu septiformi ac divinarum scripturarum catalogum praemittunt ceterorum ecclesiasticorum librorum recensioni. In Harlaeo et expositio fidei de septiformi Spiritu et scripturarum catalogus omittuntur, sed hac praetermissione excepta, de primigenia gestorum forma nihil mutatur. In reliquis et omittuntur eadem, et verba, quibus illa indicabatur praetermissio, mutantur, ita ut absolutum judicetur opus, in quo nihil desiderandum sit. Nempe pro eo, quod Harlaeus codex in fronte prae se fert: *Item dictum est. Post has omnes propheticas, evangelicas atque apostolicas, quas superius depromsimus, scripturas*; in illis sublato primum *Item dictum est*, deinde *has omnes*, ac demum *quas superius depromsimus*, sic absolute inchoatur opus: *Post propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas*, quasi nihil penitus praecessisset. Ab illo autem triplici Gelasianorum exemplarium genere dissident Hormisdae codices. A postremo quidem et secundo in eo distant, quod scripturarum divinarum catalogum in illis omissum in fronte exhibent. Sed leve est hoc discrimen, utpote quod ab antiquariis inductum, non a Gelasio papa ortum putamus. At istud magis insigne, quod in ipso scripturarum catalogo, quem integriora Gelasii exemplaria retinent, observatur. In his nempe *Johanni apostolo una* tantum *epistola* et alteri *Johanni presbytero duae* aliae tribuuntur, quum tres illas epistolas uni eidemque *Johanni apostolo* exempla Hormisdae adscribant. Unde vero nata sit haec Gelasii Hormisdaeque dissensio, notis in ipsum Gelasii locum commodius exponetur. Praeterea duobus praesertim additamentis a quibuslibet Gelasii exemplaribus secernuntur Hormisdae exempla. Quippe inter synodos, quae recipiendae sunt, non modo Nicaenam, Ephesinam atque Calchedonensem, sed etiam *Constantinopolitanam* recensent; ac post memoratas quatuor illas synodos etiam istud adjiciunt: *Sed et si qua alia sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus.* Quod additamentum sicut et Constantinopolitanae synodi mentionem ignorarunt non tantum antiquiores, qui Gelasianum decretum exscripserunt, sed etiam Isidorus Mercator. Ab ejus enim exemplis utrumque abesse solet; si qua vero offendere est, in quibus haec duo adjecta sunt, haec non aliunde nisi ex Hormisdae exemplaribus primum ad marginem ac postmodum in ipso textu suppleta esse contigit. Et ea quidem in ore tantum codicis Capucinorum Rotomagensium adscripta, in textum autem Remigiani translata offendo. Coislinianus vero primum in margine, postremum in ipso textu exhibet. Demum Hincmarus hujusmodi libro deceptus, utrumque pro ipsis Gelasii verbis habuisse se in opusc. capitulorum quinquaginta quinque c. 24 (Op. tom. 2 pag. 474) indicat ubi scribit: *B. Gelasius in catalogo, qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur, descripto, authenticis scripturis et Nicaenae, Constantinopolitanae ac Ephesinae, Calchedonensis quoque synodi et aliis conciliis in sanctis patribus institutis ... aliisque scripturis discrete*

Digitized by Google

commemoratis de his apostolorum canonibus penitus tacuit; sed nec inter apocrypha ea misit. Unde minus mirum est, eadem additamenta, licet a plerisque omnibus Gelasii vetustis codicibus absint, in editos libros transiisse. Id enim usu venire solet, ut quod auctius invenitur in libris, hoc integrius putetur. Inde vero duorum decretorum diversis temporibus editorum nata confusio, ac de Gelasiano dubitandi occasio data. Prudentioribus enim viris persuasum fuit, in Gelasii tempora non convenire decretum, in quo Constantinopolitana synodus inter oecumenicas numeratur.

9. Nempe quamvis in Calchedonensi concilio act. 2 (Hard. coll. conc. II, 287) fidei definitioni insertum sit Constantinopolitanae synodi symbolum, serius tamen Romani praesules hanc synodum inter oecumenicas habuerunt. Lucentius apostolicae sedis legatus in concilio Calchedonensi act. 16 (Hard. l. c. II, 635) ex Leonis mandato expostulavit, quod *trecentorum decem et octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur.* Ipse Leo idem concilium nec synodi nomine donare dignatur. Ita quippe de illo ad Anatolium epist. 106 c. 5 loquitur: *Persuasioni enim tuae in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta conscriptio;* et epist. 105 c. 2: *Superbum nimis est et immoderatum ..., ut venerabilium patrum* (Nicaenorum) *decreta solvantur, quorumdam episcoporum* (Constantinopoli congregatorum) *proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum.* Inficias non eo, haec maxime ad canonem, quo secunda sedes regiae civitatis episcopo concedebatur, referri. At quum illa synodus nequaquam oecumenica per se fuerit, utpote cui ex Occidente interfuerit nemo, nemo inde ad eam vocatus sit, oecumenica evadere nisi acceptione non potuit. Quominus autem ab Occidentalibus acciperetur, non parum obstitit mox dictus canon. Certe toto illo spatio, quod ab ipsa synodo ad Leonem excurrit, hoc est 60 annorum, acceptam eam non fuisse, hujus papae verba proxime allata satis indicant. Abhinc autem ad Gelasii tempora Romanos inter et regiae urbis antistites ea intercessere negotia, quae illos ab eadem synodo inter oecumenicas suscipienda non minus avocarunt. At Hormisdae aevo mutata sunt tempora. Tunc enim Constantinopolitani antistites in gratiam cum Romanis praesulibus rediere, exindeque his etiam familiare fuit, quatuor synodos, inter quas est Constantinopolitana, paris auctoritatis profiteri, hoc dumtaxat adhibito temperamento, quo nominatim Vigilius etiam longe postea epist. 3 n. 3 usus est, ut tantum quae in illis *de fide* definita sunt, suscipere se testarentur: ne scilicet ea, quae regiae urbi a Constantinopolitana et Calchedonensi concessa sunt, viderentur confirmare. Qui igitur additamenta superius notata in Gelasiano decreto legebant nec suspicabantur aliunde adscita, inde non immerito inducebantur, ut totum opus Gelasio abjudicarent. At ubi compererint, ex viginti et amplius veteribus codicibus, quos recognovimus, ea vix in tribus partim in margine partim in textu ex Hormisdae exemplaribus excerpta legi, eosdem praeconcepta opinione facile abstituros spero.

10. Alias levioris momenti varietates, quae inter sincera Gelasii Hermisdaeque exemplaria occurrunt, in marginalibus notis indicare satis fuerit. Eas minio distinctas cuique uno intuitu conspicere licet apud Justum Fontaninum, qui quidem in appendice antiquitat. Hortens. pag. 317 et Hormisdae decretum a Chiffletio vulgatum et Gelasianum e Vaticano exemplari summa diligentia expressum duabus columnis repraesentavit. Iis vero, quae ad Hormisdam et quae ad Gelasium pertinent, distinctis jam certius apparet, quod nonnulli erant subodorati, sed probare, quamdiu illa erant confusa, non valebant: idem scilicet decretum a Gelasio primum editum, ac postmodum ab Hormisda cum accessione nonnulla confirmatum esse. Quocirca Pagio et assentimus Gelasium decreti de libris parentem esse asserenti.

Digitized by Google

et assensum negamus, idem decretum ab Hormisda ulla in re immutatum vel auctum inficianti. Neque *per errorem*, ut eruditus ille vir existimavit, id, quod Hormisdae nomine circumfertur, ei attributum censemus. Sane Hormisda decretum a majoribus suis prolatum, quo qui recipiendi libri, qui rejiciendi essent definiebatur, epist. 124 ad Possessorem n. 4 palam agnovit ac laudavit his verbis: *hi vero, quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum neque quemquam, quos in auctoritatem patrum non recipit examen, catholicae fidei aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem posse gignere, aut religiosis praejudicium comparare. Fixa sunt a patribus, quae fideles sectari debeant instituta.* Et paucis interjectis: *non improvide veneranda patrum sapientia fideli posteritati, quae essent catholica dogmata, definiit, certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda sancto Spiritu instruente praefigens: ne opinioni suae lector indulgens, non quid aedificationi ecclesiasticae conveniret, sed quod voluntas sua concepisset assereret.* Enimvero quid est illud *examen*, in quo *Faustum aliosque in auctoritatem patrum recipiendos non esse constitutum est*, in quo *fixa sunt a patribus, quae fideles sectari debeant instituta*, et in quo demum *non improvide veneranda patrum sapientia fideli posteritati quae essent catholica dogmata definiit, certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda sancto Spiritu instruente praefigens?* Nemo haec ad ullum retulerit decretum eorum pontificum, qui Gelasio vel anteriores vel posteriores exstiternnt. Restat igitur, ut ea cum Romano pontificiarum epistolarum editore, Baronio, Norisio, Pagio ad Gelasium, cui innumeri probae notae manuscripti decretum de libris recipiendis adscribunt, referamus. Verum Hormisdae decreti hujus instaurandi quum occasionem dedisset exorta de libris controversia, nihil à potestate sua alienum commissurum se censuit is papa, si nonnulla ei pro temporis ratione adjiceret. Et ea quidem libertate, licet in paucis, est usus. Ut igitur deinceps cesset omnis confusio, nostrum est, qui Gelasii Hormisdaeque scripta separatim edimus, unicuique reddere quae sua sunt, nec ea, quae sunt Hormisdae quaeque in Gelasii tempora non conveniunt, hujus decreto admiscere.

11. Annum, quo Gelasius hoc opus aggressus est, plerique certum ponunt, sed nullus probat. Primus Baronius ex annalium conditione ad certos annos singula referre coactus, illud ad annum 494 nulla hujus rei exquisitione vel probatione praemissa retulit. Hunc deinde secuti Severinus Binius et ceteri conciliorum editores, concilium, in quo editum est, ita de suo inscripserunt: *Concilium Romanum I, in quo a LXX episcopis libri sacri et authentici ab apocryphis sunt discreti, sub Gelasio anno Domini* 494, *Asterio atque Praesidio consulibus.* Novissime et Justo Fontanino religioni fuit, idem concilium anno 494 habitum urgere; quia licet Vaticano in codice, quo usus est, nullum annum ei vidisset adscriptum, tamen in mss. Justelli aliisve, quos Gabriel Cossartius, Labbeus, Pearsonius ac Petrus Franciscus Chiffletius laudant, eamdem synodum *Asterio et Praesidio consulibus* bona fide credidit consignatam. Jure tamen dubitemus, an vel unus proferri valeat codex, in quo his consulibus aut ulla temporis nota consignetur. Certe nihil hujusmodi in ullo e nostris, quantumvis multos consuluerimus, reperimus. Neque feliciores hac in re fuerunt sive primi conciliorum editores Merlinus, Crabbius etc., sive qui Romae pontificiarum epistolarum collectionem concinnarunt, sicut nec Pagius, qui quum unum in Regia bibliotheca *antiquissimo charactere* exaratum codicem et alterum in Victorina consuluisset, ab utroque temporis notam abesse expertus, *nec dubito*, inquit, *quia in ceteris mss. desideretur.* Immo apud Labbeum, qui dissert. de script. eccles. tom. I pag. 341 ex veteri ms. bibliothecae suae decretum idem a se descriptum testatur, eodem modo, quo in nostris mss., desinit, tacitis consulibus. Ad Pearsonium quod attinet, ubi

Digitized by Google

aliquot scriptos codices Asterii et Praesidii consulum nomina prae se ferre ait, ex praejudicata opinione atque aliorum fide hoc affirmare haud temere judicetur. Nullum quippe ex his mss. memorat, nisi quem Lanfrancus e Beccensi exemplari descriptum in Angliam detulit. Atqui Beccense illud exemplar etiamnunc habetur, quod omni nota consulari est destitutum. Praeterea istud exemplar ex Isidori Mercatoris compilatione descriptum esse constat. In hac autem compilatione Gelasii decretum nullos consules adscriptos habet.

12. Expendendum nobis restat testimonium Chiffletii, notis in Vigilium Tapsensem pag. 257 scribentis, sese aliquando titubantem ambigentemque, *num vere Gratianus hoc decretum Gelasio adscriberet*, firmatum fuisse tum Nicolai I auctoritate tum antiquis codicibus, *in quibus editum notatur a Gelasio in synodo Romana LXX episcoporum Asterio et Praesidio consulibus*. Duo enim sonare videtur hoc testimonium: idem scilicet decretum in iisdem antiquis codicibus et *a Gelasio in synodo Romana LXX episcoporum* editum, et *Asterio ac Praesidio consulibas* notatum esse. Verum istud postremum a viri sinceri mente alienum esse pro certo habemus. Quum enim varios nec paucos undequaque collegerimus codices, atque hoc decretum in plerisque quidem *scriptum a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis*, sed in nullo *editum Asterio et Praesidio consulibus* legamus, persuadere nobis non possumus, Chiffletium in codices incidisse adeo singulares, qui consularem notam prae se ferrent. Fieri tamen potuit, ut vir veterum bibliothecarum curiosus indagator vel ipsum codicem, qui servatur in Colbertina, vel similem ei offenderit, indeque abductus sit in errorem. In hoc porro codice primum Gelasii circa diversa ecclesiasticae disciplinae capita decretum, hoc est superior epistola 14 *ad episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos* describitur ad caput 10; ac deinde nescio qua librarii oscitantia totum hoc de libris decretum praepostere inseritur cum novo titulo: *In Christi nomine incipit Decretale editum de recipiendis* etc. Tunc huic decretali reliqua, quae ad praedictam epistolam 14 pertinent, scilicet a capite 11 ad finem usque, uno tenore adjunguntur, adscriptis etiam, quibus eadem epistola missa est, *Asterio et Praesidio consulibus*. At quisquis hunc librum non obiter et perfunctorie, sed paulo diligentius consideraverit, notam illam consularem solius epistolae 14 propriam, nec decreto temere inserto communem esse ultro largiatur. Nihil tamen succurrit nobis probabilius, unde hoc decretum in veteribus codicibus *Asterio et Praesidio consulibus* notatum dici potuerit. Hujusmodi autem auctoritas quum nulla sit, hanc assertionem nulla auctoritate niti verius dixerimus.

13. Quapropter quovis modo intelligatur nota, qua *exconsul* Asterius Sedulii opus divulgasse dicitur, cessat pugna hujus notae cum nostro decreto, in quo Sedulii opus veluti jam divulgatum recensetur. Porro hujus operis commemoratio, ex qua Gelasianum decretum non citius anno 495 editum esse conficitur, eos, qui consularem ei notam apposuerant, non ipsum decretum falsi convincit. Quid enim obstat, quominus opus anno 495 ab Asterio exconsule editum eodem anno a Gelasio fuerit approbatum? Eo pacto prudentissimus pontifex et de nobilissimo viro, qui studium in opere Seduliano edendo posuerat, et de fidelibus, ad quorum pietatem informandam aptum judicabatur hoc opus, bene mereri festinavit.

14. Nec distinere nos debet id, unde moventur nonnulli, quod nimirum Gelasius in plerisque mss. hoc decretum non ut vulgo solet simpliciter *in synodo*, sed praeter morem *cum LXX viris eruditissimis* edidisse memoratur. Primum enim e gestis integrioribus simpliciorem revocamus titulum, in quo de LXX viris eruditissimis episcopis nulla fit mentio. Quia tamen et istud etiam permulti ac perantiqui mss. prae se ferunt, nec prorsus rejiciendum, nec frustra commemoratum censemus. Quod et opinaremur probabilius, si in eodem concilio non tantum de secernendis libris, sed etiam de sacramentorum libro, quem a Gelasio adorna-

Digitized by Google

tum esse memoriae proditum est, et pristino liturgiae sacrae ritu in novum ordinem concinnando tractatum esse constaret. Quamquam hoc opus perfici ritc non potuit, nisi qui in ecclesia seu inter sacra mysteria legendi aut non legendi essent libri, praefinitum esset. Ad hoc autem praefiniendum plurimis episcopis eruditione conspicuis opus fuisse, quis neget.

15. Hinc neque de genuino vocis *apocryphi* intellectu, neque cur in hoc decreto tot scripta, quae laude non videntur indigna, inter apocrypha recenseantur, multum est laboraudum. Sive enim cum Hieronymo epist. 7 ad Laetam apocrypha definiamus, *quae non sunt eorum, quorum titulis praenotantur aut quorum auctor ignoratur*, sive hoc nomine designemus, quae ab haereticis vel suspectis hominibus composita aut adulterata sint, seu etiam nuncupemus quodvis opus, cui nonnihil admixtum sit haud satis purum et integrum nec ab omni suspicione liberum; ex omnibus illis libris, quibus Gelasius *apocryphi* notam inurit, nullum esse fatendum est, in quem aliqua ex his notionibus non conveniat, licet non omnes in singulos cadant. Itaque communi nomine impar omnino est librorum, qui *apocryphi* judicantur, censura; vel certe in eo dumtaxat generalis est, quod ex eis nullus judicatur dignus, qui publice in ecclesia legatur, nullus ad fidem vel auctoritatem in Ecclesia faciendam censeatur idoneus. Hinc Hormisda epist. 124 n. 4 libros, quos probavit vel improbavit Gelasius, secernens, de postremis ait: *quos in auctoritatem patrum non recipit examen*, ac de primis: *certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda sancto Spiritu instruente praefigens.*

16. Ignoscat nobis lector, si eum tamdiu in gestorum sequentium limine distineamus. Id quod consultis undique veteribus libris, quorum copia nec tanta nec tam diversa omnibus obvia est, deteximus, singillatim explanare visum aliquod operae pretium. Hinc porro exploratum habuimus, anno Christi 495 Romae a Gelasio celebratam esse synodum, in qua primo actum est de fidei explanatione nominatimque de deitate Spiritus sancti, tum canonicarum veteris ac novi testamenti scripturarum adtextus est catalogus, ac demum de libris, qui legendi in ecclesia vel non legendi sint, seu qui in auctoritatem recipiendi vel non recipiendi, editum est decretum. Deprehendimus quoque postremam hanc partem, velut *Decretale de recipiendis libris scriptum a Gelasio papa cum LXX viris eruditissimis episcopis*, ante saeculum IX separatim fuisse divulgatum. Simul et nobis constitit, id quod Gelasius sive de canonicis scripturis sive de libris ecclesiasticis sanxit, ab Hormisda non sine accessione vel mutatione recognitum esse, adeoque diligenter distinguenda esse decreti hujus exempla, quae Gelasii et quae Hormisdae nomen prae se ferunt. Neque id minus persuasum fuit, nulla prorsus ratione vel auctoritate niti multorum animis insitam opinionem, qua hoc decretum *Asterio et Praesidio* consulibus editum pro certo ponunt.

In Gelasii papae epistolam 42.

Monitum editoris.

1. Religiosissime disputationem doctissimam auctoris nostri sagacissimi pro- [Ed.]
duximus, nihil subtrahentes, pauca tantum, ubi quid supplendum aut corrigendum videbatur, in notis monentes. Ita prudens lector argumentorum pondus ipse pensabit, nec suspicionem in nos feret, si vestigia alias probatissima hac in re deseruerimus. Illud quidem vir ingeniosissimus optime enucleatus est, quomodo et quatenus Hormisdae inscriptio admittenda. Idem fere universim postero tempore Ballerinii [1]) effecerunt, etsi textus recensionem exinde discernere non similiter po-

[1]) In opere iam saepius laudato *de antiquis collectionibus et collectoribus canonum* part. II cap. 11 § 4.

Digitized by Google

tuerunt. Etiam id facile quisque concesserit, notam chronologicam in editis temere additam, et alia ex parte Damasum, prout in Parisiensi Regio 3887. 3, Frisingensi s. Emmerani (utroque saeculi VIII) et Casanatensi D. IV. 23 (saeculi XI) habetur, minime totius decreti auctorem esse. Sed quae deinde vir doctissimus de Gelasio ejusdem auctore statuit, in iis sententiae ipsius accedere non possumus.

2. Primum enim huic sententiae nulla fere vetusti codicis auctoritas suffragatur. Constantius ipse nullum codicem nactus est, qui id aperte proferret. Nam, quem sequitur, Regius 3887. 3 totum *Damaso* inscribit perperam; Harlaeanus autem, minoris ut videtur notae codex, qui *Gelasio* adscribit, tantum fragmentum ejusdem praebet ab illis verbis: *Item dictum est: Post has omnes propheticas etc.* In quo *Gelasii* nomen pro *Damasi* sola incuria aut correctione librarii irrepsisse eo magis credendum est, quo Veronensis 61 (saeculi IX vel X) eamdem prorsus formam proferens cum dicto Regio *Damaso* tribuit. Nec nobis ullus ejusmodi codex notus. Quippe Frisingensis et Casanatensis, quos modo diximus, codices cum Regio concinentes totum *Damasi* nomine insigniunt. Alii autem omnes, ut infra visuri sumus, *Gelasio* decretum istud aut a canone scripturae sacrae aut a sedium patriarchalium distinctione incipiens inscribunt.

3. Sed accedunt ex ipsis iis, quae ibidem initio proferuntur, contra Gelasium haud leves difficultates. Nulla enim ex hujus pontificatu causa nota est, cur de Spiritu sancto, nulla, cur de canone scripturae sacrae synodaliter tractandum esset. Immo hoc ipsum omnino illius tempus deserendum, ad Damasi aetatem descendendum fere suadet. In probatissimis quippe codicibus locus de Johannis epistolis ita legitur: *Johannis apostoli epistola I. Alterius Johannis presbyteri epistolae II.* Quae quidem s. Hieronymi sententia canone nondum stabilito Damasum illi conjunctissimum movere poterat; Gelasius vero post saecularem fere totius Ecclesiae alium consensum, post synodorum Africanarum et decessorum suorum (praeprimis Innocentii I epistolae 6) constituta tres illas epistolas Johanni apostolo adscribentia ad illam redire vix aut ne vix quidem potuit. Unde illam partem decreti, qua de Spiritu sancto et de canone scripturae sacrae agitur, Gelasio non possumus non abjudicare.

4. Ut vero jam certiorem formam decreti hujus assequamur et quod cuique tribuendum sit dignoscamus, illius prospectum quemdam ex codicibus delineatum exhibere juvat. Simul ibi singulorum exemplarium inscriptiones optime adjungentur, quibus critica de auctore quaestio haud parum lucidatur. Totum opusculum igitur, quatenus manuscriptis praebetur, has quinque partes complectitur: I de Spiritu sancto; II de canone scripturae sacrae; III de sedibus patriarchalibus; IV de synodis oecumenicis (ibique alii cum additamento de *synodo Constantinopolitana* et *si qua alia concilia* etc., id quod nos litteris *c. s. Ct.* adnotabimus); V de libris recipiendis et rejiciendis. Haec ergo tabula illius formam secundum singulas codicum auctoritates notis brevibus repraesentat:

1 *Damaso:*	I[1])	II[2])	III[3])	IV[4])	V[5])	F^a Y^c Φ
2 *Damaso:*	I	II	III	IV	V (*—It. Chr. Eus.*)	F^1

[1]) F^a Y^c F^1 F^2 H^s *Incipit concilium urbis Romae sub Damaso Papa de explanatione* (Y^c *explicatione*) *fidei. Dictum est: Prius agendum de Spiritu septiformi* etc. usque ad *annuntiabit vobis*, ut apud Holstenium coll. Rom. I, 178. Ex ejusdem generis codice excerpsit collectio Anselmo dedicata (Φ), nostrum decretum lib. X c. 108 ita proferens: *De eadem causa* (scil. *Qui libri in canone recipiantur*) *concilium urbis Romae sub Damaso P. Nunc vero de scripturis* etc. usque ad fin. cap. III *credimus esse subdenda.*

[2]) F^a Y^c F^1 F^2 H^s *Item dictum est: Nunc vero de scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipit* (F^a Y^c *recipiat*) *Ecclesia et* (F^1 *vel*) *quid vitare debeat. Incipit ordo veteris testamenti. Genesis liber I.* Ibique postea cum F^m *Johannis apostoli epistola I. Alterius Johannis presbyteri epistolae II.*

Digitized by Google

3 *Damaso:*	I	II	III	—	—	F^2 H^8
4 *Damaso:*	I[6])	—	—	—	—	F^m
5 *Damaso:*	—	—	III[7])	IV	V	Y^b
6 *Damaso:*	—	II[8])	III	IV	V	H^d
7 *Gelasio:*	—	II[9])	III	IV	V	F^m Y^v X^k
8 *Gelasio:*	—	II[10])	III	IV	V *(c. a. om.)*	O^2 O^v Y^h $O^m c^1$
9 *Gelasio:*	—	II[11])	III	IV *c. s. Ct.*	V	Y^o R
10 *Gelasio:*	—	—	III[12])	IV	V	F^2 H^8
11 *Gelasio:*	—	—	III[13])	IV	V *(c. a. om.)*	C^1 C^2 F^v O^1 (F^c ?)
12 *Gelasio:*	—	—	III[14])	IV	V	C^1 D^i F^g K^4 O^3 O^9 O^{11} Γ
13 *Gelasio:*	—	—	III[15])	IV *c. s. Ct.*	V *(c. a. om.)*	X^1 K^3
14 *Gelasio:*	—	—	III[16])	IV	V	H^3
15 *Hormisdae:*	—	II[17])	III	IV *c. s. Ct.*	V	I^c I^{16} X^c I^h
16 *Hormisdae:*	—	II[18])	III	IV	V	I^v I^p

---

[5]) F^a Y^c F^1 F^2 H^8 *Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas* etc. usque ad *exortum est;* ibique F^2 H^8 finiunt decretum Damasi.

[6]) F^a Y^c F^1 *Et quamvis aliud fundamentum* etc. ut in c. II nostri textus.

[7]) F^a Y^c F^1 *Item opuscula b. Caecilii Cypriani* etc. ut in c. III nostri textus. Sed F^1 jam in illis de Origene *dicimus renuenda* desinit, alii usque ad finem *confitemur esse damnata* perducunt.

[8]) F^m *Incipit concilium urbis Romae sub Damaso Papa de exemplaribus fidei et de recipiendis et non recipiendis libris. Prius agendum est de Spiritu septiformi* etc. usque ad *annuntiabit vobis.*

[9]) Y^b *De concilio in urbe Romana sub Damasa Papa edito. Post has omnes propheticas* etc. ut in F^a Y^c, atque ad finem: *Explicit concilium sub Damaso Papa.*

[10]) Ita monet Hard. coll. conc. II, 937, et hunc codicem a Dacherio collectionis Dionysianae putari; sed amplius nihil mihi notum est.

[11]) F^m X^k Y^v *Incipit decretum de abjiciendis et recipiendis* (X^k Y^v *recipiendis et abjiciendis*) *libris, quod scriptum* (X^k Y^v *factum*) *est a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica in* (X^k Y^v om. *in*) *urbe Roma.* Et subjicitur canon scripturae sacrae: *Ordo veteris testamenti. Genesis* et reliqua usque ad illa n. 8 *Opuscula Fausti Reg. Gall. apocrypha,* in X^k X^v autem usque ad finem.

[12]) O^2 O^m O^v c^1 *Ordo veteris testamenti, quem sancta et catholica Romana suscipit et veneratur ecclesia* (O^m *Ordo de sacris libris*) *digestus a Gelasio papa cum LXX episcopis. Genesis* etc. Sed deinde secunda pars ita inchoatur: *Incipiunt decreta Gelasii papae. Decretum cum LXX episcopis habitum de apocryphis scripturis. Post propheticas* etc. Ibique post Calchedonensem synodum addit O^2 c^1: *et si qua sunt concilia* etc. Eadem forma in omnibus omnino Pseudo-Isidorianae collectionis exemplaribus praebetur, quae Hinschius in prolegomenis ad ejusdem editionem adornatis (pag. LXVII) classi C adtribuit: Montepessulano H. 3 (saec. XII) et H. 13 (saec. XIV), Parisiensi B. 19 (saec. XIII), Vatic. 1340, s. Marci Veneti Lanetti 168 (XCIV. 3.) et 169 (LXIV. 3) (saec. XV). Similiter et vel apertius distinctionem Parisiensis Harduini notat hac inscriptione: *Notitia sacrarum scripturarum seu librorum canonicorum cum descriptione vel adnotatione Gelasii papae.*

[13]) Y^o R eadem inscriptione insigniunt, quae X^k Y^v (vid. not. 9); sed addunt in parte IV illa de synodo Constantinopolitana et aliis synodis.

[14]) F^2 H^8 *Incipit decretalis de recipiendis et non recipiendis libris, qui scriptus est a Gelasio papa cum LXX viris eruditissimis episcopis in sede apostolica urbis Romae. Post propheticas et evangelicas* etc., ut in editione nostra.

[15]) F^v *Incipit decretale sancti Gelasii papae urbis Romae. Post propheticas* etc., ut in edit. nostra. C^2 *Incipit decretale ab urbe Roma editum de recipiendis sive non recipiendis libris factum. Synodum sub Gelasio papa urbis Romae cum LXX episcopis.* INCIPIT PROLOGUS. *Ad discutiendas vel intelligendas scripturas, quas in Novo vel in Veteri Testamento editas, illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: Prophetias, inquit, nolite spernere; omnia autem probate: ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas, quas de adventu Domini ac nativitate vel passione ipsius et resurrectione certissime fuisse locutas, per quas enim nos credimus esse salvatos. Ibi intelligimus illud, ubi dixit: Quod bonum est tenete, ad repellendas vel a catholicis renuendas Scripturas esse cognovimus, quas etiam vir eruditis-*

Digitized by Google

5. In hac igitur summa codicum varietate sex fere decreti nostri formae dantur. Prima est illa, quae totum decretum praemissa de Spiritu sancto parte auctum sub nomine Damasi exhibet (tab. n. 1 et 2, fragmentum ejusdem l. c. n. 5, 6 et mutato nomine n. 14); altera, quae tres partes priores (tab. n. 3), tertia, quae primam tantum Damaso tribuit (tab. n. 4); quarta, quae decretum a secunda parte Gelasio (tab. n. 7, 8, 9), quinta, quae paucis mutatis idem Hormisdae inscribit (tab. n. 15 et 16); sexta denique, quae illud a tertia parte Gelasio insignit (tab. n. 10—14), partim simul tres priores particulas Damaso amandans (cf. tab. n. 10 et 3). — De falsitate primae formae jam nihil addendum est, quae scripta non pauca pontifici fere ante saeculum mortuo lustrata supponit. Sed nec illam Gelasio dare, nullo codice suffragante et textu ut supra vidimus repugnante, ullo modo possumus. Deinde autem illam secundam formam cum optimis codicibus Vaticanis 5845 et 1353 ac Vallicellano A 5 Damaso quin tribuamus, nihil vetat. Nam nec chronologicus ordo obstat, et quae ibi de Spiritu sancto nominibusque Christi ac de canone et sedium patriarchalium auctoritate proferuntur, optime cum illius pontificis tempore conveniunt, immo jam dudum in ejusdem documentis quodammodo desiderabantur. Tertia forma, quae sub Damasi nomine solam primam partem de

---

simus Hieronymus repudiavit esse damnatas, sufficit nobis dicere, ut ab omni specie mala abstineamus. Post propheticas et evangelicas atque apostolicas etc., ut in edit. nostra. Denique O[1]: *Incipit decretum Gelasii papae, quod in urbe Roma cum LXX eruditissimis episcopis conscripsit. Post propheticas* etc. F[c] praemittit canonem veteris et novi testamenti, tacito nomine Gelasii: *Incipit ordo librorum veteris testamenti quos sancta et catholica romana suscipit et veneratur ecclesia.* Hoc absoluto pergit: *Incipit decretale sancti Gelasii episcopi urbis rome. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundata est* etc. In sequentibus, ut notat Denis („Codices manuscripti theol. biblioth. Palat. Vindob. latini" vol. II cod. CCCX), longe magis ad exemplar Chiffletianum quam ad Vaticanum Fontanini accedit.

[14]) Teste Coustantio hi codices omnes inscribuntur: *In Christi nomine Incipit decretale editum de recipiendis sive non recipiendis libris* (C[1] *auctoribus*) *quod scriptum est a Gelasio papa urbis Romae cum LXX eruditissimis viris episcopis. Post propheticas* etc. ut in edit. nostra. Quibus fere concinunt mss. O, quos Hinschius primae classis ponit, et V[1] V[2]: *In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis et non recipiendis libris, quae scripta sunt a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica urbis Romae. Post propheticas* etc. In mss. O tertiae classis eadem brevius: (*Incipit Gelasii*) *decretum cum LXX episcopis habitum de apocrifis scripturis. Post propheticas* etc.

[15]) Inscriptio X[1] prorsus eadem, quae in mss. O (prim. class.) V[1] V[2]. Sed post Calchedonensem synodum illa de synodo Constantinopolitana et aliis conciliis adduntur, et canones apostolorum inter apocrypha omittuntur (num etiam in K[3] omittantur, mihi ignotum est).

[16]) H[3] *Incipit decretale de recipiendis libris, quod scriptum est a Gelasio papa cum LXX eruditissimis episcopis in sede apostolica in urbe Romana. Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas, quibus* etc. (ut in edit. nostra).

[17]) I[c] X[c] *Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum de scripturis divinis, quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post haec quid vitare debeat. Ordo de Veteri Testamento, quem sancta et catholica Romana suscipit et honorat Ecclesia iste est: Genesis* etc. . . . *Item ordo Scripturarum Novi et Aeterni Testamenti. Evangeliorum libri IV* etc. . . . *Post has omnes propheticas et evangelicas atque propheticas, quas superius depromsimus, scripturas, quibus* etc., adduntur tamen illa de *synodo Constantinopolitana et aliis conciliis.* Similiter Harduinus sub calcem decreti (coll. conc. II, 942) adnotat, in ms. suo claudi: *Explicit decretale editum ab Hormisda papa urbis Romae.*

[18]) I[r] in tabula titulorum Nr. 102 post s. Gregorium subjicit: *Decreta Romanae sedis de recipiendis et non recipiendis.* Etsi decretum ipsum in corpore hujus codicis desit, tamen Perezius in I[p] (Vat. 4587), ubi notitiam manuscriptorum auctioris collectionis Hispanicae dedit, se in omnibus mss. invenisse testatur: *Decreta Romanae sedis de recipiendis et non recipiendis libris ab Hormisda papa edita.*

Digitized by Google

Spiritu sancto exhibet, nihil curanda. Nam ipsa inscriptione (cf. pag. 55 not. 6) proditur, illud nonnisi fragmentum longioris decreti esse, et in genuina forma quaedam addita fuisse. Nec ullum scrupulum quinta forma movet, quominus cum Coustantio eam Hormisdae tribuamus. Omnis igitur difficultas in forma quarta et sexta posita est, utra earum potius Gelasio adscribenda. Primum si conferantur codicum alterutram formam praebentium auctoritates, codices quartae formae vix concurrere possunt. Solum Florentinum s. Marci exemplar a Blanchino editum alicujus momenti esse videtur. Sed quod ibi decretum divisum (tab. n. 4), et priori parti sub Damasi nomine ea inscriptio imposita est, quae jam secundam sibi et ipsam adcerendam postulet (conf. not. 6), haud temere suspicio adest, non primariam ibi formam praeberi, sed correctricem manum a librario exemplari suo admotam et genuinam formam transformatam esse. Alii sunt sequioris ordinis et aetatis codices, qui videlicet post Pseudo-Isidorum excerpta undequaque congesserunt: quales sunt Vaticani 1339, 1340, 1349, Vatican. Palatinus 584, Venetus s. Marci 169, Vallicellanus XVIII, Burchardus. Qui simul partim recensionem Hormisdae exemplarium aperte produnt, in canone divinarum scripturarum *Johannis apostoli epistolas III*[1]) scribentes ac deinde particulam *de synodo Constantinopolitana* et *aliis conciliis*[2]) addentes; partim ipsi librorum genuinorum fidem quodammodo notant, quum canonem scripturae sacrae proprio titulo a sequenti decreti corpore quasi[3]) discernant. Quapropter fides ipsorum jam per se valde sublesta et vacillans probatissimorum codicum auctoritates minime labefactare potest, immo his ipsa potius prorsus destruitur. Unus scrupulus remanet, quod, si secunda forma Damaso sexta Gelasio vindicetur, Gelasius initio longiorem periodum praedecessoris sui non memorato ejus nomine repetiisse videtur, id quod de pontifice disertissimo vix credendum dicatur. Sed hoc tantum non esse, ut codicum auctoritates rejiciat, facile concesserit, quisquis ejusmodi repetitiones praesertim de rebus juris quotidiani in pontificiis epistolis et ipsis in Gelasii scriptis haud inusitatas esse perspexerit. Si quis autem inde hanc quoque particulam principaliter Gelasii esse, ad Damasum non nisi incuria librarii translatam posuerit, haud multum oppugnabimus, ipse ejus rei judicium periculumque sustineat. Nobis quidem illud *Item dictum est*, quo haec pars antecedenti in omnibus illis codicibus additur quoque aperte synodus notatur, aliquatenus postulare videtur, ut eadem Damaso principaliter adjudicetur.

6. Si autem tandem unde tanta rerum confusio nata sit quaeramus, vix dubitandum, quin partim Hormisdae recensio, partim illa Gelasii ex textu Damasiano repetitio in causa fuerit. Hinc enim larga librariis occasio data est, ut nominum inscriptorum et recensionis diversitatem non animadvertentes aut ejus vim et originem parum perpendentes, alius alio facilius infeliciusque augerent, detraherent, interpolarent, corrigerent. Siquidem alius quum Damasianum decretum ex parte a Gelasiano exceptum (aut certe in Hormisdiano fere conveniens) invenisset, utrumque mancum et illud ex hoc compensandum ratus, non pensata nominum varietate praeceps totum *Damaso* adscripsit: ita Regius Parisiensis 3887. 3, Frisingensis s. Emmerani, Casanatensis D. IV. 23 (tab. n. 1 et 2). Alius Gelasianum exemplar cum Hormisdiano conferens, illud ex hujus capite auxit: ita codices tabulae n. 7—9; ubi quidam simul textum ex Hormisda corrigendum duxerunt: ita Vatic. Palatinus 584, Burchardus (tab. n. 9). Alii tale exemplar Damasianum auctum nacti, pro usu

---

[1]) Ita omnes isti codices tab. n. 7—9, exceptis F^m X^k.
[2]) Ita RY^e.
[3]) Ita codices tab. n. 8 (conf. not. 10 et F^c). Similiter libri Carolini I, 6 discernere videntur, quum solum pro *doctoribus* suscipiendis *Gelasium vel ceteros illius sanctae sedis pontifices* appellent, pro *scripturis canonicis* universim *sedem apostolicam*.

Digitized by Google

suo vel ex similitudine aliorum excerpserunt, idque aut pure (ita sec. tab. n. 5 et 6 Dacherianus et Veronensis 61), aut ita, ut simul nomen, quod in hac quidem parte erronee appositum vix latere potuit, mutarent (ita sec. tab. n. 14 Harlaeanus). Alii denique hunc errorem statim animadvertentes, ejusmodi exemplar diviserunt, priorem partem ex prima inscriptione Damaso, alteram ex similitudine aliorum codicum Gelasio tribuentes (ita Florentiuus s. Marci). Nec qui genuinam formam retinebant, ab omnibus prorsus quas putabant correctionibus ex Hormisdae exemplaribus abstinebant, ut palam fit in Vaticano 3832, partim etiam in Lucano 88, Vallicellano A 5 et XVIII. His igitur librariorum erroribus detectis formam pristinam ex optimis codicibus Germanensi Fortunati, Vaticano Palatino 493, Colbertinis 784 et 3368, Vaticanis 5845 et 1353, Vallicellano A 5, Lucano 88, Remensi s. Remigii, Vaticano 630 et aliis Pseudo-Isidori ita proferemus, ut simul pro textu constituendo alia exemplaria examinare non omittamus.

In Gelasii papae epistolas 43 („*El ἅπερ*", „*Si quae*").

[Ed.] 1. Epistola haec *Panopliae dogmaticae* auctoris Graeci saeculi, ut [1]) videtur, sexti vel septimi inserta, ex codicibus Vaticanis latino 7153 et graeco 1904 studio clarissimi eminentissimi cardinalis Angeli Maji *Nov. Patr. Biblioth.* tom. II pag. 653—662 prodiit. Praedictum opus enim in Vatic. graeco 1904, codice anno Chr. 1306 exarato, post fol. 44 in quaestione X interruptum est, ita ut fol. 47 ultima parte epistolae nostrae ab illis n. 6 *παρασαλεῦσαι τῆς θείας ὀρθοδοξίας τῶν ὕμνων κτλ.* excipiatur. Sed felici casu de foliis intermediis saltem pars, operis illius quaestiones XI, XVI, XVII et XVIII exhibens, codici latino Vaticano 7153 fol. 12—19 adsuta est, ubi in quaestione XVIII fol. 18 et 19 etiam initium nostrae epistolae usque ad verba laudata n. 6 praebetur. Nos igitur textum codicis partim contulimus, et satis fideliter ab doctissimo cardinali redditum invenimus. Addidit idem in editione sua versionem latinam, quam et nos paucis, ubi visum est, mutatis hic adjecimus.

2. Haud inficior, orationem stilumque in hac epistola multum ab aliis Gelasii genuinis differre. Sed hoc quantum interpreti graeco tribuendum sit quum discerni nequeat, contra codicis auctoritatem argumentum esse non potest. Cui auctoritati simul alia ex parte epistola ipsa suffragatur. Siquidem episcopi, quibus inscribitur, omnes ex aliis monumentis fide dignis, ut visuri sumus (not. *b*), Gelasio revera coaevi dantur. Deinde persecutio, qua ecclesia orientalis in epistola hac pressa apparet, etiam aliunde et ex ipsis Gelasii scriptis (conf. Gelas. epist. 13 n. 1, 27 n. 2, 7, 8, tract. II n. 10) palam fit. Item perturbatio illius ecclesiae per Petri Fullonis additamentum *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς* recens concitata (n. 7), illi tempori optime convenit. Denique etiam singulari ratione, qua Eutychiani Manichaeique quasi iidem essent conjunguntur, et *libertas* omnis *apud Manichaeos esse* praedicatur (n. 2 et 3), idem tempus aliquatenus signatur. Nam *Gelasii tempore Manichaeos in urbe Roma inventos esse*, liber pontificalis tradit et Gelasius epist. 37 n. 1 confirmat, qui et ipse epist. 7 n. 2 similiter utrosque haereticos quasi connexos nominat. Illos Manichaeos autem imprimis Anastasii imperatoris elevatione laetatos esse, quippe cujus mater illorum partibus addicta, Theophanes chronogr. p. 211 auctor est. — Quibus omnibus addatur, quod Gennadius de viris illustribus c. 94 pontificem nostrum plures epistolas in orientem misisse aperte dicit: *Gelasius*, inquit, *urbis Romae episcopus adversus Petrum et Acacium scripsit epistolas, quae hodie in ecclesia tenentur catholica.*

3. De tempore, quo scripta sit, nihil certi dici potest. Ex ipsa epistola n. 2

[1]) Auctor scilicet quaest. XVI Severianos tamquam sui temporis homines nominat et quaest. II n. 4 Dionysii Areopagitae de divinis nominibus I, 5 et 6 laudat.

Digitized by Google

comperimus, episcopos Syriae synodum habuisse, ibique cunctos haereticos damnasse et recepisse synodum Calchedonensem et tomum Leonis papae. Saltem ille *sacrorum monachorum egregius manipulus*, qui ejusmodi significationes fidei suae ad sedem apostolicam detulit, nomine illius synodi locutus esse et idem fuisse videtur, per quem deinde *libellus* a synodo *missus* dicitur. Praeterea *Johannes et Sergius diligentissimi fratres* ab iisdem episcopis venientes eadem fere oretenus pontifici nuntiarunt: scilicet illorum *firmum judicium* et *patientiae constantiam* atque *haereticorum impudentiam* et *saevitiam*, quae omnia eodem *libello confirmarunt*. Quae porro inter hos episcopos Johannem et Sergium ac monachorum illum manipulum et ipsam synodum ratio intercesserit, nihil patet. — Deinde in eadem epistola n. 6 *terrae motus indesinentes*, *frugum sterilitas*, *ecclesiarum perturbationes*, *populorum rebelliones*, *pacis exilium*, *tumultus ubique dominans*, *sanguinis infinita effusio* ut calamitates praesentes memorantur. Quae quidem etsi fere omni anno illius infausti temporis assignari possent, tamen si secundum ea, quae supra n. 2 attigimus, ad Anastasii praeprimis imperium retulerimus, prae omnibus ejus annos tertium et quartum respiciendos suadent. Ibi enim quasi culmen malorum omnium: et a Scythis et ab Isauris bella saeviebant, et Constantinopoli dira populi seditio, et ipsa in Syria plures urbes terrae motu dirutae[1]) sunt. — Denique ut ultra annum 495, quo Gelasii epistola 27 ad orientales data, descendamus, haec suadent. Nulla ibi aut illius Syriorum legationis aut hujus responsionis pontificiae mentio facta, quum tamen orientales objecissent, se *ignorasse quae apud apostolicam sedem gesta* essent (Gelas. epist. 27 n. 1). Quare haud temere conjecerimus, et illam legationem et hanc responsionem post istam epistolam 27 ponendam esse. Unde quum eadem vix ante ultimum Gelasii annum scripta sit, nec tamen certa ulla temporis indicia appareant, eam ultimo loco ponere libuit.

In Gelasii papae fragmenta.

Monitum generale.

1. E fragmentis sequentibus Lucas Holstenius in collectione Romana bipartita decem in lucem emisit, duo scilicet ex Anselmi Lucensis collectione, reliqua ex ea quam cardinalis Deusdedit concinnavit descripta. Tria alia a Stephano Baluzio Miscellan. tom. V vulgata sunt. Cetera suppeditarunt nobis tum praenominati Anselmi, tum Ivonis Carnutensis episcopi, tum Gratiani compilationes, sed maxime Josaphatei monasterii juxta Carnutum codex Ivonis aevo exaratus, qui Gelasii fragmenta amplius quinquaginta continet, aliqua quidem ex editis sed pleraque ex inéditis ejus scriptis excerpta. In simile postea incidimus olim Pithoeanum nunc oratorii Trecensis exemplar priori haud longe recentius, ad quod apographa nostra recognoscere studuimus. [a³. Ed.]

2. Hi duo codices nullum locum permittunt suspicandi, ne quid forte Gelasio I, quod ad Gelasium II pertineat, attribuamus. Nam et utrumque ante exaratum arbitramur, quam Gelasius II pontificatum adeptus est, et quum collectanea contineant ambo e scriptis Romanorum pontificum a Clemente I ad Urbanum II excerpta, ea non confuse permixta sed secundum temporum ordinem digesta exhibent, adeo ut haec Gelasii fragmenta media inter Simplicii Anastasiique decreta disponantur. Hac dispositione vitatur et alterum incommodum, quo Gelasii Pelagiique nomina propter quamdam sonorum affinitatem in veteribus canonum compilationibus confundi atque alterum pro altero poni solent. Nempe Anselmus epistolae

[1]) Conf. Marcellini chronicon, et Theophanes chronograph. p. 214 sq. et 218.

Digitized by Google

ad Bonum Savinatem fragmentum *Gelasio* attribuit, quod aliis in libris Pelagio adscribitur. Contra Ivo fragmentum *Cresconio illustri* inscriptum, quod Anselmo et Gratiano auctoribus nostrisque manuscriptis suffragantibus *Pelagii* est, *Gelasio* tribuit. Item decretum quoddam *de perjuris* [sicut fragmentum *ad Rufinum episcopum*][1]) solus Gratianus *Gelasii*, Anselmus, Ivo et mss. *Pelagii* nomine inscribunt.

3. Cetera hujusmodi exempla, quae prosequi longum esset, praeterimus. Minus vero timendum, ne error sit in nomine, ubi etiam tempus congruit. Quare sola praedictorum codicum auctoritate ad faciendum hoc discrimen minime contenti, excussimus praeterea, quae fuerint episcoporum, quibus haec fragmenta inscribuntur, sedes, aliquive Gelasio aequales et coaevi iisdem fuerint nominibus appellati, an etiam, quae illis attribuuntur gesta, in ejus tempora conveniant. Cui examini magno subsidio fuerunt synodorum sub Symmacho annis 499, 501 et 502 habitarum subscriptiones. Hinc enim certam adepti sumus nonnullorum episcoporum notitiam, qua comparata etiam ad ceterorum internoscendam aetatem quadam communione serieque rerum pervenitur. Si qua vero sunt argumenta propria, quibus inscriptionum veritas certius adstruatur, ea paucis indicare suis locis non pigebit. Nec dissimulamus, interim ex iis fragmentis superesse duo (scilicet Gratiani c. 28. C. XVI qu. 1 et c. 13 D. LV)[2]), de quibus adhuc anceps est animus, num eorum codicum, qui illa *Pelagio* attribuunt, inscriptio praeferenda necne sit.

4. Observamus, et fragmenta, quae interdum vago *Gelasii papae* nomine referuntur, non anepigrapha exstitisse, sed vel compilatorum vel librariorum vitio, quod apud Anselmum frequens est, eorum quibus inscribebantur nomina praetermissa esse. Nec tacendum, postremam fragmenti 10 partem *ex Registro Gelasii papae* excerptam praenotari; quod indicio est, Gelasii ad varias relationes responsa ac judicia in unum codicem referri consuevisse, atque hunc codicem penes eos fuisse, qui tot fragmenta nobis transmiserunt. Quamvis autem generale fragmentorum nomen eis indamus, nonnulla tamen sunt, in quibus nihil aut pene nihil desiderandum videatur. Certe plura perspicuam exhibent eorum, de quibus quaerebatur, decisionem; singula vero apostolicae sedis quae per Italiam auctoritas, quae et quot negotia fuerint, nos docent. Hinc et aliorum pontificum, qui longe plures annos Romanorum ecclesiam administrarunt, quot exciderint scripta, augurari licet. Ad ordinem quod attinet, quum desinant temporum notae, eum secuti sumus, qui commodior visus est, ut quod ad unam eamdemque rem vel affinem attineret, consequenter subjiceremus. Aliquis forte maluisset, ea ad calcem post tractatus rejici. Sed ubi varia his fragmentis apostolicae sedis decreta exhiberi perpenderit, quod a decretalibus epistolis illa non sejunxerimus, haud dubie probabit.

[Ed.] 5. Ad haec quidem Holstenii, Baluzii et Coustantii nostri studia adjunximus, quae deinde viri doctissimi ex sinceriorum collectionum codicumque latebris produxerunt, nec non exemplarium Romanorum opem. Inter illos prae omnibus nominandi clarissimi fratres Ballerinii et mirae eruditionis sollertiaeque Dominicus Mansius, quorum illi in praestantissimo *de antiquis collectionibus et collectoribus canonum tractatu* part. IV cap. 14 (Opp. Leon. Magni tom. III p. CCCIV) ex collectione cardinalis Deusdedit (cod. Vat. 3833), hic ex Burchardi, Ivonis et Gratiani exemplaribus in *amplissima conciliorum collectione* tom. VIII col. 125 sqq.

[1]) Hoc quidem fragmentum nihilo secius Coustantius *Gelasio* tribuendum retinuit, *Rufini*, cui inscribitur, nomine motus, ad quem Gelasii epistola 22 directa, quique in concilio Romano a. 499 Canusinus episcopus nuncupatur. Nobis praeter dictas collectiones imprimis contra persuasit codex Vaticanus 3832 fol. 67b idem *Rufino epō Uuionensi* inscribens. [*Ed.*]

[2]) Haec igitur fragmenta, quae Coustantius n. 10 et 14 signavit, omisimus, illud cum Berardo pro spurio rejicientes, hoc cum codicibus Pelagio tribuentes. [*Ed.*]

Digitized by Google

longam fragmentorum Gelasianorum seriem exhibuit. Ex codicibus imprimis nobis usui fuerunt Vaticanus 3832 ex initio saeculi XII, post Pseudo-Isidorianas primorum pontificum epistolas et varia excerpta locupletissimam fragmentorum Gelasii Pelagiique copiam praebens (fol. 66—70); nec non Vaticanus 1364 praestantissimus Anselmi Lucensis codex. Praeterea nec supersedendum rati sumus, quominus principes illos codices collectionum Ivonis et cardinalis Deusdedit, Vaticanos 1357 et 3833 dico, iterum ad trutinam vocaremus. Quibus simul eo magis suspicio omnis removetur, ne *Gelasii I* pro *Gelasii II* nomen irrepsisse ullo modo admittatur.

In Gelasii papae fragmentum 1 („*De sacra*").

Ex Vindobonensi, ut videtur, codice exscripsit et publici juris fecit vir claris- [Ed.]
simus Augustinus Theiner anno 1836 in opere, cui titulus *Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones* tom. I p. 201. Porro duo hoc tempore ab historicis [1]) memorantur *Iohannes* illustrissimi, alter cognomine *Scytha*, alter cognomine *Gibbus*, qui ab Anastasio imperatore adversus Isauros rebellantes missi ab anno 492 usque ad annum 498 rem Romanorum in regionibus Asiaticis strenue sustinebant. Fortasse Gelasius quum celeberrimas illas epistolas encyclicas ad orientales daret (epistolas 26 et 27), iisdem legatis deferendis addidit etiam monitorias ad honoratiores quosdam, quos causae catholicae favere aut praeprimis prodesse posse sciret. Ejusmodi quidem scriptis ut supra epistolas 28 et 29, ita etiam hoc fragmentum ad *Johannem illustrem* accenserem, sive alterutrum illorum adversus Isauros ducum, sive alium in rebus publicis aliquatenus pollentem. Nisi forte quis idem ad illam potius Fausti magistri legationem et epistolarum 8—10 seriem referre maluerit.

In Gelasii papae fragmentum 2 („*Precor autem*").

Ex Vaticano 3833 collectionis cardinalis Deusdedit l. II c. 100 primum vul- [Ed.]
garunt Ballerinii Op. Leon. tom. III p. CCCIV, deinde Mansius coll. conc, tom. VIII col. 141, is tamen sensu prorsus mutato, quum ex incuria librarii *regulam s. Petri* loco *reculam s. Petri* posuerit. Porro ecclesiam Romanam inter alia etiam in Dalmatia bona quaedam possedisse, ex Gregorii I quoque epistolis compertum habemus (conf. Greg. epist. II, 20 et 46. III, 22). Igitur inter multam sollicitudinem, quam Gelasius de schismatis in illa regione restinctione gessit, patrimonium sancti Petri tueri non omisit. Fortasse scriptum nostrum fragmentum unius ex iis epistolis est, quas sollers pontifex plures eodem tempore direxit (cf. epist. 4, 5, 7), ut schisma artibus Andreae episcopi Thessalonicensis et Pelagianorum exortum sanaret. Certe qui hic memoratur *Honorius*, est ille *Salonitanus episcopus*, cujus ope et alias Gelasium pro exstinguenda haeresi usum esse scimus (cf. Gelas. epist. 4 et 5).

In Gelasii papae fragmentum 3 („*Experientia*").

A Stephano Baluzio Miscellan. tom. V vulgatum ac deinde a collectoribus [a[1]]
conciliorum repetitum fuit. Perinde in eo loquitur Gelasius, ac si Lucerinae ecclesiae episcopalem sedem nunc primum crearet, eam Aemiliano, Constantino et Ampelio fundantibus atque Anastasium ei praeficiendum petentibus. Quod si ita est, istud Gelasius circa pontificatus initia scripserit necesse est, quum epistola 22 Lucerini episcopi meminerit clericos praeter fas ordinantis.

---

[1]) Evagr. H. E. III, 35, Theophanes chronogr. p. 213, Marcellinus chronic., Theodor lector. H. E. p. 559 (ed. Vales.).

Digitized by Google

In Gelasii papae fragmentum 4 („*Plebs Clientensis*").

[Ed.] Ex Anselmo Lucensi lib. VI cap. 48 (al. 50) et Gratiano c. 11 D. 63 est exscriptum et a Mansio coll. conc. tom. VIII col. 138 primum vulgatum. *Gerontii Fidenatis* seu *Ficoclensis* episcopi in concilio Romano, quod anno 501 habitum est, subscriptio legitur (cf. fragm. 11). Suspiciosa autem haec epistola est Berardo (*Grat. can. genuin.* II, 342), immo imposturae auctorem ipsum Anselmum Lucensem putat, qui ea nihil aliud egerit, quam ut libertatem electionum episcopalium assereret, et a quo solo eam Gratianus acceperit. Verum illud quidem nullum argumentum, hoc falsum est. Nam illa libertas nonne aeque per prima saecula atque Anselmi tempore vindicata est? Gratianum autem uno Anselmo fonte usum esse nemo dixerit, qui utriusque lectiones variantes inspexerit.

In Gelasii papae fragmentum 5 („*Presbyteri*").

[Ed.] In *collectione bipartita* Lucae Holstenii ex compilatione canonum cardinalis Deusdedit l. I. c. 141 primum editum est, sed prima ac postrema parte truncatum. Integrius deinde ex Gratiani decreto c. 3 D. 24 a Mansio coll. conc. tom. VIII col. 137 productum, nunc ad Anselmi Lucensis l. VII c. 92 exemplaria Germanense et Vaticanum recognitum repraesentatur.

In Gelasii papae fragmentum 6 („*Quartum*").

[a³] Ex iis est, quae Lucas Holstenius in lucem ex collectione cardinalis Deusdedit emisit. *Sabino* una cum Crispino superiorem epistolam 23 inscriptam jam vidimus.

In Gelasii papae fragmentum 7 („*Quo ausu*").

[Ed.] Primam fragmenti hujus partem codex Vaticanus 3832 fol. 66, Anselmus Lucensis l. VI c. 118 (al. 120), cardinalis Deusdedit l. I. c. 139 et Gratianus c. 26 C. 23 qu. 8, alteram vero ms. Josaphateum nec non Ivo p. II c. 90, Polycarpus l. I t. 17 et Gratianus c. 92 C. 1 qu. 1 praebent. Unde utramque etsi sejunctam et inverso ordine Mansius coll. conc. tom. VIII col. 127 inseruit. Porro *Elpidius* Volaterranus episcopus anno 501 Romano concilio subscripsit.

In Gelasii papae fragmentum 8 („*Nuper*").

[Ed.] Ex Gratiano c. 2 C. 7 qu. 2 exscriptum a Mansio l. c. VIII, 140 vulgatum est. Idem *collectio trium partium* p. II t. 46 c. 43 exhibet, et pro textu recognoscendo nobis Coustantii nostri notae ex mss. Pithoeano et Josaphateo aderant. Anno 499 concilio Romano subscribunt proxime quidem post Symmachum *Caelius Rusticus Minturnensis*, subinde vero *Fortunatus Suessanus*, ambo in provincia Terrae Laboris episcopi. Quamquam eidem concilio subscripti leguntur et alii duo *Fortunati*, unus *Fulginas* et alter *Anagninus* episcopus, quorum illum hic potius memorari Berardus l. c. II, 357 mavult.

In Gelasii papae fragmentum 9 („*Praecepta*").

[Ed.] Apud Anselmum l. VII c. 39 (Q² *c. 32*), ut et in mss. Vaticano 3832 fol. 66, Josaphateo ac Pithoeano, nec non apud Jvonem decret. p. VI c. 107, Pan. l. III c. 55, Polycarpum l. II t. 31 atque Gratianum c. 12 D. 55 habetur, unde a Mansio l. c. VIII, 140 productum est. Anno 499 Romano concilio subscriptus reperitur *Palladius Sulmontinus* episcopus. Sed hic aliquis Tusciae praesul designari videtur.

In Gelasii papae fragmentum 10 („*Consuluit*").

[Ed.] Josaphateus ac Pithoeanus mss. et Ivo decr. p. VI c. 106 et 43 fragmentum istud duas in partes multis aliis fragmentis interpositis separatum repraesentant. Ambae in ms. Vaticano 3832 fol. 66, apud Anselmum l. VII c. 102 (Q² *c. 85*),

Digitized by Google

Polycarpum l. II t. 31 et Gratianum c. 9 D. 74 apte copulatae conjunctaeque sunt. In quibusdam tamen Anselmi exemplaribus *Pelagio* adscribi Richterus in edit. corp. jur. can. l. c. monet. At in nostris mss. sicut apud Ivonem, Polycarpum et Gratianum *Gelasio* tribuitur. *Victor Lunensis* episcopus anno 501 Romano concilio subscribit.

In Gelasii papae fragmentum 11 („*Frater*").

E veteri canonum collectione Anselmi Lucensis l. VI c. 109 ope exemplarium [a³]
Vaticani et Germanensis nunc primum eruitur. Epistola, ex qua excerptum est, simul cum ea, cujus fragmentum subjicitur, ejusdem *Sereni* gratia conscripta fuit. Is porro Serenus ipse est, cujus patrocinium Gelasius epist. 39 n. 3 suscepit, quique in conciliis Romanis annis 499 et 502 habitis Nolanus episcopus habetur, quod et fragmentum 13 firmabit. *Gerontius* autem ac *Johannes*, quibus causa ejus commendatur, haud dubie *comitatui* h. e. Ravennae vicini erant episcopi. At vero Gerontius *Fidenas* seu *Ficoclensis*, qui anno 504 martyrii palmam meruit, ac Johannes *Ariminensis* Romano concilio anno 501 subscripti Ravennati metropolitano subjacebant.

In Gelasii papae fragmentum 12 („*Certum*").

Ex Gratiano c. 12 D. 10 hoc fragmentum edidit Mansius l. c. VIII, 140. Idem [Ed.]
in mss. Josaphateo et Pithoeano nec non apud Ivonem p. IV c. 180 invenitur. Quare et injuste ab Augustino *de emendatione Gratiani* dial. I, 19 dubitatur, et recte a Berardo l. c. II, 363 vindicatur. Excerptum esse liquet ex epistola in causa Sereni episcopi scripta, qua Gelasius cautum esse probabat Romanorum imperatorum legibus, ne episcopi alibi quam apud episcopos accusarentur. Leges ipsas notis in epistolam 23 attulimus. Gelasium vero id a Theodorico quod petebat obtinuisse, subnexum fragmentum docet.

In Gelasii papae fragmentum 13 („*Felix*").

A Luca Holstenio *coll. Rom. bipart.* I, 208 ex cardinalis Deusdedit l. IV [a³]
c. 56 vulgatum ac deinde in sequentibus conciliorum editionibus iteratum fuit. Vix ambigere licet, quin *Constantinus* in inscriptione memoratus is sit, qui anno 499 concilio Romano interfuit ibique *Capuanus episcopus* appellatur. Forte ipsi et *Quinigesio* ut vicinis episcopis Gelasius Nolanorum clericorum causam cognoscendam hac epistola delegabat.

In Gelasii papae fragmentum 14 („*Frater*").

Lucae Holstenii studio ex cardinalis Deusdedit collect. l. III c. 97 lucem [a³]
meruit, unde in sequentes conciliorum editiones transiit. Iisdem episcopis inscripta est Gelasii epistola 21.

In Gelasii papae fragmentum 15 („*Honorati*").

A Mansio coll. conc. tom. VIII col. 129 ex Ivonis decreto l. XII c. 27, adhibito [Ed.]
ut videtur Laborantis codice, erutum est. Porro *Justo* episcopo etiam epistola 20 et fragmenta 14 et 18 inscribuntur, et habetur ejus nominis *Acherontinus episcopus* in concilio Romano anni 499. In eodem concilio *Rufinus Canusinus* episcopus aderat. Loco *Rufini* autem in codice Laborantis *Martinum* legi, idem Mansius monet. Ac revera dicto concilio etiam *Martinus*, (sive secundum potiores mss. *Martyrius*) *Terracinensis* episcopus subscribit, et *Martyrio et Justo* supra epistolam 20 dirigi vidimus. Ceterum sicut Terracina Verulae, ita Canusium Acherontiae vicinum erat, quare ex hac parte neutra lectio altera verisimilior efficitur.

Digitized by Google

In Gelasii papae fragmentum 16 („*Atroces*").

[Ed.] Ex Ivonis decreto p. XI c. 25 a Mansio coll. conc. VIII, 131 pr
Qui simul *Vulsinensi* pro *Visinensi* legendum monet. Verum quun
et aliae plures se voces offerant (ex gr. *Venusino, Vercellensi, Vero*
nensi, Vigiliensi), nullibi tamen *Secundini* vestigium exstat, atque
499 concilio Romano subscribit *Gaudentius* Vulsinensis episcopus.

In Gelasii papae fragmentum 17 („*Licet*").

[Ed.] Primum Baluzii studio Miscellaneorum tomo V p. 460 publici
deinde ex Gratiani decreto c. 5 C. 16 qu. 3 a Mansio l. c. VIII, 127
tum vulgatum est. Exstat etiam in mss. Pithoeano et Josaphateo n
Ivonem decret. p. III c. 97, ac secunda quidem pars (*Nulla praesu*
apud Anselmum quoque l. V c. 15 (al. 16) et in cod. Vaticano 38
Romanis conciliis, quae annis 499, 501 et 502 habita sunt, subscribu
Bleranus et *Eusebius Fanensis* episcopi.

In Gelasii papae fragmentum 18 („*Dilectio*").

[Ed.] Ivoni *decr.* p. III c. 135 et p. VI c. 105, *Pannorm.* l. II c. 6
c. 7 C. 16 qu. 3 fragmentum istud debemus, quod inde Mansius coll. c
col. 128 publici juris fecit. Exhibent etiam mss. Josaphateum ac
Eumdem *Justum* Acherontinum episcopum jam in epistolis 20 et 21
tis 14 et 15 invenimus.

In Gelasii papae fragmentum 19 („*Quid novae*").

[a 3] Stephani Baluzii opera Miscellan. tom. V p. 459 est editum. E
inscriptione, obscurum tamen non est, excerptum esse ab epistola,
quibusdam praesulibus cognitionem causae duorum episcoporum dele
dioeceseon suarum limitibus contendebant. Desiderandum esset ali
exemplar, cujus ope restaurari possent, quae non satis sana aut inte
Interim hoc cum fragmento 17 conferre juverit; nam haec duo ses
firmant et illustrant.

In Gelasii papae fragmentum 20 („*Nec enim*").

[Ed.] 1. Fragmentum hoc ex Gratiano c. 5 C. 10 qu. 3 Mansius coll. c
col. 139 exscripsit. Proferri etiam mss. Pithoeano, Josaphateo ac V
stantius noster monet. Quibus simul Berardi refellitur sententia l. c.
mantis, idem demum saeculo undecimo a monachis in tutelam jurium
monasteriis vindicatorum confictum esse. Nec tamen negari potes
occurrere disciplinae ecclesiasticae Gelasiani temporis salebras. Primum
fere incredibile dicendum, a quopiam certum baptizandorum numerum
esse. Deinde secum invicem pugnare videtur vetitum, ne quis a
repellatur, ac constitutio vel permissio, ut repellente aliquo repul
ecclesiam sacramentum accepturus transeat. Denique nec ullis docum
est, cathedraticum, quo hic usurpatur sensu, jam Gelasii tempore
fuisse. Verum alia ex parte quum idem fragmentum non a Gratian
dictis etiam tribus codicibus exhibeatur et a Coustantio indubie adm
nos rejicere ausi sumus.

2. Ac facile concedatur, istud forte longe alio sensu a Gela
esse, quam nunc compareat. Siquidem mos est compilatorum, ut e

---

[1]) Vat. 3832 hac inscriptione: *Gelasius ut status parochiarum*
mutetur.

Digitized by Google

aliquem ita ad rem suam extollant, ut verba satis remanere videantur, sensus nequaquam. Quod et hic factum esse suspicor. Certe quaedam in relictis verbis vestigia prostant, quibus res ita sonasse potuerit, ut solum nimio appetentium numero aliqui ab episcopo segniori ad vicinas ecclesias demandati, id autem a Gelasio mere reprobatum sit; quo posito jam nihil scrupuli remaneret. Nec enim *cathedratici* hujusmodi usus tantum a Gelasii tempore abest. Certe Pelagii I aetate illud ut res notissima in usu erat, sicut probant hujus pontificis fragmenta 23 et 24, et concilium Bracarense III (a. 572) c. 2 et mox Toletanum VII (a. 646) c. 4. Unde nec aperte ex argumentis internis falsi fragmentum nostrum redargui agnoverim.

3. Denique apud Gratianum *Fabiano*, in mss. Josaphateo autem *Sabiano* [a³] inscribitur. Magis placet cum mss. Pithoeano et Vaticano *Sabino*. Ac forte is episcopus non alius ab illo fuerit, ad quem exstant Gelasii epistola 23 et fragmentum 6.

In Gelasii papae fragmentum 21 („*Dudum*").

Ex cardinali Deusdedit l. III c. 95 a Luca Holstenio coll. Rom. bipart. I, 209 [a³] vulgatum ac deinceps a collectoribus conciliorum repetitum fuit. Jam supra fragmentum 10 *Victori episcopo* vidimus inscriptum, et infra in fragmenti 40 fronte visuri sumus Victorem Sereno aliisque episcopis, quos Gelasio aequales ac familiares fuisse constat, adjungi. Item jam observatum, anno 501 Romano concilio *Victorem Lunensem* episcopum subscripsisse.

In Gelasii papae fragmentum 22 („*Johannes*").

Exscriptum est ex collectione Romana bipartita Lucae Holstenii, qui illud ex [a³] card. Deusdedit l. III c. 96 nobis transmisit.

In Gelasii papae fragmentum 23 („*Volaterranae*").

Ex Ivone p. III c. 151 et Gratiano c. 25 C. XII qu. 2 Mansius coll. conc. [Ed.] VIII, 129 fragmentum istud in lucem revocavit. Idem jam antea secundum mss. Pithoeanum et Josaphateum, atque ultimam partem etiam secundum Anselmi l. VII c. 144 exemplar Germanense, recognitum nobis suppeditavit noster Coustantius. Gratianus *Idem eisdem* inscribens, tribuisse videtur *Majorico, Sereno et Johanni episcopis*: id quod recte correctores Romani ex Ivone mutaverunt, scribentes tamen *Faustino* loco *Fausto*.

In Gelasii papae fragmentum 24 („*Vobis*").

Fragmentum hoc in collectione cardinalis Deusdedit l. III c. 93 et Gratiani [Ed.] decreto c. 23 C. XII qu. 2 asservatum, jam a Canisio lect. antiq. tom. III inter collectanea Anselmi Lucensis, et deinde a Mansio coll. conc. tom. VIII, 135 editum est. Nunc ex schedulis Coustantii ad mss. Pithoeanum et Josaphateum recognitum praebetur. Berardus l. c. II, 348 quidem idem suspectum habet et solum ad similitudinem proxime antecedentis ab aliquo imperito effictum vult. Verum quum argumenta ab eo prolata jam per se vix persuadeant, tum codicum dictorum auctoritates rejicere nullo modo valent.

In Gelasii papae fragmentum 25 („*Decessorum*").

Ex Anselmi tractatu contra Wibertum extraxit Canisius lect. antiq. tom. III. [Ed.] Invenitur et apud cardinalem Deusdedit l. II c. 92, sicut in mss. Pithoeano et Josaphateo. Unde satis refellitur Berardus, qui idem demum ex Callisti II epistola 14 ad Ansericum sub Gelasii nomine in Gratiani decretum c. 19 C. 25 qu. 2 transiisse vult. Ac *Cresconius* quidem, cui cum aliis inscribitur, forte fuit Tuderti

Digitized by Google

in Umbria episcopus, qui conciliis Romae annis 499, 501 et 502 habitis subscripsit, quemque Gelasii successor Anastasius II ad Anastasium imperatorem legatum misit (Anast. II ep. 1 n. 4).

In Gelasii papae fragmentum 26 („*Nihil*").

[a³] E manuscriptis saepe laudatis Josaphateo et Pithoeano nunc primum prodit. *Maximo* jam inscriptum vidimus fragmentum 17. Iis etiam temporibus floruit *Maximus Bleranus episcopus*, conciliorum Romae annis 499, 501 et 502 habitorum subscriptionibus notus. Nec deest suspicio, eum qui ipsi adjungitur non *Clerum* sed *Clarum* appellandum esse. Certe primo ex tribus praedictis conciliis subscribit *Clarus Allifanus*.

In Gelasii papae fragmentum 27 („*Ecclesiastica*").

[a³] Et hoc debemus collectioni bipartitae Lucae Holstenii, a quo ex cardinali Deusdedit l. III c. 99 descriptum fuerat.

In Gelasii papae fragmentum 28 („*Divinae*").

[Ed.] Duas fragmenti hujus partes, quarum priorem Ivo coll. trium part. p. I t. 46 c. 53 et Gratianus c. 4 D. 87, alteram idem Ivo decr. p. XVI c. 111 et Gratianus c. 5 C. 13 qu. 2 refert, mss. Josaphateum et Pithoeanum ita exhibent sola particula *Item* sejunctas, ut ex eadem epistola nonnullis relictis exscriptas esse non obscure indicent. Haud immerito Berardus l. c. II, 344 suspicatur, de bonis ad ecclesiam Romanam pertinentibus agi, et *Ampliatum conductorem* colonum ecclesiae fuisse, servum scilicet juxta morem illius temporis praedio ecclesiastico excolendo addictum, cujus obligatio etiam in filios, *servos originarios* nuncupatos, transibat. Porro servo nullam testamenti factionem esse, generalis juris antiqui regula erat. Demum Gregorius I etiam hanc rem benignitate pietateque christiana ita moderatus est, ut hujusmodi servis colonis non testandi quidem facultatem, sed haereditatem ipsorum parentibus et filiis concederet, dummodo praedia ipsa in ecclesiae jure remanerent (cf. Greg. M. epist. I, 42).

In Gelasii papae fragmentum 29 („*Consideratis*").

[a³. Ed.] Apud Ivonem coll. trium. part. p. I t. 46 c. 45 et Gratianum c. 15 C. 16 qu. 1, unde Mansius l. c. VIII, 141 edidit, est anepigraphum. Ex mss. autem Pithoeano et Josaphateo inscriptionem supplemus.

In Gelasii papae fragmentum 30 („*Quisquis*").

[a³. Ed.] Et istud nobis suppeditant mss. Josaphateum et Pithoeanum cum Ivone coll. trium part. p. I t. 46 c. 44 et Gratiano c. 3 D. 87, unde jam Mansius l. c. VIII, 136 edidit. Ingens suspicio est, in fragmento sequenti continuationem haberi sermonis in hoc inchoati, adeoque et istud non *Leontio* sed *Gerontio* inscribendum esse, sicut teste Berardo l. c. II, 342 quidam Gratiani codices legunt. Porro *Gerontius Fidenas* et *Petrus Ravennas* episcopi synodis Romanis annis 501 et 502 subscribunt; nisi quis maluerit *Petrum Laurensem* ex synodo Felicis II notum, utpote qui Fidenati vicinus et ipse Latii episcopus.

In Gelasii papae fragmentum 31 („*Licet*").

[a³. Ed.] Ex iisdem mss., Ivone coll. trium part. p. I t. 46 c. 32 et Gratiano c. 1 D. 87 est descriptum, quum jam a Mansio l. c. VIII, 136 publici juris factum. Ut apte cohaereat cum superiore, tantum interponenda particula *Sed*.

Digitized by Google

In Gelasii papae fragmentum 32 („*Desolatis*").

Et istud nobis Ivo coll. trium part. p. I t. 46 c. 40, Gratianus c. 2 D. 87, unde jam a Mansio l. c. VIII, 134 vulgatum, ac mss. Josaphateum et Pithoeanum asservarunt. Porro is *Anastasius* minus *episcopus*, ut contra manuscriptos addit Gratianus, quam clericus a Gelasio ad defensionem destitutorum delegatus fuisse videtur; quippe *clericalis officii auxilium ex nostra delegatione praestabis*, cum sollicitus pontifex alloquitur. Quare nec cum Berardo l. c. II, 333 hic Lucerinum illum Anastasium nuper a Gelasio ordinatum (cf. fragm. 3) dici putaverim. [Ed.]

In Gelasii papae fragmentum 33 („*Irreligiosum*").

Ex Ivonis decr. p. VI c. 109 et Gratiani c. 5 D. 87 a Mansio coll. conc. tom. VIII, 135 insertum, hic collatis mss. Josaphateo et Pithoeano profertur. Tres *Fortunati* episcopi anno 499 concilio Romano subscripserunt, scilicet *Fulginas*, *Anagninus* et *Suessanus*. [Ed.]

In Gelasii papae fragmenta 34—36 („*Sed causas*" etc.).

Duo priora fragmenta ex cardinalis Deusdedit II, 100, tertium ex eadem collectione IV, 55 fratres Ballerinii Opp. Leon. M. tom. III pag. CCCIV primum produxerunt. Quem liber pontificalis in Gelasio praeprimis extollit *amorem pauperum*, illumque *liberasse a periculo et fame civitatem Romanam*, hisce quaedam exempla videmus. Porro de *Januario* illo *nobili* et *Firmina illustri femina* nil amplius notum. *Hereleuva regina* autem sane illa Theodorici genitrix erat, quam anonymus Valesianus his verbis memorat: *mater Ereliva dicta Gothica catholica quidem erat, quae in baptismo Eusebia dicta.* [Ed.]

In Gelasii papae fragmentum 37 („*Quicunque*").

Citatur a Gratiano c. 37 et 38 C. 11 qu. 3. Primam ejus partem etiam Ivo Pan. l. V c. 136, coll. tr. part. p. I t. 46 c. 21, et mss. Josaphateum et Pithoeanum *ex decretis Gelasii papae* praenotatam, exhibent. Totum repraesentant Burchardus l. XI c. 47 et 48 et Ivo decr. p. XIV c. 111 et 112 velut *ex decretis Gelasii papae cap. 2 et 3* excerptum. Apud Anselmum autem l. XII c. 24 (al. 28) quamvis sicut apud Gratianum media sententia (*Hi sane — interitu urgente*) praetermittatur, prima tamen pars cum postrema uno tenore sub eodem capite copulatur. — Hoc decretum, quod ex occasione schismaticorum Graecorum sanctum esse obscurum non est, ex aliqua epistola aut ad Orientales aut ad Dardanos missa videtur descriptum. Porro de praecludenda *intra anni spatium* audientia excommunicati, id quod Berardus l. c. II, 365 demum *saeculis recentioribus* tribuit et contra authentiam hujus fragmenti partis vertit, Gelasius synodi Carthaginensis V canonem 12 praeambulum habet. [Ed.]

In Gelasii papae fragmentum 38 („*Oportuerat*").

Baluzii studio tom. V Miscellaneorum publici juris factum, in sequentes conciliorum collectiones transiit. *Stephani* nomen superius in fronte tum epistolae 21 tum fragmenti 14 jam vidimus. Hoc fragmentum non parum illustrat, quod Gelasius epistola 14 cap. 21 decernit, sicut nec mediocriter hujus fragmenti veritatem firmat, quod ibi decernitur. Quod autem decretum istud nunc sileatur, id argumento est, epistolam, ex qua decerptum est hoc fragmentum, praedicta epistola 14 adeoque mense Martio anni 494 fuisse anteriorem. [a s]

In Gelasii papae fragmentum 39 („*Ad episcopos*").

Ex mss. Josaphateo et Pithoeano, nec non decretis tum Ivonis p. III c. 119 tum Gratiani c. 11 C. 17 qu. 4, unde jam a Mansio l. c. VIII, 128 editum, eruitur. [Ed.]

Digitized by Google

Epiphanius, cui inscribitur, quis fuerit, variant sententiae. Coustantius quidem eum *Beneventanum* illum episcopum fuisse suspicatur, qui anno 499 concilio Romano subscripsit, Berardus l. c. II, 340 autem ipsum *Ticinensem*, qui ad gentis suae captivos redimendos anno circirter 494 in Gallias profectus, a Gelasio epistola 13 Rustico Arelatensi recommendatus est. Isto igitur in Gallia degente pontificem has ipsas litteras direxisse innuit, quippe tunc abusus ibidem inoleverat, ut ecclesiarum bona temere diriperentur (cf. Symmachi epistola 15 n. 2 et 10). Quo posito multo magis dolendum foret, quod non plura illarum nobis asservata sunt.

In Gelasii papae fragmentum 40 („*Frater*").

[Ed.] Et istud ab iisdem auctoribus et libris, nempe ab Ivone p. III c. 120, Gratiano c. 10 C. 17 qu. 4 ac mss. Josaphateo et Pithoeano accepimus. Asservatur etiam in Polycarpo l. VII t. 1 et Vaticano 3832 f. 67, atque ex Gratiani codice a Mansio coll. conc. VIII, 128 publici juris factum est. Berardus quidem l. c. II, 361 ss. multum de ejus sinceritate disputat et rem in dubio relinquit. Verum quos movet scrupuli nec per se magni momenti sunt, nec variorum codicum nostrorum auctoritates refellere valent. — Porro dubium non est, quin *Epiphanius*, cujus monitu ac relatione scriptum est, is ipse sit *Beneventanus episcopus*, qui anno 499 concilio Romano subscripsit; adeoque ceteri, quibus hoc fragmentum inscribitur, ipsi Epiphanio vicini fuerint episcopi. Atqui in mox dicto concilio habentur subscriptiones *Constantini* Capuani, *Martyrii* Terracinensis, *Sereni* Nolani et *Timothei* Abellinatis Campaniae episcoporum ac praeterea *Felicissimi* Forosemproniani et *Victoris* Lunensis.

In Gelasii papae fragmentum 41 („*Metuentes*").

[Ed.] Ex mss. Pithoeano et Josaphateo descriptum et cum decretis Ivonis p. III c. 115 (cf. Pan. l. III c. 74) et Gratiani c. 32 C. 17 qu. 4 collatum fuit, quum antea jam ex Gratiani codice a Mansio l. c. VIII, 139 publici juris factum. Ivo tamen alio loco (p. VI c. 68) idem *Gregorio* tribuit, nec aliter p. III c. 115 prima manu protulisse videtur, quum sequenti c. 116 locum ex Gregorii epistola addat his verbis: *Idem Petro subdiacono Campaniae.* — Porro *Bonifacius* episcopus Veliternus synodo Romanae a. 499 subscribit, alter (qui tamen in melioribus codicibus *Benignus*) Aquaevivensis anno 501.

In Gelasii papae fragmentum 42 („*Uxor Felicis*").

[Ed.] Nobis praestatur beneficio mss. Josaphatei et Pithoeani, ut et Ivonis p. XVI c. 77 ac Gratiani c. 33 C. 17 qu. 4. Ex his quidem vulgavit Mansius l. c. VIII, 132. Porro *Johannem*, quem Ivo *Vivavensem*, Gratianus *Viennensem*, manuscripti nostri *Vivonensem* legunt episcopum. Unde nemini dubium fuerit, quin idem ipse sit *Johannes Vibonensis episcopus*, qui concilio Romano anno 499 subscripsit, quem et supra epistola 39 jura *Vibonensis ecclesiae* vindicare observavimus. Hoc posito simul scrupuli removentur, quos doctissimus Berardus l. c. II, 346 ex lectione *Vivavensi* vel *Viennensi* juste injecit.

In Gelasii papae fragmentum 43 („*Judas*").

[Ed.] Apud Gratianum proxime excipit fragmentum superius, unde et in Mansii collectionem concil. tom. VIII, 132 transiit. Refertur etiam ab Ivone p. XIII c. 113, sicut in mss. Josaphateo et Pithoeano. *Constantii* autem et *Laurentii* episcoporum nomina inter subscriptiones concilii Romani anno 499 leguntur. Porro Berardus l. c. II, 360 ex disciplina, quae tunc circa servos Christianos a Judaeis comparatos secundum leges imperiales viguit, totum fragmentum rejiciendum

Digitized by Google

putat, quippe *nemo facile sponte sua* id provocaturus fuerit, *in quo gravissime adversus leges deliquerit, quodque professus capitali poena* dignus redditus. Quid vero, si Judaeus dominus certissimis documentis demonstrare poterat, servum, de quo agebatur, re vera ab infantia circumcisum, tunc solum fraudulenter religionem christianam praetendisse? Certe Gelasius utrumque demum pari lance pensitandum injungit, nec servi dictis praeceps fidem habet. Quare nec viri doctissimi sententiae contra codicum nostrorum auctoritates acquiescere possumus. Ceterum quae ibi leges civiles canonicaeque concurrerint, melius in notis dicemus.

In Gelasii papae fragmentum 44 („*Si illic*").

In collectione trium partium p. I t. 46 c. 55 et decreto Gratiani c. 29 C. 23 [Ed.] qu. 4, sicut in mss. Josaphateo et Pithoeano praebetur, unde primum huc vocatur. *Germanus* Pisaurensis concilio Romano anno 499 subscripsit. Ceterorum nominibus superiora fragmenta insignita jam vidimus.

In Gelasii papae fragmentum 45 („*Vir clarissimus*").

Ex Ivonis decreto p. XIII c. 112 primus protulit Mansius l. c. VIII, 131. De [Ed.] nomine *Quinigesii episcopi* conferantur, quae ad sequens fragmentum eidem inscriptum dicentur.

In Gelasii papae fragmentum 46 („*Quia res*").

Ex Gratiano c. 50 C. 11 qu. 1 primus Mansius l. c, VIII, 131 in lucem vocavit. [Ed.] Haberi etiam in mss. Josaphateo et Pithoeano Coustantius monet. Quibus codicibus simul refellitur clarissimi Berardi l. c. II, 354 exceptio, apud neminem aliorum collectorum hoc legi fragmentum, immo non abesse suspicionem, quin ipsum in Gratiani exemplar demum recentiori manu adjectum sit. Quas deinde idem vir doctissimus recte extollit juris salebras *Gelasio viro juris consultissimo* haud facile tribuendas, fortasse aliquatenus allevabimus, si fragmenti cujusvis deficiente integritate salebrosam naturam respexerimus. Certe Gelasius aperte, re in litigio posita, non jura antiqui possessoris sed praetensiones novi rejicienda se velle jam inde innuit, quod talem rem in nullum *transferri* posse pro certo praemisit.

In Gelasii papae fragmentum 47 („*Lex illa*"").

Ex duobus mss. Germanensibus seu collectione Anselmi l. X c. 11 (al. 9 [Ed.] vel 12) et Gratiano c. 49 C. 27 qu. 2 et c. 2 C. 36 qu. 1 habet auctoritatem. Itaque simul unum argumentum refellitur Berardi l. c. II, 369 authentiam fragmenti hujus inde dubitantis, quod apud alios collectores non inveniatur. Quod deinde pulsat vir doctissimus de *lege praeteritorum principum* ibidem appellata nec usquam reperta, eam ad ejusmodi locos, quales sunt l. 1 Cod. Theod. IX, 1 aut l. 1 ejd. IX, 24, referri posse nemo negaverit.

In Gelasii papae tractatus.

Monitum generale.

1. Ut sequentibus Gelasii tractatibus locum inter ipsius epistolas daremus, [Ed.] exemplo nobis fuerunt pontificiarum epistolarum conciliorumque collectores et prae primis Coustantius noster, qui quotquot potuerunt reperire in uno eodemque volumine repraesentarunt. Ac vere tanti non sunt, ut seorsim vel convenientem libellum conficere valeant, et tanti pontificis sunt, ut nulli non pergratum fuerit, omnia ejus opuscula in unum collecta quoties libuerit posse commode perlustrare.

Digitized by Google

2. Cum Coustantio igitur tractatus istos epistolis ipsis quasi pro appendice quodam adjiciendos duximus. Revera plures eorum cum his arcte cohaerent et ad res ibi tractatas quodammodo introducunt, prospectum quemdam earum aut historicum aut dogmaticum praebentes. Porro quum in iisdem ejusmodi desint notae, quibus quo quisque scriptus sit accurate dignoscatur, nos ordinem chronologicum eatenus sequendum rati sumus, ut primo loco illos poneremus, qui jam Felice superstite de causa videlicet Nestorii et Eutychetis pontificis nostri calamum petiverant; deinde subjiceremus, qui adversus Pelagianos et paganos ejusdem operam flagitabant. Coustantius vero eum ordinem adhibuit, ut illa quidem *gesta de nomine Acacii* (tractat. I) inter Felicis II epistolas *epistolam* 14 collocarit, reliquos tractatus epistolis Gelasii ita subdiderit, ut primo loco qui paganum ritum refutat, tum qui renascentes impugnat Pelagianos, post qui adversus Nestorium et Eutychen scriptus est, demum qui ad res pertinent Acacianas posuerit.

In Gelasii papae tractatum I („*In causa*").

[a³. Ed.] 1. In Romana pontificiarum epistolarum editione s. Leonis epistolis praefigitur hoc scriptum e veteri exemplari Vaticano erutum. Idem et postea Jacobus Sirmondus ad alios codices exactum in *appendice codicis Theodosiani* recusit, ac Felicis II epistolis praemisit. Circa ejus auctorem Romanus editor Sirmondusque in eo consentiunt, quod incertum ac sibi ignotum ambo confiteantur. Sed circa tempus, quo scripserit, non par est eorum consensio. Nam Romanus editor Gelasii tempore, Sirmondus vero anno 486 adeoque Felicis aevo adornatum notat. Ipse quidem auctor in operis sui oxordio tempus designat, quo scribit. Sed illud ita enuntiat, ut ad firmandam opinionem suam verba ejus uterque rapere valeat. Tum quippe scribere se ait, quum *Nestorius ante* 58 *fere annos Photini et Pauli Samosateni secutus errorem Oasitano exilio meruit relegari.* Unde si istud *ante* 58 *fere annos* ad proxima verba, quibus Nestorius *Photini et Pauli Samosateni errorem secutus* dicitur, referamus, firma manebit Sirmondi sententia. Nam quum Nestorius anno 428 in Constantinopolitanam sedem assumptus, eodem anno Photini et Pauli Samosateni errores instaurare et praedicare coeperit, si his 428 annis accedant quinquaginta octo, ad annum 486 pervenitur. Si vero eadem verba *ante* 58 *fere annos* cum his conjungamus *Oasitano exilio meruit relegari*, valere incipiet opinio Romani editoris. Quum enim Nestorium anno 435 Oasim relegatum esse in confesso sit, hoc opus in annum 493, quo tempore Gelasius pontificatum gerebat, differendum erit. Verum hanc praedictorum verborum interpretationem etsi praeferunt etiam Ballerinii (Opp. Leon. II, 1415), non permittunt alia ejusdem scriptoris n. 4, ubi de Petro Mongo locutus subjicit: *qui episcopatum nunc Alexandrinae occupavit ecclesiae;* quibus verbis ea se gesta tunc scribere indicat, quum Petrus Mongus ecclesiae Alexandrinae episcopatum occuparat. Atqui Petro huic Felix superstes fuit. Non igitur Gelasii tempore gesta ista concinnata sunt, adeoque ad primam interpretationem nostram ac sententiam Sirmondi redeundum. Eamdem firmat et diversa illa ratio, qua idem auctor de Simplicio et de Felice loquitur. Ubi enim ei de Simplicio sermo est, eum vita functum significat, secus quum de Felice. *Per ferme triennium*, inquit n. 8, *sanctae memoriae Simplicius;* et n. 11: *quum ergo sanctae memoriae papa Simplicius*, addito utrobique *sanctae memoriae.* At sine hujusmodi additamento de Felice haec n. 13 habet: *postquam ergo non solum nihil profuisse litteras decessoris sui sanctus (Felix) papa cognovit.* Quocirca non immerito opusculum istud ad Felicis papae tempora et ad annum quidem 486 vel etiam 485, quod postulare videtur particula *ferme*, attinere censeamus.

2. Sed neque auctorem ejus Henricus Valesius incertum habet. Illud enim Gelasii papae nomine tum in dissertatione de Petro Antioch. c. 3 tum alibi haud du-

Digitized by Google

hius citat. Qua autem ratione motus sit, ut huic papae illud adscriberet, non explicat, aut si alicubi explicat, istud me fugit. Certe si a Gelasio, dum pontifex esset, ex jam dictis plane confutatur; at si ab ipso, antequam illam summam dignitatem fuisset consecutus, prodiisse arbitratur, sententiae illius libenter accedo. Ac primo quidem in vetustissimis codicibus Vat. Reg. 1997 et Vat. 4961 inter epistolas Gelasianas collocata est, in hoc etiam, quum adjungitur tractatus adversus Andromachum, inscribitur: *Incipit ejusdem papae Gelasii.* — Deinde operis hujus scriptor se Romae in iis excutiendis, quae Acacii nequitiam proderent, papae jussu occupatum esse infra n. 11 non obscure innuit. Ibi enim Johannem Talajam, quum Romam se recepisset, deprehendisse narrat gravissimos Acacii excessus, *dum*, inquit, *ejusdem Acacii scripta ei legeremus, quae de Petro et Johanne Antiocheno miserat.* Porro Acacius haec ad Simplicium scripta miserat, nec poterat noster auctor ea Johanni legere, nisi a Felice, qui quum Romam ingressus est Johannes, Simplicio successerat, eadem accepisset. Nec ulla accipiendi eaque Johanni legendi occurrit causa, nisi quia ipsi ecclesiasticorum negotiorum eorumque maxime, quae ad Acacium attinerent, cognitio a Felice delegata [1]) esset. — Deinde in hoc opusculo propria quaedam deprehenduntur vestigia, unde stilus atque ingenium Gelasii dignoscuntur. Ipsi verbi gratia familiare est, quum rem quampiam narrat, tempus, quo contigerit, et quidem particulis *fere* vel *ferme* adjunctis, designare. Sic in ep. 12 n. 8 de Acacio scribit: *quum fere per triennium, ne in id veniret, apostolicae sedis* epistolis *doceatur competenter instructus;* nec non ep. 26 n. 3: *per triennium fere* litteris destinatis *eum monere non destitit.* Plura disquirere vel referre supersedeo: hunc ad cetera additum patefecisse satis sit.

3. His ita positis nihil jam incommodi videtur, si subjectum scriptum Felicis aevo et ipsius jussu a Gelasio nondum pontifice [2]) concinnatum sentiamus, ut ad Orientales, quo de Acacii causa certiores et instructiores fierent, una cum superiore Felicis epistola 11 mitteretur. Hinc licet non ineptus sit hic titulus *Breviculus historiae Eutychianistarum*, quem ei Jacobus Sirmondus de suo indidit, istum tamen *Gesta de nomine Acacii*, quem in veteribus libris Virdunensi et Vat. Reg. 1997 prae se fert, scribentis scopo aptius congruere atque anteponendum esse apparet. Ibi enim *de nomine Acacii* id est, quod *de causa* et *condemnatione Acacii*. Quo loquendi modo ubi apud Hilarium fragm. 6 n. 5 scribit Liberius, se dedisse litteras *super nomine ejus* scilicet Athanasii, Hilarius haec ita interpretatur: *i. e. de condemnatione ipsius.* Rursum Liberius ibidem n. 8 eodem intellectu subjicit: *sola haec causa fuit, ut tardius viderer de nomine ipsius litteras dare;* et n. 11 his addit: *significandum credidi, me de contentione illa a nomine Athanasii recessisse* (ubi „*nomen*" „*causam*" sonat) *et ad fratres et coepiscopos nostros orientales litteras desuper nomine ejus* (quod est: *super condemnatione ejus*) dedisse (Lib. ep. 11 n. 1, 12 n. 2).

4. Eadem gesta sed multo breviora, utpote e quibus eorum exordium ad n. 4 aliaque identidem resecta sunt, in vetustis exemplaribus ejus collectionis, quam Paschasius Quesnellus sub titulo *codicis canonum ecclesiae Romanae* et deinde fratres Ballerinii (Opp. Leon. M. III, 13—472) sub titulo *codex canonum ecclesiasticorum et constitutorum sanctae sedis apostolicae* vulgarunt, c. 43 reperimus hac epigraphe: *Narrationis ordo, qualiter Dioscorus Alexandrinus episcopus Eutychi consentiens, in ea cui praeerat ipse ecclesia, vel Constantinopolitana, errorem induxerit usque ad tempus, quo Acacius est damnatus*

[1]) Conferantur quae supra ad Felicis II epist. 14 et Gelasii epistolas 1, 4—6 monuimus.

[2]) Huic sententiae optime concinunt, quae auctor n. 11 scribit: *Cui* (Johanni Talajae) *dum Acacii scripta legeremus* etc.

Digitized by Google

(add, Ball.: *qui Flaviani successori Anatolio successerat*).[1]) Occurrunt etiam eadem forma contracta in Vaticano 1342 n. 71, Barberino 2888 n. 71, Veronensi 46 initio, praestantissimae notae codicibus, et Vaticano 1344. Et horum quidem gestorum sic breviatorum editionem antiquam esse, quum mox dicta exemplaria tum maxime Liberatus diaconus, qui eam exscribere ac sequi solet, fidem faciunt. Sed Quesnello eamdem iis prolixioribus gestis, quae exhibemus, antiquiorem opinanti assentiri prorsus nequimus. Et vero hanc unam affert opinionis suae rationem, quia videlicet *scriptum*, quod subjicimus, *de Felice papa sub eoque contra Acacium gestis nonnulla habet, quae*, inquit, *in codice nostro non fuissent omissa, si ex illo* (prolixiore scripto) *derivata essent*. Quae ratio levis omnino ac nulla est. Levis inquam, quia qui potuit ex initio multa resecare, etiam de fine pauca demere potuit; nulla vero, quia tituli in ipsius codice praefixi postrema pars etiam ea, quae de fine demta sunt, quibus scilicet Acacius a Felice damnatus narratur, postulat. Sed neque prima ejusdem tituli pars congruit scripto, in quo, *qualiter Dioscorus in ea cui praeerat ipse ecclesia, vel Constantinopolitana, errorem induxerit*, minime exponitur. Immo titulus totus scriptorem prodit, qui gesta, quae contrahit, quorsum conscripta essent, ignorabat. Neque enim alia de causa Dioscori Eutychetisve in eis fit mentio, nisi ut Petri Mongi haeresis Acaciique cum eo communicantis condemnatio justa comprobetur. Denique quo tempore scriberet nostrorum gestorum auctor, certis notis manifestum fecit. At is, cuius est apud Quesnellum epitome, illo se recentiorem indicat, dum illas supprimit temporis notas nec alias substituit. Eumdem praeterea nec valde diligentem et accuratum esse, sphalmata, in quae labitur, probant. Interdum enim dum verba mutat, gesta confundit, et quae perspicua erant, reddit ambigua. Alias dum narrationem contrahit, rerum narratarum perturbat ordinem, et ab auctoris sui sententia nonnunquam aberrat.

[Ed.] 5. Unde nec Balleriniorum sententiae accedere possumus, utramque formam ab ipso Gelasio profectam esse, cui et alias id moris fuerit nonnulla opusculis suis posteriore manu addere. Non solum enim duplex, sed jam triplex aut quadruplex est hujus opusculi quae veteribus codicibus praebetur forma. Prima est illa, quae nobis in Vaticano Reginae 1997 et Virdunensi Sirmondi obviam fit, desinens in illis n. 13: *ad Antiochenam misit ecclesiam*. Quae quamvis prae omnibus pristinum colorem referre videatur, tamen incuria librariorum mendis et lacunis plurimis dilacerata est, quae aliorum codicum ope resarcienda erant. Altera huic satis concinens est in collectione Avellana, quam maxime editor Romanus secutus videtur. Quae non solum saepius sermonis quasdam ambages et asperitates removet, sed etiam ad calcem additamentum (n, 14) aliunde acquisitum adnectit, idque satis infeliciter (conf. not. *2s* et *2u*). Tertia est abbreviatio collectionis Quesnellianae, ex Avellana redactione profecta, cujus auctor saepe infelicissime (conf. not. *2l*) argumentorum summam excerpsit. Quarta denique est illa Vallicellani codicis XVIII (fol. 246) ex prisca forma confecta, quae orationis seriem cum quadam elegantia et dexteritate complexa est. Unde has varias redactiones magis ad scholiastas quosdam quam ad pontificem auctorem pertinere nemo negaverit. Pro textus tamen recensione omnes magni momenti sunt: multae exinde lacunae resarcitae, nutantes lectiones constitutae, et vel historica fides aliquatenus (conf. not. *2l*) vindicata est. Quumque omnes etiam veteribus codicibus exhibeantur, non solum

---

[1]) Hic titulus ex cod. Thuan. sumptus in aliis aliter sonat: in mss. Crabb., Veron. 46 et Vat. 1344: *Incipit narrationis ordo de pravitate Dioscori Alexandrini*; in Vat. 1342 in indice praemisso: *Interfectio episcopi Proterii Alexandrini*, in corpore collectionis autem: *Ubi occiditur Proterius episcopus Alexandrinus* (ita et in Barberino 2888), et in margine manu posteriore: *De occisione beatissimi viri Proterii Alexandrini Patriarchae et de nequitia Timothei invasoris ejus sedis et haeretici.*

Digitized by Google

additamentum Avellanum ad finem opusculi n. 14, sed etiam textum utriusque abbreviationis juxta se positum ad calcem adjicere libuit.

In Gelasii papae tractatum II („*Ex epistola*").

1. Lucubratio ista Jacobi Sirmondi studio in appendice codicis Theodosiani [a^{3}] primum sub titulo *epistola seu tractatus Gelasii* prodiit una cum superiore epistola 27 ad Orientales. Quum autem haec duo scripta mutila sint, haud scire se ait idem vir eruditus, *num ad unum eumdemque tractatum referenda sint, qui a Nicolao papa in epistola* 8 *ad Michaelem imperatorem dicitur tomus Gelasii ad orientales episcopos.* Si tamen propius dispiciantur ambo, neutrum ad *tomum Gelasii* a Nicolao papa laudatum pertinere haud arduo negotio dignoscetur. Nam ex prolatis laudati tomi verbis constat, tractatum subsequentem IV, hoc est *tomum de anathematis vinculo*, a Nicolao I in praedicta epistola memorari. Porro ad hunc tomum neque superiorem epistolam 27 neque tractatum, de quo agimus, pertinere, vel diversa tractandi ac disserendi ratione perspicuum est.

2. Hic tractatus id tempus sapit, quo Gelasius pontificatum iniit. Eo certe animo illum suscepit, ut decessorum suorum in Acacii causa vestigiis insistere se velle testificaretur. Idcirco nihil ab eis in hac causa temere actum esse quum illorum tum ipsius Acacii scriptis demonstrare statim aggreditur. Quum autem in posterioribus scriptis plura Orientalium vel gesta vel objecta enarrentur, explicentur, confutentur, in hoc intenditur id unum, ut Petri Alexandrini utpote haereticí damnati necnon Acacii, qui cum eo palam ac sciens communicavit, nomina sacris altaribus recitari non licere comprobetur. Ex quo consequens est, ut licet inscriptio desit, ad eos tamen vel propter eos, qui a Petri Acaciique nominibus recitandis absistere nolebant, hoc est Orientales, scriptum esse sentiamus. Saltem in ejus exordio nonnihil desiderari cuique obvium est. Nos vero etiam ex illo exordio quae ex Simplicii epistola 18 nec non quae subinde ex Acacii apud eumdem Simplicium epistola 8 descripta erant, prima ac postrema verba indicare contenti, supprimenda duximus, quod neminem aegre laturum puto. At intermedium Felicis testimonium quia longe minus prolixum est, ac prima hujus tractatus facies nimis detruncationibus deformior appareret, censuimus retinendum.

3. Denique nobis etiam addenda visa sunt, quae Tillemontio (vita Euphemii [Ed.] Ctplt. c. 6) et Balleriniis (de antiqu. collect. latin. II c. 11 § 4) de hoc opusculo placuerunt. Qui quum alia eo contineri invenerunt, quae potius hominem[1]) privatum quam Romanum decerent pontificem, alia, quae hominem in Oriente persecutioni[2]) obnoxium, non Romae sub Theodorico tute degentem exhiberent, verisimile putant, illud, si revera in Sirmondi codice nomine Gelasii insignitum, scriptum quidem ab hoc esse, a cujus etiam stilo non abhorreret, at non suo sed eorum nomine, qui in Oriente vexabantur, ut eos a profana communione alienos in proposito confirmaret. Etsi illa quidem facile concedenda, tamen ex Coustantii nostri conjectura felicius plana fieri nobis videntur.

In Gelasii papae tractatum III („*Necessarium*").

1. Ab anno 1576 in bibliotheca patrum tom. 5 vulgatus hic tractatus in [a^{3}]

---

[1]) Scilicet praeprimis illa n. 6: *Non est quidem nostrae humilitatis, de totius orbis dissensione ferre sententiam, est tamen nostrum de propria salute esse sollicitos.*

[2]) Ut sunt illa n. 6: *Optamus, qualiacunque et quantacunque super nos inportaverit inimicus, tolerare discrimina in saeculo praesenti, tantum ne causas incurramus mortis aeternae;* et illa n. 10: *Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate nec tribulatio, nec angustia, nec gladius . . . unquam poterit separare. Incumbat persecutio, saeviant leges: militi Christi gloriosius est mori quam vinci, fraudari praesentium commodis melius quam carere futuris.*

Digitized by Google

ejusdem bibliothecae variis editionibus postea saepe recusus fuit. In Romana tamen pontificiarum epistolarum editione, quae Romae anno 1591 adornata est, non comparet, quamvis collectionis hujus editor quotquot nancisci potuit Gelasii tractatus, eos ceteris hujus papae scriptis adjungere atque intermiscere non omiserit. Hujus autem praetermissionis non alia occurrit causa, nisi quod de novi hujus tractatus auctore inter criticos non conveniret. Sed nequedum ea de re satis inter omnes convenit.

2. Melchior Canus locorum theolog. lib. 6 c. 8 respons. ad argumentum 9 primi capitis eum esse existimat Gelasii Caesareae Palestinae episcopi, cujus fragmenta de expositione symboli Constantinopolitani Leontius libro contra Nestorium et Eutychen profert, quique ab eodem Leontio ibidem unus ex CL patribus mox dictae synodi Constantinopolitanae appellatur. Eamdem opinionem ita refert, qui bibliothecae patrum annno 1589 editae indicem texuit, ut nec illam respuat. Bellarminus vero etiamsi eis suffragari videtur de eucharistiae sacramento II, 27, postmodum tamen libro de scriptoribus ecclesiasticis sententiam hujusmodi defendi prorsus non posse agnovit. Ac re ipsa quidem vel titulus *adversus Nestorium et Eutychen*, quo insignitus est, in episcopum Hieronymo superiorem, qui anno 381 Constantinopoli cum CL patribus sederit, minime convenit. Censet Suffridus Petri (praef. ad Gennad. de scriptorib. eccl.) eum Gennadio Massiliensi episcopo adscribendum, ac facili mutatione *Gelasii* loco *Gennadii* nomen irrepsisse; sed ejus opinio ipsis Gennadii verbis, ut mox visuri sumus, refellitur. Quapropter Baronius ad ann. 496, duabus illis opinionibus confutatis, proponit tertiam, atque hoc opus Gelasio Cyziceno asserere nititur. Is demum ex theologis Coloniensibus bibliothecae patrum editoribus, qui censuram seu praefationem in hunc libellum concinnavit, etsi eum ab aliquo Graeco prodiisse primum pro certo ponit, subinde tamen haud repugnaturum se significat ei, qui ex ampliori Gelasii opere decerptum vellet. Verum ut haec evellatur, quae aliorum etiam animis insita est opinio, qua lucubrationis hujus parentem Graecum esse sentiunt, vel una sufficient numeri 9 postrema verba, quibus *unionis et unitionis* ea notatur distinctio, quae dum graeco in sermone locum non habet, latinum scriptorem aperte prodit. Neque vero hunc alium a Gelasio nostro esse multa persuadent.

3. Primo quidem Gennadius Massiliensis episcopus libro de viris illustribus hoc agnoscit opus, nec sibi sed Gelasio attribuit his verbis c. 14: *Gelasius urbis Romae episcopus scripsit adversum Eutychen et Nestorium grande et praeclarum volumen.* Quibus autem non adeo grandis videtur hic liber, ii Cypriani de opere et eleemosynis nihilo grandiorem tractatum ab Hieronymo epist. ad Pammachium pariter *grande volumen* appellari meminerint. Deinde licet minus accurate loquatur libri Romanorum pontificum auctor, ubi de Gelasio dicit: *hic fecit libros quinque adversus Nestorium et Eutychen;* obscurum tamen non est, ipsummet opus, quod prae manibus est, ibi ab illo memoratum esse. Verum longe firmiora sunt Fulgentii Ruspensis episcopi ac Johannis II papae testimonia, qui non solum opus illud commemorant, sed ejus auctoritate ad firmandam fidem utuntur: Fulgentius quidem lib. de 5 quaestionibus seu epist. 14 ad Ferrandum n. 19, Johannes vero ep. 4. Atque ambo quum ceterorum patrum locos ex quoto libro excerpti sint indicare soleant, puta *ex libro primo* vel *quinto* Augustini de Trinitate, *ex libro primo* Ambrosii de fide, Gelasii testimonia constanter sic indefinite laudant: *Gelasius ex libro adversus Nestorium et Eutychen*, nusquam vel *primo* vel *secundo* aut aliud hujusmodi adjicientes. Quod argumento est, Gelasiani hujus operis in quinque libros divisionem ipsis incompertam fuisse. Nam quod non aliud opus ab eis laudetur, testimonia ab eis citata atque hoc opere contenta indubitatam hujus rei fidem faciunt.

4. Hic frustra est nonnullorum contentio, qui librum istum Gelasio Cyzi-

Digitized by Google

ceno potius quam Gelasio Romano adjudicandum ex eo volunt, quod a Johanne II simpliciter sic laudatur: *Gelasius ex libro adversus Nestorium et Eutychen*, nec *Gelasio* adjiciatur *papae* seu *episcopi Romani* nomen. At si quid argumentum hujusmodi valet, et Leoni epistolae 55 ac 139 abjudicandae erunt. Sic enim ab eodem Johanne in eadem epistola laudatur: *In epistola Leonis ad Juvenalem;* et subinde: *ejusdem in epistola ad Flavianum*, nulla dignitatis pontificiae facta mentione. Sed quod tacuit Johannes II, hoc Fulgentius loco memorato non item siluit. Ibi enim quatuor ex hoc libro testimonia prolaturus, quae totidem verbis in eodem etiamnunc exstant, ita praefatur: *hoc etiam beatae memoriae papa Gelasius servato tenore doctrinae per viam verae fidei atque apostolicae confessionis paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippe libro, quem memoratus venerabilis conscripsit antistes adversus eos, qui in Domino Jesu Christo duarum naturarum volunt indivisam credere veritatem sed eas unius naturae professione confundunt, ipso tenore praedicationis apostolicae custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat.* Quocirca Petrus Franciscus Chiffletius merito in hunc locum observat, nemini jam dubium esse debere, quin libri a Fulgentio laudati non Gelasius quivis, sed Gelasius antistes Romanus auctor censendus sit. Neque falsum esse quis credet tam vicinum Gelasio tantaeque in ecclesia auctoritatis virum. Neque minoris hac in re momenti est Facundi testimonium. His enim libri contra Maximum verbis: *scripsit beatus Gelasius Romanus episcopus adversus Acephalos magnum opus*, hoc ipsum opus ab eo notari nemo prudens negaverit: ita ut uno verbo tunc pervulgato *adversus Acephalos* id ipsum expresserit Facundus, quod alii pluribus explicant. Unde conficitur, ut et ipse hunc librum non Cyziceni, non cujusvis Gelasii, sed Romani episcopi esse pro vero habuerit. Sed aliena quid quaerimus, quum in ipso libro num. 16 lecturi simus: *Quapropter hanc regulam catholicae fidei .... cum sede apostolica vestra dilectio unanimiter teneat?* Nonne is in apostolica sede se constitutum et beati Petri successorem declarat, qui eos ad quos scribit, ut sibi assentiendo *cum sede apostolica* consentiant, sic adhortatur?

5. Jam ad stilum si veniamus, tot identidem recurrunt propriae quaedam aut familiares Gelasii locutiones, ut si deessent aliae notae, vel loquela manifestum eum faceret. Taceo dicta *principalis competenter modis omnibus*, *nescientes quid loquantur*, *volentes nolentesque*, *nunquamque solvenda*, *abruptum*, *magistri Ecclesiae*, et similia Gelasio aliis in scriptis familiaria; magis singulare est illud num. 3, ubi narratur: *qui Eutyches unam id est solam divinam conatur asserere naturam;* si comparetur cum his epistolae 7 n. 2, ubi idem haereticus dixisse perhibetur: *unam tantummodo, id est solam divinitatis naturam sive substantiam, in Domino Jesu Christo credere nos debere.* Cetera, quae observare quisque per se valet, brevitatis causa praetereo. Nec mirum videri debet, quod in hoc libro, quem propter Graecos aggressus est, catholicam doctrinam unis fere patrum graecorum testimoniis confirmat. Hac enim in re nihil aliud fecisse deprehenditur, nisi quod facere solebat, adeo ut in hoc opere ei repetere licuerit, quod epist. 3 ad Euphemium n. 6 scripsit: *Majorum traditione confectam et vestrarum praecipue regionum sollicitudini congruam praebemus sine difficultate medicinam.* Hoc igitur delectu quum singularis dignoscatur Gelasii prudentia et perpetua secum consensio, non modo nulla habeatur ratio, cur hoc ei scriptum abjudicetur, sed et accedit nova, unde illi asseratur.

6. Quapropter minime assentiendum videtur observationi Chiffletii, qui notis in Fulgentium censet, in hujus operis calce *praetermissa plurimorum patrum praesertim latinorum testimonia*, *quae nec negligi a Gelasio debuerunt*, *nec potuerunt ignorari.* Quae enim ignorare non potuit Gelasius, prudentia dictante tacere debuit, tam ut Graecorum vitaret invidiam, quam ut eorum benevolentiam

Digitized by Google

captaret; maxime quum in conciliis Ephesino et Calchedonensi, quae ubique pervulgata erant, jam prolata sciret plura atque idonea patrum latinorum testimonia. Neque vero facile dandum est, ex allatis ab eo testimoniis quidquam ab alio postmodum fuisse suppressum. Cui enim subtrahere aliqua licuit, licuerit et nonnulla adjicere; adeoque si primum concedatur, continuo et iis testimoniis, quae supersunt, detrahetur vel imminuetur auctoritas. Deinde quorsum illa in supprimendis latinorum et in retinendis Graecorum testimoniis affectatio?

7. Magis placet altera ejusdem viri docti observatio, qua non omnia Eusebii Caesariensis scripta, sed solum ejus historiam a Gelasio epist. 42 n. 8 in apocryphorum classem amandari notat, adeoque tractatum hunc propter testimonia Eusebii in eo citata minime suspectum videri debere. Siquidem illa non ex historia, sed ex aliis ejus operibus excerpta sunt. Ad haec quid repugnat, quominus Gelasius librorum Eusebii auctoritate, quam episcoporum plurimorum consilio admonitus nec satis certam nec omni fide dignam probavit, ante illorum censuram usus sit? Quapropter sinceritati hujus tractatus, quem Gelasiano de libris decreto anteriorem esse prope indubitatum est, nihil officiunt prolata in eo Eusebii testimonia. Quovis etiam tempore Graecis illa recipientibus objici prudenter potuerunt, ea praesertim in re, quae ad Arianam causam nihil attinebat. Epistolarem stilum sapit, quae num. 16 testimoniis veterum praemittitur exhortatio. Ab antiquis tamen *librum*, *opus* ac *volumen*, non *epistolam* appellari superius vidimus. A Gennadio Massiliensi et a Johanne II papa ut in libro pontificum et vulgatis manuscriptis libris inscribitur: *adversus Nestorium et Eutychen;* a Fulgentio *adversus eos, qui in Domino Jesu Christo duarum naturarum nolunt indivisam credere unitatem*, a Facundo *adversus Acephalos.* Eutychianos quidem directe impugnat; sed quia hi refelli efficaciter nequibant, nisi simul repellerentur et placita Nestorii, ideo contra Nestorium et Eutychen scriptus dicitur, qua uterque refellitur. Neque solum ad Eutychen, sed et ad Nestorium quodammodo spectat, quod praemittitur *de duabus naturis.* Is enim divinam in Christo naturam cum humana substantialiter conjunctam negabat, adeoque contra illum censetur liber, in quo duae naturae substantialiter unitae secundum catholicam fidem asseruntur. Quia vero ii, qui subinde dicti sunt *Acephali*, naturae in Christo unitatem pertinaciter propugnabant, quae hoc libro constanter impugnatur, eum *contra Acephalos* inscribere sibi licere censuit Facundus, quamvis hoc nomen forte Gelasio ignotum fuerit. Sic vero cognominatos esse observat idem Facundus cap. 5, *qui licet recedentes in quibusdam ab ipsius Eutychis auctoris et capitis sui sententia, sequi tamen dedignantur Ecclesiae catholicae doctrinam, cujus caput est Christus, in duabus naturis;* ideoque illos *Semieutychianos* significantius appellari posse notat. Horum originem Leontius de sectis act. 5 ad Petrum Mongum refert.

8. Principium hujus libri a verbis *Necessarium quoque fuit* aliquid aliud ad eos, quos alloquitur Gelasius, jam praemissum innuit. Sed quum alterum scriptum simul missum, cui istud adjunctum sit, cogitare liceat, nil opus est, ut propter particulam *quoque* tractatui huic quidquam deesse suspicemur. Aut si quid excidisse dandum est, illud certe modicum, non insigne quid fuerit. Nam incipiendi ratio exordium redolet, in quo quae tractanda sunt, primum proponuntur.

9. Circa testimonia veterum ad calcem subjecta nonnullos forte movebit; 1° quod unius ejusdemque patris dicta non simul collecta sed infertis aliorum sententiis a se divulsa proponantur: Athanasii verbi gratia n. 20, 28 et 33, Gregorii Nazianzeni num. 22, 29 et 36, et sic ceterorum; 2° quod illa eorumdem patrum testimonia sic divulsa non ex diversis eorum operibus sed interdum ex eodem sint excerpta: puta Athanasii n. 20 et 28 ex epistola ad Epictetum, Gregorii Nazianzeni n. 22 et 29 ex epistola ad Cledonium; 3° quod una eademque Eustathii Antiocheni

Digitized by Google

sententia bis, semel scilicet n. 18 et iterum n. 32 referatur. Sed haec forsitan non aliunde contigerint, quam quod haec testimonia colligendi cura diversis delegata sit, atque eo ordine, quo quisque a se collecta retulit, collocata sint. Nec tacendum, quod Ambrosii verba non propria sed synonyma exhibeantur; adeo ut non ex proprio fonte hausta sed ex graecis rivulis accepta diceres. Addo et illud, pleraque illa testimonia pariter a Theodoreto in tribus dialogis proferri, sed neque omnia neque eodem ordine ab eo repraesentari, immo plurium quae ab ipso proferuntur vel non idem esse initium vel non eumdem finem: adeo ut Gelasium haec ab illo mutuatum esse nemini certo judicare liceat. Undecunque autem illa acceperit, certe latina graecorum testimoniorum translatio, antiquorum more litterae tenacior, nonnullis in locis obscura aut etiam a scriptoris mente aliena est. Obscuritatem augebant, quae indentidem librariorum oscitantia vel corrupta vel omissa fuerant. Quapropter consultis fontibus graecis ita librariorum emaculare studuimus menda, ut cetera quo pacto corrigenda sint, indicare satis habuerimus: duplex vitantes incommodum, ne nimirum aut mutetur lectio, quae Gelasii auctoritate nitatur, aut sic illa retineatur, ut antiquorum dicta ab eo laudata lectoris intelligentiam fugiant.

In Gelasii papae tractatum IV („*Ne forte*").

1. Anno 1535 Jacobi Merlini opera inter Gelasii decreta vulgatus, deinceps [a². Ed.] tum in conciliorum collectionibus tum in Romana pontificiarum epistolarum editione eumdem locum obtinuit. Novissime vero a Paschasio Quesnello et fratribus Ballerinii in eo canonum codice, quem ad calcem operum Leonis ediderunt, c. 47 recusus fuit. Sed Oxoniense exemplar, quo ille usus est, quum aliis in scriptis tum maxime in hoc secundis curis adulteratum potius censere liceat quam correctum. In eo uno hunc prae se fert titulum: *Gelasii papae mirabilis disputatio de anathematis vinculo in Acacium et Petrum*, quum in quatuor veteribus codicibus, quos recognovimus, ut et in omnibus editionibus excepta Quesnelli, *tomus de anathematis vinculo* inscribatur. *Tomi* quoque nomine tractatum eumdem Nicolaus I epist. 8 ad Michaëlem imp. donat.

2. Hujus autem vocis apud veteres non una est ratio. Plerique tamen *tomum* dixere synodale decretum seu epistolam, in qua fides, quam profiteri quisque debeat, aut quae ad fidem pertineant exponuntur. Eo pacto apud Athanasium nov. edit. tom. 4 pag. 770 concilii Alexandrini synodica *tomus ad Antiochenses* appellatur. Ita et concilium Constantinopolitanum scribens ad Damasum (Damasi ep. 13 n. 4) τόμον vocat Antiochenae synodi anno superiori celebratae epistolam; et ipsa Damasi ad Illyricos synodica epist. 4, ut observavit Valesius, ab eodem concilio Constantinopolitano can. 5 *tomi* vocabulo designatur. Nemo nescit, *tomum Leonis* celebrem hujus pontificis ad Flavianum epistolam nuncupari solere. Ceteras etiam summorum pontificum decretales epistolas eadem appellatione gaudere, Hincmarus Remensis epist. 35 ad Hincmarum Laudunensem scribens pag. 604 innuit his verbis: *Gelasius papa venerabilis et sanctus omnes decretales epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas; nec eas venerabiliter suscipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit;* nisi forte *tomum* ibi vel totam decretalium illarum complexionem vel ipsum Gelasii decretum intelligat. De fidei expositione loquitur Basilius Seleucius episcopus in actis Constantinopolitanis Calchedone relectis act. 1 ubi ait: *Rogo vero vestram sanctitatem hunc tomum et in Orientem dirigere, et liberare nos a blasphemiis; et si quis non subscripserit in hoc tomo, sit nobis alienus.* Similiter clerici ibidem *chartulam fidei* ab Eutyche ipsis subscribendam directam *tomum* vocant (Hard. l. c. II, 154). Item Recesvinthi regis epistolam Toletani VIII concilii patres in proemio (Hard. l. c. III, 953) *tomum* appellant. Aliquando vero *tomus* idem est quod excerptum seu quasi ex integro opere sectum testimonium. Hinc Alexander

Digitized by Google

Hierapolitanus ad Acacium Beracensem episcopum scribens apud Baluzium nov. coll. conc. pag. 763 id, quod primo allegationem vocarat, postea *tomum* nuncupat. Nec alio forsitan intellectu Cyrillus apud Coelestinum epist. 8 n. 9 *tomos* misisse se nuntiat, quibus excerpta Nestorianae doctrinae capitula continebantur. Huc spectat, quod in Calchedonensi concilio act. 16 (Hard. l. c. II, 639) et decretum in gratiam regiae urbis proxime editum *tomus* appellatur. Generatim autem Philothei patriarchae sententia ac definitione aliquid *τόμος vocatur, quod in re συντετμημένως id est paucis verbis enarretur.* Quae postrema notio huic scripto, utpote argumentis concisis constanti, non male congruit. Ad litteram vero idem est tomus, quod *sectio.*

3. Quod autem hunc tractatum Nicolaus I in citata epistola *tomum ad orientales episcopos vocat*, hoc ita est intelligendum, ut non ad Orientales ipsos, sed propter orientales conscriptus sit. Commonitorii potius, quod legatis in Orientem missis dederit, speciem prae se fert. Dictio ejus non satis accurata, utpote in qua non nihil interdum aut abundare aut deesse videatur, festinato dictatum arguit. Ob argumentorum tamen acumen elaboratum opus fateri cogeremur, nisi Gelasium in eo negotio, quod tractat, assiduo labore jam exercitatum sciremus. Integrum non esse praesertim in initio num. 2 colligitur.

4. Triplex in eo Orientalium objectum diluitur. Antea quidem hi objecerant Acacium absque synodo damnari nulla ratione potuisse. Sed postquam Gelasius epist. 26 Acacium Calchedonensis synodi sententia obnoxium exstitisse, atque apostolicam sedem tantum synodi hujus exsecutricem fuisse demonstrasset, instare coeperunt, frustra apostolicam sedem sese Calchedonensis synodi vindicem jactare, quam ex parte respueret: aut enim eam ex toto aut nullo pacto admittendam esse; simul etiam de iniquitate sententiae adversus Acacium prolatae, qua nunquam ab anathemate exuendus dicebatur, expostularunt. Demum hanc sententiam nullam esse voluerunt, utpote qua Acacius ob initam cum Petro haeretico communionem damnatus fuerit, quem cum eodem Petro nonnisi postquam absolutionem praevia poenitentia meruisset, communicasse contendebant. Porro ex his tribus, quae illi objiciebantur, primum ac postremum paucis, medium vero pluribus in hoc tractatu refellit, indeque velut a praecipua parte titulus ei *de anathematis vinculo* inditus est. Idem argumentum Gelasius sub Felice, ut apud eum epist. 14 vidimus, jam tractarat; de eadem re in ipsius epist. 18 rursum disseritur.

[Ed.] 5. Sed hoc loco etiam aliorum virorum doctorum sententias de isto opusculo adjicere non supervacaneum erit. Quum igitur Tillemontius in vita Euphemii Constantinopolitani illud in dubium vocat, tum marchio Maffejus in supplemento Acaciano idem *nihil ferme aliud esse* ait, *quam centonem ex diversis fragmentis librariorum vitio contextum*, nec ipsa haec fragmenta Gelasii esse haud obscure innuit. Sensum enim urget identidem esse abruptum, alia ibi ad ejus argumentum minime pertinere et frusta alterius scripti dicenda esse. Deinde illam opusculi quasi summam arripiens *nunquamque anathematis vinculis exuendum* Acacium, eam superfluam omnino Gelasii curam futuram fuisse advertit, postquam Felix ipse in epistola sua (Gelasii epistolam 1 dicit) id jam abunde praestitit. Nec credendum, addit, Gelasium hanc defensionem adornasse, validissimo argumento a Felicis scilicet sententia ita pronuntiata sumto nunquam adducto. Similiter haud credibile, ab illo easdem loquendi formulas tenoremque orationis ac stili eumdem adhibitum esse, nulla unquam Felicis mentione facta.

6. Ad primum quidem jam Ballerinii de antiqu. collect. latin. p. II c. 11 § 4 sagacissime responderunt, quod hic apponere juvat. *Negari quidem nequit, quin hoc opusculum praeter abruptum initium quaedam contineat, quae neque cum titulo de anathematis vinculo neque cum reliqua oratione cohaerere videntur. Numero 1 et 2 de decretis Calchedonensibus agitur, quae vel omnia probanda,*

Digitized by Google

vel si ex parte repudianda sint, ex toto firma esse non posse dicebantur. Tum n. 3 ad thema de excommunicationis vinculo sine ullo apto nexu et sine idonea introductione transitur. In iis autem n. 9: *Quod sedes apostolica non consensit* etc. ad argumentum primi et secundi capitis reditur, *eaque hoc loco perperam inserta sunt. Quae enim in sequentibus capitibus subjiciuntur, ad propositum de anathematis vinculo pertinent. Si vero,* inquiunt, *animadvertatur, hoc opusculum imperfectum esse, facile intelligetur, cur de omnibus ratio afferri non possit.* Deinde autem jam in antecedentibus n. 4 Coustantius filum contextus quemdam satis feliciter ostendit. Similiter etiam Ballerinii advertunt, duo prima capita ita ad opusculi nostri scopum concinnari posse, si orientales opposuisse sumantur, anathema in Acacium ex synodi Calchedonensis decreto latum sic solvi posse, ut canon ejusdem synodi de Constantinopolitanae sedis praerogativis a Romanis pontificibus solutus sit. Si non intercidisset opusculi initium, haec sane manifestius paterent. In aliis si revera contextus non appareat, quia intermedia exciderunt, non inde jam de totius opusculi integritate dubitandum est.

7. Secundum et tertium viri sagacissimi argumentum cadit, si quam ille contra omnium codicum auctoritates Felici attribuit epistolam Gelasio restituerimus (scilicet hujus epist. 1). Quapropter quum, ut recte monent iidem Ballerinii, in antiquissimis collectionibus atque codicibus, qui a Gelasii aevo modicum distant, idem opusculum huic pontifici adscribatur, eidemque tum materies tum sententiae ac stilus conveniant, juste dubitari nequit, quin ex schedis ejus sumtum fuerit. Forte vero, addunt iidem fratres doctissimi in iisque libenter nostram sententiam adscribimus, quum in iisdem schedis non esset perfectum, sed prima manu paratum et, ut fit in ejusmodi fetibus, aliquot separatis foliis scriptum nec omnino compactum atque connexum, collector non omnes partes nactus est, alias autem quas invenit minus apte disposuit.

8. Ad tempus quod attinet, quantum ex ordine rerum gestarum augurari licet, anterior non est iis scriptis, quibus probat Gelasius nova non opus fuisse synodo, qua Acacii, utpote Calchedonensis concilii sententia praedamnati, causa cognosceretur; adeoque epistolis 26 et 27 mense Februario anni 495 conscriptis posterior fuit.

In Gelasii papae tractatum V („*De Pelagianis*").

1. Is tractatus e vetusto codice Vaticano descriptus Romae primum proxime [a 3] post epistolam 6 Gelasii ad episcopos per Picenum constitutos est editus. Qui locus ei magis propter affinitatem materiae datus est, quam quod ad eosdem episcopos ulla ratione pertineret. In hoc enim tractatu Gelasius eos, qui hominem in hac vita sine peccato ac sine omni humanae infirmitatis vitio esse posse affirmabant, ita aggreditur, ut necdum sibi satis compertum esse significet, propriisne viribus ac solo libero arbitrio, an Dei munere et Christi gratia hominem ad hanc perfectionem pervenire posse, hi arbitrarentur. In epistola autem 6 eos refutat, qui quemque per solum liberum arbitrium bono suffragante naturae beatum effici posse aperte praedicabant. Deinde hunc suscepit tractatum, quum ipsi ampliores de eadem re dissertationes parare ac polliceri vita comite liceret, adeoque quum majore frueretur otio, quam quum totius ecclesiae curam sustinere coepit. Unde saltem num pontificatum ejus tractatus iste praecesserit necne, incertum est. At epistolam 6 ab eo jam pontifice scriptam fuisse est indubitatum.

2. Quorsum vero, inquiet forte non nemo, in opere adversus Pelagianam haeresim inscripto de resurrectione, circa quam nullus Pelagianis error attribuitur, tam copiose disserit? Si tamen penitius despiciatur scopus illius, ab eo aberrare nulli videbitur. Ad eam enim quaestionem de carnis spiritusque pugna, quam a peccato ortam et a qua neminem in hac vita liberum esse fuse adversus Pelagianos

Digitized by Google

edisserit, quodam modo pertinet haec disputatio, in qua hominem ab hujusmodi pugna postmodum liberandum esse, comprobata cujusque in proprio sexu resurrectione adstruit. Neque vero de qualibet corporum suscitandorum qualitate, sed de ea una, quae feminis competit, disputat. Nam quum nonnullos falso quodam pudoris affectu detentos, utrum hae in proprio sexu surrecturae sint, dubitare vel etiam hoc prorsus inficiari adverteret, id sibi operosius probandum duxit, quo negato resurrectionis fidem haud mediocriter labefactari non ignorabat. Nam si in proprio sexu non resurgunt feminae, non resurget quisque in proprio corpore, adeoque nec stabit, quod credimus, unumquemque eorum, quae gessit in proprio corpore, rationem esse redditurum.

3. In hoc tractatu quamvis solutior ac diffusior minusve elaborata, quam in nonnullis aliis scriptis, fluat oratio, identidem tamen occurrunt propriae quaedam Gelasii locutiones, quibus genuinus ejus parens internoscitur. Sic vero plerumque Augustino concinit, ut quas ex familiari ejus lectione hausit sententias, e proprio fonte decurrere diceres.

4. Optandum foret, ut e castigatiore atque integriore exemplari is tractatus prodiisset. Sed bene est, quod eum Romanus editor pro more suo summa fide expressum nulla mutatione facta ad nos transmisit. Satius est enim, veterum scripta ad archetypi fidem exacta cum mendis, quam ex conjecturis ab archetypi littera remotis nec satis evidentibus in speciem castigata, re autem vera adulterata exhibere, praesertim si denuntiatione facta lector non commoneatur. Verum hunc nemo non censuerit magis probandum, qui postquam in emaculandis mendis operam contulerit suam, hoc temperamento utatur, ut conjecturas probabiles indicare satis habeat, et evidentibus mendis monito prius lectore lectiones substituat, de quarum veritate constet aut certe nihil prope ambigatur. Cui regulae haerentes, sic istum exhibemus tractatum, ut nihil in eo aut prope nihil fore speremus, ubi lector de auctoris sententia haereat. Primo quidem eum ad alterum Vaticanae bibliothecae codicem recognosci curavimus, ejusque ope nonnulla emendata. Deinde illum ex ore dictantis exceptum, non a librario propriis oculis exemplar praelegente descriptum esse observantes, in quo auris peccare soleat, diligenter expendimus, atque hac diligentia longe plures loci castigati. Interdum etiam sola mutanda fuit interpunctio, ut iis, qui manci videbantur atque mutili, sua integritas redderetur aut potius nihil defuisse deprehenderetur.

In Gelasii papae tractatum VI („*Sedent quidam*").

[a³] 1. Lupercaliorum ritum ad Gelasii tempora Romae perseverasse ac tum patronos habuisse, nonnullos scrupulos movit. De singulis si quid praefandum erit, suo loco disseretur. Sed de eo, qui primus sese ob oculos offert, jure miratur Baronius, post tot Christianorum imperatorum edicta adversus idololatriam, post tot sanctorum pontificum ad exstirpandam adhibita studia, non minus stultum quam impium Lupercaliorum eam ritum, qui ante Romam conditam in Italiam fuerat advectus, ad Gelasii usque tempora in urbe viguisse atque habuisse defensores, non paganos sed Christianos, non plebejos quosque sed primarios ac senatores, qui, quod fidem pene omnem superat, Lupercalia non tantum tuebantur ut spectacula mere ludrica ac populis oblectandis idonea, sed ut Christianae reipublicae necessarium cultum, cujus abolitio malorum omnium, quibus tunc conficiebatur, nominatimque pestilentiae atque famis causa et origo esset.

2. Inter hos autem Lupercaliorum patronos praecipuus erat Andromachus, is ipse, ut Baronio videtur, Fausti officiorum magistri frater, ille inquam *vir illustris Andromachus*, cujus et opera usus est Gelasius; utpote ab eo *abundanter instructus dicitur, ut cohortaretur Acacium deposita obstinatione resipiscere.* Is vero quum clericum aliquem adulterii insimulari contigisset, inde ansam arri-

Digitized by Google

puit, unde divulgaret, longe satius facturum fuisse Gelasium, si in adulteriis corrigendis, quam in abolendo usu a tot sanctis illius decessoribus tolerato studium et operam poneret. Porro infamis illa Lupercaliorum sollemnitas XV Kalendas Martias celebrari consueverat, uti fidem facit vetus Kalendarium Romanum Liberii papae et Constantii imperatoris temporibus editum et a Bucherio vulgatum, in quo et ceterae gentilium sollemnitates suo quaeque die recensentur. Non consentit igitur hic dies cum festivitate cathedrae sancti Petri, qua nonnulli in Galliis superstitiosi ritus celebrabantur a Turonensi II concilio anno Christi 567 damnati. *Sunt etiam*, inquit illud concilium can. 22, *qui in festivitate cathedrae domni Petri apostoli cibos mortuis offerunt, et post missas redeuntes ad domos proprias ad gentiles revertuntur errores, et post corpus Domini sacratas daemoni escas accipiunt. Contestamur illam sollicitudinem tam pastores quam presbyteros gerere, ut quemcunque in hac societate persistere viderint, vel ad nescio quas petras aut arbores aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare quae ad ecclesiae rationem non pertinent, eos ab ecclesia sancta auctoritate repellant.* Non desunt tamen viri eruditione clari, qui Lupercalium reliquias hoc canone damnatas putent. Verum, ut observavi, Lupercalia Romae 15 Februarii die celebrabantur, illa autem in Galliis peragebantur in festivitate cathedrae sancti Petri, hoc est 22 die Februarii, qui dies apud Romanos, ut ex laudato Bucherii Kalendario comperimus, Charistiis sacer erat, ita ut inter Lupercalia et Charistia duo apud eos interciderent alia festa, Quirinalia scilicet 17 die, et Feralia die 21. Si etiam superstitiosos ritus, quos Romae in Lupercalibus peragi consuevisse quum Plutarchus tum ecclesiae nostrae memorant, cum iis conferantur, quos damnant Turonensis II concilii patres, in eo concilio superstitiones non e Lupercalibus, qualia celebrabantur a Romanis, sed aliunde manantes notari atque damnari facile largiemur. Quocirca nihil est, cur Gelasio fidem negemus infra n. 9 asserenti: *In Africa vel Galliis nec fuerunt aliquando Lupercalia, nec constat fuisse sublata.* Quamquam si rem altius ab ipsius celebritatis origine atque institutione repetamus, quasdam Lupercalium reliquias a Turonensi II concilio tolli non inficiabimur. Quippe *Arcades*, uti Dionysius apud Johannem Rosinum lib. 3 antiq. Roman. c. 2 narrat, *in colle Palatino firmati quum aedificia alio more patrio exornassent, templum quoque construxere, ac primum quidem Pani Lycaeo*, quem maximo in honore semper habuerunt, *loco congruo invento, quem Romani Lupercal vocant, Graeci Lycaeum dicunt.* Tum sic a Dionysio describitur ille locus: *Erat antiquitus antrum magnum sub colle arbusto denso contectum, et fontes sub petris profundi adhaerensque rupibus crebris arboribus et quidem magnis opacus, ubi ara Deo constructa sacrificia patria perficiebant, quae Romani postea mense Februario peragebant.* Enimvero potuit fieri, ut superstitiosus ille fontium et arborum cultus in Galliis propagatus, e situ templi, quod Arcades Pani Lycaeo primum construxerunt et unde Lupercalia nata, fluxerit. Porro ista Lupercalium celebritas ad Gelasii tempora non plena et integra perseveravit, sed ad primariae institutionis imaginationem adumbrata. Quod enim a nobilibus viris et matronis fieri consueverat, per viles ac serviles personas peragebatur. Hinc gravibus alioquin viris ferendus videbatur usus; sed eorum auctoritati non cedens Gelasius futiles ipsorum ineptias acriter simul et sapienter propulsavit.

3. Hic tractatus e Vaticano codice inter epistolas pontificias editus, a Baronio ad annum 496 totus recusus est, erroribus, ut loquitur, quantum sibi licuit, ex propriis conjecturis emaculatus. Nonnulla quidem satis feliciter emendavit; sed in aliis, dum medicam manum afferre nititur, morbum non tam sanat quam mutat, idque agit tantum, ut dum magis latet morbus, remedio egere difficilius deprehendatur. Sed hinc comperit lector, quod aliquoties observavimus, quanti nimirum interesit, ne quis ubi de corrigendis antiquorum scriptis agitur, propriis conjecturis

Digitized by Google

licentius utatur, aut si qua mutat, de inducta mutatione lectorem monere non gravetur. Et hac quidem cautione adhibita mendosis in locis nostras post virum eruditum conjecturas exponere non piguit. Utrae magis sint probandae, lector judicabit. In codice, qui olim monasterii s. Petri in Avellana in Umbria fuit, excipit hic tractatus Gelasii dicta adversus Pelagianam haeresim, ac nihilominus inscribitur: *Incipit ejusdem papae Pelagii adversus Andromachum etc.* Ex quo cuique observare licet, quam proclive sit librariis, Gelasii Pelagiique nomina confundere. Si enim *ejusdem papae* est atque *Gelasii dicta*, profecto non *Pelagii* sed *Gelasii* est.

Monita praevia

in Anastasii II epistolas.

In Anastasii epistolam 1 („*Exordium*").

[a³. Ed.] In prima conciliorum compilatione a Jacobo Merlino edita, exinde in ceteris locum obtinuit. In Romana pontificiarum epistolarum collectione notatur *ex Cresconio descripta*, quo nomine, ut jam saepe monuimus, Vaticanum 1353 Vallicellani A 5 apographum significatur. Eamdem exhibet eaque clauditur primaria Dionysii collectio, unde illam etiam exemplaria Hadriana receperunt. Exstat praeterea in Hispana et Pseudo-Isidoriana; item vetustae canonum compilationi ad Hispanarum ecclesiarum usum concinnatae tota inserta est. Denique a Justino imperatore apud Hormisdam epist. 129 n. 3 et a Justiniano l. c. epist. 120 n. 2 et 132 n. 2 laudatur. Titulum sequentem *pro pace ecclesiarum* ac subnexa capitula omnes mox dictae collectiones ei praemittunt, nisi quod in codice Beccensi horum loco substitutum est: *De reticendo nomine Acacii et de iis quos baptizavit aut ordinavit, ut in suo statu permaneant;* in Vaticanis 1342 et 1353 et Vallicellano A 5 tituli ipsi textui suis locis inserti sunt.

In Anastasii II epistolam 2 („*Tuum gloriose*").

[Ed.] In Dacheriani spicilegii tomo V pag. 582 (nov. ed. t. III p. 304) e schedis Hieronymi Vignerii primum prodiit, unde in sequentes conciliorum collectiones Labbei, Mansii (t. VIII col. 193) et Labati (conc. Gall. I, 669) translata est. Circa initia anni 497, simulac baptismi a Clodoveo suscepti nuntius in urbem pervenit, scripta videtur.

In Anastasii II epistolam 3 („*In prolixitate*").

[a³] 1. Romae primum in epistolarum pontificiarum collectione ac deinceps in editionibus conciliorum Gelasii nomine vulgata est sequens epistola. Quo ex codice descripta sit, is, qui vulgavit eam primus, praeter morem annotare omisit. Eam in Avellana in Umbria, cujus simile exemplum Vaticana bibliotheca pridem asservat, reperimus. In iis quidem duobus codicibus Gelasio adscribitur, sed confuso quodam ordine inter illius epistolam ad episcopos per Dardaniam constitutos et epistolam Agapeti papae ad Justinianum media collocatur. Eam autem Anastasio restituendam esse, non levibus momentis persuasum nobis fuit.

2. Primo quidem ejus est pontificis, cujus decessor ad episcopos Illyrici *de excessibus Acacii* scripserit, et quo episcopatum ineunte illa *de excessibus Acacii epistola* tum Thessalonicae tum aliis in ecclesiis recitari ac summo omnium consensu approbari coeperit. Atqui in Anastasium haec, non in Gelasium conveniunt. Nam Felicem Gelasii decessorem ad episcopos Illyrici de Acacii excessibus

Digitized by Google

scripsisse nullo monimento [1]) novimus, quum contra Gelasii cui Anastasius successit plures sint de hac re epistolae, quarum una nominatim *Illyrici episcopis* est inscripta. Deinde quam procul abfuerit Thessalonicensis antistes, ut circa initia pontificatus Gelasii litteras hujusmodi in ecclesia sua recitari vel praeciperet vel etiam permitteret, testis est Gelasius ipse in epistola 18 tertio pontificatus ejus anno scripta, in qua sic ad episcopos Dardaniae et Illyrici loquitur (l. c. n. 4): *Noverit vestra fraternitas, ecclesiae Thessalonicensis antistitem, nostris adhortationibus saepius incitatum, contagia communionis externae nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii vel ceterorum similium perfidorum hisque communicantium congrua professione damnasse.* Nec ullus patet locus, quo duos sibi quis fingat Thessalonicenses episcopos, quorum unus anno 492 circa initia pontificatus Gelasiani ab Acacii schismate discesserit, alter postea illud revocarit atque saltem ad annum 494 pertinaciter adhaeserit. Eumdem enim Andream, qui temporibus Felicis II Thessalonicensibus praefectus erat jamque tunc papae hujus communionem subripere tentarat, ut ex Felicis epistola 18 discimus, Gelasio superstitem fuisse, subjecta epistola de qua agimus nos docet. Nec facilius admittet quisquam quod opinari videtur Baronius ad ann. 492, nempe Romani antistitis epistolam in ecclesia Thessalonicensi, ipsius episcopo non consentiente neque illam probante, fuisse recitatam. Nemo quippe sibi persuadebit, epistolam in metropolitana totius Macedoniae ecclesia episcopo ipsius nolente fuisse recitatam. Nec intelligitur, qua ratione Lignidensis episcopus scribere potuerit, omnes post epistolae memoratae recitationem Acacio anathema dixisse, *nec quemquam communioni praevaricatoris sese miscuisse*, si ab ea divelli se Thessalonicensis antistes nullo pacto passus esset. Aegerrime etiam credatur, episcopum amplae provinciae caput ita deseri, ut *nec quisquam* eum sequatur, maxime quum nulla sequentibus inflicta sit poena; aut ab omnibus desertum in sententia sua perstare adhuc potuisse.

3. Gelasium tamen non in cassum laborasse ejusque repetitis adhortationibus ac firmis rationibus Andream Thessalonicensis ecclesiae praesulem tandem victum, convictumque ad Anastasium recens creatum pontificem misisse legationem, Alexandrinae ecclesiae apocrisiarii infra epistola 5 n. 4 diserte testantur. Ubi igitur epistolam hanc ad Anastasium II retulerimus, omnia, et quae prius scripserat Laurentius et quae nunc ad eum rescribuntur, jam aptissime quadrabunt. Quid enim convenientius, quam ut Thessalonicensis antistes, quem Gelasius insignis praevaricationis arguerat ac notarat, ubi cum ejus successore pacem inire voluit, aliquod insigne testimonium daret sincerae conversionis suae? Quod autem majus dare poterat, quam ut Gelasii *de excessibus Acacii* epistola in ecclesia sua publice lecta huic praevaricatori anathema diceret, et ut omnes idem praestarent auctor esset? Item Laurentio, ut ab apostolica sede *velut medicina quaedam fidei episcopis per Illyricum vel aliis ministretur*, admonenti commode intelligimus ab Anastasio rescriptum esse: *quamquam hoc copiosissime factum sit a beatae recordationis praedecessore nostro;* quum re ipsa in litteris Gelasii ad Illyrici vicinosque episcopos copiosissima ministretur adversus Acacianum schisma fidei medicina. Quomodo autem idipsum rescribere potuerit Gelasius, non apparet.

4. His argumentis quum moveretur animus sed ad mutandam inscriptionem vulgatam aegre adduceretur, accessit ac pervicit auctoritas veterum codicum Remigiani, Bellovacensis atque Corbejensis, in quibus tria epistolae hujus fragmenta velut *Anastasii papae Romani* exhibentur. In iis quidem manuscriptis fragmenta illa non ex epistola *ad Laurentium*, sed ex epistola *ad Ursicinum* exscripta annotantur. Verum haec nova inscriptio, quam falsi minime postulamus, epistolam ab

[1]) Hoc quidem secus. Conferantur, quae ad monitum in Gelasii epist. 2 (not. 5) adnotavimus. [*Ed.*]

Digitized by Google

Anastasio ad Ursicinum similem ei, quam ad Laurentium misit, simul *a pari* missam esse indicio est. Ac vero Ursicinum quemdam Dardaniae episcopum apostolicae sedi notum et addictum fuisse, Gelasii epistolae 7 et 11 fidem faciunt. Hinc et quae in exordio seu in fine epistolae hujus Laurentio peculiariter dicta videntur, ipsi cum Ursicino communia fuisse nihil repugnat. Certe fidei confessionem, quae epistolae huic inserta est, recens creatus pontifex etiam ad episcopos alios misisse se indicat. Hanc autem ad Ursicinum ab *Anastasio papa Romano* missam esse, veteres codices jam appellati testimonio sunt. Ergo idem ipse Anastasius, qui fidei confessionem ad Ursicinum misit, et hanc epistolam *ad Laurentium Lignidensem* scripsisse dicendus est.

5. Neque ignoti nominis est is Lignidensis episcopus. Eum quippe Nicephorus inter orthodoxos Illyrici episcopos, quos Anastasius Augustus vexavit, primum appellat. Additur et in Marcellini chronico ad annum 516, eumdem imperatorem *ob metum Illyriciani militis orthodoxi tumultuantis extemplo reverti mandasse ad suas ecclesias Domnionem et Evangelum episcopos, retento apud se Laurentio insignis nominis catholico sacerdote, quantumlibet exilii sententia ab eo damnatus esset.* — Denique ad tempus quod attinet, hanc epistolam ab Anastasio non longe post exordia sacerdotii sui, et antequam ad ipsum pervenisset Andreae Thessalonicensis episcopi legatio, scriptam esse liquet.

[Ed.] 6. His igitur Coustantii nostri argumentis, ut jam supra monuimus, praeprimis Gelasii epistolae 7 suffragium accedit. In qua quum ad episcopos Dardaniae et *contiguas quasque provincias vicinosque pontifices* primum episcopatus sui exordia indicaret et contra schismaticorum molimenta *veritatis instructiones* transmitteret, status ecclesiarum illius regionis longe alius apparet, quam qui nostra epistola datur. Unde nihil cunctati viri probatissimi vestigia secuti, eamdem inter Anastasii epistolas posuimus, pro vitando errore tamen etiam sub Gelasii nomine indicem addentes. Alii viri docti, inter quos Ballerinii de antiqu. coll. can. II, 11 § 3, vice versa non solum epistolam hanc sed etiam tria illa fragmenta ad Ursicinum insignita ad Gelasii nomen revocarunt, *Anastasii* inscriptionem falsi postulantes.

In Anastasii II epistolam 4 (*Fragm. ad Ursicin.*).

[a³] Haec fragmenta eo ordine repraesentamns, quo in mss. Corbejensi et Bellovacensi, ex quibus Stephanus Baluzius nov. coll. conc. pag. 1457 illa edi curaverat, nec non in Remigiano exhibentur. Horum primum si postponatur secundo, ea omnino, quae in epistola superiori ab initio n. 2 ad verba *propter ineffabilem suam benignitatem* habentur, ne una quidem mutata voce in hoc repetita fuisse deprehendemus. Nec alius videtur is *Ursicinus* ab eo Ursicino episcopo, per quem Gelasius epistolam suam 7 ad Dardanos dirigere se significat (ep. 7 n. 1), quique epistolae 11 ad eumdem Gelasium una cum aliis Dardaniae episcopis mendose *Ursinus* subscriptus legitur.

In Anastasii II epistolam 5 (*Libell. apocris. Alex.*).

[Ed.] Baronius hunc libellum in Vaticano codice latentem nactus dignum duxit, quem annalibus suis totum et integrum insereret (ann. 497 n. 14). Exinde conciliorum editores Anastasii nostri epistolis eum adjungi curaverunt. In praestantissimo Vaticano 4961, ubi idem profertur, haec majusculis litteris ad calcem adscripta notantur (fol. 63): *Dionysius Exiguus Romae de Graeco converti.* Quae verba Binius coll. conc. V, 403 not. *a* perperam ad sequens *Exemplar gestorum de absolutione Miseni* transferens, largam ut suo loco vidimus aliis de inscriptione hujus documenti ansam errandi praebuit. Porro Mansius coll. conc. VIII, 194 libelli nostri inscriptionem ex *Avellana* partim correxit, sed plures ibidem loci

Digitized by Google

contra Baronii et hujus archetypi vestigia incuria librarii mutati videntur. Nos nova dicti codicis Vaticani collatione facta haec menda removimus, etsi in aliis alius exemplaris aut graeci textus auxilium desiderandum est.

Monita praevia

in Symmachi epistolas.

In Symmachi epistolam 1 („*Post consulatum Paulini*").

1. Ad integritatem collectionis nostrae pertinere arbitramur, Romanarum [a³. Ed.] synodorum, quae sub Symmacho habitae sunt, gesta non omittere, maxime quum in antiquis canonum exemplaribus non inter concilia sed inter summorum pontificum epistolas et decreta locum obtineant, et in eis vel *canones Symmachi* vel *decreta Symmachi* inscribantur, ejusque nomine laudare illas Anselmus, Ivo aliique canonum compilatores soliti sint.

2. Subnexa gesta exhibet vetus collectio, quam Hadrianus I Carolo Magno dedit. E collectionis huius exemplaribus repetita sunt summaria capitula in eorum fronte praefixa; quae omnia licet retineamus, postremum tamen non probamus omnino, utpote in quo aliud ab ipsius decreti verbis enuntiari videatur. Praeterea ejusdem collectionis compilator episcoporum, qui synodo interfuerunt, nomina ab exordio resumit, atque haec gesta sic absolute orsus est: *Post consulatum Paulini v. c. die Kalendarum Martiarum in basilica beati Petri apostoli* (H⁶ *synodo praesidenti*) *praesidente beatissimo Symmacho Fulgentius archidiaconus dixit etc.*; necnon subjectas decretis synodalibus subscriptiones compendiosiorem in modum contraxit. Eadem ratione gesta illa et ab Isidoro Mercatore descripta, et a Merlino in editione conciliorum vulgata sunt. Subinde subscriptionum ordo mutatus et alphabeticus inductus fuit, ut apud Petrum Crabbe ac deinceps in editionibus conciliorum videtur. Stephanus Baluzius nov. coll. conc. pag. 1459 ex antiquo codice Colbertino not. 1863 suppressum tandem supplevit exordium et subscriptiones restituit. Et eam quidem gestorum formam, quae tametsi mendosa ac vitiosa in hoc codice servata est, genuinam esse non ambiget, qui plerarumque synodorum ac nominatim Romanae anno 501 sub ipso Symmacho celebratae gesta consuluerit. Id quoque singularum concilii Calchedonensis actionum initia et subscriptiones conferenti exploratum fiet. Porro quum eamdem formam principalis ille Vaticanus Reginae 1997 exhibeat, perplura menda removere et textum integrum restituere licuit. Unde simul verus episcoporum illic praesentium numerus LXXIII datur. Nam quum codex noster episcopos LXVI eodem, quo subscripti postea sunt, ordine praemisit, tamen ad marginem notat cum Colbertino: *Et subscripserunt episcopi numero LXV et papa presbyteri numero LXXIIII et diacones numero VII S.* Inter illos episcopos autem omisit hos septem, quos in fine cum aliis codicibus repetit: *Clarum Allifanum, Vitalem Fundanum, Laurentium Trebeatem, Innocentium Forosensem, Romanum Pitinatium, Mercurium Sutrinum, Marium Tifernatis*, immisit autem duos in fine cum aliis codicibus omissos: *Basilium Matellicatem* et *Mariotem Fernatem.* Ita quidem LXXIII episcopi revera efficiuntur, sicut in Hadrianis codicibus in fine subscriptionum, quae LXXI tantum nomina praebent, notatur: *Subscripserunt episcopi numero LXXIII.*

3. His gestis epistolae nomen, quamvis epistolarem speciem prae se non ferant, indimus, ut citationum commoditati consulatur. Sed neque iis prorsus re-

Digitized by Google

pugnat hoc nomen. Gesta quippe Romanarum synodorum, in quibus aliquid, quod ad ecclesiasticam disciplinam attineret, decernebatur, ad alias etiam ecclesias vulgo missa fuisse extra controversiam est. Certe synodi, quam Symmachus biennio post Romae celebravit, in Gallias transmissa esse acta, Avito Viennensi episcopo epist. 31 teste edocemur.

In Symmachi epistolam 2 („*Movit*").

[a³] 1. Apud Baronium in annalibus ad ann. 499 n. 37 una cum sequenti primum prodiit ex Arelatensis ecclesiae codice eruta. Utramque ad alterum exemplar exactam Jacobus Sirmondus concil. Gall. tom. I inseruit. Duos illos codices, qui in bibliotheca Colbertina jam asservantur, denuo cum Regio 3849 recognovimus.

[c¹¹] 2. Porro apud conciliorum editores ante Sirmondum haec epistola sequenti postposita. Primam collocari debuisse probant quum rectus ordo, qui priusquam auditae sint partes judicium fieri non patitur, tum nota consularis „*post consulatum Paulini*", quae annum 499 designat (cf. Pag. ad a. 499 n. 1), tum demum nota consularis anni sequentis *iterum p. c. Paulini*, quae eam anno 499 jam elapso datam esse demonstrat.

In Symmachi epistolam 3 („*Dilectionis*").

[a³] Simul cum superiore et ex iisdem exemplaribus in lucem emissa est. Notat Labbeus, Caesarii nomen loco Aeonii antea irrepsisse.

In Symmachi epistolam 4 („*Non debuit*").

[a³] A Luca Dacherio spicilegii tomo III, 307 ex Hieronymi Vignerii schedis primum vulgata est. Ejus veritatem probant duae superiores ad Aeonium epistolae, sicut vicissim harum *γνησιότης* ista confirmatur.

In Symmachi epistolam 5 seu synodum Romanam IV („*Rufio Magno*").

[a³] 1. Vetèrum codicum, in quibus sequentis synodi gesta exhibentur, triplex genus reperimus. Exstant enim primo in singulari olim Nicolai Fabri nunc ditissimae bibliothecae [1]) Colbertinae exemplari, in quo et plura monumenta ad eamdem synodum attinentia proxime a nobis subjicienda adjuncta sunt. Optandum quidem foret, ut hoc exemplar a peritiori manu descriptum esset. Sed ob singularitatem magni debet esse pretii. Eadem praeterea praedictis monumentis destituta ac nuda in ea collectione, quam Hadrianus I Carolo Magno dedit, leguntur. Inde illa mutuatus Isidorus Mercator eadem et compilationi suae inseruit. Anno autem 1535 Jacobi Merlini opera ac deinceps in ceteris conciliorum editionibus vulgata sunt. Quae quum ibi nonnihil depravata judicasset Baronius, *ea cum antiquitus scripto*, inquit, *codice* [2]) *Cresconiano* collata atque *ut licuit* emendata in annalibus ad ann. 502 recudi curavit.

2. At in quovis codicum genere gesta illa *Rufo* (seu *Rufio*) *Magno Fausto Avieno v. c. cons. sub die X Kal. Novembr.*, hoc est 23 die mensis Octobris anni 501 consignantur, nisi quod in uno Coisliniano ac forte aliis perpaucis, quos secutus est Merlinus, nota numerica *X* exciderit, ac restet *die Kal.* pro *sub die X Kal.* Neque a summo illo codicum consensu dissidere censendus est Corbejensis. Nam licet in eo nota desit consularis, trium tamen linearum restat spatium, quod antiquarius, ut eam postea majusculis et miniatis litteris pro more pingeret, reli-

---

[1]) Quod scilicet olim monasterii s. Petri Fossatensis, mox post Nic. Fabrum Colb. 1868, deinde Reg. 3887. 9. 9, tum teste Labato Reg. 1451, membr. saec. X.

[2]) Est, ut jam saepe monuimus, Vatic. 1353, cujus archetypum Vallicell. A 5 denuo contulimus. [*Ed.*]

Digitized by Google

querat. Quod quum ita sit, mirari subit, unde inter eruditos de tempore, quo habita sit sequens synodus, oboriri potuerit controversia. Baronius tamen Avieni nomine aut nescio qua alia praejudicata opinione deceptus, licet Faustum Avienum seu seniorem, quem anno 501 fastis consularibus adscriptum agnoscit, ab Avieno juniore, qui anno 502 consulatum gessit, distinguendum esse non ignorasset, hanc synodum ad annum 502 retulit, nec aliam ab ea, quae ipso anno 502 re ipsa celebrata est, sed alteram tantum ejusdem actionem putavit. Hanc opinionem defendi non posse merito ratus Antonius Pagius nihilominus chronicam notam, quam manuscripti prae se ferunt, veram negat, et hac una ratione, quod in Corbejensi desideratur, eam in ceteris ab imperito aliquo additam esse pro certo ponit. Verum cui non id videatur ab aequitatis legibus abhorrere, ut quod innumeris in manuscriptis scriptum est, ob id unum falsi arguatur, quia in uno praetermissum fuerit? Tanto autem minus excusari potest vir memoratus, quod in Corbejensi codice, quem ceteris praefert, chronicam notam a librario non tam omissam, quam ut concinnius et elegantius exarari postmodum posset dilatam fuisse, spatium relictum manifeste indicat. Quocirca neque felicius ipse hanc synodum ad annum 503 differendam arbitratur. Inficias quidem non ierim, illam in manuscriptis ei subjici synodo, quae anno 502 habita est. Sed ubi de tempore, quo synodus celebrata est, agitur, ad illud certo dignoscendum valde leve est argumentum ex ordine quem in veteribus libris servat petitum. Neque gravioris est momenti alterum, quod idem vir eruditus ex Victorino Isidorianae collectionis exemplari ab annis circiter 400 exarato in gratiam opinionis suae deducit: quod nimirum in generali titulorum indice, quem codex ille prae se fert, synodus sub Symmacho anno 502 *tertia*, et haec de qua nunc agimus *quarta* nuncupetur. Ex unis quippe pendet titulis antiquarii arbitrio concinnatis, in quibus nonnihil sibi licere periti imperitique semper existimarunt. Et vero notandum est, in omnibus collectionum Hadriani atque Isidori exemplaribus synodum, de qua agimus, *quartam* inscribi. Quum autem in iisdem exemplaribus hanc proxime antecedat synodus anno 502 habita, antiquarios incitare videbatur hic ordo, ut eam, quam sic antecedentem videbant, *tertiam* appellarent. Si tamen eum excipias, qui Victorinum codicem descripsit, ceteri ab hac licentia sibi temperarunt. Immo neque in Colbertino superius laudato codice subjecta synodus *quarta* nuncupatur. Certe apud virum critices studiosum valere longe amplius debuit consularis nota in ipso Victorino exemplari quemadmodum in omnibus aliis seu Hadriani seu Isidori sive etiam singulari Colbertino praefixa. Praeterea de notae hujus veritate ambigere nos non sinunt tres Theodorici regis infra subjiciendae praeceptiones ad eamdem synodum jam congregatam datae, quarum prima *sub die VI Idus Augusti Rufo Magno Fausto Avieno v. c. cons.*, altera *sub die VI Kal. Septembr. Rufio Avieno Fausto v. c. cons.*, postrema *sub die Kal. Octobr.* consignantur. Et ex triplici quidem illa nota perspicuum est, synodum, de qua nobis sermo, anno 501 ante Augustum mensem congregatam, sed propter erumpentes tumultus identidem intermissam, ad mensem Octobrem prorogatam fuisse. Quod autem, in ipsius synodi fronte praemittitur, eam ejusdem mensis 23 die vel certe, si magis placet perpaucorum manuscriptorum lectio, 1 Novembris die absolutam fuisse nos docet.

3. Neque his repugnant, quae Theodorus lector et ex eo Theophanes ac Nicephorus Callisti scribunt, perturbationem videlicet ex duplici Symmachi ac Laurentii ordinatione natam ad tres annos productam esse, aut illud, quod liber pontificalis seu Anastasius vulgatus tradit, *post quatuor annos* a Symmachi ordinatione, Laurentio Festi factione revocato accusatoque Symmacho, celebratam esse synodum, qua Symmachus a crimine purgatus est. Nam a 22 die mensis Novembris anni 498, quo ordinatus fuerat is papa, ad 23 diem mensis Octobris anni 501, quo absoluta est haec synodus, simul et anni *tres* pene solidi, et *quatuor*,

Digitized by Google

quorum primus et postremus inchoati, duo medii solidi, intercedunt. Aegre vero Pagius cum opinione sua componere queat, quod laudati scriptores Theodorus, Theophanes ac Nicephorus ibidem adjiciunt, tumultus nempe et contentionem, Symmachi opera dimoto de episcopatu et in exilium pulso Laurentio, tandem quievisse. Nam synodo Romanae anno 502 celebratae *Aprilis episcopus ecclesiae Nucerinae* subscripsit. Ex quo sequitur, ut jam antea Laurentius a Nucerina sede depulsus fuerit. Si autem Laurentii expulsionem praecessit Symmachi purgatio, synodus, in qua purgatus est, ante mox dictam anno 502 celebratam ponenda, non post differenda est. Cum his etiam apprime cohaeret ejusdem synodi anno 502 habitae prooemium, in quo sic praefatur Symmachus, ut quae de clericis ipsius synodus *Fausto Avieno consule* habita decreverat, diserte memoret atque commendet. Demum quum Symmachi pontificatus ad expulsionem usque Laurentii interturbari ac vacillare non destiterit, omnia ejus verba in concilio, quod anno 502 celebravit, pontificem spirant, qui in dignitate sua obfirmatus, ea jam tranquillus gauderet. Etiamsi igitur utrique synodo deessent consulares notae, non deessent argumenta idonea, quibus eam, quam subjicimus, anteriorem esse demonstraremus altera, quae anno 502 habita est. [1])

4. Cur autem *quarta* in mss. collectionum Hadriani et Isidori inscribatur, nec movere nos nec distinere diutius debet. Hoc enim ei, qui Hadriani collectionem concinnavit, tribuere [2]) licet, praesertim quum eadem synodus neque in Colbertino exemplari, in quo acta authentica quae ad eam attinent diligentius collecta sunt, neque ab Ennodio usquam *quarta* nuncupeter. Contingere quidem potuit, ut ex synodis sub Symmacho habitis haec quarta exstiterit. Certe ut singulis annis concilia celebrarentur, Hilarus papa decretis iteratis praeceperat. In ipso etiam hujus synodi apologetico libro *concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias* Ennodius memorat. Unde mirum non esset, per quatuor primos Symmachi annos, quibus tam gravia ingruerunt negotia, quatuor habitas esse synodos, quarum quarta anno 501 celebrata sit. Verum hoc aberat ab antiquorum more, ut quum sub eodem pontifice plures celebrarentur synodi, quota quaeque esset, in earum fronte annotaretur. Earum diversitatem chronicis notis indicare satis habebant. Quamquam nostra synodus ideo *quarta* dici potuit, quia quartae congregationis episcoporum, qui ad causam Symmachi dignoscendam convenerant, gesta exhibet. Quod et sequentis quaestionis explicatio illustrabit.

5. Cur enim *Palmaris* dicta sit, pariter quaeritur. Sed quin a loco, in quo episcopi convenerunt, sic appellata sit, nulli ambigendum. Sane celebris tum erat locus *Palmae* nomine nuncupatus. Inde Theodoricus anno 500 Romanum populum allocutus esse ab anonymo Valesiano narratur his verbis: *ambulavit rex Theodoricus Romam . . et ingressus urbem venit ad senatum, et ad Palmam allocutus populo se omnia Deo juvante, quae ceteri principes Romani ordinaverunt, inviolabiliter servaturum promittit.* Loci et concionis ejusdem me-

[1]) De tota hac synodorum Symmachi chronologia post curas Sollerii (in vita s. Symmachi *act. Sanctor.* Jul. d. 19 tom. IV p. 639) et Mansii (*coll. conc.* VIII p. 303 sqq.) suo more lucidissime disserit Hefele *Conciliengeschichte* II p. 615 sqq.

[2]) Hoc quidem vix concedendum; quippe et in exemplari Vaticano Reginae 1997 Hadriano vetustiore eadem manu ad marginem notatur: *Quarta synodus habita Romae Palmaris,* et *relationi episcoporum ad regem* („*Agimus Deo gratias*" etc.) nota marginalis adscribitur: *Tertia synodus habita Romae.* Unde simul et rationi computationis illarum synodorum lux affertur, et sententia Balleriniorum, Mansii (coll. conc. VIII, 304) et Hefele (Conciliengeschichte III, 623) authentice probatur. At tamen Coustantii nostri de hac re sententiam ut prorsus integram redderem, religioni mihi duxi. Ipse sententiam meam in monito ad appendic. Symmachi epist. 5 n. 4 et 5 adaperiam. [*Ed.*]

Digitized by Google

minit s. Fulgentii discipulus in ipsius vita n. 27, ubi quum sanctum illum virum eo tempore Romam venisse praemisisset, *quo fuit in urbe maximum gaudium regis praesentia*, subjicit: *contigit, ut b. Fulgentius . . . in loco, qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico rege concionem faciente Romana curia nobilitatem decus ordinemque distinctis decoratum gradibus adspectaret.* Ipse Theodoricus apud Cassiodorum lib. 4. epist. 30 porticus memorat curiae *juxta domum Palmatam* positae. Ex ipsis autem synodalibus gestis eosdem episcopos prius et *in basilica Julii* conventum unum et *in basilica Sessoriani palatii* alterum celebrasse discimus. His si addatur tertius, in quo, antequam Palmam adirent, convenerint, hinc idonea suberit ratio, cur totius negotii confectio Palmae edita non modo *Palmaris* sed et *quarta synodus* appellata sit. Verum neutri appellationum illarum suffragatur auctoritas Colbertini exemplaris, in quo haec synodus neque *quarta* neque *Palmaris* inscribitur. Ennodius quoque in apologia ejusdem synodi ex duobus illis titulis neutrum illi donat. [Consentit autem, [Ed.] ut jam monuimus, praeclarissimus Vaticanus Reginae 1997, in quo eadem manu et hic e regione initli ad marginem notatur *Quarta synodus habita Romae Palmaris*, et postea adnexae relationi episcoporum ad regem („*Agimus Deo gratias*") adscribitur: *Tertia synodus habita Romae.*]

6. Licet *ex praecepto Theodorici regis* congregata dicatur, ipse tamen Theodoricus, ut visuri sumus, eam non nisi ex Symmachi consensu ipsius litteris firmato convocasse se quaerentibus episcopis probavit. Illam porro non ideo convocavit, ut schisma componeret ex duplici ordinatione natum, sed ut Symmachi, qui quidem ut adulterii reus relatus ad ipsum fuerat, causam episcopali judicio finiret.

7. Synodi hujus decretum varias in provincias missum, quum in Gallias pervenisset, Avitus Viennensis episcopus *a cunctis Gallicanis fratribus* jussus de eo ad Faustum et Symmachum senatores sic scripsit: *Dum de causa Romanae ecclesiae anxianimi ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum principis obruisset; perlata est sollicitudini nostrae ab Italia in exemplaribus sacerdotalis forma decreti, quam de papa Symmacho apud Urbem collecti Italiae antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique concilii reddat assensus, intelligimus tamen sanctum Symmachum papam, si saeculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius adsciscere quam recipere debuisse judicium; quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter coeli, staturos nos ante reges et principes in quacumque accusatione praedicens, ita non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam quum celebri praecepto apostolus clamet, accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in praecipuum generalis Ecclesiae criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam (quod salva ejus reverentia dictum sit) pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini: perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theodorico regi de iis, quae papae dicebantur objecta, patuisse.* Haec ille, quibus et sub finem addit: *Si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur non episcopus vacillare . . . . Reddet rationem, qui ovili dominico praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: ceterum non est gregis pastorem proprium terrere sed judicis.*

8. Eodem vere decreto valde perculsi sancti papae adversarii illud libello publico, quem *adversus synodum absolutionis incongruae* inscripserunt, im-

Digitized by Google

pugnare ausi sunt. Sed synodi vindicias Ennodius postea Ticinensis episcopus edito *libello adversus eos qui contra synodum scribere praesumpserunt*, suscepit. Porro hoc opus synodali auctoritate et conscriptum et approbatum et inter canonica decreta computatum vulgo creditur: quia de veritate nullus hacteuus dubitavit synodi quintae sub Symmacho nuncupatae, in cujus exordio edicitur: *Libellus, qui synodali auctoritate contra eos, qui adversus IV nostram synodum, quae habita est Romae Palmari, mutire praesumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur, et in praesentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato et ab omnibus consona voce comprobato sancta synodus dixit: haec futuris temporibus reserventur atque ab omnibus teneantur et in omnibus serventur. Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartae et quintae synodorum nostrarum actiones interponatur, et ita sicut harum synodorum decreta habeatur: quia synodali auctoritate conscriptus et roboratus est.* Verum quintam synodum sicut et sequentem sextam meros esse Isidori Mercatoris fetus, multa demonstrant.

9. Primo quidem, antequam compilatio ejus prodiret, ignotae fuerant hujusmodi synodi. Eas certe ignoravit Hadrianus I; alioquin tribus aliis, quas collectio ejus asservat, ab eo haud dubie adjunctae fuissent. Deinde stilus, quo utraque conscripta est, plane Isidorum manifeste prodit. Utraque enim non modo pluribus sententiis constat, quas impostor ille primis pontificibus supposuerat, inconcinne repetitis, sed ex centonibus conflata est quum aliorum pontificum tum geminarum synodorum, quae sub Symmacho habitae sunt, cum iisdem omnino mendis, cum quibus ipsas synodos integras Isidorus repraesentat. Certe haec: *est enim a multis antecessoribus synodaliter decretum atque firmatum, ut oves quae pastori suo commissae fuerint eum nec reprehendere, nisi a fide exorbitaverit, praesumant;* nec non ista: *unde et antiquitus decretum est, omnes possessiones etc.;* vel illud quod proxime sequitur: *et alibi scriptum legitur: ille qui per violentiam etc.;* et mox: *In synodalibas decretis legitur: Redintegranda sunt omnia exspoliatis;* aut alia hujusmodi synodi quintae nomine proferre tam imprudenter ausus fuisset nemo, nisi qui decreta similia iisdem verbis composita antiquioribus pontificibus Zephyrino, Fabiano, Cornelio, Stephano I, Eusebio ac Julio supposuerat. Si enim adulterinae illae excipiantur epistolae, decessorum Symmachi nullus quidquam hujusmodi decrevisse deprehendetur. Neque etiam in aetatem Symmachi sed in Isidori potius saeculum, hoc est nonum, convenit, quod ille papa in synodo sexta adversus eos, *qui facultates ecclesiae sub specie largitatis regiae vel cujuscunque potestatis improba subreptione pervaserint*, decernere fingitur. Ignorabat quippe haec aetas regias illas aut cujusque potestatis largitates. Ipse etiam Odoacer, ut epist. 6 visuri sumus, sacrilegii instar ducebat, eas ad alium usum, quam ad quem collatae fuerant, transferri. Neque minus ab iis sibi arrogandis abhorrebat, qui proxime illi in regnum Italiae successit Theodoricus, cui religioni fuit etiam de ecclesiasticis negotiis quidquam sibi sumere. Si praeterea Gallias, in quibus Clodoveus fidem recens susceperat, aliasve regiones peragraverimus, facultatum ecclesiae dispensationem penes episcopos tum fuisse, ac principes nihildum sibi in eas vindicasse comperiemus. Immo quum anno 502 id unum Odoacer petiisset, ut ecclesiastica praedia praeter conscientiam regis abalienari non possent, petitio illa velut nova et injusta rejecta est. Ad hoc quid sibi vult ista commentitiae synodi V acclamatio: *Illi, qui papam accusaverunt et damnationem ei inferre tentarunt, et illi, qui eum judicaverunt, ut damnentur rogamus?* Non enim alii Symmachum judicasse leguntur, nisi quos Theodoricus rex clero et senatu petentibus ipsoque annuente Symmacho causae ejus judices delegavit. Et illi quidem eum non condemnasse sed absolvisse memorantur. Quae Symmachi accusatoribus causa fuit, cur statim *adversus syno-*

Digitized by Google

dum absolutionis incongruae, hoc est quae papam absolverat, libellum conscriberent. Sin autem subjectas expendamus subscriptiones, quot in eis mendacia detegemus? Jam Binius post Baronium observarat, in subscriptionibus quintae synodi plurimos Orientales nominari, *qui concilio Calchedonensi ante annos* 52 *interfuerunt, et quorum post* 10 *annos a tempore dicti concilii nulla mentio reperitur*. Sed et si subscriptiones episcoporum Italorum ejusdem synodi cum aliis geminarum synodorum conferamus, pleraque sedium nomina corrupta, nec paucas ecclesias, quarum episcopi noti ac certi sunt, alienis attributas comperiemus. Quorsum vero Italae synodi vindicandae gratia tot Orientis episcopi vocati? Num Anastasius imperator haereticus ipsi papae adeo infensus tot Romam confluere permisisset? Aut si permisisset, an et hi de rebus Orientis, quae valde perturbatae erant, penitus siluissent?

10. Vel haec temporis nota *post consulatum Avieni XV Kalendarum Novembrium Indictione nona*, synodo quintae sub Symmacho in veteribus Isidori exemplaribus, quae sola illam exhibent, praefixa fraudem manifestam habet. Nam primo istud *Post consulatum Avieni* negotium facit, nec de quo Avieno dictum sit, animus facile dijudicat. Id quidem editores conciliorum, dum quintam illam synodum anno 503 illigant, de Avieno juniore interpretari se palam faciunt. Sed si ita est, quum synodus, qua Symmachus absolutus fuit, *quarta* ab Isidoro appellatur, consequens erat, ut quae *Avieno juniore consule* habita est, *quinta*, et haec, quam Isidorus *post consulatum Avieni* notavit, *sexta* nuncuparetur. Inde igitur falsi convincitur non modo titulus synodi *post consulatum Avieni* consignatae, quatenus eadem synodus ab Isidoro *quinta* inscribitur, quum sexta dicenda esset, verum etiam primarium ejus decretum, quo episcopi in ea synodo, quam *quintam* vocat, sanxisse ponuntur, ut libellus Ennodii *inter quartae et quintae synodorum nostrarum actiones interponatur*. Et vero hunc libellum Isidorus non inter synodum Avieno juniore consule habitam sed inter eam, quae *Fausto Avieno* consule celebrata est, et eam, quam *post consulatum Avieni* praenotavit, interposuit. Nemo etiam non videt, si cui synodo approbanda Ennodiana quartae synodi apologia, id ei praestandum, quae proximo anno habita est, non alteri biennio post celebratae fuisse servandum. Hoc ipsum confirmat et generalis Isidori index, in quo synodus *Fausto Avieno seniore consule* habita primum perstringitur his verbis: *Decreta synodica, ubi totam causam Dei judicio sancta synodus reservat etc.* Tum subjicitur: *Decreta synodica ab Ennodio diacono praecepto et auctoritate memorati Symmachi papae atque omnium episcoporum, qui in eamdem synodum convenere, scripta, et postmodum in conspectu eorum omnium recitata atque approbata, dignaque ab omnibus laude roborata, adversus eos, qui contra praemissam synodum* (scil. anno 501 habitam) *scribere praesumpserunt, ut nec de apostolicae sedis praesule nec de ullo unquam tempore episcopo talia praesumantur, qualia de jam dicto Symmacho papa praesumpta.* Exinde proxime sequitur: *Decreta praedicti Symmachi papae vel praefati sancti concilii* (cujus scil. auctoritate et Ennodius scripsisse et ipsius scriptum approbatum esse mox dicebatur) *super episcoporum dijudicationibus*. Hinc illud *post consulatum Avieni* de Avieni junioris consulatu seu de anno 503 interpretari non licere perspicuum est. Denique quinta illa synodus in veteribus Isidori codicibus et in fronte et ad calcem *Indictione nona* consignatur. Haec autem Indictio non post consulatum Avieni junioris, hoc est in annum 503, sed in ipsummet Avieni senioris consulatum, hoc est in annum 501, incidebat.

11. Quocirca nec fraudis notam ac labem abstergere valeat, si quis illud *post consulatum Avieni* de Avieno seniore interpretans, quintam illam synodum ad annum 502 referat. Sed et in alia occurret incommoda, a quibus sese expe-

Digitized by Google

dire prorsus nequeat. Et huic enim reddenda erit ratio: 1° cur Romae eodem anno intra XV Kal. Novembres et VIII Idus ejusdem mensis duae habitae sint percelebres synodi; 2° cur quum tam proximae fuerint, tam diversis constent tamque impari numero episcopis; 3° cur idem annus in illis synodis non eodem modo notetur, sed in una *post consulatum Avieni*, in altera *Flavio Avieno juniore v. c. cs.* consignetur; 4° cur notae consulari in una adjiciatur Indictio falsa, in altera Indictionis mentio nulla fiat; 5° cur una epistolarum sub priorum pontificum nominibus post Symmachi aetatem confictarum fragmentis constet, altera ab his pura sit; 6° cur quum synodus *XV Kal. Novembr.* praenotata *quinta* ab ipsamet synodo appelletur, non vocetur *sexta*, quae paulo post, id est *VIII Idus Novembres*, habita est, sed haec apellatio servetur alteri synodo, quae pariter fingitur *habita tempore Theodorici regis sub die Kal. Octobr. etc.*, cujus est hoc prooemium: *Quum in unum apud b. Petrum apostolum sancta sexta synodus canonice a b. Symmacho Romae congregata resedisset;* 7° cur praeter morem et haec postrema synodus *sextam* et altera *quintam* se nuncupet; 8° quum in tribus indubitatis synodis sub Symmacho celebratis unae legantur Italorum episcoporum ac presbyterorum Romanorum subscriptiones, cur in duabus illis, quas sola Isidori compilatio repraesentat, episcopis Italis admisceantur vel adjungantur Orientalium subscriptiones, et hae quidem utrobique e Calchedonensis concilii subscriptionibus repetitae. Ab his aliisve, quae suo loco melius exponenda, nulla sese capiendi occurrit via, nisi ut duae illae synodi, quas Isidorus *quintam* et *sextam* vocat, et in quibus idem omnino stilus dignoscitur idemque ingenium, ab hoc impostore confictae dicantur. In his autem numero signandis eo facilius deceptus est, quod in antiquis collectionis Hadriani codicibus, quos sequebatur, synodum *Flavio Avieno juniore cons.* praenotatam, quae *quartae Palmari* subjicienda erat, huic praemissam cerneret. Quapropter hic, quae Symmacho pontifice acta sunt, repraesentare contenti, compilationi Isidori servamus, quae hunc parentem et auctorem habent.

In Appendicem epistolae 5 seu acta quaedam ad synodos Romanas II, III et IV Symmachi pertinentia.

[a³. Ed.] 1. Monumenta sequentia ex unico, quod tunc notum erat, exemplari Colbertino not. 1863 Nicolaus Faber exscribi et ad cardinalem Baronium mitti curavit. Is vero licet serius, quam ut suus eis locus dari posset, scripta illa acceperit, ea tamen judicavit digna, quae ad calcem tomi 6 appendicis in modum ederet. Nec mendis quantumvis frequentibus deterreri potuit, quominus ea publica luce donaret. Inde et in Lupareis ac Labbeanis conciliorum editionibus recusa sunt. Utrum ea etiam hic repraesentaremus, diu fluctuavit animus. Quum tamen penes nos fuisset ipsum archetypum, eoque conspecto spes adfuisset maculas non paucas abstergendi, labori non parcendum duximus, quo non dimidiata prodirent sed integriora superioris synodi gesta. Ut etiam legi commodius ac sine taedio valerent, remotis ad marginem imperiti librarii mendis, ea quae corrigenda series orationis libratis quibusque verbis persuasit, in ipso contextu cum bona lectorum venia praeter morem censuimus praeponenda.

[Ed.] 2. Nobis eo major eadem monumenta hic repraesentandi adfuit necessitas, quia non solum post Coustantium codex collegii Parisiensis societatis Jesu Harduino aliquas praebuit emendationes, sed nobis etiam tertium exemplar Vaticanum Reginae 1997 innumeras alias correctiones subministravit, unde demum aliquatenus textus integritas restituta est. Restant tamen etiam nunc menda non pauca, quae quarti quintive codicis opem efflagitent, quaeque felicior post nos aliquis editor eliminasse gaudebit.

3. Porro de tempore et ratione horum monumentorum haec notanda. In

Digitized by Google

dicto Vaticano Reginae 1997 inscribitur praeceptio, quae per Germanum et Carosum missa est, *praeceptio Regis III missa ad synodum;* quae sequitur VI Cal. Sept. data, *praeceptio regis IIII missa ad synodum;* quae eam excipit *relatio episcoporum* haec ad marginem eadem manu adscripta refert: *Tertia synodus habita Romae.* Quae inscriptiones vetustissimi codicis ut accuratiorem sibi disquisitionem postulant, ita gestis turbulenti illius schismatis haud parum lucis afferunt.

4. Prima synodo *post consulatum Paulini* (anno 499) *Cal. Martiis* habita (Symm. ep. 1) non acquievisse Symmachi aemulos et adversarios, sed a rege Theodorico novum judicium et visitatorem ecclesiae Romanae petiisse, ex aequalis anonymi[1]) nec non Anastasii *vita Symmachi* et Ennodii *libello apologetico* rescisimus. Iisdem auctoribus comperimus, ita annuisse regem, ut Petrum episcopum Altinatem *pro diebus paschalibus* visitatorem mitteret, qui, dum lis finita esset, ecclesiam Romanam administraret. Mox *post sanctam festivitatem synodus in urbem Romam . . . jubente rege . . . de Symmachi excessibus judicatura convenit* (anonym. Blanchin.). Haec igitur synodus in causa Symmachi *secunda* est, sicut Theodoricus ipse in *praeceptione III* (append. n. 2) eam *iterata judicia* vocat. Ad eam quoque computatio praeceptionum regiarum, quam Vaticanus Reginae prae se fert, referenda est. *Prima* quippe ejusmodi praeceptio illa est, qua ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepit auctoritas (syn. Palm. n. 1). Synodus autem ipsa in basilica Julii[2]) habita est, ut rerum series suadet, mox post festum paschale anni 501. In qua quum Symmachus ipse comparuisset, prae omnibus ut removeretur visitator et suae ipsius potestati omnia ecclesiastica redderentur postulavit. Quae res etsi *digna maximo sacerdotum numero visa est,* tamen Theodorici, quem denuo consulendum duxerunt, *praeceptionibus jussus est papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere* (l. c. n. 4). Est haec regis *praeceptio secunda.* Quae quum pontifex pro sua parte omnino recusasset, et synodi patres partim quasi re desperata discessissent partim a Theodorico novam synodum Ravennae congregandam petiissent, per Germanum et Carosum episcopos ista ab illo *praeceptio tertia* VI Idus Augusti ad synodum data est, ut *ad Calendarum Septembrium diem idem sacerdotum numerus in urbe Roma conveniret,* et ita tandem *secundum Dei timorem tanta causa terminum sortiretur* (Symm. ep. 5 append. n. 2 et 3). Idem mox novo mandato VI Cal. Sept. repetiit (quae ideo *praeceptio quarta missa ad synodum*), simulque *Gudilam et Bedeulphum majores domus suae cum illustri comite Arigerno* misit, qui *satisfacerent designato episcopo, quemadmodum* synodalis *ordinatio aestimasset,* et synodi ipsius securitatem omni modo tuerentur (l. c. n. 7).

5. Haec igitur synodus in causa Symmachi revera, ut in laudato Vaticano Reginae notatur, *tertia Romae habita,* Calendis Septembribus, ut suspicari licet, anni 501 in basilica Sessoriana convenit, ejusque gesta in synodo Palmari (l. c. n. 5—7) et in relatione, quam episcopi re iterum parum feliciter succedente ad regem miserunt quamque hoc ipso appendice n. 8—12 exhibemus, plenius recensentur. Symmachus, qui initio *ad conventum sine aliqua dubitatione properavit et privilegia sua voluntati regiae submisit,* in via ab adversariis suis truculenter vulneratus, ultra comparere renuit. Quapropter synodus et de absenti et

[1]) Ex pervetusto codice Veronensi primus edidit Blanchinus in *Anastas. vit. pontif.* tom. IV pag. LXIX, inde Muratori *script. rer. Ital.* t. III p. 2 pag. 45 et Migne *Patr. lat.* tom. CXXVII pag. 445.

[2]) Gesta hujus synodi synodus Palmaris (Symm. epist. 5 n. 1—4), anonymus Blanchinianus, Anastasius et haec ipsa monumenta (Symm. epist. 5 append. n. 1—9) plenius referunt.

Digitized by Google

de papa universali sententiam omnino ferre non ausa, schismaticos ut ad unitatem et obedientiam redirent cohortata est. Regem autem propria *relatione* adiit, ut ipse deinceps *redintegrationi ecclesiae et quieti Romanae civitatis prospiciens*, sibi discedendi et domos redeundi licentiam daret. Nihilo secius rex denuo *de ecclesiasticis negotiis aliquid censere* renuit, et *praeceptione* nova Cal. Octobr. data causam utcunque finire jussit (Symm. ep. 5 n. 8, append. n. 13). Pro qua nova synodo legatis suis indiculum quemdam coram ipsa synodo recitandum transmisit (*Anagnosma regis* in append. cit. n. 14). Ipsa, quae deinde *sub die X Cal. Nov. Rufo Magno Fausto Avieno cons.* (anno 501) in regione *ad Palmaria* a porticu beati Petri apostoli dicta convenit, est illa *quarta* vel *Palmaris*, cujus acta in Symmachi epist. 5 praebuimus. Hoc igitur modo jam de ordine et ratione synodorum in causa Symmachi habitarum, et horum ipsorum, quae hoc appendice producimus, monumentorum omnis dubitatio tollitur, et quae viri doctissimi Sollerius, Ballerinii, Mansius et Hefele contra Baronii et Pagii calculos suis ingeniis ex actorum serie composuerunt, hisce vetustissimi codicis notis quasi ad vivum deducta et approbata apparent.

In Symmachi epistolam 6 seu syn. Rom. V („*Flavio Avieno*").

[a³. Ed.] 1. Synodalis hujus constitutionis auctoritate Agapetus I epistola 2 nemini ulla ratione facultates ecclesiae alienare fas esse confirmat. Ipsa vero constitutio in iisdem exemplaribus Colbertino 1863 et Vaticano Reginae 1997, ex quibus proximae synodi *Palmaris* dictae monumenta eruta sunt, asservantur. Eamdem e simili exemplo descriptam sed capitulis capitulorumque titulis distinctam exhibet Dionysiana collectio, qualem Hadrianus I Carolo Magno dedit, unde et in Isidorianam translata est. In omnibus autem sive Hadrianae sive Isidorianae collectionis exemplis, sicut in exemplari Colbertino et Vaticano Reginae, synodi vulgo *Palmaris* nuncupatae gestis anteponitur. Quae res Isidorum Mercatorem sic fefellit, ut hinc ad fraudem, quam parabat, minus caute facile inductus sit. Ex eo enim errore invictum praebuit argumentum, quo duarum synodorum, quas confinxit quasque *quintam* et *sextam sub Symmacho* appellavit, suppositio demonstraretur. Nempe quia in exemplis collectionis Hadriani constitutionem hanc offendit *Palmaris* synodi gestis praemissam, etiam synodum, in qua sancita est haec constitutio, *Palmari* anteriorem esse pro certo posuit. Hac autem imbutus opinione, quod omnium synodorum, quas sub Symmacho habitas novimus, omnium postrema esset *Palmaris*, quae in exemplis Hadriani *quarta* nuncupatur, nil incommodi fore existimavit, si et ipse Palmarem *quartam*, et quas confingebat, *quintam* et *sextam* cognominaret. Ex quo enim synodus nostra Palmari posterior probatur, inde consequens est, ut si Palmaris quarta est, illa quinta dicenda sit; adeoque falsi convincatur Isidorus Mercator, dum novam obtrudit synodum, quam *quintam* vocat, et commentitiam illam synodum sanxisse fingit, ut apologeticus Ennodii libellus, *inter quartae et quintae synodorum nostrarum decreta habeatur, quia synodali auctoritate conscriptus et roboratus est.*

2. Neque probanda est cardinalis Baronii opinio, qua superiorem synodum atque subjectam eodem anno intra quatuordecim dies celebratas esse, immo unius ejusdemque anni tantum diversas esse actiones existimavit. At vero ambae distinctis consulibus, superior scilicet *Fausto Avieno*, ista *Avieno juniore* consule, consignantur. In Marcellini autem et Cassiodori chronicis consulatus Fausti Avieni anno 501, et Avieni junioris anno 502 respondet. Neque in hanc consularem notam falsi suspicio cadit, quum ipsis etiam gestis veritas ejus comprobetur. Quippe subjectae synodo subscribit *Aprilis Nucerinus episcopus*. Atqui Laurentium Symmachi aemulum, qui anno 499 ejusdem papae synodo ut presbyter subscripsit, postea in Nucerinum episcopum institutum esse quum ex libro pontificali tum ex

Digitized by Google

Theodoro lectore constat. Abhinc autem ad Palmarem usque synodum nulla subest ratio, cur eum ex episcopatu illo dejectum putemus. Immo ad id tempus non defuit illi spes sedem quam obtinebat Symmachus occupandi. Tantum de illa spe depulsus est Palmaris synodi judicio. Sed neque ab hac synodo quidquam legitur de illo dejiciendo decretum. Aut si etiam aliquid ea de re decretum poneremus, nemo non videt, angustius esse quatuordecim dierum intervallum, quam ut delata adversus Laurentium sententia Theodoricus moneri, eaque ab illo probata successor eligi, ordinari, et in concilio sedere potuisset. Taceo etiam Symmachi proxime ab edito Palmaris synodi constituto non eas fuisse res, quae ipsum copiosam synodum convocare, ei post 14 dies praesidere et statuta praescribere paterentur. Certe superiorem ac subjectam synodum unius ejusdem concilii duas actiones frustra aestimari, quum alia multa tum diversae utriusque subscriptiones persuadent. Baronii tamen opinionem secuti sunt posteriores conciliorum editores, indeque multam in rebus ac gestis Symmachi confusionem induxerunt. Labbeus quidem in eo, quod ad annum attinet, errorem correxit, sed in ceteris non sustulit confusionem, immo auxit. Quamvis enim subjectam synodum *Avieno juniore consule* habitam ponat, et ab eo tamen *synodus Romana quarta* et *alias Palmaris appellata* inscribitur, êique proxime Ennodii libellus subjicitur, quem *apologeticum* pro IV synodo vocat, quum Ennodius non pro synodo *Avieno juniore consule* habita, sed pro superiore apologiam ediderit, atque haec superior, non quae subjicitur, et *quarta* et *Palmaris* appellata sit. Nec correxit, etsi vidit et refutavit, errorem Mansius, et ipse Labbeanam inscriptionem retinens et adnotans haud felicius, eam *tertiam esse Romanam Symmachi synodum, et synodum Palmarem praecedere debere.* Solus Harduinus et inscriptionem illam falsam removit, et synodum anno 502 indubie adscripsit, monuisse contentus, quod supra monuimus: *in titulis canonum et decretorum, qui praefixi sunt Dionysianae collectioni ms., hanc synodum tertiam appellari, secundo autem concilio assignatum constitutum de rebus ecclesiae conservandis, quod* alias *inscriptum ad Caesarium Arelatensem.* Eo autem deducti sunt viri eruditione clari, dum commentitias Isidori Mercatoris synodos pro veris habentes, ad eas genuina Symmachi gesta utcunque accomodare voluerunt. Sed rejectis impostoris hujus mendaciis evanescit omnis illa caligo, qua rerum a Symmacho gestarum ordo ac veritas obtegebatur. Nihil igitur jam vetat, quominus subjectam synodum ad annum 502, prout praefixa ei consularis nota postulat, referamus. Hujus autem synodi decreta quum senatus Romani scito tum Theodorici regis edicto anno Christi 507 firmata esse, ipsummet Theodoriči edictum ad synodi calcem subjectum fidem faciet.

In Symmachi epistolam 7 („*Boni imperatoris*").

Apud Ennodium epistolarum libri IV prima est. Quum scripta est, necdum [a³] schisma exstinctum nec ecclesiae Romanae pax reddita erat. Synodo Palmari ac libello pro ejus defensione suscepto longe posterior est. Hunc enim libellum vulgavit Ennodius adhuc diaconus; in hac autem epistola Marcelliani seu Marcellini meminit episcopi, quem ecclesiae Aquilejensi praepositum fuisse, quum jam Ennodius Ticinensi praeesset, ex ipsius epistolarum V, 5 exploratum est. Ac schisma quidem pluribus annis perseverasse, et anonymus Blanchinianus Anastasiusque indicant, et ex subsequentibus litteris manifestum fiet.

In Symmachi epistolam 8 („*Qui me*").

Ex codice manuscripto bibliothecae collegii Parisiensis societatis Jesu primus [Ed.] eam edidit Harduinus coll. conc. II, 963. Eamdem et Coustantius ex eodem Colbertino, ex quo plura superius monumenta in appendice epistolae 5 produxit, eruit, et nos in praestantissimo Vaticano Reginae 1997 invenimus. In dictis exem-

Digitized by Google

plaribus synodum *post consulatum Paulini* (anno 499) habitam proxime excipit, etsi ipsa *die XIV Cal. Octobr. Messala v. c. consule* (anno 506) oblata notetur. Ideo forte librarii illo loco eam posuerunt, quia subscriptiones dictae synodi nomine *Johannis diaconi regionis B* clauduntur, qui sane idem auctor hujus libelli censendus est. Quare Vaticanus Reginae hac inscriptione inducit: *Item libellus Johannis diaconi quem obtulit sco Papae Symmacho.* Formulam scilicet satisfactionis exhibet, quam Romana synodus anno 501 (supra epist. 5 n. 11) a clericis schismaticis ad Symmachum redeuntibus praestituit. Simul schisma infaustum post dictam synodum per plures etiam annos productum esse indicio est.

In Symmachi epistolam 9 („*Natura*").

[a². Ed.] Apud Ennodium exstat epist. IX, 39. Proxime scripta est, postquam reliqua cleri senatusque Romani membra schismate tandem relicto Symmacho capiti cohaerere coeperunt. Ex superiore autem Johannis diaconi scripto conjecturam capere licet, tum illud ab eo datum esse, quum plures idem praestare coepissent, adeoque pacem illam ad annum 506 non temere referri. Cui apprime consentit anonymus Blanchinianus, mox post synodum Romanam anni 501 *Laurentium ad urbem venientem per annos circiter quatuor Romanam tenuisse ecclesiam*, et demum edicto regis ad Festum dato, ut *omnes ecclesiae tituli Symmacho reformarentur et unum Romae pateretur esse pontificem*, in bona dicti Festi concessisse ibique terminum vitae sortitum esse.

In Symmachi epistolam 10 („*Ad augustae*").

[a³] 1. Haec epistola, quam Agobardus in tractatu de dogmate Felicis laudat, Basileae anno 1555 *orthodoxographiae* tom. I p. 903 non sine mendis vulgata est. Exinde in Romana pontificiarum epistolarum editione, nec non inter concilia et apud Baronium ad annum 503 recusa fuit. Jam castigatior prodit subsidio codicis olim cardinalis Grimani, nunc institutionis Parisiensis oratorii, ex quo Paschasius Quesnellus tot novis Leonis I epistolis ecclesiam locupletavit. In hoc codice inscribitur: *Epistola beatae memoriae Symmachi papae Romanae ecclesiae ad Anastasium imperatorem Eutychianae haeresis defensorem.* Ubi quum dicitur hoc opus *beatae memoriae Symmachi*, non postumum esse seu post Symmachi mortem demum prodiisse significatur, sed apographum eo jam defuncto descriptum fuisse indicatur. Nempe ipse antiquarius, qui in allata inscriptione Anastasium imperatorem *Eutychianae haeresis defensorem* vocat, tempus designare volens, quo Symmachi opus exscribebat, illum *beatae memoriae* nuncupavit. Sed ex hac loquendi ratione id conficitur, crimina, quibus hunc papam infamare nisi sunt ejus adversarii, nequaquam obstitisse, quominus *beatae memoriae* titulo decoraretur, [sicut in antiquissimo Vaticano Reginae 1997 in inscriptione epistolae 8 eumdem *sanctum* vocari vidimus]. Ipsum quoque *beatum* et Agobardus in tractatu citato, et Cyprianus Tolonensis in vita s. Caesarii Arelatensis I n. 22 appellant.

2. Annus, quo apologeticam hanc epistolam conscripsit, certus non est. In eo tantum Baronius ejusque censor Pagius consentiunt, quod illam synodo Palmari dicta posteriorem esse non dubitent. Sed et hoc valde incerto argumento probant. His enim unis nituntur verbis, quibus Symmachus n. 7 Anastasio ipsum non ordine consecratum esse objicienti respondet: *Inter imbres lapidum tutus evasi; judicavit Deus.* Pro certo nimirum ponunt, illud ibi facinus memorari, quod supra epistola 5 n. 6 narratur, seu refricari vim Symmacho illatam, dum ad synodum in basilica Sessoriani palatii congregatam procedens, repente ab irruentibus turbis est impetitus. At quum responsionem, quae ad consecrationis Symmachi tempus attineat, res objecta postulet, ac biennio post consecrationem illius contigerit

Digitized by Google

facinus quod epistola 5 n. 6 narratur, quid prohibet, quominus praedicta Symmachi verba ad ipsius consecrationem referamus, maxime quum eum non sine ingenti tumultu consecratum esse constet. Aliunde igitur expiscandum est tempus, quo sanctus ille pontifex apologiam hanc lucubravit. Certe senatus maximam partem a Symmacho perdiu aversus fuit. Hinc dum Palmaris haberetur synodus, ut ipsemet epistola 5 n. 9 et in appendice ejusdem epistolae n. 11 testatur, repetitis synodi monitis adduci non potuit, ut hujus papae auctoritatem susciperet. At vero quum Symmachus hanc lucubrationem adornavit, ut infra n. 10 visuri sumus, conspirabat cum eo senatus. Neque hanc senatus cum Symmacho consensionem citius anno 506 contigisse, duae superiores epistolae persuadent.

In Symmachi epistolam 11 („*Lucrum*").

Inter epistolas quidem Ennodii II, 14 refertur, ut quae stilo ejus videtur [a³] concinnata; sed eam Symmachi papae nomine scriptam esse Baronius atque Sirmondus consentiunt. Ad episcopos Africae, quos rex Trasamundus in Sardiniam relegarat, missa est. Porro Ennodius epist. IV, 8 Symmachum generatim laudat, ut *cui mos est proprium largiri*, ipsumque deinde sic alloquitur: *Sola putatis lucra, quae vobis de liberalitate nascuntur, qui divitias dum tribuitis, accipitis.* Nominatim vero largitate ejus recreati sunt episcopi Afri in Sardiniam relegati, *quibus beatus papa Symmachus*, ut Paulus diaconus hist. miscell. lib. V loquitur, *quotidiana subsidia ministrare non destitit.* Ejusdem quoque erga exsules illos liberalitatem quum pontificalis liber tum alia monumenta commemorant. Ipsi vero tantam erga se humanitatem experti etiam id fiduciae sumpserunt, ut sibi sacra martyrum pignora poscentibus eum non negaturum sperarent. A Baronio ad annum 504 refertur haec epistola, quod cum eorum opinione stare nequit, qui episcopos, ad quos scripta est, anno dumtaxat 507 relegatos existimant. Sed licet hoc anno judicetur posterior, anno tamen 512 anterior haud temere censeatur.

In Symmachi epistolam 12 („*Bonus*").

In Romana pontificiarum epistolarum editione notatur *ex manuscriptis co-* [a³] *dicibus* in publicum prolata. Ante tamen orthodoxographiae tom. I p. 906 jam prodierat, et ab hac editione nihil Romana aut pene nihil discrepat. Eam ex editione Romana Baronius ad ann. 512 totam descripsit. Ibi eruditus ille cardinalis Orientales Symmachi litteris praeventos, non ipsos Symmachum praevenisse, hoc maxime argumento contendit, quod in sequenti Symmachi epistola nulla mentio istius fiat. Verum id ipsum adversus eum retorqueri facile potest, quia nihilo magis in ista Orientales ullam a Symmacho epistolam accepisse se memorant. Sed et si quis utramque diligentius expenderit, in sequenti, ut in eam commodius patebit, ipsamet Orientalium verba notari atque ad ea idoneam prudentis pontificis pro tempore responsionem exhiberi, haud aegre deprehendet. Quapropter a quibus nominatim conscripta sit, ex epistolae sequentis inscriptione discendum. Illam sibi *Orientalis ecclesiae* nomine scribendam duxerunt utpote eo tempore, quo Xenajas Hierapolitanus episcopus imperatoris favore fretus totum Orientem, ut Evagrius III, 32 tradit, exagitabat, e sedibus suis expellens episcopos, qui Calchedonense concilium aut duarum naturarum dogma anathemate percellere abnuerent.

In Symmachi epistolam 13 („*Quod plene*").

1. Anno 1532 Basileae typis Henrici Petri una cum gestis conciliorum Mo- [a³. Ed.] guntiacensis et Wormatiensis excusa est haec epistola. Exinde a Crabbio conciliorum tomo I anno 1551, et quadriennio post orthodoxographiae tomo I, 910 recusa est. Postea et in Romana pontificiarum epistolarum editione *ex vetusto codice Vaticano* expressa, necdum Baronio satis emendata visa est. Quare, inquit ad

Digitized by Google

ann. 512, *facta collatione cum codice Vaticano et alio monasterii b. Petri in Avellana quum nonnulla illic esse depravata comperissemus, eamdem ut licuit emendatam hic syllabatim describere dignum putavimus.* Negandum non est, id ejus opera factum, ut quae innumeris mendis scatebat, castigatior ac limatior prodiret. Optandum dumtaxat fuerat, ut quae ille de suo et quae ex codicum fide mutavit, annotasset. Postmodum tamen conciliorum editores omnes ejus emendationes sine discrimine adoptarunt. Quo major nobis exstitit necessitas, ut illos ipsos codices, praesertim Vaticanum 4961, denuo ad trutinam vocaremus, itaque certam quamdam auctoritatem nobis pararemus. Hoc igitur modo etsi firmum textus fundamentum nacti sumus, non tantum tamen nobis subministratum, ut omni loco inde pateret integritas. Nam quum in multis codex probatissimus editioni Basileensi felicissime subveniret, in aliis ita hiabat, ut non nisi illa ipsa editione sanari posse videretur. Unde id nobis constabat, utrumque textum, etsi multis vitiosum, primarios tamen quosdam eosque diversos sibi fontes vindicare, itaque mutuo sibi subsidio esse suo jure posse. Hac certe ratione nostram editionem absolvimus, ut solum ad dictorum fontium tramitem dirigeremus, nec ullam admitteremus mutationem, quae a primaevis lectionibus abhorreret. Qua re id assecuti sumus, ut nisi nos uno loco Basileensis admissa lacuna defecisset, epistolam hanc integritati ac puritati suae redditam jam gauderemus.

2. Ad eos scripta est, qui Nestorium et Eutychen pariter damnabant, concilium Calchedonense cum epistola Leonis ad Flavianum admittebant, duarum in Christo naturarum dogma adeoque catholicam fidem profitebantur, immo etiam Acacium peccasse non negabant. Unum tamen illis praestandum restabat, scilicet ut ab eorum, qui Acacii communione polluti erant, consortio recederent. Quapropter et in eos conveniebat illud Gelasii ad Euphemium, qui quum pariter catholicam profiteretur fidem et pro ea multa passus esset, simile consortium sibi permitti volebat (Gelas. epist. 3 n. 9): *Ille vester Acacius, qui Eutychianis haereticis detestabili communione factus est particeps, ab eadem synodo sine dubitatione damnatus est, quae Eutychen Dioscorumque cum successoribus eorum hisque communicantes synodico tenore prostravit. Sic vos sequacesque eorum Timotheum Petrumque simili definitione dejecit. Proinde si ea, quae in synodo Calchedonensi pro fide et communione catholica vel apostolica definita sunt, vere certeque sectamini, sicut vestra professione multiplici continetur, aut successores ab illa synodo damnatorum hisque communicantes abjicite, aut si istos admittitis, ea quae in illa synodo pro fide et communione catholica et apostolica sunt perplexa, non solum falso vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini, et in Eutychianam haeresim sine retractatione reciditis, meritoque a catholicis probamini esse vitandi.* Gelasii vestigiis haerens Symmachus hujusmodi viris nondum communicatoriam sed monitoriam tantum hanc epistolam rescribit, in qua etiam forte non sine consilio vitat dicere, se superius eorum scriptum suscepisse.

3. Illud tamen jam ab eo acceptum non dubiis indiciis comperiet, qui quo spectent, omnia illius dicta intento animo consideraverit. Nempe illi hoc Symmacho persuadere contenderant, nihil a se aliud exigendum esse, nisi ut fidem profiterentur orthodoxam, neque praesenti Orientalis ecclesiae statu permitti, ut se ab iis, qui damnatorum communionem abdicare nolebant, segregarent. Sic vero rescribit Symmachus, ut hanc opinionem ab eorum animis divellere toto hoc scripto nitatur. Quocirca primo ante oculos eorum ponit, quanto ab unoquoque hominum illorum damnatorum, quorum communio vitanda praecipitur, in ecclesiam illata sint mala, quo scilicet major eorum horror incutiatur. Tum quanti intersit, ne majorum evertantur instituta, exponit. Hinc ad vanam persecutionis formidinem depellendam progrediens, nec gravia quaeque nec mortem ipsam timendam ostendit, ut

Digitized by Google

avita patrum fides et traditio intemerata servetur. Inde vero sensim dilabitur ad destruendam, quam Orientales inducere volebant, dissimulationem, constanterque docet, non Eutychianorum tantum sed et damnatorum hominum atque cum his communicantium vitandam esse communionem. Praeterea ad illud Orientalium n. 5: *Non taedeat nos adjuvare neque odio habeatis*, nec non ad istud n. 6: *Ut et tu imitator exsistens filii Dei, ad dilectionem deprecatione venias*, aperte respiciens, simul ad utrumque paucis respondet n. 7: *Quae quidem amans moneo, non odio persequentis accuso.* Tandem varia illa, quae Orientales obtenderant, nulla ratione sibi probari posse indicans, *nullo colore, nullo figmento nullaque calliditate* quemquam in apostolicae sedis communionem admittendum declarat, nisi qui ab Eutychetis, Dioscori, Timothei, Petri et Acacii societate recesserit. Cum hac epistola consentanea est Eunodii dictio 6. Sed Gelasii epistolam 3 ad Euphemium simul cum ea relegere operae pretium fuerit. Epistolam hanc Anastasio imperatori displicuisse ex Hormisdae epistola 7 n. 4, ubi et is papa defensionem ejus suscipit, colligitur.

In Symmachi epistolam 14 („*Sedis apostolicae*").

Ex Arelatensi codice saepe nominato primum apud Baronium ad ann. 513, [Ed.] tum apud Sirmondum concil. Gall. I, 186 et Labatum conc. Gall. I, 859 exstat. Praebetur etiam in Regio Parisiensi 3849 probae notae exemplari, cujus sicut Regii 3989 et 5537 variantes lectiones nobis Coustantii schedae subministrarunt. Nota consulari Labbeus annum 502, alii annum 513 indicari sentiunt. Horum verior est sententia. Nam unius *Probi* consulatu in Occidente solum annum 513 designatum esse, et *Probum* anni 502 consulem Orientalem in Occidentalibus nunquam monumentis cieri, scite docet clarissimus Rossius (Inscript. Christ. I, 413 et 430). Quod idem sequentibus probatur. Siquidem data dicitur, quum *Caesarius ecclesiae beati apostoli Petri liminibus praesentatus* fuisset. Caesarius autem beati Petri limina non salutavit, nisi postquam eum Theodoricus ut Arelatensis civitatis dominus ad se accersiit. Atqui Arelate ad annum 507 Alarico parebat. Non igitur is Probus, qui anno 502, sed ille, qui anno 513 consulatum gessit, nota consulari designatur. Quod et argumentis aliis non minus firmis praevio in epistolam 15 sequentem monito confirmabitur. In Bibliotheca Floriacensi Johannis a Bosco opera edita exstat epistolae hujus fragmentum, quod licet satis modicum sit atque depravatum, epistolae tamen integrae ac novae speciem prae se fert, ut infra indicabimus.

In Symmachi epistolam 15 („*Hortatur nos*").

1. In exemplari Corbejensi Vigilii papae temporibus exarato exstat haec [a¹] epistola iis exceptis, quae post consularem notam adjiciuntur. Neque plura collectioni Hispanae inseruit ejus compilator, sed eam in quinque capitula praemissis titulis, qui summam eorum perstringunt, divisit. Deinde sub ea forma tum in veteri canonum compilatione ad Hispanarum ecclesiarum usum adornata, [tum in simili compilatione saec. IX ex Gallicana collectione profecta, quae Vat. Pal. 574 continetur], tum eodem fere tempore ab Isidoro Mercatore descripta fuit, et in veteribus conciliorum editionibus excusa.

2. In veteri autem Arelatensis ecclesiae codice, quem Colbertina[1]) biblio-

[1]) In schedis Coustantianis variantium lectionum haec quidem lectio sub nota *Reg. Paris.* 5537 praebetur, nisi quod ibidem littera *P.* omissa, quae contra tantummodo in *Reg. Paris.* 3849 notatur, ubi autem inscriptio illa *Dilectissimo* etc. desideratur. Similiter etiam aliis locis hujus epistolae (cf. not. *d*) deprehendimus, *Arelatensem Colbertinum* esse Reg. Paris. 5537, *Regium* vero Reg. Paris. 3849, quamquam in iis Coustantius sibi non prorsus constitisse videtur (cf. not. *f* et *i*).

Digitized by Google

theca nunc asservat, [sicut in Vallicellano G 99] post consularem notam de integro repetitur inscriptio: *Dilectissimo fratri Caesario Symmachus;* tum sequitur: *Caritati tuae per omnes Gallicanas regiones utendi pallio concessimus facultatem. Exemplum libelli p. Sicut a persona beati apostoli etc.*, ut infra ad calcem. Hinc deceptus Baronius duas Symmachi ad Caesarium de una eademque re epistolas distinguendas esse arbitratus est: unam cusam, quae incipiat his verbis: *Hortatur nos aequitas etc.;* alteram necdum cusam, cujus initium: *Caritati tuae etc.*, quam luce dignam judicans ad annum 502 edidit. Ubi verba Symmachi usum pallii concedentis Caesariique libellum sic confundit, quasi haec omnia unius Symmachi essent. Quocirca et Caesarii consultationem, ad quam Symmachus verbis *hortatur nos aequitas* respondet, licet ei epistolae parti secundae, quam ipse in lucem emittebat, tota esset inserta, adhuc desiderandam existimavit.

3. Postmodum Jac. Sirmondus praemisso Caesarii libello Symmachi subjecit epistolam, quam nota consulari claudit. Et ea quidem dispositio aptior videtur atque commodior. Sed altera, quam ex optimorum exemplarium Regii [et Vallicellani] fide restituimus, et sincerior est et integrior. Sincerior quidem, tum quia titulum genuinum, quem Sirmondus mutavit, exhibet, tum quia libellum ipsum loco suo reddit. Sirmondus quippe pro simplici titulo: *Exemplum libelli p.* (hoc est *petitorii*) substituit: *Exemplum libelli Symmacho papae oblati a Caesario episcopo;* et omisit litteram seu notam *p.* praeter manuscriptorum fidem, sicut praeter Romanorum antistitum morem, quo petitorios hujusmodi libellos epistolis suis subjicere non praemittere solent, hanc epistolae praemisit. Ex innumeris exemplis, quibus hunc morem probare nobis liceret, unum ob oculos ponere satis sit Gregorii I epistolar. II, 5 (al. ep. 10 lib. XII Ind. VII) ad Felicem episcopum Messanensem, quam sic incipit: *Januarius subdiaconus ecclesiae Messanensis petitoria nobis insinuatione suggessit, quae habetur in subditis.* Apud Gregorium enim id est *petitoria insinuatio*, quod apud Symmachum *libellus petitorius.* Integrior quoque est dispositio nostra, non solum ob notulam *p.* restitutam, sed etiam quia verba exhibet a Sirmondo praetermissa, quibus Symmachus Caesario pallii usum largitur.

4. Neque vero male assuta videri debent haec verba, quia post consularem notam adjunguntur; quum eo loci quidpiam adjicere Symmacho insolens non sit, uti fidem facit superior epistola 3, post cujus chronicam notam simili ratione adjungitur: *Dominicum Pascha VIII Kalendas Aprilis.* Sed et aliunde pallium Caesario a Symmacho concessum esse indubitatum est. Cyprianus nempe Tolonensis vitae ipsius Caesarii scriptor, istud plane testatur his verbis: *Veniens* (Caesarius) *Romam beato Symmacho tunc papae ac deinde senatoribus et senatricibus praesentatur.... Igitur virum apostolicum non jam fama vulgante sed corporali praesentia comprobante certatim diligere ac venerari coeperunt. Pro qua re etiam papa Symmachus, meritorum ejus dignitate permotus, non solum verissime eum metropolitanae honore suspexit, sed et concesso pallii decoravit privilegio.* Concessionis hujus praeterea meminit Vigilius papa epist. 6 ad Auxanium num. 4, ubi sane longe aliud sonat *pallii* nomen, quam in Ennodii ad ipsummet Caesarium epist. IX, 33, in qua sanctum illum praesulem a Theodorico rege, qui eum ad se ut reum accersierat, singulari observantia cultum esse notans, ita loquitur: *Qui hominum nobilissimo in Christi servitute pontifici terrenas dominationes nesciat esse subjectas, et minacem reis potentiam innocentiae objectione superari? Quando principalis purpura aut cilicia despexit aut pallium?* Quo verbo Caesarium vili et humili habitu amictum in praedicti regis conspectum venisse satis aperte innuit. Unde et proxime subjecit: *Quando libertas illa potissima credidit sibi ante christianam humilitatem licere quod voluit?* Praeterea etiam ab ornatu illo, quo decoratus est a Symmacho Caesarius, distin-

Digitized by Google

guendum esse censemus *pallium*, de quo Matisconense I concilium anno 581 can. 6 praecipit, *ut archiepiscopus sine pallio missas dicere non praesumat.* Neque enim tunc singulari pallii ornatu decorabantur omnes archiepiscopi, neque iis, quibus concessus erat hic honor, eo uti ad omnes missas sed diebus tantum sollemnibus licebat.

5. Hic silentio praeterire nequimus, nullum ad nos hoc Symmachi scripto monumentum antiquius pervenisse, in quo quemquam a Romano pontifice pallii honore decoratum esse discamus. Asserere tamen non ausim, hunc honorem Caesario primum fuisse concessum. Et vero aliud innuit formulae simplicitas, qua ei confertur, quamquam hac formula non tam confertur quam collatus memoratur. Quapropter in ea Symmachus non *concedimus* sed *concessimus* dicit. Caesario enim praesenti jam dederat, ideoque nihil opus erat, ut ipsi eorum, quibus pallii concedi usus solebat, munia litteris explicaret, quum istud coram jam praestitisset. Denique Symmachus Caesario pallii per Gallias gestandi usum largiri se testatus est, non quia decessores ipsius eodem honore fuissent exornati, sed ut conceptis verbis Cyprianus docet, *meritorum ejus dignitate permotus.* Ad haec Vigilius ep. 6 Auxanio Caesarii successori pallii usum permittens ita loquitur, ut et affirmare liceat, ex Arelatensibus antistitibus primum Caesarium hoc honore fuisse ornatum, et ambigere, num aliquis papa ante Symmachum cuiquam idem privilegium contulerit.

6. Si autem hunc conferendi pallii morem ante Symmachi papae tempora receptum esse concedamus, hinc illud Steph. Baluzii effatum (Concord. sacd. et imp. V, 25 n. 9 et 29 n. 11), quo *pallium vicariorum apostolicae sedis insigne fuisse* pronuntiat, admittendum non esse facilius conficietur. Ipso enim fatente, longe antea quum Caesarii decessores tum Thessalonicenses antistites apostolicae sedis vicarii a Romanis pontificibus sunt constituti, neque tamen ullus eorum pallio legitur donatus. Immo etiam postea Hormisda, ut in ejus epistolis 24 et 142 visuri sumus, episcopis Illicitano atque Hispalensi vices suas per Hispanias nulla pallii mentione facta commisit.

7. Jam vero ex dictis persolvitur circa notam consularem quaestio de consulatu Probi, num scilicet de consulatu, quem Probus anno 502 iniit, an vero de secundo, quem anno 513 gessit alter Probus, intelligenda sit. Vel potius in superiorem epistolam jam probata ejus decisio firmatur. Certe Caesarius enim nonnisi post multos in episcopatu exactos annos variosque pro ecclesia exantlatos labores, quibus maximam ubique famam sibi conciliaverat, Romam ad Symmachum venit. Anno autem 502 vixdum Arelatensis ecclesiae regimen susceperat. Unde consequens est, ut subjecta epistola Probo, qui consul anno 513 fuit, consignata sit. Et is quidem consul erat Occidentalis, Probus autem, qui eo munere anno 502 functus est, consul erat Orientalis. Atqui, ut Anton. Pagius ad annum 502 observat, id moris erat antiquis scriptoribus, ut quoties e duobus consulibus unum dumtaxat indicarent, Orientalem Orientales, Occidentales Occidentalem indicarent. Unde subnexam Symmachi epistolam cum Probi Occidentalis consulatu, adeoque cum anno 513, componendum esse conficitur.

8. Ex ejusdem epistolae occasione demum observamus, Symmachum a sexto saltem saeculo *sancti* titulo fuisse insignitum. Quippe in indice praevio codicis Corbejensis, qui Vigilii papae temporibus exaratus est, *sancti Symmachi papae epistola* nuncupatur. Legimus et in Marcellini chronico: *Romanae ecclesiae Symmachus episcopus factus vixit annos XV.* Praeterea jam ad initium superioris epist. 10 annotavimus, eumdem in veteri exemplari Grimanico *beatae memoriae papam*, in Vat. Reg. 1997 *sanctum* et a Cypriano Tolonensi episcopo necnon ab Agobardo *beatum* appellari.

Digitized by Google

dire prorsus nequeat. Et huic enim reddenda erit ratio: 1° cur Romae eodem anno intra XV Kal. Novembres et VIII Idus ejusdem mensis duae habitae sint percelebres synodi; 2° cur quum tam proximae fuerint, tam diversis constent tamque impari numero episcopis; 3° cur idem annus in illis synodis non eodem modo notetur, sed in una *post consulatum Avieni*, in altera *Flavio Avieno juniore v. c. cs.* consignetur; 4° cur notae consulari in una adjiciatur Indictio falsa, in altera Indictionis mentio nulla fiat; 5° cur una epistolarum sub priorum pontificum nominibus post Symmachi aetatem confictarum fragmentis constet, altera ab his pura sit; 6° cur quum synodus *XV Kal. Novembr.* praenotata *quinta* ab ipsamet synodo appelletur, non vocetur *sexta*, quae paulo post, id est *VIII Idus Novembres*, habita est, sed haec apellatio servetur alteri synodo, quae pariter fingitur *habita tempore Theodorici regis sub die Kal. Octobr. etc.*, cujus est hoc prooemium: *Quum in unum apud b. Petrum apostolum sancta sexta synodus canonice a b. Symmacho Romae congregata resedisset;* 7° cur praeter morem et haec postrema synodus *sextam* et altera *quintam* se nuncupet; 8° quum in tribus indubitatis synodis sub Symmacho celebratis unae legantur Italorum episcoporum ac presbyterorum Romanorum subscriptiones, cur in duabus illis, quas sola Isidori compilatio repraesentat, episcopis Italis admisceantur vel adjungantur Orientalium subscriptiones, et hae quidem utrobique e Calchedonensis concilii subscriptionibus repetitae. Ab his aliisve, quae suo loco melius exponenda, nulla sese capiendi occurrit via, nisi ut duae illae synodi, quas Isidorus *quintam* et *sextam* vocat, et in quibus idem omnino stilus dignoscitur idemque ingenium, ab hoc impostore confictae dicantur. In his autem numero signandis eo facilius deceptus est, quod in antiquis collectionis Hadriani codicibus, quos sequebatur, synodum *Flavio Avieno juniore cons.* praenotatam, quae *quartae Palmari* subjicienda erat, huic praemissam cerneret. Quapropter hic, quae Symmacho pontifice acta sunt, repraesentare contenti, compilationi Isidori servamus, quae hunc parentem et auctorem habent.

In Appendicem epistolae 5 seu acta quaedam ad synodos Romanas II, III et IV Symmachi pertinentia.

[a³. Ed.] 1. Monumenta sequentia ex unico, quod tunc notum erat, exemplari Colbertino not. 1863 Nicolaus Faber exscribi et ad cardinalem Baronium mitti curavit. Is vero licet serius, quam ut suus eis locus dari posset, scripta illa acceperit, ea tamen judicavit digna, quae ad calcem tomi 6 appendicis in modum ederet. Nec mendis quantumvis frequentibus deterreri potuit, quominus ea publica luce donaret. Inde et in Lupareis ac Labbeanis conciliorum editionibus recusa sunt. Utrum ea etiam hic repraesentaremus, diu fluctuavit animus. Quum tamen penes nos fuisset ipsum archetypum, eoque conspecto spes adfuisset maculas non paucas abstergendi, labori non parcendum duximus, quo non dimidiata prodirent sed integriora superioris synodi gesta. Ut etiam legi commodius ac sine taedio valerent, remotis ad marginem imperiti librarii mendis, ea quae corrigenda series orationis libratis quibusque verbis persuasit, in ipso contextu cum bona lectorum venia praeter morem censuimus praeponenda.

[Ed.] 2. Nobis eo major eadem monumenta hic repraesentandi adfuit necessitas, quia non solum post Coustantium codex collegii Parisiensis societatis Jesu Harduino aliquas praebuit emendationes, sed nobis etiam tertium exemplar Vaticanum Reginae 1997 innumeras alias correctiones subministravit, unde demum aliquatenus textus integritas restituta est. Restant tamen etiam nunc menda non pauca, quae quarti quintive codicis opem efflagitent, quaeque felicior post nos aliquis editor eliminasse gaudebit.

3. Porro de tempore et ratione horum monumentorum haec notanda. In

Digitized by Google

dicto Vaticano Reginae 1997 inscribitur praeceptio, quae per Germanum et Carosum missa est, *praeceptio Regis III missa ad synodum*; quae sequitur VI Cal. Sept. data, *praeceptio regis IIII missa ad synodum*; quae eam excipit *relatio episcoporum* haec ad marginem eadem manu adscripta refert: *Tertia synodus habita Romae*. Quae inscriptiones vetustissimi codicis ut accuratiorem sibi disquisitionem postulant, ita gestis turbulenti illius schismatis haud parum lucis afferunt.

4. Prima synodo *post consulatum Paulini* (anno 499) *Cal. Martiis* habita (Symm. ep. 1) non acquievisse Symmachi aemulos et adversarios, sed a rege Theodorico novum judicium et visitatorem ecclesiae Romanae petiisse, ex aequalis anonymi[1]) nec non Anastasii *vita Symmachi* et Ennodii *libello apologetico* resciscimus. Iisdem auctoribus comperimus, ita annuisse regem, ut Petrum episcopum Altinatem *pro diebus paschalibus* visitatorem mitteret, qui, dum lis finita esset, ecclesiam Romanam administraret. Mox *post sanctam festivitatem synodus in urbem Romam . . . jubente rege . . . de Symmachi excessibus judicatura convenit* (anonym. Blanchin.). Haec igitur synodus in causa Symmachi *secunda* est, sicut Theodoricus ipse in *praeceptione III* (append. n. 2) eam *iterata judicia* vocat. Ad eam quoque computatio praeceptionum regiarum, quam Vaticanus Reginae prae se fert, referenda est. *Prima* quippe ejusmodi praeceptio illa est, qua ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepit auctoritas (syn. Palm. n. 1). Synodus autem ipsa in basilica Julii[2]) habita est, ut rerum series suadet, mox post festum paschale anni 501. In qua quum Symmachus ipse comparuisset, prae omnibus ut removeretur visitator et suae ipsius potestati omnia ecclesiastica redderentur postulavit. Quae res etsi *digna maximo sacerdotum numero visa est*, tamen Theodorici, quem denuo consulendum duxerunt, *praeceptionibus jussus est papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere* (l. c. n. 4). Est haec regis *praeceptio secunda*. Quae quum pontifex pro sua parte omnino recusasset, et synodi patres partim quasi re desperata discessissent partim a Theodorico novam synodum Ravennae congregandam petiissent, per Germanum et Carosum episcopos ista ab illo *praeceptio tertia* VI Idus Augusti ad synodum data est, ut *ad Calendarum Septembrium diem idem sacerdotum numerus in urbe Roma conveniret*, et ita tandem *secundum Dei timorem tanta causa terminum sortiretur* (Symm. ep. 5 append. n. 2 et 3). Idem mox novo mandato VI Cal. Sept. repetiit (quae ideo *praeceptio quarta missa ad synodum*), simulque *Gudilam et Bedeulphum majores domus suae cum illustri comite Arigerno* misit, qui *satisfacerent designato episcopo, quemadmodum* synodalis *ordinatio aestimasset*, et synodi ipsius securitatem omni modo tuerentur (l. c. n. 7).

5. Haec igitur synodus in causa Symmachi revera, ut in laudato Vaticano Reginae notatur, *tertia Romae habita*, Calendis Septembribus, ut suspicari licet, anni 501 in basilica Sessoriana convenit, ejusque gesta in synodo Palmari (l. c. n. 5—7) et in relatione, quam episcopi re iterum parum feliciter succedente ad regem miserunt quamque hoc ipso appendice n. 8—12 exhibemus, plenius recensentur. Symmachus, qui initio *ad conventum sine aliqua dubitatione properavit et privilegia sua voluntati regiae submisit*, in via ab adversariis suis truculenter vulneratus, ultra comparere renuit. Quapropter synodus et de absenti et

[1]) Ex pervetusto codice Veronensi primus edidit Blanchinus in *Anastas. vit. pontif.* tom. IV pag. LXIX, inde Muratori *script. rer. Ital.* t. III p. 2 pag. 45 et Migne *Patr. lat.* tom. CXXVII pag. 445.

[2]) Gesta hujus synodi synodus Palmaris (Symm. epist. 5 n. 1—4), anonymus Blanchinianus, Anastasius et haec ipsa monumenta (Symm. epist. 5 append. n. 1—9) plenius referunt.

Digitized by Google

de papa universali sententiam omnino ferre non ausa, schismaticos ut ad unitatem et obedientiam redirent cohortata est. Regem autem propria *relatione* adiit, ut ipse deinceps *redintegrationi ecclesiae et quieti Romanae civitatis prospiciens*, sibi discedendi et domos redeundi licentiam daret. Nihilo secius rex denuo *de ecclesiasticis negotiis aliquid censere* renuit, et *praeceptione* nova Cal. Octobr. data causam utcunque finire jussit (Symm. ep. 5 n. 8, append. n. 13). Pro qua nova synodo legatis suis indiculum quemdam coram ipsa synodo recitandum transmisit (*Anagnosma regis* in append. cit. n. 14). Ipsa, quae deinde *sub die X Cal. Nov. Rufo Magno Fausto Avieno cons.* (anno 501) in regione *ad Palmaria* a porticu beati Petri apostoli dicta convenit, est illa *quarta* vel *Palmaris*, cujus acta in Symmachi epist. 5 praebuimus. Hoc igitur modo jam de ordine et ratione synodorum in causa Symmachi habitarum, et horum ipsorum, quae hoc appendice producimus, monumentorum omnis dubitatio tollitur, et quae viri doctissimi Sollerius, Ballerinii, Mansius et Hefele contra Baronii et Pagii calculos suis ingeniis ex actorum serie composuerunt, hisce vetustissimi codicis notis quasi ad vivum deducta et approbata apparent.

In Symmachi epistolam 6 seu syn. Rom. V („*Flavio Avieno*").

[a³. Ed.] 1. Synodalis hujus constitutionis auctoritate Agapetus I epistola 2 nemini ulla ratione facultates ecclesiae alienare fas esse confirmat. Ipsa vero constitutio in iisdem exemplaribus Colbertino 1863 et Vaticano Reginae 1997, ex quibus proximae synodi *Palmaris* dictae monumenta eruta sunt, asservantur. Eamdem e simili exemplo descriptam sed capitulis capitulorumque titulis distinctam exhibet Dionysiana collectio, qualem Hadrianus I Carolo Magno dedit, unde et in Isidorianam translata est. In omnibus autem sive Hadrianae sive Isidorianae collectionis exemplis, sicut in exemplari Colbertino et Vaticano Reginae, synodi vulgo *Palmaris* nuncupatae gestis anteponitur. Quae res Isidorum Mercatorem sic fefellit, ut hinc ad fraudem, quam parabat, minus caute facile inductus sit. Ex eo enim errore invictum praebuit argumentum, quo duarum synodorum, quas confinxit quasque *quintam* et *sextam sub Symmacho* appellavit, suppositio demonstraretur. Nempe quia in exemplis collectionis Hadriani constitutionem hanc offendit *Palmaris* synodi gestis praemissam, etiam synodum, in qua sancita est haec constitutio, *Palmari* anteriorem esse pro certo posuit. Hac autem imbutus opinione, quod omnium synodorum, quas sub Symmacho habitas novimus, omnium postrema esset *Palmaris*, quae in exemplis Hadriani *quarta* nuncupatur, nil incommodi fore existimavit, si et ipse Palmarem *quartam*, et quas confingebat, *quintam* et *sextam* cognominaret. Ex quo enim synodus nostra Palmari posterior probatur, inde consequens est, ut si Palmaris quarta est, illa quinta dicenda sit; adeoque falsi convincatur Isidorus Mercator, dum novam obtrudit synodum, quam *quintam* vocat, et commentitiam illam synodum sanxisse fingit, ut apologeticus Ennodii libellus, *inter quartae et quintae synodorum nostrarum decreta habeatur, quia synodali auctoritate conscriptus et roboratus est.*

2. Neque probanda est cardinalis Baronii opinio, qua superiorem synodum atque subjectam eodem anno intra quatuordecim dies celebratas esse, immo unius ejusdemque anni tantum diversas esse actiones existimavit. At vero ambae distinctis consulibus, superior scilicet *Fausto Avieno*, ista *Avieno juniore* consule, consignantur. In Marcellini autem et Cassiodori chronicis consulatus Fausti Avieni anno 501, et Avieni junioris anno 502 respondet. Neque in hanc consularem notam falsi suspicio cadit, quum ipsis etiam gestis veritas ejus comprobetur. Quippe subjectae synodo subscribit *Aprilis Nucerinus episcopus*. Atqui Laurentium Symmachi aemulum, qui anno 499 ejusdem papae synodo ut presbyter subscripsit, postea in Nucerinum episcopum institutum esse quum ex libro pontificali tum ex

Digitized by Google

Theodoro lectore constat. Abhinc autem ad Palmarem usque synodum nulla subest ratio, cur eum ex episcopatu illo dejectum putemus. Immo ad id tempus non defuit illi spes sedem quam obtinebat Symmachus occupandi. Tantum de illa spe depulsus est Palmaris synodi judicio. Sed neque ab hac synodo quidquam legitur de illo dejiciendo decretum. Aut si etiam aliquid ea de re decretum poneremus, nemo non videt, angustius esse quatuordecim dierum intervallum, quam ut delata adversus Laurentium sententia Theodoricus moneri, eaque ab illo probata successor eligi, ordinari, et in concilio sedere potuisset. Taceo etiam Symmachi proxime ab edito Palmaris synodi constituto non eas fuisse res, quae ipsum copiosam synodum convocare, ei post 14 dies praesidere et statuta praescribere paterentur. Certe superiorem ac subjectam synodum unius ejusdem concilii duas actiones frustra aestimari, quum alia multa tum diversae utriusque subscriptiones persuadent. Baronii tamen opinionem secuti sunt posteriores conciliorum editores, indeque multam in rebus ac gestis Symmachi confusionem induxerunt. Labbeus quidem in eo, quod ad annum attinet, errorem correxit, sed in ceteris non sustulit confusionem, immo auxit. Quamvis enim subjectam synodum *Avieno juniore consule* habitam ponat, et ab eo tamen *synodus Romana quarta* et *alias Palmaris appellata* inscribitur, ëique proxime Ennodii libellus subjicitur, quem *apologeticum* pro IV synodo vocat, quum Ennodius non pro synodo *Avieno juniore consule* habita, sed pro superiore apologiam ediderit, atque haec superior, non quae subjicitur, et *quarta* et *Palmaris* appellata sit. Nec correxit, etsi vidit et refutavit, errorem Mansius, et ipse Labbeanam inscriptionem retinens et adnotans haud felicius, eam *tertiam esse Romanam Symmachi synodum, et synodum Palmarem praecedere debere*. Solus Harduinus et inscriptionem illam falsam removit, et synodum anno 502 indubie adscripsit, monuisse contentus, quod supra monuimus: *in titulis canonum et decretorum, qui praefixi sunt Dionysianae collectioni mss., hanc synodum tertiam appellari, secundo autem concilio assignatum constitutum de rebus ecclesiae conservandis, quod* alias *inscriptum ad Caesarium Arelatensem*. Eo autem deducti sunt viri eruditione clari, dum commentitias Isidori Mercatoris synodos pro veris habentes, ad eas genuina Symmachi gesta utcunque accomodare voluerunt. Sed rejectis impostoris hujus mendaciis evanescit omnis illa caligo, qua rerum a Symmacho gestarum ordo ac veritas obtegebatur. Nihil igitur jam vetat, quominus subjectam synodum ad annum 502, prout praefixa ei consularis nota postulat, referamus. Hujus autem synodi decreta quum senatus Romani scito tum Theodorici regis edicto anno Christi 507 firmata esse, ipsummet Theodorici edictum ad synodi calcem subjectum fidem faciet.

In Symmachi epistolam 7 („*Boni imperatoris*").

Apud Ennodium epistolarum libri IV prima est. Quum scripta est, necdum [a³] schisma exstinctum nec ecclesiae Romanae pax reddita erat. Synodo Palmari ac libello pro ejus defensione suscepto longe posterior est. Hunc enim libellum vulgavit Ennodius adhuc diaconus; in hac autem epistola Marcelliani seu Marcellini meminit episcopi, quem ecclesiae Aquilejensi praepositum fuisse, quum jam Ennodius Ticinensi praeesset, ex ipsius epistolarum V, 5 exploratum est. Ac schisma quidem pluribus annis perseverasse, et anonymus Blanchinianus Anastasiusque indicant, et ex subsequentibus litteris manifestum fiet.

In Symmachi epistolam 8 („*Qui me*").

Ex codice manuscripto bibliothecae collegii Parisiensis societatis Jesu primus [Ed.] eum edidit Harduinus coll. conc. II, 963. Eamdem et Coustantius ex eodem Colbertino, ex quo plura superius monumenta in appendice epistolae 5 produxit, erunt, et nos in praestantissimo Vaticano Reginae 1997 invenimus. In dictis exem-

Digitized by Google

plaribus synodum *post consulatum Paulini* (anno 499) habitam proxime excipit, etsi ipsa *die XIV Cal. Octobr. Messala v. c. consule* (anno 506) oblata notetur. Ideo forte librarii illo loco eam posuerunt, quia subscriptiones dictae synodi nomine *Johannis diaconi regionis B* clauduntur, qui sane idem auctor hujus libelli censendus est. Quare Vaticanus Reginae hac inscriptione inducit: *Item libellus Johannis diaconi quem obtulit sco Papae Symmacho.* Formulam scilicet satisfactionis exhibet, quam Romana synodus anno 501 (supra epist. 5 n. 11) a clericis schismaticis ad Symmachum redeuntibus praestituit. Simul schisma infaustum post dictam synodum per plures etiam annos productum esse indicio est.

In Symmachi epistolam 9 („*Natura*").

[a². Ed.] Apud Ennodium exstat epist. IX, 39. Proxime scripta est, postquam reliqua cleri senatusque Romani membra schismate tandem relicto Symmacho capiti cohaerere coeperunt. Ex superiore autem Johannis diaconi scripto conjecturam capere licet, tum illud ab eo datum esse, quum plures idem praestare coepissent, adeoque pacem illam ad annum 506 non temere referri. Cui apprime consentit anonymus Blanchinianus, mox post synodum Romanam anni 501 *Laurentium ad urbem venientem per annos circiter quatuor Romanam tenuisse ecclesiam*, et demum edicto regis ad Festum dato, ut *omnes ecclesiae tituli Symmacho reformarentur et unum Romae pateretur esse pontificem*, in bona dicti Festi concessisse ibique terminum vitae sortitum esse.

In Symmachi epistolam 10 („*Ad augustae*").

[a³] 1. Haec epistola, quam Agobardus in tractatu de dogmate Felicis laudat, Basileae anno 1555 *orthodoxographiae* tom. I p. 903 non sine mendis vulgata est. Exinde in Romana pontificiarum epistolarum editione, nec non inter concilia et apud Baronium ad annum 503 recusa fuit. Jam castigatior prodit subsidio codicis olim cardinalis Grimani, nunc institutionis Parisiensis oratorii, ex quo Paschasius Quesnellus tot novis Leonis I epistolis ecclesiam locupletavit. In hoc codice inscribitur: *Epistola beatae memoriae Symmachi papae Romanae ecclesiae ad Anastasium imperatorem Eutychianae haeresis defensorem.* Ubi quum dicitur hoc opus *beatae memoriae Symmachi*, non postumum esse seu post Symmachi mortem demum prodiisse significatur, sed apographum eo jam defuncto descriptum fuisse indicatur. Nempe ipse antiquarius, qui in allata inscriptione Anastasium imperatorem *Eutychianae haeresis defensorem* vocat, tempus designare volens, quo Symmachi opus exscribebat, illum *beatae memoriae* nuncupavit. Sed ex hac loquendi ratione id conficitur, crimina, quibus hunc papam infamare nisi sunt ejus adversarii, nequaquam obstitisse, quominus *beatae memoriae* titulo decoraretur, [sicut in antiquissimo Vaticano Reginae 1997 in inscriptione epistolae 8 eumdem *sanctum* vocari vidimus]. Ipsum quoque *beatum* et Agobardus in tractatu citato, et Cyprianus Tolonensis in vita s. Caesarii Arelatensis I n. 22 appellant.

2. Annus, quo apologeticam hanc epistolam conscripsit, certus non est. In eo tantum Baronius ejusque censor Pagius consentiunt, quod illam synodo Palmari dicta posteriorem esse non dubitent. Sed et hoc valde incerto argumento probant. His enim unis nituntur verbis, quibus Symmachus n. 7 Anastasio ipsum non ordine consecratum esse objicienti respondet: *Inter imbres lapidum tutus evasi; judicavit Deus.* Pro certo nimirum ponunt, illud ibi facinus memorari, quod supra epistola 5 n. 6 narratur, seu refricari vim Symmacho illatam, dum ad synodum in basilica Sessoriani palatii congregatam procedens, repente ab irruentibus turbis est impetitus. At quum responsionem, quae ad consecrationis Symmachi tempus attineat, res objecta postulet, ac biennio post consecrationem illius contigerit

Digitized by Google

facinus quod epistola 5 n. 6 narratur, quid prohibet, quominus praedicta Symmachi verba ad ipsius consecrationem referamus, maxime quum eum non sine ingenti tumultu consecratum esse constet. Aliunde igitur expiscandum est tempus, quo sanctus ille pontifex apologiam hanc lucubravit. Certe senatus maximam partem a Symmacho perdiu aversus fuit. Hinc dum Palmaris haberetur synodus, ut ipsemet epistola 5 n. 9 et in appendice ejusdem epistolae n. 11 testatur, repetitis synodi monitis adduci non potuit, ut hujus papae auctoritatem susciperet. At vero quum Symmachus hanc lucubrationem adornavit, ut infra n. 10 visuri sumus, conspirabat cum eo senatus. Neque hanc senatus cum Symmacho consensionem citius anno 506 contigisse, duae superiores epistolae persuadent.

In Symmachi epistolam 11 („*Lucrum*").

Inter epistolas quidem Ennodii II, 14 refertur, ut quae stilo ejus videtur [a³] concinnata; sed eam Symmachi papae nomine scriptam esse Baronius atque Sirmondus consentiunt. Ad episcopos Africae, quos rex Trasamundus in Sardiniam relegarat, missa est. Porro Ennodius epist. IV, 8 Symmachum generatim laudat, ut *cui mos est proprium largiri*, ipsumque deinde sic alloquitur: *Sola putatis lucra, quae vobis de liberalitate nascuntur, qui divitias dum tribuitis, accipitis.* Nominatim vero largitate ejus recreati sunt episcopi Afri in Sardiniam relegati, *quibus beatus papa Symmachus*, ut Paulus diaconus hist. miscell. lib. V loquitur, *quotidiana subsidia ministrare non destitit.* Ejusdem quoque erga exsules illos liberalitatem quum pontificalis liber tum alia monumenta commemorant. Ipsi vero tantam erga se humanitatem experti etiam id fiduciae sumpserunt, ut sibi sacra martyrum pignora poscentibus eum non negaturum sperarent. A Baronio ad annum 504 refertur haec epistola, quod cum eorum opinione stare nequit, qui episcopos, ad quos scripta est, anno dumtaxat 507 relegatos existimant. Sed licet hoc anno judicetur posterior, anno tamen 512 anterior haud temere censeatur.

In Symmachi epistolam 12 („*Bonus*").

In Romana pontificiarum epistolarum editione notatur *ex manuscriptis co-* [a³] *dicibus* in publicum prolata. Ante tamen orthodoxographiae tom. I p. 906 jam prodierat, et ab hac editione nihil Romana aut pene nihil discrepat. Eam ex editione Romana Baronius ad ann. 512 totam descripsit. Ibi eruditus ille cardinalis Orientales Symmachi litteris praeventos, non ipsos Symmachum praevenisse, hoc maxime argumento contendit, quod in sequenti Symmachi epistola nulla mentio istius fiat. Verum id ipsum adversus eum retorqueri facile potest, quia nihilo magis in ista Orientales ullam a Symmacho epistolam accepisse se memorant. Sed et si quis utramque diligentius expenderit, in sequenti, ut in eam commodius patefiet, ipsamet Orientalium verba notari atque ad ea idoneam prudentis pontificis pro tempore responsionem exhiberi, haud aegre deprehendet. Quapropter a quibus nominatim conscripta sit, ex epistolae sequentis inscriptione discendum. Illam sibi *Orientalis ecclesiae* nomine scribendam duxerunt utpote eo tempore, quo Xenajas Hierapolitanus episcopus imperatoris favore fretus totum Orientem, ut Evagrius III, 32 tradit, exagitabat, e sedibus suis expellens episcopos, qui Calchedonense concilium aut duarum naturarum dogma anathemate percellere abnuerent.

In Symmachi epistolam 13 („*Quod plene*").

1. Anno 1532 Basileae typis Henrici Petri una cum gestis conciliorum Mo- [a³. Ed.] guntiacensis et Wormatiensis excusa est haec epistola. Exinde a Crabbio conciliorum tomo I anno 1551, et quadriennio post orthodoxographiae tomo I, 910 recusa est. Postea et in Romana pontificiarum epistolarum editione *ex vetusto codice Vaticano* expressa, necdum Baronio satis emendata visa est. Quare, inquit ad

Digitized by Google

ann. 512, *facta collatione cum codice Vaticano et alio monasterii b. Petri in Avellana quum nonnulla illic esse depravata comperissemus, eamdem ut licuit emendatam hic syllabatim describere dignum putavimus.* Negandum non est, id ejus opera factum, ut quae innumeris mendis scatebat, castigatior ac limatior prodiret. Optandum dumtaxat fuerat, ut quae ille de suo et quae ex codicum fide mutavit, annotasset. Postmodum tamen conciliorum editores omnes ejus emendationes sine discrimine adoptarunt. Quo major nobis exstitit necessitas, ut illos ipsos codices, praesertim Vaticanum 4961, denuo ad trutinam vocaremus, itaque certam quamdam auctoritatem nobis pararemus. Hoc igitur modo etsi firmum textus fundamentum nacti sumus, non tantum tamen nobis subministratum, ut omni loco inde pateret integritas. Nam quum in multis codex probatissimus editioni Basileensi felicissime subveniret, in aliis ita hiabat, ut non nisi illa ipsa editione sanari posse videretur. Unde id nobis constabat, utrumque textum, etsi multis vitiosum, primarios tamen quosdam eosque diversos sibi fontes vindicare, itaque mutuo sibi subsidio esse suo jure posse. Hac certe ratione nostram editionem absolvimus, ut solum ad dictorum fontium tramitem dirigeremus, nec ullam admitteremus mutationem, quae a primaevis lectionibus abhorreret. Qua re id assecuti sumus, ut nisi nos uno loco Basileensis admissa lacuna defecisset, epistolam hanc integritati ac puritati suae redditam jam gauderemus.

2. Ad eos scripta est, qui Nestorium et Eutychen pariter damnabant, concilium Calchedonense cum epistola Leonis ad Flavianum admittebant, duarum in Christo naturarum dogma adeoque catholicam fidem profitebantur, immo etiam Acacium peccasse non negabant. Unum tamen illis praestandum restabat, scilicet ut ab eorum, qui Acacii communione polluti erant, consortio recederent. Quapropter et in eos conveniebat illud Gelasii ad Euphemium, qui quum pariter catholicam profiteretur fidem et pro ea multa passus esset, simile consortium sibi permitti volebat (Gelas. epist. 3 n. 9): *Ille vester Acacius, qui Eutychianis haereticis detestabili communione factus est particeps, ab eadem synodo sine dubitatione damnatus est, quae Eutychen Dioscorumque cum successoribus eorum hisque communicantes synodico tenore prostravit. Sic vos sequacesque eorum Timotheum Petrumque simili definitione dejecit. Proinde si ea, quae in synodo Calchedonensi pro fide et communione catholica vel apostolica definita sunt, vere certeque sectamini, sicut vestra professione multiplici continetur, aut successores ab illa synodo damnatorum hisque communicantes abjicite, aut si istos admittitis, ea quae in illa synodo pro fide et communione catholica et apostolica sunt perplexa, non solum falso vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini, et in Eutychianam haeresim sine retractatione reciditis, meritoque a catholicis probamini esse vitandi.* Gelasii vestigiis haerens Symmachus hujusmodi viris nondum communicatoriam sed monitoriam tantum hanc epistolam rescribit, in qua etiam forte non sine consilio vitat dicere, se superius eorum scriptum suscepisse.

3. Illud tamen jam ab eo acceptum non dubiis indiciis comperiet, qui quo spectent, omnia illius dicta intento animo consideraverit. Nempe illi hoc Symmacho persuadere contenderant, nihil a se aliud exigendum esse, nisi ut fidem profiterentur orthodoxam, neque praesenti Orientalis ecclesiae statu permitti, ut se ab iis, qui damnatorum communionem abdicare nolebant, segregarent. Sic vero rescribit Symmachus, ut hanc opinionem ab eorum animis divellere toto hoc scripto nitatur. Quocirca primo ante oculos eorum ponit, quanto ab unoquoque hominum illorum damnatorum, quorum communio vitanda praecipitur, in ecclesiam illata sint mala, quo scilicet major eorum horror incutiatur. Tum quanti intersit, ne majorum evertantur instituta, exponit. Hinc ad vanam persecutionis formidinem depellendam progrediens, nec gravia quaeque nec mortem ipsam timendam ostendit, ut

Digitized by Google

avita patrum fides et traditio intemerata servetur. Inde vero sensim dilabitur ad destruendam, quam Orientales inducere volebant, dissimulationem, constanterque docet, non Eutychianorum tantum sed et damnatorum hominum atque cum his communicantium vitandam esse communionem. Praeterea ad illud Orientalium n. 5: *Non taedeat nos adjuvare neque odio habeatis*, nec non ad istud n. 6: *Ut et tu imitator exsistens filii Dei, ad dilectionem deprecatione venias*, aperte respiciens, simul ad utrumque paucis respondet n. 7: *Quae quidem amans moneo, non odio persequentis accuso.* Tandem varia illa, quae Orientales obtenderant, nulla ratione sibi probari posse indicans, *nullo colore, nullo figmento nullaque calliditate* quemquam in apostolicae sedis communionem admittendum declarat, nisi qui ab Eutychetis, Dioscori, Timothei, Petri et Acacii societate recesserit. Cum hac epistola consentanea est Eunodii dictio 6. Sed Gelasii epistolam 3 ad Euphemium simul cum ea relegere operae pretium fuerit. Epistolam hanc Anastasio imperatori displicuisse ex Hormisdae epistola 7 n. 4, ubi et is papa defensionem ejus suscipit, colligitur.

In Symmachi epistolam 14 („*Sedis apostolicae*").

Ex Arelatensi codice saepe nominato primum apud Baronium ad ann. 513, [Ed.] tum apud Sirmondum concil. Gall. I, 186 et Labatum conc. Gall. I, 859 exstat. Praebetur etiam in Regio Parisiensi 3849 probae notae exemplari, cujus sicut Regii 3989 et 5537 variantes lectiones nobis Coustantii schedae subministrarunt. Nota consulari Labbeus annum 502, alii annum 513 indicari sentiunt. Horum verior est sententia. Nam unius *Probi* consulatu in Occidente solum annum 513 designatum esse, et *Probum* anni 502 consulem Orientalem in Occidentalibus nunquam monumentis cieri, scite docet clarissimus Rossius (Inscript. Christ. I, 413 et 430). Quod idem sequentibus probatur. Siquidem data dicitur, quum *Caesarius ecclesiae beati apostoli Petri liminibus praesentatus* fuisset. Caesarius autem beati Petri limina non salutavit, nisi postquam eum Theodoricus ut Arelatensis civitatis dominus ad se accersiit. Atqui Arelate ad annum 507 Alarico parebat. Non igitur is Probus, qui anno 502, sed ille, qui anno 513 consulatum gessit, nota consulari designatur. Quod et argumentis aliis non minus firmis praevio in epistolam 15 sequentem monito confirmabitur. In Bibliotheca Floriacensi Johannis a Bosco opera edita exstat epistolae hujus fragmentum, quod licet satis modicum sit atque depravatum, epistolae tamen integrae ac novae speciem prae se fert, ut infra indicabimus.

In Symmachi epistolam 15 („*Hortatur nos*").

1. In exemplari Corbejensi Vigilii papae temporibus exarato exstat haec [a^3] epistola iis exceptis, quae post consularem notam adjiciuntur. Neque plura collectioni Hispanae inseruit ejus compilator, sed eam in quinque capitula praemissis titulis, qui summam eorum perstringunt, divisit. Deinde sub ea forma tum in veteri canonum compilatione ad Hispanarum ecclesiarum usum adornata, [tum in simili compilatione saec. IX ex Gallicana collectione profecta, quae Vat. Pal. 574 continetur], tum eodem fere tempore ab Isidoro Mercatore descripta fuit, et in veteribus conciliorum editionibus excusa.

2. In veteri autem Arelatensis ecclesiae codice, quem Colbertina[1]) biblio-

[1]) In schedis Coustantianis variantium lectionum haec quidem lectio sub nota *Reg. Paris.* 5537 praebetur, nisi quod ibidem littera *P.* omissa, quae contra tantummodo in *Reg. Paris.* 3849 notatur, ubi autem inscriptio illa *Dilectissimo* etc. desideratur. Similiter etiam aliis locis hujus epistolae (cf. not. *d*) deprehendimus, *Arelatensem Colbertinum* esse Reg. Paris. 5537, *Regium* vero Reg. Paris. 3849, quamquam in iis Coustantius sibi non prorsus constitisse videtur (cf. not. *f* et *i*).

Digitized by Google

theca nunc asservat, [sicut in Vallicellano G 99] post consularem notam de integro repetitur inscriptio: *Dilectissimo fratri Caesario Symmachus;* tum sequitur: *Caritati tuae per omnes Gallicanas regiones utendi pallio concessimus facultatem. Exemplum libelli p. Sicut a persona beati apostoli etc.*, ut infra ad calcem. Hinc deceptus Baronius duas Symmachi ad Caesarium de una eademque re epistolas distinguendas esse arbitratus est: unam cusam, quae incipiat his verbis: *Hortatur nos aequitas etc.;* alteram necdum cusam, cujus initium: *Caritati tuae etc.*, quam luce dignam judicans ad annum 502 edidit. Ubi verba Symmachi usum pallii concedentis Caesariique libellum sic confundit, quasi haec omnia unius Symmachi essent. Quocirca et Caesarii consultationem, ad quam Symmachus verbis *hortatur nos aequitas* respondet, licet ei epistolae parti secundae, quam ipse in lucem emittebat, tota esset inserta, adhuc desiderandam existimavit.

3. Postmodum Jac. Sirmondus praemisso Caesarii libello Symmachi subjecit epistolam, quam nota consulari claudit. Et ea quidem dispositio aptior videtur atque commodior. Sed altera, quam ex optimorum exemplarium Regii [et Vallicellani] fide restituimus, et sincerior est et integrior. Sincerior quidem, tum quia titulum genuinum, quem Sirmondus mutavit, exhibet, tum quia libellum ipsum loco suo reddit. Sirmondus quippe pro simplici titulo: *Exemplum libelli p.* (hoc est *petitorii*) substituit: *Exemplum libelli Symmacho papae oblati a Caesario episcopo;* et omisit litteram seu notam *p.* praeter manuscriptorum fidem, sicut praeter Romanorum antistitum morem, quo petitorios hujusmodi libellos epistolis suis subjicere non praemittere solent, hanc epistolae praemisit. Ex innumeris exemplis, quibus hunc morem probare nobis liceret, unum ob oculos ponere satis sit Gregorii I epistolar. II, 5 (al. ep. 10 lib. XII Ind. VII) ad Felicem episcopum Messanensem, quam sic incipit: *Januarius subdiaconus ecclesiae Messanensis petitoria nobis insinuatione suggessit, quae habetur in subditis.* Apud Gregorium enim id est *petitoria insinuatio*, quod apud Symmachum *libellus petitorius.* Integrior quoque est dispositio nostra, non solum ob notulam *p.* restitutam, sed etiam quia verba exhibet a Sirmondo praetermissa, quibus Symmachus Caesario pallii usum largitur.

4. Neque vero male assuta videri debent haec verba, quia post consularem notam adjunguntur; quum eo loci quidpiam adjicere Symmacho insoleus non sit, uti fidem facit superior epistola 3, post cujus chronicam notam simili ratione adjungitur: *Dominicum Pascha VIII Kalendas Aprilis.* Sed et aliunde pallium Caesario a Symmacho concessum esse indubitatum est. Cyprianus nempe Tolonensis vitae ipsius Caesarii scriptor, istud plane testatur his verbis: *Veniens* (Caesarius) *Romam beato Symmacho tunc papae ac deinde senatoribus et senatricibus praesentatur.... Igitur virum apostolicum non jam fama vulgante sed corporali praesentia comprobante certatim diligere ac venerari coeperunt. Pro qua re etiam papa Symmachus, meritorum ejus dignitate permotus, non solum verissime eum metropolitanae honore suspexit, sed et concesso pallii decoravit privilegio.* Concessionis hujus praeterea meminit Vigilius papa epist. 6 ad Auxanium num. 4, ubi sane longe aliud sonat *pallii* nomen, quam in Ennodii ad ipsummet Caesarium epist. IX, 33, in qua sanctum illum praesulem a Theodorico rege, qui eum ad se ut reum accersierat, singulari observantia cultum esse notans, ita loquitur: *Qui hominum nobilissimo in Christi servitute pontifici terrenas dominationes nesciat esse subjectas, et minacem reis potentiam innocentiae objectione superari? Quando principalis purpura aut cilicia despexit aut pallium?* Quo verbo Caesarium vili et humili habitu amictum in praedicti regis conspectum venisse satis aperte innuit. Unde et proxime subjecit: *Quando libertas illa potissima credidit sibi ante christianam humilitatem licere quod voluit?* Praeterea etiam ab ornatu illo, quo decoratus est a Symmacho Caesarius, distin-

Digitized by Google

quendum esse censemus *pallium*, de quo Matisconense I concilium anno 581 can. 6 praecipit, *ut archiepiscopus sine pallio missas dicere non praesumat.* Neque enim tunc singulari pallii ornatu decorabantur omnes archiepiscopi, neque iis, quibus concessus erat hic honor, eo uti ad omnes missas sed diebus tantum sollemnibus licebat.

5. Hic silentio praeterire nequimus, nullum ad nos hoc Symmachi scripto monumentum antiquius pervenisse, in quo quemquam a Romano pontifice pallii honore decoratum esse discamus. Asserere tamen non ausim, hunc honorem Caesario primum fuisse concessum. Et vero aliud innuit formulae simplicitas, qua ei confertur, quamquam hac formula non tam confertur quam collatus memoratur. Quapropter in ea Symmachus non *concedimus* sed *concessimus* dicit. Caesario enim praesenti jam dederat, ideoque nihil opus erat, ut ipsi eorum, quibus pallii concedi usus solebat, munia litteris explicaret, quum istud coram jam praestitisset. Denique Symmachus Caesario pallii per Gallias gestandi usum largiri se testatus est, non quia decessores ipsius eodem honore fuissent exornati, sed ut conceptis verbis Cyprianus docet, *meritorum ejus dignitate permotus.* Ad haec Vigilius ep. 6 Auxanio Caesarii successori pallii usum permittens ita loquitur, ut et affirmare liceat, ex Arelatensibus antistitibus primum Caesarium hoc honore fuisse ornatum, et ambigere, num aliquis papa ante Symmachum cuiquam idem privilegium contulerit.

6. Si autem hunc conferendi pallii morem ante Symmachi papae tempora receptum esse concedamus, hinc illud Steph. Baluzii effatum (Concord. sacd. et imp. V, 25 n. 9 et 29 n. 11), quo *pallium vicariorum apostolicae sedis insigne fuisse* pronuntiat, admittendum non esse facilius conficietur. Ipso enim fatente, longe antea quum Caesarii decessores tum Thessalonicenses antistites apostolicae sedis vicarii a Romanis pontificibus sunt constituti, neque tamen ullus eorum pallio legitur donatus. Immo etiam postea Hormisda, ut in ejus epistolis 24 et 142 visuri sumus, episcopis Illicitano atque Hispalensi vices suas per Hispanias nulla pallii mentione facta commisit.

7. Jam vero ex dictis persolvitur circa notam consularem quaestio de consulatu Probi, num scilicet de consulatu, quem Probus anno 502 iniit, an vero de secundo, quem anno 513 gessit alter Probus, intelligenda sit. Vel potius in superiorem epistolam jam probata ejus decisio firmatur. Certe Caesarius enim nonnisi post multos in episcopatu exactos annos variosque pro ecclesia exantlatos labores, quibus maximam ubique famam sibi conciliaverat, Romam ad Symmachum venit. Anno autem 502 vixdum Arelatensis ecclesiae regimen susceperat. Unde consequens est, ut subjecta epistola Probo, qui consul anno 513 fuit, consignata sit. Et is quidem consul erat Occidentalis, Probus autem, qui eo munere anno 502 functus est, consul erat Orientalis. Atqui, ut Anton. Pagius ad annum 502 observat, id moris erat antiquis scriptoribus, ut quoties e duobus consulibus unum dumtaxat indicarent, Orientalem Orientales, Occidentales Occidentalem indicarent. Unde subnexam Symmachi epistolam cum Probi Occidentalis consulatu, adeoque cum anno 513, componendum esse conficitur.

8. Ex ejusdem epistolae occasione demum observamus, Symmachum a sexto saltem saeculo *sancti* titulo fuisse insignitum. Quippe in indice praevio codicis Corbejensis, qui Vigilii papae temporibus exaratus est, *sancti Symmachi papae epistola* nuncupatur. Legimus et in Marcellini chronico: *Romanae ecclesiae Symmachus episcopus factus vixit annos XV.* Praeterea jam ad initium superioris epist. 10 annotavimus, eumdem in veteri exemplari Grimanico *beatae memoriae papam*, in Vat. Reg. 1997 *sanctum* et a Cypriano Tolonensi episcopo nonnon ab Agobardo *beatum* appellari.

Digitized by Google

In Symmachi epistolam 16 („*Qui veneranda*").

[a³] Ex iisdem fontibus, hoc est ex Arelatensi codice et Regio archetypo, ad nos pervenit haec epistola. Symmachi libello praeposuit Jac. Sirmondus libellum, quem nos ex archetypi fide postponendum duximus.

In Symmachi epistolam 17 („*Dum sacra*").

[a³] Inter epistolas Aviti Vienensis episcopi est 27. Gundobadus quidem Sigismundi regis pater tantum biennio post Symmachi mortem occubuit, adeoque suspecta forsitan nonnullis videatur haec epistola, in qua Sigismundus *rex* vocatur. Verum id potius Sirmondus inde confici observat, ut Sigismundus superstite patre *rex* fuerit nuncupatus. Ex eo autem, quod hoc nomine in epistola ista donatur, eam non longe ante obitum Symmachi scriptam esse conjectura est.

In Symmachi epistolas 18—24.

[Ed.] Ut totum corpus epistolarum, quae a Symmacho papa et ad ipsum scriptae sunt, conficeremus, etiam has Ennodii epistolas addendas duximus. Apud quem nostra decima octava est libri IV epistola 29, decima nona VI. 31, vigesima IV. 8, vigesima prima IV. 22, vigesima secunda V. 10, vigesima tertia VIII. 32, vigesima quarta VIII. 38. Ac prima quidem et secunda scriptae videntur, quum adversarii Symmachi etiamtunc mussitarent, et Laurentius Mediolanensis apud Marcellianum Aquilejensem pro Symmachi jure feliciter intercessisset (conf. supra Symmachi epist. 7). Reliquae sunt litterae recommendaticiae, quibus Ennodius aut causas tribulatorum tuetur, aut juvenes nobiles Romae studia liberalia prosecuturos pontifici commendat. Ex quibus ad Parthenium germanae ipsius filium plures exstant auctoris nostri epistolae monitoriae, quales sunt V. 19, VI. 1 et 23, VII. 31. Decima octava et decima nona solum *papae* aut *domno papae* inscriptae sunt. Sed recte Sirmondus ad Ennodii epist. IV, 1 monet, illum sicut Cassiodorum contra morem aliorum aequalium jam nomen *papae* uni Romano pontifici tamquam proprium et peculiare asseruisse, unde de alio nisi de Symmacho nostro cogitari nequit.

In Symmachi decreta supposititia Constantii censura.

1. In Symmachi synodos „quintam" et „sextam".

Conferatur monitum in Symmachi epist. 5 n. 9 seqq. supra pag. 90 ss.

2. In Symmachi epistolam ad Laurentium Mediolanensem archiepiscopum („*Prodit*", Migne patr. lat. LXII, 52).

Ennodii est *dictio III data Stephano v. s. vicario dicenda Maximo episcopo* (Migne Patr. lat. LXIII, 269), Ticinensi scilicet, qui anno 501 subscripsit constituto absolutionis Symmachi et cui subinde Ennodius ipse successit. Ita vel una inscriptio quatuor prae se fert falsi notas. Non enim hic habetur *epistola* sed oratio, et haec oratio non Symmachi sed Ennodii opus est, neque ad Laurentium Mediolanensem sed ad Maximum episcopum Ticinensem refertur. Sane si ad Laurentium illum scripsisset Symmachus, hunc simpliciter Mediolanensem *episcopum*, non *archiepiscopum* nuncupasset. De more illo, qui et ante obtinuit et longe post perseveravit, si quis dubitet, vel unum consulat Gregorii I registrum, in quo quum plurimae ad Mediolanenses praesules epistolae scriptae sint, in earum nulla iis archiepiscopi nomen donatur. Tres v. gr. in quarto libro *Constantio episcopo*

Digitized by Google

Mediolanensi leguntur inscriptae; neque aliter alii hujus ecclesiae rectores in toto registro appellantur nisi episcopi. Praeterea praedictae inscriptionis falsitatem evincit quod in contextu legimus: *ad te venerabilis mihi antistes Maxime sermo est, cui in meritorum testimonio virtus coepit a vocabulo, in quo actus eloquitur qui nomen appellat.* Exploratum est enim, haec verba viri non esse, qui ad Laurentium scribat sed qui *Maximum* alloquatur. Et vero epistolam hujusmodi Symmacho attributam in nullo codice offendimus nisi in Isidori Mercatoris compilatione, in qua et duas synodos eidem papae suppositas proxime excipit. In Romana quidem pontificiarum epistolarum editione notatur *ex Cresconio* descripta. Sed hoc exemplo firmatur quod pluribus aliis probatum est, eum scilicet, qui editionem Romanam curavit, falso aliquo titulo deceptum multa velut ex Cresconio retulisse, quae ad illum minime pertinent. Hoc igitur scriptum Mercatori non ut parenti sed ut adoptanti reddimus, utpote cujus nihil aliud proprium est nisi tituli mutatio. In ceteris habetur Maximi eloquium, quod Ticinensis ecclesiae regimen ineunti Ennodius dixit seu dicendum dedit.

3. In Symmachi epistolam ad Theodorum Laureacensem („*Diebus vitae*", Migne l. c. 72).

A Philippo Labbeo ex appendice ad *chronicon Reichersbergense* et ex *Metropoli Salisburgensi* descripta est haec epistola et ceteris Symmachi adjuncta. Exstat *Salisburgensis metropolis* tomo I pag. 289, ubi in Laureacensium et Pataviensium catalogo Theodorus [1]) recensetur. Falsitatem ejus vel sola prodit inscriptio. Sed haec a recentioribus apposita forsitan fingi posset, nisi ipsum epistolae corpus inscriptioni huic omnino congrueret. Sane aetatem Symmachi non sapit illud *ad ostendendum te magistrum et archiepiscopum.* Quos modo archiepiscopos appellamus, tum metropolitanos vocitare mos erat. Deindè in Laureacensium antistitum catalogo nullum eorum, qui Theodorum praecessisse leguntur, vel metropolitani nedum archiepiscopi titulo donatum, nullum pallio insignitum reperias: et hoc tamen de more poposcisse atque obtinuisse Theodorus nunc dicitur. Neque cohaeret, quod ibi legitur *ab eisdem apostolis fundatae ecclesiae*, quum antea non de pluribus sed de uno Petro apostolo habitus sit sermo. Aegre etiam quis probaverit, Laureacensem ecclesiam ab apostolis fundatam aut id a Symmacho creditum fuisse. Annales Patavienses quidem b. Laurentium eo ipso fere tempore, quo s. Marcum evangelistam, a b. Petro apostolo missum ac Laureacensis ecclesiae primum apostolum haberi voluit. At obscura adeo est Laurentii hujus notitia, ut qui Laureacensium episcoporum catalogum concinnavit Metropol. Salisburg. tom. I p. 285 dicere de eo loquens coactus sit: *quicunque ille fuerit*, et quis illi successerit ignotum fateri. Plura suppositionis indicia hic explicare supervacaneum fuerit.

---

[1]) In secunda ejus operis editione Gewoldi tom. I p. 192 sq. Producitur idem documentum praeter conciliorum et patrum editiones in Ludewig script. rer. Germ. II, 352, Monument. Boic. XXVIII, 1 p. 195, Tejer cod. dipl. Ungar. I, 123. De aliis circa idem inquisitionibus conf. Monum. Boic. l. c. pag. 196.

Digitized by Google

Monita praevia

in Hormisdae papae epistolas.

In Hormisdae papae epistolam 1 („*Omnibus*").

[a³. Ed.] 1. Ditissimum epistolarum Hormisdae thesaurum e Vaticana bibliotheca erutum Romanae pontificiarum epistolarum editioni debemus. Inde quum haec tum ceterae, quas non notabimus aliunde acceptas, primum prodierunt. Easdem quum Coustantius ad Vaticanum 4961 recognosci[1]) curavit, nos tamen ad eamdem trutinam revocare non dubitavimus, nec leves inde fructus cepimus.

2. Hujus autem scribendae quae causa fuerit, Marcellinus comes ac Theophanes docent. Nempe, inquit Marcellinus ad hunc annum 514, *Vitalianus Scytha* (seu, ut ab Evagrio III, 43 vocatur, *Thrax*) *assumpto Romanorum equitum in triduo congregatorum auxilio, pro orthodoxorum fide proque Macedonio* et aliis episcopis injuste ab Anastasio relegatis ad urbem regiam accesserat, et quidem, ut Theophanes pag. 137 (ed. Bonn. 247) narrat, prius *occupata Thracia, Scythia et Moesia.* Cujus subito adventu territus *Anastasius*, ut ibidem Theophanes prosequitur, *rebus in desperatis senatorii ordinis nonnullos, qui de pace agenda eum rogarent, misit; juravitque una cum universo senatu, episcopos exules Heracleam Thraciae* (quam Europae provinciam Anastasius infra appellat) *se revocaturum. His additum voluit Vitalianus, ... ut Macedonius et Flavianus injuste expulsi sicut et ceteri episcopi sedes suas reciperent, et ita demum convocaretur synodus, ad quam pontifex Romanus et cuncti episcopi accederent.* Hujus igitur rei gratia nunc Anastasius ad Hormisdam scribit. Illius autem epistolam non Hormisdae primum sed Vitaliano, ut opera ejus Romam mitteretur, datam fuisse Theophanes tradit. Unde habetur ratio, cur licet prius scripta, posterius tamen sequente accepta sit. Per Severianum missam fuisse ex epistola 6, quam Hormisda huic rescripsit, colligitur. Ei et Vitalianus, ut in ep. 7 n. 3 visuri sumus, propriam adjunxerat, quam per homines suos destinavit.

In Hormisdae papae epistolam 3 („*Ait*").

[a³] A superiore non fuit distrahenda, quam eodem tempore et per eumdem Patricium missam fuisse liquet. Tota a Baronio ad annum 515 n. 8—11 descripta. Graecus textus, quo resarciri posset quod interpres ac librarii peccarunt, valde desiderandus est. Multa mutavit Baronius, quae omnia deinde nullo examine praevio arripuerunt conciliorum editores. At his ad trutinam revocatis, quaedam recte, alia secus mutata deprehendimus. Quocirca primigenias lectiones, quoad licuit, duximus retinendas.

In Hormisdae papae epistolam 7 („*Cum dei*").

[a³. Ed.] Scriptum hujusmodi *commonitorium* vocare alii solent. Cujus ecclesiae episcopus fuerit Fortunatus mox nominatus, nusquam memorari Baronius notat. Ipse eum Tudertinum episcopum exstitisse opinatur. Mirum sane est, quo pacto eum fugerit, quod in libro pontificali seu apud Anastasium vulgatum legimus: *Hormisda cum consilio Theodorici regis direxit Ennodium episcopum Ticinensem et Fortunatum episcopum Catanensem etc.* Porro legatos illos non inconsulto

[1]) Qui ita dicit: Easdem postmodum ad alterum exemplar Vaticanum, ad cujus calcem haec apposita est inscriptio: *Iste liber est monasterii sanctae crucis fontis Avellanae Eugubinensis dioecesis,* recognosci curavimus. Ubi aperte Vaticanus noster 4961 notatur.

Digitized by Google

Theodorico rege destinatos fuisse Theophanes confirmat. Iste quidem indiculus in prius vulgatis epistolae 22 ad Avitum mense Februario anni 517 datae subjiciebatur; sed eum legatis una cum epistola sequenti anno 515 Augusti 11 die traditum fuisse manifestum est. Denique memorandum est, ipsi in Avellano collectione (Vat. 4961 fol. 70 b) praemissa voce *Item* sub eodem n. 117 non solum *capitula singularum causarum* sed et celebrem illum libellum pro recipiendis Graecis compositum („*Prima salus*") adnecti. Quare et ipsum, cujus forma etiam Hormisdae ep. 26 n. 2 et 61 n. 2 praebetur, hic statim subjiciendum duximus.

In Hormisdae papae epistolam 9 („*Justum*").

E codice olim Arelatensis ecclesiae a Baronio primum edita, tunc a Sirmondo ad formam regii Parisiensis descripta est. Jam alias ad Caesarium litteras, ut in notitia epistolarum non exstantium visuri sumus, Hormisda scripserat. Hanc autem epistolam ad se per Arelatensis ecclesiae clericos transmissam esse Avitus Viennensis episcopus infra epist. 21 n. 1 non obscure docet. Caesarii opera ad alios etiam episcopos sub ejus ordinatione constitutos perlatam esse non temere hinc colligamus.

In Hormisdae papae epistolam 10 („*Gratias*").

Superiori Hormisdae epistolae 8 respondet per eosdem missa legatos, qui illam detulerant. Hi enim sicut et episcopi, qui ex diversis locis ad concilium indictum circiter ducenti convenerant, tam a scelesto imperatore, ut loquitur Theophanes pag. 138, quam a Timotheo Constantinopolitano episcopo delusi, re infecta recessere. Neque vero perfidus imperator propositas pacis conditiones nisi ficto animo juraverat. Et, si Theophani habenda fides, tum Vitaliano tradebat litteras, quibus Hormisda ad concilium vocabatur, dum eidem papae significabat, ne veniret: quod ipsius Hormisdae epist. 8 n. 2 dictis non videtur consentaneum. At ille, ut scelestus Manichaeorum discipulus, quum ipsum plebs ac senatus omnis perjurii insimularet, haberi legem, quae imperatorem in necessitate constitutum mentiri ac pejerare juberet, impudentissime, Theophane ibidem teste, respondit. De hac imperatoris dissimulatione et irrito legationis suae effectu conqueritur Hormisda epist. 22 n. 2. Ex epistola autem sequente colligitur, legatos qui hanc retulerunt, Constantinopoli Romam anno 515 ante hiemem migrasse; adeoque epistolam hanc aliquanto ante ejusdem anni 515 exitum scriptam esse, quamvis a Baronio ad annum 516 referatur ac sequentibus etiam epistolis postponatur.

In Hormisdae papae epistolas 13 et 14 („*Sollicitari*" et „*Si prima*").

1. Baronio assentiri non possum, existimanti, hac epistola 13 ad eam, quam imperator Ennodio sociisque legatis redeuntibus dederat, hoc est ad superiorem epistolam 10, responderi, eamque desiderari, quam Hormisda ad subsequentem ejusdem imperatoris epistolam 11 rescripserit. Nam superior Anastasii epistola 10, quam priori epistolae 8 Hormisdae fuerit rescripta, nullam ab eodem papa novam exigebat. Deinde quum Anastasius epistola 10 legationem a se quam primum mittendam polliceretur, idque Ennodius ac socii e regia urbe reversi confirmarent, prius Hormisdae expectanda fuit illa legatio, quam de novis litteris ad imperatorem mittendis cogitaret. Et vero ex inscriptione, qua haec epistola *per Theopompum et Severianum* missa praenotatur, praejudicare licet, illam ei scripto esse redditam, quod illi ab Anastasio detulerant. Hoc demum quum litterarum ad senatum ab iisdem perlatorum facta mentio (n. 3) tum totus epistolae nostrae contextus confirmavit.

2. Neque eis etiam subscribere valeo, quae idem annalium parens epistolae ipsi praemittit his verbis: *Quoniam quae hactenus Anastasius tum litteris tum*

Digitized by Google

legationibus egit, non nisi laude digna videbantur, Hormisda papa et scriptas litteras et res per legatos Constantinopoli gestas probans, non potuit ea omnia non laudare, quum ad eumdem imperatorem has litteras reddidit per legatos ab eo missos. Nam perpetuas Anastasii tergiversationes, fallacem concilii convocationem, legatorum apostolicorum re infecta dimissionem, perjura promissa, pervicacem Henotici assertionem et Acacii aliorumque damnatorum obstinatam defensionem ab Hormisda probari potuisse, quis sibi persuadeat? Sed et quantumvis prudens papa regiae majestati debitam reverentiam nusquam remittat, ipse tamen Anastasius epist. 10 n. 3 ab eo se non tam laudari quam argui non dissimulavit. Ipsius quoque Hormisdae verba infra n. 3 paternam correptionem sapiunt. Demum de rebus ab Anastasio hactenus gestis quid sentiret apertius epist. 22 pandit.

3. Nec felicius Baronius senatus rescriptum, quod nostra epistola 14 praebetur, ad annum 515, ipsam vero Anastasii sacram (Horm. ep. 12) ad annum 516 retulit. Falsus nimirum est appendice ad calcem illius adscripta, quasi idem per Ennodium et socios transmissum esset. Sed hanc notam erronee a librario ex fronte epistolae 8, quae in codice Avellano hanc nostram excipit, huc translatam esse, ad ipsum textum not. k monstrabimus.

In Hormisdae papae epistolam 21 („*Dum religionis*").

Ex veteri cod. Vat. primum prodiit in editione Romana epistolarum pontificiarum sub hoc titulo: *Exemplum relationis Aviti eppi Galli;* unde in collectiones conciliorum translata est. Emendatior exstat inter Aviti epistolas a Sirmondo editas (Sirm. Opp. tom. II). Relationi huic occasionem praebuit superior epistola 9, quam Hormisda Caesarii Arelatensis opera ceteris Galliarum episcopis transmittendam praescripserat. Ejus exemplum Avitus ab Arelatensis ecclesiae clericis *anno superiore* accepisse se in exordio memorat. Quum autem haec Hormisdae mense Septembri anni 515 scripta fuerit, ista Aviti anno 516 circa exitum rescripta merito judicetur, praesertim quum exeunte mense Januario anni 517 ab Hormisda accepta sit.

In Hormisdae papae epistolas 24 et 25 („*Fecit*" et „*Benedicta*").

1. Sequens epistola 24 non tantum in codice Vaticano, ex quo superiores vulgatae sunt, sed et in veteribus collectionis Hispanae exemplaribus, e quibus et Isidorus Mercator eam in suis de more descripsit, exhibetur. Praeterea amplissimo de institutionibus clericorum ad usum Hispaniensis ecclesiae manu exarato tractatui, quem insignes bibliothecae Colbertina atque Coisliniana asservant, lib. I sub titulo 51: *De vice commissa sedis apostolicae aliisque praeceptis ex integro*, hoc est tota, inserta est. Horum ope codicum a mendis, quibus scatebat, purgatur, et nativus ei splendor redditur. Nec non altera epistola 25 in iisdem libris Vaticano excepto exstat, in quibus superior, eique merito subnectitur, utpote quae eodem die data, per eumdem diaconum missa, ipsimet Johanni ejusque rogatu reddita sit. Duo illius priora capitula Anselmus Lucensis in sua compilatione exscripsit.

2. Isidorus Mercator priorem illam epistolam 24 inscripsit: *Hormisdae ad Johannem episcopum*, ecclesiae cui hic Johannes praeerat tacito nomine. Idem pariter et veteres conciliorum collectiones a Merlino, Crabbio etc. vulgatae, et Romana pontificiarum epistolarum collectio siluerunt. Postmodum vero Baronius ad annum 517 pro certo posuit Johannem illum esse episcopum Tarraconensem, qui et a. 516 concilio Tarraconensi praefuit, et a. 517 die 8 Junii Gerundensi primus subscripsit. Cui opinioni plus aequo deferentes posteriores conciliorum editores epistolam istam *ad Johannem episcopum Tarraconensem* praenotare non dubitarunt. Sincerum ejus titulum retinent antiqua collectionis Hispanae exemplaria Gerundense, Urgel-

Digitized by Google

litanum etc. nec non vetus codex Colbertinus not. 323 praeter duos jam laudatos tum ejusdem bibliothecae tum Coislinianae, in quibus ut et in Daguessaeo haec ei praefigitur epigraphe: *Decretum Ormisdae papae ad Johannem Ilicitanae ecclesiae episcopum ex integro. De directis institutis et vice commissa.* Ad eumdem Johannem rursus scripsit Hormisda epistolam 88, ubi nomen ejus ecclesiae denuo depravatum veterum codicum auctoritate restituetur.

3. Neque vero antiquis ignotum est Illicitanae civitatis nomen. Ut enim scribit Antonius Baudrand: *Illici urbs est Contestanorum in Hispania Tarraconensi Plinio, quae Illice Melae, Illicias sive Ilicias Ptolomaeo, nunc teste Vasaeo Elche, oppidum regni Valentini; dictum est etiam Elicona in historiis mediae aetatis, quatuor leucis ab Alone* (Alicante) *distans.* Item Plinio lib. 3 *est colonia immunis Illici, unde Illicitanus sinus,* quod nomen etiam nunc latine sinus ille retinet. Quocirca in his Pauli jureconsulti lib. II de censibus (fr. 8 L. 15): *In Lusitania Pacenses sed et Emeritenses juris Italici sunt; idem jus Valentini et Licitani habent,* loco *Licitani* legendum esse *Illicitani* merito nonnulli conjectarunt. Vide Marcae Hispaniae librum 2 c. 6 n. 1 et 2, necnon cap. 13 n. 2.

4. Error Baronii circa episcopum, ad quem haec epistola scripta est, in eam opinionem ipsum induxit, qua episcopos Tarraconensis provinciae his Hormisdae litteris excitatos, duos menses postquam datae sunt, Gerundae convenisse arbitratus est. Sed intervallum quod a datis litteris ad illud concilium excurrit brevius est, quam ut ejus congregandi causa ad litteras illas referri probabiliter queat. Deinde mirum esset episcopos Hormisdae litteris excitatos convenisse, ac nihilo minus in concilio suo nullam litterarum ejus, nullam denique decretorum, quae ad ipsos destinavit, fuisse mentionem, immo neque Johannem Illicitanum, cujus opera convenissent, inter episcoporum subscriptiones legi. Tum sane decuisset litteras apostolicas honorifice imprimis memorari, ac deinde subnexa eis constituta praelegi et firmari, ac demum si qua eis essent adjicienda constitui. Verum neque ad unos Tarraconensis provinciae *sed ad universos episcopos per Hispaniam constitutos* subnexae Hormisdae litterae destinabantur, neque etiam Johannes Illicitanus episcopus ad Tarraconensem provinciam pertinebat.

5. De vice episcopo huic commissa quid intelligendum sit, quaeritur. Insignis cardinalis de Aguirre in hanc epistolam notat, Johannem ab Hormisda videri *potius zelatorem* constitui, *quam vicarium presse acceptum cum potestate aliqua ordinaria vel delegata.* Largiendum quidem est, non omnimodam ei concedi vicariorum apostolicorum potestatem, sed negari ipsi nequit vicarii nomen, cui *vices apostolicae sedis* conceptis verbis delegantur, cujus curae committitur, ut ea quae ad canones pertinent per Hispaniam serventur, et ut de ecclesiasticis causis, si quid dignum contigerit, ad apostolicam sedem referat. Non eo tamen spectabat potestas illa, ut ejus esset vel synodos vocare iisque praeesse, vel metropolitanos ordinare aut episcoporum causas cognoscere, aut etiam clericis Romam aliove pergentibus litteras, quas formatas vocant, dare. Demum Johanni sic vicaria delegatur potestas, ut pallii usu minime decoretur. Ex quo sequitur, ut exceptionem admittat, quod lib. 5 de concordia sacerdotii et imperii c. 25 n. 9 generatim affirmatur, *pallium vicariorum apostolicae sedis insigne* exstitisse. Vide ejusdem operis lib. 6 c. 7; aliam praeterea exceptionem epist. 142 visuri sumus, ubi Sallustio Hispalensi episcopo ab Hormisda vicaria apostolicae sedis dignitas sine ulla pallii mentione confertur.

In Hormisdae papae epistolam 26 („*Inter ea*").

Hormisda a Johanne Illicitano episcopo rogatus, epist. 24 n. 1 duplex scri- [a³]
ptum in Hispanias direxisse se significat, unum *generalia constituta* complectens,

Digitized by Google

quo *ea quae juxta canones servari debeant competenter edicit*, alterum quo *circa eos, qui ex clero Graecorum veniunt quam haberi oporteat cautionem* edocet. Primum ex illis scriptis suppeditat epistola superior, haec postremum. Quapropter duabus epistolis superioribus recte ista quum in veteribus collectionis Hispanae et Isidorianae exemplaribus, tum in priscis conciliorum editionibus proxime adjungitur. Sed quo pertineret, penitus ignoravit qui hanc ei in praedictis libris ut et in ms. Daguessaeo praefixit summam: *Epistola Hormisdae ad episcopos hispaniae* (in mss. *Spaniae*) *in qua eis Johannis Constantinopolitani professionem dirigit propter Orientales clericos, qui eorum communionem poposcerant.* Non enim Hormisda Johannis Constantinopolitani professionem, sed formulam, quam ipse composuerat, ut ejus professione Graecorum fides probaretur, nunc mittit. Ipsa est formula, quam ab Orientalibus ad ecclesiasticam communionem redeuntibus exigere solebat quamque per Ennodium et socios d. 11 Aug. a. 515 in Orientem transmiserat (Horm. ep. 7 n. 9); ipse est libellus, quem epist. 17 ad Johannem Nicop. et epist. 18 ad episcopos Epiri se pariter subnexisse indicavit. Quocirca nullo detrimento libellus iste ex duobus illis epistolis excidit, quum hinc resarciri jactura commode valeat. Immo epistola 28 Hormisdae ad Timotheum episcopum Constantinopolitanum hoc anno 517 Aprilis die III data fidem facit, Johannem hujus Timothei successorem necdum regiae urbi fuisse praefectum, quum haec ad Hispanos epistola scriberetur. In editione tamen Romana pontificiarum epistolarum ac recentioribus conciliorum non solum retenta est falsa summa, sed et haec epistola a duabus proximis sejuncta est, et aliquanto post epistolam ad Johannem Constantinopolitanum mense Julio anni 519 datam rejecta. Itaque operae pretium duximus, et quo tempore quave occasione scripta sit demonstrare, et suum ei locum restituere. Eam et infra epist. 143 memorari videbimus.

In Hormisdae papae epistolam 28 („*Mirabitur*").

Anastasius Augustus anno 511, Macedonio indicta causa et nulla in eum depositionis lata sententia ejecto, Timotheum hunc in ejus locum suffecit. Quamvis autem *sacrilegus is episcopus*, ut loquitur Theophanes pag. 134 et 135 (ed. Bonn. 242), in regia urbe monachis, laicis et clericis Macedonii synodique Calchedonensis causa multa mala intulerit, quamvis Severi nomen sacris diptychis inserere tentarit, quamvis denique ipse, qui in monasterio Dii anathemate feriendum clamarat quisquis concilium Calchedonense non admitteret, paulo post coram imperatore eos qui idem concilium reciperent anathemate perstrinxerit: hunc tamen Hormisda, sane quia ecclesiasticae paci id conducere prospexit, episcopum appellare non dedignatur. Ideo forsitan sese ita gessit, quia Macedonium jam vita functum accepisset. Certe si rerum ordinem servavit Theophanes, Macedonii obitus mortem Timothei, quamvis hoc eodem anno 517 vita functi sint ambo, praecessit. Hunc Aprilis 5 die e medio sublatum Nicephorus in chronico tradit, Victore Tunnonensi consentiente, apud quem legimus: *Agapeto v. c. cos. Timotheus Constantinopolitanus episcopus obtrectator synodi Calchedonensis quinto die Aprilis occubuit, et Johannes Cappadox in cella propria atque presbytero episcopatum tradidit.* Ex quo sequitur, ut haec epistola, biduo tantum ante Timothei obitum scripta, reddi ei nequiverit. Aliud praeterea circa allatum Victoris locum obiter observo, nempe mendosum esse atque ita corrigendum: *et Johanni Cappadoci syncello proprio atque presbytero episcopatum tradidit.* Quemadmodum autem Johannes Timothei, ita hujus Johannis successor Epiphanius, ut visuri sumus, syncellus fuit.

In Hormisdae papae epistolam 34 („*In nomine*").

Commonitorium potius quam epistola, seu, ut ab Hormisda vocari solet, *indiculus* est eorum, quae legatis in nova Johannis causa agenda erant, superiori

Digitized by Google

epistolae, ut ad ejus calcem conceptis verbis declaratur, subnexus. Quocirca minime imitandus est Baronius, qui utrumque scriptum tribus aliis interpositis disjunxit.

In Hormisdae papae epistolas 35 et 36 („*Optaremus*" et „*Johannes*").

Epistolam hanc et sequentem, quae in Romana pontificiarum epistolarum editione desiderantur, Baronio debemus. Has ille ex altero duorum codicum, quibus in recognoscendis aliis Hormisdae epistolis usus est, se quam fidelissime exscripsisse testatur. Eum tamen nonnulla fugisse, ex iterata ejusdem exemplaris recognitione deprehendimus. Utramque iudicat Hormisda epist. 33 et 34.

In Hormisdae papae epistolam 39 („*Gratia*").

Inter eos quidem, qui ad apostolicae sedis communionem per libelli ab Hormisda missi subscriptionem redierunt, Hormisda epist. 26 n. 3 *secundae Syriae multos* memorat; sed inter hos censendi non videntur ii, quorum nomine haec relatio conscribitur. Nam et infra n. 5 Hormisdae libello nunc primum subscribere se innuunt, et hic papa in epistola, quam illis rescripsit, num. 4 *eos sero* viam veritatis ingressos esse non tacet. Antea tamen a Severi aliorumque Acephalorum communione sic abhorruerunt, ut eorum in se odium ac furorem concitarint. Quid vero ab his passi sint, nunc exponunt. Ad hanc relationem spectat, quod alii archimandritae in concilio Constantinopolitano sub Mena act. V (Hard. coll. conc. II, 1290) scribunt: *Quid opus est plura de his loqui, quum omnes qui orbem incolunt noverint nefarias actiones dictorum haereticorum Acephalorum Severi ac Petri, et impuras, atheas, blasphemas et homicidii gaudentes ipsorum animas. Ista enim manifeste ostendunt ea, quae in veteri Roma quando Hormisda illam apostolicam sedem regebat, et ea, quae in hac regia urbe et Theopoli atque Jerosolymis facta sunt, monumenta.* Relationis hujus interpretatio latina, quae sola superest, dum litterae tenacior est, deficit interdum in iis, quae pertinent ad orationis integritatem. Nihil tamen est, unde quidquam in ea de sententiis subtractum suspicemur; adeo ut recurrentibus ad phrasin graecam non lateat, quid sibi velit. Ex Hormisdae, quae anno 518 Februario ineunte rescripta est, epistola 40 hanc relationem circa exitum anni 517 destinatam esse facile colligitur.

In Hormisdae papae epistolam 40 („*Lectis*").

1. Epistolae hujus mentionem Dioscorus diaconus et Hormisdae legatus [a³] infra ad calcem epistolae 65 facit. Ejus inscriptionem atque initium ad verba *propheta gemitus meos adjuvante*, suo loco exhibent exemplaria Dionysianae collectionis, quam Hadrianus I auctam ad Carolum Magnum destinavit. Unde factum sit, ut et reliqua in his exemplaribus desint, aliorum judicio permitto, hoc solum testari contentus, quod quamvis collectionis hujus codices plus minus triginta eosque antiquos et Hadriani I temporibus suppares consuluerim, ne unum tamen licuerit nancisci, in quo quidquam amplius exstiterit [1]). In concilio Constantinopolitano sub Mena act. V lecta est, postulantibus apostolicae sedis legatis, ut de Severo et Petro quid pridem decreverit ipsa apostolica sedes manifestum fieret. Ac primo quidem eam latine legit Menas lector et secundicerius notariorum apostolicae sedis ex actis apud ipsos Romanos exscriptam, tum graecam interpretationem Christophorus diaconus notarius et secretarius recitavit. Haec interpretatio, quae a latinis sensibus interdum aberrat, actis ejusdem synodi inserta, cum ipsis

[1]) Idem de illis ejusdem familiae codicibus novem antiquissimis, quos Romae inveni, dicendum. [*Ed.*]

Digitized by Google

actis ad nos pervenit. Qui autem praedictae synodi sub Mena, quam Baronius post priscos conciliorum editores *quintam oecumenicam* vocat, gesta in latinam linguam converterunt, etiam hanc epistolam non ex authentico exemplari latino sed ex graeca fide interpretati sunt. Hujusmodi autem vetus interpretatio duplex circumfertur: una in editionibus conciliorum, Labbeana excepta, altera a Baronio ad initium anni 518 vulgata. Et hanc quidem studiosus ille vir a se quam accuratissime descriptam testatur; ni tamen fallor, temperare sibi non potuit, quominus nonnulla ex Romanae editionis exemplo mutuaretur, unde quosdam locos utcunque sanaret.

2. Duplici illi interpretationi longe praeferendum est epistolae hujus exemplum, quod a codice Vaticano Romae inter pontificias epistolas excusum est: utpote quod ex authentico exemplari latino descriptum esse phrasis et elocutio latina, auctoritas Hadriani I, qui fragmentum ab eo ne verbo quidem dissidens memoratae collectioni inseruit, ac demum inscriptionis sinceritas persuadent. Non enim sicut in exemplaribus graecis et ex eorum fide conversis latinis ita in hoc exemplo inscribitur: *Hormisda episcopus presbyteris, diaconibus, archimandritis secundae Syriae existentibus, et reliquis orthodoxis in quocumque Orientali climate degentibus et in apostolicae sedis communione permanentibus;* sed simpliciter: *Hormisda presbyteris, diaconibus et archimandritis secundae Syriae.* Cujus inscriptionis veritatem episcopi partium Italiae et apostolicae sedis legati in concilio Constantinopolitano sub Mena act. V (Hard. l. c. II, 1305) hanc epistolam ut *ad monachos secundae Syriae* datam indicantes, non mediocriter confirmant. Ad haec Hormisda in ipso epistolae contextu ad eos scribere se declarat, *qui sero viam veritatis ingressi* sunt, adeoque non ad universos *in quocunque Orientali climate* degentes, e quibus plurimi jam pridem eam viam ingressi fuerant. Hinc quaestioni a Baronio institutae, cur quum Hormisda ab unis Syriae secundae monachis litteras accepisset, non ad eos solos sed ad omnes Orientales orthodoxos rescribat, sublatus est omnino locus. Nec decipi quis debet verbis Labbei, qui quum tom. V pag. 143 hanc epistolam ex *veteri codice Vaticano expressum in editione Rom. anno* 1591 se subjicere moneat, illud etiam additamentum exhibet, quo *et reliquis orthodoxis in quocumque Orientali climate degentibus* inscribitur. Hoc quippe ille non in editione Romana 1591 offendit, sed ex aliis codicibus ad graecum exactis ut graecae inscriptioni latina responderet repetiit.

3. Nos vero codicis Vaticani exemplum et in inscriptione et in reliquis repraesentamus, ceterorum codicum ope in iis locis, qui librarii oscitantia depravati fuerant, emaculatum. Ei et graecam interpretationem e regione adjungimus; e duabus latinis ad hanc exactis, quarum una, ut dixi, in conciliorum editionibus, altera apud Baronium excusa est, quasdam variantes lectiones, ubi e re visum est, annotare contenti habebimus. Demum hanc epistolam ab Hormisda e synodo conscriptam esse nemo non videt: siquidem anno 536 in concilio Constantinopolitano latine lecta dicitur ut *ex actis apud ipsos Romanos* excerpta.

In Hormisdae papae epistolas 42—44 („*Johannes*“ etc.).

[a³. Ed.] Epistola 42 quidem hortatu episcoporum, qui Constantinopoli die 20 Julii convenerant, priusquam superior ab Hormisda accepta esset, destinata fuit. Ipsius meminit liber pontificum, in quo *auctoritas per Gratum illustrem nomine* appellatur. Epistolam 43 autem cum superiori et sequenti atque ejusdem Grati opera perlatam esse, ex verbis tum Justini in proxima epistola tum Hormisdae in epistola 47 n. 4 conficitur. Johannes iste genere Cappadox et Timothei, cui anno 517 mense Aprili successit, syncellus erat, quum in regiae urbis sedem est elatus, ut in epistolam 28, emendatis Victoris Tunnonensis verbis, observavimus.

Digitized by Google

In Hormisdae papae epistolam 45 („*Venerabilis*").

Hanc Hormisda seorsim ad superiorem Justini epistolam 41 rescribere se significat, quamvis alteram cum aliis ab eodem imperatore per Gratum transmissam a se acceptam non taceat. Atqui hae per Gratum delatae ad calcem epistolae 43 *acceptae XIII Kalendas Januarii* notantur. Ex quo sequitur, ut neque haec epistola ante 20 Decembris diem scripta sit. Neque etiam longe post differenda est. Certe subsequentes antecedit.

In Hormisdae papae epistolas 46—48 („*Sumptam*" etc.).

Tribus epistolis, quas Hormisda per Gratum transmissas anno 518 Decembris 20 die acceperat (scil. epistolis 42, 43 et 44), hanc et duas subsequentes rescribit. Has eidem Grato, quemadmodum in epistola proxima promiserat, quum eum apud se aliquantisper detinuisset, perferendas dedit, ut ex primis epistolae 61 verbis discemus. Atqui non serius Grato Germanum aliosque apostolicae sedis legatos, quibus et plures epistolae mox subjiciendae creditae sunt, directos fuisse Hormisda epist. 48 aperte testatur. Hos autem anno 519 Martio ineunte Lignidum seu Lychnidum Macedoniae civitatem pervenisse, testis erit epistola 60. Gratum vero paulo ante, certe non post Germanum aliosque legatos, Constantinopolim rediise, ex primis jam citatae epistolae 61 verbis perspicuum est. Ex quo et prope compertum habemus, omnes illas epistolas, quas sive Gratus sive legati praedicti pertulerunt, anno 519 mense Januario circa ejus exitum fuisse traditas.

In Hormisdae papae epistolas 57 et 58 („*Magnitudinis*" et „*Ea quae*").

Secundae Justiniani litterae, cum muneribus ab eo ad beatum Petrum missis post legatorum ex urbe discessum acceptae, occasionem epistolae 57 rescribendae dederunt, qua et Justinianum Hormisda de directa legatione certiorem facit. Ex quo eam non longe post profectionem legatorum scriptam esse conficitur. Simul ibi ad Johannem rescripsit (epist. 58), qui opportunitatem nactus tabellarii, quem Justinianus cum muneribus Romam destinarat, litteras ad ipsum direxerat, quae jam non exstant.

In Hormisdae papae epistolam 59 („*In civitate*").

A legatis, ut infra memorant, eo ipso die, quo Lignidum perventuros se sperabant, conscripta est, adeoque Martio ineunte, quum sequens epistola, qua quae Lignidi gesta sunt narrantur, Nonis Martii consignata sit. Nempe in urbem regiam properantes, non multam in singulis moram faciebant, nec differebant de iis, quae in unaquaque civitate prospere gerebantur, Hormisdam certiorem facere.

In Hormisdae papae epistolam 61 („*Redditis*").

Non tantum in laudatis Vaticanae bibliothecae codicibus exstat, sed et Hispanae Isidorique collectionibus inserta est. Ei in editione Romana praemittitur hic titulus: *Exemplum libelli Johannis Constant.* Praeferimus cum uno ms. Vatic. *Exemplar relationis Johannis Constantinopolitani*, maxime quum non merus libellus seu libelli ab Hormisda missi nuda subscriptio hic exhibeatur. Ejus loco apud Merlinum, Crabbeum etc. ex Hispanae collectionis atque Isidorianae exemplaribus legere est: *Epistola sive libellus fidei Johannis Constantinopolitani episcopi de graeco in latinum translata directa ad Hormisdam papam, in qua anathematizat Nestorium atque Eutychen reliquorumque haereticorum blasphemias.* Tum omissa salutatione sequitur: *Redditis* etc. De hoc scripto Dioscorus legatus infra epist. 65 n. 4 ita loquitur: *Episcopus Constantinopolitanus in palatio consuscepit a nobis libellum et in primis quasi tentavit epistolam potius facere quam libellum, sed non post multa certamina hoc convenit, pro-*

Digitized by Google

oemium modicum facere et subjungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictavit . , . Cujus exemplaria graece et latine apostolatui vestro direximus. Iste autem graecus excidit textus. Sed neque latinam ejus interpretationem a Dioscoro tum missam ad nos pervenisse quisquam nisi temere affirmet. Praesertim quum libellus ab Hormisda missus, quem Johannes a se subscriptum epistolae suae subnectit, e graeco conversus sit, non e latino exemplari authentico descriptus, ut hunc cum eo, qui epistolae 26 subnexus est, conferenti manifestum fiet. Nemo enim facile sibi persuaserit, libellum a Dioscoro ad Hormisdam latine aliter atque ipse papa dictaverat fuisse destinatum. Longe igitur veri est similius, eum ipsum interpretem, qui libellum e graeco convertit, ipsi quoque praefixam epistolam latinitate donasse.

In Hormisdae papae epistolam 62 („*Meae*").

Etiamsi tantum quo die accepta non quo data est notatur, tamen quum eam Theodoretus Pullioni in urbem redeunti tradidisse se indicet, ipsum diem, quo conscripta est, supplere licet ex epistola 66, quae eadem occasione transmissa *X Kalendas Maii* consignatur. Ex utroque vero omnes illas epistolas, quas Pullio tunc pertulit, et Aprilis 22 die datas et Junii 20 acceptas fuisse discimus. Epistolae hujus graece scriptae latina dumtaxat interpretatio ad nos e Vaticano codice pervenit.

In Hormisdae papae epistolam 62 et 64 („*Commendans*" et „*Non miramur*").

Utraque epistola ex iis est, quas Pullio cum pluribus aliis Aprili mense deferendas suscepit ac Junii 20 die Hormisdae reddidit. Ab interprete non admodum perito ista 62 in latinum conversa est. Eam scribens Andreas ad Epirum novam pertinere se non obscure innuit. Hinc in encyclicis part. 3 concil. Calched. cap. 19, ubi inter episcopos Epiri novae *Paulus episcopus Prinatenus* legitur, restitui debet, ni nostra nos fallit conjectura, *Praevalitanus.* Ad epistolam 64 autem maxime referendum videtur, quod iidem legati epist. 76 praefantur: *Quo ordine et qua cautela communicavimus in ecclesia Constantinopolitana, jam in aliis litteris per servum vestrum Pullionem directis vestra beatitudo cognovit.*

In Hormisdae papae epistolam 66 („*Scias*").

Non in editione Romana primum sed a Merlino ac deinceps inter concilia vulgata est, nec tantum in codice Vaticano sed et in Colbertino 408 veterem canonum compilationem ad institutionem clericorum ecclesiae Hispanae complectente, necnon in aliis collectionum Hispanae et Isidorianae exemplaribus sicut in Anselmi lib. XII c. 31 et Polycarpi lib. VII tit. 5 c. 19 exhibetur. In duabus illis collectionibus ut in priscis editionibus haec ei praefigitur epigraphe: *Sacra Justini ad Hormisdam papam. Sacratissimo ac beatissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae Hormisdae Justinus imperator. Scias etc.*

In Hormisdae papae epistolam 72 („*Opinionum*").

Hormisda legatis quid accidisset resciendi impatiens, et non secus ac Tobias ab eorum profectione dies quosque numerans, sollicitudinem suam tribus epistolis consequenter repetitis significavit. Primam hanc, ut in sequente 74 testatur, per magistrianum destinavit, alteram sexto post die per Paulinum defensorem, ipsoque die tertiam per Stephanum negotiatorem misit, ut nimirum si una aut altera interciperetur, tertia saltem ad eos perveniret. Quamquam haec postrema in negotiatoris potissimum gratiam videtur data. Per legatos tamen non steterat, quominus de omnibus quam primum certior fieret; siquidem e singulis civitatibus ei quae-

Digitized by Google

que nuntiare non omiserant. Sed Deus hac mora laetitiam, quam e rebus prospere gestis percepturus erat, temperare et quodammodo promereri eum voluit. Hinc et notarum, quibus datae vel acceptae consignantur superiores litterae per Pullionem transmissae, veritas confirmatur.

In Hormisdae papae epistolam 82 („*Quum necesse*").

In collectione Avellana n. 178 inter Hormisdae epistolas 81 et 86 ponitur [Ed.] haec epistola. Quam quum editor Romanus omisisset, primi Ballerinii de antiqu. coll. can. p. II c. 12 (Leon. op. tom. III pag. CLXVI) publici juris fecerunt, unde Migne patr. lat. tom. LXIII col. 457 repetiit. Desideratur et nomen cui directa, et tempus quo data sit. Sed omni ex parte inter scripta illa recommendatitia sibi locum postulat, quae profectis apostolicae sedis legatis Paulinus defensor ad Justinum d. 9 Jul. a. 519 missus (ep. 79), pro eorum opitulatione ad plures nobiles viros et feminas aulae imperialis secum tulit (ep. 80—87). Quare cum codice Avellano locum hunc post epistolam 81 retinendum duximus, simul rati, eam ut sequentes ad spectabilem quamdam personam ejusdem curiae imperialis tunc directam esse.

In Hormisdae papae epistolam 88 („*Vota*").

Isidori Mercatoris collectioni inserta est. Exstat et in Hispana. Inde descri- [a^3] pta est in vetere canonum compilatione ad institutionem Hispanorum clericorum alornata, quam Colbertinae bibliothecae codex 408 nec non Coislinianus aliique Toletanae ecclesiae a cardinali de Aguirre tom. III concil. Hispan. pag. 50 laudati asservant. In mox dictis codicibus de institutione clericorum praenotatur: *Epistola Ormisdae papae ad Johannem Illicitanae ecclesiae episcopum ex integro*, hoc est integra et non ex parte ut pleraque monumenta, quae in iis libris citantur, exscripta. In mss. autem Noviomense Laudunense et Belvacense *Hiclicitanae* et in exemplaria Isidori, quae Merlinus et Crabbius secuti sunt, *Militanae* (loco *Illicitanae*) irrepsit. In editionibus aliis non minus falsus Johanni episcopatus attributus est. Ad eum ipsum Johannem, ad quem superior est epist. 24, hanc scriptam esse perspicuum est. De tempore, ad quod illa attinet, id certum, non missam esse, nisi postquam Hormisda sacram Justini imperatoris cum libello Johannis Constantinopolitani episcopi, hoc est superiores epistolas 61 et 66, accepit. Neque est ambigendum, quin Hormisda iis acceptis tam jucundi nuntii Johannem amicum ac vicarium suum, ejusque opera Hispanam ecclesiam hac de re, ut vidimus epist. 26, sollicitam, participem facere festinarit. Atqui praedictae epistolae 61 et 66 cum pluribus aliis *XIII Kalendas Julias* ab Hormisda fuerunt acceptae. Quocirca et hanc ipso mense Julio serius non deferendam arbitramur.

In Hormisdae papae epistolam 89 („*Quidquid*").

Tres Justiniani epistolas satis modico intervallo ad Hormisdam missas distinguere juverit. Primo quidem una cum Vitaliano militum magistro per Paulinum defensorem scripsit, ut illum ad ea perficienda, quae optatam omnibus ecclesiis pacem atque concordiam conciliarent, cohortaretur. Haec Justiniani non secus atque Vitaliani scripta interciderunt; sed quando missa sint, ex epistola 73 colligere est. Ibi enim Paulinus litteras *III Kalendas Maji* datas Roma Constantinopolim referre annotatur. Subinde Justinianus, quum Scythas monachos, a quibus ecclesiae pacem interturbari dolebat, Romam confugisse comperisset, eo cum litteris imperatoris ac suis legatum destinavit, qui hac de causa certius ab Hormisda responsum referret. Iste autem legatus non alius videtur ab Eulogio magistriano, cui epistolae 76, 77 et 78 *tertio Kalendas Julii* Romae traditae sunt Constantinopolim perferendae. Quocirca adeoque novam illam Justiniani epistolam

Digitized by Google

etiam nunc exstare arbitramur, namque quae supra est epist. 78, licet simul missae Justini litterae minime ad nos pervenerint. Demum Justinianum Eulogium cum litteris adversus Scythas vix dimiserat, quum mutato animo in eorumdem monachorum gratiam scripsit hanc epistolam, quam per Proemptoris filium misit, tanta quidem ipsius opinione usurum diligentia, ut etiam Eulogium legatum ab eo anteveniendum speret. Haec eadem indicari videtur epist. 103 n. 3.

In Hormisdae papae epistolas 90 — 96 („*Ita*" etc.).

[a³. Ed.] 1. Ab Eulogio magistriano Constantinopolim remeante omnes istae epistolae perlatae credendae sunt. Quod quidem epistolis 91 et 92 disertis verbis effertur, ubi simul (in ep. 92) quatuor subsequentes eadem occasione datae annuntiantur. Epistola 90 autem quum non ad proximam epistolam 89 sed ad superiorem 78 quae per Eulogium magistrianum perlata fuerat, rescribatur, dubium non est, quin per eumdem Eulogium relata sit. Iteratis enim precibus in praedicta epistola 78 petierat Justinianus, ut per eum ipsum, quem miserat, sibi Hormisda rescriberet. Quo posito alia ex parte sequitur, ut epistolae ceterae, quas Eulogius tum pertulisse dignoscitur, pariter *IV Kalendas Septembris* consignandae sint. Tantum cavendum, ne quum idem Eulogius iterum, uti epistola 99 fidem faciet, in Italiam legatus fuerit, duplex illa legatio confundatur. Praeterea observo, Dioscorum epistola 98 uni epistolarum earum, quae Eulogio a prima legatione revertenti creditae fuerant, *Idibus Octobris* rescribere, adeoque omnes illas litteras ante medium Octobrem fuisse redditas.

2. Epistola 91 respondet Hormisda ad ea, quae Justinianus epist. 89 petierat. Nec mirari debet quisquam, quod prudens ille papa simul ad eumdem Justinianum per eumdem Eulogium duas epistolas mittat, quum et ipse prius ab illo comite duas, et eas quidem contraria flagitantes, accepisset. — Denique epistola 92 et quatuor subsequentes in ea designatae in gratiam Eliae, Thomae et Nicostrati episcoporum directae sunt. Quos Anastasio imperante e sedibus suis fuisse dejectos et alios in eorum locum suffectos, ex epistola 95 infertur. Eliam Caesariensium episcopum fuisse Justinianus infra epist. 114 indicat. Hoc autem Baronius de Caesarea Cappadociae interpretatus est. At si ipse est Elias Caesareae episcopus, qui anno 536 Jerosolymitano concilio secundus subscribit, non Caesareae Cappadociae sed Caesareae Palaestinae episcopus dicendus est. Eidem concilio subscribit et Nicostratus Abilae, quae pariter Palaestinae civitas est, episcopus. Si vero is Nicostratus Eliasve, praedicto concilio subscripti, ab iis qui in his epistolis memorantur non alii sunt, operam quam pro eorum restitutione adhibuit Hormisda non omnino perdidit.

In Hormisdae papae epistolam 99 („*Ut plenissima*").

Nunc rescribit Justinianus Hormisdae epistolis 90 et 91, quae Eulogio a prima legatione regredienti die 2 Septembris anni 519 traditae fuerant. Has autem litteras, quas tum Eulogius detulit, ante 15 Octobris diem Constantinopoli redditas esse constat ex superiori epistola 98, ubi Dioscorus praedicto Octobris 15 die rescribere se notat Hormisdae litteris, quas ab Eulogio acceperat. Quocirca non levis conjectura est, Dioscorum ut Hormisdae rescriberet opportunitate usum esse, qua Justinianus iterum Eulogium cum novis litteris Romam mittebat, adeoque hanc Justiniani epistolam pariter *Idibus Octobris Eutharico cons.* consignandam esse.

In Hormisdae papae epistolam 100 („*Magna*").

Ex tempore, quo accepta indicatur, conjecturam capere licet ejus, quo data est. Si enim eorum, qui hanc superiorem pertulerunt, par fuit celeritas, VII Kalendas Novembres aut circiter data fuit. In ejus inscriptione non nominatur Johannes unus ex legatis, quia Thessalonica non redierat.

Digitized by Google

In Hormisdae papae epistolam 101 („*Illustrem*").

In collectione Avellana n. 213 praebetur haec epistola, intercedens inter Hormisdae epistolam 96 (dat. d. 2 Sept. a. 519) et 59 (dat. c. med. Mart. ejd. a.). Quae quum ab editore Romano praetermissa esset, primum a Ballerinii de antiqu. coll. can. p. II c. 12 (Leon. op. tom. III pag. CLXVII) vulgata est. Nota chronologica, qua signatur, hunc ei locum postulat, etsi mirari subit, qui factum sit, ut haec epistola demum post sex fere menses accepta notetur, quum illo ipso tempore maxima fuerit legatorum euntium et redeuntium frequentia.

In Hormisdae papae epistolam 102 („*Si pro*").

Indiculus hic conscriptus est a Johanne apostolicae sedis legato et Epiphanio Constantinopolitanae ecclesiae presbytero, qui cum illo *ex communi electione directus* Thessalonicam in epistola superiore 100 n. 1 dicitur. Inde ab eis Constantinopolim, adeoque non ad Hormisdam sed ad ceteros potius legatos destinatus est, ut nimirum in causa episcoporum, quos in regiam urbem deducendos audierant, illos informarent. Eum mutilum idcirco Baronius putat, *quia nihil in eo de perpetratis caedibus habeatur.* Sed probabilius est, ideo de hac re in eo fuisse tacitum, quia de eadem illi jam certiores aliis scriptis facti fuissent. Immo quae de seditiosis gestis scribunt, non ideo scribunt, ut veluti nova et inaudita doceant, sed ut argumenta indicent, quibus episcopi eorum auctores haereseos convincantur. Quocirca nihil vetat, quominus hic indiculus epistola proxima posterior censeatur. Certe quum utrumque scriptum ante quam Johannes et Epiphanius Thessalonica discederent concinnatum sit, ut rerum ita etiam temporis affinitate utrumque valde connexum est.

In Hormisdae papae epistolam 103 („*Graviter*").

Ad superiorem epistolam 100 sexto die postquam accepta est, rescribitur. Cur duorum legatorum Felicis et Dioscori nomina taceantur, hic oboritur quaestio, maxime propter ea quae ad calcem habentur de Scythis monachis: *quos tum nos faciemus sollicitius custodiri, ea quae de vobis contraria dixerunt volentes agnoscere.* In quem enim cadet illud, *quae de vobis contraria dixerunt*, si subtrahatur Dioscorus, de quo uno eos contraria dixisse comperimus? Forte tamen consulto tacitum est Dioscori nomen, quia peculiares ad ipsum datae sunt litterae. Et minus invidiose in litteris ad Germanum, Johannem et Blandum id, quod de illo nominatim dicebatur, generatim *de vobis*, ut in quos dicta in socium redundabant, dici notatur.

In Hormisdae papae epistolam 104 et 105.

1. Nihil fere est in prima epistola, quod non iisdem verbis repetatur in secunda. Quapropter non tam duas epistolas, quam duo censeremus licet unius ejusdemque epistolae specimina. Nec desunt ejusmodi exempla. Hormisdae quippe hac in re duo saltem maximi pontifices, Leo atque Gelasius, praeierunt, ut monito in Leonis epistolas 29 et 31 et Gelasii epistolam 26 est observatum. Ad id porro inductus videtur Hormisda: quum primam parasset epistolam ejusque mittendae opportunitatem exspectaret, imperatoris de Dioscoro in Antiochenam sedem provehendo consilium accepit, eoque nuntio ad primam epistolae suae formam mutandam compulsus est. Nec alia occurrit causa, cur nonnulla in secunda suppressit, quae scripserat in prima, et quae in hac deerant in illa adjecit. Unde utraque merito in exemplaribus Vaticanis asservata est, et priori secunda proxime subjicitur. Hinc etiam habetur ratio, cur in uno ex illis exemplaribus prima simpliciter *Data* sine ullo adjuncto ad calcem notetur.

2. Ex eo autem, quod secunda ut et duae subsequentes eadem nota

Digitized by Google

scilicet *data supradicto consule* consignantur, chronica nota, quae in superiori est expressa, quatuor illis epistolis communis judicanda est. Et vero id eis commune est, ut in episcoporum Thomae ac Nicostrati gratiam conscriptae sint. Aliae quidem quinque exstant nempe 92, 93, 94, 95 et 96 pariter in eorumdem episcoporum gratiam Septembris 2 die ab Hormisda missae; sed cavendum, ne decem illae epistolae ad idem tempus attinere existimentur. Hoc certe non caverunt earum editores, quum illas hactenus simul etiam praepostero ordine exhibuerint. Manifesta tamen in eis apparent indicia, quibus et quinque priores uno tempore et quinque posteriores alio scriptae esse convincantur. Primo quidem in epistola 92 et quatuor sequentibus Thomae et Nicostrato Elias constanter adjungitur; at in 103 et quatuor subnexis, nulla Eliae mentione facta, tantum Thomas ac Nicostratus memorantur. Deinde in quinque prioribus sic loquitur Hormisda, ut qui Eliae, Thomae atque Nicostrati causam et patrocinium primo suscipiat; in posterioribus autem, ut qui causam jam ante susceptam persequatur. Nimirum sic scribit in epistola 103 n. 2, ut qui jam quo pacto circa illos agendum sit praescripserit; in 104 et 105, ut quem eorumdem *episcoporum longa observatio* ac mora contristet; in 106, ut qui eos adhuc *observationum molestias sustinere* doleat; denique in 107, ut qui audierit, *litteras* quas die 2 Septembris in illorum gratiam scripserat *non fuisse susceptas*. Deinde in epistola 92 ad Eliam, Thomam ac Nicostratum data litteras *eorum specialiter negotium continentes*, quas tum destinavit, recens ad Justinum, ad Euphemiam, ad Justinianum atque Germanum, non ad Dioscorum aut Johannem episcopum, scripsisse se meminit; contra epist. 107, Thomam et Nicostratum de litteris a se eadem de causa ad Dioscorum ac Johannem episcopum Constantinopolitanum scriptis monens, de aliis tacet. Postremo, ut alia omittamus, illud quod probamus evincit, quod quinque priores per Eulogium magistrianum et quinque posteriores per Paulinum defensorem destinatas fuisse ex epistolis 92 et 105 conficitur. Unde etiam colligere est, eumdem Paulinum hoc anno 519 ter Constantinopolim repetiisse: primum quidem Aprilis 29 die cum epistola Hormisdae 73, rursum Julii 9 die cum ejusdem epistola 79 ac sequentibus, demum cum istis Decembris 3 die datis epistolis 103—107. Ille primum missus fuit, quum Hormisda quid egissent legati nihildum audiisset, rursum quum prosperos eorum successus edoctus iis, a quibus fuissent adjuti, gratias agendas duxisset, postremo quum idem pontifex imperatoris conatus, ut Dioscorum unum e legatis suis Antiochenae ecclesiae praeficeret, didicisset.

In Hormisdae papae epistolam 108 („*Quanto*").

Sacrae huic occasionem praebuere preces ab Eois partibus, hoc est a Jerosolymitanis, Antiochenis et secundae Syriae clericis et abbatibus, Justino oblatae. Quocirca hic praemittendae essent illae preces, nisi satius visum esset, eas ad illud servare tempus, quo ad Hormisdam destinatae sunt, hoc est ad hujus ipsius anni nonum Septembris diem (epist. 129).

In Hormisdae papae epistolas 112 et 113 („*Quod celsitudo*" et „*Diu*").

1. Ex epistolis, quas Justinianus ad Hormisdam hactenus scripsit, nulla restat cui idem papa non rescripserit, nisi una 99 per Eulogium iterato in Urbem legatum transmissa. Ad ea autem, quae tunc quaesierat Justinianus, satis accommodata videntur, quae nunc Hormisda epist. 112 respondet. Ille hunc papam laudarat, quod decessorum suorum memoriam et amplecteretur et ornaret, quantumque ipse ejus decisioni deferret, testatus erat his verbis: *hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.* Hormisda vero Justiniani laudes grate suscipit, quatenus ad cultum Domini, ad emolumentum ipsius Domini et ad ecclesiarum unitatem proficiant. Quaestioni quoque praepo-

Digitized by Google

sitae satisfacit, dum rejecta vocum novitate, de mysterio Trinitatis quid credendum sit, paucis ac perspicuis verbis exponit. Verum quae Hormisda initio n. 2 de legatione tum Justiniano promissa scribit relegenti, suspicio non levis oboritur, Justinianum superiori Justini epistolae 108 suam adjunxisse, atque huic Justiniani scripto nunc ab Hormisda hoc anno circa exitum Martii rescribi.

2. Epistolam 113 autem non scripsit Hormisda nisi post acceptam eam, qua Epiphanius oblata occasione ordinationem suam ipsi notam faciebat. Nec probabile est, eam ab illo acceptam esse ante superiorem Dioscori relationem (epist. 111), quae *quarto post Epiphanii ordinationem die* (h. e. die 29 Febr.) missa et *VII Idus Aprilis* ipsi reddita fuit. Ipsum etiam Hormisdam aliquantisper exspectasse probabile est, utrum Epiphanius consuetudini, qua Constantinopolitani episcopi Romano ordinationem suam sollemni legatione nuntiare solebant, satisfaceret. Quocirca haec epistola saltem ad Majum mensem anni 520 videtur differenda.

In Hormisdae papae epistolam 116 („*Summa*").

Justinus epist. 108 legatum a se destinandum pollicitus erat, idipsumque denuo promittit: sed interim promissa differt, quasi hac mora Hormisdae animum praeparaturus et inclinaturus erga Orientales, qui ad firmam et integram pacem sanciendam mitiore quodam temperamento, quam quod ille legatis suis in mandatis dederat, indigere videbantur. Hanc epistolam quatuorque subsequentes Septembris 17 die Romae acceptas esse ex epistola 120 discimus.

In Hormisdae papae epistolas 120 et 121 („*Domino*" et „*Deus*").

1. Epistolam 120 Justinianus infra epist. 127 non obscure notat, ubi Hormisdam enixe rogat, ut *tam de sermone de quo vertitur controversia* (h. e. num dicendus sit *unus ex Trinitate crucifixus*), *quam de nominibus episcoporum sub Acacio defunctorum ... dignetur integrum indubitatumque destinare responsum: sicut*, inquit, *per legatos etiam vestros post omnia scripsimus.* Ex quo conficitur: 1^mo^ hanc epistolam sicut et sequentem per Germanum, Felicem, Dioscorum et Blandum Hormisdae legatos Constantinopoli redeuntes fuisse perlatam; 2^do^ utramque eo ipso die quo quatuor antecedentes, quae iisdem legatis traditae sunt, h. e. die 9 Julii anni 520 consignandam esse, adeoque vicissim quatuor illas antecedentes eo ipso die, quo hae duae, h. e. die 17 Septembris ab Hormisda fuisse acceptas.

2. Epistolam 121 autem eo die, quo superior Justiniani accepta notatur, ex occasione legatorum Hormisdae Romam redeuntium scriptam esse Epiphanius ipse significat. Quod vero necdum Hormisdae petitioni satisfacit, qua ab illo ut ordinationem suam per legatos de more nuntiaret exigebat, hoc indicio est, superiorem hujus papae epistolam 113 ipsi nondum fuisse redditam.

In Hormisdae papae epsitolam 124 („*Sicut*").

1. Hormisda Possessori, a quo consultus fuerat, hoc scripto facit satis. Ubi [a^3^] vero illud accepit Possessor, publicum facere festinavit, adeo ut ubique legeretur. Paulo post obitum Hormisdae ab episcopis in Sardinia exulibus in epistola ad Johannem et Venerium debita cum veneratione laudatum fuit. Porro Johannes ille, quem Fulgentius in principio lib. I de veritate praedest. et grat. presbyterum appellat, vulgo is Maxentius existimatur, qui hanc epistolam refutare conatus est. Quod si ita est, opus illius licet Hormisda superstite vulgatum fuerit, sanctis illis exulibus ignotum erat, quum ad eum scripserunt. Utrum vero alius an idem sit, aliis expendendum permittens, ad opus Maxentii venio.

2. Nempe ille statim ut hanc Hormisdae epistolam accepit, continere se non valuit, quin Scythas monachos, quibuscum conspirabat ipse, adversus illam vindi-

Digitized by Google

caret. Sed ad nihil aliud profecit ejus lucubratio, nisi ut quae de sociis ejus scribit Hormisda, in ipsum etiam convenire palam fieret. Vix enim unquam sedato loquitur animo et sinistras innoxiis adversariorum sententiis interpretationes passim affingit. Primum Hormisdae nomen dedecorare se nolle simulans, hanc ei epistolam attribuere non audet, sed ab haereticis confictam jactitat. Verum licet aliud animo sentiret prospiceretque id nemini facile persuasum iri, nihilo tamen majorem servavit modum, quo summo pontifici, quum ob dignitatem tum ob singularem vitae integritatem etiam apud augustas personas commendato, debitam venerationem et observantiam exhiberet. Immo nec illud affirmare veretur, sive ab Hormisda sive ab alio scripta sit haec epistola, *auctorem ejus esse haereticum*. Mendacia taceo, cujusmodi sunt verba in superiorem epistolam a nobis jam relata, quae Hormisdam adversus Dioscorum diaconum protulisse fabulatur, et alia similia. Ea quidem ab illo excogitata minime crediderim; sed inde excusari nequit, quod et in iis admittendis credulior et in iisdem publicandis facilior fuerit.

3. Assentiri tamen nequeo Baronio de ipso Maxentio ac Scythis sociis ad ann. 519 affirmanti: *Plane comperitur signis haud obscuris et argumentis minime dubiis, ipsos Eutychianos fuisse haereticos*. Neque enim apparet, quo pacto Eutychiani audire debeant, qui Maxentio teste in resp. adversus hanc epistolam *juxta divina eloquia et sanctorum patrum traditiones Christum filium Dei, quem in duabus naturis essentialiter sive juxta compositionem unitis et inconfusis docet fides catholica, confitentur*. Ita legendum puto, non ut in biblioth. patr. *juxta compositionem unitionis et inconfusionem*, aut ut apud Cochlaeum in orthodoxographia *juxta compositionem unitionis et inconfusis*. Praeterea iis Eutychianos exsecrationi esse, professio de Christo, quam Johannes Maxentius sociorum etiam nomine edidit, argumento est, ut vel verba exinde excerpta et supra in epistolam 30 Gelasii n. 5 (not. 11) relata fidem faciunt. Et vero Hormisda, quum eos animi pertinacis, turbulenti et inquieti, parere nescientis ac novitatum amantis insimulet, nusquam tamen illis haereseos labem inurit, nunquam etiam cum eis velut cum haereticis agit. Qui enim cum aliis, qui suspecti tantisper erant, communionem suspendere consueverat, quamdiu hos monachos Romae detinuit, hoc est *per quatuordecim pene menses*, eos secum, ut Maxentius testatur, communicare permisit. Sed neque postquam ex urbe discesserunt, eosdem ab ecclesiae communione removisse legitur.

4. Eatenus tantum existimari possunt Eutychianis favisse, quatenus Calchedonense concilium non sufficere volentes eo pacto semper inducendis novitatibus locum patere permiserunt, unde fieret, ut nihil in fide nostra certi constitutique esset. Et eam quidem maxime ob causam merito displicuerunt Hormisdae, cui nihil antiquius fuit, quam ut haereticorum inquietudinem synodalium decretorum terminis contineret. Quocirca prudens ille papa sapienter pro ea tempestate cavit, ne novum effatum, quo *unum ex Trinitate pro nobis crucifixum* dici volebant, aut respuendum aut admittendum decerneret. At cur de commentariis in epistolas beati Pauli, quas antea Possessor miserat, et de quibus quid sentiret rescire desiderabat, nihil item responderit, causa nobis latet.

5. Haec epistola a Cochlaeo primum anno 1555 cusa fuit Orthodoxograph. tom. I pag. 708, Johannis Maxentii ad eamdem responsioni praemissa. Postea et Romae e Vaticani codicis fide anno 1591 recusa est. Eam et Maxentius in sua responsione pene totam ad verbum exscripsit, atque hoc opus non mediocri subsidio fuit, ut qui vel vitiosi vel mendosi supererant loci, sanarentur.

In Hormisdae papae epistolam 125 (*Decr. de libr. recip.*).

1. In epistolam 42 Gelasii pluribus probavimus, veteres codices sive Jurensem a Petro Francisco Chiffletio inter annotationes in Vigilium Tapsensem pag. 149

Digitized by Google

excusum et a Justo Fontanino antiquit. Hort. pag. 317 recusum, sive Urgellensem a Stephano Baluzio notis in Gratianum pag. 444 memoratum, seu Colbertinum novissime a nobis recognitum, qui decretum sequens Hormisdae adscribunt, cum aliis longe pluribus, qui decretum simile Gelasio attribuunt, minime pugnare; quia nimirum qui Hormisdae nomen prae se ferunt quaedam habent admixta, quae a decreto Gelasiano absunt, quaeque quum in aetatem Gelasii non conveniant, apte congruunt Hormisdae temporibus. In his est Constantinopolitana synodus, quae in unis Hormisdae exemplaribus, Remigiano excepto aut forte perpaucis aliis recentioribus in quibus id ipsum ex Hormisdae exemplaribus adjectum sit, cum tribus aliis recipienda praecipitur. Certum enim est tum ex concilio Calchedonensi act. 16 tum ex Leonis epistola 106 c. 5 et aliis, Leonis ipsius aetate praedictam synodum a Romana ecclesia nondum inter oecumenicas receptam fuisse. Nec ullum habemus judicium, quo deinde aut a Gelasio aut a decessoribus illius approbatam esse sentiamus. Immo plura suppetunt argumenta, quibus eos hanc approbationem distulisse judicemus. At vero Hormisdae aevo nihil sollemnius, quam in quatuor synodos jurare. Has se sequi Dioscorus Hormisdae legatus epist. 98 n. 2 profitetur; idipsum profitentur et ceteri ejusdem legati epist. 76 n. 4; Hormisda ipse epist. 80 n. 2 Johannis Constantinopolitani episcopi in epist. 61 confessionem, qua item quatuor synodi comprobantur, gratanter accepisse se significat. Mittimus et Justiniani epist. 78 professionem, qua quatuor venerabiles synodi conceptis verbis laudantur; subinde etiam alii summi pontifices Johannes II, Vigilius, Pelagius II, Gregorius Constantinopolitanam synodum non secus ac tres alias veneranter a se suscipi contestati sunt. Nimirum quum Constantinopolitanus antistes aliique Graeci, qui ab apostolicae sedis consortio discesserant, ei tandem parere coepissent, hoc etiam eis Hormisda indulgendum putavit, ut Constantinopolitanam in iis, quae ad fidem attinent, reciperet synodum eoque pacto animos illorum magis ac magis demulceret. Quum igitur Gelasiani decreti instaurandi sese obtulisset occasio, hanc synodum tribus aliis oecumenicis adjungere non dubitavit.

2. His adjecit et illud, quod pariter a Gelasianis exemplaribus abest: *Sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus.* Quae verba imitari videtur antiquus scriptor, qui Hispanam canonum collectionem saepe a nobis laudatam saeculo sexto concinnavit. In ejus quippe praefatione istud legere est: *Sed et si qua sunt concilia, quae sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore.* Et hanc quidem sententiam Isidorus Hispalensis episcopus, quem paulo post hunc scriptorem floruisse arbitramur, orig. lib. VI c. 15 exscripsit. Eidem episcopo vel istud Hormisdae vel certe primaevum Gelasii decretum ignotum non fuisse, id quod de Probae Falconiae opusculo lib. de viris ill. c. 5 scribit indicio est. Valde autem probabile est, additamentum illud ab Hormisda imprimis propter synodum, cui Gelasius praefuit, adjectum esse; ut quod illa synodus decrevit *certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda praefigens*, quemadmodum loquitur in epistola superiori n. 4, hoc *Spiritu sancto instruente* constituisse intelligeretur.

3. Tertium praeterea, quo Hormisdae decretum a Gelasiano discrepat, discrimen observamus. Nempe in scripturarum catalogo e tribus Johannis epistolis Gelasius vel potius Damasus, cui ea quidem decreti pars adscribenda, unam *apostoli*, duas alias *alterius Johannis presbyteri*, Hormisda vero unius ejusdemque apostoli nullam non esse censuit. Neque mirum videri debet, Damasum Hieronymi, cui in ceteris plurimum defert, secutum esse opinionem, et Hormisdam Innocentii decessoris sui, cujus maxima est in ecclesia auctoritas, atque Afrorum ea de re sententiam revocasse.

Digitized by Google

4. Alias levioris momenti varietates sileo. Neque pluribus opus est, ut Gelasiani decreti restaurandi atque confirmandi quae tum causa fuerit exponam. Hanc enim necessitatem Hormisdae quodammodo imposuerunt de librorum Fausti eaque occasione scriptorum ceterorum auctoritate satis acres controversiae, quas ea tempestate excitatas superiori Possessoris epistola 115 didicerat. Neque vero si merum misisset Gelasii decretum, satis eis fuisset, qui in regia urbe acrius hac de re contendebant. Si enim misisset decretum, in quo tres tantum synodi Constantinopolitana praetermissa recipiendae praescribuntur, ab his discedere non sine invidia visus esset, quibus usu jam receptum erat, ut quatuor synodos recipere se profiterentur. Ipsius vero ad res ecclesiae componendas intererat quam maxime, ne Constantinopolitanis, apud quos de Fausti libris excitata erat contentio, Constantinopolitanam synodum spernere aut pro nihilo ducere videretur. Hinc istud Hormisdae decretum cum proxima epistola tantam habere liquet affinitatem, ut nusquam alibi vel commodius vel convenientius exhiberi posse censeamus.

In Hormisdae papae epistolas 126—128 („*Quanta*" etc.).

[Ed.] Tres has epistolas eodem fere tempore delatas esse consentaneum est. Nam quum in epistola 127 prorsus eodem, quo in ep. 126, modo occurrat mentio legatorum apostolicae sedis e regia urbe dimissorum, Johannis episcopi aegritudine corporali in eadem urbe detenti et Eulogii tribuni ac notarii Romam proficiscentis, vix dubitandum est, quin haec epistola una cum illa missa sit. Vel ex eo autem, quod Hormisda epistolae 128 et superiori 126 eodem die rescribit, utramque vel simul acceptam vel certe non longo inter se intervallo destinatam esse nobis indicat. Praeterea idem papa epist. 141 n. 6 Thessalonicensium legatos *sub Justini Augusti ordinatione* novissime ad se venisse memorat. Unde utramque epistolam simul per legatos illos eodem tempore traditam esse colligitur.

In Hormisdae papae epistolas 129—132 („*Quo fuimus*" etc.).

Epistola 129 una est ex iis, quibus aucta est Dionysii Exigui collectio, quam Hadrianus I ad Carolum Magnum misit. Inde eam et Isidorus Mercator, ex quo a primis conciliorum editoribus exscripta est, compilationi suae inseruit. Tres aliae autem sola collectione Avellana saepe laudata nobis servatae, unde una cum illa 129 ab editore Romano excusae sunt. Textus graecus, quo conscriptae sunt epistolae 130 et 131, excidit. Etsi sola epistola 129 die 9 Sept. a. 520 data notetur, etiam tres sequentes tamen eodem tempore missas esse, tum ex tempore quo epistolae 130 et 131 *acceptae* notantur, tum ex negotiis quae in omnibus eadem tractata apparent, tum deniqne ex rescriptis quae ab Hormisda meruere (Horm. *ep.* 137—141) manifestum fit.

In Hormisdae papae epistolas 135 et 136 („*Diligenter*" et „*Quantum*").

Data occasione quum *nuper* missi essent legati, quibus epistola 129 ac sequentes die IX Septembris creditae sunt, epistola 135 transmissa est, adeoque ad finem anni 520 pertinere haud temere credatur. Opportunitatem autem ejus qui hanc pertulit nactus Epiphanius sibi quoque Hormisdam per litteras (ep. 136) alloquendum duxit, quibus eum, ut ad preces Orientalium per legatos nuper transmissas respondere ne differret cohortaretur. Unde et falsam esse liquet inscriptionem, quae huic scripto in ms. Vatic. praefigitur in hunc modum: *Exemplum relationis Johannis episcopi Constantinop. Domino meo per omnia . . . . Johannes in Domino salutem*, et hanc epistolam cum proxima Justiniani missam esse prope certum est.

In Hormisdae papae epistolas 137—141 („*Inter ea*" etc.).

1. Iis, quae epistolis 129—131 sub die 30 Nov. a. 520 acceperat, Hormisda

Digitized by Google

hisce respondet, ac quidem Justini epistolae 129 epistolis 137 et 140, synodi Constantinopolitanae epistolae 131 epistola 139, Epiphanii epistolae 130 autem epistolis 138 et 141. Omnes collectione Avellana repraesentantur, unde in editionem Romanam epistolarum pontificiarum transmissae sunt. Sed praeter illam epistola 137 etiam in vetustis collectionum Hadriani I, Hispanae et Isidori exemplaribus exhibetur. In ejus fronte collectiones Hispana et Isidori exindeque priscae conciliorum editiones ista praemittunt: I. *Adversus Nestorii et Eutychetis blasphemias;* II. *De mysterio Trinitatis, quid personae, quid designent substantiae;* III. *De Divinitate et humanitate Jesu Christi.* Tum subsequitur salutatio: *Gloriosissimo atque clementissimo filio Justino Augusto Ormisda episcopus.* In codicibus coll. Hadr. nec non in Avellanis ut et in editione Romana nullis praefixis titulis simplex habetur inscriptio: *Hormisda Justino Augusto.*

2. Epistola 141 autem praeter codices Avellanos etiam in exemplaribus collectionis Hispanae, unde Isidorus Mercator de more eam exscripsit, necnon in antiqua canonum compilatione ad usum clericorum Hispanorum adornata nobis servata est. Eam veteres illi libri duabus epistolis sequentibus praemittunt. Nec mirum est, apud Hispanos asservatum eoque loco ordinatum esse tam luculentum scriptum, quod cum iisdem epistolis ad ipsos destinasse se Hormisda epist. 143 n. 2 indicat. Epistolam hanc cum altera ejusdem papae legati apostolicae sedis concilio Constantinopolitano sub Mena praelegendam porrexerunt, *ut quo in loco vel numero Severum esse jam dudum apostolicae sedis decreverant instituta, omnibus manifestum fieret.* Latine primum *ex actis apud ipsos Romanos*, tum graece ibique recitata, ac demum latinus textus cum graeca interpretatione, quae satis accurata est, gestis synodalibus act. 5 insertus. Hujus primaevi textus loco novam e graeco conversionem praetulerant Lupareorum conciliorum editores; sed ille a Labbeo, quamvis non sine paucis mendis, merito revocatus est.

In Hormisdae papae epistolas 142 et 143.

1. Ambae a Merlino et deinceps in editionibus conciliorum vulgatae sunt ex [a²] Isidori compilatione descriptae. Is easdem ex antiquiori collectione Hispana acceperat, unde et in vetustum canonum codicem ad institutionem Hispanorum clericorum accomodatum fuerunt translatae. Harum prima in altera memoratur, et in hac, quo utramque tempore scripserit, Hormisda non obscure indicat. Se enim velut recenti perfusum laetitia significat, quam percepisset tum legatorum suorum Germani et sociorum, qui anno 520 medio Septembri reverterant, felici reditu, tum mox secuta Orientalium legatione, quae Novembri exeunte in urbem pervenit. Quibus quum addit, ea quae ad hanc legationem a se responsa sint, sese ad Baeticos episcopos destinare, nullum permittit locum dubitandi, quin duae illae epistolae superioribus minime anteriores sint. Sed nec multo posteriores esse, quae mox exposui facile persuadent.

2. Ad imitationem prioris alia quaedam conficta est ipsius Hormisdae nomine ad Remigium epistola, quam Hincmarus in libro 55 capitulorum cap. 16 nobis transmisit. Et haec quidem ad firmandas lectiones, quas optimi codices Colbertinus et Coislinianus suppeditant, non parvo subsidio fuit. Secundam vero Isidorus Mercator in principio epistolae, quam supposuit Marcellino papae, non modo imitari sed et exceptis quinque postremis versibus totam ad verbum exscribere non dubitavit. Qua in re manifeste adeo prodidit imprudentiam suam, ut quum suppositiliam illam epistolam *omnibus Orientalibus episcopis* inscribere ipsi placuisset, nec illud sibi tacendum viderit, quod de missa sibi ab Orientalibus legatione Hormisda nuntiat.

3. Ex prima item id firmatur, quod jam aliis ex monumentis probavimus, valde incertum esse eruditi viri (scil. Petri de Marca) opinionem, qua pallium olim

Digitized by Google

vicariorum apostolicae sedis insigne fuisse existimat. In ea quippe Hormisda Sallustio, nulla concessi pallii mentione facta, vices suas per provincias Baeticam Lusitaniamque committit. Praeterea Sallustium ex Hispalensibus episcopis primum non exstitisse, cui haec potestas delegata sit, Simplicii papae epistola 21, qua hic papa Zenonem Sallustii decessorem vicarium suum constituit, indicio est.

In Hormisdae papae epistolam 144 („*Oportuerat*").

Tempus, quo scripta est haec epistola, haud satis est exploratum. Anno 519 Decembris 3 die ad Johannem Epiphanii decessorem in Thomae ac Nicostrati gratiam scripserat Hormisda, sed Johannes mense Februario anni 520 vita functus scriptum illius vix recipere nedum ei satisfacere potuit. Eodem anno 520 mensis Junii 7 die Justinianus epist. 114 rescripsit, de Elia quidem ipsi exspectandum esse, donec *successor* ejus *vitam deposuerit*, quia populo suo carus et utilis non posset ab ecclesia sua amoveri; de Thoma autem et Nicostrato omnia, quae Hormisda expetebat effectui mancipanda esse, postquam ecclesiae exterae ad unitatem rediissent. Neque tamen ullum e tribus illis episcopis tunc temporis, quo Hormisda Epiphanii legatione accepta suam ei communionem sollemniter impertiit, in sedem suam restitutum esse ex eo conjectura est, quod idem papa inferius ait: *Nulli videtur vos nobiscum pleno communicare mentis affectu, si eos, qui nobiscum communicant, a vestro consortio segregatis.* Quippe ante hanc legationem Hormisda Epiphanio amicitiae potius privatae quam ecclesiasticae communionis indices litteras dedisse se professus erat. Nunc vero cum illo se palam et aperte communicare indicat. Forte Epiphanius infra epist. 147 memorans epistolam, quam sibi Paulinus defensor ab Hormisda retulit, de hac ipsa loquitur.

In Hormisdae papae epistolam 147 („*Paulinus*").

Paulinus, qui Hormisdae ad Epiphanium epistolam detulerat hancque retulit, non semel ab eodem papa cum litteris Constantinopolim destinatus fuerat. Anno 519 Julii 9 die litteras communionis indices ad Johannem Epiphanii decessorem aliasque plures detulisse, ex epistola 79 n. 5 discimus. Tum vero eumdem Vitaliani ac Justiniani ad Hormisdam scripta retulisse epistola 89 nos docet. Item eodem anno Decembri ineunte epistolam 105 ejus opera ad Dioscorum transmissam esse, ex verbis ejusdem epistolae 105 n. 4 colligitur. Conjectura est, Epiphanium hac epistola ad ea, quae Hormisda superiori 144 rogarat, generalibus verbis respondere. Non alius hujus ac superioris interpres videtur exstitisse.

In Hormisdae papae epistolam 148 („*Sanctorum*").

[Ed.] 1. Ex Novarensis capituli cod. XXX (sec. Maassen *Biblioth. jur. can. manuscr.* saec. X vel XI) primum vulgavit hanc epistolam Johannes Andres in opusculo, cui titulus: *Lettera al Sign. Abbate Morelli sopra alcuni codici delle biblioteche capitolare di Novara e di Vercelli*, Parmae 1802. Unde eam repetierunt F. A. Biener *de coll. can. eccl. Graec.* pag. 11 et clarissimus G. Phillips *Kirchenrecht* tom. III pag. 39. In codice ipso *praefatio II* notata est post illam primae partis ad Stephanum directam, quae ibidem praecedit multis a vulgata varians: *Explicit praefatio I.* | *Incipit praefatio II. Domino beatissimo papae Hormisdae Dionysius exiguus.* Collectio ipsa, quam ibi Dionysius praefatur, jam intercidit.

2. Quo anno scripta sit, pro certo statui non potest. Sed quum in postulato suo id praeprimis Hormisda egisse videatur, ut *auctoritatem qua tenerentur ecclesiae Orientales agnosceret*, demum communione inter utramque ecclesiam restituta opus illud et injunctum et absolutum esse consentaneum est. Sane ubi tam arctum vinculum utramque Romam conjungebat, ut vel vicarium suum in Oriente

Digitized by Google

Romanus antistes Constantinopolitanum constitueret (Horm. ep. 141), ubi fere quotidie sedes apostolica ex illis regionibus quaestionibus et querelis petebatur, haud mirandum est, quod pontifex adeo strenuus et sollers ibi firmum canonum tramitem sibi parare satagebat. Fortasse ut Possessoris requisitio (Horm. ep. 115) novae recensioni Gelasiani de libris recipiendis decreti (l. c. ep. 125), ita causae Scytharum monachorum et Eliae, Thomae, Nicostrati episcoporum Romae saepissime actitatae huic de ordinanda communium canonum collectione postulato ansam praebuerint. Certe post annum 520 eam confectam et Hormisdae porrectam esse posuerim. Hoc modo pontifex simul providit, quod in decreto de libris Gelasiano addiderat n. 4: *sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus.*

In Hormisdae papae epistolam 149 („Ἐχέτω").

Ex Vaticano Graeco 1455, codice saeculi XIII vel XIV varias epistolas dogmaticas complectente, profertur hoc fragmentum. Hac inscriptione ibidem fol. 174[b] insignitur: *Τοῦ ἁγίου Ὁρμίσδα πάπα Ῥώμης ἐκ τῆς ἐγκυκλίου αὐτοῦ ἐπιστόλης.* Porro ad quod potissimum tempus *illa encyclica epistola Hormisdae*, unde sumptum dicitur, referenda sit, parum patet. *Encyclicas* quidem *litteras* Bencinus in notis ad Anastasium bibliothecarium (ed. Migne patr. lat. tom. CXXVIII col. 481) vocat, quas Hormisda prima legatione Anastasii et Vitaliani petitus initio anni 515 pro celebranda synodo Romana ad episcopos Occidentales direxerit (conf. notitia epistolarum Hormisdae non exstantium n. 1). Verum num ibidem plenior quaedam expositio dogmatica, qualis nostro fragmento innuitur, data sit, fere ambigendum. Certe quum deinceps saepius Hormisda, praesertim novis per Scythas monachos turbinibus motis, ejusmodi scripta authentica fidei catholicae appellet, nunquam hanc nostram encyclicam memorat (conf. ep. 137, 141 n. 5). Unde simul datur, demum post illud tempus, fortasse pro sedandis illis ipsis turbinibus, pontificem sollicitum encyclicam istam confecisse, cujus hoc saltem fragmentum nobis asservatum. Sane hoc loco idem producere jam ideo aptissimum visum est, quia tempore et auctoritate prorsus incertum.

In Hormisdae papae epistolam 150 („*Exsulto*").

Privilegium hoc sancti Johannis concessum monasterio, cui a se condito sanctus Caesarius sororem suam Caesariam praefecerat, Bollandus ad diem 12 Januarii tom. I pag. 736 edendum curavit, ni fallor ex codice regularum s. Benedicti Anianensis bibliothecae monasterii s. Maximini Trevirensis, ubi idem sub finem addi Martenius (Voyage littéraire pag. 285) notavit. Illud a Caesario in suo ipsius testamento, quod Baronius ad annum 508 vulgavit, notari quum Bollandus tum alii observant. Neque enim alio spectat sanctus ille antistes, quum ea quae monasterio sancti Johannis largitus est, nec debere nec posse auferri hac ratione admonet: *praecipue quia et ipsa sancti papae Urbicani suasit auctoritas.* Quo tempore concessum sit, definiri nequit. Probabile tamen est, ut infra suo loco commodius exponemus, illud ad initia pontificatus Hormisdae attinere. Verum quia non modo de mense sed nec de anno, quo impetratum est, quidquam certi constat, inter scripta, quae certioris temporis notas prae se ferunt, non potuit nisi temere collocari.

In Hormisdae papae epistolam ad Remigium („*Suscipientes*" Mansi coll. conc. VIII, 383) Constantii censura.

1. Hincmarus opusc. 55 cap. 19 epistolam hanc laudat ac praeterea totam libro 55 capitulorum c. 16 inserit. Exinde eam et Flodoardus hist. Rem. II, 5 et

Digitized by Google

Baronius ad a. 514 descripsere. De veritate illius nullo pacto dubitans Gervasius Remorum archiepiscopus in Philippi I Francorum regis inunctione baculo, qui etiam nunc in Remigiana basilica cum s. Remigii corpore asservatur, in manus accepto palam professus est, ad se pertinere consecrationem regis, et per hunc baculum, quem gerebat, cum hac potestate totius Galliae primatum sancto Remigio ejusque successoribus a Romano pontifice collatum fuisse. Hinc et in editionibus conciliorum Binii, Luparea, Labbei primum inter epistolas Hormisdae locum haec obtinuit. A Sirmondo quidem in tomo I conciliorum Galliae praetermissa est. Verum Labbeus postmodum eam cum eruditi hujus viri notis postumis ac supplementis ad calcem tomi IV conciliorum generalium recudit. Demum stili ejus cum ceteris Hormisdae scriptis consensione motus est Baronius, ut illam germanam esse judicaret.

2. Neque tamen aut Romanis pontificiarum epistolarum editoribus aut ullis compilatoribus canonum nota fuit. Sed neque in ullo vel veteri codice vel antiqua collectione comparet. Falsus quidem non est Baronius in eo judicio, quod de stili consensione tulit. Nec enim veris Hormisdae non sententiis modo verum etiam verbis constat, sed ex ejus ad Sallustium Hispalensem episcopum epistola 142 repetitis. Tanta vero est hujusmodi consensio, ut inde alterutram falsam esse conficiatur. Atqui epistolae ad Sallustium veritatem codicum in quibus exhibetur auctoritas et ipsius Hormisdae in epistola sequenti ad Baeticos de illa testimonium aliaque indubitatam faciunt. Restat igitur, ut hanc ad Remigium falsam esse concludamus.

3. Non me fugit, id nonnullis summis pontificibus utpote occupatissimis non inusitatum fuisse, ut de re simili ad diversos iisdem pene verbis scriberent. At Hormisdam alia ratione se gessisse testes sunt ipsius epistolae. Nam quum multas habeamus de eadem re, puta de Eliae Thomae et Nicostrati causa, de controversia a Scythis monachis excitata, ad diversos scriptas, nullas tamen peculiaribus verbis non expressas deprehendimus. Si quis autem suspicetur, hunc papam in communi privilegio conferendo usum esse formula communi, vel hoc saltem perpendat, quod quum aliis episcopis ab Hormisdae sive decessoribus sive successoribus concessa sint similia privilegia, hanc illi formulam prorsus ignoraverint. Vix certe quisquam sibi persuaserit, Remigium Sallustiumque ad Hormisdam scribentes ita in eamdem scribendi rationem conspirasse, ut rescribendi ne exordium quidem mutare opus fuerit.

4. Est et illud non levioris momenti, quod Hormisda Remigio vices suas *per omne regnum Clodovei* committit. Unde rex ille adhuc superstes ponitur. At eruditos inter jam convenit, et Hormisdam anno dumtaxat 514 in beati Petri sedem esse electum, et Clodoveum triennio ante, anno scilicet 511, supremum diem obiisse. Cujus rationis vim sentiens Guilielmus Marlotus metrop. Rem. hist. lib. 2 c. 9 erratum in inscriptione conjectat, ac pro Hormisda *Anastasium forsan, cujus exstat ad Clodoveum epistola statim ac Christo nomen dederat, reponendum esse.* Verum licet conjecturam illam probabilem faciant egregia sancti Remigii merita, ingens laetitia, quam de Francorum rege ac gente ad fidem conversis Romana ecclesia percepit, atque ipsius Anastasii eadem gratulatoria ad Clodoveum epistola: nulla tamen auctoritate fulcitur, immo argumentis aliis et improbabilis et falsa convincitur.

5. Primo quidem huc redit argumentum superius ex eo repetitum, quod et haec epistola et altera Hormisdae ad Sallustium, si paucos excipias versus, iisdem omnino verbis contextae sint. Hormisdam vero disertum pontificem e decessoris scripto verba sua sic mutuatum esse, nemo facile crediderit. Deinde quo pacto potuit Anastasius Remigio *vices suas per omne regnum Clodovei* committere, quum non ita pridem Symmachus Caesario Arelatensi episcopo in mandatis dedis-

Digitized by Google

set, ut *circa ea quae tam in Galliae quam in Hispaniae provinciis de causa religionis emergerent invigilaret*, neque subinde revocatum fuerit hoc privilegium, immo Caesarius non minori apud Hormisdam quam apud Symmachum gratia polleret.

6. Id sibi opponi posse praesentiens Hincmarus opusc. 55 cap. 19 praevertere illud conatur his verbis: *Hormisda vices suas s. Remigio per Belgicas et quasdam provincias Gallicanas commisit, ut Dei ecclesias, quas Franci adhuc pagani devastaverant universa praedantes, et quaecumque perperam gesta fuerant, ad debitum statum reduceret, manente privilegio Arelatensi ecclesiae in sibi antiquitus delegatis provinciis.* Sed neque hac ratione incommodum jam notatum cavet, quo per omne Clodovei regnum Hormisda nondum pontifex privilegium concedere ponitur. Deinde quo pacto componi istud potest, ut Hormisda Remigio *per omne Clodovei regnum* vices suas commiserit, et simul Arelatensis ecclesiae *in sibi antiquitus delegatis provinciis* privilegium salvum integrumque manserit? Existimandumne est, Arelatensi episcopo per eas unas Galliarum provincias, quae Theodorico regi parebant, Remigio vero per eas omnes, quae Clodovei ditioni subditae erant, apostolicae sedis vices fuisse demandatas? Sane hujusmodi interpretationi locum non permittunt Hormisdae successores Vigilius, Pelagius I etc., dum Auxanio, Aureliano, Sapaudo aliisve Caesarii successoribus privilegium, quo gaudere solebat eorum ecclesia, largiuntur. Ut enim eorum verba quibus hac occasione utuntur taceamus, rem plane evincit vel una inscriptio epistolae, qua Vigilius Gallos de vice apostolicae sedis Auxanio commissa certiores facit. Inscribitur quippe *universis episcopis omnium provinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filii nostri Childeberti regis Francorum constituti sunt;* Childebertum autem Clodovei filium in maximam paterni regni partem successisse nemo ignorat. Unde sequitur, ut et illae provinciae, quae ad Clodovei regnum pertinebant, ecclesiae Arelatensis praesulibus delegatae fuerint. Quomodo igitur integrum ecclesiae hujus privilegium manere potuit, si Hormisda Remigio vices suas *per omne Clodovei regnum* commiserit? Nihil hic privilegii s. Remigio concessi defensoribus succurrit aliud, nisi ut illud soli huic antistiti, non item successoribus Remigii, indultum fuisse obtendant. Sed eadem auctoritate, qua successoribus Remigii negatum fateri coguntur, huic quoque praesuli nunquam impertitum fuisse confiteantur necesse est. In ipsa enim epistola, qua Vigilius episcopos omnes sub Childeberti regno constitutos de vice sua Auxanio commissa admonet, haerere se hac in re indicat vestigiis decessorum *suorum, qui decessoribus ejus* (Auxanii) *vices suas libentissime contulerunt.* In easdem igitur provincias et jam Caesario Auxanii decessori potestas eadem delegata fuerat, adeoque vel hinc epistolae Remigio inscriptae falsitas comprobatur.

7. At quis ejus artifex? Falsitatis illius notas retexisse nobis satis sit. Tantum si quis Hincmarum fraudis hujus artificem exstitisse facilius suspicetur, observamus, penes architectum illum fuisse Hormisdae ad Sallustium epistolam, non qualis in Isidori exemplaribus quibus Hincmarus uti solet exstat, sed qualis in archivis Hispanorum asservabatur.

Digitized by Google

S. HILARI PAPAE
EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

1. Hilarus adhuc diaconus anno 449 Ephesum a s. Leone missus est, ut synodo cum sociis Julio episcopo Puteolano et Renato presbytero vice ipsius interesset (Leon. epist. 28, 29, 30, 33 ed. Ballerin.). Jam ibi tam acriter Dioscoro obstitit, ut custodiae tradi mereret nec nisi mortis discrimine inde effugeret, ne latrocinio subscribere cogeretur. Infinitis obitis periculis Romam appulsus omnia illic nequissime acta s. pontifici retulit (Leon. ep. 44 et 45). Ad eum haud dubie spectat Theodoreti epistola 118 *archidiacono Romae* scripta soluto vix conciliabulo, qua ipsum adhortatur, ut accenso sanctissimi archiepiscopi zelo pro virili enitatur, ut Orientales ecclesiae paterna ipsius sollicitudine optata pace perfruantur, discussaque omni nebula tradita ab apostolis fides illaesa conservetur. *Decet enim*, inquit, *sanctitatem tuam ad cetera facinora sua hunc etiam zelum adjungere.*

2. Nec fefellit spem praeceptam, quum extincto d. IV Novembris anni 461 s. Leone et die X ejd. mensis deposito, ipse septimo post die electus die XIX ejd. mensis in cathedram s. Petri ordinatus est.[1]) Studium ejus in abigendis ab Urbe haereticis et vigorem vere apostolicum Gelasius egregie praedicavit (ep. 23 n. 11): *Sanctae memoriae quoque papa Hilarus*, inquit, *Anthemium imperatorem, quum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus conciliabula nova sectarum in Urbem vellet inducere, apud b. Petrum apostolum ne id fieret constrinxit in tantum, ut non ea facienda cum interpositione sacramenti idem promitteret imperator.* Verum et *per universum Orientem*, teste libro pontificali, *sparsit epistolas de fide catholica et apostolica, confirmans tres synodos Nicaenam Ephesinam et Calchedonensem vel tomum s. archiepiscopi Leonis, et damnavit Eutychetem et Nestorium et Dioscurum vel omnes sequaces eorum et omnes haereses, et confirmans auctoritatem et principatum s. sedis apostolicae.*

3. Nec minorem administrationi ecclesiae curam advertit. Sicut synodis provincialibus quotannis celebrandis institit (ep. 8, 9, 11), ita ipse ordinationis suae

---

[1]) De hoc quidem die mirum in modum auctores variant. Blanchinus (in ed. Anastas. de vitis pontiff.) quum in vita Coelestini Hilari electionem in die XVI, ordinationem in die XIX Novembris posuit, in vita Hilari illam in diem XI, hanc in diem XII ejd. mensis rejicit (cf. Migne Patr. lat. tom. CXXVIII col. 205 et 355). Pro illis numeris synodus Hilari a. 465 secundum certiores codices *a. d. XIII Kal. Dec.* celebrata (qui dies revera a. 461 in dominicam cadebat, qua sola ordinationes celebrare tunc apud Romanos sollemne erat; cf. Leon. ep. 10 c. 6), pro his Marianus Scotus et supputatio *„annorum 6 mensium 3 dierum 10“* pontificatus ejus, ad diem obitus ejus XXI Febr. a. 468 perducta, loquuntur. Verum quum haec supputatio (unde et Marianus Scotus diem suum sumpsisse credendus) utique incerta res sit, pro illo die potius testimonio probato standum erit.

Digitized by Google

anniversarium diem synodis obibat (ep. 8, 11, 16), ex quibus varia eademque eximia quum ad Gallos tum ad Hispanos decreta prodiere (syn. Rom. a. 465, ep. 8, 11, 16, 17). Primus obstitit, ne quis episcopus sibi successorem eligeret, *ne episcopalis honor haereditarium jus putaretur* (syn. Rom. a. 465, ep. 15 et 16). Leonis decessoris sui vestigia premens (ep. 17), etiam de non alienandis sine consensu synodi bonis ecclesiasticis praecavit (ep. 8). Concilii Nicaeni et praedecessorum suorum statuta tam religiose tenebat, ut vel quod ipsi forte contra ea subreptum fuerat, incunctanter recideret (ep. 12). Unde ut metropolitanorum et episcoporum (cf. epist. 9, 10, 11, 12, 16), ita ecclesiarum et fidelium jura defendit. Hermen Biterrensibus ordinatum sed ab eis rejectum sic Narbonensibus praefici passus est, ut quamdam ab eo poenam velut violati canonis expeteret (ep. 7, 8); episcopum autem invitis Deensibus consecratum metropolitani Arelatensis arbitrio permisit (ep. 9, 10, 11); alterum episcopum Irenaeum illicite ad Barcinonensem ecclesiam transeuntem, quamquam petentibus illius regionis episcopis et populis, prorsus rejecit (epist. 16 et 17). Dignitatem sacerdotalem in omnibus vindicans (epist. 15, 16, 17), quum *fructum ministerii episcopalis non in latitudine regionum sed in acquisitione animarum poni* serio proclamavit (ep. 12), tum non omisit episcopos monere (ep. 16): *non tantum putetis petitiones valere populorum, ut quum his parere cupitis, voluntatem Dei nostri deseratis.* Eo modo revera praestitit, quod initio pontificatus sui spopondit (epist. 5): *se ad universalem sacerdotum Domini concordiam provisurum, ut omnes non sua audeant quaerere, sed quae Christi sunt* studeant obtinere.

4. Postquam pontificatum annos VI menses III dies X egisset, in quo numero mire catalogi pontificum cum libro pontificali consentiunt, obiit die XXI Februarii a. 468. Qui dies veteribus martyrologiis commendatur (cf. Pagi ad a. 467 n. 3) et a Mariano Scoto refertur. Pro anno autem praeter dictos numeros cathedrae ejus assignatos Gelasius l. c. testis est, unde Hilarum etiam Anthemio rerum potito (a. 467) vixisse perspicuum. — Marcellinus autem in chronico suo Simplicii initium pontificatus ad a. 467 retulit, Baronius obitum Hilari IV Id. Sept. consignavit, quo die natalis ejus in veteribus martyrologiis inscribitur, utrumque cum certis actis parum consone.

Epistola 1.

8. Hilari Romanae ecclesiae diaconi ad Pulcheriam Augustam. a. 449.

*p. 1 *Cur ad ipsam litteras s. Leonis non tulerit exponit; quantum violentiae Ephesi episcopus Alexandrinus commiserit, et quomodo cuncta, quae ibi facta, a praedicto papa Romano et Occidentali concilio reprobata sint, brevibus memorat.*

Τῇ φιλανθρωποτάτῃ καὶ εὐσεβεστάτῃ Πουλχερίᾳ Αὐγούστᾳ Ἱλαρίων διάκονος.

Gloriosissimae et piissimae[1]) Pulcheriae Augustae Hilarus diaconus.

1. *Σπουδήν μοι γεγενῆσθαι, μετὰ τὴν σύνοδον παραγενέσθαι*

1. Studium mihi fuisse, post synodum advenire Constantinopo-

---

* Hoc loco singulis epistolis paginam *moniti praevii* signabimus.

[1]) d' *clementissimae*, refragantibus mss. et editis aliis. Graecus textus pro *gloriosissimae* habet *φιλαντρωποτάτῃ* i. e. *clementissimae* seu *humanissimae*.

Digitized by Google

κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν, λέγειν οὐκ ὀφείλω, ἐπειδήπερ φανερὰ ἦν ἀνάγκη, ἥτις τὰ γράμματα τοῦ μακαριωτάτου Πάπα πρὸς τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν ἀποσταλέντα δοῦναί με τῷ διακομίζοντι ἠνάγκαξεν, ἵν' ἅμα καὶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας καὶ τοῦ ἀηττήτου Χριστιανικωτάτου βασιλέως τὸ καθῆκον, ὅπερ ὤφειλον, τὸ κατὰ τὴν θρησκείαν ἐναργῶς ἀποτίσαι. Ἀλλὰ τῇ προθέσει τῇ ἐμῇ τῇ οὕτως ἱερᾷ προσέμποδον ἐγένετο ἐκεῖνο, τὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἐχθρὸν καὶ ὃ Χριστιανῶν ἡ διάθεσις ἀποδύρεται, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος ὁ ἐπὶ τῇ καταδίκῃ τῶν ἀνευθύνων δυνατός. Μετὰ γὰρ τό με τῇ ἀδίκῳ αὐτοῦ γνώμῃ καὶ ἀποφάσει κοινωνεῖν μὴ δύνασθαι, συνήλασεν εἰς ἄλλην σύνοδον, ἀπειλαῖς καὶ ἐπιβουλαῖς προσκαλούμενος· πρὸς τό με, ὅπερ ἀπέστω, ἢ ἐξ ἀπάτης συναινέσαι εἰς τὸ καταδικάσαι τὸν ἁγιώτατον Φλαβιανὸν τὸν ἐπίσκοπον, ἢ ἀνθιστάμενον κατέχειν, ἵνα μοι μὴ γένοιτο μήτε τοῦ ἐκδραμεῖν πρὸς τὴν εὐσέβειαν τὴν ὑμετέραν καὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν, ἢ ἀναδραμεῖν εἰς τὴν Ῥώμης ἐκκλησίαν παρασχεθείη ἄδεια.

lim, dicere non debeo, quoniam manifesta necessitas erat, quae me litteras beatissimi papae ad vestram clementiam directas offerre compelleret, ut pariter et vestrae pietati ac invictissimo et christianissimo principi officium quod debebam venerationis exsolverem. Sed huic congruo meo proposito illud impedimentum evenit, quod omnium bonorum inimicum est et Christianorum ingemiscit affectus, hoc est, Alexandrinus episcopus in damnatione virorum inculpabilium potentissimus. Nam posteaquam injustae ejus voluntati atque sententiae communicare non potui, ad aliud concilium[2]) terroribus atque insidiis me evocare conatus est: quatenus me, quod absit, aut seductionibus faceret consentire ad condemnandum sanctissimum Flavianum episcopum, aut resistentem teneret, ut mihi non esset licentia ad pietatem vestram Constantinopolim percurrere, aut ad Romanam ecclesiam remeare.

2. Ὅμως τεθάρρηκα, βοηθοῦντος τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἡμετέρου θεοῦ, ἀπὸ τῆς καταδίκης τοῦ εὐλαβεστάτου καὶ ὁσίου ἀνδρὸς ἀθῶόν με καὶ ἀκέραιον φυλά-

2. Verumtamen confidens de[3]) auxilio Christi nostri Dei, a damnatione reverentissimi et sanctissimi viri innocentem me integrumque servavi; licet nulla

---

[2]) d[1] *consilium*, quod contextus flagitare videtur, sed nec codex ullus nec Graecus interpres habet.

[3]) Ita d[2] secundum exemplaria collectionis Calchedonensis, Venet. 79 et textum Graecum, nisi quod Vat. 4166 et Venet. 79 omittunt *Christi nostri*. d[1] *de auxilio Christi, quod attinet ad damnationem reverendissimi* etc.

Digitized by Google

ξαι· εἰ καὶ ὅτι οὐδὲ μία μάστιξ οὐδὲ βάσανος ἠδύνατό με τῇ ἀδίκῳ αὐτῶν ἀποφάσει ποιεῖν συναινέσαι, ἀλλὰ πάντων καταλειφθέντων ἐκεῖθεν ἀνεχώρουν, διὰ ἀγνώστων καὶ ἀνοδεύτων τόπων εἰς τὴν Ῥώμην ἀπῆλθον, τῷ εὐλαβεστάτῳ Πάπᾳ πάντων τῶν ἐν Ἐφέσῳ πεπραγμένων [1]ἱκανῶς μεμήνυται. Ὃν ἡ ὑμετέρα προσκυνητὴ φιλανθρωπία μανθανέτω, μετὰ πάσης τῆς δυτικῆς (συνόδου) ἀποδοκιμάσαι πάντα τὰ ἐν Ἐφέσῳ κατὰ τῶν κανόνων διὰ θορύβου καὶ μίσους βιωτικοῦ ἀπὸ Διοσκόρου τοῦ ἐπισκόπου γενόμενα, καὶ μηδενὶ λόγῳ ταῦτα ὑποδεχθῆναι δύνασθαι ἀπὸ τῶν μερῶν τούτων, ἅπερ κατὰ δυναστείαν τοῦ προειρημένου, οὐκ ἄνευ βλάβης τῆς πίστεως, εἰς πρόκριμα τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς καὶ ἀθῴου [2]ἐπλημμέλησε. Καὶ ἅπερ τῇ σταθερᾷ καὶ ἰσχυρᾷ αὐθεντίᾳ ὑπὲρ τῆς πίστεως σχεδὸν ἀπ' ἐμοῦ μεμήνυται, περιττὸν ἡγοῦμαι λέγειν· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν γραμμάτων τοῦ εὐλαβεστάτου Πάπα μαθήσεσθε. Ὅθεν δέσποινα ἐπιφανεστάτη καὶ φιλανθρωποτάτη Αὐγούστα, ἡ προσκυνητή σου εὐσέβεια, ἥ τις καὶ τὴν ἀρχὴν λαβόντα καταλιμπάνειν οὐκ ὀφείλει, τοῦ εὐλαβοῦς τῆς ἀκεραίου πίστεως ζήλῳ μονίμῳ διανοίᾳ συνταξάτω.

flagella, nulla tormenta me possent facere ejus consentire sententiae, sed omnibus derelictis exinde discessi, per incognita et invia loca Romam veniens, et[4]) reverentissimo papae omnium, quae in Epheso gesta sunt, idoneus nuntiator exsistens. Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, a praefato papa cum omni Occidentali concilio reprobata[5]) omnia, quae in Epheso contra canones per tumultus et odia saecularia a Dioscoro episcopo gesta sunt, et nulla ratione haec in his partibus suscipi posse, quae per potentiam praedicti non sine laesione fidei et praejudicio sanctissimi viri innoxiique commissa sunt. Quae vero constanti ac forti auctoritate pro fide a me nuntiata sunt, superfluum credo narrare; nam haec ex litteris beatissimi papae poteritis agnoscere. Unde Domina[6]) splendidissima atque clementissima Augusta, adoranda vestra pietas in quibus libenter fecit initium, relinquere non debet, sed haec zelo religioso fidei constanti voluntate servare[7]). a. 449.

[1] f. ἱκανὸς μηνυτής.

[2] f. ἐπλημμελήθη.

---

[4]) Ita d^2 sec. codd. suos, nisi quod Veron. 57 *relator* (pro *nuntiator*). Vulgati *at reverendissimo ..... nuntiator existerem.*

[5]) Ita d^2 sec. codd., editi *reprobari*. Concinit etiam Graecus textus, ex quo hic locus reddendus esset: *Quem* (cf. papam) *vestra veneranda clementia sciat cum omni Occidentali synodo reprobasse omnia.*

[6]) Verba *Domina splendidissima atque clementissima Augusta* Graecorum propria ex Graeco dimanarunt.

[7]) Veron. 57 *servate.*

Digitized by Google

Epistola 2.

a. 455 v. 456

Hilari urbis Romae archidiaconi ad Victorium.

Latinis et Graecis de Paschatis computatione inter se dissentientibus Hilarus Victorium adit, ut ejus dissensionis et origines inquirat et ad eam removendam aptas rationes proferat. p. 1.

Dilectissimo et honorabili sancto fratri Victorio Hilarus archidiaconus urbis Romae.

1. Quum pleraque de ratione paschali tam de Graeco translata quam a Latinis condita recenserem, discrepare inter se utrorumque sententias atque sibi invicem resultare perspexi: ut neutra pars, dum impugnatur ab altera, putetur evidenter adstruere hujus observantiae disciplinam. Quo fit, ut quum institutio Latina vel Graeca eruditioni domesticae magis favere contendit, praecipuo muneri[1]) peragendo inter eorum dissensiones tempus saepe non congruat.

2. Quapropter, dilectissime frater, tanta[2]) rerum ambiguitate permotus tuae dilectionis studio fidenter injungo, ut per otium diligenter inquiras, vel unde supradicta diversitas oriatur, vel qua potissimum ratione veritas indagetur: ut deinceps dissonae opinionis errore sublato idem semper tenere possit universitas, quatenus cuncti in commune fideles a dubiis omnibus expediti in summi celebritate mysterii inoffenso devotionis tramite dirigantur. Ora pro nobis, dilectissime frater.

Epistola 3.

a. 457.

Victorii ad Hilarum urbis Romae archidiaconum.

Hilari de computatione diei paschalis postulatis satisfacit. p. 1.

Domino vere sancto ac venerabili in Christo fratri Hilaro archidiacono Victorius.

1. Utinam praeceptis tuis, archidiacone venerabilis Hilare, tam effectu valeam parere quam voto! Est enim et hoc opus arduum, et meae intelligentiae facultas exigua. Ego autem, quod ad me attinet, etiamsi delegatae materiae superer quantitate, satis habeo, jussioni tuae possibilitatis meae obedientiam non defuisse, quae tametsi ministerium minime impleret injunctum, certe debitum persolveret obsequium. Teque deprecor, ut si quidpiam secus quam voluisti provenerit, imbecillitatem meam atque opus impositum aequo jure perpendens, imperfecti laborem negotii officio malis aestimare quam merito. Maximum enim indicium meae erga te reverentiae est, imperiis tuis amplius me impendere voluisse, quam possim.

[1]) i. e. festivitati paschali.

[2]) Alii *tantarum*. Buch.

Digitized by Google

Quod si dignum aliquid tua lectione confecero, id erit profecto divini a. 457.
muneris, tum etiam benevolentiae tuae, cujus favor oblectans inertes quoque excitat ad profectum. Nec dubitabitur hujus fide perficiendum, cujus est adhortatione susceptum, quum mihi quoque fiducia sit, peragi posse quod praecipis, cui id tam confidenter injungis. Quis namque non intelligat, tuis orationibus jam praesumptum, quod etiam per me credis implendum? Neque enim temere delegasses, ubi non tam meae doctrinae industriam quam tuum judicium videres exposci.

2. Paschalis igitur festi cursum tuis potius orationibus quam meo fretus ingenio, quantum res permittit[1]), explorare contendens, datae ad me formam secutus epistolae, prius quae inter hujusmodi scriptores sit causa discordiae paucis expediam, ac deinde quid magis videatur congruere veritati, quantum valuero, Domino donante diligenter absolvam.

3. Discrepare inter se disputatores praecipuae festivitatis primum omnium necessitas illa compellit, quia paschales cycli, sive qui post LXXXIV seu qui post XCV annos vel etiam qui post CXII annorum spatia prorogati eodem, quo praeterierant, ordine in principium sui atque originem redire creduntur, in aliquibus quidem dierum sunt parilitate concordes sed in lunae varietate dissentiunt, ac rursus quum in lunari supputatione reperiuntur stabiles, dierum mobilitate[2]) confligunt. Neque solum alius alio est propria definitione dissimilis, verum etiam singuli quique eorum in semetipsis alternatione praedicta, lunari scilicet ac dierum, nunc varietate[3]) subsistunt nunc assertione deficiunt. Huc accedit, quod lunaris ipsa dinumeratio ita cunctorum est variata sententiis, ut quum isti verbi gratia eamdem Kalendis Januariis *primam* fuisse pronuntient, alii *trigesimam*, nonnulli *secundam* provenisse contendant. Tum deinde ii, qui cyclum annorum LXXXIV ediderunt, XII peractis annis lunam unam[4]), quam per idem tempus certis annua revolutione minutiis asserunt calculandi lege succrescere, adjiciendam legitimo cursui esse praecipiunt. Item sunt, qui hanc eamdem XV demum incipiente anno magis adnumerari definiunt[5]). Porro hi, qui post

---

[1]) Al. *sinit* Buch.

[2]) Al. *mutabilitate*. Per *dies* hic Victorius intelligit *ferias*. Buch.

[3]) Al. *veritate*, moxque *dimensio* (loco *dinumeratio*) Buch.

[4]) h. e. diem unam aetati lunae *per saltum* adjiciendam. Atque hoc quidem vetus *Romana supputatio* ab anno 298 usque ad annum 381 decurrens effecit, quae annos LXXXIV per septem duodecennia distribuit. Conf. van der Hagen Obs. in Prosp. chron. p. 270 ss., Ideler Handbuch der Chronologie II, 249, de Rossi Inscript. Christ. Proleg. pag. LXXXII ss.

[5]) Ita Prosper Aquitanus circa annum 430 *Romanam supputationem* emendavit, qui cyclum LXXXIV annorum in sex quatuordecim annorum laterculos divisit;

Digitized by Google

a. 457. CXII annos in id cyclum, unde ortus fuerat, reverti confirmant[6]), ea ipsa incrementa lunaria, quae superius memoravi, post annos XVI subnecti debere constituunt. Hi vero, qui annorum XCV cycli observantiam comprehendunt[7]), post XIX annos Aegyptiorum more continuato ordine, quod est verius, hoc augmentum lunarium subjiciunt.

4. Adcrescit praeterea etiam aliud erroris genus, dum in regulis primi mensis, quo Pascha dominicum celebrari statuunt, magna oritur utrisque dissensio. Latini namque a III Nonas Martii usque in IV[8]) Nonas Aprilis, diebus scilicet XXIX, observandum maxime[9]) censuerunt, ut quocunque eorum die luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium. Cujus luna decima quarta si feria sexta provenerit, sequens dominica, i. e. luna XVI, festivitati paschali sine ambiguo deputetur. Sin autem die sabbati plenilunium[10]) esse contigerit et consequenti dominico lunam XV reperiri, eadem hebdomada transmissa in alterum diem dominicum, i. e. lunam XXII, transferri debere Pascha dixerunt. Nec[11]) minus ejusdem dominicae resurrectionis peragendo mysterio destinarunt quam XVI, nec amplius quam XXII lunam aliquando recipiunt: eligentes potius in lunam XXII diem festi paschalis extendi, quam dominicam passionem ante lunam XIV ullatenus inchoari. Decimas quartas porro lunas mensis ejusdem a XV Kalendas Aprilis usque in XVII Kalendas Maji asserunt esse servandas. Sanctae memoriae contra Theophilus, quondam Alexandrinus antistes, ad Theodosium imperatorem
a. C. 380. datis epistolis ex primo ipsius et Gratiani quinto consulatu conditum paschale direxit. In quo annumerans ab VIII Idus Martii usque in diem Nonas Aprilis, quolibet medio ejusdem temporis spatio natam perhibet lunam facere primi mensis initium; a XII vero Kalendas Aprilis usque in XIV Kalendas Maji lunam XIV sollerter inquiri; etiamsi in diem incidat sabbatorum, post sequenti dominico luna XV

---

conf. van der Hagen l. c. p. 183 ss., Ideler l. c. II, 269 ss., Ballerinii Op. s. Leon. I, 602 et 1055, de Rossi l. c. p. XC.

[6]) Ita Hippolytus, ab anno 222 cyclum per septem sedecennia instituens, et emendatio ejus ab anno 243 sub nomine Caecilii Cypriani commendata; conf. de Rossi l. c. p. LXXIX ss.

[7]) Hoc modo post Theophilum praesertim Cyrillus Alexandrinam supputationem cyclo conclusit; conf. van der Hagen Obs. in prologos paschales p. 1 ss., de cyclis paschalibus p. 42, Ideler l. c. II, 254 ss.

[8]) Bucherius *III Nonas*, Beda *IV Nonas*, quod est verius et mox sequenti *XVII Kal. Maji*, qui ultimus terminus plenilunio paschali ponitur, confirmatur.

[9]) h. e. pro ultimis utrinque terminis.

[10]) Hic observandum monet Bucherius, idem Victorio esse *plenilunium* ac *lunam XIV*. Idem usus auctori quaestionum ex utroque test. qu. 106 (s. Augustini Op. III p. 102).

[11]) Beda *ne minus .. destinarent .. reciperent*.

Digitized by Google

celebrandum Pascha sine dubitatione conscribit, hoc regulariter cau- a. 457.
teque custodiens, ne ante XII Kalendas Aprilis plenilunium, i. e. XIV lunam, huic definiendo sacramento patiatur apponi; neque hoc in primo mense sed in XII aestimat computandum.

5. Plerumque sane partis utriusque sententia in unum quidem sollemnitatis hujuscemodi diem concurrit et convenit, sed in lunae dinumeratione variatur, quumque eam Aegyptii XV lunam in diem Paschae verbi gratia numerant, nostri eamdem XVI vel XVII calculantur. Atque ita quum apud Aegyptios ad XXI lunam electio Paschae perducitur, a Latinis XXII vel etiam XXIII perhibetur. Fit itaque, ut Paschae diem, quam illa delegerit, ista pars respuat. Quod inde, sicut jam supra diximus, evenire certissimum est, quia tam in regulis temporum quam in dispensatione lunari pars altera non congruit. Neque mirum, si diversarum opinionum cycli sibi invicem oppositi atque collati non coeunt, quum in propria quisque institutione, quam praefinito tempore in idipsum redire et fideli creditur ratione decurrere, hac eadem revolutione nequaquam in omnibus doceatur definitionis propositae tenere constantiam. Quod etiam beatae memoriae Theophilus tacitus quodammodo indicavit, quum universis cyclorum limitibus circulisque despectis, qui etiam legitimi putabantur, laterculi sui formam huic operi destinatam ab omni necessitate praefinitae recursionis exutam absolute in centum annorum promulgavit aetatem. Quod aut nostris arbitratus est sufficere posse temporibus, aut curiosioris diligentiae laborem declinans scrutandum posteris negotium reliquit.

6. Has inter conflictiones diversa opinantium, eorum scilicet, qui regularem tramitem seriemque temporum atque lunae rationum, quibus oportet peragi paschale sacramentum, variis licet sententiis ingenti tamen studio condere stiloque explicare conati sunt, audax quidem videtur esse, hujusce rei quemquam profiteri veritatem, de qua tales tantique nutaverunt[12]). Verum quia apud Deum non est acceptio personarum, orationibus vestrae sanctitatis[13]) adjutus videre mihi videor, istius modi disciplinae secretum luculentius posse reserare, si ab ipsius mundi primordiis dierum institutiō ac lunae vel temporum ac deinceps hujus sollemnitatis initium requiratur, atque ita per digestum ordinem saeculorum quaestionis abstrusae explorētur integritas.

7. Recensitis igitur fidelibus historiis veterum, beati scilicet

---

[12]) Alii *dubitaverunt*.

[13]) Victorium archidiacono Romano sic loquentem haud mirabitur, qui recoluerit Theodoretum ad *archidiaconum Romae* ita scribentem: *in sanctitate tua* (*τὴν ὁρμίφιον ἁγιωσύνην*) *commodum habent portum et tranquillum ... Decet enim sanctitatem tuam* (*σοῦ τῇ ὁσιότητι*) *ad cetera egregia facinora sua hunc etiam zelum adjungere* (Theod. epist. 118 ed. Schulze tom IV, 1199).

Digitized by Google

a. 457. Eusebii Caesariensis Palaestinae civitatis episcopi, viri imprimis eruditissimi ac doctissimi, chronicis prologoque, ac perinde his, quae a sanctae memoriae Hieronymo iisdem chronicis sunt adjecta presbytero, per quem in latinum quoque probantur translata sermonem, hisque etiam, quae a sancto et venerabili viro Prospero[14]) usque ad
.C. 455. consulatum Valentiniani Augusti VIII et Anthemii constat fuisse suppleta, reperi a mundi principio usque ad diluvium duo millia et CCXLII annos, item a diluvio usque ad nativitatem Abrahae annos DCCCCXLII; natum autem Abraham XLII[15]) anno regnante jam Nino, eadem monumenta testantur. A cujus etiam tempore gestarum rerum publici scriptores apud barbaros esse coeperunt. Quapropter vir venerabilis praedictus Eusebius chronicorum abhinc exorsus est historiam, volens industriae suae fidem mundanorum quoque annalium coaetaneo relatu perpendi et professae veritatis etiam gentilium litteras testes sciscitari, contentus praeterita saecula sacris voluminibus explicari, aetates tantum summatim retro generationum ex prologi textu patefaciens et operis plenitudine[16]) sub annorum recapitulatione pariter comprehendens. Cujus tenorem vir venerabilis Prosper secutus, iisdem chronicis haec eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio. Porro
a. C. 378. ab Abraham usque in sextum Valentis consulatum et Valentiniani secundum duo millia CCCXCV, ac deinde ab Ausonio Olybrioque consulibus, qui sequuntur, usque ad VIII Valentiniani Augusti con-
a. C. 455. sulatum et Anthemii LXXVII[17]), et simul omnes a mundi origine
a. C. 457. usque ad Constantinum et Rufum praesentes consules quinque millia DCLVIII anni referuntur. Quibus ob veritatem certius indagandam bissextos etiam copulavi, quo manifestius appareret, utrum sibi vel bissextorum ratio vel dierum tam Kalendarum Januariarum quam VIII Kalendarum Aprilium, quo mundus traditur institutus[18]), continuata disputatione concineret.

---

[14]) Labbeus in breviario chronologico ad annum 455 probabile putat, Prosperum vel hoc ipso anno vel sequenti vivendi finem fecisse. Quem tamen, quum Victorius ista scriberet, id est anno 457, etiam in superis fuisse id indicio est, quod quum Hieronymum aut Theophilum nominans addat constanter *bonae memoriae*, de Prospero facta semel et iterum mentione simpliciter et sine hujusmodi addito loquatur. Norisius et Bucherius igitur mortem ejus anno 463, Frisius anno 465 ponunt, auctores hist. litt. Franc. II, 377 magis anno 463 favent.

[15]) Alii *XLIII*. Buch.

[16]) Alii *in operis plenitudinem*. Buch.

[17]) Quo scilicet anno Prosper, qui Victorii quasi fundamentum exstitit, chronicon suum finivit.

[18]) Antiquus auctor quaestionum ex utroque testamento primo quidem quaest. 55 pro certo ponit, mundum in aequinoctio verno fuisse conditum, ac deinde addit, Romanos *VIII Kalendas Aprilis* aequinoctium habere. At quaest. 106 docet, *fieri aequinoctium primi temporis, quando Deus mundum creavit, qui dies*

Digitized by Google

8. Quibus undique versis congruentius restabat inquiri, si lunae a. 457.
dinumeratio, quae die quarta existentis mundi i. e. V Kalendas Aprilis plena, h. e. XIV, jubente[19]) creatore in inchoatione noctis exorta est, pari lege transactis praesentibusque temporibus consonaret. Quam tot saeculis computatam, et Kalendas[20]) Januarias III feria luna XXVIII, Kalendas Aprilis feria II luna XIV Con- a. C. 457.
stantino et Rufo consulibus perseveranti ratione provenisse, compertum est juxta Aegyptiam disciplinam: qua evidentissime deprehensum est, quod XIX annorum porrecta curriculis, in semetipsa semper iisdem vestigiis se revolvens, annum, quem vigesimum inchoat[21]), hunc eumdem metiatur et primum. Quum itaque nihil resedisset ambigui, diebus lunis atque bissextis inde a constitutione mundana in nostram usque progeniem mirabili decursione concordibus, necessarium fuit, propter[22]) quam maxime huic inquisitioni secundum venerationis tuae mandatum mea desudabat intentio, ut instituta paschalia perscrutarer vel illius temporis, quo praeceptione divina per Moysen a filiis Israel agnus est immolatus in Aegypto, vel illius praecipue, quo pro redemptione nostra atque salute ille verus agnus, cujus figura praecesserat, *pascha nostrum immolatus est Christus.* Exod. 12, 1 ss. 1 Cor. 5, 7.

9. Rursusque omnibus annis temporibus diebus ac luna maxime, quae juxta Hebraeos menses facit, rite decursis, a mundi principio secundum praedictae historiae fidem usque in diem, quo filii Israel paschale mysterium coelesti initiavere mandato et ab Aegyptia clade agni occisione salvati sunt, bissextorum pariter necessitate decursa[23]), quantum fida supputatio vestigavit, anni tria millia DCLXXXIX quinta feria, IX[24]) Kalendas Aprilis, luna XIII, incipiente jam vespera, docentur impleti. Cujus sequenti die, tertio millesimo scilicet anno ac sexcentesimo nonagesimo procedente, mense primo sexta feria VIII Kalendas Aprilis luna XIV noctis initio, Hebraeos claruit agni sacrificium peregisse. Pascha quippe, sicut omni modo traditione cognoscitur, anni principio non fine celebra-

---

intelligendus est esse XI Kalendas Aprilis ..., ut ab XI Kalendas Aprilis initium esset primi mensis (s. Aug. Op. stud. monach. s. Bened. ed. III Venet. tom. XVI, 386 et 479).

[19]) In principio etenim facta luna fuit decima quarta, quia *omnia plena sunt facta*, inquit vetus auctor quaestionum ex utroque testamento qu. 106 (l. c. tom. XVI, 479).

[20]) Bucherius haec ita disponit: *Kal. Janu. III. Feria, Luna XX. et VIII. Kal. Aprilis, Feria II. Luna XIV*

[21]) Alii *inchoarat.* Buch.

[22]) Quae hic videntur subobscura, plana fient hoc verborum ordine: *secundum mandatum venerationis tuae, propter quam maxime huic inquisitioni mea desudabat intentio.*

[23]) Alii *discussa.* Buch.

[24]) Alii *VIII Kalendas* male. Buch.

Digitized by Google

a. 457. tur. Passum autem dominum nostrum Jesum Christum peractis quinque millibus ducentis viginti octo annis ab ortu mundi eadem chronicorum relatione monstratur. Quod gestum inchoante vigesimo nono anno non potest dubitari; siquidem VIII Kalendas Aprilis primo mense luna XIV vespere procedente, sicut ab initio creaturae quarta die facta est, coepisse doceatur, adjunctisque bissextis ad summam quinque millium ducentorum viginti octo annorum, sequenti vigesimo nono anno quinta feria docet se traditione praeventum. Primo vero azymorum die dominus Jesus Christus coenans cum discipulis suis, postquam sui corporis et sanguinis sacramenta patefecit, ad montem Oliveti, sicut evangelia sancta testantur, progressus ibique detentus est a Judaeis tradente discipulo. Dehinc sexta feria subsequente, id est VII[25]) Kalendas Aprilis, crucifixus est et sepultus, tertia die hoc est V Kalendas Aprilis dominica surrexit a mortuis.

10. Quapropter omnibus fixo limite consonis necessarium erat, propter paschalis observantiae rationem dies et lunas a mundi ipsius describi principio, quo possint rerum cursus evidenter agnosci. Sed quia immensum opus majoris est otii, ne diutius praecepta differrem, breviarium ejus interim explicavi, quod tamen ex ipsius plenitudinis observatione descendat: ex tempore dominicae passionis, diebus Ka-
a. C. 29. lendarum Januariarum et nominibus consulum a duobus Geminis,
a. C. 457. Rufo[26]) scilicet et Rubellio, usque ad consulatum Constantini et Rufi diligenti annotatione collectis, per CCCCXXX annos cum lunis atque temporibus, ac deinceps sine consulibus per annos CII futuros, ut DXXXII annis omnis summa consistat, patefacere properavi. Quae summa ita cunctarum, quibus excepta est, seriem regularum sua revolutione complectitur, ut eodem tramite et in id, unde est orta, revocetur et ad finem pristinum de novo circumacta perveniat. Aderit autem misericordia Domini, ut consummatam potioris negotii veritatem, quam superius jam promisi, praemissa saeculorum omnium ratione, qua sacra festivitas absque scrupulo celebranda pandatur, non magis sensibus intimatam quam praesentatam vestris adspectibus aestimetis.

---

[25]) Eumdem diem pro passione Domini etiam Lactantius inst. div. IV, 10 (in quibusdam mss. autem *ante diem X Kal. April.*) refert. Communis fere aliorum Occidentalium sententia huic VIII Kalendas Apriles assignabat. Conferantur Tertullianus adv. Judaeos c. 8, Augustinus de civ. dei XVIII, 54, de Trinit. IV, 5, catalogus Liberianus pontificum init. (apud Migne Patr. lat. tom. CXXVII, 119), vetus tabula paschalis a. 447 (ap de Rossi l. c. p. LIX), Epiphanius adv. haer. L. § 1 (secundum *acta Pilati*), dialogus quaestionum LXV qu. 26 in s. Aug. Op. ed. cit. tom. XVII, 1556. Orientalis ecclesia magis *X Kalendas Apriles* praetulit.

[26]) In paschali Victorii canone apud Bucherium *Rufino;* apud alios auctores (Tert. l. c., Sulp. Sev. hist. sacr. II, 27) idem *Fusius* vel *Fufius Geminus* dicitur, et est annus aerae Dionysianae XXIX p. C.

Digitized by Google

11. Illud praeterea insinuare non distuli propter diversorum a. 457.
paschalium conditores, ubi in hoc eodem cyclo dies Paschae geminata designatione positus invenitur, id est, ubi luna XV et dies dominica, et post VII dies XXII conscribitur, non meo judicio aliquid definitum, sed pro ecclesiarum pace apostolici pontificis electioni servatum: quatenus nec ego quod ad meum pertinebat officium praeterirem, et in ejus constitueretur arbitrio, qui universali Ecclesiae praesideret, quaenam potissimum dies in tali conditione sollemnitati praecipuae deputetur. Nam ceteris, quae a latere similiter adjecta sunt, non firmatur auctoritas sed varia significatur opinio.

12. Quum ergo contigerit lunam XXVII sabbato vel maxime die Kalendarum Januariarum provenire absque bissexto, noverit sanctitas vestra, Pascha[27]) nisi aut XIII Kalendas Aprilis secundum Latinos (quod nunquam celebratum, etiamsi luna conveniat, penitus invenitur), aut VIII Kalendas Maji secundum Aegyptios, quod aliquoties observatum est, reperiri non posse.

Epistola 4.

Hilari papae ad Leontium episcopum Arelatensem.

a. 462 d. 25 Jan.

p 3 *Pontificatus sui primordia ei indicat, per ipsum in omnium episcoporum Galliae notitiam ferenda.*

Dilectissimo fratri Leontio[1]) Hilarus papa.

1. Quantum reverentiae in spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat sacerdotes, beato Petro apostolo et sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est. Quos quum volumus de nostrae ordinationis primordiis gratulari, opera quae in[2]) nos divinae pietatis di-

---

[27]) Beda de rat. temp. c. 49 legit: *quod Pascha XIII Kalendas Apriles secundum Latinos haud unquam celebrandum, etiamsi luna conveniat, penitus invenitur, aut VIII Kalendas Majas secundum Aegyptios, quod aliquoties observandum est, repertri non posse;* atque ex hac lectione occasionem arripit Victorii systema vehementer improbandi.

[1]) Hic Leontius quo anno Arelatensis ecclesiae regimen susceperit, deinde cum Ravennio an Augustali immediate successerit, controvertitur. Augustalem, cujus nomen in antiquis ejus ecclesiae diptychis desideratur, quidam admittunt ex eo, quod dies natalis ejus Arelate notetur in martyrologio Bedae; hanc autem rationem Pagius ad ann. 462 n. 1 convellit. — Leontius non solum Hilaro papae carissimus fuit, sicut sequentes epistolae declarabunt, nec tantum Sidonio Apollinari, ut ex istius epist. VI, 3 deprehenditur, verum etiam Faustum Regiensem amicissimum habuit, qui ejus hortatu et consilio libros de libero arbitrio scripsit, in quibus ab Ecclesiae doctrina longe aberrat. Hinc editores Galliae christianae se facile adduci testantur, ut credant, Leontium erroribus Massiliensium consensisse.

[2]) *α β in nobis divinae pietas dignationis.*

Digitized by Google

a. 462. gnatio ostendit, sanctitati tuae duximus indicanda: ut ipse primum pro eo, quem nobis invicem semper impendimus, praestante Domino laeteris affectu; deinde ut dispositione tuae fraternitatis omnibus per universam provinciam fratribus et consacerdotibus innotescat, quod humilitatem meam dextera Domini visitare dignata sit, et mihi apostolicae sedis regimen non pro merito sed pro suae gratiae abundantissima largitate commiserit.

2. Proinde, frater carissime, quod sanctitati tuae praesenti sermone patefecimus, in[3]) omnium fratrum, quemadmodum diximus, notitiam perferre dignaberis, ut supplicaturi Domino nostro Jesu Christo, sicut exsultationis gaudia ita profutura universali Ecclesiae orationum suarum nobis vota conjungant. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VIII[4]) Calendas Februarias domino Severo Augusto consule.

Epistola 5.

a. 462. **Leontii episcopi Arelatensis ad Hilarum papam.**

Hilaro de suscepto pontificatu gratulatur et jura suae ecclesiae recommendat. p. 3.

spurious? see Hist. Lect. 153 (1916) 412

1. Quod Leonem sanctissimum praedecessorem tuum mors abstulerit contra haereses invigilantem et lolium in agro Domini heu nimis fruticans eradicantem, dolemus; quod de tua sanctitate reparaverit, gratulamur. Nam gaudet filius de honore matris, et quum ecclesia Romana sit omnium mater, fuit nobis gaudendum, quod in tanta consternatione rerum et infirmitate saeculorum
Psalm. 66,5. super eam te erexerit, ut *judices populos in aequitate et gentes in terra dirigas.* Unde quum nobis nuntius ille per Concordium ecclesiae nostrae diaconum, qui tunc praesens erat quum sanctitas tua ad id honoris fastigatum culmen evecta est, relatus est, gratias Deo nostro reddidimus, et te decrevimus quam primum hac humilitatis nostrae epistola salutare: ut et sic affectus, qui inter tuam sanctitatem et nos jamdiu coaluit, in Domino corroboraretur et de cetero augeatur cum debita reverentia, qua decet filios patrem prosequi.

2. Benedictus itaque qui venit in nomine Domini! Jam fortiter sanctitati tuae insudandum et anhelandum est, ut quod sanctissimus Leo papa incepit, ad terminabilem perducas limitem, et cum
Jud. 7,20. exercitu Gedeonis per tubas in ore fortium concrepantes et per lampades in robusta manu agitatas et ventilatas maledictos muros
Jos. 6,20. Jericho jam toties anathematizatos et quassatos sanctitas tua faciat prosternere.

---

[3]) *αβ in omnium notitiam quemadmodum diximus perferre.* L[3] *in omnium nostrorum* (b *nostrum*, c[5] *fratrum*) *quemadmodum diximus notitiam perferre* (c[5] *deferre*).

[4]) Ita βc[5] seqq. In α nota chronica desideratur, L[2]L[4]b *III Kalend. Februar. Domino Severo Aug. cons.*

Digitized by Google

3. Ceterum quum ecclesia nostra Arelatensis semper ab apo- a. 462.
stolica sede amplis favoribus et privilegiis fuerit decorata, rogamus sanctitatem tuam, ut per eam nihil nobis decedat, sed potius augeatur: ut et collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus, et invidorum conatus[1]) infringere; quos, si non esset auctoritas reprimens, certum est de die in diem grassaturos in pejus, quia malitia, qua[2]) nos oderunt, ascendit semper. Data Cal. ... Severo Augusto consule.

Epistola 6.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem. (a. 462.)

3. *Respondet Leontio ad proximas litteras, quas scripserat, quum praecedentes Hilari nondum acceperat.*

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa[1]).

1. Dilectioni meae, quae[2]) circa ecclesias Gallicanas omnesque in eis Domini sacerdotes etiam in inferiori gradu positos abundat, multum accedit augmenti, quod per virum[3]) spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia. Ex quo tamen conjicio, paginam meam, quam dudum de episcopatus mei primordiis misi, necdum traditam tibi fuisse, quum scriberes: de qua utique non siluisses, nisi perlatorem aliqua causa tardasset. Unde quod et consuetudo poscebat[4]) et caritas, jampridem me executum fuisse significo, et hoc ipsis litterarum exemplaribus, quae direxi, plenius nosse vos cupio: ut officio fraterno in nullo intelligatis fuisse me desidem, et ita vicissim frequentandis studeamus alloquiis, ut vicem nobis communis praesentiae scribendi cura compenset, frater carissime.

2. Affectus[5]) itaque communis tui gratiam perire non passus es,

---

[1]) Inter eorum numerum, qui etiamtunc ecclesiae Arelatensis privilegia aegre ferebant, prae omnibus episcopus Viennensis erat; cf. infra epist. 10 et 11.

[2]) c^{11} *qui*, suppleto ad marg. *eorum*, moxque ex ms. nota chronica obliterata *Cal... Severo Aug. cons.* expiscatus est.

[1]) Hac epistola Hilarus proximae rescribit, quare non multo post data est.

[2]) Ita α^1 α^2 α^3 L^4 b c^5 c^{11}. At a^3 ex α aliam laudat lectionem *„concinniorem et veriorem“*, quam ipsam invenire non potui.

[3]) α^1 b *verum et exspectabilem*, α^2 *verum exspectabilem*.

[4]) Ex Hilari epistola 4 ostenditur, id moris fuisse Romanis pontificibus, ut de ordinatione sua primarios regionum episcopos certiores facerent, qui eam subinde ceteris significarent; cf. s. Cyprian. in Corn. epist. 2 n. 3.

[5]) α^1 α^2 α^3 L^4 b *acceptis itaque communis tui gratiam perire non passus es et quod eis sollicitudine*. c^5 *affectus itaque tui ... ei sollicitudini*, c^{11} *affectus itaque communis*, hocque suadent illa superioris epist. 5: *ut et sic affectus, qui inter tuam sanctitatem et nos jamdiu coaluit, in Domino corroboraretur*.

Digitized by Google

a. 462. quod ei sollicitudini intentum te esse cognosco, ut custodiendis paternorum canonum regulis studere me cupias. Quo desiderio nihil concipi salubrius potest, quam ut in una Ecclesia, cui oportet nec Eph. 5,27. maculae aliquid inesse nec rugae, una sit in omnibus observantia[6]) disciplinae. Cui si aliquid eruditionis aut correctionis[7]) addendum est, rectissime per vestram diligentiam consuletur, si quemadmodum es dignatus scribere, tam instructa ad nos fuerit persona directa, quae inquisitionem nostram plene ex omnibus possit instruere. Spondeo[8]) enim, quantum gratia Dei donat ut spondeam, hoc me ad universalem sacerdotum Domini concordiam provisurum, ut omnes non sua audeant quaerere, sed quae sunt Christi studeant obtinere. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

Epistola 7.

a. 462 d. 3 Nov.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem.

Monet, ut relationem de Herme mittat. p. 3.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa.

1. Miramur fraternitatem tuam ita legis catholicae immemorem esse, ut quaeque[1]) iniqua et contra patrum nostrorum statuta in provincia, quae ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere. Siquidem quod et rumore cognovimus, et quantum diligenter a diacono Johanne, qui a magnifico viro filio nostro Fritherico[2]) litteris suis nobis insinuatus est, requisivimus, quod iniquissima usurpatione quidam Hermes[3]) episcopatum civitatis Narbonensis exsecrabili temeritate praesumpserit. Quam rem decuerat sanctitatem tuam ut nobis in vestigio indicaret.

2. Qua de re, frater carissime, monemus, ut si fides adhibetur assertis, seposita excusatione ad nos tam tuae dilectionis quam fratrum nostrorum, aut per portitorem litterarum aut per quem ipsi elegeritis, subscriptam manuum vestrarum relationem transmittatis: ut quod definire possimus, recurrenti pagina possitis agnoscere. Deus

---

[6]) Ita mss.; c^5 seqq. *observatio.*

[7]) Ita L^3 L^4 α^3; alii *correptionis.*

[8]) L^3 L^4 b *expondeo ... expondeam,* ex prava dictantis pronuntiatione.

[1]) α L^3 *ut quae iniqua,* moxque L^3 *pertinuit.* Hic notandus vocis *monarchiae* usus ad significandum regimen ecclesiasticum. Quam eodem sensu usurpavit Gregorius Turonensis de vitis patrum c. 1 n. 2, ubi Lupicinum super monasteria *monarchiam* obtinuisse narrat. Ita et in vita s. Romani abbatis Jurensis decessor Leontii Hilarius carpitur ut *indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam.*

[2]) editi *Friderico,* mss. *Fritherico* aut *Frittherico.*

[3]) Idem videtur is Hermes Biterrensis, qui archidiaconus Rustici Narbonensis in Leon. epist. 167 n. 1 memoratur (c^{11}).

Digitized by Google

te incolumem custodiat, frater carissime. Data III Nonas Novembris [4]). a. 462.

Epistola 8.

Hilari papae ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. a. 462 d. 3 Dec.

p 3. I. Hermen Narbonensi ecclesiae praesidere ita permittit, ut ordinandorum episcoporum careat potestate.

II. Ut concilia quotannis fiant ex quibus provinciis poterunt, et a Leontio convocentur.

III. Ut sine metropolitani litteris episcopi in aliam provinciam non proficiscantur. Quod si eas impetrare non poterunt, causam discutiet episcopus Arelatensis.

IV. De parochiis ecclesiae Arelatensis, quas repetebat Leontius, judicium ad episcopos remittit.

V. Ut praedia ecclesiastica non alienentur, nisi apud concilium alienationis causa prius deceatur.

Dilectissimis fratribus episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae, et Alpinae [1]) Hilarus episcopus.

1. Quamquam notitiam dilectionis vestrae quanta vel qualia in Narbonensi ac Biterrensi ecclesia dudum sint admissa non lateant, et praesumptionis improbitas ad nos usque perveniens procul dubio regionibus manifesta sit Gallicanis, apostolicae tamen sollicitudinis interest, culpas in nostro deprehensas examine non tacere, ne per incongruum silentium cum iniqua agentibus habere videamur conniventiae portionem. Olim igitur urbium praesides praedictarum sanctae memoriae decessori meo non [2]) minus quam nobis etiamtunc attulerunt doloris, illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione leniri.

---

[4]) Consulis nomen ex sequenti epistola eodem data die supplendum est.

[1]) Ita L^3 a^3 c^{11}, cui consonat inscriptio sequ. epistolae 11. α^1 *Alpium Penninarum*, α^2 L^2 *Alpium Penarum* (α^3 *Poenarum*), unde L^4 b *Apenninarum;* c^5 seqq. *Alpium Poeninarum*, male. Nulla siquidem eo tempore provinciae *Alpium Poeninarum* in ordine ecclesiastico ratio habita est, cujus metropolis Tarantasia ex Leonis decreto Viennensi antistiti parebat. Quesnellus dissert. V in s. Leon. cap. 7 n. 4 legendum putat *Alpium maritimarum:* primo quia nulla sit ratione probabile, Hilarum, dum ad omnes fere Galliarum provincias scriberet, Alpium maritimarum provinciam octo constantem civitatibus omisisse; tum quia Hilarus infra epistola 10 cum ceteris episcopis, quibus epistolam suam inscribit, Ingenuum memorat Alpium maritimarum episcopum; postremo quia rursus epistola 11 earumdem provinciarum episcopis scribens generali duntaxat *Alpinae* nomine utitur. Ee ipsa Hilarus epistola 11 n. 1 iisdem episcopis, quibus nunc, se scribere ac *repetitis litteris eadem*, quae jam praescripserat, *observanda decernere* testatur. In antiquo tractatu anonymo veteris cod. Coisl. ita citatur hujus cap. 3: *Hilarus papa in decretis ad quinque provincias illud quoque* etc.

[2]) Nulla ejusmodi epistola jam superest.

Digitized by Google

a. 462. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum[3]) constat exemplis et qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis et ipsis repugnat canonum institutis, quum ideo se frater jam et coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi? Qui si vere hoc in se factum doleret et legitimo remedio subvenire propriae sciisset injuriae, vindictam magis debuit sperare perpessis quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdorum utatur animo, si imitetur exemplum, si ad haec, quae ecclesiasticae quietis contemplatione utcunque sopita sunt, oculis cordis intendat, et pro totius Ecclesiae pace vel fide quae sunt multipliciter rata[4]), consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat et erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim et jamdiu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, quum anteactae vitae ipsius cursum et retro omne propositum[5]) nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius quam fecisse aestimamus excessus.

2. De quibus praesidente fratrum numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in[6]) honorem beati Petri

---

[3]) L^3 α^1 *factis*, quod retinens Baronius cum praecedenti verbo *probatis* copulat. Deinde α^1 *canonum constitutis*. Si quaeritur exemplum episcopi, qui uni ecclesiae ordinatus ab eaque rejectus postmodum praefectus alteri fuit, non unum sane praecesserat. Nota sunt eademque insignia Perigenis et Procli exempla, ut alia omittam, plerorumque episcoporum, quorum translationes Socrates VII, 36 recenset, quosque conjectat Tillemontius ideo sedes mutasse suas, quod episcopis sibi subrogatis cedere coacti sint. Id vero tum maxime accidisse censet, quum communionem suam Innocentius ea conditione Attico restituit, ut in sacras tabulas Johannis nomen referretur. Tunc enim ut suae episcopis propter Johannem expulsis redditae ecclesiae, ita et illis, qui in eas irrepserant, quaerendae aliae fuerunt. Propterea sane Hermen Hilarus in Narbonensi ecclesia reliquit, nec tamen sine idonea correptione ac poena, ne quis daretur locus perfringendi tot constituta et toties repetita decreta, quibus avaritiae et licentiae frena injicere patres conati sunt; cf. Nic. c. 15, Antioch. c. 21, Sardic. c. 1 et 2. Praeterea nec culpa vacare Hermen docet, qui hanc sibi illatam injuriam expostulare cum Biterrensibus neglexerat, quum liceret.

[4]) c^5 c^7 c^{10} *errata*, renitentibus mss. Sed et sententia Hilari *rata* postulat h. e. constituta, quae quidem ideo in memoriam revocat, ut vel inde Hermen egisse vel petiisse pudeat, quae tam sanctis decretis adversentur.

[5]) Ita α^3 β c^5 ad marg.; L^4 b c^5 *retro antepositum*, L^3 c^{11} *retro ante propositum*. Sic Hilarus Hermen arguit, ut ipsum simul excuset.

[6]) Quo scilicet ordinatus est. Unde denuo firmantur, quae de sollemni episcoporum ad hunc diem concursu in Xysti III epistolam 5 Coustantius observavit. Quocirca nullum est dubium, quin numerosum concilium, de quo hic Hilarus loquitur, die XIX Novembris celebratum sit, licet haec epistola, qua illius decreta in Gallias mittit, die III Decembris consignetur. Ibi quippe non diem, quo decreta sancita sunt sed quo legatis Galliarum redeuntibus tradita, indi-

Digitized by Google

apostoli per Dei gratiam congregato, praesentibus[7]) fratribus et co- p. 462.
episcopis nostris Fausto et Auxanio, atque agentibus plurimis, quae vigorem respiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis est amore constitutum: ut in sententia, quam sub adversione[8]) utriusque legationis inde directae Christo Domino nostro inspirante protulimus, neque caritas evangelicae indulgentiae neque apostolicae virga defuerit disciplinae. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.

I.

3. Ei, qui nunc ecclesiae Narbonensi praesidere permittitur, ordinandorum[9]) episcoporum ob haec, quae prave facta sunt, sustulimus potestatem; quam ita ad fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Uceticae ecclesiae antistitem, quia aevo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum haec cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiae, quem[10]) non civitas

---

cari haud temere censeamus. Certe anno 465 anniversario Hilari ordinationis die concilium item est habitum, in quo tractata sunt Hispanorum Tarraconensis provinciae negotia; celebratum vero notatur XIII Kal. Decembris, quamvis litterae ex eodem ad illos missae (epist. 16) non nisi *III Kal. Januar.* datae legantur.

[7]) Ita α (α^3); alii vero *praesidentibus*, quod quidem eo posset sensu admitti, quo proxime dictum est *praesidente* (α^3 *praesedente*) *fratrum numeroso concilio.* Mox α^3 *agentibus plurima.* — Porro *Faustus* omnium consensu Regiensis episcopus erat. *Auxanium* alii Aquensem, alii Aptensem, ignotae demum sedis alii episcopum existimant. Conf. *„Gallia christiana"* in *ecclesia Aptensi* sub metrop. Aquensi Narbonensis secundae.

[8]) $\alpha\beta$ (rec. manu) *sub adsertione*, ceteri *sub adversione*, i. e. quasi sub oculis aut advertentibus Fausto et Auxanio quinque provinciarum nomine legatis. Hinc patet, cur Hilarus epistola 11 n. 2 episcopis earumdem provinciarum scribat, synodi hujus decreta *ab ipsis per Faustum et Auxanium definita esse.* Id enim definire censentur episcopi, quod per legatos eorum vice fungentes definitur.

[9]) Hanc potestatem, singulis metropolitanis a concilio Nicaeno et Innocentio I attributam, Zosimus episcopo Arelatensi in Viennensem et duas Narbonenses pertinere epistolis 1, 5 et 6 definierat. Quae tamen contrario Bonifacii decreto episcopo Narbonensi in primam Narbonensem restituta, et s. Leonis epistola 10 n. 5 singulis metropolitanis in provincias suas asserta est his verbis: *id statuentes, ut si quisquam fratrum nostrorum in quacunque provincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem illius provinciae metropolitanum esse constiterit.*

[10]) β ad marg. hanc antiqua manu adscriptam observationem habet: *Mirum, quomodo episcoporum ordinationem totiens superius interdictam Narbonensi nunc episcopo et prius U.* (leg. Uticensi) *permittat: quoniam per sancti Leonis decretum ob ecclesiarum scandalum singulis* (suppl. metropolitanis) *sua privilegia credebantur.* De quo conferantur, quae proxima nota 9 et a Constantio in Bonifacii epist 12 nota *f* observata. Porro Hilarus Narbonensis episcopi jus in Constantium ut provinciae seniorem transferens decessorem suum Leonem imitatur, qui pariter Hilarium Arelatensem judicans plectendum, quam ei potestatem abstulit, Leon-

Digitized by Google

a. 462. sed causa praesumptionis amisit. Unde vestrae fraternitatis in Domino sincera dilectio, sollicitudinem pastoralis curae in suis sedibus partita nobiscum, commissarum sibi ecclesiarum diligentiam vigilanter exerceat, et eorum taliter, quae in Narbonensi provincia emersere, meminerit, ut detestetur factum potius, quam sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut novimus non fuisse. Itaque, fratres carissimi, necessariis studiis est agendum, ne error, quem juvante Christo Domino nostro nuper abolevimus, aut in similes aut in novos unquam prodire possit excessus. Quod utique non aliter poterit praecaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exsequamur: in quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad ecclesiasticae observantiam disciplinae et quae secus facta fuerint corrigi, et sequenda constitui.

II.

4. Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari [11]), habeatur episcopale concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris et coepiscopi nostri Leontii, cui [12]) sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur: ut si quid usquam vel in ordinandis episcopis vel presbyteris aut cujuslibet loci

---

tio ut seniori episcopo demandavit (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9). Hocque modo quum metropolitanus exigente causa ab ordinatione episcoporum provinciae suae prohibetur, ad disciplinam reditur Afris usitatam, qua provinciae senior ut primas hoc munere fungebatur. Quod sane prudenti consilio est constitutum, ne metropolitanus hanc esse singularem suae sedis praerogativam sibi fingat idque suo sibi jure vindicet.

[11]) h. e., ut interpretatur Petrus de Marca de concord. sacerd. et imp. VI, 17, *episcoporum, qui a regibus sinerentur accedere ad synodos; nam eo tempore,* ut deinde observat, *reges Gothi possederunt utramque Aquitaniam et Novempopulaniam, utramque Narbonensem et provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses Viennenses et Vesuntiones, Franci vero reliquam Galliarum occupabant.* — Sed veri similius hoc ideo dictum videtur, quod provinciae Gallicanae barbarorum incursionibus patebant.

[12]) Zosimus papa epistola 1 id juris episcopo Arelatensi detulerat, ut causae intra Gallias emergentes ad ipsum deferrentur, haud dubie in concilio discutiendae ac definiendae, quum et ipsi pontifices Romani hoc modo causas ad se delatas expedirent. Eo ductus argumento s. Hilarius conciliorum ex pluribus provinciis cogendorum auctoritatem sibi competere pro certo habuit. Quam ei per s. Leonem ablatam et seniori episcopo datam (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9), Ravennio successori restitutam esse, duobus ex locis colligitur: primo quidem ex synodica episcoporum, quos Ravennius communicandae Leonis ad Flavianum epistolae causa coegerat (Leon. epist. 99); deinde ex convocatione concilii Arelatensis in causa Lirinensis insulae celebrati (Hard. coll. conc. II, 779 sq.). Non ergo primus omnium Hilarus id juris Arelatensi episcopo tribuit, ut opinatus doctissimus Petrus de Marca l. c. VI, 17 n. 10.

Digitized by Google

faciendis clericis contra praecepta apostolica reperitur admissum, a. 462.
aut in eorum conversatione quidpiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur in ea praecipue celebritate conventus[13]), quae praesidente Christo Domino nostro et veneranda sit sanctis et formidanda perversis. Nec cuiquam licebit a regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune praefixerit: quum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicii optari magis debeat quam timeri. In dirimendis sane gravioribus causis et quae illic non potuerint terminari, apostolicae sedis sententia consulatur.

III.

5. Illud etiam non possumus praeterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne praeter metropolitanorum suorum litteras aliqui[14]) ad quamlibet provinciam audeant proficisci: quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Quibus e contrario hac ratione prospicimus, ut si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus metropolitanis provinciarum, quae congruae sunt, Arelatensis episcopus cuncta discutiens, pro causae qualitate observanda constituat: nec in injuriam alterius alienum clericum suscipi praeter testimonium proprii anti-

---

[13]) Ita mss. (α^3 etc.). At L^4 b c^5 c^7 c^{10} *conveniatur*. Observandum hic, nihil prorsus ab Hilaro definiri de cujusque provinciae conciliis, ac nihil proinde decerni, quod adversetur aut certe minus conveniat concilii Nicaeni canoni 5, Calched. c. 19, Regiens. c. 8, Arausicani I c. 29, Leonis epist. 14 n. 7 similibusque decretis, quibus *per singulos annos in singulis provinciis concilium episcoporum bis fieri* praecipitur. Suspicio tamen est, hoc Hilari decretum locum posterioribus dedisse statutis, quibus provinciae cujuslibet concilium singulis annis *semel* habendum definitur: ex. gr. syn. Aurelian. II c. 2, III c. 1, IV c. 37, V c. 23, Turon. II c. 1, Cabilon. I in praef., Quinisext. c. 8, Tolet. IV c. 3, Emeritens. c. 7, Greg. M. epist. IX, 106, ut Hormisdam, qui hoc epist. 25 n. 5 permittit, aliosque missos faciam. Agathensis quidem synodus a. 506 habita hoc canone clauditur: *Synodum etiam secundum constituta patrum annis singulis placuit congregari.* Sed haec synodus ex diversis congregata provinciis de similibus synodis ibi loquitur. Unde ibidem gratias agit regi, cujus permissu convenisse se in prooemio dixerat, et orant episcopi, ut *haec eadem facere* (h. e. cum eodem permissu ex multis provinciis convenire) *per multos annos possint.*

[14]) Apud Hincmarum lib. 55 capit. c. 37 (Opp. II, 494) *aliqui episcopi.* Hujusmodi litteras quidem, quae formatae dici solent, non solos Gallicanos episcopos ab Arelatensi antistite accipere voluit Zosimus epist. 1 c. 1, sed et quoslibet clericos. Hilarus vero tunc tantum illum ea de re adiri constituit, quum litterae ejusmodi a proprio episcopo denegarentur. — Porro idem illud privilegium etiam in Hispanienses Symmachus papa epist. 16 Caesario tribuit. Jam pridem autem episcopi, quum ad urbem regiam vel ad comitatum imperatoris pergebant, a comprovincialibus et praecipue a metropolitano, Afri vero, quum mare trajiciebant, a primate seu metropolitano suo ejusmodi formatas accipere tenebantur (cf. syn. Antioch. c. 11, Carthag. III c. 28).

Digitized by Google

a. 462. stitis secundum canonum statuta praecipiet. Singuli autem fratres universique cognoscant, parendum esse praesentibus constitutis, quibus etiam commonitio nostra denuntiat, in eos Christi Domini nostri judicium minime defuturum, qui declinando superba rebellione conventus, conscientiae suae testimonio confutantur sacerdotalis innocentiae fiduciam non habere.

IV.

6. Praeterea ejusdem fratris libellus oblatus est nobis, quo perhibet paroecias Arelatensis ecclesiae praedecessore[15]) suo Hilario in alios, quod non licuit, fuisse translatas, petens illas pristino juri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis apostolici memores, fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam: ut in vestro conventu ea, quae a nobis sperata[16]) sunt, allegentur, et quae ecclesiasticis regulis congruunt, decernantur.

V.

7. Simul etiam super hoc universam fraternitatem volumus esse commonitam, ne praedia[17]), quae neque deserta neque damnosa sunt et ad ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri, aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data III[18]) Nonas Decembris, GL. P. Severo Augusto consule.

Epistola 9.

a. 463 d. 10. Oct.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem.

Ut in synodali conventu de ausu Mamerti episcopi Viennensis inquirat, qui invitis p. 3.
Deensibus episcopum consecrasse nuntiatus fuerat.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.

1. Qualiter contra sedis apostolicae veniens constituta, sacerdo-

---

[15]) Ita α (α[1]) L[3]; alii *a praedecessore*. Ac sane probabilius videtur, invito Hilario episcopo et Leonis indignationi obnoxio *paroecias* illas distractas, quam sponte *translatas in alios* (L[4] b *in aliis*) fuisse.

[16]) α *parata*, L[3] *spreta*, b *scripta*.

[17]) Haec a synodo Bellovacensi apud Ivonem p. III c. 232 citata. Conferantur etiam Leonis epist. 17 et Gelasii epist. 16, fragm. 24.

[18]) In L[3] tota omittitur nota chronica, in L[2] autem vox *Augusto*. Porro hae tres litterae *GLP* quid indicent, ex Leonis epistolis 159 et 163 colligitur, ubi in sincerioribus mss. eorum loco legitur *Leone et*, id quod etiam epistolae nostrae satis congruit. Siquidem anno 462 Leo Augustus cum Severo secundum gerebat consulatum. Aliquot praeterea mss. pro *GLP* habent *glorioso principe*.

Digitized by Google

talem modestiam Mamertus[1]) episcopus Viennensis excesserit, dile- a. 463.
ctionis tuae debuimus relatione cognoscere, ut ausibus[2]) talibus maturum et juxta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum judicium proferremus. Quantum enim filii nostri viri illustris magistri militum Gunduici[3]) sermone est indicatum, praedictus episcopus invitis Deensibus, et qui ad ecclesiarum ejus numerum, quas[4]) ei apostolicae sedis deputavit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minime pertinebant, hostili more ut dicitur occupans civitatem, episcopum consecrare praesumpsit.

2. In quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit, pronuntiare possemus[5]), nisi judicii, ut diximus, et moderatio nobis esset et ordo servandus. Atque ideo memor sollicitudinis, quam dilectioni tuae scis esse commissam, quidquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in conventu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi praesidente est congregandus, discutere quae sunt acta debebis, et praedictam[6]) rationem facti sui sub universo coetu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris[7]) nostrae intimare notitiae: ut quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VI Idus Octobris, Basilio viro clarissimo consule.

---

[1]) De Mamerto, quem Hilarus hic acriter percellit, longe diverso calamo Sidonius Apollinaris (epistol. VII, 1) et s. Avitus (orat. de rogationib. in Sirmondi Opp. II, 89 ss., Migne Patr. lat. LIX, 289 ss.) scripserunt. Strenuissimum siquidem ac piissimum pastorem eum exhibent dignumque praedicant, per quem Deus magna et mirabilia pro ecclesiarum aedificatione operatus sit (c^{11}).

[2]) α^1 α^3 *ausis talibus ... ecclesiasticum ordinem regularem.*

[3]) L^4 *Gunduicii*, alii *Gundiuci*. Rex Burgundionum is erat, qui Rheno circ. ann. 406 transmisso multa cum Romanis in Gallia et vario eventu proelia commisit, ac demum pactis conditionibus magistri militum honorem adeptus est. Quod ab Hilaro *filius* nominetur, signum est, eum fidei catholicae cultorem fuisse. Qua non multo post abdicata Burgundiones ad Arianos defecisse satis notum est

[4]) α b c^5 *quem*, alii (α^1) *quas*. Quatuor autem ecclesias, scil. Valentiae, Tarantasiae, Genavae et Gratianopolis, anno 450 Leo epist. 66 Viennensi episcopo attribuit.

[5]) Ita α^2; *possem* α^1; *possimus* editi.

[6]) Ita α^2; similiter α^3 *praedictum rationem;* α^1 L^4 *praedictum ratione.* Editi *a praedicto* scil. Mamerto.

[7]) L^3 b *litteras.*

Digitized by Google

Epistola 10.

a. 464 d. 25 Febr.

Hilari papae ad episcopos synodi in causa Mamerti congregatae,

seu

Praeceptum Hilari papae de ecclesia Deensi, ubi episcopus indebite a Viennensi episcopo ordinatus est.

I. Ut per Veranum episcopum moneatur Mamertus, ut ab ordinationibus indebitis p. 3.
ordinis sui et privilegiorum periculo in posterum abstineat.

II. Ut qui Deensibus a Mamerto consecratus est, Leontii Arelatensis episcopi, a quo consecrari debuit, arbitrio confirmetur.

Dilectissimis fratribus, Victuro, Ingenuo, Ydatio, Eustasio, Fontejo, Viventio, Eulalio, Verano[1]), Fausto, Auxanio, Proculo, Ausonio, Paulo, Memoriali, Coelestio, Projecto, Eutropio, Avitiano, Urso et Leontio Hilarus.

1. Sollicitis admodum nobis et ex his, quae proxima ad nos relatio certa[2]) detulerat, multa exspectatione suspensis, litterae dilectionis vestrae, fratre et coepiscopo nostro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpetem, deferente, sunt traditae, quae nos ipsis contextus sui contristavere principiis. Nam qui requiescere sollicitudinem nostram et magna ex parte relevari in his, quae a sanctae memoriae decessore meo de Viennensi episcopo praefixa sunt, credebamus, evidenti assertione cognovimus et non sine dolore miramur, definitiones illas a Mamerto episcopo nunc potuisse transcendi, per quas ecclesiae privilegium probarat acquiri: quum praecipue fratris et coepiscopi nostri Leontii moderatio formam continentiae praebere debuerit ambienti, aut si spiritu aemulationis inflatus eum, quod non oportuit, arbitratus est negligendum, decessoris[3]) sui saltem instructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cujus honore perfungitur, nec transgrediendo violaret, quod jam nunc, nisi patientiae moderamina teneremus, posset amittere.

2. Cui unquam profuit mens rebellis, aut quem superbiae non inclinavit elatio? Altior est humilitatis gratia, cui paupertate spi-
Matth. 5, 3. ritus ad praemium promissae beatitudinis iter regni coelestis aperitur. Nec perfunctorium praevaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis ecclesiasticis, quid uterque mereatur, agnoscit:
Psalm. 100, 7. quum alter secundum propheticam vocem in medio dominicae domus

[1]) Deest in L^3 L^4 b, in L^2 *Veranio*. Hunc Veranum Sirmondus Lugdunensem episcopum opinatur, Tillemontius Venciensem, Galliae christianae scriptores in *Eucherio Lugdunensi* utriusque sententiae momenta librantes neutram in partem declinant.

[2]) scil. *Gunduici* magistri militum opera.

[3]) Venerii nimirum, quem Leonis sententiae in epistola 66 prolatae assensum praebuisse hinc colligitur.

Digitized by Google

habitare prohibetur, alter respiciente[4]) se Domino semper junctus asseritur, cujus consolatione salvatur. Possent venerabilium veterum multa replicari, quae juxta veritatem dicta demonstrantur, sed ab eadem causa, quae se ut loqueremur ingessit, recentiora sunt exempla sumenda. Non[5]) dignitatem Viennensis ecclesiae Mamertus episcopus meminit Arelatensis antistitis quondam transgressione crevisse, et pro corrigendis, quae perperam gerebantur, inviolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium praecessoris reperiretur exutus? a. 464. Is. 65, 2.

3. Sicut ergo et vestrae dilectionis relatio et fratris et coepiscopi nostri Antonii insinuatio reseravit, claret, praedictum privilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus fratris et consacerdotis Leontii moderantia, Deensibus contra fas episcopum, etiamsi est meritus, non timuit consecrare. In quo factum ejus convenerat sic resolvi, ut juxta eorum, quae perpetrata sunt, qualitatem non sine jactura proprii ordinis[6]) etiam illum a sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem creavit indebite; quemque[7]) indignissime fecisse convincitur, correptum justa ultione sentiret, ne conceptae audaciae incastigata temeritas licentiae se peperisse putaret exemplum. Verum ad ecclesiarum quietem tantae transgressionis vulnera memores apostolicae sapientiae curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Praevia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinae ipsius et modus est quaerendus et qualitas: ut omnis per sapientiam facta in vitiis[8]) reprimendis sollicitudo curantis gaudeat reparatione, quod salvat, nec careat moderatione, quod resecat.

4. His igitur vestra fraternitas graviter prudenterque perpensis, alia[9]) apud nos dissimulari posse non aestimet, in quorum se maxime contumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit. Fratri

---

[4]) Sic α^1 c^7, nisi quod c^7 *deo*. L^4 *suspiciente se Dmno*, b *suscipiente*. Mox c^7 *conjunctione*. Hic alludere videtur Hilarus ad illum Isaiae 65, 2 locum secundum antiquam lectionem: *ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum?* (aut ad Psalm. 30, 8 vel Luc. 1, 47).

[5]) Ita mss. et b c^{11}; c^5 seqq. *Nam dignitatem*, omisso subinde *meminit*.

[6]) Quia nimirum, ut Leo epist. 104 n. 3 loquitur, *propria perdit qui indebita concupiscit*. Illegitime ordinatum gradu suo mulctant syn. Taurin. c. 3 et Zosimus in epistolis 6 n. 2, 7 n. 2 et 9 n. 1.

[7]) L^2 *quem neque dignissime*, moxque L^3 L^4 b *nec conceptae*.

[8]) L^2 *injuriis reprimendis*.

[9]) Ita b suffragantibus mss. (α^1 L^4). Alii *talia*.

Digitized by Google

a. 464. enim nostro Leontio nihil constituti a sanctae memoriae decessore meo juris potuit abrogari[10]), nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri: quia Christianorum quoque principum lege decretum est, ut quidquid ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius observantia disciplinae in auferendis confusionibus apostolicae sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciterque servari cum suis plebibus caritas vestra cognosceret; nec unquam possent convelli, quae et sacerdotali ecclesiastica praeceptione fulcirentur et regia. Unde, fratres carissimi, praesumptionem praedicti, quae in fratris et coepiscopi nostri Leontii processit injuriam, ita convenit tolerari dignae nunc interim ultionis immunem, ut si transgressor remediis abutitur satisfactionis et veniae, nec culpam praesentis excessus curandam futurae observantiae sedulitate promittit, redeunte querimonia eo privilegia Viennensis ecclesiae ad Arelatensem antistitem transferantur exemplo, quo migravere principio.

I.

5. Unde nostrae moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, ut praedictum ex nostra delegatione conveniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet, delinquentem[11]) fratrem de propriis excessibus increpare, quibus praeceptum constat frequenter ignoscere. Necesse est autem, si nullum correctionis ejus indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, qua[12]) definitionem sedis apostolicae periculo ordinis sui semper conservandam sine ulla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor civitates, quarum non fuit aut non fuerit Mamertus episcopus ordinatione contentus[13]), esse revocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si ullus unquam post eum, quem nunc caritate corripimus et ulterius ab illicitis confidimus abstinere, praesumptionis hujus imitator exstiterit.

Matth. 18, 22.

---

[10]) In uno ms. *abrogare — auferre.* In sequentibus Hilarus commemorare videtur Valentiniani novellam d. 8 Jul. a. 445 (inter Leonis epist. 11).

[11]) Hilari mentem si assequimur, docet delinquentis increpationem ex ignoscendi praecepto proficisci, quia increpatio adhiberi debet, ut reus indulgentia se dignum praebeat (c[11]).

[12]) L^3 L^4 b *quam definitione,* α^1 *quam definitionem.* Quod Mamerti correctionis indicium velit Hilarus, hic aperte declarat: ut nimirum definitionem suam de Viennensis dioecesis divisione Leonis judicio fultam religiosissime se sub ordinis et gradus sui periculo servaturum profiteatur. Id vero nunquam a Mamerto factum esse, ex eo Labatus concludit, quod Deensium ecclesia semper sub episcopo et metropoli Viennensi relicta, nulla hujus decreti ratio habita videatur.

[13]) In L^2 L^3 L^4 b deest *contentus.* Quatuor illas civitates ex Leonis epist. 66 jam supra ad epist. 9 not. 4 nominavimus.

Digitized by Google

II.

6. De hoc sane, qui licet indebite Deensibus cognoscitur ordi- a. 464.
natus, justitiae ratione censuimus, ut sacerdotium ejus fratris et coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari[14]). Deus vos costodiat, fratres carissimi, aevo longiore! Data sexto Calendas Martias post consulatum Basilii viri clarissimi consulis.

Epistola 11.

Hilari papae ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. (a. 464.)

p 3. *Ne quis suos terminos transcendat, et ut concilia quotannis sub Leontii Arelatensis praesidio celebrentur.*

Dilectissimis fratribus episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae, Alpinae Hilarus episcopus.

1. Etsi meminerimus fraternitatem vestram ea quae sunt a vobis[1]) statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quae scripsimus: ut scilicet pro disciplina ecclesiastica et pro causis, quas inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, synodalia quotannis concilia, quorum maxime in fratre et coepiscopo nostro Leontio Arelatensis ecclesiae sacerdote summam[2]) placuit esse, celebrentur, nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit; tamen repetitis litteris eadem nunc quoque observanda decernimus, praecipue quum gravissima Viennensis civitatis episcopus involvatur offensa, in injuriam fratris et coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cujus facto vindictae congruae sententiam differentes, relationi fratrum quae interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam tanti excessus majorem nobis sollicitudinis materiam detulerunt, haec ad universam caritatem etiam per fratrem et coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam fratrum in al-

---

[14]) Contra fas ordinatum non penitus a sacerdotio amovet, tum ut paternae moderationis exemplum praebeat, tum quia ille ipsomet Hilaro non diffitente (cf. n. 2) hunc gradum promeritus fuerat.

[1]) c^5 c^7 *a nobis*, melius b c^{11} cum mss. Hic et infra *a vobis*: non quod per se ea definierint sed per legatos suos Faustum et Auxanium, quos anno praeterito 462 Romanae synodo interfuisse ejusque decreta calculis suis approbasse supra vidimus (cf. epist. 8 n. 2).

[2]) Jam Leontii decessorem Ravennium quum in epistola 99 ad Leonem a 19 episcopis scripta tum in epist. 102, qua hic iisdem rescripsit, prae ceteris episcopis veluti synodi eorum praesidem nominari, supra observavimus.

Digitized by Google

a. 462. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum[3]) constat exemplis et qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis et ipsis repugnat canonum institutis, quum ideo se frater jam et coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi? Qui si vere hoc in se factum doleret et legitimo remedio subvenire propriae sciisset injuriae, vindictam magis debuit sperare perpessis quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdorum utatur animo, si imitetur exemplum, si ad haec, quae ecclesiasticae quietis contemplatione utcunque sopita sunt, oculis cordis intendat, et pro totius Ecclesiae pace vel fide quae sunt multipliciter rata[4]), consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat et erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim et jamdiu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, quum anteactae vitae ipsius cursum et retro omne propositum[5]) nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius quam fecisse aestimamus excessus.

2. De quibus praesidente fratrum numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in[6]) honorem beati Petri

---

[3]) L[3] α^1 *factis*, quod retinens Baronius cum praecedenti verbo *probatis* copulat. Deinde α^1 *canonum constitutis*. Si quaeritur exemplum episcopi, qui ui ecclesiae ordinatus ab eaque rejectus postmodum praefectus alteri fuit, non unum sane praecesserat. Nota sunt eademque insignia Perigenis et Procli exempla, ut alia omittam, plerorumque episcoporum, quorum translationes Socrates VII, 36 recenset, quosque conjectat Tillemontius ideo sedes mutasse suas, quod episcopis sibi subrogatis cedere coacti sint. Id vero tum maxime accidisse censet, quum communionem suam Innocentius ea conditione Attico restituit, ut in sacras tabulas Johannis nomen referretur. Tunc enim ut suae episcopis propter Johannem expulsis redditae ecclesiae, ita et illis, qui in eas irrepserant, quaerendae aliae fuerunt. Propterea sane Hermen Hilarus in Narbonensi ecclesia reliquit, nec tamen sine idonea correptione ac poena, ne quis daretur locus perfringendi tot constituta et toties repetita decreta, quibus avaritiae et licentiae frena injicere patres conati sunt; cf. Nic. c. 15, Antioch. c. 21, Sardic. c. 1 et 2. Praeterea nec culpa vacare Hermen docet, qui hanc sibi illatam injuriam expostulare cum Biterrensibus neglexerat, quum liceret.

[4]) c[5] c[7] c[10] *errata*, renitentibus mss. Sed et sententia Hilari *rata* postulat h. e. constituta, quae quidem ideo in memoriam revocat, ut vel inde Hermen egisse vel petiisse pudeat, quae tam sanctis decretis adversentur.

[5]) Ita α^3 β c[5] ad marg.; L[4] b c[5] *retro antepositum*, L[3] c[11] *retro ante propositum*. Sic Hilarus Hermen arguit, ut ipsum simul excuset.

[6]) Quo scilicet ordinatus est. Unde denuo firmantur, quae de sollemni episcoporum ad hunc diem concursu in Xysti III epistolam 5 Coustantius observavit. Quocirca nullum est dubium, quin numerosum concilium, de quo hic Hilarus loquitur, die XIX Novembris celebratum sit, licet haec epistola, qua illius decreta in Gallias mittit, die III Decembris consignetur. Ibi quippe non diem, quo decreta sancita sunt sed quo legatis Galliarum redeuntibus tradita, indi-

Digitized by Google

apostoli per Dei gratiam congregato, praesentibus[7]) fratribus et co- p. 462.
episcopis nostris Fausto et Auxanio, atque agentibus plurimis, quae vigorem respiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis est amore constitutum: ut in sententia, quam sub adversione[8]) utriusque legationis inde directae Christo Domino nostro inspirante protulimus, neque caritas evangelicae indulgentiae neque apostolicae virga defuerit disciplinae. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.

I.

3. Ei, qui nunc ecclesiae Narbonensi praesidere permittitur, ordinandorum[9]) episcoporum ob haec, quae prave facta sunt, sustulimus potestatem; quam ita ad fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Uceticae ecclesiae antistitem, quia aevo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum haec cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiae, quem[10]) non civitas

---

cari haud temere censeamus. Certe anno 465 anniversario Hilari ordinationis die concilium item est habitum, in quo tractata sunt Hispanorum Tarraconensis provinciae negotia; celebratum vero notatur XIII Kal. Decembris, quamvis litterae ex eodem ad illos missae (epist. 16) non nisi *III Kal. Januar.* datae legantur.

[7]) Ita α (α^3); alii vero *praesidentibus*, quod quidem eo posset sensu admitti, quo proxime dictum est *praesidente* (α^3 *praesedente*) *fratrum numeroso concilio.* Mox α^3 *agentibus plurima.* — Porro *Faustus* omnium consensu Regiensis episcopus erat. *Auxanium* alii Aquensem, alii Aptensem, ignotae demum sedis alii episcopum existimant. Conf. „*Gallia christiana*" in *ecclesia Aptensi* sub metrop. Aquensi Narbonensis secundae.

[8]) $\alpha\beta$ (rec. manu) *sub adsertione*, ceteri *sub adversione*, i. e. quasi sub oculis aut advertentibus Fausto et Auxanio quinque provinciarum nomine legatis. Hinc patet, cur Hilarus epistola 11 n. 2 episcopis earumdem provinciarum scribat, synodi hujus decreta *ab ipsis per Faustum et Auxanium definita esse.* Id enim definire censentur episcopi, quod per legatos eorum vice fungentes definitur.

[9]) Hanc potestatem, singulis metropolitanis a concilio Nicaeno et Innocentio I attributam, Zosimus episcopo Arelatensi in Viennensem et duas Narbonenses pertinere epistolis 1, 5 et 6 definierat. Quae tamen contrario Bonifacii decreto episcopo Narbonensi in primam Narbonensem restituta, et s. Leonis epistola 10 n. 5 singulis metropolitanis in provincias suas asserta est his verbis: *id statuentes, ut si quisquam fratrum nostrorum in quacunque provincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem illius provinciae metropolitanum esse constiterit.*

[10]) β ad marg. hanc antiqua manu adscriptam observationem habet: *Mirum, quomodo episcoporum ordinationem totiens superius interdictam Narbonensi nunc episcopo et prius U.* (leg. Uticensi) *permittat: quoniam per sancti Leonis decretum ob ecclesiarum scandalum singulis* (suppl. metropolitanis) *sua privilegia credebantur.* De quo conferantur, quae proxima nota 9 et a Coustantio in Bonifacii epist 12 nota *f* observata. Porro Hilarus Narbonensis episcopi jus in Constantium ut provinciae seniorem transferens decessorem suum Leonem imitatur, qui pariter Hilarium Arelatensem judicans plectendum, quam ei potestatem abstulit, Leon-

Digitized by Google

a. 462. sed causa praesumptionis amisit. Unde vestrae fraternitatis in Domino sincera dilectio, sollicitudinem pastoralis curae in suis sedibus partita nobiscum, commissarum sibi ecclesiarum diligentiam vigilanter exerceat, et eorum taliter, quae in Narbonensi provincia emersere, meminerit, ut detestetur factum potius, quam sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut novimus non fuisse. Itaque, fratres carissimi, necessariis studiis est agendum, ne error, quem juvante Christo Domino nostro nuper abolevimus, aut in similes aut in novos unquam prodire possit excessus. Quod utique non aliter poterit praecaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exsequamur: in quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad ecclesiasticae observantiam disciplinae et quae secus facta fuerint corrigi, et sequenda constitui.

II.

4. Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari [11]), habeatur episcopale concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris et coepiscopi nostri Leontii, cui [12]) sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur: ut si quid usquam vel in ordinandis episcopis vel presbyteris aut cujuslibet loci

---

tio ut seniori episcopo demandavit (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9). Hocque modo quum metropolitanus exigente causa ab ordinatione episcoporum provinciae suae prohibetur, ad disciplinam reditur Afris usitatam, qua provinciae senior ut primas hoc munere fungebatur. Quod sane prudenti consilio est constitutum, ne metropolitanus hanc esse singularem suae sedis praerogativam sibi fingat idque suo sibi jure vindicet.

[11]) h. e., ut interpretatur Petrus de Marca de concord. sacerd. et imp. VI, 17, *episcoporum, qui a regibus sinerentur accedere ad synodos; nam eo tempore*, ut deinde observat, *reges Gothi possederunt utramque Aquitaniam et Novempopulaniam, utramque Narbonensem et provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses Viennenses et Vesuntiones, Franci vero reliquam Galliarum occupabant.* — Sed veri similius hoc ideo dictum videtur, quod provinciae Gallicanae barbarorum incursionibus patebant.

[12]) Zosimus papa epistola 1 id juris episcopo Arelatensi detulerat, ut causae intra Gallias emergentes ad ipsum deferrentur, haud dubie in concilio discutiendae ac definiendae, quum et ipsi pontifices Romani hoc modo causas ad se delatas expedirent. Eo ductus argumento s. Hilarius conciliorum ex pluribus provinciis cogendorum auctoritatem sibi competere pro certo habuit. Quam ei per s. Leonem ablatam et seniori episcopo datam (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9), Ravennio successori restitutam esse, duobus ex locis colligitur: primo quidem ex synodica episcoporum, quos Ravennius communicandae Leonis ad Flavianum epistolae causa coegerat (Leon. epist. 99); deinde ex convocatione concilii Arelatensis in causa Lirinensis insulae celebrati (Hard. coll. conc. II, 779 sq.). Non ergo primus omnium Hilarus id juris Arelatensi episcopo tribuit, ut opinatus doctissimus Petrus de Marca l. c. VI, 17 n. 10.

Digitized by Google

faciendis clericis contra praecepta apostolica reperitur admissum, a. 462.
aut in eorum conversatione quidpiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur in ea praecipue celebritate conventus[13]), quae praesidente Christo Domino nostro et veneranda sit sanctis et formidanda perversis. Nec cuiquam licebit a regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune praefixerit: quum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicii optari magis debeat quam timeri. In dirimendis sane gravioribus causis et quae illic non potuerint terminari, apostolicae sedis sententia consulatur.

III.

5. Illud etiam non possumus praeterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne praeter metropolitanorum suorum litteras aliqui[14]) ad quamlibet provinciam audeant proficisci: quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Quibus e contrario hac ratione prospicimus, ut si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus metropolitanis provinciarum, quae congruae sunt, Arelatensis episcopus cuncta discutiens, pro causae qualitate observanda constituat: nec in injuriam alterius alienum clericum suscipi praeter testimonium proprii anti-

---

[13]) Ita mss. (α^3 etc.). At L^4 b c^5 c^7 c^{10} *conveniatur*. Observandum hic, nihil prorsus ab Hilaro definiri de cujusque provinciae conciliis, ac nihil proinde decerni, quod adversetur aut certe minus conveniat concilii Nicaeni canoni 5, Calched. c. 19, Regiens. c. 8, Arausicani I c. 29, Leonis epist. 14 n. 7 similibusque decretis, quibus *per singulos annos in singulis provinciis concilium episcoporum bis fieri* praecipitur. Suspicio tamen est, hoc Hilari decretum locum posterioribus dedisse statutis, quibus provinciae cujuslibet concilium singulis annis *semel* habendum definitur: ex. gr. syn. Aurelian. II c. 2, III c. 1, IV c. 37, V c. 23, Turon. II c. 1, Cabilon. I in praef., Quinisext. c. 8, Tolet. IV c. 3, Emeritens. c. 7, Greg. M. epist. IX, 106, ut Hormisdam, qui hoc epist. 25 n. 5 permittit, aliosque missos faciam. Agathensis quidem synodus a. 506 habita hoc canone clauditur: *Synodum etiam secundum constituta patrum annis singulis placuit congregari.* Sed haec synodus ex diversis congregata provinciis de similibus synodis ibi loquitur. Unde ibidem gratias agit regi, cujus permissu convenisse se in prooemio dixerat, et orant episcopi, ut *haec eadem facere* (h. e. cum eodem permissu ex multis provinciis convenire) *per multos annos possint.*

[14]) Apud Hincmarum lib. 55 capit. c. 37 (Opp. II, 494) *aliqui episcopi.* Hujusmodi litteras quidem, quae formatae dici solent, non solos Gallicanos episcopos ab Arelatensi antistite accipere voluit Zosimus epist. 1 c. 1, sed et quoslibet clericos. Hilarus vero tunc tantum illum ea de re adiri constituit, quum litterae ejusmodi a proprio episcopo denegarentur. — Porro idem illud privilegium etiam in Hispanienses Symmachus papa epist. 16 Caesario tribuit. Jam pridem autem episcopi, quum ad urbem regiam vel ad comitatum imperatoris pergebant, a comprovincialibus et praecipue a metropolitano, Afri vero, quum mare trajiciebant, a primate seu metropolitano suo ejusmodi formatas accipere tenebantur (cf. syn. Antioch. c. 11, Carthag. III c. 28).

Digitized by Google

a. 462. stitis secundum canonum statuta praecipiet. Singuli autem fratres universique cognoscant, parendum esse praesentibus constitutis, quibus etiam commonitio nostra denuntiat, in eos Christi Domini nostri judicium minime defuturum, qui declinando superba rebellione conventus, conscientiae suae testimonio confutantur sacerdotalis innocentiae fiduciam non habere.

IV.

6. Praeterea ejusdem fratris libellus oblatus est nobis, quo perhibet paroecias Arelatensis ecclesiae praedecessore[15]) suo Hilario in alios, quod non licuit, fuisse translatas, petens illas pristino juri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis apostolici memores, fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam: ut in vestro conventu ea, quae a nobis sperata[16]) sunt, allegentur, et quae ecclesiasticis regulis congruunt, decernantur.

V.

7. Simul etiam super hoc universam fraternitatem volumus esse commonitam, ne praedia[17]), quae neque deserta neque damnosa sunt et ad ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri, aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data III[18]) Nonas Decembris, GL. P. Severo Augusto consule.

Epistola 9.

a. 463 d. 10. Oct.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem.

Ut in synodali conventu de ausu Mamerti episcopi Viennensis inquirat, qui invitis Deensibus episcopum consecrasse nuntiatus fuerat. p. 3

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.

1. Qualiter contra sedis apostolicae veniens constituta, sacerdo-

---

[15]) Ita α (α[1]) L[3]; alii *a praedecessore*. Ac sane probabilius videtur, invito Hilario episcopo et Leonis indignationi obnoxio *paroecias* illas distractas, quam sponte *translatas in alios* (L[4] b *in aliis*) fuisse.

[16]) α *parata*, L[3] *spreta*, b *scripta*.

[17]) Haec a synodo Bellovacensi apud Ivonem p. III c. 232 citata. Conferantur etiam Leonis epist. 17 et Gelasii epist. 16, fragm. 24.

[18]) In L[3] tota omittitur nota chronica, in L[2] autem vox *Augusto*. Porro hae tres litterae *GLP* quid indicent, ex Leonis epistolis 159 et 163 colligitur, ubi in sincerioribus mss. eorum loco legitur *Leone et*, id quod etiam epistolae nostrae satis congruit. Siquidem anno 462 Leo Augustus cum Severo secundum gerebat consulatum. Aliquot praeterea mss. pro *GLP* habent *glorioso principe*.

Digitized by Google

talem modestiam Mamertus[1]) episcopus Viennensis excesserit, dile- a. 463.
ctionis tuae debuimus relatione cognoscere, ut ausibus[2]) talibus maturum et juxta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum judicium proferremus. Quantum enim filii nostri viri illustris magistri militum Gunduici[3]) sermone est indicatum, praedictus episcopus invitis Deensibus, et qui ad ecclesiarum ejus numerum, quas[4]) ei apostolicae sedis deputavit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minime pertinebant, hostili more ut dicitur occupans civitatem, episcopum consecrare praesumpsit.

2. In quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit, pronuntiare possemus[5]), nisi judicii, ut diximus, et moderatio nobis esset et ordo servandus. Atque ideo memor sollicitudinis, quam dilectioni tuae scis esse commissam, quidquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in conventu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi praesidente est congregandus, discutere quae sunt acta debebis, et praedictam[6]) rationem facti sui sub universo coetu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris[7]) nostrae intimare notitiae: ut quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VI Idus Octobris, Basilio viro clarissimo consule.

---

[1]) De Mamerto, quem Hilarus hic acriter percellit, longe diverso calamo Sidonius Apollinaris (epistol. VII, 1) et s. Avitus (orat. de rogationib. in Sirmondi Opp. II, 89 ss., Migne Patr. lat. LIX, 289 ss.) scripserunt. Strenuissimum siquidem ac piissimum pastorem eum exhibent dignumque praedicant, per quem Deus magna et mirabilia pro ecclesiarum aedificatione operatus sit (c^{11}).

[2]) α^1 α^3 *ausis talibus ... ecclesiasticum ordinem regularem.*

[3]) L^4 *Gunduicii*, alii *Gundiuci*. Rex Burgundionum is erat, qui Rheno circ. ann. 406 transmisso multa cum Romanis in Gallia et vario eventu proelia commisit, ac demum pactis conditionibus magistri militum honorem adeptus est. Quod ab Hilaro *filius* nominetur, signum est, eum fidei catholicae cultorem fuisse. Qua non multo post abdicata Burgundiones ad Arianos defecisse satis notum est

[4]) α b c^5 *quem*, alii (α^1) *quas*. Quatuor autem ecclesias, scil. Valentiae, Tarantasiae, Genavae et Gratianopolis, anno 450 Leo epist. 66 Viennensi episcopo attribuit.

[5]) Ita α^2; *possem* α^1; *possimus* editi.

[6]) Ita α^2; similiter α^3 *praedictum rationem;* α^1 L^4 *praedictum ratione.* Editi *a praedicto* scil. Mamerto.

[7]) L^3 b *litteras.*

Digitized by Google

Epistola 10.

a. 464 d. 25 Febr.

Hilari papae ad episcopos synodi in causa Mamerti congregatae,

seu

Praeceptum Hilari papae de ecclesia Deensi, ubi episcopus indebite a Viennensi episcopo ordinatus est.

I. Ut per Veranum episcopum moneatur Mamertus, ut ab ordinationibus indebitis p. 3.
ordinis sui et privilegiorum periculo in posterum abstineat.

II. Ut qui Deensibus a Mamerto consecratus est, Leontii Arelatensis episcopi, a quo consecrari debuit, arbitrio confirmetur.

Dilectissimis fratribus, Victuro, Ingenuo, Ydatio, Eustasio, Fontejo, Viventio, Eulalio, Verano[1]), Fausto, Auxanio, Proculo, Ausonio, Paulo, Memoriali, Coelestio, Projecto, Eutropio, Avitiano, Urso et Leontio Hilarus.

1. Sollicitis admodum nobis et ex his, quae proxima ad nos relatio certa[2]) detulerat, multa exspectatione suspensis, litterae dilectionis vestrae, fratre et coepiscopo nostro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpetem, deferente, sunt traditae, quae nos ipsis contextus sui contristavere principiis. Nam qui requiescere sollicitudinem nostram et magna ex parte relevari in his, quae a sanctae memoriae decessore meo de Viennensi episcopo praefixa sunt, credebamus, evidenti assertione cognovimus et non sine dolore miramur, definitiones illas a Mamerto episcopo nunc potuisse transcendi, per quas ecclesiae privilegium probarat acquiri: quum praecipue fratris et coepiscopi nostri Leontii moderatio formam continentiae praebere debuerit ambienti, aut si spiritu aemulationis inflatus eum, quod non oportuit, arbitratus est negligendum, decessoris[3]) sui saltem instructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cujus honore perfungitur, nec transgrediendo violaret, quod jam nunc, nisi patientiae moderamina teneremus, posset amittere.

2. Cui unquam profuit mens rebellis, aut quem superbiae non inclinavit elatio? Altior est humilitatis gratia, cui paupertate spi-
Matth. 5, 3. ritus ad praemium promissae beatitudinis iter regni coelestis aperitur. Nec perfunctorium praevaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis ecclesiasticis, quid uterque mereatur, agnoscit:
Psalm. 100, 7. quum alter secundum propheticam vocem in medio dominicae domus

[1]) Deest in L^3 L^4 b, in L^2 *Veranio*. Hunc Veranum Sirmondus Lugdunensem episcopum opinatur, Tillemontius Venciensem, Galliae christianae scriptores in *Eucherio Lugdunensi* utriusque sententiae momenta librantes neutram in partem declinant.

[2]) scil. *Gunduici* magistri militum opera.

[3]) Venerii nimirum, quem Leonis sententiae in epistola 66 prolatae assensum praebuisse hinc colligitur.

Digitized by Google

habitare prohibetur, alter respiciente[4]) se Domino semper junctus asseritur, cujus consolatione salvatur. Possent venerabilium veterum multa replicari, quae juxta veritatem dicta demonstrantur, sed ab eadem causa, quae se ut loqueremur ingessit, recentiora sunt exempla sumenda. Non[5]) dignitatem Viennensis ecclesiaé Mamertus episcopus meminit Arelatensis antistitis quondam transgressione crevisse, et pro corrigendis, quae perperam gerebantur, inviolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium praecessoris reperiretur exutus? a. 464. Is. 65, 2.

3. Sicut ergo et vestrae dilectionis relatio et fratris et coepiscopi nostri Antonii insinuatio reseravit, claret, praedictum privilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus fratris et consacerdotis Leontii moderantia, Deensibus contra fas episcopum, etiamsi est meritus, non timuit consecrare. In quo factum ejus convenerat sic resolvi, ut juxta eorum, quae perpetrata sunt, qualitatem non sine jactura proprii ordinis[6]) etiam illum a sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem creavit indebite; quemque[7]) indignissime fecisse convincitur, correptum justa ultione sentiret, ne conceptae audaciae incastigata temeritas licentiae se peperisse putaret exemplum. Verum ad ecclesiarum quietem tantae transgressionis vulnera memores apostolicae sapientiae curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Praevia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinae ipsius et modus est quaerendus et qualitas: ut omnis per sapientiam facta in vitiis[8]) reprimendis sollicitudo curantis gaudeat reparatione, quod salvat, nec careat moderatione, quod resecat.

4. His igitur vestra fraternitas graviter prudenterque perpensis, alia[9]) apud nos dissimulari posse non aestimet, in quorum se maxime contumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit. Fratri

---

[4]) Sic α^1 c^7, nisi quod c^7 *deo*. L^4 *suspiciente se Dmno*, b *suscipiente*. Mox c^7 *conjunctione*. Hic alludere videtur Hilarus ad illum Isaiae 65, 2 locum secundum antiquam lectionem: *ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum?* (aut ad Psalm. 30, 8 vel Luc. 1, 47).

[5]) Ita mss. et b c^{11}; c^5 seqq. *Nam dignitatem*, omisso subinde *meminit*.

[6]) Quia nimirum, ut Leo epist. 104 n. 3 loquitur, *propria perdit qui indebita concupiscit*. Illegitime ordinatum gradu suo mulctant syn. Taurin. c. 3 et Zosimus in epistolis 6 n. 2, 7 n. 2 et 9 n. 1.

[7]) L^3 *quem neque dignissime*, moxque L^3 L^4 b *nec conceptae*.

[8]) L^3 *injuriis reprimendis*.

[9]) Ita b suffragantibus mss. (α^1 L^4). Alii *talia*.

Digitized by Google

a. 464. enim nostro Leontio nihil constituti a sanctae memoriae decessore meo juris potuit abrogari[10]), nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri: quia Christianorum quoque principum lege decretum est, ut quidquid ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius observantia disciplinae in auferendis confusionibus apostolicae sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciterque servari cum suis plebibus caritas vestra cognosceret; nec unquam possent convelli, quae et sacerdotali ecclesiastica praeceptione fulcirentur et regia. Unde, fratres carissimi, praesumptionem praedicti, quae in fratris et coepiscopi nostri Leontii processit injuriam, ita convenit tolerari dignae nunc interim ultionis immunem, ut si transgressor remediis abutitur satisfactionis et veniae, nec culpam praesentis excessus curandam futurae observantiae sedulitate promittit, redeunte querimonia eo privilegia Viennensis ecclesiae ad Arelatensem antistitem transferantur exemplo, quo migravere principio.

I.

5. Unde nostrae moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, ut praedictum ex nostra delegatione conveniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet, delinquentem[11]) fratrem de propriis excessibus increpare, quibus praeceptum constat fre-
Matth. 18, 22. quenter ignoscere. Necesse est autem, si nullum correctionis ejus indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, qua[12]) definitionem sedis apostolicae periculo ordinis sui semper conservandam sine ulla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor civitates, quarum non fuit aut non fuerit Mamertus episcopus ordinatione contentus[13]), esse revocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si ullus unquam post eum, quem nunc caritate corripimus et ulterius ab illicitis confidimus abstinere, praesumptionis hujus imitator exstiterit.

---

[10]) In uno ms. *abrogare — auferre.* In sequentibus Hilarus commemorare videtur Valentiniani novellam d. 8 Jul. a. 445 (inter Leonis epist. 11).

[11]) Hilari mentem si assequimur, docet delinquentis increpationem ex ignoscendi praecepto proficisci, quia increpatio adhiberi debet, ut reus indulgentia se dignum praebeat (c[11]).

[12]) L^3 L^4 b *quam definitione,* α^1 *quam definitionem.* Quod Mamerti correctionis indicium velit Hilarus, hic aperte declarat: ut nimirum definitionem suam de Viennensis dioecesis divisione Leonis judicio fultam religiosissime se sub ordinis et gradus sui periculo servaturum profiteatur. Id vero nunquam a Mamerto factum esse, ex eo Labatus concludit, quod Deensium ecclesia semper sub episcopo et metropoli Viennensi relicta, nulla hujus decreti ratio habita videatur.

[13]) In L^2 L^3 L^4 b deest *contentus.* Quatuor illas civitates ex Leonis epist. 66 jam supra ad epist. 9 not. 4 nominavimus.

Digitized by Google

II.

6. De hoc sane, qui licet indebite Deensibus cognoscitur ordi- a. 464.
natus, justitiae ratione censuimus, ut sacerdotium ejus fratris et coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari[14]). Deus vos costodiat, fratres carissimi, aevo longiore! Data sexto Calendas Martias post consulatum Basilii viri clarissimi consulis.

Epistola 11.

Hilari papae ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. (a. 464.)

p 3. *Ne quis suos terminos transcendat, et ut concilia quotannis sub Leontii Arelatensis praesidio celebrentur.*

Dilectissimis fratribus episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae, Alpinae Hilarus episcopus.

1. Etsi meminerimus fraternitatem vestram ea quae sunt a vobis[1]) statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quae scripsimus: ut scilicet pro disciplina ecclesiastica et pro causis, quas inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, synodalia quotannis concilia, quorum maxime in fratre et coepiscopo nostro Leontio Arelatensis ecclesiae sacerdote summam[2]) placuit esse, celebrentur, nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit; tamen repetitis litteris eadem nunc quoque observanda decernimus, praecipue quum gravissima Viennensis civitatis episcopus involvatur offensa, in injuriam fratris et coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cujus facto vindictae congruae sententiam differentes, relationi fratrum quae interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam tanti excessus majorem nobis sollicitudinis materiam detulerunt, haec ad universam caritatem etiam per fratrem et coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam fratrum in al-

---

[14]) Contra fas ordinatum non penitus a sacerdotio amovet, tum ut paternae moderationis exemplum praebeat, tum quia ille ipsomet Hilaro non diffitente (cf. n. 2) hunc gradum promeritus fuerat.

[1]) c^5 c^7 *a nobis*, melius b c^{11} cum mss. hic et infra *a vobis*: non quod per se ea definierint sed per legatos suos Faustum et Auxanium, quos anno praeterito 462 Romanae synodo interfuisse ejusque decreta calculis suis approbasse supra vidimus (cf. epist. 8 n. 2).

[2]) Jam Leontii decessorem Ravennium quum in epistola 99 ad Leonem a 19 episcopis scripta tum in epist. 102, qua hic iisdem rescripsit, prae ceteris episcopis veluti synodi eorum praesidem nominari, supra observavimus.

Digitized by Google

a. 462. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum[3]) constat exemplis et qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis et ipsis repugnat canonum institutis, quum ideo se frater jam et coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi? Qui si vere hoc in se factum doleret et legitimo remedio subvenire propriae sciisset injuriae, vindictam magis debuit sperare perpessis quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdorum utatur animo, si imitetur exemplum, si ad haec, quae ecclesiasticae quietis contemplatione utcunque sopita sunt, oculis cordis intendat, et pro totius Ecclesiae pace vel fide quae sunt multipliciter rata[4]), consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat et erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim et jamdiu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, quum anteactae vitae ipsius cursum et retro omne propositum[5]) nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius quam fecisse aestimamus excessus.

2. De quibus praesidente fratrum numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in[6]) honorem beati Petri

---

[3]) L[3] α^1 *factis*, quod retinens Baronius cum praecedenti verbo *probatis* copulat. Deinde α^1 *canonum constitutis*. Si quaeritur exemplum episcopi, qui uni ecclesiae ordinatus ab eaque rejectus postmodum praefectus alteri fuit, non unum sane praecesserat. Nota sunt eademque insignia Perigenis et Procli exempla, ut alia omittam, plerorumque episcoporum, quorum translationes Socrates VII, 36 recenset, quosque conjectat Tillemontius ideo sedes mutasse suas, quod episcopis sibi subrogatis cedere coacti sint. Id vero tum maxime accidisse censet, quum communionem suam Innocentius ea conditione Attico restituit, ut in sacras tabulas Johannis nomen referretur. Tunc enim ut suae episcopis propter Johannem expulsis redditae ecclesiae, ita et illis, qui in eas irrepserant, quaerendae aliae fuerunt. Propterea sane Hermen Hilarus in Narbonensi ecclesia reliquit, nec tamen sine idonea correptione ac poena, ne quis daretur locus perfringendi tot constituta et toties repetita decreta, quibus avaritiae et licentiae frena injicere patres conati sunt; cf. Nic. c. 15, Antioch. c. 21, Sardic. c. 1 et 2. Praeterea nec culpa vacare Hermen docet, qui hanc sibi illatam injuriam expostulare cum Biterrensibus neglexerat, quum liceret.

[4]) c[5] c[7] c[10] *errata*, renitentibus mss. Sed et sententia Hilari *rata* postulat h. e. constituta, quae quidem ideo in memoriam revocat, ut vel inde Hermen egisse vel petiisse pudeat, quae tam sanctis decretis adversentur.

[5]) Ita α^3 β c[5] ad marg.; L[4] b c[5] *retro antepositum*, L[3] c[11] *retro ante propositum*. Sic Hilarus Hermen arguit, ut ipsum simul excuset.

[6]) Quo scilicet ordinatus est. Unde denuo firmantur, quae de sollemni episcoporum ad hunc diem concursu in Xysti III epistolam 5 Coustantius observavit. Quocirca nullum est dubium, quin numerosum concilium, de quo hic Hilarus loquitur, die XIX Novembris celebratum sit, licet haec epistola, qua illius decreta in Gallias mittit, die III Decembris consignetur. Ibi quippe non diem, quo decreta sancita sunt sed quo legatis Galliarum redeuntibus tradita, indi-

Digitized by Google

apostoli per Dei gratiam congregato, praesentibus[7]) fratribus et co- a. 462.
episcopis nostris Fausto et Auxanio, atque agentibus plurimis, quae vigorem respiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis est amore constitutum: ut in sententia, quam sub adversione[8]) utriusque legationis inde directae Christo Domino nostro inspirante protulimus, neque caritas evangelicae indulgentiae neque apostolicae virga defuerit disciplinae. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.

I.

3. Ei, qui nunc ecclesiae Narbonensi praesidere permittitur, ordinandorum[9]) episcoporum ob haec, quae prave facta sunt, sustulimus potestatem; quam ita ad fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Uceticae ecclesiae antistitem, quia aevo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum haec cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiae, quem[10]) non civitas

---

cari haud temere censeamus. Certe anno 465 anniversario Hilari ordinationis die concilium item est habitum, in quo tractata sunt Hispanorum Tarraconensis provinciae negotia; celebratum vero notatur XIII Kal. Decembris, quamvis litterae ex eodem ad illos missae (epist. 16) non nisi *III Kal. Januar.* datae legantur.

[7]) Ita α (α^3); alii vero *praesidentibus*, quod quidem eo posset sensu admitti, quo proxime dictum est *praesidente* (α^3 *praesedente*) *fratrum numeroso concilio.* Mox α^3 *agentibus plurima.* — Porro *Faustus* omnium consensu Regiensis episcopus erat. *Auxanium* alii Aquensem, alii Aptensem, ignotae demum sedis alii episcopum existimant. Conf. *„Gallia christiana"* in *ecclesia Aptensi* sub metrop. Aquensi Narbonensis secundae.

[8]) $\alpha\beta$ (rec. manu) *sub adsertione*, ceteri *sub adversione*, i. e. quasi sub oculis aut advertentibus Fausto et Auxanio quinque provinciarum nomine legatis. Hinc patet, cur Hilarus epistola 11 n. 2 episcopis earumdem provinciarum scribat, synodi hujus decreta *ab ipsis per Faustum et Auxanium definita esse.* Id enim definire censentur episcopi, quod per legatos eorum vice fungentes definitur.

[9]) Hanc potestatem, singulis metropolitanis a concilio Nicaeno et Innocentio I attributam, Zosimus episcopo Arelatensi in Viennensem et duas Narbonenses pertinere epistolis 1, 5 et 6 definierat. Quae tamen contrario Bonifacii decreto episcopo Narbonensi in primam Narbonensem restituta, et s. Leonis epistola 10 n. 5 singulis metropolitanis in provinciis suas asserta est his verbis: *id statuentes, ut si quisquam fratrum nostrorum in quacunque provincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem illius provinciae metropolitanum esse constiterit.*

[10]) β ad marg. hanc antiqua manu adscriptam observationem habet: *Mirum, quomodo episcoporum ordinationem totiens superius interdictam Narbonensi nunc episcopo et prius U.* (leg. Uticensi) *permittat: quoniam per sancti Leonis decretum ob ecclesiarum scandalum singulis* (suppl. metropolitanis) *sua privilegia credebantur.* De quo conferantur, quae proxima nota 9 et a Coustantio in Bonifacii epist 12 nota *f* observata. Porro Hilarus Narbonensis episcopi jus in Constantium ut provinciae seniorem transferens decessorem suum Leonem imitatur, qui pariter Hilarium Arelatensem judicans plectendum, quam ei potestatem abstulit, Leon-

Digitized by Google

a. 462. sed causa praesumptionis amisit. Unde vestrae fraternitatis in Domino sincera dilectio, sollicitudinem pastoralis curae in suis sedibus partita nobiscum, commissarum sibi ecclesiarum diligentiam vigilanter exerceat, et eorum taliter, quae in Narbonensi provincia emersere, meminerit, ut detestetur factum potius, quam sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut novimus non fuisse. Itaque, fratres carissimi, necessariis studiis est agendum, ne error, quem juvante Christo Domino nostro nuper abolevimus, aut in similes aut in novos unquam prodire possit excessus. Quod utique non aliter poterit praecaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exsequamur: in quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad ecclesiasticae observantiam disciplinae et quae secus facta fuerint corrigi, et sequenda constitui.

II.

4. Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari [11]), habeatur episcopale concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris et coepiscopi nostri Leontii, cui [12]) sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur: ut si quid usquam vel in ordinandis episcopis vel presbyteris aut cujuslibet loci

---

tio ut seniori episcopo demandavit (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9). Hocque modo quum metropolitanus exigente causa ab ordinatione episcoporum provinciae suae prohibetur, ad disciplinam reditur Afris usitatam, qua provinciae senior ut primas hoc munere fungebatur. Quod sane prudenti consilio est constitutum, ne metropolitanus hanc esse singularem suae sedis praerogativam sibi fingat idque suo sibi jure vindicet.

[11]) h. e., ut interpretatur Petrus de Marca de concord. sacerd. et imp. VI, 17, *episcoporum, qui a regibus sinerentur accedere ad synodos; nam eo tempore*, ut deinde observat, *reges Gothi possederunt utramque Aquitaniam et Novempopuloniam, utramque Narbonensem et provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses Viennenses et Vesuntiones, Franci vero reliquam Galliarum occupabant.* — Sed veri similius hoc ideo dictum videtur, quod provinciae Gallicanae barbarorum incursionibus patebant.

[12]) Zosimus papa epistola 1 id juris episcopo Arelatensi detulerat, ut causae intra Gallias emergentes ad ipsum deferrentur, haud dubie in concilio discutiendae ac definiendae, quum et ipsi pontifices Romani hoc modo causas ad se delatas expedirent. Eo ductus argumento s. Hilarius conciliorum ex pluribus provinciis cogendorum auctoritatem sibi competere pro certo habuit. Quam ei per s. Leonem ablatam et seniori episcopo datam (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9), Ravennio successori restitutam esse, duobus ex locis colligitur: primo quidem ex synodica episcoporum, quos Ravennius communicandae Leonis ad Flavianum epistolae causa coegerat (Leon. epist. 99); deinde ex convocatione concilii Arelatensis in causa Lirinensis insulae celebrati (Hard. coll. conc. II, 779 sq.). Non ergo primus omnium Hilarus id juris Arelatensi episcopo tribuit, ut opinatus doctissimus Petrus de Marca l. c. VI, 17 n. 10.

Digitized by Google

faciendis clericis contra praecepta apostolica reperitur admissum, a. 462.
aut in eorum conversatione quidpiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur in ea praecipue celebritate conventus[13]), quae praesidente Christo Domino nostro et veneranda sit sanctis et formidanda perversis. Nec cuiquam licebit a regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune praefixerit: quum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicii optari magis debeat quam timeri. In dirimendis sane gravioribus causis et quae illic non potuerint terminari, apostolicae sedis sententia consulatur.

III.

5. Illud etiam non possumus praeterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne praeter metropolitanorum suorum litteras aliqui[14]) ad quamlibet provinciam audeant proficisci: quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Quibus e contrario hac ratione prospicimus, ut si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus metropolitanis provinciarum, quae congruae sunt, Arelatensis episcopus cuncta discutiens, pro causae qualitate observanda constituat: nec in injuriam alterius alienum clericum suscipi praeter testimonium proprii anti-

---

[13]) Ita mss. (α^3 etc.). At L^4 b c^5 c^7 c^{10} *conveniatur*. Observandum hic, nihil prorsus ab Hilaro definiri de cujusque provinciae conciliis, ac nihil proinde decerni, quod adversetur aut certe minus conveniat concilii Nicaeni canoni 5, Calched. c. 19, Regiens. c. 8, Arausicani I c. 29, Leonis epist. 14 n. 7 similibusque decretis, quibus *per singulos annos in singulis provinciis concilium episcoporum bis fieri* praecipitur. Suspicio tamen est, hoc Hilari decretum locum posterioribus dedisse statutis, quibus provinciae cujuslibet concilium singulis annis *semel* habendum definitur: ex. gr. syn. Aurelian. II c. 2, III c. 1, IV c. 37, V c. 23, Turon. II c. 1, Cabilon. I in praef., Quinisext. c. 8, Tolet. IV c. 3, Emeritens. c. 7, Greg. M. epist. IX, 106, ut Hormisdam, qui hoc epist. 25 n. 5 permittit, aliosque missos faciam. Agathensis quidem synodus a. 506 habita hoc canone clauditur: *Synodum etiam secundum constituta patrum annis singulis placuit congregari.* Sed haec synodus ex diversis congregata provinciis de similibus synodis ibi loquitur. Unde ibidem gratias agit regi, cujus permissu convenisse se in prooemio dixerat, et orant episcopi, ut *haec eadem facere* (h. e. cum eodem permissu ex multis provinciis convenire) *per multos annos possint.*

[14]) Apud Hincmarum lib. 55 capit. c. 37 (Opp. II, 494) *aliqui episcopi.* Hujusmodi litteras quidem, quae formatae dici solent, non solos Gallicanos episcopos ab Arelatensi antistite accipere voluit Zosimus epist. 1 c. 1, sed et quoslibet clericos. Hilarus vero tunc tantum illum ea de re adiri constituit, quum litterae ejusmodi a proprio episcopo denegarentur. — Porro idem illud privilegium etiam in Hispanienses Symmachus papa epist. 16 Caesario tribuit. Jam pridem autem episcopi, quum ad urbem regiam vel ad comitatum imperatoris pergebant, a comprovincialibus et praecipue a metropolitano, Afri vero, quum mare trajiciebant, a primate seu metropolitano suo ejusmodi formatas accipere tenebantur (cf. syn. Antioch. c. 11, Carthag. III c. 28).

Digitized by Google

a. 462. stitis secundum canonum statuta praecipiet. Singuli autem fratres universique cognoscant, parendum esse praesentibus constitutis, quibus etiam commonitio nostra denuntiat, in eos Christi Domini nostri judicium minime defuturum, qui declinando superba rebellione conventus, conscientiae suae testimonio confutantur sacerdotalis innocentiae fiduciam non habere.

IV.

6. Praeterea ejusdem fratris libellus oblatus est nobis, quo perhibet paroecias Arelatensis ecclesiae praedecessore[15]) suo Hilario in alios, quod non licuit, fuisse translatas, petens illas pristino juri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis apostolici memores, fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam: ut in vestro conventu ea, quae a nobis sperata[16]) sunt, allegentur, et quae ecclesiasticis regulis congruunt, decernantur.

V.

7. Simul etiam super hoc universam fraternitatem volumus esse commonitam, ne praedia[17]), quae neque deserta neque damnosa sunt et ad ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri, aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data III[18]) Nonas Decembris, GL. P. Severo Augusto consule.

Epistola 9.

a. 463 d. 10. Oct.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem.

Ut in synodali conventu de ausu Mamerti episcopi Viennensis inquirat, qui invitis Deensibus episcopum consecrasse nuntiatus fuerat. p. 3.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.

1. Qualiter contra sedis apostolicae veniens constituta, sacerdo-

---

[15]) Ita α (α[1]) L[3]; alii *a praedecessore*. Ac sane probabilius videtur, invito Hilario episcopo et Leonis indignationi obnoxio *paroecias* illas distractas, quam sponte *translatas in alios* (L[4] b *in aliis*) fuisse.

[16]) α *parata*, L[3] *spreta*, b *scripta*.

[17]) Haec a synodo Bellovacensi apud Ivonem p. III c. 232 citata. Conferantur etiam Leonis epist. 17 et Gelasii epist. 16, fragm. 24.

[18]) In L[3] tota omittitur nota chronica, in L[2] autem vox *Augusto*. Porro hae tres litterae *GLP* quid indicent, ex Leonis epistolis 159 et 163 colligitur, ubi in sincerioribus mss. eorum loco legitur *Leone et*, id quod etiam epistolae nostrae satis congruit. Siquidem anno 462 Leo Augustus cum Severo secundum gerebat consulatum. Aliquot praeterea mss. pro *GLP* habent *glorioso principe*.

Digitized by Google

talem modestiam Mamertus[1]) episcopus Viennensis excesserit, dile- a. 463.
ctionis tuae debuimus relatione cognoscere, ut ausibus[2]) talibus maturum et juxta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum judicium proferremus. Quantum enim filii nostri viri illustris magistri militum Gunduici[3]) sermone est indicatum, praedictus episcopus invitis Deensibus, et qui ad ecclesiarum ejus numerum, quas[4]) ei apostolicae sedis deputavit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minime pertinebant, hostili more ut dicitur occupans civitatem, episcopum consecrare praesumpsit.

2. In quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit, pronuntiare possemus[5]), nisi judicii, ut diximus, et moderatio nobis esset et ordo servandus. Atque ideo memor sollicitudinis, quam dilectioni tuae scis esse commissam, quidquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in conventu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi praesidente est congregandus, discutere quae sunt acta debebis, et praedictam[6]) rationem facti sui sub universo coetu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris[7]) nostrae intimare notitiae: ut quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VI Idus Octobris, Basilio viro clarissimo consule.

---

[1]) De Mamerto, quem Hilarus hic acriter percellit, longe diverso calamo Sidonius Apollinaris (epistol. VII, 1) et s. Avitus (orat. de rogationib. in Sirmondi Opp. II, 89 ss., Migne Patr. lat. LIX, 289 ss.) scripserunt. Strenuissimum siquidem ac piissimum pastorem eum exhibent dignumque praedicant, per quem Deus magna et mirabilia pro ecclesiarum aedificatione operatus sit (c^{11}).

[2]) α^1 α^2 *ausis talibus ... ecclesiasticum ordinem regularem.*

[3]) L^4 *Gunduicii*, alii *Gundiuci*. Rex Burgundionum is erat, qui Rheno circ. ann. 406 transmisso multa cum Romanis in Gallia et vario eventu proelia commisit, ac demum pactis conditionibus magistri militum honorem adeptus est. Quod ab Hilaro *filius* nominetur, signum est, eum fidei catholicae cultorem fuisse. Qua non multo post abdicata Burgundiones ad Arianos defecisse satis notum est

[4]) α b c^5 *quem*, alii (α^1) *quas*. Quatuor autem ecclesias, scil. Valentiae, Tarantasiae, Genavae et Gratianopolis, anno 450 Leo epist. 66 Viennensi episcopo attribuit.

[5]) Ita α^2; *possem* α^1; *possimus* editi.

[6]) Ita α^2; similiter α^3 *praedictum rationem;* α^1 L^4 *praedictum ratione.* Editi *a praedicto* scil. Mamerto.

[7]) L^3 b *litteras.*

Digitized by Google

Epistola 10.

a. 464 d. 25 Febr.

Hilari papae ad episcopos synodi in causa Mamerti congregatae,

seu

Praeceptum Hilari papae de ecclesia Deensi, ubi episcopus indebite a Viennensi episcopo ordinatus est.

I. Ut per Veranum episcopum moneatur Mamertus, ut ab ordinationibus indebitis p. 3.
ordinis sui et privilegiorum periculo in posterum abstineat.

II. Ut qui Deensibus a Mamerto consecratus est, Leontii Arelatensis episcopi, a quo consecrari debuit, arbitrio confirmetur.

Dilectissimis fratribus, Victuro, Ingenuo, Ydatio, Eustasio, Fontejo, Viventio, Eulalio, Verano[1]), Fausto, Auxanio, Proculo, Ausonio, Paulo, Memoriali, Coelestio, Projecto, Eutropio, Avitiano, Urso et Leontio Hilarus.

1. Sollicitis admodum nobis et ex his, quae proxima ad nos relatio certa[2]) detulerat, multa exspectatione suspensis, litterae dilectionis vestrae, fratre et coepiscopo nostro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpetem, deferente, sunt traditae, quae nos ipsis contextus sui contristavere principiis. Nam qui requiescere sollicitudinem nostram et magna ex parte relevari in his, quae a sanctae memoriae decessore meo de Viennensi episcopo praefixa sunt, credebamus, evidenti assertione cognovimus et non sine dolore miramur, definitiones illas a Mamerto episcopo nunc potuisse transcendi, per quas ecclesiae privilegium probarat acquiri: quum praecipue fratris et coepiscopi nostri Leontii moderatio formam continentiae praebere debuerit ambienti, aut si spiritu aemulationis inflatus eum, quod non oportuit, arbitratus est negligendum, decessoris[3]) sui saltem instructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cujus honore perfungitur, nec transgrediendo violaret, quod jam nunc, nisi patientiae moderamina teneremus, posset amittere.

2. Cui unquam profuit mens rebellis, aut quem superbiae non inclinavit elatio? Altior est humilitatis gratia, cui paupertate spi-
Matth. 5, 3. ritus ad praemium promissae beatitudinis iter regni coelestis aperitur. Nec perfunctorium praevaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis ecclesiasticis, quid uterque mereatur, agnoscit:
Psalm. 100, 7. quum alter secundum propheticam vocem in medio dominicae domus

[1]) Deest in L^3 L^4 b, in L^2 *Veranio*. Hunc Veranum Sirmondus Lugdunensem episcopum opinatur, Tillemontius Venciensem, Galliae christianae scriptores in *Eucherio Lugdunensi* utriusque sententiae momenta librantes neutram in partem declinant.

[2]) scil. *Gunduici* magistri militum opera.

[3]) Venerii nimirum, quem Leonis sententiae in epistola 66 prolatae assensum praebuisse hinc colligitur.

Digitized by Google

habitare prohibetur, alter respiciente[4]) se Domino semper junctus asseritur, cujus consolatione salvatur. Possent venerabilium veterum multa replicari, quae juxta veritatem dicta demonstrantur, sed ab eadem causa, quae se ut loqueremur ingessit, recentiora sunt exempla sumenda. Non[5]) dignitatem Viennensis ecclesiae Mamertus episcopus meminit Arelatensis antistitis quondam transgressione crevisse, et pro corrigendis, quae perperam gerebantur, inviolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium praecessoris reperiretur exutus? a. 464. Is. 65, 2.

3. Sicut ergo et vestrae dilectionis relatio et fratris et coepiscopi nostri Antonii insinuatio reseravit, claret, praedictum privilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus fratris et consacerdotis Leontii moderantia, Deensibus contra fas episcopum, etiamsi est meritus, non timuit consecrare. In quo factum ejus convenerat sic resolvi, ut juxta eorum, quae perpetrata sunt, qualitatem non sine jactura proprii ordinis[6]) etiam illum a sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem creavit indebite; quemque[7]) indignissime fecisse convincitur, correptum justa ultione sentiret, ne conceptae audaciae incastigata temeritas licentiae se peperisse putaret exemplum. Verum ad ecclesiarum quietem tantae transgressionis vulnera memores apostolicae sapientiae curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Praevia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinae ipsius et modus est quaerendus et qualitas: ut omnis per sapientiam facta in vitiis[8]) reprimendis sollicitudo curantis gaudeat reparatione, quod salvat, nec careat moderatione, quod resecat.

4. His igitur vestra fraternitas graviter prudenterque perpensis, alia[9]) apud nos dissimulari posse non aestimet, in quorum se maxime contumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit. Fratri

---

[4]) Sic α^1 c^7, nisi quod c^7 *deo*. L^4 *suspiciente se Dmno*, b *suscipiente*. Mox c^7 *conjunctione*. Hic alludere videtur Hilarus ad illum Isaiae 65, 2 locum secundum antiquam lectionem: *ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum?* (aut ad Psalm. 30, 8 vel Luc. 1, 47).

[5]) Ita mss. et b c^{11}; c^5 seqq. *Nam dignitatem*, omisso subinde *meminit*.

[6]) Quia nimirum, ut Leo epist. 104 n. 3 loquitur, *propria perdit qui indebita concupiscit*. Illegitime ordinatum gradu suo mulctant syn. Taurin. c. 3 et Zosimus in epistolis 6 n. 2, 7 n. 2 et 9 n. 1.

[7]) L^3 *quem neque dignissime*, moxque L^3 L^4 b *nec conceptae*.

[8]) L^2 *injuriis reprimendis*.

[9]) Ita b suffragantibus mss. (α^1 L^4). Alii *talia*.

Digitized by Google

a. 464. enim nostro Leontio nihil constituti a sanctae memoriae decessore meo juris potuit abrogari[10]), nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri: quia Christianorum quoque principum lege decretum est, ut quidquid ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius observantia disciplinae in auferendis confusionibus apostolicae sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciterque servari cum suis plebibus caritas vestra cognosceret; nec unquam possent convelli, quae et sacerdotali ecclesiastica praeceptione fulcirentur et regia. Unde, fratres carissimi, praesumptionem praedicti, quae in fratris et coepiscopi nostri Leontii processit injuriam, ita convenit tolerari dignae nunc interim ultionis immunem, ut si transgressor remediis abutitur satisfactionis et veniae, nec culpam praesentis excessus curandam futurae observantiae sedulitate promittit, redeunte querimonia eo privilegia Viennensis ecclesiae ad Arelatensem antistitem transferantur exemplo, quo migravere principio.

I.

5. Unde nostrae moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, ut praedictum ex nostra delegatione conveniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet, delinquentem[11]) fratrem de propriis excessibus increpare, quibus praeceptum constat fre-
Matth. 18, 22. quenter ignoscere. Necesse est autem, si nullum correctionis ejus indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, qua[12]) definitionem sedis apostolicae periculo ordinis sui semper conservandam sine ulla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor civitates, quarum non fuit aut non fuerit Mamertus episcopus ordinatione contentus[13]), esse revocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si ullus unquam post eum, quem nunc caritate corripimus et ulterius ab illicitis confidimus abstinere, praesumptionis hujus imitator exstiterit.

---

[10]) In uno ms. *abrogare — auferre.* In sequentibus Hilarus commemorare videtur Valentiniani novellam d. 8 Jul. a. 445 (inter Leonis epist. 11).

[11]) Hilari mentem si assequimur, docet delinquentis increpationem ex ignoscendi praecepto proficisci, quia increpatio adhiberi debet, ut reus indulgentia se dignum praebeat (c[11]).

[12]) L^3 L^4 b *quam definitione,* α^1 *quam definitionem.* Quod Mamerti correctionis indicium velit Hilarus, hic aperte declarat: ut nimirum definitionem suam de Viennensis dioecesis divisione Leonis judicio fultam religiosissime se sub ordinis et gradus sui periculo servaturum profiteatur. Id vero nunquam a Mamerto factum esse, ex eo Labatus concludit, quod Deensium ecclesia semper sub episcopo et metropoli Viennensi relicta, nulla hujus decreti ratio habita videatur.

[13]) In L^2 L^3 L^4 b deest *contentus.* Quatuor illas civitates ex Leonis epist. 66 jam supra ad epist. 9 not. 4 nominavimus.

Digitized by Google

II.

6. De hoc sane, qui licet indebite Deensibus cognoscitur ordi- a. 464.
natus, justitiae ratione censuimus, ut sacerdotium ejus fratris et coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari[14]). Deus vos costodiat, fratres carissimi, aevo longiore! Data sexto Calendas Martias post consulatum Basilii viri clarissimi consulis.

Epistola 11.

Hilari papae ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. (a. 464.)

p 3. *Ne quis suos terminos transcendat, et ut concilia quotannis sub Leontii Arelatensis praesidio celebrentur.*

Dilectissimis fratribus episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae, Alpinae Hilarus episcopus.

1. Etsi meminerimus fraternitatem vestram ea quae sunt a vobis[1]) statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quae scripsimus: ut scilicet pro disciplina ecclesiastica et pro causis, quas inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, synodalia quotannis concilia, quorum maxime in fratre et coepiscopo nostro Leontio Arelatensis ecclesiae sacerdote summam[2]) placuit esse, celebrentur, nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit; tamen repetitis litteris eadem nunc quoque observanda decernimus, praecipue quum gravissima Viennensis civitatis episcopus involvatur offensa, in injuriam fratris et coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cujus facto vindictae congruae sententiam differentes, relationi fratrum quae interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam tanti excessus majorem nobis sollicitudinis materiam detulerunt, haec ad universam caritatem etiam per fratrem et coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam fratrum in al-

---

[14]) Contra fas ordinatum non penitus a sacerdotio amovet, tum ut paternae moderationis exemplum praebeat, tum quia ille ipsomet Hilaro non diffitente (cf. n. 2) hunc gradum promeritus fuerat.

[1]) c^5 c^7 *a nobis*, melius b c^{11} cum mss. Hic et infra *a vobis*: non quod per se ea definierint sed per legatos suos Faustum et Auxanium, quos anno praeterito 462 Romanae synodo interfuisse ejusque decreta calculis suis approbasse supra vidimus (cf. epist. 8 n. 2).

[2]) Jam Leontii decessorem Ravennium quum in epistola 99 ad Leonem a 19 episcopis scripta tum in epist. 102, qua hic iisdem rescripsit, prae ceteris episcopis veluti synodi eorum praesidem nominari, supra observavimus.

Digitized by Google

a. 462. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum[3]) constat exemplis et qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis et ipsis repugnat canonum institutis, quum ideo se frater jam et coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi? Qui si vere hoc in se factum doleret et legitimo remedio subvenire propriae sciisset injuriae, vindictam magis debuit sperare perpessis quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdorum utatur animo, si imitetur exemplum, si ad haec, quae ecclesiasticae quietis contemplatione utcunque sopita sunt, oculis cordis intendat, et pro totius Ecclesiae pace vel fide quae sunt multipliciter rata[4]), consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat et erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim et jamdiu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, quum anteactae vitae ipsius cursum et retro omne propositum[5]) nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius quam fecisse aestimamus excessus.

2. De quibus praesidente fratrum numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in[6]) honorem beati Petri

---

[3]) L^3 α^1 *factis*, quod retinens Baronius cum praecedenti verbo *probatis* copulat. Deinde α^1 *canonum constitutis*. Si quaeritur exemplum episcopi, qui ui ecclesiae ordinatus ab eaque rejectus postmodum praefectus alteri fuit, non unum sane praecesserat. Nota sunt eademque insignia Perigenis et Procli exempla, ut alia omittam, plerorumque episcoporum, quorum translationes Socrates VII, 36 recenset, quosque conjectat Tillemontius ideo sedes mutasse suas, quod episcopis sibi subrogatis cedere coacti sint. Id vero tum maxime accidisse censet, quum communionem suam Innocentius ea conditione Attico restituit, ut in sacras tabulas Johannis nomen referretur. Tunc enim ut suae episcopis propter Johannem expulsis redditae ecclesiae, ita et illis, qui in eas irrepserant, quaerendae aliae fuerunt. Propterea sane Hermen Hilarus in Narbonensi ecclesia reliquit, nec tamen sine idonea correptione ac poena, ne quis daretur locus perfringendi tot constituta et toties repetita decreta, quibus avaritiae et licentiae frena injicere patres conati sunt; cf. Nic. c. 15, Antioch. c. 21, Sardic. c. 1 et 2. Praeterea nec culpa vacare Hermen docet, qui hanc sibi illatam injuriam expostulare cum Biterrensibus neglexerat, quum liceret.

[4]) c^5 c^7 c^{10} *errata*, renitentibus mss. Sed et sententia Hilari *rata* postulat h. e. constituta, quae quidem ideo in memoriam revocat, ut vel inde Hermen egisse vel petiisse pudeat, quae tam sanctis decretis adversentur.

[5]) Ita α^3 β c^5 ad marg.; L^4 b c^5 *retro antepositum*, L^3 c^{11} *retro ante propositum*. Sic Hilarus Hermen arguit, ut ipsum simul excuset.

[6]) Quo scilicet ordinatus est. Unde denuo firmantur, quae de sollemni episcoporum ad hunc diem concursu in Xysti III epistolam 5 Coustantius observavit. Quocirca nullum est dubium, quin numerosum concilium, de quo hic Hilarus loquitur, die XIX Novembris celebratum sit, licet haec epistola, qua illius decreta in Gallias mittit, die III Decembris consignetur. Ibi quippe non diem, quo decreta sancita sunt sed quo legatis Galliarum redeuntibus tradita, indi-

Digitized by Google

apostoli per Dei gratiam congregato, praesentibus[7]) fratribus et co- p. 462.
episcopis nostris Fausto et Auxanio, atque agentibus plurimis, quae vigorem respiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis est amore constitutum: ut in sententia, quam sub adversione[8]) utriusque legationis inde directae Christo Domino nostro inspirante protulimus, neque caritas evangelicae indulgentiae neque apostolicae virga defuerit disciplinae. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.

I.

3. Ei, qui nunc ecclesiae Narbonensi praesidere permittitur, ordinandorum[9]) episcoporum ob haec, quae prave facta sunt, sustulimus potestatem; quam ita ad fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Uceticae ecclesiae antistitem, quia aevo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum haec cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiae, quem[10]) non civitas

---

cari haud temere censeamus. Certe anno 465 anniversario Hilari ordinationis die concilium item est habitum, in quo tractata sunt Hispanorum Tarraconensis provinciae negotia; celebratum vero notatur XIII Kal. Decembris, quamvis litterae ex eodem ad illos missae (epist. 16) non nisi *III Kal. Januar.* datae legantur.

[7]) Ita α (α^3); alii vero *praesidentibus*, quod quidem eo posset sensu admitti, quo proxime dictum est *praesidente* (α^2 *praesedente*) *fratrum numeroso concilio.* Mox α^3 *agentibus plurima.* — Porro *Faustus* omnium consensu Regiensis episcopus erat. *Auxanium* alii Aquensem, alii Aptensem, ignotae demum sedis alii episcopum existimant. Conf. „*Gallia christiana*" in *ecclesia Aptensi* sub metrop. Aquensi Narbonensis secundae.

[8]) $\alpha\beta$ (rec. manu) *sub adsertione*, ceteri *sub adversione*, i. e. quasi sub oculis aut advertentibus Fausto et Auxanio quinque provinciarum nomine legatis. Hinc patet, cur Hilarus epistola 11 n. 2 episcopis earumdem provinciarum scribat, synodi hujus decreta *ab ipsis per Faustum et Auxanium definita esse.* Id enim definire censentur episcopi, quod per legatos eorum vice fungentes definitur.

[9]) Hanc potestatem, singulis metropolitanis a concilio Nicaeno et Innocentio I attributam, Zosimus episcopo Arelatensi in Viennensem et duas Narbonenses pertinere epistolis 1, 5 et 6 definierat. Quae tamen contrario Bonifacii decreto episcopo Narbonensi in primam Narbonensem restituta, et s. Leonis epistola 10 n. 5 singulis metropolitanis in provincias suas asserta est his verbis: *id statuentes, ut si quisquam fratrum nostrorum in quacunque provincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem illius provinciae metropolitanum esse constiterit.*

[10]) β ad marg. hanc antiqua manu adscriptam observationem habet: *Mirum, quomodo episcoporum ordinationem totiens superius interdictam Narbonensi nunc episcopo et prius U.* (leg. Uticensi) *permittat: quoniam per sancti Leonis decretum ob ecclesiarum scandalum singulis* (suppl. metropolitanis) *sua privilegia credebantur.* De quo conferantur, quae proxima nota 9 et a Coustantio in Bonifacii epist 12 nota *f* observata. Porro Hilarus Narbonensis episcopi jus in Constantium ut provinciae seniorem transferens decessorem suum Leonem imitatur, qui pariter Hilarium Arelatensem judicans plectendum, quam ei potestatem abstulit, Leon-

Digitized by Google

a. 462. sed causa praesumptionis amisit. Unde vestrae fraternitatis in Domino sincera dilectio, sollicitudinem pastoralis curae in suis sedibus partita nobiscum, commissarum sibi ecclesiarum diligentiam vigilanter exerceat, et eorum taliter, quae in Narbonensi provincia emersere, meminerit, ut detestetur factum potius, quam sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut novimus non fuisse. Itaque, fratres carissimi, necessariis studiis est agendum, ne error, quem juvante Christo Domino nostro nuper abolevimus, aut in similes aut in novos unquam prodire possit excessus. Quod utique non aliter poterit praecaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exsequamur: in quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad ecclesiasticae observantiam disciplinae et quae secus facta fuerint corrigi, et sequenda constitui.

II.

4. Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari [11]), habeatur episcopale concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris et coepiscopi nostri Leontii, cui [12]) sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur: ut si quid usquam vel in ordinandis episcopis vel presbyteris aut cujuslibet loci

---

tio ut seniori episcopo demandavit (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9). Hocque modo quum metropolitanus exigente causa ab ordinatione episcoporum provinciae suae prohibetur, ad disciplinam reditur Afris usitatam, qua provinciae senior ut primas hoc munere fungebatur. Quod sane prudenti consilio est constitutum, ne metropolitanus hanc esse singularem suae sedis praerogativam sibi fingat idque suo sibi jure vindicet.

[11]) h. e., ut interpretatur Petrus de Marca de concord. sacerd. et imp. VI, 17, *episcoporum, qui a regibus sinerentur accedere ad synodos; nam eo tempore*, ut deinde observat, *reges Gothi possederunt utramque Aquitaniam et Novempopuleniam, utramque Narbonensem et provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses Viennenses et Vesuntiones, Franci vero reliquam Galliarum occupabant.* — Sed veri similius hoc ideo dictum videtur, quod provinciae Gallicanae barbarorum incursionibus patebant.

[12]) Zosimus papa epistola 1 id juris episcopo Arelatensi detulerat, ut causae intra Gallias emergentes ad ipsum deferrentur, haud dubie in concilio discutiendae ac definiendae, quum et ipsi pontifices Romani hoc modo causas ad se delatas expedirent. Eo ductus argumento s. Hilarius conciliorum ex pluribus provinciis cogendorum auctoritatem sibi competere pro certo habuit. Quam ei per s. Leonem ablatam et seniori episcopo datam (cf. Leon. epist. 10 n. 7 et 9), Ravennio successori restitutam esse, duobus ex locis colligitur: primo quidem ex synodica episcoporum, quos Ravennius communicandae Leonis ad Flavianum epistolae causa coegerat (Leon. epist. 99); deinde ex convocatione concilii Arelatensis in causa Lirinensis insulae celebrati (Hard. coll. conc. II, 779 sq.). Non ergo primus omnium Hilarus id juris Arelatensi episcopo tribuit, ut opinatus doctissimus Petrus de Marca l. c. VI, 17 n. 10.

Digitized by Google

faciendis clericis contra praecepta apostolica reperitur admissum, a. 462.
aut in eorum conversatione quidpiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur in ea praecipue celebritate conventus[13]), quae praesidente Christo Domino nostro et veneranda sit sanctis et formidanda perversis. Nec cuiquam licebit a regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune praefixerit: quum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicii optari magis debeat quam timeri. In dirimendis sane gravioribus causis et quae illic non potuerint terminari, apostolicae sedis sententia consulatur.

III.

5. Illud etiam non possumus praeterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne praeter metropolitanorum suorum litteras aliqui[14]) ad quamlibet provinciam audeant proficisci: quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Quibus e contrario hac ratione prospicimus, ut si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus metropolitanis provinciarum, quae congruae sunt, Arelatensis episcopus cuncta discutiens, pro causae qualitate observanda constituat: nec in injuriam alterius alienum clericum suscipi praeter testimonium proprii anti-

---

[13]) Ita mss. (α^3 etc.). At L^4 b c^5 c^7 c^{10} *conveniatur*. Observandum hic, nihil prorsus ab Hilaro definiri de cujusque provinciae conciliis, ac nihil proinde decerni, quod adversetur aut certe minus conveniat concilii Nicaeni canoni 5, Calched. c. 19, Regiens. c. 8, Arausicani I c. 29, Leonis epist. 14 n. 7 similibusque decretis, quibus *per singulos annos in singulis provinciis concilium episcoporum bis fieri* praecipitur. Suspicio tamen est, hoc Hilari decretum locum posterioribus dedisse statutis, quibus provinciae cujuslibet concilium singulis annis *semel* habendum definitur: ex. gr. syn. Aurelian. II c. 2, III c. 1, IV c. 37, V c. 23, Turon. II c. 1, Cabilon. I in praef., Quinisext. c. 8, Tolet. IV c. 3, Emeritens. c. 7, Greg. M. epist. IX, 106, ut Hormisdam, qui hoc epist. 25 n. 5 permittit, aliosque missos faciam. Agathensis quidem synodus a. 506 habita hoc canone clauditur: *Synodum etiam secundum constituta patrum annis singulis placuit congregari.* Sed haec synodus ex diversis congregata provinciis de similibus synodis ibi loquitur. Unde ibidem gratias agit regi, cujus permissu convenisse se in prooemio dixerat, et orant episcopi, ut *haec eadem facere* (h. e. cum eodem permissu ex multis provinciis convenire) *per multos annos possint.*

[14]) Apud Hincmarum lib. 55 capit. c. 37 (Opp. II, 494) *aliqui episcopi.* Hujusmodi litteras quidem, quae formatae dici solent, non solos Gallicanos episcopos ab Arelatensi antistite accipere voluit Zosimus epist. 1 c. 1, sed et quoslibet clericos. Hilarus vero tunc tantum illum ea de re adiri constituit, quum litterae ejusmodi a proprio episcopo denegarentur. — Porro idem illud privilegium etiam in Hispanienses Symmachus papa epist. 16 Caesario tribuit. Jam pridem autem episcopi, quum ad urbem regiam vel ad comitatum imperatoris pergebant, a comprovincialibus et praecipue a metropolitano, Afri vero, quum mare trajiciebant, a primate seu metropolitano suo ejusmodi formatas accipere tenebantur (cf. syn. Antioch. c. 11, Carthag. III c. 28).

Digitized by Google

a. 462. stitis secundum canonum statuta praecipiet. Singuli autem fratres universique cognoscant, parendum esse praesentibus constitutis, quibus etiam commonitio nostra denuntiat, in eos Christi Domini nostri judicium minime defuturum, qui declinando superba rebellione conventus, conscientiae suae testimonio confutantur sacerdotalis innocentiae fiduciam non habere.

IV.

6. Praeterea ejusdem fratris libellus oblatus est nobis, quo perhibet paroecias Arelatensis ecclesiae praedecessore[15]) suo Hilario in alios, quod non licuit, fuisse translatas, petens illas pristino juri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis apostolici memores, fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam: ut in vestro conventu ea, quae a nobis sperata[16]) sunt, allegentur, et quae ecclesiasticis regulis congruunt, decernantur.

V.

7. Simul etiam super hoc universam fraternitatem volumus esse commonitam, ne praedia[17]), quae neque deserta neque damnosa sunt et ad ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri, aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data III[18]) Nonas Decembris, GL. P. Severo Augusto consule.

Epistola 9.

a. 463 d. 10. Oct.

Hilari papae ad Leontium Arelatensem.

Ut in synodali conventu de ausu Mamerti episcopi Viennensis inquirat, qui invitis Deensibus episcopum consecrasse nuntiatus fuerat. p. 3

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.

1. Qualiter contra sedis apostolicae veniens constituta, sacerdo-

---

[15]) Ita α (α[1]) L[3]; alii *a praedecessore*. Ac sane probabilius videtur, invito Hilario episcopo et Leonis indignationi obnoxio *paroecias* illas distractas, quam sponte *translatas in alios* (L[4] b *in aliis*) fuisse.

[16]) α *parata*, L[3] *spreta*, b *scripta*.

[17]) Haec a synodo Bellovacensi apud Ivonem p. III c. 232 citata. Conferantur etiam Leonis epist. 17 et Gelasii epist. 16, fragm. 24.

[18]) In L[3] tota omittitur nota chronica, in L[2] autem vox *Augusto*. Porro hae tres litterae *GLP* quid indicent, ex Leonis epistolis 159 et 163 colligitur, ubi in sincerioribus mss. eorum loco legitur *Leone et*, id quod etiam epistolae nostrae satis congruit. Siquidem anno 462 Leo Augustus cum Severo secundum gerebat consulatum. Aliquot praeterea mss. pro *GLP* habent *glorioso principe*.

Digitized by Google

talem modestiam Mamertus[1]) episcopus Viennensis excesserit, dile- a. 463.
ctionis tuae debuimus relatione cognoscere, ut ausibus[2]) talibus maturum et juxta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum judicium proferremus. Quantum enim filii nostri viri illustris magistri militum Gunduici[3]) sermone est indicatum, praedictus episcopus invitis Deensibus, et qui ad ecclesiarum ejus numerum, quas[4]) ei apostolicae sedis deputavit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minime pertinebant, hostili more ut dicitur occupans civitatem, episcopum consecrare praesumpsit.

2. In quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit, pronuntiare possemus[5]), nisi judicii, ut diximus, et moderatio nobis esset et ordo servandus. Atque ideo memor sollicitudinis, quam dilectioni tuae scis esse commissam, quidquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in conventu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi praesidente est congregandus, discutere quae sunt acta debebis, et praedictam[6]) rationem facti sui sub universo coetu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris[7]) nostrae intimare notitiae: ut quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VI Idus Octobris, Basilio viro clarissimo consule.

---

[1]) De Mamerto, quem Hilarus hic acriter percellit, longe diverso calamo Sidonius Apollinaris (epistol. VII, 1) et s. Avitus (orat. de rogationib. in Sirmondi Opp. II, 89 ss., Migne Patr. lat. LIX, 289 ss.) scripserunt. Strenuissimum siquidem ac piissimum pastorem eum exhibent dignumque praedicant, per quem Deus magna et mirabilia pro ecclesiarum aedificatione operatus sit (c^{11}).

[2]) α^1 α^3 *ausis talibus ... ecclesiasticum ordinem regularem.*

[3]) L^4 *Gunduicii*, alii *Gundiuci*. Rex Burgundionum is erat, qui Rheno circ. ann. 406 transmisso multa cum Romanis in Gallia et vario eventu proelia commisit, ac demum pactis conditionibus magistri militum honorem adeptus est. Quod ab Hilaro *filius* nominetur, signum est, eum fidei catholicae cultorem fuisse. Qua non multo post abdicata Burgundiones ad Arianos defecisse satis notum est

[4]) α b c^5 *quem*, alii (α^1) *quas*. Quatuor autem ecclesias, scil. Valentiae, Tarantasiae, Genavae et Gratianopolis, anno 450 Leo epist. 66 Viennensi episcopo attribuit.

[5]) Ita α^2; *possem* α^1; *possimus* editi.

[6]) Ita α^2; similiter α^3 *praedictum rationem;* α^1 L^4 *praedictum ratione.* Editi *a praedicto* scil. Mamerto.

[7]) L^3 b *litteras.*

Digitized by Google

Epistola 10.

a. 464 d. 25 Febr.

Hilari papae ad episcopos synodi in causa Mamerti congregatae,

seu

Praeceptum Hilari papae de ecclesia Deensi, ubi episcopus indebite a Viennensi episcopo ordinatus est.

I. Ut per Veranum episcopum moneatur Mamertus, ut ab ordinationibus indebitis p. 3.
ordinis sui et privilegiorum periculo in posterum abstineat.

II. Ut qui Deensibus a Mamerto consecratus est, Leontii Arelatensis episcopi, a quo consecrari debuit, arbitrio confirmetur.

Dilectissimis fratribus, Victuro, Ingenuo, Ydatio, Eustasio, Fontejo, Viventio, Eulalio, Verano[1]), Fausto, Auxanio, Proculo, Ausonio, Paulo, Memoriali, Coelestio, Projecto, Eutropio, Avitiano, Urso et Leontio Hilarus.

1. Sollicitis admodum nobis et ex his, quae proxima ad nos relatio certa[2]) detulerat, multa exspectatione suspensis, litterae dilectionis vestrae, fratre et coepiscopo nostro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpetem, deferente, sunt traditae, quae nos ipsis contextus sui contristavere principiis. Nam qui requiescere sollicitudinem nostram et magna ex parte relevari in his, quae a sanctae memoriae decessore meo de Viennensi episcopo praefixa sunt, credebamus, evidenti assertione cognovimus et non sine dolore miramur, definitiones illas a Mamerto episcopo nunc potuisse transcendi, per quas ecclesiae privilegium probarat acquiri: quum praecipue fratris et coepiscopi nostri Leontii moderatio formam continentiae praebere debuerit ambienti, aut si spiritu aemulationis inflatus eum, quod non oportuit, arbitratus est negligendum, decessoris[3]) sui saltem instructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cujus honore perfungitur, nec transgrediendo violaret, quod jam nunc, nisi patientiae moderamina teneremus, posset amittere.

2. Cui unquam profuit mens rebellis, aut quem superbiae non inclinavit elatio? Altior est humilitatis gratia, cui paupertate spi-
Matth. 5, 3. ritus ad praemium promissae beatitudinis iter regni coelestis aperitur. Nec perfunctorium praevaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis ecclesiasticis, quid uterque mereatur, agnoscit:
Psalm. 100, 7. quum alter secundum propheticam vocem in medio dominicae domus

[1]) Deest in L^3 L^4 b, in L^2 *Veranio*. Hunc Veranum Sirmondus Lugdunensem episcopum opinatur, Tillemontius Venciensem, Galliae christianae scriptores in *Eucherio Lugdunensi* utriusque sententiae momenta librantes neutram in partem declinant.

[2]) scil. *Gunduici* magistri militum opera.

[3]) Venerii nimirum, quem Leonis sententiae in epistola 66 prolatae assensum praebuisse hinc colligitur.

Digitized by Google

habitare prohibetur, alter respiciente[4]) se Domino semper junctus asseritur, cujus consolatione salvatur. Possent venerabilium veterum multa replicari, quae juxta veritatem dicta demonstrantur, sed ab eadem causa, quae se ut loqueremur ingessit, recentiora sunt exempla sumenda. Non[5]) dignitatem Viennensis ecclesiae Mamertus episcopus meminit Arelatensis antistitis quondam transgressione crevisse, et pro corrigendis, quae perperam gerebantur, inviolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium praecessoris reperiretur exutus? a. 464. Is. 65, 2.

3. Sicut ergo et vestrae dilectionis relatio et fratris et coepiscopi nostri Antonii insinuatio reseravit, claret, praedictum privilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus fratris et consacerdotis Leontii moderantia, Deensibus contra fas episcopum, etiamsi est meritus, non timuit consecrare. In quo factum ejus convenerat sic resolvi, ut juxta eorum, quae perpetrata sunt, qualitatem non sine jactura proprii ordinis[6]) etiam illum a sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem creavit indebite; quemque[7]) indignissime fecisse convincitur, correptum justa ultione sentiret, ne conceptae audaciae incastigata temeritas licentiae se peperisse putaret exemplum. Verum ad ecclesiarum quietem tantae transgressionis vulnera memores apostolicae sapientiae curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Praevia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinae ipsius et modus est quaerendus et qualitas: ut omnis per sapientiam facta in vitiis[8]) reprimendis sollicitudo curantis gaudeat reparatione, quod salvat, nec careat moderatione, quod resecat.

4. His igitur vestra fraternitas graviter prudenterque perpensis, alia[9]) apud nos dissimulari posse non aestimet, in quorum se maxime contumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit. Fratri

---

[4]) Sic α^1 c^7, nisi quod c^7 *deo*. L^4 *suspiciente se Dmno*, b *suscipiente*. Mox c^7 *conjunctione*. Hic alludere videtur Hilarus ad illum Isaiae 65, 2 locum secundum antiquam lectionem: *ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum?* (aut ad Psalm. 30, 8 vel Luc. 1, 47).

[5]) Ita mss. et b c^{11}; c^5 seqq. *Nam dignitatem*, omisso subinde *meminit*.

[6]) Quia nimirum, ut Leo epist. 104 n. 3 loquitur, *propria perdit qui indebita concupiscit*. Illegitime ordinatum gradu suo mulctant syn. Taurin. c. 3 et Zosimus in epistolis 6 n. 2, 7 n. 2 et 9 n. 1.

[7]) L^3 *quem neque dignissime*, moxque L^3 L^4 b *nec conceptae*.

[8]) L^3 *injuriis reprimendis*.

[9]) Ita b suffragantibus mss. (α^1 L^4). Alii *talia*.

Digitized by Google

a. 464. enim nostro Leontio nihil constituti a sanctae memoriae decessore meo juris potuit abrogari[10]), nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri: quia Christianorum quoque principum lege decretum est, ut quidquid ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius observantia disciplinae in auferendis confusionibus apostolicae sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciterque servari cum suis plebibus caritas vestra cognosceret; nec unquam possent convelli, quae et sacerdotali ecclesiastica praeceptione fulcirentur et regia. Unde, fratres carissimi, praesumptionem praedicti, quae in fratris et coepiscopi nostri Leontii processit injuriam, ita convenit tolerari dignae nunc interim ultionis immunem, ut si transgressor remediis abutitur satisfactionis et veniae, nec culpam praesentis excessus curandam futurae observantiae sedulitate promittit, redeunte querimonia eo privilegia Viennensis ecclesiae ad Arelatensem antistitem transferantur exemplo, quo migravere principio.

I.

5. Unde nostrae moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, ut praedictum ex nostra delegatione conveniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet, delinquentem[11]) fratrem de propriis excessibus increpare, quibus praeceptum constat frequenter ignoscere. Necesse est autem, si nullum correctionis ejus indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, qua[12]) definitionem sedis apostolicae periculo ordinis sui semper conservandam sine ulla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor civitates, quarum non fuit aut non fuerit Mamertus episcopus ordinatione contentus[13]), esse revocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si ullus unquam post eum, quem nunc caritate corripimus et ulterius ab illicitis confidimus abstinere, praesumptionis hujus imitator exstiterit.

Matth. 18, 22.

---

[10]) In uno ms. *abrogare — auferre.* In sequentibus Hilarus commemorare videtur Valentiniani novellam d. 8 Jul. a. 445 (inter Leonis epist. 11).

[11]) Hilari mentem si assequimur, docet delinquentis increpationem ex ignoscendi praecepto proficisci, quia increpatio adhiberi debet, ut reus indulgentia se dignum praebeat (c[11]).

[12]) L^3 L^4 b *quam definitione,* α^1 *quam definitionem.* Quod Mamerti correctionis indicium velit Hilarus, hic aperte declarat: ut nimirum definitionem suam de Viennensis dioecesis divisione Leonis judicio fultam religiosissime se sub ordinis et gradus sui periculo servaturum profiteatur. Id vero nunquam a Mamerto factum esse, ex eo Labatus concludit, quod Deensium ecclesia semper sub episcopo et metropoli Viennensi relicta, nulla hujus decreti ratio habita videatur.

[13]) In L^2 L^3 L^4 b deest *contentus.* Quatuor illas civitates ex Leonis epist. 66 jam supra ad epist. 9 not. 4 nominavimus.

Digitized by Google

II.

6. De hoc sane, qui licet indebite Deensibus cognoscitur ordi- a. 464.
natus, justitiae ratione censuimus, ut sacerdotium ejus fratris et coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari[14]). Deus vos costodiat, fratres carissimi, aevo longiore! Data sexto Calendas Martias post consulatum Basilii viri clarissimi consulis.

Epistola 11.

Hilari papae ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. (a. 464.)

p. 3. *Ne quis suos terminos transcendat, et ut concilia quotannis sub Leontii Arelatensis praesidio celebrentur.*

Dilectissimis fratribus episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae, Alpinae Hilarus episcopus.

1. Etsi meminerimus fraternitatem vestram ea quae sunt a vobis[1]) statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quae scripsimus: ut scilicet pro disciplina ecclesiastica et pro causis, quas inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, synodalia quotannis concilia, quorum maxime in fratre et coepiscopo nostro Leontio Arelatensis ecclesiae sacerdote summam[2]) placuit esse, celebrentur, nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit; tamen repetitis litteris eadem nunc quoque observanda decernimus, praecipue quum gravissima Viennensis civitatis episcopus involvatur offensa, in injuriam fratris et coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cujus facto vindictae congruae sententiam differentes, relationi fratrum quae interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam tanti excessus majorem nobis sollicitudinis materiam detulerunt, haec ad universam caritatem etiam per fratrem et coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam fratrum in al-

---

[14]) Contra fas ordinatum non penitus a sacerdotio amovet, tum ut paternae moderationis exemplum praebeat, tum quia ille ipsomet Hilaro non diffitente (cf. n. 2) hunc gradum promeritus fuerat.

[1]) c^5 c^7 *a nobis*, melius b c^{11} cum mss. Hic et infra *a vobis*: non quod per se ea definierint sed per legatos suos Faustum et Auxanium, quos anno praeterito 462 Romanae synodo interfuisse ejusque decreta calculis suis approbasse supra vidimus (cf. epist. 8 n. 2).

[2]) Jam Leontii decessorem Ravennium quum in epistola 99 ad Leonem a 19 episcopis scripta tum in epist. 102, qua hic iisdem rescripsit, prae ceteris episcopis veluti synodi eorum praesidem nominari, supra observavimus.

Digitized by Google

a. 464. terius prorupturus injuriam transcendat terminos a venerandis patribus constitutos.

2. Unde omnia quae a vobis sunt per fratres et coepiscopos nostros Faustum et Auxanium definita roborantes, congregationes annuas ordinante fratre et coepiscopo nostro Leontio, admonitis metropolitanis, quod saepe dicendum est, iis locis celebrare dignemini, ad quae conveniendi nulla sit cuiquam[3]) commeantium difficultas. Cui diligentiae etiam provisio adhibenda est, ut opportunitas quemadmodum locorum ita constituatur et temporum: ut inexcusabilior, quisquis tam necessarium et salubre constitutum nostrum negligendum putaret, appareat, fratres carissimi. Illius autem confirmationem, quem Viennensis episcopus alienum[4]) et ad se minime pertinentem graviter ordinare praesumpsit, fratris et coepiscopi nostri Leontii reliquimus voluntati, quem confidimus non praeter humanitatem[5]) pensare quae justa sunt. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi!

Epistola 12.

(a. 463—465.) **Hilari papae ad Leontium, Veranum et Victurum episcopos.**

Ingenui et Auxanii controversiam illis delegat, vultque irritum esse quod sibi ab p. 3.
Auxanio subreptum. Statuit, ut Cemelensis civitas et Nicense castellum ad unius episcopi regimen revertantur.

Dilectissimis fratribus Leontio[1]), Verano et Victuro episcopis Hilarus papa.

1. Movemur ratione justitiae, quae licet ab omnibus, qui recta sapiunt, debeat custodiri, tamen[2]) praecipue Domini sacerdotibus non est temere negligenda, quorum ceteros informari convenit institutis. Frater igitur et coepiscopus noster Ingenuus Ebredunensis, Alpium maritimarum provinciae metropolitani[3]) semper honore sub-

[3]) L² *commeatuum* omisso *cuiquam*.

[4]) L² *alieno et ad se minime pertinente* mendose. Non solum ecclesia, cui episcopum ordinare non dubitavit, sed nec ipse, quem ordinavit, ad Mamertum pertinebat, adeoque hunc e Deensi clero assumtum esse probabile est.

[5]) L² ad marg. antiqua manu e regione hujus vocis annotat: *humanitatem praevalere cupit, qui sic jubet.*

[1]) Ita c^5 c^{11} cum mss.; a^1 *Verano Leontio*. Hunc Leontium vero non Forojuliensem, ut vult Baronius ad a. 465, sed Arelatensem episcopum opinamur, probatque Leonis ad Theodorum Leontii Forojuliensis successorem epistola 108 anno 451 consignata. — Mox Γ *Victorio* ac subinde *monemur*.

[2]) α^1 β Γ c^5 *tum praecipue*.

[3]) Ita A $^1K^3$ Γ c^5; a^1 *metropolitanus*, β *Metropolitanensem per honorem* corrupte. Paschasius Quesnellus dissert. V in Leon. part. 2 cap. 6 multum laborat de hujus loci interpretatione, ubi episcopus Ebredunensis ejus provinciae *metropolitani semper subnixus honore* et de ejus *dudum ab apostolica sede illicita cessione*

Digitized by Google.

nixus, in praejudicium suum, sicut annexa declarant[4]), quaedam nos a. 463
petente fratre et coepiscopo nostro Auxanio[5]) statuisse commemorat, —465.

---

culpatus dicitur. Siquidem pro certo ponit, provinciam Alpium maritimarum antiquitus sub metropoli Arelatensi fuisse, nec nisi ex sua a solida Narbonensi divisione politica ecclesiasticam sibi praerogativam praesumpsisse, sed statim a synodo Regiensi anno 439 retusam fuisse. Verum jam Ballerinii in doctissimis suis ad illam dissertationem observationibus (Leon. Opp. tom. II, 993 ss.) evidenter demonstrarunt, nihil de suppositis stare, cadere scrupulos inde subsequentes. Nimirum in Gallia circa finem demum saeculi IV privilegia metropolitana secundum Nicaeni concilii canones constitui et stabiliri coepta sunt, ut palam faciunt synodus Valentina a. 374 et Taurinensis circ. ann. 400. Haec quidem synodus Taurinensis c. 2 disceptantibus Arelatensi et Viennensi de illa praerogativa episcopis recte proclamaverat, ut *qui ex eis approbasset suam civitatem esse metropolim* (intellige *ecclesiasticam*, nam de civili nihil dubii esse poterat), *is totius provinciae primatus honorem obtineret* (Hard. coll. conc. I, 958). Quae regula omnino pro constituenda illa praerogativa observata fuisse videtur. Secundum eam igitur et Ebredunensis ecclesia, quippe religionis in provincia Alpium maritimarum metropolis, dignitatem metropolitanam sortiri debebat. Per aliquod tamen tempus Patroclus episcopus Arelatensis auctoritate s. Zosimi papae abusus justum ordinem turbavit, jura suae sedis supra modum extendens. Mox autem revocavit s. Bonifacius papa, hanc regulam generalem proclamans: *Nulli videtur incognita synodi constitutio Nicaenae, quae ita praecipit ...: per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas* (Bonif. epist. 12 n. 1). Quod idem confirmavit successor s. Coelestinus, in epistola 4 n. 6 ad episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis repetens: *ut juxta decreta canonum unaquaeque provincia suo metropolitano contenta sit ..., nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam.* Tunc igitur statim Ebredunensis ecclesia dignitatem ab initio sibi competentem repetiit. Quam paullo post impugnavit episcopus Arelatensis memoria Patrocli suffultus, et revera episcopo Armentario deposito (in syn. Regiensi a. 439) noviter electus Ingenuus privilegio suo in favorem Arelatensis cessit (cf. syn. Arausic. a. 441, Leon. epist. 66). Quod idem quum in alios quoque metropolitas usurpatum esset, s. Leo papa restitit, et episcopo Aquensi in provincia Narbonensi secunda dignitatem restituens generaliter edixit: *Ordinationem sibi ... singuli metropolitani suarum provinciarum ... restituto sibi per nos jure defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus suis terminis sit unusquisque contentus, et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis, negligens apostolicas sanctiones, plus gratiae tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali ceteros praevenit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem*" (Leon. epist. 10 c. 6). Num praeterea idem s. pontifex speciali episcopum Ebredunensem hujus negligentiae censura notaverit, non liquet. Verum jam ex dictis satis patet, quomodo hoc loco episcopus ille dignitate metropolitana *semper subnixus* et ejus *illicita cessione dudum ab apostolica sede culpatus* dici possit.

[4]) Ita Γ c^5 c^{11}. At A^1 β *deplorant*, a^1 *declarat querimonia.*

[5]) a^1 *Auxamio.* Hunc episcopum Aquensem fuisse conjectat Tillemontius, nec improbabiliter existimat, eum occasione legationis, quam anno 462 exeunte obiit cujusque meminit Hilarus epist. 8 n. 1, privilegium istud obtinuisse, quod nunc idem papa ipse *subreptum* agnoscit. Neque recentes sunt hujusmodi obreptiones, nec judicium de iis unquam dubium. De Basilide, qui juste dejectus

Digitized by Google

a. 463 —165. quae universis in hac eadem causa defensionibus contrairent. Siquidem relationibus in nostro judicio recensitis, quas frater et coepiscopus noster Veranus ad sanctae memoriae decessorem meum cum ceteris provinciae sacerdotibus misit, et apostolicae sedis, quae tunc directa fuerat, responsione patefacta manifestum est, nihil postea debuisse tentari, nec ad injuriam synodalium regularum quidquam per obreptionem, quae proxime facta est, oportere[6]) constitui. Nam licet ex hoc etiam quod a nobis est elicitum censeatur infirmum, quia[7]) et ipsum insinuatum est exsequi noluisse qui meruit, tamen ne odio vel gratia moveamur, quae in causarum disceptationibus esse non debet, ita vestrae caritati cognitionem annexae querimoniae delegamus, ut nihil adversum venerandos canones, nihil contra sanctae memoriae decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit.

2. Nolumus namque fratres carissimi, ecclesiarum privilegia, quae semper sunt servanda, confundi, nec in alterius provincia sacerdotis alterum jus habere permittimus: quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur, cujus[8]) exspectatio fructus nostri ministerii non in latitudine regionum sed in acquisitione ponitur animarum. Habeat itaque pontificium frater et coepiscopus noster Ingenuus provinciae suae, de cujus dudum ab apostolica sede est illicita[9]) cessione culpatus: et custoditis omnibus, quae super ecclesiis Cemelensis[10]) civitatis vel castelli Nicensis, sicut diximus, sanctae memoriae de-

---

in sedem suam restitui Stephano decepto curaverat, s. Cyprianus epist. 68 (ed. Pamel.) scribit: *Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata crimina. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit.* — Porro quid *relationes* illae Verani ad Leonem missae continuerint, non omnino liquet. Probabile est autem, in iis actum esse de Cemelensi et Nicensi ecclesiis inter duos episcopos non dividendis. Qua de re quum s. Leo Verani et aliorum votis annuisset, Auxanius ab Hilaro contrarium decretum obreptione impetraverat.

[6]) a[1] *debere constitui.* Tum Γ *Nam licet jam ex hoc.* c[5] seq. *et hoc etiam.* Clarior esset sententia in hunc modum: *licet id, quod a nobis est elicitum, ex hoc etiam censeatur infirmum, quia* etc.

[7]) K[3] Γ *quin ex ipso,* unde a[1] *exequi voluisse.*

[8]) a[1] *cum exspectatio,* rectius c[5] c[11] cum mss. *cujus exspectatio* h. e. qui (Dominus) ministerii nostri exspectat fructum, et is quidem fructus *non in latitudine regionum* etc. Hanc Hilari sententiam adversus eos, qui in id unum student ac laborant, ut quam latissime ditionis suae fines propagent, merito auream praedicat Baronius, ad cujus normam si suam quisque mentem dirigeret, continuo ubique lites infinitae cessarent, quibus passim concutitur ecclesiarum tranquillitas.

[9]) De hujus loci interpretatione, ex quo conjecturarum Quesnellianarum eo magis patet inconcinnitas, conferatur supra not. 3.

[10]) Ita K[3] c[11]. At A[1] β Γ c[5] *Cemelenensis*, a[1] *Cemeliensis.* Mox a[1] *Nicaeensis*

Digitized by Google

cessoris mei definivit auctoritas, nihil ecclesiarum juri noceat, quod a. 463 —465.
in altero[11]) memoratorum a praedicto fratre ad excludendam cupiditatem, quemadmodum[12]) perhibuit, ambitionis alienae proxime est episcopus consecratus: sed statutae correctionis forma permaneat, ut ad unius antistitis regimen praedicta loca revertantur, quae in duos dividi non decuit sacerdotes. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

Epistola 13.

Episcoporum Tarraconensium ad Hilarum papam.

(a. 463 —464.)

p. 3. *De Silvano Calaguritano episcopo, qui episcopum populis non petentibus ordinavit et Caesaraugustani episcopi presbytero manus imposuit, conqueruntur, Hilarumque consulunt, quid ibi faciendum aut qua ratione ejusmodi abusibus occurrendum sit.*

Domino beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro Ascanius episcopus et universi episcopi Tarraconensis provinciae.

1. Etiamsi nulla[1]) exstaret necessitas ecclesiasticae disciplinae, expetendum re vera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit: cujus[2]) vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus[3]) adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus in[4])

---

et ad marg. *Niciensis*, c^5 c^{11} *Nicaensis*, A^1 *Nictiaensis*; sequimur K^3 β Γ. Leonis definitio hic memorata desideratur, nisi forte illa generalis epist. 10 n. 6.

[11]) c^5 c^{11} *in altera memoratarum*, alii editi *in alterum*. Restituendum duximus *in altero memoratorum* scil. locorum, ut suadebat quod mox subjicitur: *ad unius antistitis praedicta loca regimen revertantur*. Hujus autem decreti exsecutionis luculentum exemplum exhibent Aurelianensis V concilii subscriptiones, inter quas legitur: *Aëtius presbyter directus a domno meo Magno episcopo ecclesiae Cemelensis et Nicensis subscripsi.*

[12]) Ita c^5 c^{11} cum mss. At a^1 *quemdam modum prohibuit*. Ita decernit Hilarus, duo loca ad unum redire antistitem, ut simul excuset Ingenuum, quod in eorum altero (scil. Nicensi) episcopum consecrarit, ne alienae ambitioni (scil. Auxanii) occasionem daret.

[1]) In c^7 librarii oscitantia deest *nulla*. Deinde plures mss. *staret* (et similiter infra *stirpata*), H^6 a^1 et duo mss. (unus secunda manu) *instaret*, alii *exstaret*, F^2 *nulle staret necessitatis*, H^8 *Jam si ... staret*. Deinde F^2 *quod susceptis*, moxque H^7 H^8 *illuminatione*.

[2]) *cujus* (scil. Petri) *vicarii*: intelligendus Romanus pontifex. Petri enim successores jam priscis temporibus ejusdem vicarii vocari consueverunt.

[3]) Ita mss. (F^2 H^7 H^8), h^1. At c^5 c^7 *penitus*.

[4]) Ita A^1. In aliis deest *in*.

Digitized by Google

a. 463—464. apostolico ore laudatam, inde responsa quaerentes, unde nihil errore, nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.

2. Quum haec ita se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cujus praesumptionem[5]) sicut diutius tacere non licuit, ita et loqui futuri judicii necessitas imperavit. Silvanus quidam episcopus Calagurae in ultima parte nostrae provinciae constitutus, ordinationes sibi indebitas usurpando, humilitatem nostram ad hoc usque perduxit, ut contra ejus vanissimam superstitionem sedis vestrae unicum remedium flagitemus. Hic namque jam ante septem aut octo amplius annos, postponens patrum regulas et vestra[6]) instituta despiciens, nullis petentibus populis episcopum ordinavit: cujus praeproperum factum existimantes fraterna et pacifica posse admonitione sanari, profecit in pejus. Denique dum[7]) contra vetustatem canonum, contra synodi constituta alterius fratris nostri presbyterum, spiritu tantum praesumptionis accensus, in eodem loco, qui illi fuerat destinatus, cui invito et repugnanti imposuerat manus et qui nostro jam coetui fuerat aggregatus, episcopum fecit: hinc factum est, ut de ejus miserrima temeritate ad nos Caesaraugustanae urbis episcopus frater noster referret[8]), cujus diligentia et sollicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset. Siquidem cunctis in vicinia positis episcopis, ne se schismatico adjungerent, frequentissime contradixit; sed obstinatione damnabili totum, quod erat illicitum et quod nobis pudor est dicere, non erubuit solus ille committere.

3. Proinde quia his praesumptionibus, quae unitatem dividunt, quae schisma faciunt, velociter debet occurri, quaesumus sedem vestram, ut quid super hac parte observare[9]) velitis, apostolicis affatibus instruamur: quatenus fraternitate collecta prolatis in medium venerandae synodi constitutis, contra rebellionis spiritum vestra auctoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore et de ordinato fieri,

---

[5]) H^{7} H^{8} *praesumptione;* H^{7} *divinitus tacere ... Calagorre* (H^{8} *Calogorre*). Deinde in vulgatis ac plerisque mss. *divinationes,* ubi cum K^{3} praetulimus *ordinationes,* quod et sensus postulat et c^{5} c^{7} i^{1} ad marg. notarunt. H^{7} *susurrando* (loco *usurpando*).

[6]) h. e. sedis apostolicae nominatimque Leonis epist. 14 n. 5, ubi statuit, ut *nullus invitis et non petentibus ordinetur;* et epist. 13 n. 3: metropolitano *hoc licere non permittimus, ut suo tantum arbitrio sine cleri et plebis assensu quemquam ordinet sacerdotem;* nec non Coelestini epistolam 4 n. 7 sancientis, ut *nullus invitis detur episcopus.*

[7]) In plerisque mss. (etiam H^{7} H^{8}) hic additur *dum* (in H^{6} *quum*), quod editi omiserunt; moxque F^{2} H^{7} H^{8} *accessus* (loco *accensus*). — Is episcopus, cujus clericum episcopum fecit Silvanus, ex sequentibus intelligitur esse Caesaraugustanus. Id vero factum adversatur Nicaeno c. 16, Antioch. in encaeniis c. 13 et 22, Sardic. c. 18 et 19, Carthag. I c. 5, Innocentii epist. 2 n. 10 al.

[8]) F^{2} H^{7} *universa referret,* et antea H^{7} *unde* (loco *ut de*).

[9]) H^{7} *observari,* moxque in H^{6} deest *et de ordinato.*

Digitized by Google

intelligere Deo adjuvante possimus. Erit profecto vester triumphus, a. 463 —464. si apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet[10]), catholica audiat Ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint exstirpata. **Et subscriptio.** Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum jugi aevo divina conservet aeternitas!

Epistola 14.

Episcoporum Tarraconensium ad Hilarum papam.

(a. 464 —465.)

p 3. *Ut Hilarus Irenaeum episcopum, quem Nundinarius sibi successorem optavit quemque clerus et populus expetunt, in Barcinonensi sede confirmet. De Silvani molitionibus iterato conqueruntur, quum nullum ad priores litteras responsum accepissent.*

Beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro Ascanius et universi episcopi Tarraconensis provinciae.

1. Quam[1]) curam apostolatus vester de provinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio duce provinciae nostrae referente cognovimus: cujus impulsu votum nostrum in ausum scribendi prona devotione surrexit. Ergo provinciali litterario sermone debita coronae[2]) vestrae obsequia deferentes, his quaesumus, ut dignatione, qua ceteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime et apostolica reverentia in Christo a nobis colende pater: illud specialius deprecantes, ut factum nostrum, quod tam voto pene omnis provinciae quam exemplo vetustatis in notitiam[3]) vestram defertur, perpensis assertionibus nostris roborare dignemini.

2. Episcopus Barcinonensium[4]) civitatis sanctus Nundinarius sortem explevit conditionis humanae. Hic episcopo venerabili fratri

---

[10]) Plures mss. (etiam F^2 H^7 H^8) *obtinere catholica audeat ecclesia* (et paullo antea H^7 *quod a s. Petri*), mendose.

[1]) aliquot mss. *Quoniam curam.* Deinde F^2 *apostolatus vestri* et posteriori manu additum *providentia.* Moxque cum F^2 H^7 H^8 h^1 revocamus *duce*, quod in aliis deest.

[2]) Eumdem hujus vocis usum invenimus in Leonis epistolis 3 et 65. — Mox H^1 *in ordinationibus ... in Christo nobis colende.*

[3]) Mss. *in notitiam nostram*, quod recte in H^3 et editis emendatum. Non ajunt enim, quod episcopum in aliam ecclesiam transtulerint, exemplo vetustatis probari, sed se majorum exemplo adduci, ut hoc factum suum ad apostolicae sedis notitiam deferant.

[4]) Variant in hac voce codices. Alii legunt *Varobiensium*, *Varohiensium* (F^2 H^5), *Varrohiensium* (H^7), *Varoiensium*, alii *Vertenonensium*, *Vercenonensium*, alii *Bartinonensium* et *Barcilonensium.* Mox H^7 *Hierineo.*

Digitized by Google

a. 464 —465. nostro Irenaeo, quem ipse antea in dioecesi[5]) sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei quod potuit habere paupertas, supremae voluntatis arbitrio in locum suum ut substitueretur optavit: sed defuncti judicium in ejus meritum non vacillat. Siquidem omnis clerus et plebs ejusdem civitatis et optimi et plurimi provinciales, ut idem in[6]) ejus locum observaret, a nobis speraverunt dato consensu. Nos cogitantes defuncti judicium, et probantes ejus vitam et eorum nobilitatem atque multitudinem qui petebant, simul et utilitatem ecclesiae memoratae, optimum duximus, ut tanto sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti substitueretur antistes, praesertim quum ecclesia illius municipii, in qua ante fuerat ordinatus, semper hujus civitatis ecclesiae fuisse dioecesis constet. Ergo suppliciter precamur apostolatum vestrum, ut humilitatis nostrae[7]) quod juste a nobis videtur factum vestra auctoritate firmetis.

3. Jamdudum sane questi fueramus litteris nostris de praesumptione Silvani episcopi, et miramur, quod nulla[8]) apostolatus vestri responsa suscepimus. Nunc haec eadem suggerentes petimus, ut quid super his rebus observandum sit, apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligentiam portitoris aut per longinqui itineris difficultatem humilitatis nostrae ad vos scripta non potuerint ex hoc negotio pervenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare. **Et subscriptio**: Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum jugi aevo divina conservet aeternitas nobis omnibus et Ecclesiae suae, domine vere noster et[9]) apostolice papa!

---

[5]) Vocem *dioecesis* pro territorio episcopi jam antea Hispanis usitatam, constat ex concilio Toletano I c. 20. Sed neque minus familiarem Afris fuisse, liquet ex vulgato eorum codice canonum c. 54, 56 etc., nec non ex Augustini epist. 209 n. 8 (ol. 261). Quod autem hic narrat Augustinus, se episcopum in territorio Fussalensi ad paroeciam Hipponensis ecclesiae pertinente instituisse, idem et a Nundinario in quodam ditionis suae municipio cum episcoporum provinciae consensu factum videtur.

[6]) Editi *ejus locum,* rectius mss. (etiam F^2 H^7) *in ejus locum;* quippe sequens verbum *observaret* idem significat, quod *episcopatum gereret*, uti ἐπίσκοπος non male latine dicitur *observator* seu *speculator.*

[7]) Ita h^1 et mss. Editi addunt *decretum.* Et id quidem hic praesules repetunt, quod initio postularant, ut Hilarus *factum* non *decretum* ipsorum (*humilitatis nostrae*) roborare dignetur.

[8]) F^2 *nullatenus vestra responsa.* Moxque H^7 *longi itineris facultatem.*

[9]) In F^2 deest *et.*

Digitized by Google

Epistola 15

seu

Decretum synodale Hilari papae.

a. 465 d. 19 Nov.

p 4. I. Synodus habita in basilica beatae Mariae.
II. Adlocutio papae Hilari in eodem conventu.
III. Epistola prima Ascanii vel universorum episcoporum (Tarraconensis provinciae) ad Hilarum papam.
IV. Epistola secunda Ascanii Tarraconensis provinciae.
V. Subscriptio episcoporum qui fuerunt in synodo.

I.

1. Flavio Basilisco et Herminerico viris clarissimis consulibus sub die XIII[1]) Kalendarum Decembrium residente viro venerabili Hilaro papa in basilica sanctae Mariae[2]), et Maximo Taurinatum[3]) . . . primae civitatum provinciae Galliarum, Ingenuo Ebredunensi provinciae ss.[4]), . . . Medionensi provinciae ss., Saturnino Avenio-

---

[1]) Ita F^2 H^7 $h^{\wedge}$ et Coust. mss. H; H^8 O^1 et plerique mss. J O c^7 c^{10} *d. XV*, P^1 H^9 O^2 c^6 c^9 *die XVI*, i^2 *die XII*. Quas lectiones mendosas esse inde liquet, quod omnes ii dies anno 461, quo ordinatus est Hilarus, non in dominicam cadebant, qua sola Romae ejusmodi ordinationes celebrabantur.

[2]) In P^5 I^6 O^1 O^2 i o omissis episcoporum nominibus hic subjicitur *una cum episcopis quinquaginta, residentibus etiam universis presbyteris* etc.

[3]) Plerique mss. *Taurinium civitatum*, nisi quod H^4 H^7 H^{11} K^3 *Tauritanium*, H^{10} *Tauritanorum*, H^6 *Tauritanum*. 1. *primae civitatum provinciae Galliarum*, F^2 *Tauritanium civitatum Gallicarum*, H^3 sec. manu *Taurinensis civitatis*, h^1 *Taurini civitatis provinciae Galliarum Ingenuo*, c^7 c^{10} *Taurinae civitatis provinciae Gallicarum ingenuo*, c^6 *Taurinae civitate provinciae Galliarum*. Infra idem Maximus in 7 mss. et H^9 legitur *episcopus ecclesiae Tauritanis* (sane restituendum cum H^7 *Taurinatis*). Hinc vestigia H^9 secutus legendum existimarim *Maximo Taurinatum .... primae civitatum provinciae Galliarum*, ut ibi similiter, ac mox Medionensem, aliquos episcopos primae provinciae Galliarum excidisse putarim.

[4]) Pro duplici littera *ss*, quam plerique mss. ac vulgati libri exhibent, in H^1 hic et infra spatium vacuum relinquitur, in 1 H^3 exprimitur verbum *sunt* et infra simplex *s*. Conciliorum editores duplex *ss* retinuerunt, cui tunc Harduinus jam recte vocem *suprascriptae* (scil. *provinciae Galliarum*) substituit. Deinde desideratur nomen episcopi, qui item provinciae *suprascriptae* Galliarum erat. Quocirca pro *Medionensi*, quod in omnibus mss. exstat, pessime in vulgatis *Mediolanensi* substitutum est, quod Mansius (et Hard.) expresse tuetur, secundum Papebrochium Acta Sanctorum Maj. tom. VII vel *Eusebium* vel *Geruntium* ejus sedis episcopum insinuans. Forte etiam verba illa *Medionensi provinciae ss* oscitantia librarii irrepserunt, qui perveniens ad *Saturninum* eo omisso exscripsit *Mediolanensi* etc. pro *Avenionensi* etc. (seu ut in scriptis pingitur *Abinionensi*), ac deinde resumens quod omiserat addidit *Saturnino Avenionensi* etc. Revera verba *Medionensi provinciae ss* in F^2 H^6 H^{10} desunt. Ex alia autem parte verba mss. IO *ms cum episcopis* 50, quum hic non nisi 48 nominantur, duos praeter hunc *Medionensem* excidisse suadent. Ac fortasse hoc modo etiam additamentum superius *civitatum provinciae Galliarum*, quod cum *Taurino* parum cohaeret, aliquatenus dilucidatur.

Digitized by Google

a. 465. nensi provinciae ss.[5]), Petro Portuensi, Paulo[6]) Aquaevivensi, Primo Atellano, Palladio Salpinati, Gaudentio Aviciensi[7]), Sotere Neapolitano, Tiburtio Capuano, Probo[8]) Canusino, Gaudentio Scyllateno, Felice Lunensi, Eubodio Tifernensi[9]), Eusebio Senensi, Majoriano Astensi, Justo Faventino[10]), Felice Sipontino, Concordio Barino, Urano, Caprario Casitano, Januario Praenestino[11]), Constantino Aquinati, Adeodato Cumano, Praetextato Interamnano, Tiberio Curium Sabinorum, Claudio Pausulano, Gerontio Camerino, Adeodato Veliterno, Lucifero Tifernis[12]) Metauris, Crispiano Subaugustano, Romano Albanensi, Seruodei Nomentano, Florentio Talesino[13]), Hilario Amerino, Candido Tiburtino, Paulo Foronovano, Eusebio Sutrino, Apulejo Tarquiniensi, Gaudentio Antiatino, Asterio Gabinati, Projectitio Nepesino, Asterio Foroclaudiensi[14]), Philippo Numanati, Gaudentio Vecconensi[15]), Restituto et Octavio Afris; residentibus

---

[5]) In 1 H^3 sequentium nominum loco summatim habetur: *Et subscripserunt XLII* (XLIV?) *qui in eodem concilio convenerunt, residentibus etiam universis presbyteris* etc.

[6]) Ita H^8 (prima manu) H^s; alii *Paulino.* Moxque F^2 H^7 *Aquaeviensi*, H^6 h^1 *Aquaebiensi.* Infra secundum omnes mss. sententiam dixit *Paulus Aquaevivae.*

[7]) Editi *Albingensi* vel (c^{10}) *Albigensi*, in mss. (etiam H^7 H^s) *Aviciensi* vel *Albiciensi*; h^1 *Abitiensi.*

[8]) *Probo Canusino*, quem immerito plures mss. et editi omittunt, hoc loco addimus auctoritate H^7 H^5 H^{10}. Mox editi *Lucensi*, c^6 *Cumiensi.*

[9]) Mss. (etiam H^7 H^5 h^1) *Trifenensi*, H^6 *Eubodio Senensi Eusebio Trifinensi*, c^6 *Eusebio Genuensi.* Mox H^3 *Majorino.*

[10]) Mss. (etiam H^7 H^3 h^1) *Faverino* vel *Faberino.* Moxque H^s *Concordio Varinourano*, H^{10} *Surano*, H^7 *Uranio*, c^6 c^9 c^{10} *Verano*, cujus nominis revera duo circa haec tempora inveniuntur episcopi, alter Caesenas, alter Galliae Narbonensis, ad quem exstant Leonis et Hilari epistolae. In H^{10} deinde nomina ita dantur: *Surano, Caprario, Januario, Cusitani, Assesentino, Constantio Aquinati* etc.

[11]) In mss. *Praesentino.* Moxque H^5 *Teramnano*, H^{10} *Internaniam*, c^{10} *Interamnino.* Deinde editi *Puteolano*, h^1 *Pausalano.*

[12]) Sic mss., nisi quod H^1 *Trifernis* (*Metauris*), H^5 H^{10} *Tifernimetauri*, H^7 *Tifernismeta .... Subaugesuris .... Alvenensitano;* editi *Trium tabernarum.* H^6 omissis *Metauris* et mox *Crispino Subaugustano*, hoc ordine prosequitur: *Romano Albensi, Servo Dei Numentano, Florentio Talesino, Hilario Amerino. Residentibus etiam universis presbyteris* etc.

[13]) Ita mss.; c^6 *Galesino*, c^9 c^{10} *Clusino*, unde hic *Florentius*, inter primos episcopus Clusinos ab Ughellio Ital. sacra ed. II Coleti. t. III, 587 relatus est. Porro *Telesia* urbs erat Samnii, suffraganea Beneventi (cf. Baudrand „Nov. lexic. geographic." et Ughelli l. c. t. VIII, 367); *Gallesia* autem urbs episcopalis Hetruriae (cf. Baudrand l. c. et Ughelli l. c. X, 108).

[14]) H^8 *Foroclaudiensi*, H^7 H^{10} *Forocludiensi*, c^6 *Foroclodiensi*, alii editi *Forojuliensi.*

[15]) Ita mss.; c^{10} ad marg. *Volsinensi* vel *Vulsiniensi*, c^6 (c^9 ad marg.) *Veronensi.* In H^{10} totus ordo conturbatus: *Epuleogo Tarquiniensi, Gaudentio Anteatino, Provectitio Davinati, Asterio Nepesino, Philippo Forocludiensi, Gaudentio Numanati, Restituto Veconensi, Octavio Afris.* Etiam H^7 hunc ordinem habet: *Gaudentio Antheatino, Projectitio Gavinati, Asterio Nepesino, Philippo Forocludiensi, Gaudentio Numanati, Restituto Veconensi et Octavio Afris.*

Digitized by Google

etiam universis presbyteris, adstantibus quoque diaconibus, Hilarus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae synodo praesidens dixit: a. 465.

II.

2. *Quoniam religiosus sancto Spiritu congregante conventus hortatur, ut quaecunque pro disciplina ecclesiastica necessaria*[16]) *sunt, cura diligentiore tractemus, si placet, fratres, ea quae ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinae legis praecepta et Nicaenorum canonum constituta ita adjuvante Domino in omne aevum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones* c. 4 C. 25 qu. 1. *vel apostolicae sedis decreta temerare; quia nos, qui potissimi*[17]) *sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiae sacerdotum. Siquidem reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, et graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. Cavendum ergo imprimis est, ne ad sacratos*[18]) *gradus, sicut gestis prioribus ante praescriptum est, quisquam, qui uxorem non virginem duxit, adspiret. Repellendus*[19]) *est etiam quisque, qui in secundae uxoris nuptias contra apostolica praecepta convenit. Inscii quoque litterarum, necnon et aliqua membrorum damna perpessi, et hi, qui ex poenitentibus sunt, ad sacros ordines adspirare non audeant. Quisquis talium consecrator exstiterit, factum suum ipse*[20]) *dissolvet, et quod commisit illicite aut a decessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit; nos enim in nullo volumus severitatem ultionis exercere. Sed qui in causis Dei contumacia vel*[21]) *delicto deliquerit, aut ipse quod perperam fecit abolere noluerit, in se, quidquid in alium non resecarit, inveniet. Quod ut deinceps possit tenacius custodiri, si placet, omnes*[22]) *sententias et subscriptiones proprias commodate, ut synodali judicio aditus claudatur illicitis.* Ezech. 3, 17 ss. et 33, 7 ss.

---

[16]) In mss. IO et editis additur *necessaria*. quod ab mss. H abest.

[17]) QZ *potentissimi* (c. 4 C. 25 q. 1).

[18]) h[1] *sacros*. Quod deinde memorat *gestis prioribus ante praescriptum*, Siricii papae epist. 1 n. 12, Innocentii epist. 2 n. 9, epist. 37 n. 4 et saepius inculcatum est. Num vero illa decreta, an priora ejus ipsius synodi, quam alloquebatur, aut alterius ab ipso ante habitae gesta dicat, parum liquet.

[19]) H[6] H[7] H[9] *Repellendus etiam quique in ... convenerint* (H[6] *convenerit*). O[1]O[4] *Repellendi sunt etiam quique in ... convenerunt.*

[20]) c[5] c[9] c[10] omittunt *ipse*. Iidem mox *Sed et quod* (i[2] *quodcunque*) *quis commisit*.

[21]) Ita potiores mss. (etiam F[2] H[7] H[8] H[9]) et h[1]; alii secundum O[1] *vel in aliquo excessu deliquerit*. Mox H[6] *absolvere noluerit*.

[22]) Ita H[7] i[2]; plerique mss. H *omnes causas et subscriptiones* (a[3] *ad omnes causas subscriptiones* mallet). H[6] omisso *ut* pergit: *placet omnibus causas*. In mss IO, H[6] et editis *sententias causas et subscriptiones;* ac deinde c[5] c[7] c[10] *commendate ... auditus claudatur* et ad marg. *aditus ... illicitus*.

Digitized by Google

a. 465. 3. Ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: *Exaudi Christe, Hilaro vita!* dictum est sexies. *Haec confirmamus, haec docemus!* dictum est octies. *Haec tenenda sunt, haec servanda sunt!* dictum est quinquies. *Doctrinae vestrae gratias agimus!* dictum est decies. *Ista ut in perpetuum serventur, rogamus!* dictum est quindecies. *Per*[23]) *domnum Petrum, ut in perpetuum serventur, rogamus!* dictum est octies. *Haec praesumptio nunquam fiat!* dictum est decies. *Qui haec violaverit, in se inveniet!* dictum est septies.

III.

4. Et facto silentio Hilarus episcopus dixit: *Praeterea fratres nova et inaudita, sicut ad nos missis de Hispaniis epistolis sub certa relatione*[24]) *pervenit, in quibusdam locis perversitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui nonnisi meritis praecedentibus datur, non divinum munus sed haereditarium putant esse compendium, et credunt, sicut res caducas ita sacerdotium velut legati*[25]) *aut testamenti jure posse dimitti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: ut scilicet non legitima exspectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit aestimate; atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de ecclesiis auferamus, ne quod turpe dictu est, homini*[26]) *quisquam se putet debere, quod Dei est. Ut autem quod ad nos perlatum est, ad vestram etiam possit pervenire notitiam, Hispanorum fratrum et coepiscoporum nostrorum scripta legantur.*

5. Paulinus notarius recitavit: *Beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro Ascanius et universi episcopi Tarraconensis provinciae.*

Quam curam apostolatus vester et reliq. usque ad *roborare dignemini* (vid. supra Hilari epist. 14 n. 1).

6. Et quum legeret, ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: *Exaudi Christe, Hilaro vita!* dictum est decies. *Haec*

---

[23]) c^5 c^9 c^{10} *Ista per sanctum Petrum ut*, et deinde H^{10} c^6 *in Deo serventur.*

[24]) F^2 H^6 H^9 *religione* et mox cum H^7 *putantes ... credunt*, et H^{10} *non sine meritis.* Deinde H^9 *per diversitatem semina*, moxque editi *caducas atque mortales, ita*, contra mss. H.

[25]) H^6 (sec. cur.) H^8 H^9 cum editis *legati* (h^1 c^{10} *legali*) *aut testamentario* (H^4 H^9 c^6 c^9 *testamenti*) *jure;* mss. O o^1 *legatario aut testamentario.* Observandum, vocem *plerique* apud veteres id tantum sonare, quod *plures*, ac ne plures quidem sed unum Nundinarium tunc successorem designasse. Verum quia facto ejus provinciales episcopi assenserunt, hoc fecisse censentur, quod assensu suo probaverunt.

[26]) Ita F^2 i^2; in H^7 H^8 H^9 deest *quisquam;* editi *quisquam putet deberi* (O^1 *debere*), h^1 *hujusmodi se putet.* Deinde post *recitavit* H^{12} c^1 i^2 addunt: *Et statutum est, ne quid ultra hujusmodi a sacerdotibus praesumatur.*

Digitized by Google

praesumptio nunquam fiat! dictum[27]) est sexies. *Quae Dei sunt, ab homine dari non possunt!* dictum est sexies. *Per domnum Petrum, ut in perpetuum serventur!* dictum est quinquies. *Haec ut reserventur rogamus!* a. 465.

7. Hilarus episcopus dixit: *Lege.* Paulus notarius recitavit: *Episcopus Barcinonensium civitatis sanctus Nundinarius* et reliq. usque ad *in ejus meritum non vacillat* (vid. supra Hilari epist. 14 n. 2).

Et quum legeret, Probus episcopus e consessu surgens dixit: *Illud licuit, hoc non licuit*[28]*); successores Deus dat; auctoritate vestra resistite huic rei per apostolatum vestrum!*

8. Hilarus episcopus dixit: *Percurre quae coeperas.* Paulus notarius recitavit: *Siquidem omnis clerus et plebs* et reliq. usque ad *domine vere noster, et apostolice papa!* (vid. supra Hilari epist. 14 n. 2 et 3).

IV.

9. Hilarus episcopus dixit: *Alia epistola recitetur.* Paulus notarius recitavit: *Domino beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro Ascanius et universi episcopi Tarraconensis provinciae.*

Etiamsi nulla exstaret necessitas et reliq. usque ad *Et subscriptio. Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum jugi aevo divina conservet aeternitas!* (vide supra Hilari epist. 13).

10. Ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: *Ut haec emendentur rogamus!* dictum est sexies. *Ut haec recidantur*[29]) *rogamus!* dictum est septies. *Ut disciplina servetur rogamus!* dictum est octies. *Ut antiquitas servetur rogamus!* dictum est septies. *Ut disciplina servetur rogamus!* dictum est quinquies. *Ut canones custodiantur rogamus!* dictum est septies. *Ut in praesumptoribus vindicetur rogamus!* dictum est septies. *Ordinatio apostolica illibata servetur!* dictum est octies. *Exaudi Christe, Hilaro vita!* dictum est quinquies. *Dignus papa, dignus doctor!* dictum est octies.

---

[27]) H[5] *d. XVI ... et in perpetuum.* Deinde editi *Per dominum Petrum rogamus ut ... dictum est sexies,* moxque H[5] *persecentur* loco *reserventur.*

[28]) Hoc respondens Probus verbis episcoporum provinciae Tarraconensis, qui Nundinarium non modo facultates suas Irenaeo reliquisse sed et eumdem episcopatus sui successorem designasse scripserant, primum ei licuisse ait, at alterum non licere.

[29]) Ita cum c[1] c[9] c[10] correximus, quod in mss. *recitentur* scriptum. In H[5] librarii excitantia acclamationum numerus perturbatus. Post spatium liberum: *d. VI. Ut haec emendentur rogamus. d. VII. Ut recitentur rogamus. Ut disciplina servetur rogamus. d. VII. Ut canones ... d. V. Ut ordinatio apostolica ... d. VII. Exaudi ... d. VIII. Dignus papa d. V. Dignus doctor d. VIII* (H[6] *d. IX*).

Digitized by Google

a. 465. V.

11. Hilarus episcopus dixit: *Acceptis quae recitata sunt, de*[30]) *omnibus nunc fratres speciales sententias Deo vobis spirante depromite.*

Maximus episcopus ecclesiae Taurinatis[31]) dixit: *In custodiendis omnibus, quae ad sacras ordinationes pertinent, disciplinis melius sententiae meae professionem devincio*[32]), *nihil a me unquam eorum, quae prohibita sunt, esse faciendum. De reliquis censeo, ut quisquis talia fecerit aut detecta in ecclesiis resecare noluerit, noverit se graves causas in apostolicae sedis judicio redditurum, in quo illi necesse erit subire sententiam.*

Ingenuus episcopus Ebredunensis[33]) dixit: *Mihi quoque eadem de omnibus partibus sententia est, qua me ipse constringo, ne quid a me unquam de his, quae sunt interdicta, tentetur, quia novi statum et professionem meam. De ceteris etiam censeo, ut quisquis statutorum transgressor exstiterit*[34]), *sciat se ecclesiasticae regulae laqueis innodari, et reatum apostolicae sedis incurrere.*

Paulus episcopus Aquaevivae dixit: *Ego quoque simili lege me constringo, et de ceteris, qui transgressores fuerint, pariter censeo: ne eis sine periculo sui quidquam tale tentare liceat, quod merito debeat vindicari.*

Primus episcopus ecclesiae Atellanae dixit: *Hoc et ego censeo observandum.*

Palladius episcopus ecclesiae Salpinae dixit: *Nihil me contra disciplinam ecclesiasticam vel statuta sanctorum canonum facturum esse polliceor.*

Tiberius[35]) episcopus ecclesiae Sabinensis dixit: *Profiteor me statuta sedis apostolicae in omnibus custodire, et si in ecclesia mea clericorum aliquem contra praecepta sanctorum canonum deprehendero aut mulierem*[36]) *duxisse aut duas habere uxores, ab ecclesiastico officio separari.*

Ab universis episcopis dictum est: *sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus et observandas esse decernimus. — Exaudi Christe, Hilaro vita!* dictum est sexies. *Quae male admissa sunt, per*

---

[30]) H[6] *omnia.* Mox mss. *sperante* vel *spirante*, ubi editi cum H[3] (sec. manu) K[3] *inspirante.*

[31]) Ita H[7] c[9] c[10]; ceteri mss. *Tauritanis*, H[6] *Tauritanus*, h[1] *Tauritanae.*

[32]) Ita H[7] H[8]; editi *denuntio* (h[1] ad marg. *devincio*, c[10] ad marg. *definio*). Deinde vox *noverit* ex mss. et h[1] revocatur.

[33]) Mss. *Ebrunensis*, H[6] *Ebruensis.* Mox H[8] *par tibi sententia*, et H[7] *statutum.*

[34]) Ita cum F[2] H[7] H[9] et editis. Alii (H[8] a[3]) *restiterit.*

[35]) Sequens Tiberii suffragium deest in H[6].

[36]) h. e. prius conjugatam. Siricius epist. 5 cap. 4 similiter sanxit, *ut mulierem id est viduam clericus non ducat uxorem* (cf. not. Coust. in h. l.). Deinde *duas habere uxores* eo sensu dicitur, non ut simul habeantur, sed ut una defuncta altera ducta sit.

Digitized by Google

te corrigantur! dictum est octies. *Quod non licet, non fiat!* dictum a. 465.
est octies.

12. Hilarus episcopus ecclesiae urbis Romae synodo praesidens dixit: *Quoniam praesentis definitionis formam, quae secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium ecclesiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro sui possit ignoratione*[37]) *licere quod non licet, edere gesta notariorum sollicitudo curabit.*

Epistola 16.

Hilari papae ad Ascanium et reliquos episcopos Tarraconensis provinciae.[1]) a. 465 d. 30 Oct.

p. 4. **I. Ut nullus sine consensu episcopi metropolitani episcopus ordinetur.**
II. Ut nullus episcoporum, relicta propria ecclesia, ad aliam transeat.
III. Ut Irenaeo remoto dignus Barcinonensi ecclesiae de proprio clero episcopus ordinetur, nec episcopalis honor haereditarium jus putetur.
IV. De reparandis episcopis, qui illicite ordinati sunt, et ne in una ecclesia duo episcopi habeantur.
V. De damnatione Irenaei, si ad suam ecclesiam non revertatur.

Hilarus episcopus Ascanio et universis episcopis Tarraconensis provinciae.

1. Postquam litteras vestrae dilectionis accepimus, quibus praesumptiones Silvani episcopi Calagurensium[2]) ecclesiae retundi petistis, et rursum Barcinonensium[3]) quaeritis nimis illicita vota firmari: honoratorum et possessorum Turiassonensium[4]), Cascantensium[5]), Ca-

[37]) H[6] *ignorantia.*

[1]) In exemplis H inscribitur *Praeceptum Hilari episcopi ad Ascanium in eadem causa*, et antecedenti epistolae 15 quasi *cap. VI* additur, nec subjiciuntur tituli. Eos ex IO descripsimus, sed tertio et quarto mutatis, qui hujus erant tenoris: *III. Ut Irenaeus remotus a Barcinonensi ecclesia ad propriam revertatur. IV. De removendis episcopis qui illicite* etc., contra sententiam Hilari, qui hos non removendos sed certa conditione firmandos censet.

[2]) In mss. *Colagorrensium*, vel *Collagorensium*, vel (H[7]) *Calagorensium*, (H[8]) *Calacorensium*, (H[3]) *Calagorrensium*, (O[1]) *Calacorrensium.*

[3]) Plerique mss. *Vercenonensium*, H[7] *Verenonenstum*, F[2] *Vcreconensium*, H[9] *Verenonensium*, K[3] secundis curis *Barcinonensium*, 1 H[5] O[1] *Barcilonensium.*

[4]) In mss. I O H[6] *Tiriasonensium*, in aliis *Tyriassonensium.* Porro *possessores*, quorum frequens est mentio, secundum cod. Theod. XI tit. 1 ii dicebantur, qui publicas possessiones administrabant. Cum *honoratis* jungi solent, quum de episcoporum electionibus agitur, quamvis alii ex iis essent *maximae dignitatis* alii *infimae* (l. 18 l. c.). Leo epist. 10 cap. 6 in episcoporum electione *subscriptionem clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensum et plebis* postulat. Similiter Coelestinus epist. 4 n. 7 *cleri, plebis et ordinis consensus*, ait, *ac desiderium requiratur.* Eo pacto *possessores* iis accensere licet, ex quibus *ordo* constabat. Certe apud Bonifacium II epist. 2 n. 2 Stephanus Larissenae civitatis episcopus ex possessorum totius civitatis suffragiis electum asserit. Cf. Cassiodor. epist. III, 40 et IV, 8.

[5]) Ita plerique mss. H (etiam H[9]); F[2] *Casistansium*, H[6] *Castanenstum*, H[7] H[8]

Digitized by Google

a. 465. laguritanorum, Varegensium[6]), Tritiensium[7]), Legionensium et Virovescensium civitatis cum subscriptionibus diversorum litteras nobis constat ingestas, per quas id, quod de Silvano querela vestra deprompserat, excusabant. Sed reprehensione justissima eorum pariter injusta[8]) allegatio non carebat, quia praeter conscientiam metropolitani fratris et coepiscopi nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos claruit sacerdotes. Unde, quoniam quidquid ab alterutra parte est indicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est, ut nihil deinceps contra praecepta beati apostoli, nihil contra Nicaenorum canonum constitutum tentetur.

I.

2. Hoc autem primum juxta eorumdem patrum regulas volumus custodiri, ut nullus praeter notitiam atque consensum fratris Ascanii metropolitani aliquatenus consecretur antistes, quia hoc vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem et octo sanctorum patrum definivit auctoritas; cui quisquis obvias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum praeceptionibus resultarit.

II.

3. In quorum contumeliam superbo spiritu etiam pars illa contemnitur, qua[9]) vetatur, ne quis relicta ecclesia sua ad alteram trans-

---

Cascastensium, mss. I O *Castantensium* (O¹ *Ascantensium*). Deinde F² H⁶ H⁹ *Calagoritanorum*, H⁸ *Galagoritanorum*, H⁷ *Calogoritanorum*.

⁶) Ita nostri mss. (F² H⁷ H⁸ H¹⁰) h¹ i²; 1 H³ *Varigensium;* a³ secundum suos mss. *Vargiensium* legisse videtur, editi alij *Virgiliensium*. Est quidem *Vergilia* urbs Bastitanorum in Hispania Tarraconensi (Ptolom.); sed et *Vergii* urbis Hispaniae meminit Livius 34, 21 (fortasse quae hodie *Benavarri*), et *Varia* vel *Varea* oppidum Hispaniae Tarraconensis ad Iberum fluvium memoratur (Baudrand l. c.).

⁷) Mss. O *Triciensium civitatum cum*, mss. I *Triciensium civitatis cum*, alii mss. (etiam F² H⁷ H⁸ H⁹ H¹⁰) et h¹ *Tritiensium* (F² H⁷ h¹ *Tritinsium*, H⁸ H⁹ *Tritiinsium*, alii *Tritensium*) *Leviensium et Verovíscensium* (F² *Vereviscensium*, H¹⁰ *Derovicensium*) *civitatis cum*. Editi *Triciensium Legionensium et Civitatensium cum* (i² *et Birovescentium civitatum cum*). Ex quibus *Legionensium* recepimus.

⁸) Plures mss. (etiam H⁷ H⁹) cum vulgatis *justa allegatio*, H⁸ *justa legatione*, 2 H³ H⁶ F² *juxta allegationē* (F² *non* omittens), H⁵ I⁵ I⁶ O¹ i² *allegatio* omisso *justa*. Magis arridet cum 1 H³ ab antiqua manu *injusta allegatio*. Antiquiores fefellit, quod *pariter* ad proximum verbum *justissima* referri putarent, quum ad superiora *nimis illicita vota* referatur. Sed et subnexa lectionem, quam praeferimus, confirmant.

⁹) In mss. omisso *a* (ante *spiritu*) magno consensu *quae veretur*, H⁸ *quae deberetur*; H⁶ sec. cur. *quae cavetur*, id quod i² arripuit. Nos cum c⁹ c¹⁰ *qua vetatur* correximus. — E regione hujus loci in c c tantum citatur conc. Sardic. c. 1 et 2. Sed quamvis Sardicenses canones pro Nicaenis laudarint quidam pontifices Hilaro majores (cf. Coust. not. in Zosimi epist. 15), hic tamen Hilarum ad Nicaenum canonem 15 respicere id argumento est, quod in judicio adversus Irenaeum translatum proferendo hujus canonis sententiam sequitur. Sic porro canon lau-

Digitized by Google

ire praesumat. Quod nimis improbe conniventibus et, ut doleatur a. 465.
gravius, vobis [10]) quaerentibus Irenaeus episcopus conatur admittere: qui nostra auctoritate roborari cupitis, quos maxime de rebus illicitis magna indignatione probatis accendi. Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris, quae de ordinandis episcopis secundum statuta canonum vel praedecessorum meorum decreta sunt, prolata sententia gestorum quae pariter direximus [11]) tenore discetis.

III.

4. Unde remoto ab ecclesia Barcinonensi [12]) atque ad [13]) sua remisso Irenaeo episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quae per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant quod non licet obtinere, talis protinus de clero proprio Barcinonensibus episcopus ordinetur, qualem te praecipue, frater Ascani, oporteat eligere et deceat consecrare: ne [14]) si similiter forte factum fuerit, non sine objurgatione tui maxime nominis retundat nostra praeceptio, quod in injuriam Dei, a quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum, didicerimus admissum; nec episcopalis honor haereditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate (Christi [15]) confertur.

IV.

5. Ordinatos ergo nunc episcopos, qui [16]) licet dum te ignorante

---

datus ex Dionysii interpretatione decernit: *Placuit consuetudinem omnimodis amputari, quae praeter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate ad civitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem post definitionem sancti et magni concilii tale quid agere tentaverit et se hujuscemodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsus irritum ducatur, et restituatur ecclesiae, cujus fuit episcopus aut presbyter vel diaconus ordinatus.* (Cf. Hieronym. epist. 82 ol. 83.)

[10]) Editi *vobis asserentibus*, contra mss. Mox H[6] *revocare* (h[1] *revocari*) *cupitis*.

[11]) Quas scil. huic proxime praemisimus epist. 13—15.

[12]) Rursum hic similis mss. varietas, quam supra not. 3: mss. H *Vercenonensi ... Vercenonensibus*, F[2] H[4] *Vereconensi*, mss. I O *Barcilonensi*.

[13]) Mss. IO *ad suam*, moxque H[10] *sententiam* (loco *modestiam*). Iudicium suum, ut jam observatum, Hilarus ad Nicaenum canonem exigit. Severior fuerat Leo epist. 14 cap. 8: *Qui ad majorem*, inquit, *se plebem quacunque ratione transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria.* Certe haud indigna venia hujusmodi translatio erat. Irenaeus enim quum ad regendam Barcinonensem ecclesiam assumptus est, primus ut videtur ecclesiae Barcinonensi novissime episcopali titulo insignitae praefectus fuerat; adeoque ex portione unius ejusdemque ecclesiae ad totam administrandam cooptatus, non magis translatus dici poterat, quam presbyter, qui in ecclesia aliqua constitutus ad altiorem gradum aut ejusdem sedem episcopalem promovetur.

[14]) Mss. I O H[10] *ne si aliter*.

[15]) Vocem *Christi* cum h[1] et mss. supplemus.

[16]) Ita mss. I O h[1]; mss. H *qui licet ante te*, editi *qui licet te ... meruerunt*.

Digitized by Google

a. 465. provecti sunt, cum suis auctoribus meruerint submoveri, hac ratione firmamus, si nec viduae maritus fuerit quisquam, et[17]) in unius virginis nuptias ac vota convenerit, sicut et legalia constituta praecipiunt dicendo: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam;* secundum quod etiam beatus apostolus Paulus magister gentium de his, qui fieri desiderant sacerdotes, propria institutione non tacuit, dicens: *Unius uxoris virum.* Cujus[18]) tenore sententiae ita informati esse debetis, fratres carissimi, ut inter cetera, quae cavenda sunt, haec studeatis praecipue custodiri, quae cognoscitis ante universa mandari. In quibus etiam prospiciendum est, ne duo simul sint in[19]) una ecclesia sacerdotes, nec litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum, vel etiam ex[20]) poenitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus ginatur accedere. Nec tantum putetis petitiones valere populorum, ut quum his parere[21]) cupitis, voluntatem Dei nostri, qui nos peccare prohibet, deseratis. Cujus indignatio ex hoc gravius commovetur, quia benignitas ejus, dum fiunt illicita per eos qui sunt interpretes placationis, offenditur.

Lev. 21, 13. Ez. 44, 22. 1 Tim. 3, 2.

V.

6. Ut autem omnia secundum haec, quae scripsimus, corrigantur, praesentes litteras Trajano subdiacono nostro veniente direximus. Quod si Irenaeus episcopus ad ecclesiam suam deposito improbitatis ambitu redire neglexerit, quod ei non judicio sed humanitate[22]) praestabitur, removendum se ab episcopali consortio esse cognoscat. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data

---

Hujusmodi episcopi praeter metropolitani conscientiam ordinati submoveri meruerunt ex praescripto Nicaenorum patrum can. 6: *Quod si quis praeter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum esse non oportere.* Quibus concilia Taurinense c. 3 et Regiense c. 3 concinunt (Hard. I, 958 et 1749), et ad horum quidem canonum praescriptum suam adversus hujusmodi ordinatos sententiam Hilari successor Simplicius epist. 1 n. 1 accomodat. Eorum etiam auctores seu ordinatores cum illis dejici meruerunt ex decretis Zosimi papae epist. 6 n. 2 et epist. 9 n. 1. Quod nec se ignorare testatur Hilarus epist. 10 n. 3, sed eadem erga illos indulgentia utendum duxit.

[17]) Mss. I O i[2] *nec in secundae conjugis nuptias*, H[10] *nec secundae conjugis sed in unius.*

[18]) Editi *cujus sane tenore* (a[1] *terrore ... formati*) *... custodire.* Mss. cum h[1] i[2] sequimur.

[19]) Mss. I O i[2] *unius ecclesiae sacerdotes.* Rursum tuetur Hilarus Nicaeni concilii decretum can. 8, quo cavetur, *ne in una civitate duo episcopi probentur existere.* Quod in se factum nec faciendum fuisse Augustinus epist. 213 n. 4 fatetur, ideoque quod in ipso reprehensum est, in successore suo se reprehendi nolle adjungit.

[20]) h. e. ex iis, qui poenitentia aliquando functi sunt, quique interdum uno verbo *expoenitentes* vocantur (sicut *exconsules*).

[21]) H[6] *parcere cupitis.* Deinde H[8] omittit *secundum.*

[22]) H[7] H[8] *humilitate.* Moxque H[9] *Data Kalendarum Januariarum.*

Digitized by Google

tertio Calendas Januarii, Basilisco et Hermineriço viris clarissimis consulibus. a. 465.

Epistola 17.

Hilari papae ad Ascanium Tarraconensem. (a. 465.)

p. 6. *Se mirari contestatus, quod Ascanius Barcinonensium studia foverit, Irenaeum ad propriam ecclesiam reverti jubet, episcopis vero sine consensu Ascanii ordinatis ut in locis suis permaneant indulget.*

Dilectissimo fratri Ascanio Hilarus episcopus.

1. Divinae circa nos gratiae memores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes et in quadam sacerdotum[1]) ejus specula constituti, prohibeamus illicita et sequenda doceamus. Unde directis per Trajanum subdiaconum nostrum litteris admonemus, ut quae male sunt facta corrigantur. Et miramur admodum, dilectionem tuam Barcinonensium petitiones non solum nulla auctoritate retudisse[2]), verum etiam directis ad nos litteris consummationem pravi desiderii postulasse, adhibendo in epistolarum prooemio concilii mentionem, tamquam culpae minuerentur excessus per multitudinem imperitorum: quum si etiam sub significatione unusquisque sui nominis tecum pariter retulisset, et subscriptiones proprias fratres[3]) singuli commodassent, dilectionem tamen tuam rei, de qua displicet, summa tangebat, quia pro loco et honore tibi debito ceteri sacerdotes docendi fuerant non sequendi.[4]) Unde sicut in generalibus litteris indicavi, Irenaeus ad propriam revertatur ecclesiam, et Barcinonensibus[5]) de suo clero protinus consecretur antistes, cui tamen statuta canonum et apostolica praecepta concordent.

2. Et licet hi, qui praeter notitiam atque consensum tuae di-

[1]) Editi *sacerdotii*, refragantibus mss., quorum quidem lectio id sonat, ut sese sacerdotibus praepositum dicat Hilarus, quo eorum speculetur vitam et de officio suo ipsos admoneat; cf. Coelestini epist. 4 n. 1.

[2]) In mss. *retundisse*. Moxque I^6 β i^2 *conversationem*, I^5 *conservationem*, O^3H^{12} *consensionem*, quod et editi ad marg. Mallemus *confirmationem*, quum Ascanius et socii id, quod petunt epist. 14 n. 2, ab Hilaro *roborari* ac *firmari* desiderent.

[3]) Vulgati *factas singulis commodassent* et ad marg. *fratres ... commendassent*. Sequimur mss., quorum nonnulli tamen *commendassent*.

[4]) Hic imitari videtur hunc Coelestini locum epist. 5 n. 3, ubi is episcoporum erga plebem imperitam officia explicans *docendus est populus*, ait, *non sequendus: neque, si nesciunt, eos quid liceat quidve non liceat commonere, non his consensum praebere debemus:* quasi etiam metropolitani sit ceteros episcopos quod forte nesciunt docere, quamquam *nulli sacerdoti suos licet canones ignorare*, advertit idem Coelestinus l. c. n. 1.

[5]) I^5 I^6 *Barcilonensibus*. Addens autem Hilarus *de suo clero*, rursum sequitur Coelestinum epist. 4 n. 7, ubi episcopos omnino non vult ex aliena peti ecclesia, nisi quum desunt in propria.

Digitized by Google

a. 465. lectionis ordinati sunt sacerdotes, cum suis debuerint auctoribus submoveri, ne quid tamen in tanta necessitate decernamus austerum, eos qui episcopi facti sunt, ita volumus permanere, si[6]) in apostolicis praeceptionibus et statutis sanctorum patrum non reperiuntur obnoxii, ac deinceps nihil, quod contra disciplinam ecclesiasticam veniat, sicut hactenus factum est, perpetretur.

3. Tuae sollicitudinis est, frater carissime, debitam[7]) tibi auctoritatem tueri, et illicitis non modo non praebere assensum, sed etiam cuncta, quae contra regulam facta repereris, coercere; atque ante omnia, quae sola humanitate[8]) decernimus, Irenaeum ad ecclesiam suam redire compelle. Ad quam sponte potius remeare debebit, si a sacerdotali consortio non[9]) metuit separari. Nec unius ecclesiae duo esse permittantur antistites, quod opportunius supradicti subdiaconi fieri delegamus instantia, quem etiam pro conservanda Ecclesiae disciplina commeare ad Hispanias dispositionis nostrae fecit auctoritas. Deus autem incolumem te custodiat, frater carissime!

Notitia

epistolarum non exstantium quae ad s. Hilarum papam attinent.

I.

a. 462 *ante mens. Nov. Fritherici magnifici viri ad Hilarum papam de invasione Hermae episcopi Biterrensis.*

Hilarus exeunte primo pontificatus sui anno litteras accepit magnifici viri Fritherici, quibus Hermes olim Biterrensibus ordinatus episcopus et ab eis rejectus Narbonensem sedem *exsecrabili temeritate* invasisse ferebatur. His litteris necnon et Johanne, qui eas reddidit, instigante commotus pontifex datis litteris ad Leontium Arelatensem episcopum, qui rem tam gravem tamque inauditam, quam ipsemet corrigere debuisset, indicare neglexerat, vehementius ipsum reprehendit. Simulque injunxit, ut seposita excusatione gestorum omnium relationem quum sua tum fratrum suorum manu scriptam transmitteret. (Cf. Hilar. epist. 7 dat. d. 3. Nov. 462 et epist. 8.)

II.

a. 463 *initio. Leontii Arelatensis episcopi ad Hilarum papam de incusata Hermae invasione relatio.*

Leontius haud dubie pontifici paruit, missaque ea quam petebat relatione Hermen ab objecta noxa facile vindicavit. Forte directa haec relatio fuit per Faustum et Auxanium, qui a provinciae Viennensis, Narbonensis primae et secundae et Alpinae episcopis delegati Romanae synodo haud multo post anniver-

---

[6]) Editi *ut ... reperiantur.* Lectio mss. concinnior. Quippe antecedens particula *ita* perinde sonat atque *in eo statu et gradu, quem consecuti sunt.*

[7]) Ita mss. et i^2. Alii editi *omnia debita tibi auctoritate tueri.*

[8]) Ita c^9 i^2 (cf. epist. 16 n. 6); c^{10} *unitate,* quod et a^3 tuetur. Mox c^9 c^{10} *redire* et ad marg. cum i^2 *remeare.*

[9]) Negatio superflua videtur et deest in H^{12} c^9 i^2. Denique mss. *ad Spanias.*

Digitized by Google

sario Hilari die habitae interfuere. Ibi vero discussa Hermae causa Hilarus de ejus conversatione *nihil habens ambigui* aestimavit, illum *hos quos arguerat excessus incurrisse potius quam fecisse*. In epistola 8 de hac re ad praedictarum provinciarum episcopos data simul significat, quid de ipso statuerit synodus, ut sartum tectum esset concilii Nicaeni decretum, quo cavetur, ne *de civitate in civitatem transeant vel episcopus vel presbyter vel diaconus.*

III.

a. 463 *circ. init. Leontii Arelatensis ad s. Hilarum papam libellus de restituendis Arelatensis ecclesiae paroeciis pridem abscissis.*

Ad ejusdem epistolae 8 calcem Hilarus meminit oblati sibi libelli, quo orabat Leontius, *pristino juri restitui paroecias Arelatensis ecclesiae praedecessore suo Hilario in alios translatas. Sed moderaminis apostolici memores*, ait, *fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam.*

IV.

a. 463 *ante mens. Octobr. Gunduici magistri militum ad s. Hilarum papam incusatio de usurpatione quadam s. Mamerti.*

Mox s. Mamertus Viennensis antistes multorum sibi invidiam conflavit ordinato Deensi episcopo, quem sui esse juris Leontius Arelatensis praesul asserebat, et ex eo maxime tempore, quo suas utrique ecclesias Leo attribuerat epistola 66 ad episcopos metropolis Arelatensis data. Eoque res processit, ut vir illustris Gunduicus sanctissimum virum diffamare sit ausus litteris acerbissimis. Has litteras s. Hilarus commemorat epistola 9 hac occasione ad Leontium VI Idus Octobris scripta. *Quantum filii nostri viri illustris magistri militum Gunduici sermone est indicatum*, inquit, *praedictus episcopus invitis Deensibus, et qui ad ecclesiarum ejus numerum, quas ei apostolicae sedis deputavit auctoritas, . . . minime pertinebant, hostili more, ut dicitur, occupans civitatem episcopum consecrare praesumpsit.* Tum indigne ferens ita negligi immo et sperni decessoris sui constituta, praecipit, ut in synodo, quam singulis annis habere tenebatur, Gunduici relationem discutiat, et compulso Mamerto *rationem facti sui sub universo coetu fraternitatis exigere*, quid exploratum fuerit, *omnium litteris suae intimet notitiae* (Hil. ep. 9).

V.

a. 464 *ante d.* 25 *Febr. Episcoporum, qui de s. Mamerti causa in synodo cognoverant, de eadem ad s. Hilarum papam relatio.*

Mandatis, quae diximus, acceptis Leontius synodum convocavit. Num ibi, sicut praescriptum fuerat, Mamertus in judicio steterit facti sui rationem redditurus, valde est incertum. Verum quae delata Hilaro fuerant, episcopi ibi congregati partim ipsi litteris per Antonium episcopum missis confirmarunt, ut ex illius epist. 10, qua singulis nominatim respondet, facile colligitur. Litteras itaque illas, ait Hilarus, ab Antonio episcopo, quem ex sese delegaverant et ipse *tanta legatione dignum interpretem* judicabat, sibi traditas valde se contristasse *ab ipsis contextus sui principiis*. Ex quibus nimirum *firma assertione cognovit, definitiones* a sanctae memoriae *decessore suo Leone de Viennensi episcopo* praestitutas *a Mamerto . . . . . potuisse transcendi*, quibus tamen ejus decessorem immo et Leontium hactenus stetisse constaret. Tum in memoriam revocans, *dignitatem Viennensis ecclesiae Arelatensis antistitis quondam transgressione crevisse, et pro corrigendis, quae perperam gerebantur, inviolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius alter in totum veteri honore reperiretur exutus;* addit, ex eisdem litteris et Antonii episcopi relatione patere, Mamertum *privilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus*

Digitized by Google

Leontii moderantia, Deensibus contra fas episcopum, etiamsi est meritus inquit, *non timuerit consecrare.* Ubi observare libet, uti et in tota epistola, nihil de vi Deensibus illata, nihil de occupata hostili more civitate queri praedictae synodi patres. Solam Mamerto objiciunt praesulis haud quidem indigni tanto fastigio sed juris alieni ordinationem, quam forte ille obfirmato animo contendebat dignitati suae ex antiquo adnexam nulla avelli constitutione potuisse. Certe Hilarus notam ipsi solum impingit superbiae et rebellionis. *Cui unquam profuit*, inquit, *mens rebellis, aut quem superbiae non inclinavit elatio?* Et quibusdam interjectis: *Factum ejus convenerat sic resolvi, ut juxta eorum, quae perpetrata sunt, qualitatem non sine jactura proprii ordinis etiam illum a sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem creavit indebite.* Jam quum epistola, unde haec colligimus, 25 Februarii die a. 464 sit data, sequitur, ut litterae illae eodem mense ineunte, vel exeunte Januario scriptae fuerint, praedicta synodo nondum soluta.

VI.

a. 464 *ante d.* 25 *Febr. S. Hilari papae ad Veranum de conveniendo s. Mamerto delegatio.*

Eodem tempore Hilarus scripta ad Veranum episcopum dirigebat, quibus ipsi demandabat, ut Mamertum *ex sua delegatione* adiret, quid sibi a synodo relatum fuisset denuntiaturus: eum videlicet ordinato Deensi episcopo temere violasse quod Leo definierat, utque a coeptis desistere vellet firmaque professione testari, *se deinceps periculo ordinis sui semper conservaturum apostolicae sedis definitionem*, sin minus, *ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor civitates, quarum non fuisset ordinatione contentus*, esse revocandas (Hil. ep. 10 n. 5). Haec scripta hactenus desiderantur. Quid vero inde secutum sit, prorsus latet. Sed et utrum revera peccaverit Mamertus, an vagis falsisque accusationibus deceptus Hilarus sanctum virum ita male habuerit, incertum et adhuc sub judice lis est. Neque enim tanti est ponderis synodi a Leontio indictae et congregatae auctoritas, cujus plerosque patres Leontii suffraganeos in metropolitae sententiam concedere et ad ejus arbitrium atque voluntatem conformare se potuisse, vero nec absimile nec iniqua est suspicio.

VII.

anno 463 *aut* 464. *Ingenui Ebredunensis episcopi ad s. Hilarum papam de usurpatione quadam Auxanii episcopi.*

Auxanii Aquensis, ut putant, episcopi, causam sibi haud multo post delatam Hilarus facilius expedivit. Ille occasione haud dubie ejus legationis, quam anno 462 cum Fausto Regiensi episcopo obierat, ut supra meminimus (cf. Hil. ep. 8), quaedam ab Hilaro in Ebredunensis ecclesiae praejudicium subripuerat, quae et synodalibus statutis ab apostolica sede firmatis aperte contraria videbantur. Porro irrogatam sibi injuriam querebatur Ingenuus hujus civitatis episcopus, oblatoque libello et subnexis quum Verani et sociorum episcoporum olim ad hanc causam cognoscendam Leoni delegatorum relationibus tum ipsius Leonis responsione, jus ecclesiae suae acerrime defendebat. Quid tum aequus pontifex? His omnibus in judicio recensitis id valere noluit, quod a se per obreptionem et contra statuta synodalia ac decessoris sui definitiones elicitum videbat, ideoque hujus querelae cognitionem Verano, Leontio et Victuro episcopis demandavit (cf. Hil. ep. 12). Unde simul facile colligitur, de Cemelensi et Nicensi ecclesiis ab Auxanio interceptis conquestum fuisse Ingenuum, sed nec ipsum omni prorsus culpa vacasse ordinato in earum altera episcopo praeter Leonis decretum, quo utramque ecclesiam sub uno antistite regendam constituerat. Ubi enim Hilarus totam hanc controversiam, ut modo perstrinximus, exposuit, statim decernit: ut *habeat pontificium Ingenuus provinciae suae, de cujus dudum*, inquit, *ab apostolica sede est illicita cessione*

Digitized by Google

culpatus, utque *custoditis omnibus, quae super ecclesiis Cemelensis civitatis vel castelli Nicensis a Leone definita fuerant, nihil ecclesiarum juri noceret, quod is in earum altera ad excludendam cupiditatem, quemadmodum perhibebat, ambitionis alienae episcopum proxime consecrasset*, sed simul unitae *sub unius antistitis regimine permanerent* (Hil. ep. 12 n. 2).

VIII.

a. 465 *ante mens. Nov. Honoratorum et possessorum Turiassonensium, Cascantensium, Calaguritanorum, Varegensium, Tritiensium, Legionensium et Virovascensium ad s. Hilarum papam excusatio Silvani episcopi Calaguritani de illicitis ordinationibus accusati.*

Ejusmodi litteras s. papa ipse in ep. 16 ad Ascanium et episcopos provinciae Tarraconensis memorat.

IX.

Circ. a. 462. *S. Hilari papae ad Orientales epistola encyclica de fide catholica.*

Liber pontificalis in vita hujus pontificis inter alia narrat: *Hic fecit decretalem et per universum Orientem sparsit epistolas de fide catholica et apostolica, confirmans tres synodos Nicaenam, Ephesinam et Calchedonensem et tomum sancti archiepiscopi Leonis*, id est celebrem epistolam ad Flavianum, *et damnavit Eutychen et Nestorium et Dioscurum vel omnes eorum sequaces et haereses, et confirmans dominationem et principatum sanctae sedis catholicae et apostolicae*, seu ut in codice alias Fossatensi nunc Colbertino Nr. 1868 habetur: *Hic fecit decretalem et per universum Orientem direxit, et epistolas de fide catholica.* Et id quidem Hilarum non longe post, quam in Petri sedem est elatus, praestitisse non levis conjectura est, quo videlicet Calchedonensem firmaret fidem et omnem novis sectis additum quamprimum praecluderet.

X.

S. Hilari papae ad diversarum provinciarum episcopos de injuriae ecclesiis illatae sacrilegio.

Synodus Triburiensis a. 895 c. 4 ita refert: *ut Hilarius papa omnibus episcopis per diversas provincias in epistola sua scribit, „injuria sacerdotum et ecclesiarum sacrilegium est.“* — De injuria, quae ecclesiae infertur depraedatione rerum ejus, Isidorus Mercator nomine sextae synodi sub Symmacho num. 6 dixit: *Ingens sacrilegium est, quaecunque vel pro remedio peccatorum vel salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae contulerit, in aliud transferre vel convertere.*

XI.

Decreta Hilaro adscripta.

1. *Si quis videtur contentiosus esse*, dicente apostolo, *nos talem consuetudinem non habemus, sed neque Ecclesia Dei:* si quis facit, notetur, usquequo se corrigat. 1 Cor. 11. 16.

Crabbius et deinde ceteri conciliorum editores hoc fragmentum ex *codice libror. XVI cap.* 19 proferunt. Exstat idem apud Burchardum Wormatiensem lib. X cap. 55 et Ivonem p. XIII cap. 56 (*ex decretis Hilari papae cap.*15).

2. Ubi pars est corporis, est et totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quae in manna, quod in ejus figura praecessit. De quo dicitur: *Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, habuit minus.* Non enim est quantitas visibilis in hoc aestimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis. Exod. 16, 18.

Digitized by Google

Ex Gratiano c. 78 D. 2 de consecr. iidem editores protulerunt. Verum a Gratiano hoc non *Hilari papae* sed simpliciter *Hilari* nomine laudatur, et sequens fragmentum (l. c. c. 79 *Corpus Christi etc.*), quod *eidem Hilario* adscribitur, postea can. 82 secundum Ivon. decret. p. II c. 4 *Hilario de Trinitate lib. VIII*, ergo Hilario Pictaviensi, palam tribuitur. Revera illud non hic sed in homilia 5 post Pascha invenitur, quae Eusebio vel Eucherio vel s. Hilario Pictaviensi datur.

3. *Hilări papae ad Nicephorum et ad alios episcopos per provincias.* N. autem, quem in Adrianopolitana civitate in eversionem regionis ipsius episcopum didicimus consecratum, hoc nihilominus frater et coepiscopus noster Euxitheus implere curavit: ut si praedictus in hoc officio, quod indigne adeptus est, desiderat permanere, quidquid contra catholicam fidem senserat, cum Eutycia et Nestoria sua professione condemnet.

Synodus Ticinensis a. 866 jussu Ludovici II imperatoris habita capite V hoc decretum sub ea, quam praemisimus, inscriptione laudat (Mansi coll. conc. XV, 76, Schannat et Hartzheim conc. Germ. II, 329).

S. SIMPLICII PAPAE EPISTLOAE ET DECRETA.

Vita.

1. Simplicius anno 468 bissextili mensis Februarii die 25 eoque dominica consecratus Romae episcopus, quum 15 annos et 7 dies Ecclesiae praefuisset, anno 483 die II Martii in basilica s. Petri sepultus fuit. Illud quidem sedis ejus tempus vetustissimi pontificum catalogi fere omnes [1]) consone cum libro pontificali tradunt. Pro die depositionis autem hic *d. VI Nonas Martias* ponit, qui revera in ecclesiis patriarchalibus Romanis ejus festo assignatus.

2. De rebus, quas idem Leone imperatore gessit, difficillimum est singula vestigia persequi et justam imaginem componere. Praesumptioni episcopi Constantinopolitani imperatoris patrocinio in novos conatus annisae non minus quam praedecessores fortiter restitit (Gelas. epist. 26 n. 10). — Difficillimis deinde Basilisci tyranni et Zenonis imperatoris temporibus apostolicum quemdam prae se tulit vigorem cum singulari prudentia et paterna moderatione conjunctum. Ut Alexandria Petrus Mongus et Petrus Fullo Antiochia ejicerentur, eorumque loco catholici sufficerentur antistites, monitis et obsecrationibus, omni denique ratione suadere non destitit (cf. epistolae 2, 3, 5—8, 10—13). Ejus gratiam Acacius aucupari aliquamdiu visus est animoque ejus irrepere. Candidus pontifex in diuturno contra serpentes haereses certamine ei vices suas pro Orientalibus regioni-

[1]) Praeter illos, quos Blanchinus not. in Simplic. memorat, catalogos nominaverim quos ipse perlustravi in codd. Vat. Reg. 1997 et 1127, Vallicell. A 5; vetustissimus ille Corbejensis teste Coustantio praeterea pro die obitus ejus *VI Non. Mart.* addit. Pagius ad a. 483 n. 1 alios praefert, qui pontifici nostro annos 15 dies 6 attribuunt. Farfensis, Sessorianus LXIII, tres Colbertini, Vatic. 6381 illis *annis* 15 *diebus* 7 adjiciunt *mensem* 1, alii aliter.

Digitized by Google

bus concessit (Simpl. epist. 2 n. 2, 3 n. 6, 5, 7 n. 2 sq. Gelas. epist. 10 n. 5, 26 n. 3), dataque occasione impatientes monachorum incriminationes rejecit (Simpl. ep. 4 n. 4) et ordinationem episcopi Antiocheni contra canones Constantinopoli factam admisit (Simpl. ep. 15 et 16). Verum qua erat vigilantia, brevi advertit nefarii ingenium hominis, qui ut animum gloriae cupidissimum expleret, Orientalem ecclesiam luctuosissimo schismate afflixit. Fons et origo gravissimi negotii, quo diu agitata est Ecclesia et quod vix tandem post multos labores a Felice, Gelasio, Anastasio II et Symmacho exantlatos sub Hormisda est compositum, infaustum illud Zenonis Henoticon (Evagr. h. e. III, 14) dico, ex Simplicii epistolis dignosci facile potest (cf. Simpl. epist. 17, 18, 19). — Ecclesiae Ravennatis presbytero, quem Johannes ejusdem civitatis episcopus invitum ac reluctantem episcopum Mutinensem ordinaverat, ministrari ad vitam jussit triginta solidorum liberorum reditus de proprio Ravennatis ecclesiae praedio, districte prohibens, ne quis deinceps episcopus, presbyter aut etiam diaconus invitus ordinaretur (Simpl. epist. 14).

3. Si verum foret, quod observat Amalarius de eccl. offic. II, 1 circa tempus, quo pontifices Romani sacros conferre ordines soliti erant, a vestigiis et consuetudine praedecessorum suorum Simplicius deflexisse existimandus esset. Nimirum *primi apostolici* (quo nomine Romanos pontifices appellat), ait ille, *semper in Decembri mense, in quo nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui . . . primus sacravit in Februario.* Verum una vulgati Anastasii sive, ut Micrologus Amalario concinens loquitur, Romani pontificalis auctoritate nititur haec observatio: quia nimirum ibi pontifices, qui Simplicium praecessere, ordines solo *mense Decembri* contulisse memorantur, is *mense Decembri ac Februario.* Sed in hac quidem re hujus libri valde sublesta est fides. Nam idem etsi illas dierum notas semper adjicit, tamen relationibus suis probat, ut jam Edmundus Martene de antiqu. eccl. ritib. I c. 8 art. 4 n. 5 advertit, ordinationes etiam aliis quatuor temporum jejuniis aut ab ipsis pontificibus aut ab aliis eorum jussu episcopis celebratas fuisse. Quod jam primis temporibus exemplis pontificum Eusebii et Marci firmatur. Quorum quum ille solos *menses IV et dies XVI* sedisse et *fuisse a XIV Kal. Maj. usque ad XVI Kal. Sept.*, hic sedisse *menses VIII dies XX . . . ex die XV Kal. Febr. usque in diem Non. Octobr.* narretur, tamen uterque in vulgato Anastasio (nam in Chron. reg. Suec. testibus Papebrochio et Schelestratio hic error non exstat) ordinationes suas *mense Decembri* fecisse dicitur. Unde apparet, auctorem libri pontificalis de ejusmodi ordinationibus referentem jam temere et quasi dormitanter id tempus assignare, quod pro communi consuetum esse cernebat.

Epistola 1.

Simplicii papae ad Florentium, Equitium et Severum episcopos.

a. 475 d. 19. Nov.

p 6 *Gaudentio ordinandi postestatem, qua abusus est, Simplicius aufert, et illicite ordinatos ab ecclesiasticis ministeriis removet. Redituum ecclesiae administratione eum privat, quartam tamen eorum partem ei relinquens et ablata ab eo restitui jubens.*

Simplicius episcopus Florentio[1]), Equitio et Severo episcopis.

1. Relatio nos vestrae dilectionis instruxit et gestorum series

[1]) O[10] h[1] *Florentino.*

Digitized by Google

a. 475. plenius intimavit, Gaudentium Aufiniensis[2]) ecclesiae sacerdotem contra statuta canonum ac nostra praecepta ordinationes illicitas perpetrasse, quarum illi totam penitus auferri praecipimus potestatem. Scripsimus enim ad Severum fratrem et coepiscopum nostrum, ut, si necesse fuerit, ipse in supradicta ecclesia consideratis patrum regulis hoc fungatur officio, quo ille abusus esse convictus est: ita ut hi, qui illicite ab eodem sunt provecti, ab ecclesiasticis ministeriis sint remoti[3]).

2. Simul etiam de reditibus ecclesiae vel oblatione fidelium quid[4]) deceat nescienti, nihil licere permittat, sed sola ei ex his quarta[5]) portio remittatur. Duae ecclesiasticis fabricis et erogationi peregrinorum et pauperum profuturae, a Bonagro[6]) presbytero sub[7]) periculo sui ordinis ministrentur; ultimam[8]) inter se clerici pro singulorum meritis dividant. At vero ministeria ecclesiae, quae alie-

---

[2]) H^6 R^2 *Offiniensis.* Est autem *Aufinum* oppidum Samnii hodie *Ofena* dictum.

[3]) Hoc Simplicii quum erga ordinatorem tum erga ordinatos judicium consentaneum est concilii Taurinensis canoni 3. Nititur praeterea conc. Nicaen. c. 6 et praedecessorum pontificum exemplis; cf. Hilari epist. 10 n. 3, epist. 16, n. 5, Zosimi epist. 7 n. 2 et epist. 9 n. 1.

[4]) K^3 prima manu *quid liceat,* O^{10} *quid diceat.*

[5]) a^1 *una portio* refragantibus aliis libris. Hanc ecclesiasticorum redituum in quatuor portiones divisionem *dudum rationabiliter* fuisse decretum, Gelasius papa epist. 14 cap. 27 tradit. Neque ejus auctor videri debet Simplicius, alias Gaudentium haud coacturus ad triplicis partis, quam sibi usurpaverat, restitutionem. Certe eadem ecclesiasticorum bonorum divisio Pseudo-Silvestri constituto cap. 4 decernitur (Coust. epist. Rom. pontif. append. tom. I col. 48). Hanc Gelasius quum loco laudato tum alibi commendat, et saepissime Gregorius Magnus sed nominatim epist. lib. XI ind. 4 epist. 64 ad Augustini interrogationem I respondens: *Mos autem apostolicae sedis est, ordinatis episcopis praeceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones.* Hoc autem Simplicii aliorumve Romanorum praesulum decretum perperam intellexit Theodorus lector edit. Vales. pag. 567, ubi scripsisse dicitur: *Romanae ecclesiae hunc esse morem, ut res immobiles non possideat, sed si forte possessiones obvenerint, confestim eas vendat, et pretium in tres partes distribuat, quarum una tradatur ecclesiae, altera episcopo, tertia clero; idem etiam fit in reliquis rebus.* Neque enim ullum verbum facit Simplicius de rebus immobilibus vendendis, sed nec ejus successores. Contra vero luculentum est Hilari ejus decessoris de non alienandis ecclesiae praediis constitutum epist. 8 cap. 5. Mitto, horum praediorum reditus in quatuor non in tres partes dividendas praecipi.

[6]) 1 H^5 *a Bunacro,* cc *ab Onagro.* Ex mss. non secerni potest, utrum *a Bonagro* an *ab Onagro* sit praeferendum, quum indistincte legant *abonagro.*

[7]) Plerique mss. *suo sui ordinis,* K^3 H^3 (secunda manu) *suo suique ordinis.*

[8]) H^6 H^7 H^8 cc *ultima inter se clericis* (h^1 *inter clericos,* H^7 H^8 *clerici*) *dividatur:* corriguntur ope aliorum veterum codicum. Aequalem portionem presbyteris ac diaconis impertitam fuisse, colligitur ex Gelasii frgm. 10, quo decernit adversus diaconos promoveri renuentes, *ut commoda presbyteri propensius quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti et honorem, quem refugerant, appetere nitantur et quaestum* (cf. ejd. epist. 14 cap. 27).

Digitized by Google

nata comperimus, reparare praesumptor praedicti fratris compellatur a. 475.
instantia et[9]) quod abstulit restituere cogatur. Cui etiam[10]) in hoc specialiter praecipimus immineri, ut tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat. Data decimo tertio Calendarum Decembrium post consulatum Leonis Augusti.

Epistola 2.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

a. 476 d. 9. Jan.

p 6 *Ut imperator Timotheum Aelurum ab Alexandrina sede propellat, decessorum fidem servet integram, et novum concilium generale ambienti prorsus deneget.*

Simplicius papa Acacio episcopo Constantinopolitano.

1. Quantum presbyterorum et ex diversis monasteriis Domino servientium monachorum relatione patefactum est, ecclesias Domini rursus diabolus inquietat, ita ut excluso Alexandrino sacerdote[1]) haereticus atque ab universitate damnatus eumdem locum, de quo pulsus fuerat, occupasse dicatur; insuper quibusdam faventibus[2]) Constantinopolim ausum fuisse contendere, ut civitas Christianorum principum circa fidei catholicae veritatem devotione praecellens, et Christiana plebs in defensione religionis attenta haereticorum pravitate, quae jam fuerat sopita, turbetur. Sed misericordia Dei, cujus est causa, non defuit, ut Timotheus, qui ab universali Ecclesia sacerdotalibus sententiis et imperialibus constitutis[3]) jure[4]) est segrega-

[9]) Verba *et quod abstulit restituere cogatur* in vulgatis ac plurimis mss. omissa ex O^2 revocantur, eoque pacto aptius cohaeret oratio. Nam non *Bonagro*, ut prius vulgata lectio referebat, sed Gaudentio jubetur immineri.

[10]) Ita mss. et h^1. Editi *etiam hoc ... imminere.*

[1]) scil. Timotheo Salophakiolo, quo excluso Timotheus Aelurus *ab universitate* pridem *damnatus* a Basilisco, simul ac imperium occupavit, ut tradit Evagrius h. e. III, 4, revocatus est, postulante hoc legatione ab iis destinata, qui Alexandriae Dioscori et ipsius Aeluri asseclae supererant. Quod idem jam Marciano vix mortuo tentaverunt sed irrito conatu; cf. Leon. epist. 147 et 150.

[2]) Nunquam in urbe regia defuisse, qui Eutychianis faverint, satis indicat Leo epist. 157, 161 et 163. Mox G^1 *adtonita haereticorum.*

[3]) Ecclesiarum videlicet encyclicis litteris et Leonis Augusti edictis, quorum meminit Leo papa epist. 170 et 173, unde et eidem principi gratias agit epist. 169. Quum autem haec Leonis epistola statim post ejectum Aelurum scripta mense Junio a. 460 consignetur, isque ab exsilio redierit a. 475, sequitur, ut non annos octodecim, ut scribit Evagrius h. e. III, 4, sed dumtaxat quindecim exsul exegerit. Leo autem velut ex alto prospiciens quod futurum erat, Gennadium sollicite epist. 170 praemonuerat, ut omni studio contenderet, *ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim vel publice misceretur, neve sub specie correctionis ejus quorundam conventui praeberetur occasio: ne redeundi integram caperet libertatem, de quo jam edictis suis princeps Christianissimus judicaverat.*

[4]) Ita G^1 G^2 a^1; c^7 seqq. *juste fuerat*, et mox secundum grammaticae leges *existimantem.*

Digitized by Google

a. 476. tus, ad ecclesiam tuae dilectionis vel ad fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem conventus novos pro se didicimus comminari: resolvi existimans, quod de se universalis decrevit auctoritas.

2. Unde quia sanctae memoriae praedecessorum nostrorum[5]) exstante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur novis assertionibus non indiget edoceri, sed plana atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab haereticis erudiri vel in vinea Domini plantandus institui; implorata fide clementissimi principis vocem faciendae synodi fac respui, nec sit apud aures imperatoris Christiani pigra suggestio, quia salus ejus et regni ipsius Christus est fortitudo. Ergo cum praedictis presbyteris ac monachis opportune pietati ejus nostro quoque nomine supplica, et legationem hanc pro nobis quoque clementiae ipsius, ne quid subripiatur[6]), insinua. Omnium pariter precibus instruatur, ne per occupationes publicas quieti ecclesiasticae aliquas inimicus moliatur insidias: integritati suae Alexandrinam reddi praestet ecclesiam, et beati Marci evangelistae sede hostem parricidamque[7]) propellat, et qualiter catholicae fidei teneatur integritas, in penetralibus aulae suae dignanter inquirat. Quae ne aliqua forsitan fidei aemulorum fraude vitietur[8]), licet in ecclesiae tuae possint scriniis inveniri, tamen exemplaria misimus, quae pietati ipsius properabis[9]) offerre. Nota namque et omnibus illic potestatibus celebrata, quae sanctae memoriae praedecessor meus Leo ad consultationem augustae recordationis Leonis scripserit[10]), et quam veneranter accepta sint, recognoscant: appareat sic, ut confidimus, ejus imitator fidei, cujus propitiante Deo dignior est successor imperii, sibique scriptum aestimet,

---

[5]) Nominatim Coelestini et Leonis, contra quorum *doctrinam disputare nefas* dicitur, maxime postquam illius doctrina ab Ephesino concilio, istius a Calchedonensi ac summo omnium ecclesiarum consensu comprobata est. Vel etiam *praedecessorum* nomine Leonem intelligit et Hilarum propter decretalem epistolam, qua *per universum Orientem* missa *Calchedonensem synodum* ac *tomum Leonis* confirmasse in libro pontificali dicitur. In sequenti epistola n. 6 lecturi sumus: *Quod apostolicis* (h. e. apostolicae sedis) *manibus cum universalis Ecclesiae assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem non potest sumere renascendi.* Qua ratione firmatur, nefas esse disceptari aut retractari, quod totius Ecclesiae judicio seu, ut cum ipso loquar pontifice, *universalis Ecclesiae assensu* definitum est.

[6]) Ita G^1 G^2; ed. *subrepatur*.

[7]) Ita vocabatur Timotheus Aelurus propter caedem episcopi sui Proterii, cujus sedem postea invasit.

[8]) b c^7 seq. *vitientur*. Melius ad *fidei integritas* refertur hoc verbum, licet sequens *possint* ad *exemplaria* spectet.

[9]) b c^7 *praeparabis offerri*, nulla apparente ratione, cur primigenia lectio mutata sit.

[10]) Praesertim in epistola 165, in qua accuratissima et elimatissima fidei expositio habetur.

Digitized by Google

quidquid ante se principibus pia est traditum lectione. Illa est a. 476.
namque perennitas regnique per seriem propaganda posteritas[11]), si in successore reperitur, quod a praedecessore descendit.

3. Hortor ergo, frater carissime, ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi quum aliquid in pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas; sicut primum Arii ac deinde Nestorii, postremum Dioscori atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et — quod misericordia Christi Dei nostri salvatoris avertat! — intimandum est, abominabile esse, contra sententias totius orbis Domini sacerdotum et principum utriusque rectorum damnatos[12]) restituere, reduci exsules, relegatos in[13]) causis nefariae conversationis absolvi. Itaque, quod saepe repetendum est, haec omnia clementissimis auribus suppliciter intimato. Veniet procul dubio Deus in adjutorium nostrum[14]), in cujus Prov. 21, 1.
manu regis cor esse retinens constitutum potestatis suae nescit aliunde principium. Data quinto[15]) Idus Januarii.

Epistola 3.

Simplicii papae ad Basiliscum Augustum.

a. 476 d. 10. Jan.

Salutationis officio functus Timothei Aeluri tam in Alexandrina quam in regia civitate impias molitiones Simplicius enarrat. Deinde Marciani ac Leonis exemplis ob oculos positis imperatorem hortatur, ut decessoris sui epistolas recenseat, neve ea, quae in Calchedonensi synodo tam considerate constituta, retractari patiatur. Sed ante omnia Alexandrinae ecclesiae paci consulat, proprium ei restituens episcopum et Aelurum in pristinum exsilium amandans.

Basilisco[1]) Augusto Simplicius episcopus.

1. Cuperem quidem, quantum ad meae spectat devotionis arbitrium, qua principes Christianos jugi veneratione suspicio, debita pietati vestrae continuis officia deferre colloquiis. Sed quum ad hujus intentionis augmentum etiam sacrae cura religionis accedat,

---

[11]) G^1 corrupte *posteritatis in successore reppererit.*

[12]) c^7 addit *reos* et mox habet *duci* pro *reduci*. Antea post verbum *utriusque* subauditur *orbis*.

[13]) Ita G^1 G^2; alii *in causa nefariae conjurationis*. Talis quidem Timothei et sociorum conjuratio describitur in Aegyptiorum episcoporum et Alexandrinorum clericorum epistolis quum ad Leonem Augustum tum ad Anatolium scriptis, quae habentur conc. Calched. part. III cap. 22 et 23.

[14]) Ita G^1 G^2. Editi *vestrum ... cor regis ... nesciat.*

[15]) c^7 ad marg. *Alii VI Kalendas Februarias.* Sed ex duabus sequentibus epistolis manifeste patebit, hanc una cum illis missam fuisse, neque adeo immerito primogeniam lectionem retineri.

[1]) Ita N^6, cui concinit historica fides. G^1 a^1 *Zenoni Augusto*, moxque editi *suscipio*.

Digitized by Google

a. 476. ratio mihi negotii potioris incumbit, ut simul honorificentiam vobis prona mente persolvam, et causas[2]) fidei fidenter insinuem: quia me ad utramque vel dicata trahit clementiae vestrae semper affectio, vel respectus ordinis mei et apostolici moderaminis sollicitudo compellit.

2. Functus igitur, gloriosissime ac clementissime fili imperator Auguste, munere salutandi, quae in ecclesiis Orientis per haereticorum latrocinia recidiva rursus dicuntur scandala concitari, nec debeo silere nec possum. Nam sicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum, comperi, Timotheum parricidam, qui Aegyptiae pridem vastator ecclesiae in morem Cain, ut
Gen. 4,14. lectio divina testatur, ejectus a facie Dei, hoc est ab Ecclesiae dignitate seclusus, et[3]) jam per deserta vagus, sceleratae conscientiae diu tormenta passurus, in exsilium proprii erroris abductus est, resumptis pristini furoris incendiis conflasse nihilominus agmina perditorum et Alexandrinae urbis ecclesiam, quam sacerdotali prius sanguine cruentavit, ipsum denuo nunc cruentum depulsione legitimi pervasisse pontificis: ut cui illa relegationis humilitas injicere debuerit ex iis, quae impie gesserat, aculeum poenitendi, nutriendae potius otia tribuisse videatur atrocioris insaniae. Quo procul dubio Cain ipso longe detestabilior approbatur. Ille siquidem a perpetrato semel facinore damnatus abstinuit, hic profecit ad crimina majora post poenam.

3. Nec eo tamen scelerum fine contentus, Constantinopolitanam insuper urbem, recti semper dogmatis amore flagrantem, ne quid intemeratum populator humanae salutis omitteret, fertur audacter ingressus, et a suae consortibus pravitatis libenter audisse soli Christo debitam vocem, qua plane[4]) non *in nomine Domini venire benedictus*, sed divini culminis usurpator evidenter est monstratus Antichristus: qui quum etiam a communione catholica tam laudabiliter esset exclusus, per quorumdam privatas domos respersis humano

---

[2]) c[7] *causas fideliter insinuem.* Hoc prooemio ita salutationis officium novo imperatori persolvit, ut satis prudentibus insinuet, se haud sua sponte eo munere perfungi.

[3]) G[1] G[2] *etiam quam per.* Deinde editi *nutriendi.*

[4]) a[1] *plene.* Ad integram hujus loci intelligentiam addere juverit Theodori lectoris verba sub finem libri I (ed. Vales. pag. 556): *Porro Aelurus quum seditiosam atque incompositam Alexandrinorum turbam collegisset, una cum illis ex aedibus Basilisci supplicans ad ecclesiam processit, ipse asino vectus.* Ut igitur hac occasione ipsum Domini triumphum plenius imitaretur, a circumstante turba concini jussit *benedictus qui venit in nomine Domini.* Nec vero impune ausus est tantum nefas impudens parricida, quum graviter *prolapsus non sine ignominia recedere* coactus sit, ut addit Theodorus, Simoni Mago quam Christo similior. Quod vel ignoravit Simplicius vel dissimulandum duxit. At diserte notavit, ei domum Dei intrare non licuisse *monachis obsistentibus* (epist. 4 n. 3).

Digitized by Google

sanguine manibus[5]) non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse a. 476.
memoratur. In quo utique non ejus est firmata susceptio, sed consciorum divulgata proditio cum eodem de illa iniquitatis sede, nisi resipiscant, omnimodo[6]) casurorum, quam sicut diabolus pater ejus, Altissimo similem se faciens, aeternam sibi perfidus construere non desinit ad ruinam.

4. Haec venerabilis imperator, quum horreat animus vel a tanto gladiatore fuisse tentata, maximo tamen, fateor, stupore detineor, sub vestrae pietatis adspectibus potuisse committi. Quis enim devotam semper Deo clementiae vestrae mentem et orthodoxis deditam[7]) regulis aut ignoret aut ambigat? Quippe qui supernae dispositione providentiae sicut pro utilitate publica augustae memoriae Marciani pariter et Leonis eruditi virtutibus, sic eorum sitis etiam ad catholicam veritatem sensibus instituti, nec cuiquam omnino sit dubium, pietatem tuam illorum esse fidei sequacem, quorum es successor imperii. Quae quum de vestrae tranquillitatis animo certa ab omnibus teneantur et fixa, absit, ut temporibus vestris divini cultus integritas et antiquitus roborata fidei catholicae putetur interpellanda sinceritas. Respicite, quaeso, ad divina beneficia, et quae sint vobis collata perpendite, atque ut haec prospera valeant permanere, propitiandum esse censete auctorem muneris, non laedendum. Inter quaslibet enim occupationes publicas a religioso principe magnopere procurandum est, quod ejus protegit principatum, et praeferenda cunctis rebus est coelestis observantiae rectitudo, sine qua recte nulla consistunt.

5. Suppetunt affatim clementiae tuae, si in palatii sui requiri mandet archivis, cum nostrorum coeuntia definitione majorum documenta copiosa. Neque enim conscientiam vestram latere credendum est, quae per cunctas provincias Orientis ex imperii vestri arce diffusa sunt: illa scilicet, quae vel ad augustae memoriae Marciani nihilominus et Leonis vel[8]) ad Calchedonensis concilii beatae recordationis praedecessor meus Leo consulta direxit: quibus ita plene atque dilucide sacramentum dominicae incarnationis exposuit, ut non modo catholicus, sed ne Christianus quidem valeat nuncupari, quisquis illic et redemptionis suae causas non evidenter agnoscat. Certe ut facilius[9]) vobis necessaria non desit instructio, earumdem exemplaria litterarum ad fratrem et coepiscopum meum Acacium

---

[5]) Non quod novissime ullam caedem perpetrasse dicatur, sed quod manus olim in Proterii nece sordidatas nulla poena abluisset.

[6]) Ita G^1. Editi *omnimode casuros*. Mox *aeternam* refertur ad *ruinam*.

[7]) Eum maxime *Zenonide conjuge sua adversus orthodoxos incitante bellum contra fidem movere coepisse*, Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 556) testatur.

[8]) G^1 *vellati Calched. a quibus ita.*

[9]) Ita G^1 G^2. Editi *facilis ... coepiscopum nostrum.*

Digitized by Google

a. 476. misi vestris sensibus offerenda. Haec igitur pietas tua si recensere dignetur vel quae totius Orientis episcopi de hujus praedicationis consensione rescripserint[10], aspiciet profecto examinata diligenter et veraciter promulgata, atque ideo pestiferae falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia revera quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. Perstat[11]) enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.

Joh. 21, 15 ss. Matth. 28, 20. 16, 18 ss.

6. Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater et coepiscopus meus Acacius supplicabit, precor atque obsecro, ut imitatores facti tantorum et talium praedecessorum, nefandae praesumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. *Quisquis aliud,* sicut praedixit apostolus, *praeter quam quod*[12]) *accepimus, seminare molitur, anathema sit.* Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus subripiendi pandatur accessus, nulla retractandi quidpiam de veteribus constitutis fiducia concedatur: quia, sicut saepius iterandum est, quod apostolicis manibus cum Ecclesiae universalis assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem sumere non potest renascendi, nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno. Sic[13]) haeresum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnationis elisae reparare certamina.

Gal. 1, 8.

7. Ante omnia autem quaeso, ut beati Marci evangelistae sedes — Alexandrinam loquor ecclesiam — a cruentissimi praedonis incubatione[14]) liberata, catholico reformetur antistiti libertatemque suam pariter recipiat et quietem. At vero improbus parricida, qui divinis simul reus est legibus et humanis, reductus eodem, quo jure fuerat ante detrusus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul a regno pietatis vestrae funesti capitis venena discedant, quae quoniam salutiferae praedicationis auribus obturatis medicantia verba

---

[10]) Quaeque Leo Augustus in unum codicem, quem *encyclium* appellavit, colligi voluit.

[11]) a[1] *praestat,* melius alii *perstat* h. e. perseverat. Mox vocabulum *apostolicae* perinde accipiendum, ac si legeretur *apostoli Petri.*

[12]) G[1] omitt. *quod.* Mox editi *subrependi ... abscindi.*

[13]) In vulgatis *si ... oppugnatione elisa reparari.* Ex archetypo G[1] (*si ... oppugnationis elise reparari*) et Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144 (*sic ... oppugnationibus elisa reparare*) nostram lectionem restituimus.

[14]) h. e. *injusta usurpatione*; cf. infra epist. 6 n. 2. Mox alii *impius* (loco *improbus*).

Digitized by Google

capere nequiverunt, ab humani conventus abducta pernicie, in viru- a. 476.
lentiae suae congrua solitudine contabescant. Quo magis ac[15]) magis pietatem tuam beati Petri apostoli voce, qualiscunque sedis ejus minister, obtestor, ut inimicos antiquae fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis hostes habere subjectos: ut verae confessionis pacem cunctas Domini servare decernatis ecclesias, qui orbem vestri imperii desideratis tenere pacatum, et unicam spem salutis, quae genus hominum ad regna coelestia vitamque perducit aeternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum vel regno vestro cupitis vel saluti. Data quarto Idus Januarias Basilisco Augusto[16]) consule.

Epistola 4.

Simplicii papae ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos.

a. 476 d. 11. Jan.

p. 6. *Monachos Constantinopoli constitutos consolatur Simplicius ac docet, fidem tam firmiter esse stabilitam, ut adversus Timothei molitiones constantia opus sit non contentione, ideoque legatos a se ut cupiebant non mitti. Gratulatur iis, quod ipsorum opera Aeluro ecclesiam introire non licuit hincque factum, ut ille sui similes adhuc forsitan latentes publicarit. Acacii denique silentium excusat.*

Simplicius episcopus presbyteris et archimandritis[1]) apud Constantinopolim constitutis.

1. Per filium nostrum laudabilem virum Epiphanium litteris[2]) vestrae dilectionis serius quam voluistis acceptis, magno sumus do-

---

[15]) Ita G^1 G^2. Editi omittunt *ac magis pietatem tuam* et mox *hostes*.

[16]) Binius post Baronium huc mendose irrepsisse existimat *Augusto* pro *Armato*; sed nulla prorsus ratione, quum ex Marcellini chronico constet, Basiliscum anno 475 renunciatum imperatorem fuisse. Cui chronico non solum hic suffragatur Simplicius, sed et in epistola 6 initio Octobris anni 477 scripta, ubi de Basilisco ut jam expulso loquitur. Quippe Evagrius h. e. III, 8 eum pulsum tradit, quum jam biennio regnasset. Neque vero novum et insuetum est, in pontificiis epistolis alterius consulis nomen omitti; imperanti autem consuli *Augusti* titulum adjici consuetudo exigebat. De hujus tyrannidis tempore utpote ab anno 475 usque ad vergentem annum 476 ponendo conferantur etiam, quae clarissimus Rossius inscr. christ. urb. Romae tom. I pag. 382 seq. ad inscr. 863 scitissime disputat. Praeterea in chronica nota, ut jam Bollandus suspicatus, Pagi ad a. 476 n. 14 legendum voluit *IV Nonas Junias*, sicut in epistola 2 *V Idus Junias* et in epist. 5 *III Idus Junias*. Nec tamen ut codicum fidem deseramus persuadere potuit.

[1]) Iis nimirum, de quibus Simplicius in epistolae 2 exordio dixit: *Quantum presbyterorum et ex diversis monasteriis Domino servientium monachorum relatione patefactum est*, et in epist. 3 n. 2: *sicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum*. Unde sequi videtur, ut non clericorum simul et monachorum scripta sint missa, sed unorum monachorum, quorum nonnulli presbyteri et archimandritae fuerint, et quibus nunc Simplicius rescribit. Quocirca si clerici a monachis distinguantur, minus placet haec summa huic epi-

Digitized by Google

a. 476. lore permoti, quod illic infra Ecclesiam Dei scandalorum recidiva nascuntur incendia, ubi toties[3]) auctoritate apostolicae sedis et sententia synodi universalis exstincta sunt. Cui namque in toto orbe terrarum cum perversitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinae ecclesiae pervasoris non est nota dejectio? Testis est anterius[4]) Ephesinum, testis est recens Calchedonense concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronuntiat non haberi: quum praedictorum talis impietas, auctoribus[5]) etiam principibus Christianis non solum ab Ecclesiae corpore verum a coetu hominum exsiliis segregata diversis, unitae sententiae damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum, quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universa mundi parte has quoque haereses evicerunt, beatae recordationis praedecessor noster Leo multiplici sermone doctrinae, quid catholicae veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata non contentione opus est, ut adhuc tamquam de dubiis judicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra dejectos state vestigiis, nec vos adversarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat.

2. Breviter haec ad consultationem immo etiam consolationem vestrae scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causae necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem non jam defendendae, quae solide jacta est, fidei sed repellendis haereticis atque damnatis illa sufficerent, quae etiam ad sanctae memoriae Flavianum atque ad sanctam Calchedonensem synodum vel ad augustae recordationis Marcianum ac Leonem beatae memoriae antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius Orientis episcopi rescriptis[6]) ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Unde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreverunt in unum convenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilominus sentientes, diversis quidem[7]) vocibus sed una mente dixerunt, damnantes errorum exsecrabilium au-

---

stolae in vulgatis praemissa: *Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantium commendat.*

[2]) Rursus infra epist. 7 n. 1 Simplicias litteras sibi per *Epiphanium* traditas memorat, sed alterum cognominem, utpote qui diaconus appelletur.

[3]) Ita G^1 a^1. c^7 *totius*. In epistola sequenti similiter idem papa monet, ut *ne toties et bene statuta violentur.*

[4]) *Anterius* vocat ad discrimen latrocinii Ephesini, quod posterius fuit, vel etiam quia Calchedonense, quod *recens* nuncupat, praecessit.

[5]) Ita G^1. Editi *auctoribus et principibus ... a coetu omnium.*

[6]) Quae habentur inter acta concilii Calchedonensis part. III n. 6—41 (Harduin. coll. conc. II, 703—772). — Deinde editi *diversis quid vocibus.*

[7]) Ita G^1 G^2. Editi *quid ... damnantes eorum exsecrabilium.*

Digitized by Google

ctores pariter et sequaces. Quapropter inter tot formas, quae erectae a. 476.
sunt, praedicandi non assertione nova sed constantia nitendum est.

3. Jam probatum est, quid Domino vos juvante profecerint labores vestri; Deo placitus fructus ostendit, quando ejus domum vobis obsistentibus[8]) latroni introire non licuit, qui, nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicavit[9]). Non enim junguntur bona pessimis, recta perversis, nec possunt salutaria coire cum noxiis; quia luci communio nulla cum tenebris nec infideli portio cum fideli. Unde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium, nisi forte resipiscentibus animis, et maxime qui nuper decepti sunt, videntes, in quae abrupta sunt ducti, ad splendorem verae fidei discussa conferant se nube mendacii: quod apostolicae sedis pietate ut provenire possit optamus, quia *vitam in Domini voluntate* cognoscimus. Psalm. 29,6.

4. Ad christianissimum quoque principem vel ad fratrem et coepiscopum meum[10]) Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Ut autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, seriem litterarum, exemplaria inter-

---

[8]) Id haud dubie contigit, quum vectus asino Aelurus e Basilisci aedibus ad ecclesiam cum seditiosa turba processit; cf. epist. 3 not. 4. His addo, hujusmodi processionem, ut jam tunc vocabant, tum celebrari consuevisse, quum antistes ad sacrificium sollemne procederet. Neque alio consilio Timotheus ita comitatus incedebat, qui tum a domo Domini repulsus *per quorumdam privatas domos non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse memoratur*, inquit Simplicius epist. 3 n. 3, ut videlicet id saltem in aedibus privatis perficeret, propter quod ad domum Domini perrexerat. Qui autem hujusmodi processioni intererant, hoc ipso indicabant, se cum procedente pontifice communicare, uti infra visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et in Vigilii epist. 14.

[9]) h. e. *cui dum nonnulli obviam eunt, huic palam publiceque deprehensi sunt esse similes.*

[10]) Editi *nostrum.* — Sunt epistolae 2 et 3 antecedentes. Ceterum hoc Simplicii elogio sese revera dignum haud ita multo post ostendit Acacius. *Basiliscus* enim, ait Theodorus lector h. e. I (ed. Val. pag. 556), *generali sanctione Calchedonensem synodum rejici jussit, operamque dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, quum universa civitas una cum mulieribus et parvulis in ecclesiam conveniens Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semetipsum et cathedram atque altare nigris vestibus obtexit.* Notandus ritus, cui nonnihil simile etiamnunc observat Ecclesia, quum sacrae aedes violatae pollutaeque sunt. Narrat deinde Theodorus, ut magnus Daniel Simeonis Stylitae aemulator e columna sua descendens una cum plebe et Acacio conventus ecclesiasticos frequentarit. Hic praeterea observare juverit, qua prudentia Simplicius pios monachos zelo ferventiori aestuantes et forte de Acacio querentes, quod suum in tuenda fide studium tardius exercuisse videretur, mitiget et emolliat. Qui vero erga Acacium ita affectus fuit, is minime suspectus esse debet, quum ad eumdem increpandum se convertit.

Digitized by Google

a. 476. nuntio quem misistis redeunte direximus. Data III Idus Januarii consule suprascripto.

Epistola 5.

(a. 476 m. Jan.)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut suo ipsius nomine apud imperatorem agat, ne quae in Calchedonensi synodo statuta sunt ullatenus violentur. p. 7.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quum filii nostri, illustris vir Latinus patricius et spectabilis Madusius, pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus quod omni intentione curamus. Proxime namque quum presbyterorum et monachorum de Timotheo olim ab universali Ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi quam dilectioni tuae scripsimus, ut modis omnibus resistat, ne quid haereticorum contra Calchedonense concilium moliatur audacia, frater carissime; et dilectionis tuae laudando constantiam, multum nobis immo ipsi Domino placere memoravimus, quod damnatum hominem non solum fidei sed etiam parricidii causa nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, ut quum ad dilectionem tuam eadem scripta pervenerint, immo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, ut quae toties et bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni ejus certum et singulare est firmamentum, vero atque aeterno regi congregatorum in causa fidei divino Spiritu sacerdotum illaesum conservare concilium.

Epistola 6.

a. 477 d. 9. Oct.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Gratulatus Simplicius de Basilisco subacto hortatur Zenonem, ut Ecclesiae hostes vicissim comprimat, Alexandrinum episcopum sedi suae restituat, abroget impiam Basilisci sanctionem, ac Leonis doctrinam et Calchedonensia decreta intemerata esse jubeat. p. 7.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. Inter opera divinae providentiae, quae pia semper et justa sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quaelibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione complecti vel voce depromere, quod in ipso utriusque rei laborantis articulo et votis publicis et[1]) religionis sanctae reddidit vos quieti,

[1]) Legendum *et religionis*, addito *et*, ut intelligatur *utraque* illa *res*, quae sub Basilisco *laborasse* dicitur, nempe res publica et religio. *Ecclesiam et rem*

Digitized by Google

nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum propheta: a. 477.
Haec est mutatio dexterae Excelsi, quae exaltantes semetipsos potenter Ps. 76, 11.
humiliat et humiliantes se clementer exaltat? In quibus etiam si Luc. 1, 52.
dispensationis supernae sagacius mensura libretur, profecto evidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiae tuae et inter adversa probaretur, quantoque magis rebus urgeri crederetur infestis, tanto clarius vestra magnanimitas immineret; atque ob hoc mansuetudinis vestrae de Constantinopolitana urbe provenisse discessum[2]), ut universorum desideriis expetiti gloria majore rediretis, et ex contrariorum periculis, quid in vobis esset cunctis utile, nosceretur[3]): Davidicae nimirum illius virtutis exempla[4]), qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidae, continuo victor ac populorum precibus imploratus praestantiore fastigio est reversus in regnum.

2. Laetare igitur, venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui exstiterunt Divinitatis inimici[5]), teque[6]) gaude cum Ecclesia laborasse et cum fidei catholicae libertate imperio restitutum. Atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, ejus ope viriliter fretus insiste: ut per quem publicos incubatores[7]) subegit,

---

publicam Deus mirabili consolatione visitavit, in sequenti epistola de eodem Zenonis reditu scribit Simplicius.

[2]) scil. quum Basilisco imminente in Isauriam confugit. — Mox editi *ut ex ... quod in.*

[3]) Antea Zenonem omnibus *etiam propinquis suis* ob vitae turpitudinem invisum fuisse Evagrius h. e. III, 3 tradit. Sed populus Basilisci tyrannidem non ferens et fidem in summum discrimen adduci conspiciens Zenonem facile expetiit.

[4]) G[1] corrupte *exempla quae ... continua victor at* (vel *ut*) ... *fastigia.* Editi *exemplo, qua ... continuo victoriam,* unde a[3] *victor jam,* nos *victor ac* mutamus.

[5]) Sic meruit appellari Basiliscus ob impium edictum ab Evagrio h. e. III, 4 insertum: quamvis sera ac forte minus sincera certe coacta poenitentia, ubi Zenonem contra se ex Isauria cum expeditis copiis advolare didicit, *in ecclesiam profectus excusavit se Acacio et clero ac monachis, ... alio edicto abrogans ea, quae prius constituerat,* ut Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 557) narrat. Novum illud edictum item apud Evagrium h. e. III, 7 refertur.

[6]) Ita G[1]; editi *atque gaude ... imperium ... cujus ope.*

[7]) h. e. *reipublicae injustos detentores.* Ut enim Augustinus sermon. 50 (al. 15) de diversis n. 4 explicat: *quod quis jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris sed impudentis incubatoris improbitas.* Idem sonat l. 15 Cod. Theod. X, 1 *incubatio diuturna,* et l. 1 ejd. IV, 18 *rei incubarit alienae,* et l. 20 ejd. XVI, 10 *fructus ab incubatoribus exigantur.* Eo autem nomine Basiliscum imperii invasorem designari manifestum est. Tyranni hujus tempora Hormisda in memoriam revocans epist. 32 n. 2 *recordamini,* inquit, *carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam archen incubante tentata.* Jam audivimus Simplicium epist. 3 n. 7 rogantem, ut Alexandrina ecclesia *cruentissimi praedonis incubatione* liberaretur. Quam precem nunc iterans, ut Zeno *Ecclesiae depellat tyrannos* obsecrat. Utrobique enim et praedonis et tyranni nominibus eumdem Timotheum Aelurum indicat. De eodem Leo epist. 169 n. 1: *Cui* (Alexandrinae ecclesiae) *praedo nefarius incubabat.*

Digitized by Google

a. 477. Ecclesiae quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii praesules[8]), quales nunc loquimur, redderentur; ita exspectari cernis, ut hujusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quaeso, augustae memoriae Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam, et salubri consideratione perpendite: quum in eodem loco stare nequiverint, qui ab eorum rectitudine deviarunt, successorem regiae potestatis legitimum ac divinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime et clementissime fili imperator, augustae memoriae tantorum virorum taliumque reverentiam, debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia haec, beato apostolo docente nos Petro mea nuper humilitate praedicante, refutata sunt a[9]) casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris.

3. Ego quidem litteris, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandae religiositatis accipiens, et ingenti gratulatione respiro, et omnino non ambigo mentem vestram in rebus divinis gesturam longe potiora quam cupio; sed mei memor officii in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter et salutis affectu illis te causis inhaerere semper exopto, quibus solis et praesentis regni stabilitas custoditur et aeterni gloria comparatur.

4. Unde ante omnia precor, ut Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto quam ab haeretico pervasore clementiae vestrae dispositionibus liberatam catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse[10]) perhibetur, ejectis, rectae fidei subrogari constituatis episcopos: ut sicut rem publicam vestram a tyrannica dominatione pur-

[8]) Haud inusitato et Simplicio proprio loquendi modo hic dicitur Zeno *Romani imperii praesul*. Ante eum Theodosius (inter Bonifacii epistolas epist. 11) dixerat: *Deus enim auctor ideo praesules fecit Christianorum principes*. Postea Gelasius epist. 17 n. 1 eamdem vocem usurpat, et Clodoveus a s. Remigio *praesul regionum* dictus est, et Theodebertum regem Aurelianus episcopus alloquens *cogita semper*, inquit, *sacratissime praesul diem judicii*.

[9]) Istud *a casuris* male in prius vulgatis a verbis *refutata sunt* interposita virgula sejunctum erat. Quid enim hic sibi vult Simplicius? Eadem videlicet monita, quae nunc tradit Zenoni in regni soliditate mansuro, prius se Basilisco ab ejusdem regni administratione casuro dedisse, quae porro ab eo spreta rejectaque fuere. Quamvis enim huic pariter ob oculos posuerit Marciani et Leonis exempla, is nihilominus Timotheum a Leone proscriptum revocare et Calchedonensem synodum ab utroque imperatore propugnatam damnare non dubitavit, eoque pacto Simplicii monita refutavit et contempsit. Hinc denuo palam confirmatur, epistolam 3 Basilisco non Zenoni inscribendam esse.

[10]) Ex his plures sequens epistola n. 3 nominatim indicat.

Digitized by Google

gastis, ita ubique Ecclesiam Dei ab haereticorum latrociniis atque a. 477.
contagiis exuatis, nec id potius praevalere patiamini, quod[11]) iniquitas temporum per eos, quos non solum in vestrum imperium sed et in Deum quoque rebellis spiritus concitavit, quam quod tot tantique pontifices et cum egregiis orthodoxisque pontificibus universalis Ecclesiae decrevit assensus. Calchedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione[12]) perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus[13]). Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quae *potentes de sede* laesa[14]) *deposuit*, et exal- Luc. 1, 52.
tandos *humiles* custodita *servavit*. Quare satis agendum est pietati tuae, ut qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse[15]) propagator. Data VII Iduum Octobrium post consulatum Basilisci[16]) et Armati.

Epistola 7.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 477 m. Oct.)

p. 7. *Ut Acacius cum monachis et episcopis Constantinopoli congregatis conjunctim ab imperatore Timothei eorumque qui ab eo ordinati exsilium, et restitutionem catholicorum expetat (n. 1, 2). De verae fidei in populo profectu gratulatus (n. 3), ne episcopos diutius Constantinopoli manere sinat, ob periculum novarum molitionum providus monet (n. 4).*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.

1. Litteris tuae dilectionis, quas per filium nostrum Epiphaphanium diaconum probatae fidei direxisti, ea, quae strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritae cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine sed

[11]) In vulgatis *quod iniquitas temporum et eos quos non solum vestro imperio sed;* G[1] omittit *et* ante *eos*. — Temporum iniquitas impiam invexerat Basilisci sanctionem, quam etiam ipse paullo ante Zenonis reditum abrogarat. Tum vero tyranni hujus vel potius Aeluri fautores rebelli spiritu incitati, ut Leonis papae tomus et Calchedonensis concilii decreta novo in concilio examinarentur, efflagitare non desistebant. Quam petitionem novissimum Basilisci edictum (apud Evagr. h. e. III, 7) repulit his verbis: *de hoc argumento nec synodum fieri nec amplius quaestionem ullam moveri volumus, sed ea firma et inconvulsa manere.*

[12]) In Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec laudantur, legitur *traditione*.

[13]) Nimirum Timotheus Aelurus ab universo orbe in encycliis ad Leonem Augustum missis uno ore damnatus.

[14]) Illud *laesa* non ad *sede* sed ad *catholica fides* refertur.

[15]) Editi addunt *etiam*. Iidem mox *VIII Idus*.

[16]) Hic Basilisci nomini non additur *Augusti* titulus, quod male partum amiserat imperium. In aliis documentis post vergentem annum 476, quo illius tyrannis finem acceperat, exaratis ejus ut damnatae memoriae nomen prorsus reticeri Rossius l. c. pag. 382 seq. exempla affert.

Digitized by Google

a. 477. sermone necessario retulisti, ut quid vel Constantinopoli vel in aliis regionibus ab haereticis gestum, disceremus; ac singula, quae contra ecclesiasticas regulas et contra ipsam catholicam fidem ubicunque commissa sunt, ante nostros oculos collocasti: quatenus videatur, quo etiam remedio subveniretur ecclesiis, quibus vim sub occasione tyrannicae dominationis et per absentiam Christianissimi principis perniciosus latro et recidivus invasor Alexandrinae ecclesiae lapsus[1]) exsiliis irrogavit.

2. Unde unicum post Deum, qui Ecclesiam et rempublicam consolatione mirabili visitavit, etiamsi hoc fieri minime postulasses, clementissimi imperatoris auxilium duximus implorandum: ut pro omnibus, quae regno ejus Dominus tribuit, ne ulterius in orbe terrarum, quas subditas suo cognoscit imperio, ecclesiae Dei ab haereticorum contagione et pravitate violentur, sed doctrinae diabolicae praeceptione pietatis ipsius praestentur immunes; ut ii, qui sibi crediderint sacerdotale ministerium damnati hominis praesumptione conferri, promulgata imperiali constitutione etiam a conventu hominum segregandi jubeantur excludi: quatenus his submotis atque in solitudinis perpetua relegatione damnatis, antistites catholici deceptis vel reddantur ecclesiis vel creentur[2]). In quo nec nostrae preces apud religiosissimum principem nec dilectionis tuae suggestio, aut tantorum fratrum nostrorum, quos advenisse Constantinopolim reperimus, imploratio sacerdotum aut supplicatio monachorum laborare poterit. Quin quidquid ad integritatem catholicae fidei pertinet, in qua ecclesiarum est constituta securitas, regressu pietatis suae, Domino se ubique prosequente, omnium praeveniens vota restituit. Et apud mentem Christianissimam facilis est impetrandi gratia, ubi religionis est causa.

3. Sicut ergo litteris nostris ita tuae dilectionis vel omnium fratrum[3]), qui se ad documenta fidei suae Christianissimi principis praesentavere conspectui, suggestione repetendum est, ut Timotheus

---

[1]) seu *elapsus*. Eodem sensu dixit Acacius, ut visuri sumus in notitia epistolarum non exstantium n. 6, Petrum Fullonem a Leone principe Oasim deportatum *indeque lapsum Constantinopolim rediisse*. Hic vero oratorie dicitur Timotheus Aelurus *exsiliis* lapsus; neque enim cum Cedreno sentiendum, haereticum illum primum in Paphlagoniam deinde Oasim relegatum fuisse.

[2]) Zenonem his Simplicii monitis paruisse et ea, quibus pius pontifex Ecclesiae consultum voluit, praestitisse, fidem faciet successoris ejus Felicis epistola 1.

[3]) Episcoporum videlicet, qui undequaque in regiam urbem confluebant, tum ut reducem imperatorem salutarent, tum ut suam ei fidem novis obsequiis contestarentur (*ad documenta fidei suae*). Ne vero tot episcopi simul congregati occasionem haereticis opportunam ad nova molienda praeberent et ad impetrandum quod petebant concilium, prudens monet Acacium Simplicius (sub fin. epist.), studeat, ne episcopi illi diu in urbe regia morari sinantur. Quocirca Pagio as-

Digitized by Google

cum sequacibus suis ad irremeabile dirigatur exsilium[4]). Cum quo a. 477.
Paulus ab Ephesina ecclesia, et Petrus ab Antiochena civitate depulsus, atque omnes, qui ab eo se vel ab his, quos illicite fecerat, aestimant episcopos ordinatos, eadem debent lege percelli. De Antonio autem, qui eorum quos contra Ecclesiam tyrannos[5]) miserat, antesignanus exsistens, sicut scriptum est, inimicus et defensor apparuit, et[6]) de Johanne quondam Constantinopolitano, qui ab haereticis Apamenum sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se haereticum publicavit, et quod in se perperam factum est improperium retorsit in auctorem[7]), expellens ab Antiochia Petrum pervasorem ipsius, eamdem ecclesiam ipse pervasit: sub anathemate a Christianorum consortio vel ipsa appellatione removemus, nec unquam his satisfactionis[8]) patefaciendus est locus, quia sicut Judas inter apostolos ita isti inter ministros Dei subdola et diabolici spiritus fraude latuerunt. Psalm. 8,3.

---

sentiri non possumus, qui ad ann. 477 n. 12 ss. haec Simplicii verba de synodo apud Constantinopolim ab Acacio indicta interpretatur.

[4]) Ad hunc locum, ni fallor, respiciebat Gelasius epist. 10 ad Faustum n. 5 *in hac ipsa causa*, inquiens, *Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Johannes et ceteri non solum unus, sed plures ubique nomen sacerdotii praeferentes tota sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui praeceptionis hujus exstitit exsecutor.*

[5]) Magis placeret *tyrannus* scil. Basiliscus. De *Antonio* hic memorato nihil apud Evagrium, Theodorum lectorem et Liberatum invenimus.

[6]) Conjunctionem *et* de nostro quidem addidimus, sed eam necessario postulat orationis series. Hic locus intricatior videtur. Id vero sibi vult Simplicius: *Ad Antonium autem quod attinet et ad Johannem quondam Constantinopolitanum* (supple *presbyterum*) *etc., eos sub anathemate ... removemus.*

[7]) scil. in Petrum Fullonem. Ut enim ex Theodori lectoris h. e. I et ex epistolae Acacii fragmento infra in notitia epistolarum Simplicii non exstantium n. 6 edendo comperimus, is Petrus Fullo ubi in Antiochenam sedem iterato invasit, Johannem presbyterum Constantinopolitanum, qui antea depositus ab episcopo suo fuerat, Apameae episcopum ordinavit. Verum ille *ab Apamenis non receptus redit Antiochiam et Petrum episcopatus sui expellit auctorem et invadit ejus ecclesiam*, ut legitur in breviculo Eutychianae historiae (inter Gelasii tractatus tract. I. n. 12). Hunc autem Johannem postea Tyriorum ecclesiae praefectum ab Acacio factum, visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et eodem breviculo (Gelas. tract. I a. 12).

[8]) ejus scilicet, qua illis aditus ad honores ecclesiasticos pateat, non ejus, qua peccati veniam per dignos poenitentiae fructus consequantur. Ita porro Simplicius ad mentem Acacii loquitur, qui ipsi scripserat, haereticos illos iterum damnatos, si forte ad apostolicam sedem confugerint, nec visu dignos haberet, ei si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum poenitentiam recipiendam esse, supple, qua honores suos servarent (cf. notitia epist. Simplicii non exstantium n. 6). Ipse Simplicius suam ea de re sententiam aperte indicat epist. 18 n. 3, ubi de eodem Petro loquens, licet *haereticorum socius*, ait, *dudum exstitisse probetur et princeps, ad communionem per satisfactionem regulis Christianis competentem, non item ad fastigium sacerdotalis honoris pervenire poterit.*

Digitized by Google

a. 476. misi vestris sensibus offerenda. Haec igitur pietas tua si recensere dignetur vel quae totius Orientis episcopi de hujus praedicationis consensione rescripserint[10], aspiciet profecto examinata diligenter et veraciter promulgata, atque ideo pestiferae falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia revera quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. Perstat[11]) enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.

Joh. 21,15 ss. Matth. 28,20. 16,18 ss.

6. Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater et coepiscopus meus Acacius supplicabit, precor atque obsecro, ut imitatores facti tantorum et talium praedecessorum, nefandae praesumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. *Quisquis aliud,* sicut praedixit apostolus, *praeterquam quod*[12]) *accepimus, seminare molitur, anathema sit.* Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus subripiendi pandatur accessus, nulla retractandi quidpiam de veteribus constitutis fiducia concedatur: quia, sicut saepius iterandum est, quod apostolicis manibus cum Ecclesiae universalis assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem sumere non potest renascendi, nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno. Sic[13]) haeresum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnationis elisae reparare certamina.

Gal. 1,8.

7. Ante omnia autem quaeso, ut beati Marci evangelistae sedes — Alexandrinam loquor ecclesiam — a cruentissimi praedonis incubatione[14]) liberata, catholico reformetur antistiti libertatemque suam pariter recipiat et quietem. At vero improbus parricida, qui divinis simul reus est legibus et humanis, reductus eodem, quo jure fuerat ante detrusus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul a regno pietatis vestrae funesti capitis venena discedant, quae quoniam salutiferae praedicationis auribus obturatis medicantia verba

---

[10]) Quaeque Leo Augustus in unum codicem, quem *encyclium* appellavit, colligi voluit.

[11]) a[1] *praestat,* melius alii *perstat* h. e. perseverat. Mox vocabulum *apostolicae* perinde accipiendum, ac si legeretur *apostoli Petri.*

[12]) G[1] omitt. *quod.* Mox editi *subrependi ... abscindi.*

[13]) In vulgatis *si ... oppugnatione elisa reparari.* Ex archetypo G[1] (*si ... oppugnationis elise reparari*) et Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144 (*sic ... oppugnationibus elisa reparare*) nostram lectionem restituimus.

[14]) h. e. *injusta usurpatione*; cf. infra epist. 6 n. 2. Mox alii *impius* (loco *improbus*).

Digitized by Google

capere nequiverunt, ab humani conventus abducta pernicie, in viru- a. 476.
lentiae suae congrua solitudine contabescant. Quo magis ac[15]) magis pietatem tuam beati Petri apostoli voce, qualiscunque sedis ejus minister, obtestor, ut inimicos antiquae fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis hostes habere subjectos: ut verae confessionis pacem cunctas Domini servare decernatis ecclesias, qui orbem vestri imperii desideratis tenere pacatum, et unicam spem salutis, quae genus hominum ad regna coelestia vitamque perducit aeternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum vel regno vestro cupitis vel saluti. Data quarto Idus Januarias Basilisco Augusto[16]) consule.

Epistola 4.

Simplicii papae ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos.

a. 476 d. 11. Jan.

p. 6. *Monachos Constantinopoli constitutos consolatur Simplicius ac docet, fidem tam firmiter esse stabilitam, ut adversus Timothei molitiones constantia opus sit non contentione, ideoque legatos a se ut cupiebant non mitti. Gratulatur iis, quod ipsorum opera Aeluro ecclesiam introire non licuit hincque factum, ut ille sui similes adhuc forsitan latentes publicarit. Acacii denique silentium excusat.*

Simplicius episcopus presbyteris et archimandritis[1]) apud Constantinopolim constitutis.

1. Per filium nostrum laudabilem virum Epiphanium litteris[2]) vestrae dilectionis serius quam voluistis acceptis, magno sumus do-

[15]) Ita G^1 G^2. Editi omittunt *ac magis pietatem tuam* et mox *hostes*.

[16]) Binius post Baronium huc mendose irrepsisse existimat *Augusto* pro *Armato*; sed nulla prorsus ratione, quum ex Marcellini chronico constet, Basiliscum anno 475 renunciatum imperatorem fuisse. Cui chronico non solum hic suffragatur Simplicius, sed et in epistola 6 initio Octobris anni 477 scripta, ubi de Basilisco ut jam expulso loquitur. Quippe Evagrius h. e. III, 8 eum pulsum tradit, quum jam biennio regnasset. Neque vero novum et insuetum est, in pontificiis epistolis alterius consulis nomen omitti; imperanti autem consuli *Augusti* titulum adjici consuetudo exigebat. De hujus tyrannidis tempore utpote ab anno 475 usque ad vergentem annum 476 ponendo conferantur etiam, quae clarissimus Rossius inscr. christ. urb. Romae tom. I pag. 382 seq. ad inscr. 863 scitissime disputat. Praeterea in chronica nota, ut jam Bollandus suspicatus, Pagi ad a. 476 n. 14 legendum voluit *IV Nonas Junias*, sicut in epistola 2 *V Idus Junias* et in epist. 5 *III Idus Junias*. Nec tamen ut codicum fidem deseramus persuadere potuit.

[1]) Iis nimirum, de quibus Simplicius in epistolae 2 exordio dixit: *Quantum presbyterorum et ex diversis monasteriis Domino servientium monachorum relatione patefactum est*, et in epist. 3 n. 2: *sicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum*. Unde sequi videtur, ut non clericorum simul et monachorum scripta sint missa, sed unorum monachorum, quorum nonnulli presbyteri et archimandritae fuerint, et quibus nunc Simplicius rescribit. Quocirca si clerici a monachis distinguantur, minus placet haec summa huic epi-

Digitized by Google

a. 476. lore permoti, quod illic infra Ecclesiam Dei scandalorum recidiva nascuntur incendia, ubi toties[3]) auctoritate apostolicae sedis et sententia synodi universalis exstincta sunt. Cui namque in toto orbe terrarum cum perversitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinae ecclesiae pervasoris non est nota dejectio? Testis est anterius[4]) Ephesinum, testis est recens Calchedonense concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronuntiat non haberi: quum praedictorum talis impietas, auctoribus[5]) etiam principibus Christianis non solum ab Ecclesiae corpore verum à coetu hominum exsiliis segregata diversis, unitae sententiae damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum, quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universa mundi parte has quoque haereses evicerunt, beatae recordationis praedecessor noster Leo multiplici sermone doctrinae, quid catholicae veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata non contentione opus est, ut adhuc tamquam de dubiis judicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra dejectos state vestigiis, nec vos adversarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat.

2. Breviter haec ad consultationem immo etiam consolationem vestrae scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causae necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem non jam defendendae, quae solide jacta est, fidei sed repellendis haereticis atque damnatis illa sufficerent, quae etiam ad sanctae memoriae Flavianum atque ad sanctam Calchedonensem synodum vel ad augustae recordationis Marcianum ac Leonem beatae memoriae antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius Orientis episcopi rescriptis[6]) ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Unde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreverunt in unum convenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilominus sentientes, diversis quidem[7]) vocibus sed una mente dixerunt, damnantes errorum exsecrabilium au-

---

stolae in vulgatis praemissa: *Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam commendat.*

[2]) Rursus infra epist. 7 n. 1 Simplicias litteras sibi per *Epiphanium* traditas memorat, sed alterum cognominem, utpote qui diaconus appelletur.

[3]) Ita G^1 a^1. c^7 *totius*. In epistola sequenti similiter idem papa monet, ut *ne toties et bene statuta violentur.*

[4]) *Anterius* vocat ad discrimen latrocinii Ephesini, quod posterius fuit, vel etiam quia Calchedonense, quod *recens* nuncupat, praecessit.

[5]) Ita G^1. Editi *auctoribus et principibus ... a coetu omnium.*

[6]) Quae habentur inter acta concilii Calchedonensis part. III n. 6—41 (Harduin. coll. conc. II, 703—772). — Deinde editi *diversis quid vocibus.*

[7]) Ita G^1 G^2. Editi *quid ... damnantes eorum exsecrabilium.*

Digitized by Google

ctores pariter et sequaces. Quapropter inter tot formas, quae erectae a. 476.
sunt, praedicandi non assertione nova sed constantia nitendum est.

3. Jam probatum est, quid Domino vos juvante profecerint labores vestri; Deo placitus fructus ostendit, quando ejus domum vobis obsistentibus[8]) latroni introire non licuit, qui, nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicavit[9]). Non enim junguntur bona pessimis, recta perversis, nec possunt salutaria coire cum noxiis; quia luci communio nulla cum tenebris nec infideli portio cum fideli. Unde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium, nisi forte resipiscentibus animis, et maxime qui nuper decepti sunt, videntes, in quae abrupta sunt ducti, ad splendorem verae fidei discussa conferant se nube mendacii: quod apostolicae sedis pietate ut provenire possit optamus, quia *vitam in Domini voluntate* cognoscimus. Psalm. 29,6.

4. Ad christianissimum quoque principem vel ad fratrem et coepiscopum meum[10]) Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Ut autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, seriem litterarum, exemplaria inter-

---

[8]) Id haud dubie contigit, quum vectus asino Aelurus e Basilisci aedibus ad ecclesiam cum seditiosa turba processit; cf. epist. 3 not. 4. His addo, hujusmodi processionem, ut jam tunc vocabant, tum celebrari consuevisse, quum antistes ad sacrificium sollemne procederet. Neque alio consilio Timotheus ita comitatus incedebat, qui tum a domo Domini repulsus *per quorumdam privatas domos non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse memoratur*, inquit Simplicius epist. 3 n. 3, ut videlicet id saltem in aedibus privatis perficeret, propter quod ad domum Domini perrexerat. Qui autem hujusmodi processioni intererant, hoc ipso indicabant, se cum procedente pontifice communicare, uti infra visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et in Vigilii epist. 14.

[9]) h. e. *cui dum nonnulli obviam eunt, huic palam publiceque deprehensi sunt esse similes.*

[10]) Editi *nostrum*. — Sunt epistolae 2 et 3 antecedentes. Ceterum hoc Simplicii elogio sese revera dignum haud ita multo post ostendit Acacius. *Basiliscus* enim, ait Theodorus lector h. e. I (ed. Val. pag. 556), *generali sanctione Calchedonensem synodum rejici jussit, operamque dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, quum universa civitas una cum mulieribus et parvulis in ecclesiam convenions Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semetipsum et cathedram atque altare nigris vestibus obtexit.* Notandus ritus, cui nonnihil simile etiamnunc observat Ecclesia, quum sacrae aedes violatae pollutaeque sunt. Narrat deinde Theodorus, ut magnus Daniel Simeonis Stylitae aemulator e columna sua descendens una cum plebe et Acacio conventus ecclesiasticos frequentarit. Hic praeterea observare juverit, qua prudentia Simplicius pios monachos zelo ferventiori aestuantes et forte de Acacio querentes, quod suum in tuenda fide studium tardius exercuisse videretur, mitiget et emolliat. Qui vero erga Acacium ita affectus fuit, is minime suspectus esse debet, quum ad eumdem increpandum se convertit.

Digitized by Google

a. 476. nuntio quem misistis redeunte direximus. Data III Idus Januarii consule suprascripto.

Epistola 5.

(a. 476 m. Jan.)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut suo ipsius nomine apud imperatorem agat, ne quae in Calchedonensi synodo p. 7. *statuta sunt ullatenus violentur.*

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quum filii nostri, illustris vir Latinus patricius et spectabilis Madusius, pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus quod omni intentione curamus. Proxime namque quum presbyterorum et monachorum de Timotheo olim ab universali Ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi quam dilectioni tuae scripsimus, ut modis omnibus resistat, ne quid haereticorum contra Calchedonense concilium moliatur audacia, frater carissime; et dilectionis tuae laudando constantiam, multum nobis immo ipsi Domino placere memoravimus, quod damnatum hominem non solum fidei sed etiam parricidii causa nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, ut quum ad dilectionem tuam eadem scripta pervenerint, immo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, ut quae toties et bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni ejus certum et singulare est firmamentum, vero atque aeterno regi congregatorum in causa fidei divino Spiritu sacerdotum illaesum conservare concilium.

Epistola 6.

a. 477 d. 9. Oct.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Gratulatus Simplicius de Basilisco subacto hortatur Zenonem, ut Ecclesiae hostes p. 7. *vicissim comprimat, Alexandrinum episcopum sedi suae restituat, abroget impiam Basilisci sanctionem, ac Leonis doctrinam et Calchedonensia decreta intemerata esse jubeat.*

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. Inter opera divinae providentiae, quae pia semper et justa sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quaelibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione complecti vel voce depromere, quod in ipso utriusque rei laborantis articulo et votis publicis et[1]) religionis sanctae reddidit vos quieti,

[1]) Legendum *et religionis*, addito *et*, ut intelligatur *utraque* illa *res*, quae sub Basilisco *laborasse* dicitur, nempe res publica et religio. *Ecclesiam et rem*

Digitized by Google

nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum propheta: a. 477.
Haec est mutatio dexterae Excelsi, quae exaltantes semetipsos potenter Ps. 76, 11.
humiliat et humiliantes se clementer exaltat? In quibus etiam si Luc. 1, 52.
dispensationis supernae sagacius mensura libretur, profecto evidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiae tuae et inter adversa probaretur, quantoque magis rebus urgeri crederetur infestis, tanto clarius vestra magnanimitas immineret; atque ob hoc mansuetudinis vestrae de Constantinopolitana urbe provenisse discessum[2]), ut universorum desideriis expetiti gloria majore rediretis, et ex contrariorum periculis, quid in vobis esset cunctis utile, nosceretur[3]): Davidicae nimirum illius virtutis exempla[4]), qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidae, continuo victor ac populorum precibus imploratus praestantiore fastigio est reversus in regnum.

2. Laetare igitur, venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui exstiterunt Divinitatis inimici[5]), teque[6]) gaude cum Ecclesia laborasse et cum fidei catholicae libertate imperio restitutum. Atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, ejus ope viriliter fretus insiste: ut per quem publicos incubatores[7]) subegit,

---

publicam Deus mirabili consolatione visitavit, in sequenti epistola de eodem Zenonis reditu scribit Simplicius.

[2]) scil. quum Basilisco imminente in Isauriam confugit. — Mox editi *ut ex ... quod in.*

[3]) Antea Zenonem omnibus *etiam propinquis suis* ob vitae turpitudinem invisum fuisse Evagrius h. e. III, 3 tradit. Sed populus Basilisci tyrannidem non ferens et fidem in summum discrimen adduci conspiciens Zenonem facile expetiit.

[4]) G[1] corrupte *exempla quae ... continua victor at* (vel *ut*) *... fastigia.* Editi *exemplo, qua ... continuo victoriam,* unde a[3] *victor jam,* nos *victor ac* mutamus.

[5]) Sic meruit appellari Basiliscus ob impium edictum ab Evagrio h. e. III, 4 insertum: quamvis sera ac forte minus sincera certe coacta poenitentia, ubi Zenonem contra se ex Isauria cum expeditis copiis advolare didicit, *in ecclesiam profectus excusavit se Acacio et clero ac monachis, ... alio edicto abrogans ea, quae prius constituerat,* ut Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 557) narrat. Novum illud edictum item apud Evagrium h. e. III, 7 refertur.

[6]) Ita G[1]; editi *atque gaude ... imperium ... cujus ope.*

[7]) h. e. *reipublicae injustos detentores.* Ut enim Augustinus sermon. 50 (al. 15) de diversis n. 4 explicat: *quod quis jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris sed impudentis incubatoris improbitas.* Idem sonat l. 15 Cod. Theod. X, 1 *incubatio diuturna,* et l. 1 ejd. IV, 18 *rei incubarit alienae,* et l. 20 ejd. XVI, 10 *fructus ab incubatoribus exigantur.* Eo autem nomine Basiliscum imperii invasorem designari manifestum est. Tyranni hujus tempora Hormisda in memoriam revocans epist. 32 n. 2 *recordamini,* inquit, *carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam arcben incubante tentata.* Jam audivimus Simplicium epist. 3 n. 7 rogantem, ut Alexandrina ecclesia *cruentissimi praedonis incubatione* liberaretur. Quam precem nunc iterans, ut Zeno *Ecclesiae depellat tyrannos* obsecrat. Utrobique enim et praedonis et tyranni nominibus eumdem Timotheum Aelurum indicat. De eodem Leo epist. 169 n. 1: *Cui* (Alexandrinae ecclesiae) *praedo nefarius incubabat.*

Digitized by Google

a. 477. Ecclesiae quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii praesules[8]), quales nunc loquimur, redderentur; ita exspectari cernis, ut hujusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quaeso, augustae memoriae Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam, et salubri consideratione perpendite: quum in eodem loco stare nequiverint, qui ab eorum rectitudine deviarunt, successorem regiae potestatis legitimum ac divinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime et clementissime fili imperator, augustae memoriae tantorum virorum taliumque reverentiam, debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia haec, beato apostolo docente nos Petro mea nuper humilitate praedicante, refutata sunt a[9]) casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris.

3. Ego quidem litteris, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandae religiositatis accipiens, et ingenti gratulatione respiro, et omnino non ambigo mentem vestram in rebus divinis gesturam longe potiora quam cupio; sed mei memor officii in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter et salutis affectu illis te causis inhaerere semper exopto, quibus solis et praesentis regni stabilitas custoditur et aeterni gloria comparatur.

4. Unde ante omnia precor, ut Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto quam ab haeretico pervasore clementiae vestrae dispositionibus liberatam catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse[10]) perhibetur, ejectis, rectae fidei subrogari constituatis episcopos: ut sicut rem publicam vestram a tyrannica dominatione pur-

[8]) Haud inusitato et Simplicio proprio loquendi modo hic dicitur Zeno *Romani imperii praesul*. Ante eum Theodosius (inter Bonifacii epistolas epist. 11) dixerat: *Deus enim auctor ideo praesules fecit Christianorum principes*. Postea Gelasius epist. 17 n. 1 eamdem vocem usurpat, et Clodoveus a s. Remigio *praesul regionum* dictus est, et Theodebertum regem Aurelianus episcopus alloquens *cogita semper*, inquit, *sacratissime praesul diem judicii*.

[9]) Istud *a casuris* male in prius vulgatis a verbis *refutata sunt* interposita virgula sejunctum erat. Quid enim hic sibi vult Simplicius? Eadem videlicet monita, quae nunc tradit Zenoni in regni soliditate mansuro, prius se Basilisco ab ejusdem regni administratione casuro dedisse, quae porro ab eo spreta rejectaque fuere. Quamvis enim huic pariter ob oculos posuerit Marciani et Leonis exempla, is nihilominus Timotheum a Leone proscriptum revocare et Calchedonensem synodum ab utroque imperatore propugnatam damnare non dubitavit, eoque pacto Simplicii monita refutavit et contempsit. Hinc denuo palam confirmatur, epistolam 3 Basilisco non Zenoni inscribendam esse.

[10]) Ex his plures sequens epistola n. 3 nominatim indicat.

Digitized by Google

gastis, ita ubique Ecclesiam Dei ab haereticorum latrociniis atque a. 477.
contagiis exuatis, nec id potius praevalere patiamini, quod[11]) iniquitas temporum per eos, quos non solum in vestrum imperium sed et in Deum quoque rebellis spiritus concitavit, quam quod tot tantique pontifices et cum egregiis orthodoxisque pontificibus universalis Ecclesiae decrevit assensus. Calchedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione[12]) perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus[13]). Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quae *potentes de sede* laesa[14]) *deposuit*, et exal- Luc. 1, 52.
tandos *humiles* custodita *servavit*. Quare satis agendum est pietati tuae, ut qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse[15]) propagator. Data VII Iduum Octobrium post consulatum Basilisci[16]) et Armati.

Epistola 7.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 477 m. Oct.)

p 7. *Ut Acacius cum monachis et episcopis Constantinopoli congregatis conjunctim ab imperatore Timothei eorumque qui ab eo ordinati exsilium, et restitutionem catholicorum expetat (n. 1, 2). De verae fidei in populo profectu gratulatus (n. 3), ne episcopos diutius Constantinopoli manere sinat, ob periculum novarum molitionum providus monet (n. 4).*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.

1. Litteris tuae dilectionis, quas per filium nostrum Epiphaphanium diaconum probatae fidei direxisti, ea, quae strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritae cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine sed

---

[11]) In vulgatis *quod iniquitas temporum et eos quos non solum vestro imperio sed:* G[1] omittit *et* ante *eos*. — Temporum iniquitas impiam invexerat Basilisci sanctionem, quam etiam ipse paullo ante Zenonis reditum abrogarat. Tum vero tyranni hujus vel potius Aeluri fautores rebelli spiritu incitati, ut Leonis papae tomus et Calchedonensis concilii decreta novo in concilio examinarentur, efflagitare non desistebant. Quam petitionem novissimum Basilisci edictum (apud Evagr. h. e. III, 7) repulit his verbis: *de hoc argumento nec synodum fieri nec amplius quaestionem ullam moveri volumus, sed ea firma et inconvulsa manere.*

[12]) In Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec laudantur, legitur *traditione*.

[13]) Nimirum Timotheus Aelurus ab universo orbe in encycliis ad Leonem Augustum missis uno ore damnatus.

[14]) Illud *laesa* non ad *sede* sed ad *catholica fides* refertur.

[15]) Editi addunt *etiam*. Iidem mox *VIII Idus*.

[16]) Hic Basilisci nomini non additur *Augusti* titulus, quod male partum amiserat imperium. In aliis documentis post vergentem annum 476, quo illius tyrannis finem acceperat, exaratis ejus ut damnatae memoriae nomen prorsus reticeri Rossius l. c. pag. 382 seq. exempla affert.

Digitized by Google

a. 477. sermone necessario retulisti, ut quid vel Constantinopoli vel in aliis regionibus ab haereticis gestum, disceremus; ac singula, quae contra ecclesiasticas regulas et contra ipsam catholicam fidem ubicunque commissa sunt, ante nostros oculos collocasti: quatenus videatur, quo etiam remedio subveniretur ecclesiis, quibus vim sub occasione tyrannicae dominationis et per absentiam Christianissimi principis perniciosus latro et recidivus invasor Alexandrinae ecclesiae lapsus[1]) exsiliis irrogavit.

2. Unde unicum post Deum, qui Ecclesiam et rempublicam consolatione mirabili visitavit, etiamsi hoc fieri minime postulasses, clementissimi imperatoris auxilium duximus implorandum: ut pro omnibus, quae regno ejus Dominus tribuit, ne ulterius in orbe terrarum, quas subditas suo cognoscit imperio, ecclesiae Dei ab haereticorum contagione et pravitate violentur, sed doctrinae diabolicae praeceptione pietatis ipsius praestentur immunes; ut ii, qui sibi crediderint sacerdotale ministerium damnati hominis praesumptione conferri, promulgata imperiali constitutione etiam a conventu hominum segregandi jubeantur excludi: quatenus his submotis atque in solitudinis perpetua relegatione damnatis, antistites catholici deceptis vel reddantur ecclesiis vel creentur[2]). In quo nec nostrae preces apud religiosissimum principem nec dilectionis tuae suggestio, aut tantorum fratrum nostrorum, quos advenisse Constantinopolim reperimus, imploratio sacerdotum aut supplicatio monachorum laborare poterit. Quin quidquid ad integritatem catholicae fidei pertinet, in qua ecclesiarum est constituta securitas, regressu pietatis suae, Domino se ubique prosequente, omnium praeveniens vota restituit. Et apud mentem Christianissimam facilis est impetrandi gratia, ubi religionis est causa.

3. Sicut ergo litteris nostris ita tuae dilectionis vel omnium fratrum[3]), qui se ad documenta fidei suae Christianissimi principis praesentavere conspectui, suggestione repetendum est, ut Timotheus

---

[1]) seu *elapsus*. Eodem sensu dixit Acacius, ut visuri sumus in notitia epistolarum non exstantium n. 6, Petrum Fullonem a Leone principe Oasim deportatum *indeque lapsum Constantinopolim rediisse*. Hic vero oratorie dicitur Timotheus Aelurus *exsiliis* lapsus; neque enim cum Cedreno sentiendum, haereticum illum primum in Paphlagoniam deinde Oasim relegatum fuisse.

[2]) Zenonem his Simplicii monitis paruisse et ea, quibus pius pontifex Ecclesiae consultum voluit, praestitisse, fidem faciet successoris ejus Felicis epistola 1.

[3]) Episcoporum videlicet, qui undequaque in regiam urbem confluebant, tum ut reducem imperatorem salutarent, tum ut suam ei fidem novis obsequiis contestarentur (*ad documenta fidei suae*). Ne vero tot episcopi simul congregati occasionem haereticis opportunam ad nova molienda praeberent et ad impetrandum quod petebant concilium, prudens monet Acacium Simplicius (sub fin. epist.), studeat, ne episcopi illi diu in urbe regia morari sinantur. Quocirca Pagio as-

Digitized by Google

cum sequacibus suis ad irremeabile dirigatur exsilium[4]). Cum quo a. 477.
Paulus ab Ephesina ecclesia, et Petrus ab Antiochena civitate depulsus, atque omnes, qui ab eo se vel ab his, quos illicite fecerat, aestimant episcopos ordinatos, eadem debent lege percelli. De Antonio autem, qui eorum quos contra Ecclesiam tyrannos[5]) miserat, antesignanus exsistens, sicut scriptum est, inimicus et defensor apparuit, et[6]) de Johanne quondam Constantinopolitano, qui ab haereticis Apamenum sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se haereticum publicavit, et quod in se perperam factum est improperium retorsit in auctorem[7]), expellens ab Antiochia Petrum pervasorem ipsius, eamdem ecclesiam ipse pervasit: sub anathemate a Christianorum consortio vel ipsa appellatione removemus, nec unquam his satisfactionis[8]) patefaciendus est locus, quia sicut Judas inter apostolos ita isti inter ministros Dei subdola et diabolici spiritus fraude latuerunt. Psalm. 8,3.

---

sentiri non possumus, qui ad ann. 477 n. 12 ss. haec Simplicii verba de synodo apud Constantinopolim ab Acacio indicta interpretatur.

[4]) Ad hunc locum, ni fallor, respiciebat Gelasius epist. 10 ad Faustum n. 5 *in hac ipsa causa*, inquiens, *Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Johannes et ceteri non solum unus, sed plures ubique nomen sacerdotii praeferentes tota sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui praeceptionis hujus exstitit exsecutor.*

[5]) Magis placeret *tyrannus* scil. Basiliscus. De *Antonio* hic memorato nihil apud Evagrium, Theodorum lectorem et Liberatum invenimus.

[6]) Conjunctionem *et* de nostro quidem addidimus, sed eam necessario postulat orationis series. Hic locus intricatior videtur. Id vero sibi vult Simplicius: *Ad Antonium autem quod attinet et ad Johannem quondam Constantinopolitanum* (supple *presbyterum*) *etc., eos sub anathemate ... removemus.*

[7]) scil. in Petrum Fullonem. Ut enim ex Theodori lectoris h. e. I et ex epistolae Acacii fragmento infra in notitia epistolarum Simplicii non exstantium n. 6 edendo comperimus, is Petrus Fullo ubi in Antiochenam sedem iterato invasit, Johannem presbyterum Constantinopolitanum, qui antea depositus ab episcopo suo fuerat, Apameae episcopum ordinavit. Verum ille *ab Apamenis non receptus redit Antiochiam et Petrum episcopatus sui expellit auctorem et invadit ejus ecclesiam*, ut legitur in breviculo Eutychianae historiae (inter Gelasii tractatus tract. I. n. 12). Hunc autem Johannem postea Tyriorum ecclesiae praefectum ab Acacio fuisse, visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et eodem breviculo (Gelas. tract. I n. 12).

[8]) ejus scilicet, qua illis aditus ad honores ecclesiasticos pateat, non ejus, qua peccati veniam per dignos poenitentiae fructus consequantur. Ita porro Simplicius ad mentem Acacii loquitur, qui ipsi scripserat, haereticos illos iterum damnatos, si forte ad apostolicam sedem confugerint, nec visu dignos haberet, et si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum poenitentiam recipiendam esse, supple, qua honores suos servarent (cf. notitia epist. Simplicii non exstantium n. 6). Ipse Simplicius suam ea de re sententiam aperte indicat epist. 18 n. 3, ubi de eodem Petro loquens, licet *haereticorum socius*, ait, *dudum exstitisse probetur et princeps, ad communionem per satisfactionem regulis Christianis competentem, non item ad fastigium sacerdotalis dignitatis pervenire poterit.*

Digitized by Google

a. 477. 4. De Christiani quoque populi fide et devotione gaudentes, profectum ejus et multiplicationem Deo jugiter supplicantes expetimus, ut in timore atque amore Domini perseverans, et numero augeri et coelesti mereatur protectione muniri. In quo maxime gloriamur et Deo nostro gratulabimur complacere, quia pastoralem respicit fructum religiosi ovilis augmentum.

5. Diu autem fratres et coepiscopos nostros apud Constantinopolim non convenit demorari, nunc praecipue, quum propter concussionem persecutionis, quae mota fuerat, sollicitae atque attonitae sunt in suprascriptis ecclesiis civitates; nec[9]) aliquis dubius rationis et trepidus mentis exspectet novi aliquid post Calchedonense concilium contra definitiones ipsius retractari, quia per universum mundum insolubili observatione retinetur, quod a sacerdotum universitate est constitutum et, sicut apparuit, coelestis totiens ultionis assertione firmatum. Unde divino judicio reluctatur, quisquis ejusdem venerabilis definita concilii post tot divinae indignationis exempla non sequitur.

Epistola 8.

(ante m. Mart. a. 478.)

Acacii Constantinopolitani ad Simplicium papam.

Timotheum Aelurum mortuum esse (*n.* 1), *fugisse Petrum Mongum. Timotheum Salophakiolum autem, Alexandrinae sedi restitutum, spem laetissimam curationis seductorum praebere* (n. 2), *nec quidquam ad custodiam disciplinae ecclesiasticae omitti* (*n.* 3).

Domino beatissimo[1]) sancto patri archiepiscopo Simplicio Acacius.

2 Cor. 11, 28. 1. Sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes nos indesinenter hortamini quamvis sponte vigilantes, ac recurrentes[2]) in nos divinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinae ecclesiae certius requirentes: ut pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut sem-
Rom. 8, 28. per est approbatum. Sed Christus Dominus noster, qui diligentibus se in bonum cooperatur insidens cogitationibus nostris, et unam nobis in his mentem atque eamdem[3]) pro gloria sua esse cognoscens,

[9]) in vulgatis *ne aliquis;* magis placet *nec aliquis*, ut legitur apud Vigilium in constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec verba velut ex epistola ad Zenonem Augustum offeruntur.

[1]) In mss. I O deest *beatissimo.* Subinde D^2 D^5 D^6 D^7 F^2 N^3 O^3 *patriarchae episcopo.*

[2]) Ita D^1 D^2 D^3 D^6 D^9 E^1 E^2 F^2 H^8 2 β d^2; c^7 d^1 a^3 i^2 *praecurrentes sed vos.* D^6 *ad vos,* D^1 D^3 D^9 E^1 E^2 F^2 H^8 N^3 *in vos,* D^2 *in nos,* i^2 *et vos.* d^1 d^2 *divinumque zelum in vobis solito*; I^5 I^6 aliique 4 mss. *sed vos divino zelo sollicitos demonstratis.*

[3]) Mss. I O *eamdem gloriam esse cognoscens;* D^5 omittit *pro gloria sua.* E^2 F^2 H^4 *et humana* (E^2 *humanam*) *nobis in his mente atque eadem pro gloriosa* (E^2 *gloria*) *sua esse*, corrupte.

Digitized by Google

omnem victoriam ipse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo a. 478.
principe faciet[4]).

2. Timotheum quidem de Cersone[5]), spirantem procellas et ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit, conturbantem, vitae subduxit[6]) humanae, dicens ei: *Tace et obmutesce.* Petrum quoque, qui Marc. 4, 39.
ab Alexandria more similiter[7]) procellae surrexerat, dissipavit atque in aeternam fugam sancto Spiritu flante convertit, unum et ipsum de his, qui olim fuerant et ante damnati. Sicut et[8]) in nostris archivis inventum est, et de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quae[9]) in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo ad Romam alterutram sint relata. Qui Petrus noctis

---

[4]) Ita D¹ D³ D⁴ E¹ E² F² H⁶ N³ 2 β d². Vulgati et a³ *faciens et Timoth.*, d¹ *perficiens.*

[5]) a¹, Sirm. in tract. Gelas. (append. cod. Theod. p. 174) *quidem decessorem spirantem*, β D⁴ *quidem dissensionis parantem*, alter β *qui decerpsionem parantem*, tertius β *qui decersionem sperantem*, D² H⁵ *decessione spirantem* (H⁵ *sperantem*), I⁵ I⁶ aliique tres *qui decessore exspirante*, D⁶ D⁷ E¹ E² F² *quidem de cersione* (E¹ *decersionem*) *sperantem* (E² *sperantes*), d¹ *enim de Cersona respirantem*, D¹ D³ N³ O¹ a³ d² *quidem de Cersone spirantem* (D¹ D³ N³ *sperantem*), ubi *Cersone* pro *Chersone* positum genuinum sensum reddit. Quippe Timotheus Aelurus, ut Gelasius tract. 1 n. 5, Liberatus breviar. cap. 16 et Zedrenus tradunt, *Chersona* relegatus erat. Unde et Victor Tununensis hunc haereticum post usurpatum a Basilisco imperium *ab exsilio Chersona* rediisse scribit. Ad hunc Acacii locum respexisse videtur Hormisda epist. 18 ad episcopos Epiri n. 2, quum *Timotheum Chersonensem* perperam nuncupat quasi de Chersona oriundum, nisi forte eo relegatus credatur, unde originem duxerat. Certe eum ibi longius opusculum pro assertione haeresis suae scripsisse, comperimus ex Eustathio monacho (ap. Angelum Majum Script. vet. t. VII p. 277) et auctore panopliae dogmaticae qu. 8 n. 5 (ap. Ang. Majum Patr. nov. biblioth. t. II p. 630), qui ejusdem locum proferunt.

[6]) Plures mss. *subtraxit*, moxque E² F² omitt. *ei.* Tradit Liberatus breviar. cap. 16, ipsummet Timotheum, a Zenone concilii Calchedonensis acerrimo defensore metuentem, sibi mortem hausto veneno conscivisse.

[7]) Septem mss. I O *similis procellae*, Colb. 408 *more simili procellae susceperat.* — Is Petrus etsi procul Alexandria aufugisse putabatur, in ea tamen urbe latitabat insidias Ecclesiae struens, vel certe illuc statim reversus est, ut docent Timothei Salophakioli quum ad Zenonem tum ad Simplicium epistolae a Liberato l. c. cap. 16 memoratae nec non ipsius Simplicii litterae 12 et 13. Damnatus autem traditur in *gestis de nomine Acacii* (Gelas. tract. 1 n. 6) cum Timotheo Aeluro, cujus adjutor in nece Timothei fuerat.

[8]) Ita H⁴ N³; mss. D omittunt *et;* vulgati *enim.* Colb. 408 *sicut in nostris inventum est de vestris.*

[9]) Mss. I O *quae de eodem subsecuta;* tum 1 β omittit *ab.* Subinde vulgati *episcopo Romam ad alterutrum*, ubi omnes mss. omittunt *ad*, ex iis quatuor vetustiores (cum D² E¹ E² F²) habent *ad Romam alterutrum* (vel *alterutram* legendum), H⁶ *ad Romanam alterutrum*, D¹ d² *Romam alterutrum*, d¹ *et ab Alexandrinis episcopis ad Romanos sint relata.* Gelasius epist. 1 n. 2 legit *ad utramque Romam*, videlicet *novam* et *veterem.* Orationis integritas postulare videtur *ad Romanum alterutrum sint relata*, vel *ad Romam alterutram* (aut *utramque*) *sint relata.* Nam Simplicio quidem vocem *alteruter* idem sonare quod *uterque*, testis est ejus epistola 10 n. 1.

Digitized by Google

a. 476. lore permoti, quod illic infra Ecclesiam Dei scandalorum recidiva nascuntur incendia, ubi toties[3]) auctoritate apostolicae sedis et sententia synodi universalis exstincta sunt. Cui namque in toto orbe terrarum cum perversitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinae ecclesiae pervasoris non est nota dejectio? Testis est anterius[4]) Ephesinum, testis est recens Calchedonense concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronuntiat non haberi: quum praedictorum talis impietas, auctoribus[5]) etiam principibus Christianis non solum ab Ecclesiae corpore verum a coetu hominum exsiliis segregata diversis, unitae sententiae damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum, quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universa mundi parte has quoque haereses evicerunt, beatae recordationis praedecessor noster Leo multiplici sermone doctrinae, quid catholicae veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata non contentione opus est, ut adhuc tamquam de dubiis judicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra dejectos state vestigiis, nec vos adversarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat.

2. Breviter haec ad consultationem immo etiam consolationem vestrae scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causae necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem non jam defendendae, quae solide jacta est, fidei sed repellendis haereticis atque damnatis illa sufficerent, quae etiam ad sanctae memoriae Flavianum atque ad sanctam Calchedonensem synodum vel ad augustae recordationis Marcianum ac Leonem beatae memoriae antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius Orientis episcopi rescriptis[6]) ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Unde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreverunt in unum convenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilominus sentientes, diversis quidem[7]) vocibus sed una mente dixerunt, damnantes errorum exsecrabilium au-

---

stolae in vulgatis praemissa: *Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam commendat.*

[2]) Rursus infra epist. 7 n. 1 Simplicias litteras sibi per *Epiphanium* traditas memorat, sed alterum cognominem, utpote qui diaconus appelletur.

[3]) Ita G^1 a^1. c^7 *totius*. In epistola sequenti similiter idem papa monet, ut *ne toties et bene statuta violentur.*

[4]) *Anterius* vocat ad discrimen latrocinii Ephesini, quod posterius fuit, vel etiam quia Calchedonense, quod *recens* nuncupat, praecessit.

[5]) Ita G^1. Editi *auctoribus et principibus ... a coetu omnium.*

[6]) Quae habentur inter acta concilii Calchedonensis part. III n. 6—41 (Harduin. coll. conc. II, 703—772). — Deinde editi *diversis quid vocibus.*

[7]) Ita G^1 G^2. Editi *quid ... damnantes eorum exsecrabilium.*

Digitized by Google

ctores pariter et sequaces. Quapropter inter tot formas, quae erectae a. 476.
sunt, praedicandi non assertione nova sed constantia nitendum est.

3. Jam probatum est, quid Domino vos juvante profecerint labores vestri; Deo placitus fructus ostendit, quando ejus domum vobis obsistentibus[8]) latroni introire non licuit, qui, nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicavit[9]). Non enim junguntur bona pessimis, recta perversis, nec possunt salutaria coire cum noxiis; quia luci communio nulla cum tenebris nec infideli portio cum fideli. Unde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium, nisi forte resipiscentibus animis, et maxime qui nuper decepti sunt, videntes, in quae abrupta sunt ducti, ad splendorem verae fidei discussa conferant se nube mendacii: quod apostolicae sedis pietate ut provenire possit optamus, quia *vitam in Domini voluntate* cognoscimus. Psalm. 29,6.

4. Ad christianissimum quoque principem vel ad fratrem et coepiscopum meum[10]) Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Ut autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, seriem litterarum, exemplaria inter-

---

[8]) Id haud dubie contigit, quum vectus asino Aelurus e Basilisci aedibus ad ecclesiam cum seditiosa turba processit; cf. epist. 3 not. 4. His addo, hujusmodi processionem, ut jam tunc vocabant, tum celebrari consuevisse, quum antistes ad sacrificium sollemne procederet. Neque alio consilio Timotheus ita comitatus incedebat, qui tum a domo Domini repulsus *per quorumdam privatas domos non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse memoratur*, inquit Simplicius epist. 3 n. 3, ut videlicet id saltem in aedibus privatis perficeret, propter quod ad domum Domini perrexerat. Qui autem hujusmodi processioni intererant, hoc ipso indicabant, se cum procedente pontifice communicare, uti infra visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et in Vigilii epist. 14.

[9]) h. e. *cui dum nonnulli obviam eunt, huic palam publiceque deprehensi sunt esse similes.*

[10]) Editi *nostrum*. — Sunt epistolae 2 et 3 antecedentes. Ceterum hoc Simplicii elogio sese revera dignum haud ita multo post ostendit Acacius. *Basiliscus* enim, ait Theodorus lector h. e. I (ed. Val. pag. 556), *generali sanctione Calchedonensem synodum rejici jussit, operamque dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, quum universa civitas una cum mulieribus et parvulis in ecclesiam conveniens Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semetipsum et cathedram atque altare nigris vestibus obtexit.* Notandus ritus, cui nonnihil simile etiamnunc observat Ecclesia, quum sacrae aedes violatae pollutaeque sunt. Narrat deinde Theodorus, ut magnus Daniel Simeonis Stylitae aemulator e columna sua descendens una cum plebe et Acacio conventus ecclesiasticos frequentarit. Hic praeterea observare juverit, qua prudentia Simplicius pios monachos zelo ferventiori aestuantes et forte de Acacio querentes, quod suum in tuenda fide studium tardius exercuisse videretur, mitiget et emolliat. Qui vero erga Acacium ita affectus fuit, is minime suspectus esse debet, quum ad eumdem increpandum se convertit.

Digitized by Google

a. 476. nuntio quem misistis redeunte direximus. Data III Idus Januarii consule suprascripto.

Epistola 5.

(a. 476 m. Jan.)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut suo ipsius nomine apud imperatorem agat, ne quae in Calchedonensi synodo statuta sunt ullatenus violentur. p. 7.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quum filii nostri, illustris vir Latinus patricius et spectabilis Madusius, pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus quod omni intentione curamus. Proxime namque quum presbyterorum et monachorum de Timotheo olim ab universali Ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi quam dilectioni tuae scripsimus, ut modis omnibus resistat, ne quid haereticorum contra Calchedonense concilium moliatur audacia, frater carissime; et dilectionis tuae laudando constantiam, multum nobis immo ipsi Domino placere memoravimus, quod damnatum hominem non solum fidei sed etiam parricidii causa nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, ut quum ad dilectionem tuam eadem scripta pervenerint, immo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, ut quae toties et bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni ejus certum et singulare est firmamentum, vero atque aeterno regi congregatorum in causa fidei divino Spiritu sacerdotum illaesum conservare concilium.

Epistola 6.

a. 477 d. 9. Oct.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Gratulatus Simplicius de Basilisco subacto hortatur Zenonem, ut Ecclesiae hostes vicissim comprimat, Alexandrinum episcopum sedi suae restituat, abroget impiam Basilisci sanctionem, ac Leonis doctrinam et Calchedonensia decreta intemerata esse jubeat. p. 7.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. Inter opera divinae providentiae, quae pia semper et justa sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quaelibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione complecti vel voce depromere, quod in ipso utriusque rei laborantis articulo et votis publicis et[1]) religionis sanctae reddidit vos quieti,

[1]) Legendum *et religionis*, addito *et*, ut intelligatur *utraque* illa *res*, quae sub Basilisco *laborasse* dicitur, nempe res publica et religio. *Ecclesiam et rem*

Digitized by Google

nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum propheta: a. 477.
Haec est mutatio dexterae Excelsi, quae exaltantes semetipsos potenter Ps. 76, 11.
humiliat et humiliantes se clementer exaltat? In quibus etiam si Luc. 1, 52.
dispensationis supernae sagacius mensura libretur, profecto evidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiae tuae et inter adversa probaretur, quantoque magis rebus urgeri crederetur infestis, tanto clárius vestra magnanimitas immineret; atque ob hoc mansuetudinis vestrae de Constantinopolitana urbe provenisse discessum[2]), ut universorum desideriis expetiti gloria majore rediretis, et ex contrariorum periculis, quid in vobis esset cunctis utile, nosceretur[3]): Davidicae nimirum illius virtutis exempla[4]), qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidae, continuo victor ac populorum precibus imploratus praestantiore fastigio est reversus in regnum.

2. Laetare igitur, venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui exstiterunt Divinitatis inimici[5]), teque[6]) gaude cum Ecclesia laborasse et cum fidei catholicae libertate imperio restitutum. Atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, ejus ope viriliter fretus insiste: ut per quem publicos incubatores[7]) subegit,

---

publicam Deus mirabili consolatione visitavit, in sequenti epistola de eodem Zenonis reditu scribit Simplicius.

[2]) scil. quum Basilisco imminente in Isauriam confugit. — Mox editi *ut ex ... quod in.*

[3]) Antea Zenonem omnibus *etiam propinquis suis* ob vitae turpitudinem invisum fuisse Evagrius h. e. III, 3 tradit. Sed populus Basilisci tyrannidem non ferens et fidem in summum discrimen adduci conspiciens Zenonem facile expetiit.

[4]) G[1] corrupte *exempla quae ... continua victor at* (vel *ut*) ... *fastigia.* Editi *exemplo, qua ... continuo victoriam,* unde a[3] *victor jam,* nos *victor ac* mutamus.

[5]) Sic meruit appellari Basiliscus ob impium edictum ab Evagrio h. e. III, 4 insertum: quamvis sera ac forte minus sincera certe coacta poenitentia, ubi Zenonem contra se ex Isauria cum expeditis copiis advolare didicit, *in ecclesiam profectus excusavit se Acacio et clero ac monachis, ... alio edicto abrogans ea, quae prius constituerat,* ut Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 557) narrat. Novum illud edictum item apud Evagrium h. e. III, 7 refertur.

[6]) Ita G[1]; editi *atque gaude ... imperium ... cujus ope.*

[7]) h. e. *reipublicae injustos detentores.* Ut enim Augustinus sermon. 50 (al. 15) de diversis n. 4 explicat: *quod quis jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris sed impudentis incubatoris improbitas.* Idem sonat l. 15 Cod. Theod. X, 1 *incubatio diuturna,* et l. 1 ejd. IV, 18 *rei incubarit alienae,* et l. 20 ejd. XVI, 10 *fructus ab incubatoribus exigantur.* Eo autem nomine Basiliscum imperii invasorem designari manifestum est. Tyranni hujus tempora Hormisda in memoriam revocans epist. 32 n. 2 *recordamini,* inquit, *carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam archen incubante tentata.* Jam audivimus Simplicium epist. 3 n. 7 rogantem, ut Alexandrina ecclesia *cruentissimi praedonis incubatione* liberaretur. Quam precem nunc iterans, ut Zeno *Ecclesiae depellat tyrannos* obsecrat. Utrobique enim et praedonis et tyranni nominibus eumdem Timotheum Aelurum indicat. De eodem Leo epist. 169 n. 1: *Cui* (Alexandrinae ecclesiae) *praedo nefarius incubabat.*

Digitized by Google

a. 477. Ecclesiae quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii praesules[8]), quales nunc loquimur, redderentur; ita exspectari cernis, ut hujusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quaeso, augustae memoriae Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam, et salubri consideratione perpendite: quum in eodem loco stare nequiverint, qui ab eorum rectitudine deviarunt, successorem regiae potestatis legitimum ac divinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime et clementissime fili imperator, augustae memoriae tantorum virorum taliumque reverentiam, debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia haec, beato apostolo docente nos Petro mea nuper humilitate praedicante, refutata sunt a[9]) casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris.

3. Ego quidem litteris, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandae religiositatis accipiens, et ingenti gratulatione respiro, et omnino non ambigo mentem vestram in rebus divinis gesturam longe potiora quam cupio; sed mei memor officii in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter et salutis affectu illis te causis inhaerere semper exopto, quibus solis et praesentis regni stabilitas custoditur et aeterni gloria comparatur.

4. Unde ante omnia precor, ut Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto quam ab haeretico pervasore clementiae vestrae dispositionibus liberatam catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse[10]) perhibetur, ejectis, rectae fidei subrogari constituatis episcopos: ut sicut rem publicam vestram a tyrannica dominatione pur-

[8]) Haud inusitato et Simplicio proprio loquendi modo hic dicitur Zeno *Romani imperii praesul.* Ante eum Theodosius (inter Bonifacii epistolas epist. 11) dixerat: *Deus enim auctor ideo praesules fecit Christianorum principes.* Postea Gelasius epist. 17 n. 1 eamdem vocem usurpat, et Clodoveus a s. Remigio *praesul regionum* dictus est, et Theodebertum regem Aurelianus episcopus alloquens *cogita semper*, inquit, *sacratissime praesul diem judicii.*

[9]) Istud *a casuris* male in prius vulgatis a verbis *refutata sunt* interposita virgula sejunctum erat. Quid enim hic sibi vult Simplicius? Eadem videlicet monita, quae nunc tradit Zenoni in regni soliditate mansuro, prius se Basilisco ab ejusdem regni administratione casuro dedisse, quae porro ab eo spreta rejectaque fuere. Quamvis enim huic pariter ob oculos posuerit Marciani et Leonis exempla, is nihilominus Timotheum a Leone proscriptum revocare et Calchedonensem synodum ab utroque imperatore propugnatam damnare non dubitavit, eoque pacto Simplicii monita refutavit et contempsit. Hinc denuo palam confirmatur, epistolam 3 Basilisco non Zenoni inscribendam esse.

[10]) Ex his plures sequens epistola n. 3 nominatim indicat.

Digitized by Google

gastis, ita ubique Ecclesiam Dei ab haereticorum latrociniis atque a. 477.
contagiis exuatis, nec id potius praevalere patiamini, quod[11]) iniquitas temporum per eos, quos non solum in vestrum imperium sed et in Deum quoque rebellis spiritus concitavit, quam quod tot tantique pontifices et cum egregiis orthodoxisque pontificibus universalis Ecclesiae decrevit assensus. Calchedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione[12]) perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus[13]). Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quae *potentes de sede* laesa[14]) *deposuit*, et exal- Luc. 1, 52.
tandos *humiles* custodita *servavit*. Quare satis agendum est pietati tuae, ut qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse[15]) propagator. Data VII Iduum Octobrium post consulatum Basilisci[16]) et Armati.

Epistola 7.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 477 m. Oct.)

p 7. *Ut Acacius cum monachis et episcopis Constantinopoli congregatis conjunctim ab imperatore Timothei eorumque qui ab eo ordinati exsilium, et restitutionem catholicorum expetat (n. 1, 2). De verae fidei in populo profectu gratulatus (n. 3), ne episcopos diutius Constantinopoli manere sinat, ob periculum novarum molitionum providus monet (n. 4).*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.

1. Litteris tuae dilectionis, quas per filium nostrum Epiphaphanium diaconum probatae fidei direxisti, ea, quae strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritae cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine sed

---

[11]) In vulgatis *quod iniquitas temporum et eos quos non solum vestro imperio sed;* G[1] omittit *et* ante *eos*. — Temporum iniquitas impiam invexerat Basilisci sanctionem, quam etiam ipse paullo ante Zenonis reditum abrogarat. Tum vero tyranni hujus vel potius Aeluri fautores rebelli spiritu incitati, ut Leonis papae tomus et Calchedonensis concilii decreta novo in concilio examinarentur, efflagitare non desistebant. Quam petitionem novissimum Basilisci edictum (apud Evagr. h. e. III, 7) repulit his verbis: *de hoc argumento nec synodum fieri nec amplius quaestionem ullam moveri volumus, sed ea firma et inconvulsa manere.*

[12]) In Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec laudantur, legitur *traditione.*

[13]) Nimirum Timotheus Aelurus ab universo orbe in encycliis ad Leonem Augustum missis uno ore damnatus.

[14]) Illud *laesa* non ad *sede* sed ad *catholica fides* refertur.

[15]) Editi addunt *etiam.* Iidem mox *VIII Idus.*

[16]) Hic Basilisci nomini non additur *Augusti* titulus, quod male partum amiserat imperium. In aliis documentis post vergentem annum 476, quo illius tyrannis finem acceperat, exaratis ejus ut damnatae memoriae nomen prorsus reticeri Rossius l. c. pag. 382 seq. exempla affert.

Digitized by Google

a. 476. misi vestris sensibus offerenda. Haec igitur pietas tua si recensere dignetur vel quae totius Orientis episcopi de hujus praedicationis consensione rescripserint[10], aspiciet profecto examinata diligenter et veraciter promulgata, atque ideo pestiferae falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia revera quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. Perstat[11]) enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae normae doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.

Joh. 21, 15 ss. Matth. 28, 20. 16, 18 ss.

6. Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater et coepiscopus meus Acacius supplicabit, precor atque obsecro, ut imitatores facti tantorum et talium praedecessorum, nefandae praesumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. *Quisquis aliud,* sicut praedixit apostolus, *praeter-*
Gal. 1, 8. *quam quod*[12]) *accepimus, seminare molitur, anathema sit.* Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus subripiendi pandatur accessus, nulla retractandi quidpiam de veteribus constitutis fiducia concedatur: quia, sicut saepius iterandum est, quod apostolicis manibus cum Ecclesiae universalis assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem sumere non potest renascendi, nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno. Sic[13]) haeresum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnationis elisae reparare certamina.

7. Ante omnia autem quaeso, ut beati Marci evangelistae sedes — Alexandrinam loquor ecclesiam — a cruentissimi praedonis incubatione[14]) liberata, catholico reformetur antistiti libertatemque suam pariter recipiat et quietem. At vero improbus parricida, qui divinis simul reus est legibus et humanis, reductus eodem, quo jure fuerat ante detrusus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul a regno pietatis vestrae funesti capitis venena discedant, quae quoniam salutiferae praedicationis auribus obturatis medicantia verba

---

[10]) Quaeque Leo Augustus in unum codicem, quem *encyclium* appellavit, colligi voluit.

[11]) a[1] *praestat,* melius alii *perstat* h. e. perseverat. Mox vocabulum *apostolicae* perinde accipiendum, ac si legeretur *apostoli Petri.*

[12]) G[1] omitt. *quod.* Mox editi *subrependi ... abscindi.*

[13]) In vulgatis *si ... oppugnatione elisa reparari.* Ex archetypo G[1] (*si ... oppugnationis elise reparari*) et Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144 (*sic ... oppugnationibus elisa reparare*) nostram lectionem restituimus.

[14]) h. e. *injusta usurpatione*; cf. infra epist. 6 n. 2. Mox alii *impius* (loco *improbus*).

Digitized by Google

capere nequiverunt, ab humani conventus abducta pernicie, in viru- a. 476.
lentiae suae congrua solitudine contabescant. Quo magis ac[15]) magis pietatem tuam beati Petri apostoli voce, qualiscunque sedis ejus minister, obtestor, ut inimicos antiquae fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis hostes habere subjectos: ut verae confessionis pacem cunctas Domini servare decernatis ecclesias, qui orbem vestri imperii desideratis tenere pacatum, et unicam spem salutis, quae genus hominum ad regna coelestia vitamque perducit aeternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum vel regno vestro cupitis vel saluti. Data quarto Idus Januarias Basilisco Augusto[16]) consule.

Epistola 4.

Simplicii papae ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos.

a. 476 d. 11. Jan.

p. 6. *Monachos Constantinopoli constitutos consolatur Simplicius ac docet, fidem tam firmiter esse stabilitam, ut adversus Timothei molitiones constantia opus sit non contentione, ideoque legatos a se ut cupiebant non mitti. Gratulatur iis, quod ipsorum opera Aeturo ecclesiam introire non licuit hincque factum, ut ille sui similes adhuc forsitan latentes publicarit. Acacii denique silentium excusat.*

Simplicius episcopus presbyteris et archimandritis[1]) apud Constantinopolim constitutis.

1. Per filium nostrum laudabilem virum Epiphanium litteris[2]) vestrae dilectionis serius quam voluistis acceptis, magno sumus do-

[15]) Ita G^1 G^2. Editi omittunt *ac magis pietatem tuam* et mox *hostes*.

[16]) Binius post Baronium huc mendose irrepsisse existimat *Augusto* pro *Armato*; sed nulla prorsus ratione, quum ex Marcellini chronico constet, Basiliscum anno 475 renunciatum imperatorem fuisse. Cui chronico non solum hic suffragatur Simplicius, sed et in epistola 6 initio Octobris anni 477 scripta, ubi de Basilisco ut jam expulso loquitur. Quippe Evagrius h. e. III, 8 eum pulsum tradit, quum jam biennio regnasset. Neque vero novum et insuetum est, in pontificiis epistolis alterius consulis nomen omitti; imperanti autem consuli *Augusti* titulum adjici consuetudo exigebat. De hujus tyrannidis tempore utpote ab anno 475 usque ad vergentem annum 476 ponendo conferantur etiam, quae clarissimus Rossius inscr. christ. urb. Romae tom. I pag. 382 seq. ad inscr. 863 scitissime disputat. Praeterea in chronica nota, ut jam Bollandus suspicatus, Pagi ad a. 476 n. 14 legendum voluit *IV Nonas Junias*, sicut in epistola 2 *V Idus Junias* et in epist. 5 *III Idus Junias*. Nec tamen ut codicum fidem deseramus persuadere potuit.

[1]) Iis nimirum, de quibus Simplicius in epistolae 2 exordio dixit: *Quantum presbyterorum et ex diversis monasteriis Domino servientium monachorum relatione patefactum est*, et in epist. 3 n. 2: *sicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum*. Unde sequi videtur, ut non clericorum simul et monachorum scripta sint missa, sed unorum monachorum, quorum nonnulli presbyteri et archimandritae fuerint, et quibus nunc Simplicius rescribit. Quocirca si clerici a monachis distinguantur, minus placet haec summa huic epi-

Digitized by Google

a. 476. lore permoti, quod illic infra Ecclesiam Dei scandalorum recidiva nascuntur incendia, ubi toties[3]) auctoritate apostolicae sedis et sententia synodi universalis exstincta sunt. Cui namque in toto orbe terrarum cum perversitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinae ecclesiae pervasoris non est nota dejectio? Testis est anterius[4]) Ephesinum, testis est recens Calchedonense concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronuntiat non haberi: quum praedictorum talis impietas, auctoribus[5]) etiam principibus Christianis non solum ab Ecclesiae corpore verum a coetu hominum exsiliis segregata diversis, unitae sententiae damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum, quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universa mundi parte has quoque haereses evicerunt, beatae recordationis praedecessor noster Leo multiplici sermone doctrinae, quid catholicae veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata non contentione opus est, ut adhuc tamquam de dubiis judicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra dejectos state vestigiis, nec vos adversarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat.

2. Breviter haec ad consultationem immo etiam consolationem vestrae scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causae necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem non jam defendendae, quae solide jacta est, fidei sed repellendis haereticis atque damnatis illa sufficerent, quae etiam ad sanctae memoriae Flavianum atque ad sanctam Calchedonensem synodum vel ad augustae recordationis Marcianum ac Leonem beatae memoriae antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius Orientis episcopi rescriptis[6]) ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Unde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreverunt in unum convenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilominus sentientes, diversis quidem[7]) vocibus sed una mente dixerunt, damnantes errorum exsecrabilium au-

---

stolae in vulgatis praemissa: *Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam commendat.*

[2]) Rursus infra epist. 7 n. 1 Simplicias litteras sibi per *Epiphanium* traditas memorat, sed alterum cognominem, utpote qui diaconus appelletur.

[3]) Ita G^1 a^1. c^7 *totius*. In epistola sequenti similiter idem papa monet, ut *ne toties et bene statuta violentur.*

[4]) *Anterius* vocat ad discrimen latrocinii Ephesini, quod posterius fuit, vel etiam quia Calchedonense, quod *recens* nuncupat, praecessit.

[5]) Ita G^1. Editi *auctoribus et principibus ... a coetu omnium.*

[6]) Quae habentur inter acta concilii Calchedonensis part. III n. 6—41 (Harduin. coll. conc. II, 703—772). — Deinde editi *diversis quid vocibus.*

[7]) Ita G^1 G^2. Editi *quid ... damnantes eorum exsecrabilium.*

Digitized by Google

ctores pariter et sequaces. Quapropter inter tot formas, quae erectae a. 476.
sunt, praedicandi non assertione nova sed constantia nitendum est.

3. Jam probatum est, quid Domino vos juvante profecerint labores vestri; Deo placitus fructus ostendit, quando ejus domum vobis obsistentibus[8]) latroni introire non licuit, qui, nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicavit[9]). Non enim junguntur bona pessimis, recta perversis, nec possunt salutaria coire cum noxiis; quia luci communio nulla cum tenebris nec infideli portio cum fideli. Unde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium, nisi forte resipiscentibus animis, et maxime qui nuper decepti sunt, videntes, in quae abrupta sunt ducti, ad splendorem verae fidei discussa conferant se nube mendacii: quod apostolicae sedis pietate ut provenire possit optamus, quia *vitam in Domini voluntate* cognoscimus. Psalm. 29,6.

4. Ad christianissimum quoque principem vel ad fratrem et coepiscopum meum[10]) Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Ut autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, seriem litterarum, exemplaria inter-

---

[8]) Id haud dubie contigit, quum vectus asino Aelurus e Basilisci aedibus ad ecclesiam cum seditiosa turba processit; cf. epist. 3 not. 4. His addo, hujusmodi processionem, ut jam tunc vocabant, tum celebrari consuevisse, quum antistes ad sacrificium sollemne procederet. Neque alio consilio Timotheus ita comitatus incedebat, qui tum a domo Domini repulsus *per quorumdam privatas domos non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse memoratur*, inquit Simplicius epist. 3 n. 3, ut videlicet id saltem in aedibus privatis perficeret, propter quod ad domum Domini perrexerat. Qui autem hujusmodi processioni intererant, hoc ipso indicabant, se cum procedente pontifice communicare, uti infra visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et in Vigilii epist. 14.

[9]) h. e. *cui dum nonnulli obviam eunt, huic palam publiceque deprehensi sunt esse similes.*

[10]) Editi *nostrum.* — Sunt epistolae 2 et 3 antecedentes. Ceterum hoc Simplicii elogio sese revera dignum haud ita multo post ostendit Acacius. *Basiliscus* enim, ait Theodorus lector h. e. I (ed. Val. pag. 556), *generali sanctione Calchedonensem synodum rejici jussit, operamque dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, quum universa civitas una cum mulieribus et parvulis in ecclesiam convenions Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semetipsum et cathedram atque altare nigris vestibus obtexit.* Notandus ritus, cui nonnihil simile etiamnunc observat Ecclesia, quum sacrae aedes violatae polluteque sunt. Narrat deinde Theodorus, ut magnus Daniel Simeonis Stylitae aemulator e columna sua descendens una cum plebe et Acacio conventus ecclesiasticos frequentarit. Hic praeterea observare juverit, qua prudentia Simplicius pios monachos zelo ferventiori aestuantes et forte de Acacio querentes, quod suum in tuenda fide studium tardius exercuisse videretur, mitiget et emolliat. Qui vero erga Acacium ita affectus fuit, is minime suspectus esse debet, quum ad eumdem increpandum se convertit.

Digitized by Google

a. 476. nuntio quem misistis redeunte direximus. Data III Idus Januarii consule suprascripto.

Epistola 5.

(a. 476 m. Jan.)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut suo ipsius nomine apud imperatorem agat, ne quae in Calchedonensi synodo statuta sunt ullatenus violentur. p. 7.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quum filii nostri, illustris vir Latinus patricius et spectabilis Madusius, pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus quod omni intentione curamus. Proxime namque quum presbyterorum et monachorum de Timotheo olim ab universali Ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi quam dilectioni tuae scripsimus, ut modis omnibus resistat, ne quid haereticorum contra Calchedonense concilium moliatur audacia, frater carissime; et dilectionis tuae laudando constantiam, multum nobis immo ipsi Domino placere memoravimus, quod damnatum hominem non solum fidei sed etiam parricidii causa nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, ut quum ad dilectionem tuam eadem scripta pervenerint, immo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, ut quae toties et bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni ejus certum et singulare est firmamentum, vero atque aeterno regi congregatorum in causa fidei divino Spiritu sacerdotum illaesum conservare concilium.

Epistola 6.

a. 477 d. 9. Oct.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Gratulatus Simplicius de Basilisco subacto hortatur Zenonem, ut Ecclesiae hostes vicissim comprimat, Alexandrinum episcopum sedi suae restituat, abroget impiam Basilisci sanctionem, ac Leonis doctrinam et Calchedonensia decreta intemerata esse jubeat. p. 7

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. Inter opera divinae providentiae, quae pia semper et justa sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quaelibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione complecti vel voce depromere, quod in ipso utriusque rei laborantis articulo et votis publicis et[1]) religionis sanctae reddidit vos quieti,

[1]) Legendum *et religionis*, addito *et*, ut intelligatur *utraque* illa *res*, quae sub Basilisco *laborasse* dicitur, nempe res publica et religio. *Ecclesiam et rem*

Digitized by Google

nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum propheta: a. 477.
Haec est mutatio dexterae Excelsi, quae exaltantes semetipsos potenter Ps. 76, 11.
humiliat et humiliantes se clementer exaltat? In quibus etiam si Luc. 1, 52.
dispensationis supernae sagacius mensura libretur, profecto evidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiae tuae et inter adversa probaretur, quantoque magis rebus urgeri crederetur infestis, tanto clárius vestra magnanimitas immineret; atque ob hoc mansuetudinis vestrae de Constantinopolitana urbe provenisse discessum[2]), ut universorum desideriis expetiti gloria majore rediretis, et ex contrariorum periculis, quid in vobis esset cunctis utile, nosceretur[3]): Davidicae nimirum illius virtutis exempla[4]), qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidae, continuo victor ac populorum precibus imploratus praestantiore fastigio est reversus in regnum.

2. Laetare igitur, venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui exstiterunt Divinitatis inimici[5]), teque[6]) gaude cum Ecclesia laborasse et cum fidei catholicae libertate imperio restitutum. Atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, ejus ope viriliter fretus insiste: ut per quem publicos incubatores[7]) subegit,

---

publicam Deus mirabili consolatione visitavit, in sequenti epistola de eodem Zenonis reditu scribit Simplicius.

[2]) scil. quum Basilisco imminente in Isauriam confugit. — Mox editi *ut ex ... quod in.*

[3]) Antea Zenonem omnibus *etiam propinquis suis* ob vitae turpitudinem invisum fuisse Evagrius h. e. III, 3 tradit. Sed populus Basilisci tyrannidem non ferens et fidem in summum discrimen adduci conspiciens Zenonem facile expetiit.

[4]) G[1] corrupte *exempla quae ... continua victor at* (vel *ut*) *... fastigia.* Editi *exemplo, qua ... continuo victoriam,* unde a[3] *victor jam,* nos *victor ac* mutamus.

[5]) Sic meruit appellari Basiliscus ob impium edictum ab Evagrio h. e. III, 4 insertum: quamvis sera ac forte minus sincera certe coacta poenitentia, ubi Zenonem contra se ex Isauria cum expeditis copiis advolare didicit, *in ecclesiam profectus excusavit se Acacio et clero ac monachis, ... alio edicto abrogans ea, quae prius constituerat,* ut Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 557) narrat. Novum illud edictum item apud Evagrium h. e. III, 7 refertur.

[6]) Ita G[1]; editi *atque gaude ... imperium ... cujus ope.*

[7]) h. e. *reipublicae injustos detentores.* Ut enim Augustinus sermon. 50 (al. 15) de diversis n. 4 explicat: *quod quis jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris sed impudentis incubatoris inprobitas.* Idem sonat l. 15 Cod. Theod. X, 1 *incubatio diuturna,* et l. 1 ejd. IV, 18 *rei incubarit alienae,* et l. 20 ejd. XVI, 10 *fructus ab incubatoribns exigantur.* Eo autem nomine Basiliscum imperii invasorem designari manifestum est. Tyranni hujus tempora Hormisda in memoriam revocans epist. 32 n. 2 *recordamini,* inquit, *carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam archen incubante tentata.* Jam audivimus Simplicium epist. 3 n. 7 rogantem, ut Alexandrina ecclesia *cruentissimi praedonis incubatione* liberaretur. Quam precem nunc iterans, ut Zeno *Ecclesiae depellat tyrannos* obsecrat. Utrobique enim et praedonis et tyranni nominibus eumdem Timotheum Aelurum indicat. De eodem Leo epist. 169 n. 1: *Cui* (Alexandrinae ecclesiae) *praedo nefarius incubabat.*

Digitized by Google

a. 477. Ecclesiae quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii praesules[8]), quales nunc loquimur, redderentur; ita exspectari cernis, ut hujusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quaeso, augustae memoriae Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam, et salubri consideratione perpendite: quum in eodem loco stare nequiverint, qui ab eorum rectitudine deviarunt, successorem regiae potestatis legitimum ac divinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime et clementissime fili imperator, augustae memoriae tantorum virorum taliumque reverentiam, debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia haec, beato apostolo docente nos Petro mea nuper humilitate praedicante, refutata sunt a[9]) casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris.

3. Ego quidem litteris, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandae religiositatis accipiens, et ingenti gratulatione respiro, et omnino non ambigo mentem vestram in rebus divinis gesturam longe potiora quam cupio; sed mei memor officii in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter et salutis affectu illis te causis inhaerere semper exopto, quibus solis et praesentis regni stabilitas custoditur et aeterni gloria comparatur.

4. Unde ante omnia precor, ut Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto quam ab haeretico pervasore clementiae vestrae dispositionibus liberatam catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse[10]) perhibetur, ejectis, rectae fidei subrogari constituatis episcopos: ut sicut rem publicam vestram a tyrannica dominatione pur-

[8]) Haud inusitato et Simplicio proprio loquendi modo hic dicitur Zeno *Romani imperii praesul*. Ante eum Theodosius (inter Bonifacii epistolas epist. 11) dixerat: *Deus enim auctor ideo praesules fecit Christianorum principes*. Postea Gelasius epist. 17 n. 1 eamdem vocem usurpat, et Clodoveus a s. Remigio *praesul regionum* dictus est, et Theodebertum regem Aurelianus episcopus alloquens *cogita semper*, inquit, *sacratissime praesul diem judicii*.

[9]) Istud *a casuris* male in prius vulgatis a verbis *refutata sunt* interposita virgula sejunctum erat. Quid enim hic sibi vult Simplicius? Eadem videlicet monita, quae nunc tradit Zenoni in regni soliditate mansuro, prius se Basilisco ab ejusdem regni administratione casuro dedisse, quae porro ab eo spreta rejectaque fuere. Quamvis enim huic pariter ob oculos posuerit Marciani et Leonis exempla, is nihilominus Timotheum a Leone proscriptum revocare et Calchedonensem synodum ab utroque imperatore propugnatam damnare non dubitavit, eoque pacto Simplicii monita refutavit et contempsit. Hinc denuo palam confirmatur, epistolam 3 Basilisco non Zenoni inscribendam esse.

[10]) Ex his plures sequens epistola n. 3 nominatim indicat.

Digitized by Google

gastis, ita ubique Ecclesiam Dei ab haereticorum latrociniis atque a. 477.
contagiis exuatis, nec id potius praevalere patiamini, quod[11]) iniquitas temporum per eos, quos non solum in vestrum imperium sed et in Deum quoque rebellis spiritus concitavit, quam quod tot tantique pontifices et cum egregiis orthodoxisque pontificibus universalis Ecclesiae decrevit assensus. Calchedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione[12]) perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus[13]). Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quae *potentes de sede* laesa[14]) *deposuit*, et exal- Luc. 1, 52.
tandos *humiles* custodita *servavit*. Quare satis agendum est pietati tuae, ut qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse[15]) propagator. Data VII Iduum Octobrium post consulatum Basilisci[16]) et Armati.

Epistola 7.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 477 m. Oct.)

p. 7. *Ut Acacius cum monachis et episcopis Constantinopoli congregatis conjunctim ab imperatore Timothei eorumque qui ab eo ordinati exsilium, et restitutionem catholicorum expetat (n. 1, 2). De verae fidei in populo profectu gratulatus (n. 3), ne episcopos diutius Constantinopoli manere sinat, ob periculum novarum molitionum providus monet (n. 4).*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.

1. Litteris tuae dilectionis, quas per filium nostrum Epiphaphanium diaconum probatae fidei direxisti, ea, quae strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritae cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine sed

[11]) In vulgatis *quod iniquitas temporum et eos quos non solum vestro imperio sed;* G[1] omittit *et* ante *eos*. — Temporum iniquitas impiam invexerat Basilisci sanctionem, quam etiam ipse paullo ante Zenonis reditum abrogarat. Tum vero tyranni hujus vel potius Aeluri fautores rebelli spiritu incitati, ut Leonis papae tomus et Calchedonensis concilii decreta novo in concilio examinarentur, efflagitare non desistebant. Quam petitionem novissimum Basilisci edictum (apud Evagr. h. e. III, 7) repulit his verbis: *de hoc argumento nec synodum fieri nec amplius quaestionem ullam moveri volumus, sed ea firma et inconvulsa manere.*

[12]) In Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec laudantur, legitur *traditione.*

[13]) Nimirum Timotheus Aelurus ab universo orbe in encycliis ad Leonem Augustum missis uno ore damnatus.

[14]) Illud *laesa* non ad *sede* sed ad *catholica fides* refertur.

[15]) Editi addunt *etiam.* Iidem mox *VIII Idus.*

[16]) Hic Basilisci nomini non additur *Augusti* titulus, quod male partum amiserat imperium. In aliis documentis post vergentem annum 476, quo illius tyrannis finem acceperat, exaratis ejus ut damnatae memoriae nomen prorsus reticeri Rossius l. c. pag. 382 seq. exempla affert.

Digitized by Google

a. 476. misi vestris sensibus offerenda. Haec igitur pietas tua si recensere dignetur vel quae totius Orientis episcopi de hujus praedicationis consensione rescripserint[10], aspiciet profecto examinata diligenter et veraciter promulgata, atque ideo pestiferae falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia revera quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. Perstat[11]) enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.

Joh. 21,15 ss. Matth. 28,20. 16,18 ss.

6. Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater et coepiscopus meus Acacius supplicabit, precor atque obsecro, ut imitatores facti tantorum et talium praedecessorum, nefandae praesumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. *Quisquis aliud,* sicut praedixit apostolus, *praeter quam quod*[12]) *accepimus, seminare molitur, anathema sit.* Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus subripiendi pandatur accessus, nulla retractandi quidpiam de veteribus constitutis fiducia concedatur: quia, sicut saepius iterandum est, quod apostolicis manibus cum Ecclesiae universalis assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem sumere non potest renascendi, nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno. Sic[13]) haeresum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnationis elisae reparare certamina.

Gal. 1,8.

7. Ante omnia autem quaeso, ut beati Marci evangelistae sedes — Alexandrinam loquor ecclesiam — a cruentissimi praedonis incubatione[14]) liberata, catholico reformetur antistiti libertatemque suam pariter recipiat et quietem. At vero improbus parricida, qui divinis simul reus est legibus et humanis, reductus eodem, quo jure fuerat ante detrusus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul a regno pietatis vestrae funesti capitis venena discedant, quae quoniam salutiferae praedicationis auribus obturatis medicantia verba

---

[10]) Quaeque Leo Augustus in unum codicem, quem *encyclium* appellavit, colligi voluit.

[11]) a[1] *praestat,* melius alii *perstat* h. e. perseverat. Mox vocabulum *apostolicae* perinde accipiendum, ac si legeretur *apostoli Petri.*

[12]) G[1] omitt. *quod.* Mox editi *subrependi ... abscindi.*

[13]) In vulgatis *si ... oppugnatione elisa reparari.* Ex archetypo G[1] (*si ... oppugnationis elise reparari*) et Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144 (*sic ... oppugnationibus elisa reparare*) nostram lectionem restituimus.

[14]) h. e. *injusta usurpatione*; cf. infra epist. 6 n. 2. Mox alii *impius* (loco *improbus*).

Digitized by Google

capere nequiverunt, ab humani conventus abducta pernicie, in viru- a. 476.
lentiae suae congrua solitudine contabescant. Quo magis ac[15]) magis pietatem tuam beati Petri apostoli voce, qualiscunque sedis ejus minister, obtestor, ut inimicos antiquae fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis hostes habere subjectos: ut verae confessionis pacem cunctas Domini servare decernatis ecclesias, qui orbem vestri imperii desideratis tenere pacatum, et unicam spem salutis, quae genus hominum ad regna coelestia vitamque perducit aeternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum vel regno vestro cupitis vel saluti. Data quarto Idus Januarias Basilisco Augusto[16]) consule.

Epistola 4.

Simplicii papae ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos.

a. 476 d. 11. Jan.

p. 6 *Monachos Constantinopoli constitutos consolatur Simplicius ac docet, fidem tam firmiter esse stabilitam, ut adversus Timothei molitiones constantia opus sit non contentione, ideoque legatos a se ut cupiebant non mitti. Gratulatur iis, quod ipsorum opera Aeluro ecclesiam introire non licuit hincque factum, ut ille sui similes adhuc forsitan latentes publicarit. Acacii denique silentium excusat.*

Simplicius episcopus presbyteris et archimandritis[1]) apud Constantinopolim constitutis.

1. Per filium nostrum laudabilem virum Epiphanium litteris[2]) vestrae dilectionis serius quam voluistis acceptis, magno sumus do-

[15]) Ita G^1 G^2. Editi omittunt *ac magis pietatem tuam* et mox *hostes*.

[16]) Binius post Baronium huc mendose irrepsisse existimat *Augusto* pro *Armato;* sed nulla prorsus ratione, quum ex Marcellini chronico constet, Basiliscum anno 475 renunciatum imperatorem fuisse. Cui chronico non solum hic suffragatur Simplicius, sed et in epistola 6 initio Octobris anni 477 scripta, ubi de Basilisco ut jam expulso loquitur. Quippe Evagrius h. e. III, 8 eum pulsum tradit, quum jam biennio regnasset. Neque vero novum et insuetum est, in pontificiis epistolis alterius consulis nomen omitti; imperanti autem consuli *Augusti* titulum adjici consuetudo exigebat. De hujus tyrannidis tempore utpote ab anno 475 usque ad vergentem annum 476 ponendo conferantur etiam, quae clarissimus Rossius inscr. christ. urb. Romae tom. I pag. 382 seq. ad inscr. 863 scitissime disputat. Praeterea in chronica nota, ut jam Bollandus suspicatus, Pagi ad a. 476 n. 14 legendum voluit *IV Nonas Junias*, sicut in epistola 2 *V Idus Junias* et in epist. 5 *III Idus Junias*. Nec tamen ut codicum fidem deseramus persuadere potuit.

[1]) Iis nimirum, de quibus Simplicius in epistolae 2 exordio dixit: *Quantum presbyterorum et ex diversis monasteriis Domino servientium monachorum relatione patefactum est,* et in epist. 3 n. 2: *sicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum.* Unde sequi videtur, ut non clericorum simul et monachorum scripta sint missa, sed unorum monachorum, quorum nonnulli presbyteri et archimandritae fuerint, et quibus nunc Simplicius rescribit. Quocirca si clerici a monachis distinguantur, minus placet haec summa huic epi-

Digitized by Google

a. 476. lore permoti, quod illic infra Ecclesiam Dei scandalorum recidiva nascuntur incendia, ubi toties[3]) auctoritate apostolicae sedis et sententia synodi universalis exstincta sunt. Cui namque in toto orbe terrarum cum perversitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinae ecclesiae pervasoris non est nota dejectio? Testis est anterius[4]) Ephesinum, testis est recens Calchedonense concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronuntiat non haberi: quum praedictorum talis impietas, auctoribus[5]) etiam principibus Christianis non solum ab Ecclesiae corpore verum a coetu hominum exsiliis segregata diversis, unitae sententiae damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum, quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universa mundi parte has quoque haereses evicerunt, beatae recordationis praedecessor noster Leo multiplici sermone doctrinae, quid catholicae veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata non contentione opus est, ut adhuc tamquam de dubiis judicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra dejectos state vestigiis, nec vos adversarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat.

2. Breviter haec ad consultationem immo etiam consolationem vestrae scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causae necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem non jam defendendae, quae solide jacta est, fidei sed repellendis haereticis atque damnatis illa sufficerent, quae etiam ad sanctae memoriae Flavianum atque ad sanctam Calchedonensem synodum vel ad augustae recordationis Marcianum ac Leonem beatae memoriae antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius Orientis episcopi rescriptis[6]) ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Unde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreverunt in unum convenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilominus sentientes, diversis quidem[7]) vocibus sed una mente dixerunt, damnantes errorum exsecrabilium au-

---

stolae in vulgatis praemissa: *Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam commendat.*

[2]) Rursus infra epist. 7 n. 1 Simplicias litteras sibi per *Epiphanium* traditas memorat, sed alterum cognominem, utpote qui diaconus appelletur.

[3]) Ita G[1] a[1]. c[7] *totius*. In epistola sequenti similiter idem papa monet, ut *ne toties et bene statuta violentur.*

[4]) *Anterius* vocat ad discrimen latrocinii Ephesini, quod posterius fuit, vel etiam quia Calchedonense, quod *recens* nuncupat, praecessit.

[5]) Ita G[1]. Editi *auctoribus et principibus ... a coetu omnium.*

[6]) Quae habentur inter acta concilii Calchedonensis part. III n. 6—41 (Harduin. coll. conc. II, 703—772). — Deinde editi *diversis quid vocibus.*

[7]) Ita G[1] G[2]. Editi *quid ... damnantes eorum exsecrabilium.*

Digitized by Google

ctores pariter et sequaces. Quapropter inter tot formas, quae erectae a. 476.
sunt, praedicandi non assertione nova sed constantia nitendum est.

3. Jam probatum est, quid Domino vos juvante profecerint labores vestri; Deo placitus fructus ostendit, quando ejus domum vobis obsistentibus[8]) latroni introire non licuit, qui, nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicavit[9]). Non enim junguntur bona pessimis, recta perversis, nec possunt salutaria coire cum noxiis; quia luci communio nulla cum tenebris nec infideli portio cum fideli. Unde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium, nisi forte resipiscentibus animis, et maxime qui nuper decepti sunt, videntes, in quae abrupta sunt ducti, ad splendorem verae fidei discussa conferant se nube mendacii: quod apostolicae sedis pietate ut provenire possit optamus, quia *vitam in Domini voluntate* cognoscimus. Psalm. 29, 6.

4. Ad christianissimum quoque principem vel ad fratrem et coepiscopum meum[10]) Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Ut autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, seriem litterarum, exemplaria inter-

---

[8]) Id haud dubie contigit, quum vectus asino Aelurus e Basilisci aedibus ad ecclesiam cum seditiosa turba processit; cf. epist. 3 not. 4. His addo, hujusmodi processionem, ut jam tunc vocabant, tum celebrari consuevisse, quum antistes ad sacrificium sollemne procederet. Neque alio consilio Timotheus ita comitatus incedebat, qui tum a domo Domini repulsus *per quorumdam privatas domos non divina sacrificia sed sacrilegia celebrasse memoratur*, inquit Simplicius epist. 3 n. 3, ut videlicet id saltem in aedibus privatis perficeret, propter quod ad domum Domini perrexerat. Qui autem hujusmodi processioni intererant, hoc ipso indicabant, se cum procedente pontifice communicare, uti infra visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et in Vigilii epist. 14.

[9]) h. e. *cui dum nonnulli obviam eunt, huic palam publiceque deprehensi sunt esse similes.*

[10]) Editi *nostrum*. — Sunt epistolae 2 et 3 antecedentes. Ceterum hoc Simplicii elogio sese revera dignum haud ita multo post ostendit Acacius. *Basiliscus* enim, ait Theodorus lector h. e. I (ed. Val. pag. 556), *generali sanctione Calchedonensem synodum rejici jussit, operamque dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, quum universa civitas una cum mulieribus et parvulis in ecclesiam conveniens Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semetipsum et cathedram atque altare nigris vestibus obtexit.* Notandus ritus, cui nonnihil simile etiamnunc observat Ecclesia, quum sacrae aedes violatae pollutaeque sunt. Narrat deinde Theodorus, ut magnus Daniel Simeonis Stylitae aemulator e columna sua descendens una cum plebe et Acacio conventus ecclesiasticos frequentarit. Hic praeterea observare juverit, qua prudentia Simplicius pios monachos zelo ferventiori aestuantes et forte de Acacio querentes, quod suum in tuenda fide studium tardius exercuisse videretur, mitiget et emolliat. Qui vero erga Acacium ita affectus fuit, is minime suspectus esse debet, quum ad eumdem increpandum se convertit.

Digitized by Google

a. 476. nuntio quem misistis redeunte direximus. Data III Idus Januarii consule suprascripto.

Epistola 5.

(a. 476 m. Jan.)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut suo ipsius nomine apud imperatorem agat, ne quae in Calchedonensi synodo statuta sunt ullatenus violentur. p. 7.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quum filii nostri, illustris vir Latinus patricius et spectabilis Madusius, pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus quod omni intentione curamus. Proxime namque quum presbyterorum et monachorum de Timotheo olim ab universali Ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi quam dilectioni tuae scripsimus, ut modis omnibus resistat, ne quid haereticorum contra Calchedonense concilium moliatur audacia, frater carissime; et dilectionis tuae laudando constantiam, multum nobis immo ipsi Domino placere memoravimus, quod damnatum hominem non solum fidei sed etiam parricidii causa nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, ut quum ad dilectionem tuam eadem scripta pervenerint, immo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, ut quae toties et bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni ejus certum et singulare est firmamentum, vero atque aeterno regi congregatorum in causa fidei divino Spiritu sacerdotum illaesum conservare concilium.

Epistola 6.

a. 477 d. 9. Oct.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Gratulatus Simplicius de Basilisco subacto hortatur Zenonem, ut Ecclesiae hostes vicissim comprimat, Alexandrinum episcopum sedi suae restituat, abroget impiam Basilisci sanctionem, ac Leonis doctrinam et Calchedonensia decreta intemerata esse jubeat. p. 7.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. Inter opera divinae providentiae, quae pia semper et justa sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quaelibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione complecti vel voce depromere, quod in ipso utriusque rei laborantis articulo et votis publicis et[1]) religionis sanctae reddidit vos quieti,

[1]) Legendum *et religionis*, addito *et*, ut intelligatur *utraque* illa *res*, quae sub Basilisco *laborasse* dicitur, nempe res publica et religio. *Ecclesiam et rem*

Digitized by Google

nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum propheta: a. 477.
Haec est mutatio dexterae Excelsi, quae exaltantes semetipsos potenter Ps. 76,11.
humiliat et humiliantes se clementer exaltat? In quibus etiam si Luc. 1,52.
dispensationis supernae sagacius mensura libretur, profecto evidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiae tuae et inter adversa probaretur, quantoque magis rebus urgeri crederetur infestis, tanto clárius vestra magnanimitas immineret; atque ob hoc mansuetudinis vestrae de Constantinopolitana urbe provenisse discessum[2]), ut universorum desideriis expetiti gloria majore rediretis, et ex contrariorum periculis, quid in vobis esset cunctis utile, nosceretur[3]): Davidicae nimirum illius virtutis exempla[4]), qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidae, continuo victor ac populorum precibus imploratus praestantiore fastigio est reversus in regnum.

2. Laetare igitur, venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui exstiterunt Divinitatis inimici[5]), teque[6]) gaude cum Ecclesia laborasse et cum fidei catholicae libertate imperio restitutum. Atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, ejus ope viriliter fretus insiste: ut per quem publicos incubatores[7]) subegit,

---

publicam Deus mirabili consolatione visitavit, in sequenti epistola de eodem Zenonis reditu scribit Simplicius.

[2]) scil. quum Basilisco imminente in Isauriam confugit. — Mox editi *ut ex ... quod in.*

[3]) Antea Zenonem omnibus *etiam propinquis suis* ob vitae turpitudinem invisum fuisse Evagrius h. e. III, 3 tradit. Sed populus Basilisci tyrannidem non ferens et fidem in summum discrimen adduci conspiciens Zenonem facile expetiit.

[4]) G[1] corrupte *exempla quae ... continua victor at* (vel *ut*) *... fastigia.* Editi *exemplo, qua ... continuo victoriam,* unde a[3] *victor jam,* nos *victor ac* mutamus.

[5]) Sic meruit appellari Basiliscus ob impium edictum ab Evagrio h. e. III, 4 insertum: quamvis sera ac forte minus sincera certe coacta poenitentia, ubi Zenonem contra se ex Isauria cum expeditis copiis advolare didicit, *in ecclesiam profectus excusavit se Acacio et clero ac monachis, ... alio edicto abrogans ea, quae prius constituerat,* ut Theodorus lector h. e. I (ed. Vales. pag. 557) narrat. Novum illud edictum item apud Evagrium h. e. III, 7 refertur.

[6]) Ita G[1]; editi *atque gaude ... imperium ... cujus ope.*

[7]) h. e. *reipublicae injustos detentores.* Ut enim Augustinus sermon. 50 (al. 15) de diversis n. 4 explicat: *quod quis jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris sed impudentis incubatoris inprobitas.* Idem sonat l. 15 Cod. Theod. X, 1 *incubatio diuturna,* et l. 1 ejd. IV, 18 *rei incubarit alienae,* et l. 20 ejd. XVI, 10 *fructus ab incubatoribus exigantur.* Eo autem nomine Basiliscum imperii invasorem designari manifestum est. Tyranni hujus tempora Hormisda in memoriam revocans epist. 32 n. 2 *recordamini,* inquit, *carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam archen incubante tentata.* Jam audivimus Simplicium epist. 3 n. 7 rogantem, ut Alexandrina ecclesia *cruentissimi praedonis incubatione* liberaretur. Quam precem nunc iterans, ut Zeno *Ecclesiae depellat tyrannos* obsecrat. Utrobique enim et praedonis et tyranni nominibus eumdem Timotheum Aelurum indicat. De eodem Leo epist. 169 n. 1: *Cui* (Alexandrinae ecclesiae) *praedo nefarius incubabat.*

Digitized by Google

a. 477. Ecclesiae quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii praesules[8]), quales nunc loquimur, redderentur; ita exspectari cernis, ut hujusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quaeso, augustae memoriae Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam, et salubri consideratione perpendite: quum in eodem loco stare nequiverint, qui ab eorum rectitudine deviarunt, successorem regiae potestatis legitimum ac divinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime et clementissime fili imperator, augustae memoriae tantorum virorum taliumque reverentiam, debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia haec, beato apostolo docente nos Petro mea nuper humilitate praedicante, refutata sunt a[9]) casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris.

3. Ego quidem litteris, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandae religiositatis accipiens, et ingenti gratulatione respiro, et omnino non ambigo mentem vestram in rebus divinis gesturam longe potiora quam cupio; sed mei memor officii in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter et salutis affectu illis te causis inhaerere semper exopto, quibus solis et praesentis regni stabilitas custoditur et aeterni gloria comparatur.

4. Unde ante omnia precor, ut Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto quam ab haeretico pervasore clementiae vestrae dispositionibus liberatam catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse[10]) perhibetur, ejectis, rectae fidei subrogari constituatis episcopos: ut sicut rem publicam vestram a tyrannica dominatione pur-

[8]) Haud inusitato et Simplicio proprio loquendi modo hic dicitur Zeno *Romani imperii praesul*. Ante eum Theodosius (inter Bonifacii epistolas epist. 11) dixerat: *Deus enim auctor ideo praesules fecit Christianorum principes*. Postea Gelasius epist. 17 n. 1 eamdem vocem usurpat, et Clodoveus a s. Remigio *praesul regionum* dictus est, et Theodebertum regem Aurelianus episcopus alloquens *cogita semper*, inquit, *sacratissime praesul diem judicii*.

[9]) Istud *a casuris* male in prius vulgatis a verbis *refutata sunt* interposita virgula sejunctum erat. Quid enim hic sibi vult Simplicius? Eadem videlicet monita, quae nunc tradit Zenoni in regni soliditate mansuro, prius se Basilisco ab ejusdem regni administratione casuro dedisse, quae porro ab eo spreta rejectaque fuere. Quamvis enim huic pariter ob oculos posuerit Marciani et Leonis exempla, is nihilominus Timotheum a Leone proscriptum revocare et Calchedonensem synodum ab utroque imperatore propugnatam damnare non dubitavit, eoque pacto Simplicii monita refutavit et contempsit. Hinc denuo palam confirmatur, epistolam 3 Basilisco non Zenoni inscribendam esse.

[10]) Ex his plures sequens epistola n. 3 nominatim indicat.

Digitized by Google

gastis, ita ubique Ecclesiam Dei ab haereticorum latrociniis atque a. 477.
contagiis exuatis, nec id potius praevalere patiamini, quod[11]) iniquitas temporum per eos, quos non solum in vestrum imperium sed et in Deum quoque rebellis spiritus concitavit, quam quod tot tantique pontifices et cum egregiis orthodoxisque pontificibus universalis Ecclesiae decrevit assensus. Calchedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione[12]) perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus[13]). Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quae *potentes de sede* laesa[14]) *deposuit*, et exal- Luc. 1, 52.
tandos *humiles* custodita *servavit*. Quare satis agendum est pietati tuae, ut qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse[15]) propagator. Data VII Iduum Octobrium post consulatum Basilisci[16]) et Armati.

Epistola 7.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 477 m. Oct.)

p 7. *Ut Acacius cum monachis et episcopis Constantinopoli congregatis conjunctim ab imperatore Timothei eorumque qui ab eo ordinati exsilium, et restitutionem catholicorum expetat (n. 1, 2). De verae fidei in populo profectu gratulatus (n. 3), ne episcopos diutius Constantinopoli manere sinat, ob periculum novarum molitionum providus monet (n. 4).*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.

1. Litteris tuae dilectionis, quas per filium nostrum Epiphaphanium diaconum probatae fidei direxisti, ea, quae strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritae cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine sed

[11]) In vulgatis *quod iniquitas temporum et eos quos non solum vestro imperio sed;* G[1] omittit *et* ante *eos*. — Temporum iniquitas impiam invexerat Basilisci sanctionem, quam etiam ipse paullo ante Zenonis reditum abrogarat. Tum vero tyranni hujus vel potius Aeluri fautores rebelli spiritu incitati, ut Leonis papae tomus et Calchedonensis concilii decreta novo in concilio examinarentur, efflagitare non desistebant. Quam petitionem novissimum Basilisci edictum (apud Evagr. h. e. III, 7) repulit his verbis: *de hoc argumento nec synodum fieri nec amplius quaestionem ullam moveri volumus, sed ea firma et inconvulsa manere.*

[12]) In Vigilii constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec laudantur, legitur *traditione*.

[13]) Nimirum Timotheus Aelurus ab universo orbe in encycliis ad Leonem Augustum missis uno ore damnatus.

[14]) Illud *laesa* non ad *sede* sed ad *catholica fides* refertur.

[15]) Editi addunt *etiam*. Iidem mox *VIII Idus*.

[16]) Hic Basilisci nomini non additur *Augusti* titulus, quod male partum amiserat imperium. In aliis documentis post vergentem annum 476, quo illius tyrannis finem acceperat, exaratis ejus ut damnatae memoriae nomen prorsus reticeri Rossius l. c. pag. 382 seq. exempla affert.

Digitized by Google

a. 477. sermone necessario retulisti, ut quid vel Constantinopoli vel in aliis regionibus ab haereticis gestum, disceremus; ac singula, quae contra ecclesiasticas regulas et contra ipsam catholicam fidem ubicunque commissa sunt, ante nostros oculos collocasti: quatenus videatur, quo etiam remedio subveniretur ecclesiis, quibus vim sub occasione tyrannicae dominationis et per absentiam Christianissimi principis perniciosus latro et recidivus invasor Alexandrinae ecclesiae lapsus[1]) exsiliis irrogavit.

2. Unde unicum post Deum, qui Ecclesiam et rempublicam consolatione mirabili visitavit, etiamsi hoc fieri minime postulasses, clementissimi imperatoris auxilium duximus implorandum: ut pro omnibus, quae regno ejus Dominus tribuit, ne ulterius in orbe terrarum, quas subditas suo cognoscit imperio, ecclesiae Dei ab haereticorum contagione et pravitate violentur, sed doctrinae diabolicae praeceptione pietatis ipsius praestentur immunes; ut ii, qui sibi crediderint sacerdotale ministerium damnati hominis praesumptione conferri, promulgata imperiali constitutione etiam a conventu hominum segregandi jubeantur excludi: quatenus his submotis atque in solitudinis perpetua relegatione damnatis, antistites catholici deceptis vel reddantur ecclesiis vel creentur[2]). In quo nec nostrae preces apud religiosissimum principem nec dilectionis tuae suggestio, aut tantorum fratrum nostrorum, quos advenisse Constantinopolim reperimus, imploratio sacerdotum aut supplicatio monachorum laborare poterit. Quin quidquid ad integritatem catholicae fidei pertinet, in qua ecclesiarum est constituta securitas, regressu pietatis suae, Domino se ubique prosequente, omnium praeveniens vota restituit. Et apud mentem Christianissimam facilis est impetrandi gratia, ubi religionis est causa.

3. Sicut ergo litteris nostris ita tuae dilectionis vel omnium fratrum[3]), qui se ad documenta fidei suae Christianissimi principis praesentavere conspectui, suggestione repetendum est, ut Timotheus

---

[1]) seu *elapsus*. Eodem sensu dixit Acacius, ut visuri sumus in notitia epistolarum non exstantium n. 6, Petrum Fullonem a Leone principe Oasim deportatum *indeque lapsum Constantinopolim rediisse*. Hic vero oratorie dicitur Timotheus Aelurus *exsiliis* lapsus; neque enim cum Cedreno sentiendum, haereticum illum primum in Paphlagoniam deinde Oasim relegatum fuisse.

[2]) Zenonem his Simplicii monitis paruisse et ea, quibus pius pontifex Ecclesiae consultum voluit, praestitisse, fidem faciet successoris ejus Felicis epistola 1.

[3]) Episcoporum videlicet, qui undequaque in regiam urbem confluebant, tum ut reducem imperatorem salutarent, tum ut suam ei fidem novis obsequiis contestarentur (*ad documenta fidei suae*). Ne vero tot episcopi simul congregati occasionem haereticis opportunam ad nova molienda praeberent et ad impetrandum quod petebant concilium, prudens monet Acacium Simplicius (sub fin. epist.), studeat, ne episcopi illi diu in urbe regia morari sinantur. Quocirca Pagio as-

Digitized by Google

cum sequacibus suis ad irremeabile dirigatur exsilium[4]). Cum quo a. 477.
Paulus ab Ephesina ecclesia, et Petrus ab Antiochena civitate depulsus, atque omnes, qui ab eo se vel ab his, quos illicite fecerat, aestimant episcopos ordinatos, eadem debent lege percelli. De Antonio autem, qui eorum quos contra Ecclesiam tyrannos[5]) miserat, antesignanus exsistens, sicut scriptum est, inimicus et defensor apparuit, et[6]) de Johanne quondam Constantinopolitano, qui ab haereticis Apamenum sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se haereticum publicavit, et quod in se perperam factum est improperium retorsit in auctorem[7]), expellens ab Antiochia Petrum pervasorem ipsius, eamdem ecclesiam ipse pervasit: sub anathemate a Christianorum consortio vel ipsa appellatione removemus, nec unquam his satisfactionis[8]) patefaciendus est locus, quia sicut Judas inter apostolos ita isti inter ministros Dei subdola et diabolici spiritus fraude latuerunt. Psalm. 8, 3.

---

sentiri non possumus, qui ad ann. 477 n. 12 ss. haec Simplicii verba de synodo apud Constantinopolim ab Acacio indicta interpretatur.

[4]) Ad hunc locum, ni fallor, respiciebat Gelasius epist. 10 ad Faustum n. 5 *in hac ipsa causa*, inquiens, *Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Johannes et ceteri non solum unus, sed plures ubique nomen sacerdotii praeferentes tota sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui praeceptionis hujus exstitit exsecutor.*

[5]) Magis placeret *tyrannus* scil. Basiliscus. De *Antonio* hic memorato nihil apud Evagrium, Theodorum lectorem et Liberatum invenimus.

[6]) Conjunctionem *et* de nostro quidem addidimus, sed eam necessario postulat orationis series. Hic locus intricatior videtur. Id vero sibi vult Simplicius: *Ad Antonium autem quod attinet et ad Johannem quondam Constantinopolitanum* (supple *presbyterum*) *etc., eos sub anathemate ... removemus.*

[7]) scil. in Petrum Fullonem. Ut enim ex Theodori lectoris h. e. I et ex epistolae Acacii fragmento infra in notitia epistolarum Simplicii non exstantium n. 6 edendo comperimus, is Petrus Fullo ubi in Antiochenam sedem iterato invasit, Johannem presbyterum Constantinopolitanum, qui antea depositus ab episcopo suo fuerat, Apameae episcopum ordinavit. Verum ille *ab Apamenis non receptus redit Antiochiam et Petrum episcopatus sui expellit auctorem et invadit ejus ecclesiam*, ut legitur in breviculo Eutychianae historiae (inter Gelasii tractatus tract. I. n. 12). Hunc autem Johannem postea Tyriorum ecclesiae praefectum ab Acacio fuisse, visuri sumus in Felicis II epist. 6 n. 1 et eodem breviculo (Gelas. tract. I n. 12).

[8]) ejus scilicet, qua illis aditus ad honores ecclesiasticos pateat, non ejus, qua peccati veniam per dignos poenitentiae fructus consequantur. Ita porro Simplicius ad mentem Acacii loquitur, qui ipsi scripserat, haereticos illos iterum damnatos, si forte ad apostolicam sedem confugerint, nec visu dignos haberet, et si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum poenitentiam recipiendam esse, supple, qua honores suos servarent (cf. notitia epist. Simplicii non exstantium n. 6). Ipse Simplicius suam ea de re sententiam aperte indicat epist. 18 n. 3, ubi de eodem Petro loquens, licet *haereticorum socius*, ait, *dudum exstitisse probetur et princeps, ad communionem per satisfactionem regulis Christianis competentem, non item ad fastigium sacerdotalis dignitatis pervenire poterit.*

Digitized by Google

a. 477. 4. De Christiani quoque populi fide et devotione gaudentes, profectum ejus et multiplicationem Deo jugiter supplicantes expetimus, ut in timore atque amore Domini perseverans, et numero augeri et coelesti mereatur protectione muniri. In quo maxime gloriamur et Deo nostro gratulabimur complacere, quia pastoralem respicit fructum religiosi ovilis augmentum.

5. Diu autem fratres et coepiscopos nostros apud Constantinopolim non convenit demorari, nunc praecipue, quum propter concussionem persecutionis, quae mota fuerat, sollicitae atque attonitae sunt in suprascriptis ecclesiis civitates; nec[9]) aliquis dubius rationis et trepidus mentis exspectet novi aliquid post Calchedonense concilium contra definitiones ipsius retractari, quia per universum mundum insolubili observatione retinetur, quod a sacerdotum universitate est constitutum et, sicut apparuit, coelestis totiens ultionis assertione firmatum. Unde divino judicio reluctatur, quisquis ejusdem venerabilis definita concilii post tot divinae indignationis exempla non sequitur.

Epistola 8.

(ante m. Mart. a. 478.)

Acacii Constantinopolitani ad Simplicium papam.

Timotheum Aelurum mortuum esse (*n.* 1), *fugisse Petrum Mongum, Timotheum* p. 7
Salophakiolum autem, Alexandrinae sedi restitutum, spem laetissimam curationis seductorum praebere (n. 2), *nec quidquam ad custodiam disciplinae ecclesiasticae omitti* (*n.* 3).

Domino beatissimo[1]) sancto patri archiepiscopo Simplicio Acacius.

2 Cor. 11, 28. 1. Sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes nos indesinenter hortamini quamvis sponte vigilantes, ac recurrentes[2]) in nos divinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinae ecclesiae certius requirentes: ut pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. Sed Christus Dominus noster, qui diligentibus Rom. 8, 28. se in bonum cooperatur insidens cogitationibus nostris, et unam nobis in his mentem atque eamdem[3]) pro gloria sua esse cognoscens,

[9]) in vulgatis *ne aliquis;* magis placet *nec aliquis*, ut legitur apud Vigilium in constituto seu epist. 24 n. 144, ubi haec verba velut ex epistola ad Zenonem Augustum offeruntur.

[1]) In mss. I O deest *beatissimo.* Subinde D^2 D^5 D^6 D^7 F^2 N^3 O^3 *patriarchae episcopo.*

[2]) Ita D^1 D^2 D^3 D^6 D^9 E^1 E^2 F^2 H^3 2 β d^2; c^7 d^1 a^3 i^2 *praecurrentes sed vos.* D^6 *ad vos,* D^1 D^3 D^9 E^1 E^2 F^2 H^3 N^3 *in vos,* D^2 *in nos,* i^2 *et vos.* d^1 d^2 *divinumque zelum in vobis solito*; I^5 I^6 aliique 4 mss. *sed vos divino zelo sollicitos demonstratis.*

[3]) Mss. I O *eamdem gloriam esse cognoscens;* D^5 omittit *pro gloria sua.* E^2 F^2 H^4 *et humana* (E^2 *humanam*) *nobis in his mente atque eadem pro gloriosa* (E^2 *gloria*) *sua esse,* corrupte.

Digitized by Google

omnem victoriam ipse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo a. 478.
principe faciet[4]).

2. Timotheum quidem de Cersone[5]), spirantem procellas et ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit, conturbantem, vitae subduxit[6]) humanae, dicens ei: *Tace et obmutesce.* Petrum quoque, qui Marc. 4, 39.
ab Alexandria more similiter[7]) procellae surrexerat, dissipavit atque in aeternam fugam sancto Spiritu flante convertit, unum et ipsum de his, qui olim fuerant et ante damnati. Sicut et[8]) in nostris archivis inventum est, et de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quae[9]) in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo ad Romam alterutram sint relata. Qui Petrus noctis

---

[4]) Ita D^1 D^3 D^4 E^1 E^2 F^2 H^6 N^3 2 β d^2. Vulgati et a^3 *faciens et Timoth.*, d^1 *perficiens.*

[5]) a^1, Sirm. in tract. Gelas. (append. cod. Theod. p. 174) *quidem decessorem spirantem*, β D^4 *quidem dissensionis parantem*, alter β *qui decerpsionem parantem*, tertius β *qui decersionem sperantem*, D^2 H^6 *decessione spirantem* (H^6 *sperantem*), I^5 I^6 aliique tres *qui decessore exspirante*, D^6 D^7 E^1 E^2 F^2 *quidem de cersione* (E^1 *decersionem*) *sperantem* (E^2 *sperantes*), d^1 *enim de Cersona respirantem*, D^1 D^3 N^3 O^1 a^2 d^2 *quidem de Cersone spirantem* (D^1 D^3 N^3 *sperantem*), ubi *Cersone* pro *Chersone* positum genuinum sensum reddit. Quippe Timotheus Aelurus, ut Gelasius tract. 1 n. 5, Liberatus breviar. cap. 16 et Zedrenus tradunt, *Chersona* relegatus erat. Unde et Victor Tununensis hunc haereticum post usurpatum a Basilisco imperium *ab exsilio Chersona* rediisse scribit. Ad hunc Acacii locum respexisse videtur Hormisda epist. 18 ad episcopos Epiri n. 2, quum *Timotheum Chersonensem* perperam nuncupat quasi de Chersona oriundum, nisi forte eo relegatus credatur, unde originem duxerat. Certe eum ibi longius opusculum pro assertione haeresis suae scripsisse, comperimus ex Eustathio monacho (ap. Angelum Majum Script. vet. t. VII p. 277) et auctore panopliae dogmaticae qu. 8 n. 5 (ap. Ang. Majum Patr. nov. biblioth. t. II p. 630), qui ejusdem locum proferunt.

[6]) Plures mss. *subtraxit*, moxque E^2 F^2 omitt. *ei.* Tradit Liberatus breviar. cap. 16, ipsummet Timotheum, a Zenone concilii Calchedonensis acerrimo defensore metuentem, sibi mortem hausto veneno conscivisse.

[7]) Septem mss. I O *similis procellae*, Colb. 408 *more simili procellae susceperat.* — Is Petrus etsi procul Alexandria aufugisse putabatur, in ea tamen urbe latitabat insidias Ecclesiae struens, vel certe illuc statim reversus est, ut docent Timothei Salophakioli quum ad Zenonem tum ad Simplicium epistolae a Liberato l. c. cap. 16 memoratae nec non ipsius Simplicii litterae 12 et 13. Damnatus autem traditur in *gestis de nomine Acacii* (Gelas. tract. 1 n. 6) cum Timotheo Aeluro, cujus adjutor in nece Timothei fuerat.

[8]) Ita H^6 N^3; mss. D omittunt *et;* vulgati *enim.* Colb. 408 *sicut in nostris inventum est de vestris.*

[9]) Mss. I O *quae de eodem subsecuta;* tum 1 β omittit *ab.* Subinde vulgati *episcopo Romam ad alterutrum*, ubi omnes mss. omittunt *ad*, ex iis quatuor vetustiores (cum $D^2E^1E^2F^2$) habent *ad Romam alterutrum* (vel *alterutram* legendum), H^6 *ad Romanam alterutrum*, D^1 d^2 *Romam alterutrum*, d^1 *et ab Alexandrinis episcopis ad Romanos sint relata.* Gelasius epist. 1 n. 2 legit *ad utramque Romam*, videlicet *novam* et *veterem.* Orationis integritas postulare videtur *ad Romanum alterutrum sint relata*, vel *ad Romam alterutram* (aut *utramque*) *sint relata.* Nam Simplicio quidem vocem *alteruter* idem sonare quod *uterque*, testis est ejus epistola 10 n. 1.

Digitized by Google

a. 478. exsistens filius, et operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum [10]) congruas earum cooperator inveniens, media nocte, adhuc jacente [11]) cadavere illius, qui paternos canones subverterat, insepulto, surripuit in sedem sicut ipse arbitratus est, uno [12]) et solo praesente et eo, qui consors ipsius insistebat insaniae, ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur. Nec quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima judicans [13]), nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem paternorum custos canonum, qui Davidicae mansuetudinis exemplo [14]) et usque in finem patiens atque potestati propriae restitutus a Christo, propriae sedis honore laetatur et spiritualium filiorum voces [15]) accepit, gratiam curationis exspectat multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum, propter quem et tolerantiae coronam sibimet religavit.

3. Attentius igitur oret vestra beatitudo et pro Christianissimo

---

[10]) d[1] addit *votis*. D[1] D[2] E[2] F[2] H[6] N[3] solum ordinem invertunt: *ad latrocinium congruas peragendum* (D[1] N[3] E[2] *peragendi*, F[2] *peragendis*). D[5] delet *earum cooperator*.

[11]) Ita a[3] cum vulgatis et mss. (D[2] E[2] F[2] H[6] N[3]); unum ms. *calente*, d[1] *jacente ... et insepulto*, d[2] *jacente et insepulto*. Mox editi *subrepsit in sedem*. — Idem est *jacente insepulto*, quod *jacente sine sepultura* vel *necdum tumulato*. Rem ita narrat Evagrius H. E. III, 11: *Quum Timotheus naturae debitum persolvisset, Petrum quemdam cognomento Mongum sua sibi auctoritate episcopum eligunt*. Quibus dictis statim subdit: *Quod ubi Zenoni nuntiatum est, vehementer eum conturbavit, ac Petrum quidem Zeno morte multandum censuit*. Hanc forte Zenonis sententiam Acacius iis, quae mox adjungit, insinuat: *ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur*.

[12]) Ita D[2] H[6] N[3] I O et vulgati; d[2] *uno solo ... exsistebat*.

[13]) Plures mss. *indicans*, minus apte. Ipse *judicasse* se videtur tenebris dignum, qui latebris se ipse damnavit. — Paulo ante d[1] *nec tamen;* d[2] omittit *de se*. quod cum vulgatis et mss. D[2] I O (H[6] ejus loco *est*) retinemus.

[14]) a[1] cc addunt *subditur*, quidam mss. *subditus*, quod verbum abest a potioribus mss. Mox d[2] *exemplum*, D[2] *ad exemplum*. Davidi comparatur Timotheus Salophakiolus quum ob insitam mansuetudinem tum ob pristinam potestatem sibi restitutam. De cujus mansuetudine Liberatus l. c. cap. 16 haec prodidit: *quoniam sic mitissimus erat in episcopatu, ut etiam a suis communicatoribus accusaretur imperatori tamquam nimis remissus et circa haereticos placidus*.

[15]) Ita d[2] secundum suos codices, quibus consentiunt D[2] D[6] D[7] D[8] H[6], nisi quod D[7] *vocibus*, D[6] D[9] *vocis*. Vulgati et a[3] *accipiens*, d[1] *filiorum votis accepit gratiam curationis. Exspectat ergo praemium multiplicato*, quae lectio parum sincera videtur et interpolata. Quae vero sint illae *voces spiritualium filiorum*, quibus Timotheus quasi restitutionis suae laetum assensum et futurae Alexandrinorum curationis signum accepit, ex his Liberati l. c. cap. 16 verbis intelligitur: *Amabant eum Alexandrini et clamabant in plateis et in ecclesiis: „vel si tibi non communicamus, tamen amamus te“*. Unde *spiritualium filiorum* nomine non ii intelligendi, qui secundum spiritum vivant, sed in quos spiritualis Timotheo potestas et paterna erat auctoritas, etsi etiamtunc extra ejus communionem curationis gratia egebant. Quae gratia eo magis Timotheo speranda videbatur, quo se ab illis propensius amari cernebat.

Digitized by Google

imperatore et[16]) pro nobis ipsis. Nihil enim praetermittitur eorum, a. 478.
quae ad custodiam ecclesiasticae respiciunt disciplinae. Universam fraternitatem, quae[17]) vobiscum est, in Christo et ego et qui mecum sunt salutamus. *Et alia manu.* In Domino[18]) conserveris, sanctissime et beatissime pater!

Epistola 9.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

a. 478 d. 13. Mart.

p 7 *Gratulatur Simplicius, quod Timotheus catholicus Alexandrinae ecclesiae sit restitutus, ac moneri eumdem vult, ut admissam quondam recitato inter altaria Dioscori nomine labem diluat.*

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Quam sit efficax supplicantium Domino perseverantia sacerdotum, et quam jucundo gratuletur effectu[1]) studium, quod defensioni fidei sinceris mentibus exhibetur, litteris tuae dilectionis agnoscitur, quando post tanta certamina, quibus Dei misericordia in causa propriae religionis famulos et ministros suae constituens potestatis, probatissimos sibi fecit esse victores. Siquidem Alexandrina ecclesia divino tandem judicio liberata, in consortium communium nos advocans gaudiorum, eum, qui ab haeretico fugatus fuerat, ad ejus sedem rediisse testaris. Unde animis exsultantibus ad universalis Ecclesiae quietem Christo Deo nostro pro salute primum fidelissimi principis supplicamus, cui pro devotione, qua cunctos antevenit sacerdotes, pietas haec divina concedit, quae nos liberos pro populis Christianis apud omnipotentiam coelestem praestat interpretes. Sicut ergo in reditu fratris et coepiscopi nostri Timothei gratulamur, ita eum commonente dilectione tua cupimus irreprehensibilem reperiri[2]): qui meministi hoc, eum jamdudum fidelis praesulis non habuisse constantiam, quando ei, ut damnati Dioscori nomen inter altaria recitaretur, extortum est. Data tertio Idus Martii Illo[3]) viro clarissimo consule.

---

[16]) D^3 secundis curis *et pro ipsis et pro nobis ipsis.*

[17]) Ita E^1 E^2 F^2 H^s I O a^3 cc. At d^1 d^2 cum mss. D (etiam 2 β D^6 D^9) *quae nobis est.* Paulo ante d^1 *fraternitatem vestram.*

[18]) Mss. I O i^2 *In Domino ora pro nobis justissime pater.*

[1]) Editi *affectu ... constituens potestati.* G^1 sequimur.

[2]) Johannem Talajam mortuo Timotheo accusatum Constantinopoli esse scribit Liberatus l. c. cap. 17, quod hic ipsi auctor fuisset, ut id sibi extorqueri sineret.

[3]) a^1 *ill.*, ut pronomen, quod substituere solebant antiqui loco nominis proprii, quod vel ignorabant vel dissimulabant, cujusque loco recentiores ab aliquot saeculis litteram *N.* pingunt. Pro *Illo* autem, quod proprium est consulis anni 478 nomen, in vulgatis Liberati exemplis *Ellus* legitur, quamvis in scriptis, consentientibus Graecis scriptoribus, *Illus* ubique occurrat.

Digitized by Google

Epistola 10.

(i. 13 Mart. et 17 Oct. a. 478.)

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

Imperatori gratias agit ob Timotheum Alexandrinae ecclesiae restitutum (*n.* 1), p. 7
eumque rogat, ut Petrum ejusdem ecclesiae perturbatorem hinc longius expelli jubeat (*n.* 2).

Simplicius episcopus Zenoni Augusto. **Per[1]) Petrum virum spectabilem comitem Placidiae nobilissimae feminae.**

1. Olim divinorum exsultatione munerum triumphalis in Domino regni vestri gloria dilatata[2]), cum universalis Ecclesiae gaudio mediocritatis meae litteras obtulisse memini, nec inter universos catholicae fidei sacerdotes opera Domini nostri vel solus potui tacere
2 Cor. 11, 28. vel primus: quia secundum beatum Paulum apostolum ecclesiarum omnium curam sustinens, mihi summam gaudii de reddita per[3]) clementiam vestram earum quiete specialiter vindicavi, quod vos Divinitatis auxilio dejectis religionis et regni hostibus meruerimus habere victores, et in uno eodemque proventu, Christo in vobis ubique vincente, et cultus verae fidei et status est reparatus imperii; quod utrumque ideo fuerat diabolo se ad tempus interserente turbatum, ut alterutrius adversariis dissipatis, praeconia fierent majora vincentis. Unde tam praeclarae fructum virtutis adeptus, cum laetitia universalis Ecclesiae nunc quoque, quod[4]) sine cessatione facio, tacere non possum gratias sine dubio perennes, quod antiquae veraeque fidei in fratre et coepiscopo meo Timotheo Alexandrinam ecclesiam reddidistis; cujus ad me nuper litterae commeantes, expulsa profanitate Eutychetis atque Dioscori damnatorum, ad regendos orthodoxos beati Pauli et evangelistae Marci sedem, quod ante compertum est, se recepisse memoravit[5]), incitans nos volentes, ut haec ipsa pietatis vestrae sensibus referremus.

---

[1]) Male hactenus hujus epistolae exordium ab his verbis ductum est, quibus haud dubie is designatur, cujus opera transmissa est, sicut diserte epist. sequ. n. 2 Simplicius testatur, *Occasionem filii nostri Petri*, inquiens, *viri spectabilis comitis quasi ex sententia proficiscentis amplexi* etc. Hinc et observare libet, quod jam alias diximus, hujusmodi notas litterarum subscriptionibus subjici non praeponi solere. Jam quo tempore haec scripta sit, commodius in sequentem epistolam discutiemus (cf. supra pag. 7).

[2]) a^3 cum Vat. *dilatata*, G^1 a^1 cc *dilatatur*. Mox G^1 *mediocritati*, deinde editi *meminerim*. Hic Simplicii epistola 6 et tempus illud memoratur, quo Zeno Constantinopolim reversus Basiliscum ex ea urbe et imperio pepulit.

[3]) Ita G^1, nisi quod postea *religionis in regni* habet. Editi *pro clementia vestra ... in nobis*.

[4]) Editi omittunt *quod*. Iidem mox *Petri*, ubi G^1 *Pauli*, contra omnem antiquitatis traditionem, si ibi Alexandrina ecclesia notetur.

[5]) Ita G^1 G^2, nisi quod G^1 *nostrae*; editi *commemoravit ... vestris sensibus*. Paulo ante G^1 omittit *ad* (ante *regendos*).

Digitized by Google

2. Ut ergo tranquillitas vestri perpetua et fixa sit regni, quie- a. 478.
tem, quam cunctis in memorata ecclesia praestistis, pervigili protectione munite[6]); et quod juvante vos Domino pro innocentium salute fecistis animarum, religiosiore studio et diligentia attentiore protegite: quia non minoris est gloriae, quod condideris servare quam condere[7]), et omnibus est probatum, tantum vobis divini favoris impensum, quantum Christianae religioni a vestra pietate est sedulitatis exhibitum. Et quamvis in omni parte regni sui profutura divino[8]) cultui providentia vestra non desistet curis publicis tranquillitatem Ecclesiae praeferre, precor tamen, ut quod per nos serio postulat, immo quod ipsi specialius supplicamus, Petrum Alexandrinae ecclesiae pervasorem et ob hoc jure damnatum, quia moliri quaedam latens in Alexandrina, sicut ad nos scriptum est, civitate contra haec quae a vobis sunt statuta memoratur, ad exteriora transferri piissima praeceptione jubeatis, ne aliquos modicae fidei, quod facere perhibetur, inficiat et ad perversitatis suae instrumenta traducat. Longe sint ab innocentibus perniciosa contagia, ut per vos intra dominici gregis ovile sit sinceritas, quam sola tenere potest imperialis auctoritas.

Epistola 11.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

(a. 478 eod. temp.)

Timotheum per legatos erroris veniam petiisse (n. 1). Agendum apud imperatorem, ut latentes haereticos maximeque Petrum Mongum procul in exsilium pelli jubeat (n. 2). Satisfactionis eorum, qui lapsi fuerant, libellum sibi a Timotheo destinatum esse nuntiat (n. 3).

Simplicius episcopus Acacio Constantinopolitano episcopo. **Per quem supra.**[1])

1. Quantos et quam uberes fructus constantia[2]) fidei et devotarum circa religionem catholicam mentium semper habeat fortitudo, labor tuae dilectionis et eorum, qui pariter repente diabolo jamdudum turbabantur[3]), ostendit. Nam quum Christi inimicus et regni Christianam semper aulam mox casurus invaderet atque impia per-

[6]) Ita $G^1 G^2$, vulg. *custodite*. Idem imperator rogandus in sequ. epist. n. 2 dicitur, *ut catholicae religionis salutaria scripta mittendo munire dignetur ecclesias.*

[7]) Ita cum *b* correximus, ubi editi *concedere* (G^1 *cedde*). a^3 potius ante legendum suspicatur *quod cum dederis.*

[8]) Ita G^1; editi *divina ... desisteret*. Deinde G^1 *praeferatis.*

[1]) Ex $G^1 G^2$ restituimus *Per quem supra.*

[2]) Ita $G^1 G^2$; vulg. *constantiae.*

[3]) Ita $G^1 G^2$; vulg. *turbantur ... regni Christiani.* In sequentibus epistolae 8 et 9 indicantur.

Digitized by Google

a. 478. secutione fideles Domini plebemque concuteret, oratione atque vigiliis sacrilega tentamenta superavit, et se victoria coelestis eo usque porrexit, ut regressu religiosissimi principis ecclesiae quoque Alexandrinae catholicus redderetur antistes; de quo mox cum exsultatione divinae gratiae gaudia nostra contulimus, et mutuis nos litteris fecimus gratulari. Et licet laetitiae ipsius nunquam sui defuerit plenitudo, tamen frater et coepiscopus noster Timotheus persecutione probabilior factus, pristini non immemor instituti, per fratrem et coepiscopum Esaiam et filios nostros Nilum presbyterum et Martyrium diaconum Alexandrinae ecclesiae sollemnia scripta direxit, quibus et illud, quod ante perterritus de Dioscori nomine fecerat, se destruxisse memoravit, et remissionem ipsius erroris expetiit, nosque de quiete fecit Ecclesiae gratulari, expertus erga se, quantum nobiscum tua caritas videt, quod in eo tunc reprehendimus, non inultum, et reconciliatum sibi nunc divinae miserationis affectum, frater carissime.

2. Memoratis in urbe, quo[4]) mox venerant, constitutis occasionem filii nostri Petri, viri spectabilis comitis, quasi ex sententia proficiscentis amplexi, tam nostro proposito quam petitione fratris et coepiscopi nostri Timothei legatorumque ipsius precibus idipsum ad tuam voluimus pervenire notitiam: ut etiam nunc communium fieres particeps gaudiorum, et in praedictae ecclesiae tranquillitate, quemadmodum diximus, laboris tui nobiscum carperes fructum, et Christianissimo et clementissimo[5]) principi nostras litteras offerens super hac etiam re, ut et ipse quoque devotionis et fidei propriae donis Deo se protegente laetetur, atque insistente caritate tua acrioribus studiis catholicae religionis salutaria scripta mittendo munire dignetur ecclesias. Ne, sicut experti sumus, in aliqua regione[6]) antiquus ille serpens toties excisi capitis virus effundat, et inficiendi aliquos occasionem, quod absit, rursus inveniat, provida praeceptorum suae pietatis ordinatione disponat. Religiosis et, sicut evidentius approbavit, Deo[7]) se commendantibus legibus sanciat, ne vel in tenebris delitescant, et improvisi ambulantes in luce percutiant, et his, quos in fide pau-
Ps. 10, 9. peres esse repererint, quod propheta testatur, *insidietur ut rapiat.* Petrum maxime, qui nonnullarum domorum suique similium latebris

---

[4]) In G^1 G^2 hic lacuna; a^1 cc *quae*, b *qui*, orationis series praeferendum suadet *quo*.

[5]) c^7 *eminentissimo*, librarii, ut videtur, oscitantia. Epistola hic memorata est proxime antecedens ep. 10.

[6]) a^1 cc *religione*, b *regione*.

[7]) Vox *Deo* ita collocatur, ut et ad verbum *approbavit* et ad *se commendantibus* aeque referatur. Jam autem Deo se commendavit Zeno lege lata, qua *cuncta quae Basilisco tyranno in encyclicis* litteris constituta fuerant, abrogavit (Evagr. H. E. III, 8).

Digitized by Google

confovetur, et quem zelo fidei ab episcopatu constituit submoveri, a. 478.
in exteriores terras abjici, sicut et nos pietati ejus scripsimus, ad ecclesiasticam pacem speciali praeceptione decernat, quia rursus asseritur aliqua contra dispositionem fidei ipsius sine cessatione moliri.

3. Quia igitur haec opportunitate perlatoris fidissimi nos oportuit indicare et specialius admonere, hortamur, ut quum internuntius remeare coeperit, vel si qua forsitan altera occasio reperietur, quamprimum nos facias certiores et curam nostram sublevare deproperes. Ut autem perfecto gaudio gauderemus, idem frater et coepiscopus noster Timotheus exemplum libelli[8]) satisfactionis eorum, quos a catholicae fidei veritate Timotheus et Petrus[9]), utrique damnati, damnationis terrore traduxerant, veniam postulantium[10]) ad nos pariter destinavit, sacerdotali pietate lapsis subvenire desiderans; quod divinae miserationis intuitu, quae meminem vult perire, refutabile non putamus.

Epistola 12.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

a. 478 d. 17 Oct.

Ut Petrum longius ab Alexandrina civitate relegari Zeno decernat.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

Proxime quidem quum ad urbem frater et coepiscopus mediocritatis meae Timotheus Alexandrinae urbis antistes novato more misisset, victoriam vestrae fidei in ejus restitutione cognovi. Pietate enim vestra fulta Divinitatis auxilio, et imperii tranquillitas et catholicae religionis splendorem suum, scandalorum nube discussa, revertit[1]) integritas. De quo me gratias post Deum clementiae vestrae egisse reminiscor, et nunc quoque cultum vestro regno debitum silere non potui, ne quodammodo viderer ingratus, si vobis qualibet opportunitate vel imperii vel ecclesiarum laudare desisterem tot triumphos. Exhibens ergo debitae venerationis officium precor, ut studiosius circa universos rectae fidei sacerdotes et maxime circa Alexandrinum episcopum, cujus certaminis et testes fuistis et judices, protectionis impendatis auxilium, et decernatis piissimis constitutis, Petrum sedis ipsius pervasorem, cui nec in diaconatu suus potuit

[8]) Ei scilicet ni fallor simile, quod Acacio ab episcopis Asianis missum esse Evagrius H. E. III, 9 memorat.

[9]) Hoc nomine non *Petrum Mongum*, qui Alexandrinam ecclesiam occuparat, sed *Petrum Fullonem*, qui in Antiochenam invaserat, designari planum est ex Evagrio H. E. III, 5.

[10]) Ita G[1]; vulg. *postulantes*, a[3] *postulantis*.

[1]) G[1] *revertit*, ed. *receptit*.

Digitized by Google

a. 478. ordo[2]) constare, longius a tam praeclara civitate relegari, ne infirmioris[3]) fidei aliquos forte seducat, et in eadem ecclesia, quod absit, quae sopistis scandala rursus exagitet. Probastis in corpore illum vobis dexterae suae dedisse praesidium, qui ad totius orbis gaudium et in Ecclesiae universalis exsultationem in vestra clementia Romanum servat imperium. Data[4]) XVI Calendas Novembris Illo viro clarissimo consule.

Epistola 13.

a. 478 d. 17 Oct.

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Ut Acacius Petrum Mongum procul ab Alexandrina regione per imperatorem amandari curet. p. 7.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

Proxime quidem dilectioni tuae, petentibus his, qui ad nos a fratre et coepiscopo nostro Timotheo Alexandrinae ecclesiae antistite directi fuerant, commune gaudium litteris indicavi, et de fructu piissimi operis, quod catholicus memoratae ecclesiae sacerdos est restitutus, pariter nos gaudere memoravi; quod nunc quoque significare properavimus, ut agnosceres gaudia silentium non amare. Unde semper exsultans et orationum communium cupiens vota sociari, hortor, frater carissime, ut rebus per clementissimum et Christianissimum principem Deo auctore compositis diligentiae sollicitudo non desit; sed Petrus ab indebito sibi honore dejectus, in Alexandrina regione non sinatur habitare, sed procul extra terminos patriae, sicut etiam nos poposcimus, frequenti eum postules suggestione relegari, ne quos imperitorum[1]) pravitatis suae persuasione seducat et a catholicae tramite veritatis avertat. Quidquid autem

---

[2]) Haec verba Baronius ita interpretatur: *Inter alia illud* (Simplicius) *de scelesto homine prodit, quod arroganter episcopum ageret Alexandrinum, quem nec constare posset ordinatum aliquando fuisse diaconum.* Sed ex *gestis de nomine Acacii*, in quibus et hunc Petrum, dum adhuc esset diaconus, una cum Timotheo Aeluro a Proterio damnatum esse traditur, verior eruitur eorumdem verborum sensus: nempe suum *in diaconatu ordinem* Petro *non constitisse*, non quod incerta esset ejus ordinatio, sed quod damnatus e gradu suo deciderat. Ita intellexit Liberatus breviar. c 16, ubi Simplicium significasse ait, *Petrum Mongum in diaconatu esse damnatum.*

[3]) G[1] et vulg. *infirmiores.* Legendum esse *infirmioris*, liquet ex superiori epistola 11, ubi idem haereticus Alexandriae *aliquos modicae fidei* inficere scribitur.

[4]) G[1] *data id. X Klr. Novemb. illus vc css*, vulgati *data X Cal...* Omissum fuisse *VI* suasit subnexa epistola 13; utramque enim simul eodemque tempore datam esse liquet. Certe si retinendum esset *X*, haec epistola sequenti postponenda esset.

[1]) h. e. *ne quos simpliciorum*, seu ut in proxima epistola legebamus *ne quos infirmioris fidei.*

Digitized by Google

de religiosissimo impetrabis Imperio, cura tuae dilectionis ad meam notitiam faciat pervenire, et nos actuum ad custodiam evangelicae doctrinae pertinentium det esse consortes. Data XVI Calendas Novembris Illo viro clarissimo consule. a. 478.

Epistola 14.

Simplicii papae ad Johannem Ravennatem episcopum.

a. 482 d. 29 Maj.

p. 8. *Johannem arguit Simplicius, quod Gregorium invitum episcopum ordinarit (n. 1), Gregorio Mutinensem ecclesiam administrandam tradit, et causarum ejus cognitionem sibi reservat (n. 2). Simul pensionem eidem ad vitam adsignans (n. 3), Johanni, si in posterum simile quid tentarit, ordinationum jus auferendum indicit.*

Simplicius episcopus Johanni episcopo Ravennati.

1. Si [1]) quis esset intuitus ecclesiasticae disciplinae, vel si quid apud te sacerdotalis modestiae teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus. A quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere praecepto, saltem sanctae memoriae praedecessoris tui fueras revocandus exemplo, qui [2]) quum minus deliquisset faciendo presbyterum invitum, senserat tamen dignum pro tali usurpatione judicium. Ubi ista didicisti, quae in fratrem et coepiscopum [3]) nostrum Gregorium non electione sed invidia perpetrasti, quem inexcusabili violentia pertrahi ad te passus es atque vexari, ut ei honorem tantum non per animi tranquillitatem sed per amentiam, sicut dicendum est, irrogares? Neque enim talia potuissent fieri sanitate consilii. Nolumus exaggerare quod gestum [4]) est, ne cogamur judicare quod dignum. Nam privilegium meretur [5]) amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

[1]) Ivo V, 140 *Si quid esset intuitus ad normam ecclesiasticae* etc.

[2]) Mox H h[1] h[2] *qui quum faciendo presbyterum minus deliquisset invitum.* Johannis proximus decessor ab Ughello ponitur Neon, ad quem exstat Leonis papae epist. 166. Quum tota ecclesiasticae institutionis ratione tum Majoriani Novella 11 prohibitum erat, *ne quis clericus invitus ordinaretur.* Unde Gelasius episcopo querenti, quod diaconi ordinari nollent presbyteri, quibus ipsius ecclesia indigebat, respondit fragm. 10: *invitos* (presbyteros) *fieri ecclesiastica moderatio gravitasque non patitur;* quia, inquit Gregorius epist. I, 19, *justum est, ut nemo crescere compellatur invitus.*

[3]) Non igitur ideo culpatus Johannes, ut interpretatur Baronius, quod ad sacerdotium Gregorium invitum promoverit, sed quod eum non minus reluctantem creaverit episcopum. Quum itaque ille et decessor ejus pariter in eo peccassent, quod uterque invitum creasset, mox tamen levior dicebatur decessoris culpa, qui solius presbyterii, non episcopatus gradum contulisset. Suspicatur praeterea Simplicius invidiae crimen in Johanne, qui hac arte Gregorium a clero suo removit, quem forte eximiis dotibus conspicuum et suis obstruentem luminibus iniquo animo ferebat.

[4]) H[7] H[8] H[10] Z h[1] h[2] *quod gestum est,* c[7] seq. *quod dignum.*

[5]) Plerique mss. *mereretur*, quod sequens verbum *abutitur* respuit. Citatur

Digitized by Google

a. 482. 2. Sed una nos ratio facit esse sententiae mollioris[6]); quam maluimus te fratre et coepiscopo nostro Projecto referente cognoscere, non nostris litteris propter opprobrium publicare. Nam scandalum, cujus auctor cognosceris, ita moderatio nostra compescuit, ut frater et coepiscopus meus[7]) Gregorius, quem non provectum constat esse sed pulsum[8]), nullam causam, sicut petiit, tecum habiturus, Mutinensem gubernet ecclesiam, et contubernium spiritale, quod sortiri non oportebat invitum, non recuset amplecti. Cui si quid negotii forsan emerserit, nostrum ab[9]) eo vel contra eum petatur examen.

3. Necessitatibus etiam, quas faciente te compellitur sustinere, hac definitione consulemus[10]), ut refuso praedio, quod ante annum sibi datum esse commemorat, atque ad ecclesiam Ravennatem reverso, possessio in Bononiensi triginta solidorum redituum liberorum sine dubitatione tradatur in diem scilicet vitae ejus, salvo proprietatis jure Ravennatis ecclesiae, ad quam post praedicti obitum revertetur.

4. Quod si non fuerit nostris paritum constitutis, quid post transgressionem maneat contumacem, ipse perpendis. Denuntiamus autem, quod si posthac quidquam tale praesumpseris, et aliquem seu episcopum seu presbyterum seu diaconum invitum facere forte credideris, ordinationes tibi Ravennatis ecclesiae vel Aemiliensis noveris auferendas. Data IV[11]) Calendas Junii Severino viro clarissimo consule.

Epistola 15.

(a. 482) (479?) d. 22 Jan.

Simplicii papae ad Zenonem imperatorem.

p. 8

Simplicius Zenonis laudat studium in puniendis caedis episcopi Antiocheni auctoribus (n. 1). Hinc recolit, quam necessaria fuerint sua ipsius consilia de pellendis extra imperii metas hujusmodi hominibus (n. 2). Antiocheni episcopi ordinationem Constantinopoli factam oblatis conditionibus confirmat (n. 3). Ut haereticos ab hominum societate auferri Zeno jubeat repetito sermone instat (n. 4).

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

1. De ecclesia Antiochena venerandos mihi semper vestrae pie-

---

hic locus a Nicolao I ep. 47 ad Hincmarum, sicut a Gratiano c. 7 D. 74 et (sed ibi false *ex Regesto Gregorii* inscript.) c. 63 C. XI qu. 3.

[6]) H[7] H[8] *melioris*. *Projecti* cujusdam ab ecclesia Fori Cornelii in episcopum cooptati et a se consecrati meminit s. Petrus Chrysologus serm. 165.

[7]) H[6] *noster*.

[8]) Scilicet a clero Ravennatis ecclesiae, in qua, ut credere par est, eminebat.

[9]) cc *ex eo*, rectius H[7] H[9] H[10] h[1] h[2] a[1] *ab eo* h. e. si vel ipse pro se vel alii adversus eum nostrum examen petant, adeo ut Simplicius sibi ejus causas reservet, sive reus sit sive actor.

[10]) H[10] secunda manu *consulimus*, moxque in omnibus mss. *ibi datum*.

[11]) Sic plerique mss. (etiam H[7] H[10]) et h[1] h[2]. At H[8] cc *III Kal.* Unde autem Baronius hanc epistolam *X Kalendas Julias* scriptam dixerit, nos fugit.

Digitized by Google

tatis apices gavisus accepi, quibus ingenito vobis studio catholicae religionis post defensionem fidei, quae vos servat ac custodit, impietatis audaciam et facinora apud Antiochiam perpetrata coercita reperimus: exsultantes, vobis inesse animum fidelissimi sacerdotis et principis, ut imperialis auctoritas et juncta Christianae devotioni acceptabilior Deo fieret, et appareret integritas, quum hi, qui in episcoporum neces [1]) sacrilega caede versati sunt, dignis jubentur perire suppliciis. In quo et quieti ecclesiasticae et vestro consuletis imperio: quia vindicata Dei contumelia ulciscentis est gratia, et conciliatur his divini favoris auxilium, quorum cura sacrilegium non reliquerit impunitum. a. 482 (479?)

2. Sed ut loquar fiducialiter principi Christiano, si praeteritarum litterarum [2]), quas de Petri aliorumque nomine jamdudum ad fratrem et coepiscopum meum Acacium scripsisse memini, ordo teneretur, ad hoc non potuit pervenire, quod jure nunc meruit vindicare. Mandaveram namque, ut facta suggestione pietati vestrae, praedictus ut [3]) et ceteri, qui per occasionem tyrannicae dominationis invaserant ecclesias Dei, extra metas vestri pellerentur imperii, ne pestiferi [4]) sensus quibusquam simplicioribus ore sacrilego virus infunderent, et verbis impiis contra fidem orthodoxam innocentiores animas sauciarent. Quantum [5]) apparet, quum minus ista curantur et levia esse creduntur, actum est, ut, quemadmodum perhibetis, inter altaria non jam plebs persuasionibus eorum, sed ipsi quoque praesules et praedicatores fidei perirent funestis gladiis sacerdotes. Unde si quae et aliae reliquiae sub vestro reperiuntur imperio, eas vel nunc in exteriores terras jubete propelli, ne qua deinceps in eo sit necessitas et causa supplicii; quia melius est aditum obstruxisse quam poenam exegisse peccati.

3. Et quoniam seditiones Antiochenas religiossissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi praeter praejudicium venerandi illius concilii Nicaeni apud Constantinopolim iisdem petentibus or-

[1]) ***Episcoporum neces*** pro Stephani Antiocheni nece dictum ad majorem emphasim; id quod Simplicio est familiare, ut in superioribus litteris in unum Basiliscum invehens *tyrannos, incubatores casuros* et similia inclamat. Stephanum autem praeacutis Antiochensium puerorum calamis miserabiliter confossum et interfectum fuisse, Evagrius H. E. III, 10 ex Johanne rhetore tradit, quibus Theophanes concinit et synodicus libellus. Unde infra Simplicius, ubi eum inter altaria *gladiis* peremptum innuit, generali *gladiorum* vocabulo cruentam omnino necem indicare voluisse intelligendus est. Hoc facinus Theophanes patratum esse docet in s. martyris Barlaam baptisterio.

[2]) cf. supra epist. 7 n. 3 et 11 n. 2.

[3]) scil. Petrus Fullo, quem idem Theophanes chronogr. pag. 107 tradit Pityonta in Ponti fines ab imperatore relegatum delusis custodibus aufugisse.

[4]) Ita G[1]; editi *pestiferis sensibus quibusque.*

[5]) Ita G[1]; vulg. *quod tum apparet ... quae aliae.*

Digitized by Google

a. 482 (479?) dinaretur antistes; quod in ejus tantummodo persona sic memorastis assumptum, ut deinceps secundum definitiones patrum Orientali synodo creatio Antiocheni pontificis reservetur, nec haberi loco vultis injuriae, quod dissensionis gratia factum est auferendae: tenet hanc pietatis vestrae beatus Petrus apostolus sponsionem, et Christianissimi fidelissimique principis mentem in haec verba jurasse, quod posthac in Antiochena urbe veteri more servato[6]) a comprovincialibus suis episcopus ordinetur, ne quod nunc frater et coepiscopus meus Acacius vobis est jubentibus exsecutus, in usum posteritatis veniat, et statuta patrum, quae praecipue praestatis illaesa, confundat. Unde quae a vobis amore quietis sancte et religiose sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenae ecclesiae sub nostra dubitatione videatur ambiguus; praecipue quum is qui legitur ordinatus[7]), testimonio clementiae vestrae et tanta sit praedicatione subnixus, ut[8]) in eo praeter horum vulnerum dolorem posito possimus et ecclesiae, quae illum meruit, gloriari.

4. Haec repensis sermonibus et venerationis officio respondere curavi, ut tantas haereticorum fraudes et facinora divinis et saecularibus legibus persequenda, quae saepius probatis esse tam noxia, de memoria et conversatione hominum jubeatis auferri, quorum impietas[9]) nulla, quantum videtis, potest auctoritate compesci. Data X Calendas Julias post consulatum ill. viri clarissimi.

---

[6]) Antea jam Maximi Antiocheni consecrationem Anatolius sibi attribuerat, sed *contra canonicam regulam*, ait Leo epist. 106 n. 2, unde epist. 104 n. 5 cum eo expostulat, *quod Antiochenae ecclesiae contra statuta canonum episcopum ordinare praesumpsit.* Infra visuri sumus, Dioscorum Hormisdae papae legatum ipso jubente pontifice intercessisse, ne Antiochenus episcopus Constantinopoli ordinaretur (Horm. epist. 75 n. 1). Sin vero aliud exigeret Ecclesiae necessitas, tum jus nullum, qui ordinaret, in ordinatum acquirere posse, docet Pelagius I fragm. 5 n. 2.

[7]) Calendio videlicet, ut fidem facit nota in G[1] epistolae sequentis inscriptioni adjuncta. Quam quidem confirmant quum *gesta de nom. Acacii*, sub quorum finem Calendio ab Acacio ordinatus dicitur, tum Evagrius H. E. III, 10, qui Calendionem Stephano martyri successisse tradit, ac denique alii. Neque vero admitti ullo modo potest Valesii opinio, qui Stephanum seniorem a perfidis caesum ponens, quae hic narrantur in Stephani junioris ordinatione contigisse existimat, ac nihilominus Calendionem Constantinopoli ab Acacio ordinatum esse concedit. Sane quam procul Simplicius ab excusanda hujusmodi ordinatione abfuisset, si hanc sibi rursus Acacius arrogasset spretis sacramentis ac fide, quam post Stephani junioris consecrationem dedisset! Eo intervallo, quod a 25 Aprilis ad 22 Junii diem excurrit, Calendionem ordinatum esse quum ex hac epistola tum ex Martyrologio Romano, quod ad praedictum Aprilis diem 25 s. Stephani episcopi Antiocheni meminit, colligitur.

[8]) G[1] corrupte *ut in eo et praeter horum vulnerum dolor posito primi* (*pmi*) *et ecclesiae*; tum b *gratulari*, rejecto ad marginem *gloriari*.

[9]) G[1] *impietas* (editi *impietatis*), et mox *Data X Ktr iul. post conss illuc*, unde vulgati *Data X Cal. Jul. post consulatum Illi viri clarissimi.* Mendosam autem

Digitized by Google

Epistola 16.

(a. 482.) (479?)

Simplicii papae ad Acacium Constantinopolitanum.

p 8. *Ita excusat Simplicius, quod Acacius imperatoris jussu et quietis causa Antiochenum antistitem ordinarit, ut deinceps Antiochenae ecclesiae sua velit jura servari.*

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantipolitano[1]).

Clementissimi principis litteris tuaeque dilectionis de sacrilega et funestissima caede, quae apud Antiochiam facta est, sauciatus et nimium affectus moerore, respondeo: adstruens, si, quae jamdudum de Petro atque[2]) aliis complicibus eorum scripseram, et ut pietati ejus cum ceteris qui aderant fratribus suggerere postularam, ut oportuerat, ordinatum fuisset, haereticorum temeritas ad tantum facinus non veniret, nec[3]) aliquid necessitatis exsisteret, ut non aliter praedictae subveniretur ecclesiae, nisi ut aliquid de jure ejus curatio ipsa minueret. Quamvis enim profecerit ad quietem, quod Christianissimi principis jussione vel sine praejudicio canonum a tua caritate fuerit Antiochensibus episcopus ordinatus, tamen non est sine invidia factum, cujus cavendum deinceps etiam ille testatur, qui praecepit,

---

hanc esse notam consularem, monet Pagius ac pro *Illi* legendum vult *Placidi*. Certe si quae hic de Antiocheni episcopi nece et de ejus consecratione deliberantur, cum his, quae in duabus sequentibus epistolis de eadem re disseruntur, conferamus, haec in annum 482, non in a. 479, qui Illi consulatum excepit, convenire largiendum est. Hinc tamen moveri quis posset, quod quum quinque alias Simplicii epistolas habeamus anno 482 datas, earum nullae *post consulatum Placidi*, sed omnes excepta una, quae nota chronica caret, *Severino cons.* consignentur. Quamquam recte monet laudatus Pagius, ab usu haud abhorrere, ut idem annus vel eorum consulum, qui hoc munus gererent, vel eorum, qui ante gessissent, nominibus promiscue indicaretur. Ac dilucidatur error, sive cum Pagio loco *Placidi* detritis aliquo casu prioribus litteris *Illi* erronee lectum volueris, sive fidem archetypi retinens vocem *ill.* loco nostri *N. N.* provisorie pro nomine proprio a librario positum fuisse malueris. Quod eo magis arridet, quia ab Odoacris invasione (anno 476) per plures annos consulum creatio ita turbata est, ut vel Oriens vel Occidens eorum nomina aut omnino ignoraret, aut certe serius, saepe demum circa finem anni, rescisceret, aut etiam reprobaret itaque consulto sileret (conf. Rossi *Inscript. Christian. Urb. Romae.* n. 846, 868, 878, 882, 899, 900 al.). Quamquam *Placidi* quidem anni 481 consulis nomen Romae notum et usurpatum fuisse illius aetatis inscriptiones fidem faciunt (conf. Rossius l. c. n. 873—876). Contra autem Severini Occidentalis anni 482 consulatus in aula Zenonis aut non innotuisse aut agnitus non fuisse videtur (conf. Rossius l. c. pag. 390).

[1]) G[1] ita inscribit hanc epistolam: *Simplicius epṡ acacio ordinato ab eo Kalendione Antiocheno epō.*

[2]) Ita G[1]; editi *et ... ut optaverat.*

[3]) Ita G[1]; vulg. *ne aliquid.* Ex hypothesi, quod Antiochenis subveniri non potuerit nisi ordinato ipsis sed extra eorum urbem episcopo, ut scripserat Acacius, merito hujus ecclesiae vicem dolet Simplicius, quae curari non potuerit, nisi aliquid de suo jure in proprii antistitis ordinatione remitteret.

Digitized by Google

a. 482. (479?) exemplum. In quo pietati ejus gratias dignum est nos referre; quoniam ita gloriae suae moderatus est potestatem, ut fidelissima devotione patrum regulis submittere[4]), quae juberet, nec in auctoritatem recipi, quod sequenti constituit aetate prohiberi: ut scilicet in hac tantummodo persona, quam jussu ejus et studio quietis Antiochensibus, non tua usurpatione, antistitem consecrasti, quod factum est necessitate, sufficeret. In quo tuae dilectionis non irrationabilem cognoscimus fuisse famulatum: quia ecclesiarum jura respiciens, diu te non immerito suspendisse testaris, ne videreris ambire quod tanto principi et in tam gravi causa non poteras abnegare. Quapropter, frater carissime, institutorum veterum, quae in te sunt probata, non immemor, sicut veniale judicare non pervides, quod tibi certum est imperatum, ita ipse dans honorem patribus labora, ne necessitas sit ulla faciendi, quod optas nunc satisfactione purgari[5]).

Epistola 17.

Simplicii[1]) papae ad Acacium.

a. 482 d. 15 Jul. *Calendionis Antiocheni episcopi electionem confirmat Simplicius* (*n.* 1), *Acacii silentium de Alexandrina ecclesia simul arguens* (*n.* 2).

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

1. Antiocheni exordium sacerdotis[2]) qua ratione fuerit serius indicatum, quamvis minime nos latere potuerit, tamen et ipse vel

[4]) Hic supple *voluerit* aut aliquid simile, nisi forte *quae* delere malueris. Baronius, qui hic *submitteret* posuit, postea ad orationis integritatem substituere quoque debuerat *reciperetur*. Zeno autem addita clausula, qua Calendionem *sine praejudicio canonum* ordinari declaravit, sanctis Ecclesiae regulis potestatem suam submisit.

[5]) Hic observanda Simplicii prudentia singularis. Ita laudat et confirmat, quod necessitate exigente et jubente imperatore Acacius aggressus fuerat, ut non dissimulet, eum praeter jus fecisse, omnem ipsi aditum ad simile quidquam deinceps attentandum praecludens.

[1]) Una cum sequenti ex collectione Avellana in edit. Rom. et deinceps producta est. Nos novam earum cum dicto codice collationem instituimus.

[2]) Theophanes ad Christi annum 480 a Calendis Septembris inchoatum hoc *exordium* accuratius ceteris scriptoribus exponit his verbis: *Hoc anno Stephano Antiochiae episcopo fatis functo Stephanum alterum Zenonis imperatoris jussu in ejus locum ordinaverunt. Quem fidei perduelles pro sua in Petrum Fullonem propensione in amentiae subsidium furorem armantes in sancti martyris Barlaam baptisterio acutis calamis perfossum et necatum in Orontem fluvium projecerunt. Zeno porro facinus attentatum ulturus Acacio Constantinopolitano praesuli ut Antiochiae crearet episcopum mandavit, qui consecravit Calendionem.* Scriptores alios, qui Calendionem ab Acacio ordinatum pariter testati sunt, jam protuli. Quibus addo Theodoretum juniorem, qui senioris historiam ecclesiasticam continuavit et quinque libris auxit, et Theodorum lectorem, in cujus frgm. lib. II legimus: *Scribit hic Theodorus noster, Calendionem Constantinopoli ordinatum fuisse, cum Theodorito consentiens.*

Digitized by Google

synodus ipsius indicavit[3]). Quod sicut non optavimus fieri, ita fa- a. 482.
ciles excusationi, quam necessitas fecit, exstitimus: quia quod voluntarium non est, vocari non potest in reatum. Et ideo per fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium, qui ex praedicta regione directus est, litteris quoque tuae dilectionis acceptis, alterni vicissitudinem sermonis tuae reddidimus charitati, necessario fratris et coepiscopi nostri Calendionis sacerdotium gremio apostolicae sedis amplexi, in consortium nostrum per gratiam Christi Dei nostri tantae urbis antistitem collegii unione numeramus.

2. Miramur autem nihil nos de statu Alexandrinae[4]) ecclesiae te instruente didicisse, quem nunc ita habere se comperimus, ut improbi per occasionem obitus sanctae memoriae Timothei eamdem ecclesiam conentur habere captivam. Unde agendum est dilectioni tuae cum clementissimo principe, ne convellatur sub ejus imperio, quod tyranni[5]) temporibus potuit obtineri. Data Idibus Julii Severino viro clarissimo consule.

---

[3]) Hic colligitur, Calendionem, ubi Constantinopoli ordinatus est, continuo Antiochiam contendisse, deinde comprobata in Orientali synodo ejus ordinatione synodicam epistolam ejusdem indicem ad Simplicium misisse per *Anastasium* Orientis episcopum. Quum itaque ait Simplicius Calendionis episcopatus *exordium* sibi *serius* ipsius litteris *indicatum*, hoc dicit habita ratione temporis, quo illud ex imperatoris litteris didicerat. Victor Tununensis de Calendionis ordinatione praefatus subdit: *Orientales episcopi tamquam nescientes Johannem cognomento Codonatum eidem Antiochenae ecclesiae consecrarunt episcopum.* Quibus consentit Theophanes l. c.: *Antiochenses ordinationis factae nescii Johannem nomine Codonatum sibi praefecerunt, quem episcopum Calendio postmodum in Tyri sedem, quae post Antiochiam prima est, transtulit.* Verum his repugnat, quod Simplicius epist. 15 n. 2 ex fide Zenonis imperatoris scribit, Calendionem Antiochenis *apud Constantinopolim iisdem petentibus* ordinatum esse antistitem. Id vero Theophani et Victori dedit errandi causam, quod Felix papa, Gelasius et Liberatus de Johanne narrant, eum videlicet a Petro Fullone Apamenis ordinatum et ab eis rejectum, statim in Antiochenam ecclesiam ejecto ipso Fullone invasisse, ac demum Tyriis praefectum ab Acacio fuisse. Valesius quidem (in adnotat. in Evagr. III, 16 et maxime in dissert. ad ejd. op. calc. pag. 185) hunc Johannem, quem Tyriis praefecit Acacius, non alium esse censens ab eo, quem Victor et Theophanes Codonatum vocant, eorumdem narrationem adhibita quadam correctione admittit. Sed nova ejus hypothesis longe difficilius componi cum historica veritate potest. Quis enim credat, Johannem illum, quem Simplicius epist. 7 n. 3 *sub anathemate a Christianorum consortio vel appellatione* removerat, aut ab Antiochenis cooptatum aut a Calendione praefectum Tyriis fuisse, et eo praesertim tempore, quo et Zeno imperator et Acacius sese Simplicio addictos et catholicae fidei studiosos exhibebant. Nos igitur nullum *Codonatum* fuisse suspicamur, sed ex confusione eorum, quae de *Johanne Constantinopolitano* Simplicius Felix, Gelasius, Liberatus scripsere, conflatam esse Victoris ac Theophanis *de Johanne Codonato* fabulam.

[4]) Ita recte G[1], sicut jam b a[2] vulgatorum *Antiochenae* ex conjectura correxerant.

[5]) Basilisci videlicet, quamquam hujus tyranni temporibus Timotheus hae-

Digitized by Google

Epistola 18.

a. 482 d. 15 Jul.

Simplicii papae ad Acacium.

Mirari se significat Simplicius Acacii de rebus Ecclesiae silentium (*n.* 1). *Se secundum synodi Aegyptiae relationem ad Johannis Alexandrinae ecclesiae episcopum confirmandum comparatum litteris imperatoris ab ea re fuisse absterritum* (*n.* 2). *Litteris iisdem se comperisse, Petrum Mongum ad hujus ecclesiae regimen destinari, id quod nec liceat nec sine fidei catholicae discrimine possit admitti* (*n.* 3). *Quare ut Acacius tantis malis ac periculis imminentibus omni qua valeat virtute obsistat obsecratur* (*n.* 4). p. 206.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano. **Per Uranium.**[1])

1. Miramur pariter et dolemus, ita in tuae dilectionis animo dissimulatam lacerare curam caritatis et fidei, ut quum Christianissimus imperator pietatis et religionis instinctu affandi me et de causis ecclesiasticis consulendi fideles atque sollertes internuntios destinaret, ipse et alternae gratiae et vigilantiae pastoralis oblitus, nec alloqui nos volueris, nec de his, quae ad catholicae veritatis custodiam pertinebant, duxeris instruendos. Atque ideo, frater carissime, quae non immerito cernis libera affectione culpari, potiore diligentia repensanda[2]) cognosce. Proinde delegatum tibi munus impendens, sensus tuos prudenter attolle, et pro tuendis Calchedonensis synodi constitutis vehementer invigilia, ne per negligentiam desidiamque nostram subrepatur gregibus Domini lethale dispendium.

2. Nuper ab Aegyptia synodo, quae et numero plurima et fidei catholicae esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum clero Alexandrinae sedis ad nos ex more relatio[3]) missa pa-

---

reticus Alexandriam rediit, et Timotheus catholicus inde Canopum secedere coactus, non nisi post Zenonis reditum ad sedem suam revocatus est. Aliqua igitur hic timetur Alexandriae captivitas ea, quam sub Basilisco passa est, gravior.

[1]) Haec verba ex G[1] G[2] supplemus, ubi ea hujus epistolae inscriptio: *Simplicius epṡ acacio per Uranium.* Hunc autem Uranium *subadjuvam* fuisse, et Zenonis litteras, quae huic epistolae occasionem praebuere, detulisse, patet ex his *gestorum de nomine Acacii* n. 10 verbis: *Johannes oeconomus catholicus a catholicis ordinatur; qui quum de consuetudine majorum ad apostolicam sedem synodica scripta misisset, superveniente Uranio subadjuva et contra Johannem jam episcopum sacra principis deferente, ab episcopatus illius confirmatione papa suspensus est.*

[2]) G[1] *repensando cognosci proinde.* b *repensanda,* quae correctio non displicet. Hortatur enim Simplicius Acacium, ut majori diligentia compenset, quod diuturno silentio deliquit.

[3]) Huic mori praesertim parebant maximae et praecipuae ecclesiae; unde Leo epist. 149 n. 1 scribit, se Basilii Antiocheni episcopi ordinationem quum Basilii ipsius tum episcoporum, qui eum ordinaverant, litteris cognoscere debuisse *secundum ecclesiasticum morem.* Neque huic officio Calendionem ejusque

Digitized by Google

tefecit, sanctae memoriae fratrem quondam et coepiscopum nostrum a. 482.
obiisse Timotheum, inque ejus vicem consona fidelium voluntate Johannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum. [Et nihil] omnino restare videbatur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus nobis atque gaudentibus, ut sine strepitu, quod catholicus in defuncti ministerium successisset antistes, apostolicae quoque moderationis assensu votivam sumeret firmitatem: quum ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti tranquilissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tamquam perjurii reum[5]), quod fraternitati quoque tuae non esse diceretur incognitum, sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, et meam revocavi super ejus confirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium praepropere fecisse judicarer.

3. Sed illud me non mediocriter fecit attonitum, quod iisdem litteris suis Petrum, qui haereticorum socius dudum exstitisse pro-

---

synodum defuisse, discimus ex primis superioris epistolae 17 verbis. Supervacaneum esset, hunc morem pluribus exemplis asserere. At de Alexandrina ecclesia, utpote a s. Marco b. Petri discipulo fundata, specialem curam habentes Romani pontifices, ut monet Julius epist. 1 n. 22, de episcoporum ejus ordinatione se speciali jure monendos esse existimabant.

[4]) Ita, G[1] b; a[1] cc *quemdam*. Si res post Timothei Salophakioli obitum proxime gestas Evagrius H. E. III, 15 ordine enarrare ponatur, Johannes de Talaja Timotheo suffectus et Zenonis jussu pulsus Romam se statim contulit, ibique exponens, se Leonis tomum et Calchedonensis synodi decreta asserentem non solum e sede sua exturbatum, sed et, qui sibi subrogatus esset, ea aperte impugnare, Simplicium facile impulit, ut in causae suae gratiam imperatori scriberet. Hacque occasione Zeno pontifici respondit, eum ut perjurii reum de ecclesia sua merito decidisse. Porro hoc *perjurium* idem Evagrius H. E. II, 12 in eo positum fuisse testatur (ex fide Zachariae cujusdam Eutychianis partibus addicti), quod Johannes etiam jurejurando spopondisset apud imperatorem, se nunquam Alexandrinam sedem affectaturum. Verum subnexis verbis Simplicius indicat, Zenonis scripta, quibus Johannem perjurii accusabat, sibi ante ejus in Urbem adventum reddita fuisse, atque adeo antequam in ejus gratiam imperatori scripsisset.

[5]) Praedictus Zacharias apud Evagrium H. E. III, 12 Johannem non modo perjurii sed et simoniacae labis reum facit, utpote quem et sacramenti religione contempta et *data pecunia* episcopatum consecutum esse tradit. At imperator undequaque quaeritans, quod Johannis electionem rescindendam suaderet, minime tacuisset tantum nefas. Sed neque Liberatus breviar. c. 17 hujus meminit, qui aliam profert rationem, cur improbata imperatori fuerit Johannis ordinatio. Rem pluribus verbis exponit, nec sinit hujus loci angustia, ut vel extremis digitis attingatur. Ex eo tamen, quod ibi de Johannis cum Illo exconsule amicitia narrat, subodoramur, hanc potissimum ejus improbandae ordinationis causam fuisse. Porro Gelasius papa epist. 10 n. 6 de Johanne testatur, quod *nullis causis evidentibus nec certe convinci nec postea provocans etiam in judicio competenti potuit accusari*. Hoc autem testimonium proferens haud ignorabat, ut ex subnexis apparet, quod idem Johannes *imperatori mentitus diceretur*. Neque igitur de hoc *perjurio* constabat.

Digitized by Google

a. 482. betur et princeps[6]), quod conscientiam dilectionis tuae meminimus non latere instructionesque ipsas, quibus fuerit confutatus, nosse confidimus, quemque etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare catholicam, saepeque nos de eodem ex illa urbe pellendo scripsisse sit certum, ad praefatae ecclesiae regimen existimet provehendum: eumque promittat[7]) rectae fidei definitionibus convenire, a cujus utique, sicut superius dixi, consortio tam degit extraneus, quam ab ejus communione discretus est. Ad quam[8]) si nunc redire contendit, nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire, ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere, sed medelae, quae post poenitudinem praebenda est, consequenter aptari animae suae cupiens reconciliatus auxilium, non gradum summi honoris affectans, qui diu convincitur fuisse perversus: ne per speciem remeantis non remedium sincerae salvationis inquirat, sed facultatem propagandae pravitatis inveniat. Quo facto non

---

[6]) qui scilicet, damnato Dioscoro et Proterio ordinato, ut in *gest. de nom. Acacii* (Gelas. tract. 1 n. 4) exponitur, statim se ab Alexandrina ecclesia, cujus erat diaconus, una cum Timotheo Aeluro ejusdem ecclesiae presbytero separavit, ideoque una cum eodem a Proterio, qui eos ad ministeria sua monitis revocare non poterat, damnatus fuit. Hunc subinde jussit Zeno ipse imperator teste Liberato breviar. c. 17, *expelli tamquam haereticum et adulterum.* Porro *per triginta annos*, ait Gelasius tractat. 2 n. 7, *famosus expugnator veritatis fuit.* — Epistolae mox memoratae sunt Simplicii epist. 10—13.

[7]) Hoc in se recepit Zeno, quia quum Alexandrinam sedem Petro restitui jussisset, *dummodo Henotico suo subscriberet et Proterianos in communionem susciperet* (Evagr.H. E. III,12), utrumque ille spoponderat. *Acacius vero*, ait Liberatus brev. c. 17, *promittente Petro facere unitatem nec adhuc implente legitima, nomen ejus in diptychis recitari permisit.*

[8]) scilicet *communionem*, id quod necessario observandum fuit propter notam marginalem, quae in conciliorum editiones incaute translata e Romana est, ubi e regione hujus loci contra Simplicii mentem adscribitur: *Haeretico non patet aditus ad munera ecclesiastica, nisi praecedat satisfactio.* Hoc porro unum sibi vult Simplicius, ita Petro aditum ad Ecclesiae communionem non patere, ut nulla ei ex sacrorum canonum praescripto supersit spes summi sacerdotii alteriusve gradus ecclesiastici, quaecunque satisfactio praecesserit. *Nostra lex est Ecclesiae*, inquit Innocentius epist. 17 n. 8, *venientibus ab haereticis .. per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare*, et n. 7 velut rem in Ecclesia constantem ponit, *ubi poenitentiae remedium necessarium est, ibi ordinationis honorem locum habere non posse.* Hinc novissime Hilarus epist. 15 n. 2 decreverat, *ne hi qui ex poenitentibus sunt, ad sacros ordines adspirare audeant.* Vide etiam Siricii epist. 10 n. 8, Augustini epist. 185 ad Bonifacium n. 44, Leonis epist. 18, Felicis II epist. 13 cap. 2, Gelasii epist. 14 c. 3, Agapeti epist 2 n. 3. Ipse Zeno ad imperium revocatus et regressus teste Felice II epist. 1 n. 9 praecepit *eos, qui a Petro aut Timotheo haereticis fuissent ordinati, si resipiscerent, ad communionem recipi, non etiam ad male praesumpti gradus privilegia admitti.* Si hoc autem de iis est definitum, quos Petrus ordinaverat, quanto magis de ipso Petro, qui et haereticorum dux et praeter Ecclesiae leges ordinatus fuerat.

Digitized by Google

hujusmodi magis ab errore detrahimus, quam perniciem fidelibus a. 482.
irrogamus, eoque modo Calchedonensis synodi statuta violantes, aditum saeva copulatione [9]) grassandi in Ecclesiam lupis rapacibus aperimus. Denique ab eisdem ipsis, cum quibus olim a catholica participatione divisus est, pontifex dicitur postulari, ut satis evidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in praesule proprio nefandi dogmatis quaerere potestatem; neque inter ipsos et veraciter sentientes pax inde possit fida [10]) generari, unde haereticarum mentium crescit funesta damnatio, et catholicorum succedit miseranda captivitas.

4. Tantis igitur malis atque periculis pro sacerdotii qualitate et catholicae praedicationis intuitu ut, qua potes, ratione sapienter obsistas, maximis undique rebus adstringeris: nec dilectioni tuae fas est id segnius operari, quod ad animae tuae causam, honoris aestimationisque respectum non dubitas pertinere. Opportunitatibus ergo repertis, clementissimi principis voluntatem incessabiliter pro fide catholica supplicando, et ab his sedulo revocare, quae nociva sunt dogmati Christiano, et secundum haec, quae mandamus, informare crebro, inque eam partem, quae amica sit veritati, potius instare non desinas; et, ut sanctum Timotheum venerandus apostolus Pau- 1 Tim. 6, 8.
lus instituit, opportune, importune, obsecrando, insinuando exponendoque nullatenus allegare cessabis, et nobis subinde, quae gerantur quaeve gerenda sint, veraciter indicare: ut creditorum tibimet dispensatione dominica talentorum in hac multiplicatione fidelis servus ostendaris, si non tantum in ecclesia, cui praesides, sed ubi-

---

[9]) b *populatione*, quod primum placuit propter epithetum *saeva*. Sed nihil mutandum suasit illud Henotici apud Liberatum brev. c. 17: *Copulamini ergo spiritali matri Ecclesiae eadem sapientes nobiscum.* Eo enim respicere videtur Simplicius, ideoque non immerito copulationem hanc *saevam* vocare, quae lupos cum ovibus copulare nitatur.

[10]) Ita optime Bar. e. Gelasii tract. 2 n. 1 restituit, quum prius obtineret *foeda*. Hic praevertit ac refellit Simplicius, quod tum Acacius cum Petri patronis praetexebat. Ajebat enim Liberato brev. c. 17 teste, *Petrum amabilem in populo, et posse eum in communionem congregare.* Quocirca pontifex prius eumdem amabilem esse non negans iis, qui sectarentur haeresim et Aeluri partibus addicti essent, inficiatur, inter hos et *veraciter sentientes* fidam pacem ullo modo generari posse. Dum tamen Acacius de Johanne Talaja pellendo cogitabat, ut ibidem Liberatus loquitur, *occurrerunt quidam a Petro volentes quasi fieri unitatem, quae jucundissime suscepit Acacius et imperatori praesentavit.* Hinc Acacio data occasio Henotici imperatoris nomine condendi, cujus notitiam ad Simplicium jam tum pervenisse, non id modo, quod proxime *de saeva copulatione* praemisit, sed et quae nunc disserit, manifeste indicant. Hoc tamen prudenter dissimulans, id satis habet repellere, quod pacis specie tentabatur. Certe quantum haeretici speciosо illo pacis nomine principibus soliti sint imponere, jam ante s. Hilarius lib. contra Auxentium probarat, ac postea ekthesis Heraclii et Constantis typus abunde confirmant.

Digitized by Google

a. 455. cunque potueris, pro unitate catholica et pro paternis definitionibus suadere non renuas. Data Idibus Juliis Severino viro clarissimo consule.

Epistola 19.

(a. 482 d. 15 Jul.) **Simplicii papae ad Zenonem imperatorem fragmentum.**

Respondet imperatoris de rejiciendo Johanne et promovendo Petro postulationi. p. 8

Incipit epistola sanctae memoriae Simplicii papae ad Zenonem Imperatorem. Inter cetera et ad locum.

Sed jam veniamus ad eos, quorum unum a pontificio Alexandrinae ecclesiae secludendum, alterum huic praeficiendum tranquillitatis tuae scripta pronuntiant, ac primo, si placet persona[1]) Petri, meritum expendamus. Nimirum hic est complex parricidae Timothei et exsilio sempiterno vestra quoque jussione dignissimus. Hic contra veritatem militantium socius semper et doctor. Hic, de quo Alexandrina urbe pellendo saepe me litteris rogasse non dubium est; qui si esset rectae fidei, in catholica utique communione mansisset. Quod si ad eam nuper emendandus accedit, hoc[2]) ipso diu retenti confutatur erroris. Quam tamen emendationem si vel nunc sincera mente perquireret, satisfactionem consequenter afferret: non[3]) expetit dignitatem, qui post poenitudinem indulgentia dignus est, non honore. Absit, ut ejus saluti, si resipiscit, invideam: complector, hortor et gaudeo, gloriosissime imperator; sed diu pravitatis vulnere sauciato medicinae venia competit, non potestatis. Tunc enim religionis poterit nuncupari, si perversitate damnata ad sanam fidem remeare praeelegerit. Alioquin manifestum est, eum non curationem proprii desiderare languoris, sed ambire fastigium, quo perfidiae suae virus miseris animantibus confidentius licentiusque diffundat et de superiore loco multo violentius in servitutem catholicam redigat libertatem. Quaeso deinde, qui ejus provectui suffragentur; et eos audio esse archimandritas et monachos vel si qui sunt alii, qui sese a communione catholica separaverunt. Horum ergo testimonium comprobandum est: quorum[4]) admittenda persona, quibus sanae fidei et

[1]) Forte legendum *personam Petri merito.* Porro *de pellendo ex urbe Petro* quantum Simplicius laboraverit, conferantur ipsius epistolae 10 n. 2, 11 n. 2, 12 13, 15 n. 2, 18 n. 3, Felicis II epist. 1 n. 2, *gest. de nom. Acacii* n. 11. Sed et Zenonem ipsum illum initio expelli jussisse, ex Liberato brev. c. 16 vidimus.

[2]) Ita mutavi, quod in edit. *hoc ipsum.*

[3]) Eadem sententia saepissime in hac causa recurrit; cf. epist. 18 n. 3 (not. 8), Felic. II epist. 15 n. 3.

[4]) Forte legendum *quorsum*, aut si *quorum* retinetur, jam hac in parte subauditur *non suppetit*, vel ponenda est interrogatio negativa (ut in Fel. II epist. 1 n. 13). Mox *fidei et* correximus (loco *fidei est*). Etiam *gesta de nom. Acacii* n. 7 memorant, *plurimos seu clericos seu monachos seu saecularis vitae homines ad communionem catholici episcopi Timothei noluisse penitus convenire.*

Digitized by Google

conscientiae causa non suppetit, et qui cum eodem pari tenentur a. 482.
errore? *Finis.*

Epistola 20.

Simplicii papae ad Acacium.

a. 482 d. 6. Nov.

p. 8. *Increpat Simplicius Acacii de rebus Alexandrinae ecclesiae silentium, eumque ut pristinum pro orthodoxorum defensione studium suscitet hortatur.*

Dilectissimo fratri Acacio Simplicius[1]).

Cogitationum ferias non[2]) habemus; nec enim quiescere nos causa permittit, quam si relinquamus, apud Christum dominum nostrum, cujus interest, inexcusabiles[3]) sumus. Et mirum est, dilectionem tuam tot emensis temporibus et tot opportunitatibus inde venientibus, nil nos de Alexandrina ecclesia, quae tam graviter quatitur, instruere voluisse; quum monere te nec increpatio nostra destiterit, ut participata sollicitudine litteras meas apud Christianissimum et clementissimum principem praesentibus tuae dilectionis prosequereris alloquiis, et instituti veteris[4]) memor in orthodoxorum defensionem sicut semper incumberes: ne[5]) quisquam nostrum Christiana plebe pereunte reatum deditionis incurrat, et mercenarius potius videatur esse quam pastor. Unde hortamur dilectionem tuam, ut opportune atque importune piis auribus insinuare non desinas: quatenus remotis scandalis, quae in Alexandrinam ecclesiam recidivis ausibus irruerunt, pax optata reddatur, et celeriter vigilantiae tuae provectus[6]) posthabitis difficultatibus indicetur. Data octavo[7]) Idus Novembris Severino consule. **Directa per Restitutum.**

Epistola 21.

Simplicii papae ad Zenonem Hispalensem.

(a. 468—483.)

p. 9 *Zenoni sedis apostolicae vices committit.*

Dilectissimo fratri Zenoni Simplicius.

Plurimorum relatu comperimus, dilectionem tuam fervore Spiritus sancti ita navis[1]) ecclesiasticae gubernatorem exsistere, ut nau-

[1]) H[a] Simplicius *episcopus.*

[2]) Eodem sensu Xystus III epist. 6 n. 6 dixit, *cogitationum ferias nescire h. e.* mente et animo nulla intermissione agitari. Mox F[2] H[3] *causa ipsa.*

[3]) Ita mss. (F[2] H[4] D[2]) et d[2]. a[1] cc *excusabiles.*

[4]) quod nimirum prae se tulit Basilisci tyranni temporibus et aliquanto postea.

[5]) H[4] *nec quisquam*, moxque E[2] D[2] *perditionis* (loco *deditionis*).

[6]) Ita mss. et d[2]. At a[1] cc *profectus ... inducatur.* H[2] *provectus .. incideretur.*

[7]) E[2] F[2] H[2] *nono* (vel *VIIII*).

[1]) Ita β O[10]. Editi *ita te ecclesiae gubernatorem.*

Digitized by Google

(a. 468 —483.) fragii detrimenta Deo auctore non sentiat. Talibus idcirco gloriantes indiciis congruum duximus vicaria sedis nostrae te auctoritate fulciri: cujus vigore munitus, apostolicae institutionis decreta vel sanctorum terminos[2]) patrum nullo modo transcendi permittas; quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus divinus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime!

Notitia

epistolarum non exstantium, quae ad s. Simplicium papam attinent.

I.

a. 474 ante mens. Jan. Simplicii papae ad Leonem Augustum legatio de praesumpto Constantinopolitanae sedis privilegio.

1. Non sine litteris a Simplicio ad Leonem imperatorem destinata est Probi Canusini episcopi legatio, cujus Gelasius ep. 26 n. 10 meminit. Hujus autem legationis non alia videtur fuisse causa, nisi quod Leo a Simplicio firmari vellet, quae Constantinopolitanae ecclesiae in synodo Calchedonensi concessa erant privilegia, quae hic papa rata habere noluerat. Porro Probus Canusinae ecclesiae episcopus, hujus rei gratia tunc destinatus, jam in gestis Romani concilii sub Hilaro papa sui erga disciplinam ecclesiasticam studii ac vigoris specimen dedisse legitur (Hil. ep. 15 n. 7). Ubi enim Numidinarium Barcinonensium episcopum non solum Irenaeo legasse sua, sed etiam eumdem in episcopatu sibi designasse successorem audivit, e consessu surgens dixisse fertur: *Illud licuit, hoc non licuit; successores Deus dat; huic rei resistite*, ait ad papam, *per apostolatum vestrum.* Neque vero postea Constantinopolim a Simplicio legatus minore vigore se gessit. Gelasii quippe testimonio constat, ipsum „ea, quae Leo papa negaverat, Leone Augusto tunc petente praesente, docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus praebuisse consensum" (Gel. ep. 26 n. 10). Quum autem mense Januario a. 474 vivendi finem fecerit Leo Augustus, hanc legationem a. 473 posteriorem non fuisse inde conficitur.

2. Quin felicem habuerit exitum ac deinceps ad imitationem Marciani Leo petitione hujusmodi abstiterit, nulla videtur ambigendi ratio. Certe Acacius regiae urbis episcopus, qui haud dubie auctore imperatore supra dictam petitionem emiserat, sic deinde morem gessisse visus est Simplicii voluntati, ut illum is papa sua ipsius vice ac legatione apud imperatorem fungi jusserit (Simpl. ep. 2, 3, 5 et 7). Et ab anno quidem 475, dum accusarent archimandritae ac monachi Constantinopolitani antistitis sui silentium, quo eum et Basilisco tyranno ac Timotheo pseudoepiscopo Alexandrino favere suspicabantur, Simplicius eorum accusationem accipere noluit, *compertam*, inquiens, *habens fidem probatissimi sacerdotis* (Simpl. ep. 4 n. 4). Istud autem eos non frustra suspicatos esse exitus docuit.

3. Nempe de privilegio, quod sedi suae a Calchedonensi synodo attributum esse contendebat, sese nunquam ex animo cessisse non ita multo post palam fecit.

---

[2]) qui scilicet cuique ecclesiae a majoribus sunt attributi, nec ullus praesul sibi quidquam arroget in alterius territorio. Quamquam etiam *termini patrum* id vulgo dici solet, quod patres constituendo praefinierunt.

Digitized by Google

Ipse quippe studio fuit, ut illud tum in antencyclicis Basilisci litteris, quas Evagrius libro 3 cap. 7 historiae suae inseruit, tum maxime in constitutione Zenonis a. 476 lata (l. 16 C. *de sacrosanctis ecclesiis* I, 2) disertis verbis confirmaretur. Neque his contentus etiam Antiocheni episcopi praeter Nicaenum canonem ordinandi occasionem avide arripuit. Qua autem de causa id sibi arrogasset, imperatore adnitente non omisit quidem Simplicio quam primum exponere, ac neque respuit is papa ejus satisfactionem (cf. Simpl. epist. 15 et 16). Sed quum eumdem experiretur vigilanter et assidue, quamvis ea moderatione atque prudentia quae fas erat, ambitioni suae obluctantem, modum amplius tenere non valuit, et conflare coepit schisma, quod postmodum Felice Simplicii successore apertius erupit.

II.

a. 475 *c. mens. Nov. Florentii, Equitii ac Severi episcoporum ad Simplicium relatio de quibusdam praesumptionibus Gaudentii Aufiniensis episcopi.*

Anno 475 ante mensem Decembrem accepit Simplicius relationem sibi ab episcopis Florentio, Equitio ac Severo missam una cum gestis synodalibus adversus Gaudentium Aufiniensem episcopum confectis. Porro is accusatus fuerat, quod illicitas fecisset ordinationes, et a triennio, quo videlicet eum ecclesiae Aufiniensis regimen suscepisse conjectura est, quarta redituum hujus ecclesiae portione non contentus, etiam tres alias in usum suum consumpsisset (cf. Simpl. ep. 1).

III.

a. 475 *d.* 19 *Nov. Simplicii ad Severum ordinationum in ecclesia Aufiniensi delegatio.*

Die 19 m. Novembr. a. 475 Simplicius praeter communem epistolam ad Florentium, Equitium et Severum, quae asservata est, etiam peculiarem Severo scripsit, quae desideratur. Eo autem spectabat illa epistola, ut Severus ordinationum in Aufiniensi ecclesia potestatem sibi delegatam sciret, quae Gaudentio episcopo ablata erat (cf. Simpl. epist. 1 n. 1).

IV.

a. 475 *exit. Presbyterorum archimandritarum ac monachorum ad Simplicium de novis Timothei Aeluri violentiis relatio.*

Circa idem tempus presbyteri, archimandritae ac monachi *ex diversis monasteriis* urbis regiae ad Simplicium relationem miserunt, qua nuntiabant, Timotheum Aelurum ejecto Timotheo *catholicam Alexandrinam ecclesiam occupasse, indeque Constantinopolim contendere ausum*, turbas ibi *nonnullis sibi faventibus* concitasse (cf. Simpl. ep. 2 n. 1, ep. 3 n. 2 et 3), nominatimque illum e regia processisse ad ecclesiam, turba stipatum seditiosa, quae de ipso concinere non timuerit *benedictus qui venit in nomine Domini* (Simpl. ep. 3 n. 3, Theod. lect. H. E. I p. 556); his addebant, sese quidem obstitisse, ne in ecclesiam ingrederetur (cf. Simpl. ep. 4 n. 3, epist. 5), sed eum sic repulsum nihilominus per privatas quorumdam domos sacrificia celebrasse (cf. Simpl. ep. 3 n. 3). Nec tacebant, sibi in tanto discrimine suspectum esse Acacii silentium. Ipsi vero quid consilii hoc rerum statu caperent, Simplicium rogantes, interea viros ab eo dirigi expetebant, quorum industria necessitati Ecclesiae consuleretur (Simpl. ep. 4 n. 2 et 4). His rescribens Simplicius die 11 Jan. a. 476, ipsorum litteras serius, quam voluissent, sibi redditas esse significavit. Unde colligitur, eas non minus duobus mensibus ante a. 475 exitum fuisse conscriptas.

Digitized by Google

V.

a. 477. *Zenonis imperatoris ad Simplicium de recuperato imperio relatio.*

Anno 477 Zeno imperator, quum expulso Basilisco Constantinopolim revertisset, de recuperato imperio Simplicium papam litteris certiorem facere properavit (cf. Simpl. ep. 6 n. 2 et 3). His autem in litteris Zeno non modo Simplicium sed Acacium etiam summis laudibus extollebat, quod haereticis magno animo restitissent. Neque enim ad aliud scriptum Zenonis pertinere videtur, quod Gelasius papa ep. 26 n. 8 ait, hunc imperatorem *litteris suis tam ipsum Acacium quam sanctae memoriae Simplicium magnis laudibus extulisse, quod haereticis constantissime restitissent.* Ipsius quoque Simplicii successor Felix eumdem Zenonis locum tum ep. 1 n. 6, tum ep. 2 n. 4 commemorat. His Zenonis litteris Simplicius die 9 Octobris a. 477 rescripsit. Unde colligitur tempus, quo Zeno illas miserat.

VI.

a. 477 *eod. temp. Acacii Constantinpolitani ad Simplicium de eadem re et statu ecclesiae Orientalis relatio.*

1. Ex eo etiam, quod Simplicius eodem tempore cum his Zenonis litteris et amplae Acacii relationi, de qua nobis nunc dicendum, respondit (ep. 7 n. 1), utrumque scriptum simul ipsi datum esse haud temere conjicimus. In hac porro relatione, quae per Epiphanium diaconum missa est, latius exponebat Acacius, quae jam monachi anno 475 labente strictim indicarant, ac nominatim ea, quae ab haereticis seu Constantinopoli seu aliis in regionibus contra fidem aut ecclesiasticas regulas tentata fuerant, *prolixo quidem volumine sed necessario sermone* ob oculos ponebat (cf. Simpl. epist. 7 n. 1).

2. Nec alia videtur esse relatio ab ea, quam de Petro et Johanne pseudoepiscopis Antiochenis scriptam esse *gestorum de nomine Acacii* auctor tradit his verbis (Gel. tract. I n. 12): *Illo enim tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulit* (Acacius), *etiam* (B[1] *jam*) *de Petro et Johanne* (ad eumdem Simplicium) *scripserat.* Hoc loco ita ex codicibus restituto simul rectus ordo duplicis relationis Acacii monstratur. Ut enim ex Simplicii epistolis 7, 8 et 9 liquet, idem Acacius ad hunc papam primo de Petro et Johanne Antiochenis, ac non longe post de Petro Alexandrino retulit. Hac autem duplici relatione Acacius non mediocrem apud Simplicium mereri visus est fidem, donec Johannes Talaja Alexandria, unde pulsus erat, Romam se recipiens, larvam retegere coepit. Ea vero occasione Simplicius, quum forte vitio ei verteretur, quod Acacio credulior fuisset, Johanni Talajae legi praecepit, quae pridem ad ipsum miserat Acacius de Petro et Johanne Antiochenis scripta. Horum partem porro *gestorum de nomine Acacii* auctor nobis transmisit sic summatim expressam (Gel. tract. I n. 12): *Petrum* scilicet *Fullonem cognomine apud Constantinopolim monasterium gubernasse, sed hoc propter crimina derelicto Antiochiam fugisse; ibi pulso Martyrio catholico episcopo per vilissimum populum et haereticos sedem ipsius occupasse, continuoque damnatum ab episcopis atque a Leone tunc principe ad Oasitanum exsilium esse directum. De quo lapsum Constantinopolim rediisse, ac dedisse fidem, quod nullas ulterius turbas facere prorsus auderet. Sed sicut superius dictum est, Basilisci temporibus a Timotheo illo damnato, qui Constantinopolim venerat, ad Antiochiam remissum esse, ut iterum illic episcopatum teneret. Quo facto idem Petrus Johannem quemdam presbyterum ordinat Apamenis episcopum, a quibus non receptus venit Antiochiam, et Petrum episcopatus sui pellit auctorem et invadit ejus ecclesiam.* Tum Acacius, de iis sermonem prosequens, *ipsos iterum damnatos,* docebat, *petens ab apostolicsede, ut si forte ad eam confugerent, nec visu dignos haberet, et si jam alo quam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum pae-*

Digitized by Google

sitentiam recipiendam esse. Verba eadem in gestis de nomine Acacii legens Liberatus diaconus, dum non advertit, ea ibi ex ipsis Acacii scriptis excerpta esse, sed ab ipsomet gestorum praedictorum scriptore de suo prolata putat, ita ea cap. 18 describit, ut nonnulla perturbata efferat, quae ad narrationis ordinem ac veritatem non satis exacta sunt.

3. Ad eadem Acacii scripta referendum videtur, quod Simplicii successor Felix ep. 11 n. 2 de Johanne et Petro Antiochenis locutus subjicit: *quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab apostolica sede damnari, ut his etiam christianorum vocabulum tolleretur, quod gesta apud eum habita manifestant.* Nec alio forsitan pertinet illud Gel. ep. 26 n. 8: *Cur ergo vel quum hoc fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco jam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit?* Jam quidem Zeno imperium Basilisco fugato proxime receperat, quum Acacius relationem, de qua agimus misit. Sed quia hoc opus aggressus est, ut legati munus, quod ipsi ab Simplicio sub Basilisco delegatum erat, impleret, et omnia, quae sub Basilisco gesta fuerant, in eodem opere enarrabat, non immerito dicatur *sub Basilisco retulisse.*

4. Iisdem in scriptis Acacius singula, quae Zeno imperator in gratiam apostolicae fidei sanxerat quaeque Felix ep. 2 n. 4 perstringit, quum enarasset, in iis *promulgandis operam suam impendisse* non tacebat, nominatimque gloriabatur, quod *prostrati essent omnes, qui contra Calchedonensem synodum contraque sedis apostolicae praedicationem venire tentarant.* (Fel. ep. 2 n. 5.) De restituto Timotheo Alexandrino speciatim advertebat, *laetari cum patre corda fidelium* (Gelas. ep. 1 n. 12).

VII.

a. 478 c. mens. Jul. Timothei Salophakioli ad Simplicium inthronistica.

1. Ad annum 478 referenda sunt *sollemnia* Timothei Salophakioli Alexandrini antistitis *scripta* per legatos Esaiam episcopum, Nilum presbyterum et Martyrium diaconum ad Simplicium papam missa, quibus hic papa ep. 11 n. 1 satis sibi factum esse memorat. Nempe Timothei hujus varia fortuna fuit. Primo enim Leone Augusto imperante in locum Timothei Aeluri suffectus Alexandriae episcopus, tamdiu tenuit hanc sedem, quamdiu vixit Leo ejusque successor Zeno, pacemque habuit. At ubi locum suum cedere coactus est hic imperator Basilisco tyranno et Calchedonensis concilii hosti, licet id tum sibi extorqueri passus sit Timotheus, ut *Dioscori nomen inter altaria recitaretur* (Simpl. ep. 9), servare tamen non poterat Marci sedem, sed eam vicissim Timotheo Aeluro dimittere coactus est. Verum post biennium Zeno in regiam urbem regressus Aeluro exstincto et fugato Petro Mongo, qui in locum ejus invaserat, Timotheum Salophakiolum, qui Canopi latitabat, Alexandriam revocavit. Qua de re certior factus Simplicius ab Acacio, ita de hujus episcopi restitutione gratulatus est, ut cupere se non taceret, ab ipso abstersam esse maculam, quam nomini suo per inconstantiam inusserat (cf. Simpl. epist. 9). Hoc igitur pontificis nostri desiderium quum Acacius ei quam primum notum fecisset, ille sine mora legationem mox dictam cum scriptis destinavit, quibus testificabatur, *destruxisse se, quod ante perterritus de Dioscori nomine fecerat, et remissionem ipsius erroris expetiit* (Simpl. ep. 11 n. 1). In eadem scripta convenit et illud Liberati c. 16: *scribit ad papam Simplicium rogans et dicens, Petrum illum Mongum in diaconatu esse damnatum* (id. Gelas. tract. I n. 9). Quo respiciens Simplicius ep. 12 ait, Petrum hunc minime habendum esse episcopum, cui *nec in diaconatu suus potuit ordo constare.*

2. Iisdem scriptis significabat Timotheus, Petrum Mongum Alexandriae latitare ac simpliciorum fidei moliri insidias, ideoque se ab imperatore, ut eum longius in exsilium pelli juberet, petivisse (Simpl. ep. 10 n. 2). Hinc et ipsum obtestabatur Simplicium, ut has preces auctoritate juvaret sua, et omnia, quae ipsi nuntiavit,

Digitized by Google

Acacio nota faceret. Demum *libellum satisfactionis eorum, quos a catholicae fidei veritate Timotheus et Petrus, utrique damnati, damnationis terrore traduxerant, veniam postulantium* iisdem scriptis subnectebat (Simpl. ep. 11 n. 2 et 3).

3. Tempus autem, quo missa sunt haec scripta, non aegre admodum conjicitur. Simplicius quippe epistola 9 die 13 Mart. anni 478 Acacio negotium injungit commonendi Timothei, ut labem, quam nominis Dioscori inter altaria recitatione incurrerat, emaculare curet. Idem vero papa die 17 mens. Octobr. ejusdem anni (Simpl. ep. 12, 13) scripta illa, quibus expetita satisfactio continebatur, proxime accepisse se significat. Unde conficitur, ut medio Martium inter et Octobrem intervallo aut circiter scripta illa concinnata sint.

VIII.

a. 482 *ante mens. Maj. Gregorii Mutinensis ad Simplicium de invita ordinatione sua libellus.*

Anno 482 Gregorius, quum Ravennatis ecclesiae presbyter esset, a Johanne ejusdem ecclesiae antistite Mutinensis civitatis creatus episcopus libellum Simplicio papae dedit, in quo se invitum et invidia non electione per summam violentiam ordinatum episcopum querebatur, petebatque, ut *cum Johanne causam jam nullam haberet*. Simul etiam flagitasse videtur, ut ipsi Simplicius de praedio Ravennatis ecclesiae in Bononiensi sito annuam suppeditari juberet pensionem, unde *necessitatibus, quas Johanne faciente sustinere compellebatur, subveniret* (cf. Simpl. ep. 14). Libellus hic recepit Simplicii judicium anni 482 die 29 Maji, ideoque non multo ante hoc tempus transmissus est.

IX.

a. 482 *ante mens. Jun. Zenonis imperatoris ad Simplicium de ordinato Constantinopoli episcopo Antiochenae ecclesiae indices.*

Anno 482 ante mensem Junium Simplicius litteras accepit Zenonis, quibus imperator ille de tristi ecclesiae Antiochenae statu deque Stephani ejus episcopi *inter altaria funestis* haereticorum *gladiis* perempti caede praelocutus excusabat, quod ipsius successorem Constantinopoli ordinari jussisset. Id vero aggressum esse ajebat Acacium suo ipsius jussu *petentibus Antiochenis*, quum eorum seditiones non aliter sedari posse viderentur. Addebat et illud, factum esse *praeter praejudicium venerandi illius concilii Nicaeni*, adeo ut *deinceps secundum definitiones patrum Orientali synodo creatio Antiocheni episcopi reservaretur: simul et jurasse* se testificabatur *in haec verba, quod posthac in Antiochena urbe veteri more servato a comprovincialibus suis episcopus ordinaretur*. Demum Calendionem recens ordinatum praeclaro testimonio commendabat (cf. Simpl. ep. 15). Litteris illis rescripsit Simplicius die 22 Junii a. 482.

X.

a. 482 *eod. temp. Acacii ad Simplicium de eadem re excusatio.*

His Zenonis litteris Acacius episcopus Constantinopolitanus adjunxit suas, in quibus pariter de Stephani caede praefatus contestabatur, sese uno *principis jussu ac pacis studio non sua usurpatione ac sine praejudicio canonum* Antiochenum episcopum consecrasse, immo etiam *se diu suspendisse, ne videretur ambire, quod tanto principi et in tam gravi causa non poterat abnegare* (cf. Simpl. ep. 16).

XI.

a. 482 *ante med. Jul. Calendionis ad Simplicium de ordinatione sua synodica relatio.*

Calendio Constantinopoli ab Acacio Antiochenus episcopus ordinatus ad eccle-

Digitized by Google

siam suam se conferre properavit, indeque Simplicio synodicas conscripsit litteras ordinationis suae indices, quas ipse Simplicius ep. 17 commemorat.

XII.

a. 482 *cod. temp. Aegyptiae synodi et cleri Alexandrini ad Simplicium de morte Timothei et Johannis electione relatio.*

Circa idem tempus *ab Aegyptia synodo, quae et numero plurima et fidei catholicae communione suffulta erat*, nec non *ab omni propemodum clero Alexandrinae sedis* relationem accepit Simplicius per Isidorum presbyterum et Petrum diaconum sibi missam, qua *Timotheum episcopum quondam suum obiisse* testati, in ejus locum *consona fidelium voluntate Johannem ecclesiae ipsius oeconomum subrogatum* esse indicabant, ac rogabant, ut quum *ad sacerdotium huic constare crederentur omnia, etiam apostolicae assensu moderationis votivam sumeret firmitatem* (Simpl. ep. 18 et *gesta de nomine Acacii* n. 10). Haec autem synodica relatio in gestis de nomine Acacii a Johanne *secundum consuetudinem* missa dicitur.

XIII.

a. 482 *cod. temp. Zenonis imperatoris ad Simplicium sacra de Johannis incusatione et recommendatione Petri Mongi.*

Quum in procinctu esset Simplicius, ut mox dicti Johannis cognomento Talajae electionem confirmaret, ipsi per Uranium subadjuvam reddita est Zenonis imperatoris sacra, quae eumdem Alexandrinum *sacerdotio indignum* esse testabatur, utpote qui *perjurii reus* esset, quod et Acacio non latere affirmabat. Quocirca eo excluso Petrum Mongum, quem spondebat *rectae fidei definitionibus convenire*, ad ecclesiae Alexandrinae regimen provehendum esse significabat. Sacram paulo post superiorem Aegyptiorum relationem a Simplicio acceptam esse, ex ipsius ep. 18 n. 2 constat.

XIV.

a. 482 *cod. temp. Petri Mongi ad Simplicium de fide sua professio.*

Eodem tempore, teste Liberato c. 18, etiam Petrus Mongus ad Simplicium scripsit epistolam, qua se *quum ipsius Simplicii tum Calchedonensis concilii communicatorem* profitebatur. Verum hoc mendaciter est professus. Siquidem, ut idem observat Liberatus, mox *et Calchedonensem synodum et epistolam Leonis anathematizavit.*

XV.

a. 482 *d.* 15 *Jul. Simplicii papae ad Zenonem imperatorem de Petro Mongo responsio.*

Simplicium Zenoni, qui de Johanne Talaja ex Alexandrina sede pellendo ac Petro in ejus locum sufficiendo ad ipsum scripserat, rescripsisse atque hoc scriptum per eumdem Uranium, qui Zenonis litteras detulerat, transmisisse, successor Gelasius docet (tract. I n. 10). Ac praeterea tradit idem auctor, in hac Simplicii epistola Petri restitutionem omnino abnegatam, et Zenonem *metuendis sacramentis obstrictum* esse, *ne beati Marci evangelistae sedem a magistri sui doctrina et communione permitteret separari* (Fel. ep. 1 n. 2). Acacium autem simul rogatum, ut eamdem epistolam *praesentibus alloquiis firmaret*, Simplicius ep. 20 docet. Una cum epistola 18 ideoque die 15 Julii anni 482 conscripta est. Porro hujus ipsius epistolae partem fragmentum illud esse putamus, quod supra epistola 20 edidimus.

XVI.

1. Praeter varias illas epistolas, quae desiderantur, Liberatus c. 18 duas

Digitized by Google

alias commemorat, unam Acacii episcopi Constantinopolitani ad Simplicium, alteram vero Simplicii ad eumdem Acacium. Ac de prima quidem sic loquitur: *Acacius Simplicii susceptis epistolis* (scilicet 18 et 20) *simpliciter rescripsit ei, quia Johannem* (sc. Talajam) *Alexandriae ignoraret episcopum, Petrum vero Mongum suscepisset in communionem in Zenonis principis unitivo, et quod hoc citra ejus* (sc. Simplicii) *gessisset sententiam propter unitatem ecclesiarum principis jussione.* De altera autem proxime subdit: *Simplicius vero suscipiens hujusmodi litteras contristatur adversus Acacium eique rescribit: quod non bene fecerit, contra sententiam apostolicae sedis ad communionem suscipiens haereticum hominem: oportebat enim communi decreto damnatum tamquam adulterum communi consilio a damnatione liberari; ad haec autem, quia non sufficeret Petro confiteri communicatorem se esse Ecclesiae catholicae secundum edictum* (scil. Henoticon sive unitivum), *sed oporteret eum secundum terminum* (i. e. definitionem) *Calchedonensis concilii et secundum epistolam papae Leonis Ecclesiae amplecti communionem. Unum enim duorum necessario agere deberet: aut suaderet Petro pure suscipere terminum synodi, aut removeret se ab ejus communione.* His statim addit Liberatus: *Quum ad Acacium haec scripta venissent, et deliberaret, quid eum oporteret rescribere, papa Simplicius defunctus est.*

2. Verum suspecta merito debet videri duorum illorum scriptorum fides, quum Simplicii successor Felix ep. 2 n. 2 de Acacio apud imperatorem expostulet, quod ad iteratas decessoris sui epistolas nullum responsum dedisset. Immo ex iis, quae Simplicius ep. 20 Acacio scripsit, falsi convincuntur. Inde enim palam est, Acacium Simplicii epistolae 18 rescribere nec dignatum esse, eique cum hoc papa deinceps nullum sermonis seu litterarum commercium fuisse. Ad haec, quum Acacius non de communione sed de Alexandrina sede Petro Mongo reddenda scripsisset, hic vero Simplicius sic ei rescripsisse fingitur, quasi de una ageretur communione. Non ambigendum autem, quin, si alteruter re ipsa scripsisset, et institisset haud dubie Acacius, ut Petrus in Marci sedem restitueretur, et perstitisset Simplicius in ea sententia, quam ep. 18 n. 3 explicuerat, *qua* videlicet Petro *medelae auxilium post poenitudinem* promittens, *sacerdotalis dignitatis fastigium* negavit.

XVII.

Non minori jure in dubium vocari potest admonitio quaedam Simplicii in synodo Romana anni 502, seu Symmachi papae epistola 6 n. 4, memorata. In laudata quippe synodo lecta est scriptura Basilii praefecti praetorio agentis etiam vices Odoacris regis Herulorum, in qua ferebatur: *admonitione beatissimi viri papae nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut praeter ullum strepitum et venerabilis ecclesiae detrimentum, si eum de hac vita transire contigerit, non sine nostra consultatione celebretur cujuslibet electio.* Certe ubi recitatum fuit istud, veluti de re nova et sibi prorsus ignota obstupuit omne concilium, ac nominatim Cresconius Tudertinus episcopus e consessu surgens reclamavit, id, quod obtendebat Basilius, contra canones pugnare; quod profecto nullus negaverit. Neque etiam infitias ierit quisquam, Simplicium ubique ita manifestum observationis canonum studium prae se ferre, ut rem adeo Romanae ecclesiae infestam ipsisque canonibus contrariam ab ipso postulatam esse, prorsus incredibile sit. Et vero quum omne concilium totam Basilii scripturam rejicit irritamque declarat, memoratam admonitionem suppositionis non obscure arguit atque condemnat.

Digitized by Google

S. FELICIS II PAPAE EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

1. Felix secundus nomine, tertius vero dictus iis, qui inter Romanos pontifices Felicem illum censent, quem in depulsi Liberii sedem subrogavit Constantius quique postea ipsa e sede, quam mala ratione occuparat, ejectus est, quinto post Simplicii obitum die, uti Antonius Pagi probat, adeoque die VI Martii anni 483, in quem dominica incidebat, creatus est pontifex. Circa idem tempus Johannes Talaja, qui Alexandria pulsus apostolicam sedem Simplicio superstite appellarat, in Urbem adveniens quum eum jam vita functum reperisset [1]), libellos adversus Acacium Felici illius successori obtulit. Qui mox synodo habita, Vitali et Miseno episcopis cum Felice defensore Constantinopolim missis, Acacium Romam evocavit rationem eorum, quae ipsi objiciebantur, redditurum [2]). Dum autem legati illi moram in itinere facerent, Felicis defensoris, ut conjicitur, aegritudine detenti, Cyrillus Acoemetensium monachorum praefectus quosdam cum litteris ad Felicem misit de ejus cunctatione conquestus, quum tam gravia adversus fidem committerentur. Exindeque Felix ad Misenum et collegas scripsit, ne quid agerent prius, quam cum Cyrillo collocuti essent et ab eo quid agendum esset didicissent (Evagr. III, 19). Hi itaque Felice defensore relicto iter suum perrexere. Jam vero urbem regiam appropinquabant, quum ecce a Zenonis satellitibus comprehensi in carcerem conjiciuntur. Tum territi, minis et praemiis deliniti, perjuriis etiam decepti, Acacio videlicet et Zenone ipsis interposito juramento pollicentibus, causam se de omnibus integram sedi apostolicae servaturos, communionis societatem cum Petro et Acacio iniere [3]).

2. His ita confectis legati cum probro ac dedecore ad Felicem revertuntur. Qui statim coacta sexaginta septem episcoporum synodo in basilica s. Petri die 28 Julii a. 484 interrogatos illos auditosque sacris arcuit. Lata est simul adversus Acacium sententia, qua eum deinceps nec inter episcopos nec inter Christianos habendum esse decernitur. Demum creatus est defensor Tutus ipsique commissa provincia latam sententiam Acacio denuntiandi [4]). Quam hic sibi ab eodem porrectam non modo respuit et abjecit, sed etiam a monacho Acoemetensi pallio suo, dum ad altare procederet, affixam dedignatus est ac nihili habuit, superbe obtendens, sententiam sibi unius Felicis nomine denuntiatam irritam prorsus esse [5]). Anno sequente habita est eadem in basilica altera synodus ad sedandas Antiochenae

---

[1]) Ita distinctius rem narrat Theophanes chronogr. (ed. Bonnensis pag. 202), quum Evagrius III, 15 et Liberatus c. 18 confundant, quasi jam Simplicium Johannes incusatione adversus Acacium adiisset.

[2]) cf. Felicis epist. 1, 2, 3 et 4, Evagr. III, 18.

[3]) cf. Theophanes chronogr. pag. 204 et 205, Felicis epist. 6 n. 1, 11 n. 2 et 3, Gelas. tract. I n. 13, Liberat. breviar. c. 18.

[4]) cf. loci citati et Felicis epistolae 6—11.

[5]) cf. Theophanes l. c. pag. 205, Liberatus breviar. c. 18 et Felic. epist. 11, Gelasius epist. 10 n. 4, 26 n. 1.

Digitized by Google

ecclesiae turbas. Quae lata primum fuerat in Acacium sententia, suffragiis ac chirographis sexaginta quinque episcoporum confirmata est, et Petro Fulloni, qui pulso Calendione in sedem Antiochenam irrepserat, anathema dictum (Felic. ep. 11).

3. Anno 487 Felix iis mederi cupiens, qui in Africa baptismo iterato polluti fuerant, tertiam synodum celebravit, in qua eadem ab eis exacta est poenitentiae severitas, quam patres Nicaeni apostatis praescripsisse leguntur (Felic. epist. 13). — Interea a fidelium coetu ejectus Acacius ad extrema quaeque descendit, eoque perductus est insaniae, ut Felicis nomen, quo vicem ipsi rependeret, a diptychis eraderet. Tandem a. 489 exeunte vivendi finem fecit, antequam absolvi meruisset[6]). Tum Flavitas seu Fravitas in ejus locum cooptatus, clericis ecclesiae suae cum synodica epistola Romam delegatis, communionis societatem cum Felice habere tentavit. Cui pontifex constanter respondit, se usque negaturum, quoad Acacii Petrique nominibus e sacris tabulis expunctis certior de ipsius fide fieret (Felic. epist. 14—17). Neque aliud sequenti anno responsum tulit Flavitae successor Euphemius, qui pariter synodales de ordinatione sua litteras Felici mittere et communionem ejus petere properavit[7]). Uno verbo Felix de fidei integritate et ecclesiastica disciplina unice sollicitus inter tot procellas, quibus assidue conflictabatur, in id totus incubuit, ut sarta et tecta servaret sanctorum patrum constituta. Saepe Zenonem imperatorem, qui semper nefaria infestaque Ecclesiae consilia moliebatur, cohibuit ejusque conatus repressit, idque tanta sapientia ac prudentia, ut nec debitam regiae dignitati observantiam aliquando laeserit, nec quidquam tamen de sanctarum Ecclesiae regularum severitate remitti passus sit[8]).

3. Anno 491 novum imperatorem Anastasium litteris salutare eique principatum adeptum gratulari non omisit[9]). Demum quum Ecclesiam gubernasset annos VIII menses XI dies XVIII[10]), ex hac vita decessit coronam justitiae sibi repositam accepturus VI Kalendas Martias anno 492[11]).

Epistola 1.

a. 483 m. Mart.

Felicis papae ad Zenonem imperatorem.

Decessoris sui vestigia tenens, destinata legatione pro ecclesia Alexandrina supplicat (n. 1—3). Recensens omnia quae antehac imperator pro ejusdem defensione fecit (n. 4—11), obsecrat, ut Petrum invasorem ejiciendum, restituendum legitimum episcopum Johannem Talajam curet (n. 12—14). p. 9

Incipit epistolae exemplum beatissimi papae Felicis urbis Romae ad Zenonem Augustum per Vitalem et Misenum episcopos.

1. Decebat profecto, venerabilis imperator, post sanctae memo-

---

[6]) Theophanes l. c. pag. 205 et 206, Liberat. l. c. c. 18, Evagrius III, 28, Victor. Tunonensis chronic. ad ann. 489.

[7]) Theophanes l. c. pag. 209; cf. notitia Felic. epist. non exstantium n. XVIII.

[8]) cf. Felic. epist. 1, 8, 15 et not. epist. non exst. n. VI.

[9]) Gelas. epist. 10 n. 2.

[10]) Hunc numerum pontificatus Felicis praeter varios catalogos et auctores, quos Pagius recensuit, catalogi Vallicellan. A 5, et Sessor. LXIII praebent. Vatic. Reg. 1997 et 1127 *a. VIII m. XI d. XVII*, Vatic. 1353 *a. VIII m. XI d. XXVIII*, liber pontif. *a. VIII m. XI d. XXIII*.

[11]) Hunc quidem annum *Anastasio Augusto et Rufo coss.* Victor Tunonensis refert, et concinunt omnia acta. Dies autem martyrologio Romano datur, cui convenit supputatio modo praemissa.

Digitized by Google

riae decessoris mei papae Simplicii transitum[1]) meque in ejus locum a. 483.
divina gratia subrogatum clementiae tuae litterarum munus offerri: quod vel ea ipsa, sicut rerum poscebat ratio, nuntiaret, vel officiositatis meae primitias exhiberet; quibus tamen rite[2]) depensis, etiam illa pariter necterentur, quae ad vestri munimen imperii prosperitatisque ejus suffragia pertinerent, quantoque essent studio majore curanda, tanto dignioribus internuntiis explerentur. Itaque conveniens fuit, ut Vitalis et Miseni fratrum et coepiscoporum meorum et famuli vestri Felicis ecclesiae defensoris ad vos necessaria[3]) legatio mitteretur, qui non tam bajuli specie ista deferrent, quam meam vicem peragentes me quodammodo vobis facerent esse praesentem. Per hos igitur velut cominus honorificentiae tuae junctus colloquiis precor, ut supplicationem meam benignis auribus sicut princeps Christianus accipias. Nec existimet pietas tua, quod quisquam magis sincera mente te diligat, quam qui te pacem cum Deo vult habere perpetuam:[4]) quando fideli mente non ambigas, et temporalis culminis potestatem et aeternae vitae commercia de superna propitiatione pendere.

2. Ecce jamdiu est, quod beati apostoli sedes, datis per beatae memoriae decessorem meum ad serenitatem tuam litteris[5]), exspectat anxia et nullum recepit pro catholica fide et pro ecclesiarum[6]) tranquillitate responsum; praesertim quum tuam conscientiam, gloriosissime princeps, metuendis obstrinxerit illa sacramentis, ne sedem beati evangelistae Marci a doctrina magistri sui vel communione permitteres separari. Sed quoniam praefati decessoris mei studium longa incommoditate faciente haec eadem crebrius iterare non potuit[7]), per meae nunc humilitatis officium sollicitus repetere non quiescit. Rursus ergo apostoli Petri veneranda confessio ma-

[1]) E¹ E² *mei pape Simplicii transitum ... offerri .. ea ipsa sicut ... nuntiaret .. exhiberet.* Ed. omitt. *pap. Simpl.* et *ipsa;* moxque *offerre .. nuntiarem .. exhiberem.*

[2]) E² *recte ... pertinent ut quanto.*

[3]) Ita E¹ E² F². Editi *necessariam legationem mitterem ... Per hanc igitur.* E¹ autem e regione vocum *legatio mitteretur* ad marginem notum *ego* habet, forte conferentis signum.

[4]) E¹ E² F² *quod si* (E¹ F² *quando*) *fideli mente;* editi *fidei*, et paulo ante *in deo.*

[5]) Ita E¹ E² F²; Remig. et editi *exspectans et nullum.* Felix hic litteras memorat, quas Simplicius ad Zenonem una cum epist. 18 ad Acacium miserat, sed quas forte idem Acacius consulto supprimi curaverat (cf. Simpl. not. ep. non exst. n. XV).

[6]) Ita E¹ E² F² H², nisi quod *deinde* F² *praesentium. Quum tuam.* Editi *Occidentalium ...* sedes, quod jam Coust. et Dur. in *Orientalium* mutandum voluerunt, Hard. tutius est.

[7]) Contra Liberatus breviar. c. 18 ita loquitur, ac si non modo Simplicius ad vitae suae exitum usque ea iterare sed et Acacius ipsi rescribere non cessarit.

Digitized by Google

a. 483. ternis[8]) te vocibus, ut suorum praecipuum filiorum, compellere non desinens ante confidentiam tuae pietatis exclamat: *„Christiane princeps, cur me a vinculo caritatis, quo Ecclesia universalis adstringitur, permittis incidi? Cur in me rumpis totius orbis assensum?“*

3. Quaeso te, fili piissime, ne tunicam[9]) Domini, quae desuper contexta per totum in unum corpus, sancto Spiritu ubique dirigente, individuam fore Christi figuravit Ecclesiam, ulla patiaris sorde violari; neve cujus inter ipsos, qui crucifixerunt Salvatorem, mansit integritas, tuis videatur temporibus esse discissa. Nonne mea[10]) Matth. 16, 16 ss. fides est, quam solam esse veram et nulla adversitate superandam Dominus ipse monstravit, qui Ecclesiae suae in mea confessione fundandae portas inferi nunquam praevalituras esse promisit? Haec te renatum ad regiam sustulit dignitatem, atque ab ejus impugnatoribus potestate detrusa praevalendi tibi denuo viam in ipsius defensione patefecit.

4. Verum, quaeso, propone etiam exempla gestorum, et hanc vicem meis repende beneficiis, ut quae per rerum examina comprobasti, et periculosa praecaveas et subsidia recuperatae[11]) a te dignitatis affectes. Me[12]) ergo, quem Deus esse voluit praedictae sedis

---

[8]) Ita restituimus locum depravatum ex E^1 E^2; cui favent F^2 H^8 *materne* (F^1 *mater*) *iste vocibus* etc., et illa, quae in epistola jam saeculo VI supposita Felicis ad Zenonem (*Convenit clementiae*) ad hujus similitudinem expressa sunt: *sancta Dei Ecclesia maternis te vocibus utpote excellentem ipsius filium alloqui non cessat: o a Christo amate imperator, meae venerabilitatis vinculum, in quo multitudines fidelium circumstringuntur, dissolvi non permittas.* (Hard. coll. conc. II, 827). Sed et epist. 15 n. 1 Felix Zenonem Ecclesiae *praecipuum filium*, epist. 17 n. 3 *praecipuum sacrae religionis filium* et infra n. 10 Petrum *haeresis praecipuum* nominat. Secundum haec igitur loco *praecipue*, quod in mss., restitui *praecipuum*, sicut jam E^2 in margine secunda manu *principem* adscripsit. Prius editi: *materna instat vocibus et suorum praecipue filiorum compellare non desinens confidentiam .. a curriculo caritatis.*

[9]) Ita E^1 E^2 F^2 H^8, nisi quod E^1 E^2 *redigente*, H^8 *regente*, et E^2 sec. manu cum editis *sorte*. Editi: *tunica Domini desuper .. totum, qua in unum .. regente .. sorte ... temporibus esse divisa.*

[10]) Ita E^1 E^2 et editi. E^2 sec. manu correxit *vera fides ... vera confessione.* Editi *solam esse unam ... fundatae ... potestate extrusa* (E^1 *detruso*, E^2 *detrusa*, F^2 *destruso*).

[11]) F^2 H^8 *ad te*, E^1 E^2 prorsus omittunt. E^1 secundis curis *recuperatae dignitatis affectus apponas.*

[12]) Ita locum corruptissimum ope E^1 E^2 F^2 restituimus, qui eum ita habent: *Me* (E^1 F^2 *Hęc*) *ergo que dš esse voluit praedictae sedis antistitem vel pro mei* (E^1 F^2 *meis*) *ordinis qualitate* (F^2 *qualitatem*) *vel pro tue securitatis* (F^2 *vel tue securitatis*) *intuitū* (F^2 *intuitum*) *hujuscemodi ideo* (E^1 *ujuscemodi si dō*) *promenda* (F^2 *pro mendax*, E^2 sec. manu correxit *pro merito*) ... *ut non tum* (E^2 F^2 *tu*) *per ... quam* (F^2 *que*, E^2 rasa lacuna) *praesentis.* Editi: *Haec rogo, quae dicta Deus esse voluit per dictae sedis antistitem vel per mei ordinis parvitatem qui tuae securitatis intuitu ... vicarium sed praesentis ... absit non ingratus.* Sequentia E^2, erasa nostra lectione, ita correxit: *altius vehasset div. rev. ordinem et hum. cond. aspicias quod absit a tua mente ut ingratus.*

Digitized by Google

antistitem, vel pro mei ordinis qualitate vel pro tuae securitatis in- a. 483.
tuitu hujuscemodi ideo promenda judicavit, ut non tam per ejus qualemcunque vicarium quam praesentis apostoli velut auctoritate commonitus, altius vias et divinae reverentiae et humanae conditionis adspiciens, quod absit a tua mente, non ingratus exsistere videaris collatae felicitatis auctori. Redeat, obsecro, in animi tui intima [13]) deliberatione conspectum, quae inimicos tuos facta dejecerint, quae te ad imperiale fastigium Deo comitante revexerint; qualiter illi cum nefanda dogmatis receptione conciderint, et quemadmodum gloria tua haereticorum fuerit depulsione reparata; ut illi contra Calchedonensis synodi venerabilia constituta et beatissimi papae Leonis scripta venientes, ipsa sui molitione collapsi sint, et quibus modis eorum reformationes ad pristinum remeaverint [14]) tuam reverentiam principatum.

5. Liceat, oro, apud te fidenter exserere [15]), quae convenit non tacere. Unicum in te superest prisci nomen imperii. Ne, quaeso, nobis salutem tuam, pie imperator, invideas, ne fiduciam pro te minuas supplicandi! Causae, quibus Dominus sit propitius, inquirendae sunt, non quibus ejus indignatio provocetur. Convenio, contestor, obtestor; quoniam metuo, horresco, formido, ne mutatione causarum [16]) et earum, quod absit, mutetur eventus. Respice potius ad decessores tuos augustae memoriae Marcianum scilicet et Leonem, et tantorum principum fidem, legitimus eorum successor, amplectere. Debes illorum religioni consensum, debes memoriae reverentiam: absit a tua devotione, absit a tua potestate, ut talium credaris respuisse judicium!

6. Postremo professionem tuam conscientiamque recolendam sensibus tuae pietatis insinuo. Palatii tui facito scrinia recenseri,

---

[13]) Ita E¹ E²; editi cum F² H⁵ *integra*. Deinde E² sec. manu *conspectus qui inimicorum tuorum facta dejecerat*, quum prima manu cum E¹ F² H⁵ et editis *conspectum quae dejecerunt* (E² *dejecerint ... conciderint*, F² *... evexerint ... condiderint*). Mox editi *in haereticorum*.

[14]) E¹ E² *remeaverunt tua reverentia*, F² H⁵ *remeaverint tuam reverentiam*, unde nostra lectio. Editi *remeaverunt tuarum*. Porro *remeaverint* hic sumitur active, et idem sonat, quod *reduxerint* (b ad marg. *repararunt*) seu remeare fecerint. Felix Zenoni in memoriam revocat, quomodo Basiliscus Calchedonensem synodum et scripta Leonis condemnans e principatu exciderit, ipse vero contrariam viam iniens ad eumdem capessendum redierit. Quem revera his obsecutum esse, testis est lex ejusdem anno 476 exeunte data l. 16 Cod. Just. I, 2: *Decernimus, ut antiquatis ac infirmatis funditus, quae contra ipsum orthodoxae religionis Deum quodam modo facta sunt, in integrum restituantur universa etc.*

[15]) Ita E¹ E²; F² H⁵ *exercere quae*, editi *exponere quem*. Deinde E¹ E² *imperii*, ubi alii *imperatoris*.

[16]) Ita E¹ E² F². Editi *et earum* omittunt, moxque scribunt: *Respice propitius* (E¹ *potius*) .. *amplecti debes illorum in religione consensum, quorum debes* (E² correxit sec. manu *religionis consensum eorumque debes*).

Digitized by Google

a. 483. et scripta illa diligentius[17]) vestigari, quae ad apicem summae regrediens potestatis ad decessorem meum pietas tua pro communi gratulatione direxerit. His[18]) eum nempe magna laude prosequeris, quod haereticam tyrannidem praedicationis catholicae vigore contriverit; quae utique illius viri praedicatio nihil aliud, quam de Eutychianae labis errore prorsus abolendo ejusque sequacibus excludendis ac pro synodi Calchedonensis definitione servanda reducendoque sanctae memoriae Timotheo rectae fidei sacerdote, tota sua textus serie prolocuta est. Haec certe tua mansuetudo cognoscit[19]), nec res incognitas tua clementia proferre potuisset, et palam aperteque professa, quod laudum tuarum testificatione firmasti.

7. Requirantur illa quoque, quae ad sanctae memoriae Timotheum orthodoxum Alexandrinum episcopum serenitatis tuae paginae sunt locutae, atque ex ipsis actibus intuere, nisi[20]) Petro ex memorata urbe secluso, qui ejus ecclesiae tunc temporis incubabat, supradictum Timotheum non fuisse revócatum. Vos ad eumdem venerandae recordationis pontificem jam reductum sacras venerabiles mox dedistis, quibus fideli pectore gloriamini, quod sanctae ecclesiae magnae civitatis Alexandrinae, providens orthodoxae fidei, Dominus noster ac Salvator verum rursus[21]) restituerit sacerdotem. Ubi manifestum est, quia quum hunc *verum* dicitis, illum fuisse falsum, qui est depulsus, ostenditis; et quum in venerando Timotheo *orthodoxae*[22]) *fidei Dominum* testamini *providisse*, pervasam modis omnibus in Petro perhibetis refutasse doctrinam: non ob aliud, nisi quia et ille, qui orthodoxus pronuntiatur et[23]) verus, Calchedonensi synodo, sicut ejus tunc missa tenet professio, consentiebat, et iste,

---

[17]) Ita E¹ E² F². Editi *diligenter investigari ... direxit.*

[18]) Ita E¹ E² F². Editi *his cum semper ... contriveris*, contra contextus et historiae veritatem. Similiter in sequentibus editi prorsus corrupte: *qua utique istius veritatis praedicatione nihil aliud quam de Eutychiano labores errore ... excludendis. Haec pro ... serie pie locuta est.* Codicum nostrorum auctoritatem sequimur, nisi quod consueto more *hac pro synodi* pingunt, F² etiam *laboris errore.*

[19]) Ita E¹ E² F², nisi quod E¹ *Hic certe ... tuam clementiam proferre potuisse ... professam* (F² *professe*). Editi *cognovit.*

[20]) Ita codices nostri; consentiunt vulgati, nisi quod *ex ea memorata ... ei ecclesiae ... gloriabamini* habent. E¹ secundis curis *nisi Petrus ... seclusus ... a supradicto Timotheo non fuisset revocatus.* F² *sint locutae ... ex ejus memoratae urbis ... qui ejus ... provocatum.*

[21]) Ita E¹ E² F². Editi omittunt *rursus* et deinde *hunc*; subinde iidem *qui pulsus est.*

[22]) Ita E¹ E² F², nisi quod E² secundis curis *refuisse* (fortasse pro *fuisse* repetita a priore voce littera *s*, quae apud veteres prorsus similis litterae *r*). Editi *orthodoxo fidem ... testamini reduxisse perversam in omnibus.*

[23]) E² post. manu *est verus Calchedonensis synodi observator sicut*, quum antea nostra et aliorum lectio. Moxque E¹ F² *ejus sumissa* (F² *suum missa*) *tenet professio congregabat*, ac deinde editi *perversus ejicitur.*

Digitized by Google

qui falsus et perversus edicitur, ab ejusdem synodi tramite discre- a. 483.
pabat.

8. Denique cunctos episcopos Aegypti universosque clericos[24]) increpatis, vestris generaliter apicibus sancientes, ut nisi intra duos menses ab his, quae a principio contra canones, contra ecclesias Dei, contra orthodoxam fidem cogitaverant[25]), abstinerent, atque ad beati Timothei communionem, quam impie reliquerant, dignae poenitentiae satisfactione remearent, non solum despoliandos honoribus verum etiam et Alexandrina urbe et omni Aegyptiaca regione carituros: injustum enim videri, sicut Christianus imperator affirmans, ut qui se ab[26]) Ecclesia, quae ubique terrarum est, segregarent, haberent sacerdotes dignitatem aut ullo sacri ministerii nomine censerentur. Vos indigne ferentes ab Alexandrinis seditiones iterum[27]) concitari, eos qui praeter ordinem clericalem simili deceptione tenebantur, nisi salutaribus monitis obedirent, tali poena dignos arbitramini, qualem non sustinerent nec ullis criminibus involuti.

9. Vos Petrum speciali notantes elogio, quod illicite se Alexandrinae injecisset ecclesiae, omnes qui tam ab eo quam haeretico Timotheo jam defuncto fuerant ordinati, si infra tempora[28]) definita resipiscerent, ad communionem catholici Timothei mandatis recipi (non etiam ad male praesumpti gradus privilegia debuerant admitti): consequenter addentes, ceteros deteriora subituros, si eligere meliora noluissent. Vos cujuslibet post has vanas[29]) satisfactiones causas cunctis penitus abstulistis, quia ipsos ab unitatis consortio discedentes recensuistis tulisse judicium. Vos de ipsius persona Petri quidquam denuo defricandum[30]) sapienti consideratione tacuistis: quippe quem

---

[24]) Ita E¹ E²; editi cum F² H³ *cleros ... increpastis*, et infrà *arbitrabamini ... mandastis*. Praesenti autem utitur tempore utpote ex tenore ipsarum sacrarum loquens.

[25]) Ita E¹ E² F². Editi *cogitaverunt ... atque beati ... communione ... reliquerunt*.

[26]) Ita E¹ E², quod et sensus postulat. Editi cum F² *ad ecclesiam ...* (F² *tenebrarum*) *... sacerdotes aut* (F² *ut*) *ullo sacro*.

[27]) Editi (omisso *iterum*) *concitatas ... propter ordinem ... arbitrabamini*, et delent *qualem non sustinerent etc.* Sequimur E¹ E² F², nisi quod E¹ *concitarunt*, F² *cogitaverunt .. involutis*.

[28]) Ita E¹ E² F², nisi quod *debueratis admitti*. Editi *infra finita tempora ... mandastis ... decreveratis admitti*. Haec Zenonis constitutio regulis ecclesiasticis consentanea erat, quibus generatim sancitur, ut qui praeter fas ordinati sunt removeantur; cf. Siricii epist. 10 n. 18, Innoc. epist. 3 n. 7, Coelestini epist 4 a. 8 al. Hinc etiam Simplicius epist. 18 n. 3 de Petro Mongo decrevit, ipsi poenitenti communionem indulgeri posse, non *fastigium sacerdotalis dignitatis*.

[29]) Ita E¹ E² F². Editi *varias satisfactionis causas ... quibus ipsos.* a³ *post haec spatia satisfactionis* lectionem vulgatam de suo corrigendam duxit.

[30]) Ita E¹ E² F². Editi *defricandi ... honore nudatum ... aut a nullis aut ab haereticis ... invidiosus intraret*.

Digitized by Google

a. 483. Ecclesiae arce dejectum, simul pervasi pontificii videretis colore nudatum, nec ullo modo fieri posse, ut unquam vel orthodoxis praesideret, qui aut nullis aut haereticis fuerat institutus, vel recidiva toties temeritate violentus ovile dominicum subdolus et insidiosus intraret.

10. Atque ideo quod corrigendis ejus praetendebatis sectatoribus irrogandum, huic jam quasi magistro sceleris rationabiliter[31]) deputabatis inflictum: ut quibus fomes merserat ad ruinam, fieret ipse metuendae damnationis exemplum. Quod usque adeo verum est, ut superstite venerando Timotheo religione solita jusseritis, si eidem humanitus aliquid evenisset, non nisi de catholicorum collegio clericorum et a catholicis consecratum substitui debere pastorem: quia utique nullo more, nullo ritu sub vestrae serenitatis obtutibus haeresis ipse praecipuus Eutychianae dementiae poterat esse vel dici orthodoxi successor antistitis. Quo igitur animo bestiam, quam a gregibus Christi eduxistis[32]) abigendam, in eorum denuo patimini saevire perniciem? Certe legibus, quas humanis rebus imponitis, mavultis vinci, quam promulgare contraria; quanto satius feceritis intemerata persistere, quae heri pro integritate retinenda totius Ecclesiae protulistis, quo et vere catholici imperatoris auctoritas inconvulsa permaneat, et nihil accidat, quod actibus apud Dominum vestrae felicitatis obsistat.

11. Cernis enim, venerabilis imperator, quia ut Calchedonensis synodi indubitata defensio inimicorum ejus elisio est, sic vicissim manifesta illius impugnatio[33]) comprobatur hostium venerandae ipsius

---

[31]) E^2 E^2 F^2 *rationabilibus.* Deinde editi *quibus fratres merserat* (E^1 *fomet*, E^2 *fomes*, F^2 *formes*; malim *fomitem* vel *foveas*). Ut sequentem textus restitutionem comprobemus, qua et sensus antea caliginosus lucem accipit et historiae fides vindicatur, nihil aliud opus est, quam ut lectiones codicum et editorum apponamus. Habet igitur E^1 *quo usque adeo verum est ut superstite venerande timotheo religionem sollita jusseritis ... evenis Non si de catholicorum etc.*; E^2 *Quo usque ad eum vero jusseritis si eidem umanitus aliquis evenisset non nisi;* F^2 *quosque ad eum verum est est ut super superstites venerande Timotheo legionem sollicita ... aliquis devenisset. Non nisi de catholicorum collectio clericorum ... subiit ut videre pastorem quia utique nullo more etc.* Editi *Quodque adeo verum est, ut superstare venerando Timotheo legionem sollicite jusseritis ... evenisset. Vos non nisi ... consecratum subiistis videre pastorem: quia ubique nullo ritu ... potuit esse.*

[32]) E^1 E^2 F^2 *eduxistis* moxque *legibus* (E^2 *legimus*) *quas humanis rebus imponitis ... satius* (E^1 *sacratius*, F^2 *sacrius*) *feceritis etc.* Editi *duxistis ... legibus, quas universis imponitis magis vultis ... satius fuerit ... quae heri pro ... et tui catholici imperii ... et nihil accedat ... felicitati.* Favet partim F^2 ... *quas unirebus impunitissimi vultis ... provulgare contraria . quanto sacrius fueritis ... persistere queri ... quo et tuere catholici imperatoris ... felicitatis.*

[33]) Ita E^1 E^2 favente partim F^2, nisi quod E^1 omittit *congregationis evectio*, E^2 ejus loco habet *congregationis electioque.* F^2 *ut ad Calch. ... defensio est ... ipsius congregationis electioque memorabilis quemadmodum.* Editi corrupte *impugna-*

Digitized by Google

congregationis evectio. Congregatio memorabilis, quemadmodum verba divina nos instruunt, *neque in dextrum neque in sinistrum limitem rectae dispositionis excedit, sed via,* ut scriptum est, *regia mediaque gradiendo,* hinc atque inde Nestorii Eutychetisque sacrilega[34]) commenta detestans, ita magnae pietatis praedicans sacramentum, ut omnipotentis Dei Patris consubstantiale consempiternumque Verbum, quod incommutabili Deitate[35]) descendit et incarnatum est, ab ipso ineffabili conceptionis exordio, quam sibi in utero virginis matris potenter instituit, unum eumdemque Jesum Christum dominum nostrum, unum eumdemque et Dei et hominis filium, unum eumdemque inconfuse, indivise Deum hominemque veraciter permanentem intemerata Patris lege prolatum, in hoc mundo fuisse conspicuum, divina simul humanaque gessisse, mortuum atque ex mortuis resurgentem in Patris dextera residere, itaque[36]) inde venturum, ut est visus ire in coelos, eatenus profiteatur, quatenus et librorum memorat traditio divinorum et Nicaeni concilii formam secuti cuncti retro praedicavere pontifices: sicut eorum tam Ephesino plurima competenter inserta conventui, quo beati papae Coelestini temporibus Nestoriana pestis exstincta est, quam datis augustae memoriae Leoni papae sanctae memoriae Leonis epistolis capitula subjecta testantur; quibus vir ille[37]) permotus, consulens etiam totius Orientis episcopos eorumque responsa subscriptionesque super synodi Calchedonensis approbationem suscipiens, eam nullatenus passus est mutari. a. 483. Deut. 25,32.

12. Quo magis Christiana mente perpenditis[38]), et hoc esse verum, quod cum divinis assertionibus catholicorum de toto orbe doctorum longe antequam hujusmodi quaestio nasceretur, consona ubique dicta cecinerunt, et ideo nulla iteratione refovenda, quae constarent jure damnata: ne non solum causa praesens in omne catholici nominis tendat[39]) exitium, sed etiam cunctis haeresi-

---

tione ... cognitionis evectio. Meministis, quemadmodum ... excedere. a^3, codicum mss. expers, loco *cognitionis* suasit *constitutionis* seu *definitionis*, c^6 *protectionis*, ubi tamen nec sensus nec oratio satis sanatur.

[34]) Ita E^1 E^2; F^2 *sacrilega commendat ... instruit*, editi *sacrilegia condemnata ... sempiternumque.*

[35]) Ita E^1 E^2 F^2. Editi *deitate et incarnatum est et ab ipso ineffabilis ... potenter instruxit.*

[36]) Editi *itemque* moxque *profiterentur ... forma, sicuti ... sic eorum tam Ephesino primo competenter inserta.* E^1 E^2 F^2 sequimur.

[37]) Ita E^1 E^2 F^2. Editi *ille cónsulens ... episcopis ... ea nullatenus ... approbatione.* — Ex horum responsis concinnatus est liber encyclius, quem Epiphanius scholasticus ut in Belvacenci codice notatur, in latinum sermonem convertit.

[38]) Ita E^1 E^2 F^2. Editi *perpendit*, moxque *consonantia* (F^2 *consonat*) *ubique dicta concinuerant ... refodienda.*

[39]) Ita E^1 E^2, nisi quod cum F^2 *exilium.* Editi et F^2 *extendat.* Lectionem nostram confirmant illa sequentis epistolae n. 8: *Unde si contra synodi Calche-*

Digitized by Google

a. 483. bus[40]) publica belli resumendi pandatur occasio, si quolibet modo, quod semel a veteribus universaliter decisum est, retractetur. Ubi[41]) esse jam consequens proculdubio pervidetis, Alexandrinae ecclesiae pervasorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris praeceptionibus, quibus merito dudum probatur ejectus, esse nihilominus addicendum. An non ipse est[42]), qui per triginta fere annos catholicae desertor Ecclesiae inimicorumque ejus sectator et doctor et ad fundendum sanguinem velox fuit semper et promptus? Numquid[43]) adhuc istum dissimulatione sumus quadam et conniventia recepturi? In quo revera non est opus discussione subtili, quia ejus aperta sunt crimina.

† 13. Dolet certe pietas tua[44]), quod per diuturnos partis alternae gravesque conflictus multi de hoc saeculo videantur ablati aut baptismatis aut communionis expertes. Sub hoc ergo praesule ne[45])

---

donensis instituta tendere ... quia non solum in hac causa adversus omnem catholici dogmatis tendatur unitatem.

[40]) Ita E¹ E², ut et aperta auctoris sententia postulat. Editi cum F² H⁵ *residuis publica bella.*

[41]) Editi *uti esse jam pervidetis A. e. perversorem ... nihilominus abigendum.* Resarciuntur ex Gelasii tract. II, sub cujus initium locus hic insertus est, cuique concinunt E¹ E² F², nisi quod *consequens* omittunt.

[42]) Ita E¹ E² F², quibus concinit Gelas. l. c, nisi quod cum F² H⁵ *fere* omittit. Editi *est per triginta annos.* Sunt autem revera triginta anni et unus ab eo tempore, quo Dioscorus in exsilium ejectus est et Proterius in ejus locum suffectus, quod anno 452 contigit. Inde ab eo tempore is Petrus adhuc diaconus et Timotheus Aelurus tunc presbyter se ab Alexandrina ecclesia separarunt; cf. gesta de nom. Acac. n. 4 et Evagr. III, 5 et 8. Propter caedem autem Proterii et iteratas Alexandrinorum seditiones effusione sanguinis redundantes (cf. Evagr. III, 14) Petrus hic *ad fundendum sanguinem semper velox et promptus dicitur.*

[43]) Ita E¹ E², etsi suo more corrupta scriptura: E² *Numquid adhuc istum desimulatione sumus et cohnibentia recepturi;* E¹ *dissimulatione sumus quadam et chohibentia recepturi in quo.* Quibus favet Gelasius l. c., nisi quod *et istam dissimulationem sumus quadam ex conhibentia.* F² autem: *Numquid adhuc istum de simulationem sumus quadam ex quohibentia praeceptori.* Unde editi corruptius: *Numquid ad hanc istam dissimulationem sumus quadam ex conviventia* (ad marg. *conniventia*) *praeceptoris?* Porro simulationem quidem Petri etiam Evagr. III, 17 notat, eum *vetus cothurnum quemdam et veteratorem sese temporibus accomodasse, ac nunc quidem Calchedonensem anathematizasse synodum, tunc vero eamdem omnibus suffragiis amplexum esse.*

[44]) Scil. in Henotico. *Ex hoc enim contigit,* ibi Zeno apud Evagr. III, 14 dixit, *ut innumerabilis hominum multitudo, quam tot annorum spatio temporis longinquitas ex hac luce subtraxit, partim regenerationis lavacro fraudata interierit, partim absque divinae communionis perceptione ex hac vita migraverit, utque innumerae caedes perpetratae sint, et effusi sanguinis copia non terra solum sed etiam aer ipse sit contaminatus.*

[45]) E² F² *ne non sint baptizati efficiantur ... transeant in perditorum.* E¹ *ne non sint baptizati efficiantur haeretici et ne sine communione non baptizati efficiantur haeretici et ne sine communione transeant in perditorum.* Difficile dictu, num sola scriptoris incuria an aliqua varia lectione haec confusio prodierit.

Digitized by Google

non sint baptizati, efficiantur haeretici? Et ne sine communione a. 483.
transeant, in perditorum pravitate deficiant: ut, quemadmodum scriptum est, *Caecus caeco ducatum praebens cum eodem mergatur in foveam?* Matth. 15, 14. Non est hoc, oro te, accessisse[46]) remedium, sed crevisse periculum, quando nec sauciis adhibetur fida curatio, et sanis ingeritur miseranda contagio. Nam quod[47]) aiunt sedari posse furores suos, si tali rectore potiantur, quid est aliud dicere, quam causam nullam superesse certaminis, si haereticis victoria tribuatur? Proinde quibus inferri castigationis aliquid etiam corporalis ut pater patriae benignus horrescis, multo clementius eorum animas non patiaris intercipi[48]), sed pia dispositione compressos tandem subdi facias catholico sacerdoti: ut et verae regenerationis effectum et in aeternum sibimet profuturae communionis auxilium consequantur. Suggerit[49]) vobis divina providentia facultatem, qua eidem matura referatis opera praestitorum. Depulit ille[50]) vestrae religionis vastatorem; vos ab ejus Ecclesiae cervicibus irruptionem deturbate praedonum. Pacavit ille rempublicam, sicut vester quoque sermo testatur, a tyrranide[51])

Equidem ex ea textum veriorem aliquatenus restituisse mihi videor, quum editi nulla auctoritate usi vix felicius ita proferunt: *ne sint baptizati et efficiantur haeretici, et sine communione transeant, ne in perditorum pravitate deficiant: ut etc.* ... Est autem sensus ejusmodi: *Sub hoc ergo praesule, ne non sint baptizati, num liceat effici haereticos? Et ne sine communione transeant, num liceat in perditorum pravitate defici: ut, quemadmodum ... foveam?* Observatione digna est Felicis responsio, qua satius esse docet, omnino non baptizari, quam baptismo haereticum effici, ex hac vita sine eucharistiae perceptione migrare, quam eam ab haereticis suscipiendo haereticae labis societate pollui. Hac doctrina imbutus s. Hermenegildus, Gregorio dialog. III c. 31 teste, paschalem sollemnitatem transigere et vitam ipsam finire sine eucharistia maluit, quam ab Ariano episcopo sacrilegae consecrationis communionem suscipere.

[46]) Ita E[1] E[2]; F[2] corrupte *accerrisseme decrevisset... nec causis adhiberetur foeda curatio.* Editi *acerrimum decrevisse periculum.*

[47]) Ita E[1] E[2] F[2], nisi quod F[2] *in furores ... sive haereticis.* Editi *quomodo ejus s. p. si in futuro furores suos potiantur. Quid est illud dicere jam causam ... nisi haereticis*; id quod nec antecedentibus consonat nec sanum sensum praebet. Deinde omittunt *patriae.*

[48]) Ita E[1] E[2] F[2] et editi, nisi quod E[2] *interfici ... dispensatione,* F[2] *disputatione,* editi *depositione ... ut verae generationis ... securum sibimet* (F[2] *ut in eorum sibimet*).

[49]) E[2] F[2] *suggerit* (F[2] *subierit*) *nobis* (E[1] *vobis*) *divina providentia facultatem quae idem matura feratis* (F[2] *qua eidem mater efferatis*) *opera prestitorum*; unde nostram lectionem expiscati sumus. Editi *Subjecit vobis ... qua itidem effringatis opera perfidorum.*

[50]) Scil. *Deus.* Sic enim papa orationem prosequitur, quasi proxime *Dei providentia* scripsisset. *Religionis vestrae* (editi *nostrae*) *vastatorem* autem Basiliscum intelligit.

[51]) E[1] *haereticam ... ipsius* et mox cum E[2] F[2] *exuite* (E[1] *eruite*) *Christianos. Restituit ille vos aulae legitimae imperatoris jure* (E[2] *legitimo imperatore*) *suffultos.* Editi nescio qua auctoritate: *haeretica; libertatem vos ab ipsis ... eruentes Chri-*

Digitized by Google

a. 483. haeretica libertatem; vos ab ipsius haereseos praeceptoribus populos eruite Christianos. Restituit ille vos aulae legitimae; imperatoris jure suffultos reddite vos magistro discipulum et sedem beati evangelistae Marci ad communionem beatissimi Petri debita[52]) eorum meritis devotione reducite: ut ipso in vobis opus bonum perficiente, Matth. 10,22. qui coepit, securi audire mereamini: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* et ad tuae gloriae cumulum ita vice Dei praesideas mundo[53]), veraciter exsistens Divinitatis imitator, atque adhuc in rebus temporalibus constitutus, jam experiaris et munus in aeternam tibi beatitudinem praeparatum.

14. Quia[54]) vero cuncta litteris non potuerunt comprehendi, quae negotii qualitas non sinit praeteriri, quaedam veneratoribus vestris fratribus et coepiscopis meis, quibus cura legationis injuncta est, proprio apud vos agenda sermone commissa sunt. Precor, ut ea quoque[55]) et audire benignius et indifficulter annuere quum pro catholicae observantia veritatis tum etiam pro regni vestri incolumitate dignemini.

Epistola 2.

a. 483 m. Mart.

Felicis papae ad Acacium Constantinopolitanum.

Incusans obstinatum ejus silentium (n. 1 et 2), pontifex instantius hortatur, ut prioris conversationis non immemor imperatorem ad tuendum catholicum Johannem et pellendum haereticum Petrum omnimodo instimulet (n. 3—10). p. 9

Felicis ad Acacium episcopum per Vitalem et Misenum[1]) episcopos.

1. Postquam sanctae memoriae decessore meo papa Simplicio de[2]) hujus vitae cursu superna praeceptione migrante, ministerii, quod regebat, ad meae humilitatis officium gubernacula pervenerunt, inter diversas generalis Ecclesiae curas, quas ubique terrarum cunctis populis Christianis summi pastoris voce delegante beatissimus Petrus apostolus pervigili moderatione dispensat, continuo me. sollicitudo maxima, quae et praedecessorem meum incessanter angebat, tam

stianis restituite. Ille vos aulae legitimae restituit imperatoris jure suffultos; reddite vos m. discipulum; sedem beati Marci evangelistae ad etc.

[52]) Editi *de vitae*, et mox *coeperit secure*; E² *demta*, E¹ F² *devita*, unde nostra lectio. Est lapsus librariis usitatus *v* pro *b* pingendi.

[53]) Ita E¹ E² F², et mox E¹ *existas*. Editi *verendus veraciter*.

[54]) E¹ F² *Quia autem ... poterant ... veneratoribus vris* (F² *venerationibus nostris*). Editi *Quod vero ... potuerunt ... venerabilibus nostris*.

[55]) Ita E¹ E². Editi *quaeque ... benignus ... tum pro*.

[1]) In Gelas. tract. I (*gest. de nom. Acacii* n. 13) vocatur Vitalis *episcopus Troentinas ex Picena regione* et Misenus *Cumanae ecclesiae episcopus ex regione Campaniae*.

[2]) Ita E¹ E² F², nisi quod E² *agebat*, F² *tangebat*, et mox E² F², *quamq. status*, E¹ *quam que status*. Editi *de vitae ... in diversas ... incessanter urgebat ... quam status ... regionis excepit*.

Digitized by Google

Alexandrinae urbis quam qui status fidei totius Orientalis regionis a. 483.
esset excepit. Haec nos diebus noctibusque perstringens, ad dominum filium nostrum Christianissimum principem per Vitalem et Misenum fratres et coepiscopos nostros legationem compulit destinare: quae vice mea pietati ejus et debita praesentaret officia, et pro fide catholica majorumque nostrorum servandis constitutionibus supplicaret.

2. Hac[3]) igitur illo pergente, par fuit dilectionem tuam dilectis pariter salutare colloquiis et consequenter hortari, ut aliquando tandem causis[4]) te Domini communis impendas, nec despiciendum putes, quod pro Christi confessione veridica atque uniuersalis ejus Ecclesiae definitione vel de pace concorditer exsequendum est, si illius et honore cupis esse clarus et nomine. Fatemur enim secundum apostolicam vocem, *magnam nobis inesse tristitiam et dolorem* Rom. 9, 2.
cordis nostri continuandum[5]) cogitationibus, quas juges pro coelestibus negotiis sustinemus. Imprimis illud, quod dudum ante oculos fere omnium versabatur[6]), occurrit: cujusnam rei videlicet interesse judicamus, quod dilectio tua non modo tantis opportunitatibus indesinenter exortis, verum etiam saepenumero decessoris mei litteris incitata, velut obstinata silentio nunquam super hanc partem aut consulere quidquam voluerit aut referre: quum[7]) neque nos aliquid temere sinistrum, quod absit, de tua mente conveniat opinari, et tamen quia venerabilium virorum, qui ecclesiam cui praesides ante rexerunt, morem formamque destituas, ullo modo possit non esse suspectum?

---

[3]) E¹ E¹ F² *Hec igitur illo pergentes* (F² *pergente*) *par* (F² *pars*).

[4]) Ita locum antea mutilum ex E¹ E² F² H⁵ restituimus, nisi quod F² H⁵ *causis pater de domini ... quod Christi*, E¹ E² *causis te domini communis* (E¹ *communionis*), et E¹ *vel pace*. Bar. et editi *patrocinium causae domini ... putes Christi ... et universalis e. E. definitione — vel de pace concorditer — si illius.*

[5]) Ita ex E¹ E² F² H⁵ restituimus. Siquidem E¹ E² *continuam dum ... quas juges pro celestibus*, F² H⁵ *continuandum ... quas iuies* (H⁵ *quasi uies*) *procellentibus.*

[6]) Ita E¹ E² F² H⁵; editi *vertebatur*. Moxque correximus auctoritate eorumdem mss., nisi quod E² *indesinenter extorris*, F² H⁵ *saepenumero decessoribus meis*. Editi *cujusnam rei causa videlicet intercessit, indica nobis, quod ... a decessoribus meis litteris invitata* (ad marg. *incitata*) *velut obstinato*. — Cum hac quidem Felicis expostulatione non convenit, quod Liberatus breviar. c. 18 scribit: *Acacius vero susceptis epistolis Simplicii rescripsit ei, quia Johannem quidem Alexandriae ignoraret episcopum, Petrum vero Mongum suscepisset in communionem in Zenonis principis unitivo.* Sed idem scriptor a se ipse dissidet, sic eodem in capite subjiciens: *Quum per quinque annos saepius fuisset admonitus Acacius, ut de statu Alexandrinae ecclesiae sancti papae sollicitudinem relevaret, nihil unquam respondere dignatus est.*

[7]) Ita locum ex E¹ E² correximus, nisi quod E² *tenere* et cum E¹ *illo modo*. F² H⁵ et editi *Cumque nos ... opinari* (F² *et*) *tamen ... ullo modo possis* (F² H⁵ *possit*) *non esse suspectus?* (F² H⁵ *susceptus*).

Digitized by Google

a. 483. 3. Certe si, ut[8]) non credimus, beati apostoli vicariis reverentiam tuam tuis deferre fastidis affectibus, memor saltem sacerdotalis officii pro fidei integritate catholicae, pro paternarum custodia sanctionum, pro synodi Calchedonensis constitutione servanda, quae Nicaeni conventus[9]) pendet arcte articulo, atque ejus ubique hostibus comprimendis, sicut orthodoxorum urbis illius imitator antistitum[10]), constanter exsurgere debuisses: quoniam te aliter membrorum corporis Christi monstrare non possis, nisi nullatenus providere destiteris, quae ejus per totum mundum docentur prodesse contagiis.

4. Proinde adire crebrius[11]) decuerat Christianae mentis Augustum, et causas eidem salutis suae atque ad imperium reditus et conservandi ejus auxilium frequenter ingerere; unde inimici illius corruerint, et qua via idem surrexerit, nihilominus intimare ei; scripta illa sensibus pietatis ejus offerre, quibus decessorem meum eximia laude sustulit[12]), quod haereticam tyrranidem catholicae veritatis assertione confoderit. Item illa quoque, quibus Petrum Alexandrinae[13]) cervicibus decussit ecclesiae, ut sanctae memoriae Timotheum revocaret orthodoxum. Nec illa praeterire, quibus episcopis et clericis laicisque per omnem Aegyptum constitutis, quod a divina Christiana professione deviassent, sicut catholicus imperator objectans[14]), nisi intra duos menses ad communionem sancti Timothei redirent, et honoribus et ecclesiis omnibusque in illa regione denuntiavit esse privandos. Simul etiam, quibus Petri, quem illicite se Alexandrinae ecclesiae injecisse perhibuit, ac Timothei haeretici jam defuncti ordinationes vel ea, quae de[15]) secreto per domos dicebantur actitare,

---

[8]) Et in his sequimur E¹ E² F² H⁸, nisi quod scribunt *fastidiis ... memor saltem*, E¹ autem *affratribus*, F² H⁸ *aut non credimus ... victoriis*. Editi *quod non credimus dedignaris b. a. victoris reverentiam tuis deferre fastuosis affectibus, memor saltem officii.*

[9]) E¹ E² F² H⁸ *conventus pendet ardet* (E² *pendet. Ardet*) *articulo atque ejus ubique*. Bar. inde mutavit *conventus penitus probat articulos atque pro eis*. Nostra lectio (*arcte* vel *arte* loco *ardet*) vix ab archetypo discedit.

[10]) E² *constitutum*. Deinde editi *aliter inter membra ... desisteres illis quae per t. m. d. obrepsisse*. Sequimur mss., nisi quod F² H⁸ *desisteres* (E¹ E² *desisteris*) ... *ducerentur prodesse contagii*, E¹ E² *decerentur* (E¹ *docerentur*) *prodesse conpagii*.

[11]) Ita E¹ E² F² H⁸, nisi quod E² F² *surrexerint* scribunt. Editi *adire debes saepius Christianae ... atque etiam imperii redditurus*.

[12]) Editi *extulit eo quod*. Scripta haec imperatoris, quae et Simplicius epist. 6 n. 3 laudat, jam non exstant, sicut nec duo alia simul missa, quae Felix mox memoraturus est; cf. Simplic. not. epist. non exst. n. V.

[13]) Editi *Petrum Alexandrinum ab Alexandrinae ... excussit ecclesiae et s. m. ... revocavit*.

[14]) Ita E¹ E² F² H⁸, sed postea *Timothei et honoribus* (E¹ add. *et*) *ecclesiis omnibusque illa*. Editi *obtestans ... honoribus, ecclesiis*, et omittunt *sancti*.

[15]) Ita nostri mss., nisi quod E¹ omittit *de*, F² *per modos dicebant iterare cassavit*, E¹ E² *actita recassavit*. Malim *actitari* vel *actitasse*.

Digitized by Google

cassavit. Nec non etiam illud adnectere, quod quum Timotheus a. 483.
sanctae memoriae catholicus fungeretur extremis, divinae adspirationis[16]) instinctu tam ad ejus pontificis consulta rescribens quam ad urbis Alexandrinae clerum, omni providentia mandaverit praecavendum, ut si praefatum Dominus sacerdotem de terrena conversatione transire jussisset, non nisi de catholicorum corpore clericorum, et qui orthodoxae fidei probaretur esse discipulus omnibusque communicaret ecclesiis, atque a catholicis ordinatus succederet defuncto pontifici: nimirum sapienter intendens, Petrum, qui aut a nullis aut ab haereticis falsi nominis hunc honorem jactaretur indeptus, catholicae ecclesiae, cujus temeraria fuerat praesumptione depulsus, nunquam posse penitus praesidere.

5. Haec et hujusmodi, quae gesta sunt et dilectionis tuae conscientiam non latebunt[17]), convenerat saepius impertiri: praecipue quum in his Christianissimo principi promulgandis, quando ad regiam potestatem Deo comitante remeavit, operam tuam missis huc litteris[18]) non tacueris vehementer impensam, eisque[19]) digna catholico pontifice voce gloriareris, omnes qui contra fidem vestram contraque Calchedonensem synodum et contra praedicationem sedis apostolicae venire tentaverant, fuisse prostratos. Quo magis te pro tua salute et professione ferventius apud clementiae ejus aures oportuerat talia incessabiliter allegare ac magnopere deprecari, quo nec suam, quam catholica mente deprompserat[20]), temerari ullatenus pateretur cujuslibet subreptione sententiam, nec adversus universalis Ecclesiae sanctionem *per haereticorum furias, quas Deo inspirante pietas ejus f. delendum.
eliserat, sineret denuo pullulare[21]); quia manifestissime pervideres,

---

[16]) Ita nostri mss., quibus partim favet illud Gelasii epist. 1 n. 14 (Petrum) *ab haereticis falsum nomen sacerdotis indeptum.* Editi *inspirationis ... mandavit ... sacerdotem transire jusserit ... hujus honore jactaretur super petram* (ad marg. *unde Petrus*) *cath. eccl. e qua ejus temeraria.* Ansam huic errori praebuerunt F^2 H^6 *hunc honorem jactaretur inde petrus catholicae.* — Hoc Zenonis rescriptum Evagrius h. e. III, 12 notat his verbis: *Imperator lege lata sanxit, ut post mortem Timothei is esset episcopus, quem clerus et populus suffragiis suis elegissent.* Quod ille paucis perstringit, hic Felix accuratius explicat.

[17]) Editi *latent*, moxque mss. *saepius imperari.*

[18]) Etiam hae Acacii ad Simplicium litterae non exstant (cf. not. ep. non exst. Simpl. n. VI). Lex autem, cujus mox mentio fit, est l. 16 Cod. Just. I, 12 „*dat. XVI. Kal. Jan. Armato v. c. cs.*" (a. C. 476).

[19]) Ita E^1 E^2 F^2, nisi quod *quod magis.* H^6 b *impensam esse dignam c. pontifice*; *gloriareris ... contra sedem nostram* (ad marg. *vestram*). Etiam F^2 omittit *voce* et scribit *sedem vestram.*

[20]) E^2 *depromiserat*, moxque editi *violari* (loco *temerari*). Paulo ante a^3 *oportuisse* mutandum suasit, referens ad sequ. *quam manifestissime pervideres.* Lectio, quam secundum codices nostros praebemus, per se integra est.

[21]) Ita E^1 E^2. Editorum lectio intrincatissima vixque puri sensus *quam m. p.*;

Digitized by Google

a. 483. aut tuam modis omnibus impeti praedicationem, si rursus, quae exstiterant eidem adversa, consurgerent, aut eamdem sine dubitatione firmari, quando huic reluctantia, sicut dudum fuerant subversa, jacuissent: ne vel tuae, quod absit, fidei destitutor vel perfidiae dicereris fautor alienae. Error[22]) enim cui non resistitur approbatur, et veritas quae minime defensatur opprimitur. Deinde quum tibi Domino praestante magnam apud dominum filium nostrum religiosum principem familiaritatem esse noverimus, nulli[23]) unquam poterit suaderi, dilectionem tuam nequivisse gerere, quam potius noluisse. Et ideo quia non[24]) impossibilitatis fuit, sed voluntatis esset, quod taceretur, ipse quoque non ambigis, quid hinc universalis judicare possit Ecclesia.

6. Ubi est, frater Acaci, labor tuus, quo tyrannidis haereticae tempore desudasti? Paterisne[25]) tandem conscientiae tuae ejusdem
Gal. 5, 7 et 3, 1. perire mercedem? Respice apostoli verba testantis[26]): *Currebatis bene; quis vos fascinavit?* Cur eorum fructus, quae rite seminaveras, nunc relinquis? Cur irruentibus in ovile dominicum lupis nulla vigilantia ministerii pastoralis obsistis, sed aequanimiter atque securus commissum gregem aut laniari praespicis aut necari? Nonne[27]) discer-
Joh. 10, 11 ss. nentem recolis Dominum, et animam suam quidem pro ovibus ponere pios pro devotione pastores, mercenarium autem de his curam penitus non habentem, mox ut bestiam forte conspexerit, sine ulla

---

ac tua m. o. praedicatione rursum in ea quae exstiterant ei adversa consurgeres, atque eadem sine dubitatione firmares. Quibus partim, partim nostris codicibus, favent F^2 H^6, nisi quod F^2 ... *ad tuam m. o. praedicatione si rursum quae exstiterant id est adversa consurgerent, ut eamdem quae finem dubitatione quando huc reluctantia*, H^6 ... *exstiterant eidem adversa etc.*

[22]) Hanc sententiam cum altera sequenti n. 8 „*negligere quippe quum possis deturbare etc.*“ Gratianus c. 3 D. 83 uno tenore Innocentii nomine citat ac simul copulat, sed falso, ut nota 33 firmabitur. Eidem similis est illa Coelestini epist. 21 n. 2: *in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, ... merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem.* Hoc autem hujusmodi silentium excusare nulla ratione Acacius poterat, qui nominatim adversus haereticorum molitiones et errores vigilandi curam in se receperat.

[23]) Ita E^1 E^2 F^2 H^6. Editi *nullus unquam potuit ... quin potius*, et antea omittunt *magnam*.

[24]) E^1 E^2 *non impossibilitatis fuit sed voluntatis esse quod tacetur*, F^2 H^6 *non possibilitatis esset quod tacetur*, editi *non impossibilitatis esset quod taceretur* — unde nostra lectio facile probatur.

[25]) Ita E^1 E^2. F^2 H^6 *patescut denudandum conscientiae tuae ejusdem*, editi *Patieris hoc damno conscientiae tuae ejusmodi.*

[26]) Ita E^1 E^2, quibus partim concinentes etsi corrupte F^2 H^6 *testantur ... con fascinavit ... eorum fratres querite semitas vras* (E^2 *querite seminas veras*). Editi *quae testantur ... confascinavit ... cur eorum frater quaerere semitas veteres n. r.?* Deinde cum F^2 *perspicis.*

[27]) Editi *Non dicentem*, sequimur E^1 E^2 F^2 H^6. Mox E^1 E^2 *conspexerint.*

Digitized by Google

diffugere consideratione testantem? Verum quum tibi fugiendi tam[28]) nulla sit causa, tam nulla formido est, metuo, ne septa dominica non tam pavore deserere, quam, quod est detestabilius, sponte videaris saevientibus objecisse. a. 483.

7. Ausculta vocem ejusdem Domini praemonentis: *Qui mecum non est, contra me est, et qui mecum non colligit, spargit*[29]). Et diligenter attende, nihil aliud esse non procurare quae Christi sunt, nisi se palam profiteri ejus inimicum. Non desperemus, frater, veram Salvatoris nostri esse sententiam, qua se usque ad finem saeculi Ecclesiae suae non defuturum esse pollicitus, nec ab inferni portis eam dixerit esse superandam, quia omnia, quae per apostolicae scita doctrinae ligarentur in terris, nec in coelestibus memoravit absolvi. Neque putemus, quod quibuslibet sit vallata periculis, unquam pondus vigoris sui vel censura beatissimi Petri vel auctoritas universalis amittat Ecclesiae: quae quanto magis cavet, ne mundi prosperitatibus intepescat, tanto non frangitur, sed potius erudita divinitus crescit adversis[30]). Ubi[31]) prospiciendum est, ne eam, quae nullis potest obrui molibus procellarum, quicunque[32]) submergere nititur in hujus saeculi pelago fluctuantem, ipse potius a gubernatione salutari in profunda dejectus illa praevalente mergatur. Luc. 11, 23. Matth. 28, 20, 16, 18 et 16, 19.

8. Atque ideo, quum ita[33]) sit, moneo, hortor et suadeo, ut quae omissa sunt corrigas, et sequentibus studiis de te facias meliora sentiri. Negligere quippe, quum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere; nec caret scrupulo societatis occultae, qui evidenter facinori desinit obviare. Unde si contra synodi instituta Calchedonensis tendere hostilia corda praespicis[34]) et quiescis, mihi crede, nescio quemadmodum te Ecclesiae totius asseras esse

---

[28]) Ita E^1 E^2 F^2 H^4, nisi quod F^2 H^9 *tam nulla fortitudo est.* Editi *nulla sit causa nam*, moxque cum F^2 H^4 *saevis dentibus* (F^2 *si videntibus*) *objecisse* (F^2 H^2 *dejecisse*).

[29]) Ita E^1 E^2 F^2 H^9. Editi *dispergit ... Non desperemus facere* (*facere* etiam F^2 H^4 add.) *frater ... nostri sententiam ... pollicitus est nec ab inferi p. e. dixit ... et quae omnia per.*

[30]) Quod suspicatus Hard., praebent revera nostri mss. Editi *adversus.*

[31]) Ita E^1 E^2 F^2 H^9. Editi *Unde* (ad marg. *ubi*) *perspiciendum ... motibus.*

[32]) Ita E^1 E^2 F^2 H^4. Editi *eam submergere ... in ipso saeculi pelago fluctuantis.* Moxque E^2 *salvatori.*

[33]) E^2 *ita sint* et mox cum F^2 *ommissa* (E^1 *eo missa*), ubi editi *commissa.* Sequentia verba *Negligere quippe ... desinit obviare* Felicis nostri nomine Victor episcopus Carthaginensis in epistola ad Theodorum papam laudat, quae in concilio Lateranensi sub Martino lecta est, eaque ipse Martinus ibidem approbat Hard. coll. conc. III, 758 et 759). Eadem Isidorus Mercator quum epistolae Eleutherii papae ad Galliae provincias c. 3, tum litteris Orientalium ad Julium, tum denique litteris Aegyptiorum ad Felicem papam inseruit, ac quidem ut ex duobus postremis locis liquet, ex memorata Victoris epistola descripta.

[34]) Ita E^1 E^2 F^2 H^4, nisi quod E^1 cum editis *perspicis ... asseris.* Editi *per-*

Digitized by Google

a. 483. principem. Ante[35]) oculos praeterea non reducis, quia non solum in hac causa adversus omnem catholici dogmatis tendatur unitatem, sed etiam cunctis haeresibus, quae se nobis melius sentire praetendunt, resumendi vires atque in ausus pristinos resurgendi late campus aperitur, si semel quod a nostris majoribus est sopitum, qualibet occasione pulsetur?

9. Unde iterum atque iterum protestamur, ne in abruptum totius Ecclesiae status[36]) per audaciam contra synodum catholicam insurgere molientium sinatur abduci. In quo quidem certamine firmum fundamentum Deus statuet, sicut de eo nobis non[37]) licet de-
2 Tim. 2, 19. sperare; et *novit Dominus qui sunt ejus.* Verumtamen salvo eo, quod in die judicii talem a nobis Ecclesiam certum est, qualem a patribus accepimus, exigendam, etiam in hac vita se ad eam non pertinere cognoscat, qui non solum plenitudini ejus noxia conatur inferre, sed etiam qui[38]) eidem congruentia dissimulat providere. Absit, ut de tua dilectione taliter nos credamus, quem et dudum pro catholica fide viriliter stetisse reminiscimur, et a totius Ecclesiae corpore nolumus discrepare. Quapropter instantius, quia[39]) te sincero diligimus caritatis intuitu, crebro repetitis adhortationibus incitamus, ut ipse vicissim et haec devites, quae te ab omni domo Christi ostendant esse disjunctum, et magis illa secteris, quae ab eadem te non faciant esse divisum.

10. Multa vero, quia inorme[40]) fuit litteris universa congerere, quae utilitas negotii praesentis efflagitat, fratribus et coepiscopis nostris apostolicae sedis legatione fungentibus vel cum domino filio nostro clementissimo principe vel cum tua dilectione colloquenda mandavimus: quae[41]) aequum est et pro catholicae fidei observatione

---

spicis, quiescis ... asseris esse participem. Sugillare simul pontifex videtur Acacii arrogantiam, qua se universalis Ecclesiae episcopum (ἄρχοντα) facere tendebat.

[35]) Ita E^1 E^2. Editi cum F^2 H^6 *Ad te oculos ... quae vel se* (F^2 *que vel herese nobis*) ... *inter usus* (F^2 *intra usus*, E^2 *in usus*, E^1 *in ausus*) ... *latus* (F^2 H^6 *late*) *campus.* Deinde E^1 E^2 *sopitum*, F^2 H^3 *repositum*, ubi c^4 c^6 c^7 *depositum*, alii *dispositum.*

[36]) Ita E^1 E^2 F^2 H^3, editi *statuta.* Mox E^1 E^2 *se conatur*, H^6 F^2 *si conatur* loco *sinatur.*

[37]) Ex eo, quod F^2 H^3 *licet disperare* (F^2 *desperare*), E^1 E^2 *non licet desperare*, editi legunt *licet sperare.* Forte probatur prima lectio, etsi vox *disperare* alias vix invenitur. — Deinde editi cum F^2 *accipimus.*

[38]) Ita E^1 E^2; F^2 H^3 *que eidem congruentia sunt*, editi *qui ea quae e. c. sunt.*

[39]) Ita E^1 E^2 F^2 H^3; editi *qui te.* Mox editi *hortationibus ... ea post haec devites* (F^2 *ea et haec*) ... *nec magis ... te faciant.* Codices nostros sequimur, nisi quod F^2 H^3 *et magis ... te faciant.*

[40]) E^1 E^2 *inhorme*, F^2 H^3 *innorme*, editi *non opus fuit ... quaeque utilitas ... coepiscopis apostolicae.*

[41]) Ita mss. nostri, nisi quod E^1 *successionibus.* Editi *quod ... necessariam.*

Digitized by Google

prompta mente suscipere, et pro tuae aestimationis intuitu necessariis a. 483.
apud augustae mentis benevolentiam suggestionibus adjuvari.

Epistola 3.

Felicis ad Acacium libellus citationis.

a. 463 m. Mart.

p. 10. *Ut Acacius in synodo Romana compareat, ad objecta Johannis Alexandrini responsurus.*

1. Episcopali diligentia commonente debuerat dilectio tua ecclesiasticum morem secuta, quid responsio sanctae memoriae praedecessoris mei per virum devotum Uranium[1]) subadjuvam apud Christianissimum principem, quid apud te quoque litterae ipsius in causa Alexandrinae ecclesiae profecerint, indicare, et curam, cujus te non immerito voluit esse participem, juncto[2]) studio prosperorum significatione moliri: ut catholica fides, apud Calchedonem synodo roborata et iterum firmata responsis omnium qui in eadem resederant Domini sacerdotum, quam inopinato rursus haereticorum pravitas inquietat, communi opere inimicis propriis subjacere non permitteretur oppressa. Quod quum diu omittitur, superveniens frater et coepiscopus noster Johannes, fugatus ab haereticis pervasoribus sedis Alexandrinae, libellum[3]) nobis, quem sanctae memoriae decessori meo paraverat porrigendum, quantum ex subditis[4]) agnoscis, ingessit. Quem morem majoris sui beatae memoriae Athanasii exemplo priorum nostrorum non potuimus refutare.

2. Et ideo lectis subditis, frater carissime, ad haec, quae proposita esse cognoscis, apud beatum Petrum apostolum, cui preces in nobis oblatas pervides et quem ligandi atque solvendi a Domino potestatem sumpsisse non potes diffiteri, in conventu fratrum et co-

---

[1]) E[1] E[2] F[2] H[9] *Uranium* (E[3] H[5] *Huranium*) *subadjuvam*, quod et gesta de nom. Acac. n. 10 probant. Editi *Uranium subdiaconum*. Uranius ille quum Zenonis scriptum ad Simplicium detulisset, hujus papae epistolam 18 ad Acacium et ep. 19 ad imperatorem retulit. Victor Vitensis hist. pers. D and. V n. 7 *Uranium Zenonis legatum* tormentis martyrum testem appellat. — Mox editi *clementissimum principem*.

[2]) Ita E[1] E[2]; F[2] H[6] b c *cuncto*. Quae deinde memorantur *responsiones* episcoporum omnium, qui Calchedone fuerant congregati, in uno codicis corpore vocantur *encyclicae*, habenturque in Calchedonensis concilii parte III (Hard. coll. conc. II, 689—772).

[3]) Hujus libelli Evagrius h. e. III, 18 meminit. Forte Simplicio inscriptus erat, sed quum Johannes Romam adveniens hunc vita functum comperisset, illum ejus successori porrexit. Hoc ipsum quidem sonat, quod ait Felix sibi a Johanne praedictum libellum, *quem ille decessori paraverat porrigendum*, ingestum. Contra idem Evagrius III, 15 illum etiam superstite Simplicio Romam advenisse innuit.

[4]) Ita E[1] E[2] F[2] H[5]. Editi *subjectis agnoscens ... exemplo et priorum*, et deinde F[2] H[5] *refrenare* (loco *refutare*).

Digitized by Google

a. 483. episcoporum nostrorum respondere festina: ut in alterutram partem quod justitia[5]) paraverit ordinantes, amotis scandalis ecclesiarum, quas scindi videmus, reparata concordia et servata integritate fidei, puris mentibus acceptissimas Deo faciamus placationis hostias, quas pro omni populo Christiano et salute gloriosissimi imperatoris offerimus. Ad quam rem de collegio nostro fratres et coepiscopos nostros Vitalem et Misenum, cum quibus illum a latere nostro fidelissimum nostrum Felicem[7]) defensorem sanctae ecclesiae Romanae ordinatione direximus; quibus moram fieri non oportet, ne ad indignationem Domini provocandam, quae corrigenda sunt, frustrationibus[8]) convalescant.

Epistola 4

seu

a. 483 m. Mart. **Libellus a Felice papa decreto concilii ad Zenonem imperatorem transmissus.**

Ut gaudium de initiis imperii sui conceptum non sinat per invasionem sedis Alexandrinae in moerorem mutari (n. 1). Acacium ad diluendas incriminationes objectas Romam vocatum esse (n. 2). p. 10.

1. Quum sibi redditam pacem, compressis per vos haereticis qui se[2]) nitebantur attollere, universalis gauderet Ecclesia, et vestrae pietatis imperium etiam de inimicis suis victoriam reportasset; et per universum orbem pro salute vestrae serenitatis oratio cunctorum erat[3]) ad Dominum sacerdotum, ut vestra pietas fidei custos et defensor orthodoxae, sub aeterni regis propitiatione regnaret: quando venerandi apices vestri et Deo proxima currens de sacro pectore frequenter auctoritas inter gaudia recepti imperii Petrum[4]) conversatum cum haereticis et parricidae illi Timotheo cohaerentem, a pro-

---

[5]) E¹ E² *justitiam*, alii *justitia*.

[6]) Ita E¹ E² F² H⁸. Editi omittunt *Deo*.

[7]) Hic observare libet discrimen, quod inter episcopos et defensorem ponitur, quo hic *a latere nostro*, illi *de collegio nostro* missi dicuntur. Notant Ballerinii in Leon. epist. 32 not. 3, formulam illam ex imperatorum stilo assumptam, qua clerici pontifici vel Romanae ecclesiae peculiariter addicti adhaerentesque signabantur. Primum ipsa occurrit in Hilarii Pictav. fragm. 4, syn. Sardic. c. 7 et Bonifacii I epist. 13 n. 5.

[8]) Ita E¹ E² F² H⁸. Editi *procrastinationibus*.

[1]) Quum H⁸ omni inscriptione caret, E¹ E² hanc praemittunt: *Īt. Imp. Zēn. ad Libellū ep̄m. ioh. eccle alexandrine urbis*, F² *Item ad imperatorem Zenonem ad libellū ep̄i Johi ecclesiae Alexandrinae*.

[2]) Ita E¹ E², nisi quod E¹ *sentebantur*, unde F² *sentiebantur*, H⁸ *sentiebatur attollere;* editi *sentiebantur attolli*. Mox E¹ E² *imperio*.

[3]) E¹ E² F² *erat*, ubi editi *oraret*. Mox editi *et vestra :.. orthodoxiae*. E² *fieri* (loco *fidei*).

[4]) E¹ E² H⁸, omisso *Petrum*, post *ab aliis* addunt cum F² *talis*.

Digitized by Google

fanis, quia nec ab aliis talis fieri poterat, Alexandrinae ecclesiae episcopum, quantum sibi existimaverat, ordinatum, acceptissima Deo praeceptione dejecerat, et tyranni litteras[5]), quas in eversionem contra fas sacrosancti[6]) Calchedonensis concilii definitionis mens insana dictaverat, pro regni tui commendatione evacuavit. Haec deinde illicitas ordinationes ejus vel[7]) Timothei, utpote haereticorum, irritas fecit, atque eos, quantum extra Ecclesiam fuerint, judicavit. Sed nunc eum, mutatis omnium gaudiis in moerorem, ecclesiae Alexandrinae cognovimus praesidere. Quod si verum est, ut Christianissimo principi coram Deo fiducialiter est faciendum, divino judicio suggerimus non leviter esse pensandum, nisi celerius[8]) remediis, quod in contumeliam Dei factum dicitur, fuerit expiatum. Et quia, sicut scriptum est, *unius membri tactum*[9]) *totum corpus patitur passiones*, in persona ejus totius Orientis concutiuntur ecclesiae. a. 483. 1 Cor. 12,26.

2. Quod fratrem et coepiscopum meum Acacium[10]) Constantinopolitanum respicit sacerdotem, adversus quem in conventu mihi ab eo, cujus sedem praefatus fertur tenere, libellus oblatus est, quem deplorationibus meae humilitatis annexui: ut idem frater et coepiscopus meus Acacius, sicut ecclesiasticis necesse est et vestris legibus fieri decet, ad[11]) haec, quae de se pervidet intimari, apud beatum Petrum apostolum diluere obedientiae[12]) sedulitate procuret, nec ullo modo existimet differendum. Qui sibi[13]), quemadmodum confidimus, bene conscius apostolicum debere judicium pro sacerdotii sui moderatione non ambigit: ut sacerdotalibus actibus et praedicatione fidei comprobatus, primum Christi Domini nostri atque omnium sacerdotum ac deinde pietatis vestrae gratia gloriosius perfruatur.

---

[5]) Indicantur hic Basilisci litterae encyclicae (Evagr. h. e. III, 4), quas illi, ut ad omnes episcopos mitteret, Timotheus Aelurus Constantinopolim adveniens persuaserat. Zeno ipsas abrogavit l. 16 Cod. Just. I, 2.

[6]) Ita E^1 E^2 F^2 H^5. Editi *et sacrosancti ... definitiones ... regni sui ... Ita deinde* (E^1 *Hac*, E^2 *Hec*).

[7]) E^1 E^2 *vel*, F^2 H^5 *velut*, b cc *vel etiam*, moxque E^2 *fuerit*, F^2 H^5 *fuerat*, editi cum E^1 *fuerint*.

[8]) Ita E^1 E^2. H^5 *ceteris*, F^2 *a certis*, unde b cc *certis*.

[9]) E^1 E^2 F^2 *tactum* (E^1 *tactus*, F^2 *tantum*) *totum*. Editi omittunt *tactum* et *totius*.

[10]) Editi cum F^2 H^5 omitt. *Acacium*.

[11]) Abundat prorsus *ad*, sed codicum consona auctoritate probatur.

[12]) Ita E^1 E^2; H^5 *obedientiae* omisso *sedulitate*, unde b cc *obedienter*.

[13]) Ita E^1 E^2 F^2 H^5, nisi quod partim confuse *conscius apostolicum debere* (F^2 H^5 *deberet*) *judicium pro sacerdotii sui* (E^2 F^2 H^5 *sacerdotibus suis*) *moderatione* (F^2-H^5 *moderationē*) *non ambigit*. Editi nescio qua auctoritate *si quemadmodum ... conscius est apostolicum non debet judicium cum consacerdotibus suis et moderationem abjicere ut ... et comprobatione fideli comprobatus ... gloriosus*.

Digitized by Google

Epistola 5.

(a. 483.) **Felicis papae ad Zenonem episcopum.**

Terentianus commendatur. p. 10.

Dilectissimo fratri Zenoni Felix[1]).

Filius noster[2]) vir clarissimus Terentianus ad Italiam dudum veniens dilectionis tuae singularis exstitit praedicator, talemque te esse vulgavit, qui ita Christi gratia redundares, ut inter mundi turbines gubernator Ecclesiae praecipuus appareres. Quapropter, frater carissime, quum ad provinciam commearet seduloque deposceret nostras ad dilectionem tuam litteras[3]) destinari, gratanter annuimus; quia et dignum Deo sermone complecti cuperemus antistitem, et per eum maxime vellemus id fieri, cujus nobis fuerat laudibus intimatus. Quamvis ergo sanctis operibus ex omni parte praeditam fraternitatem tuam vir praefatus adstruxerit, multumque fiduciae de tua benevolentia jam teneret, aequum tamen est, ut quod desideravit magnopere, consequatur: quatenus qui tuis olim gratus est animis, contemplatione nostri reddatur acceptior, simulque materna et sacerdotali consolatione foveatur[4]) peregrinationisque praesidium pastorali pietate reperiat[5]), ut vestrae dignitatis affectu appareat, apud sinceritatem tuam nostrum quoque non minimum, quo salutaris, valuisse colloquium. Deus te incolumem custodiat, frater carissime[6])!

---

[1]) Editi addunt *episcopus*. Antea in inscriptione J^{10} *ad Zenonem Hispalensem* (H^{12} *Spalensem*) *episcopum*.

[2]) Ita mss., nisi quod K^3 *vester;* editi *meus*. Moxque J^{14} *Terentius*.

[3]) Alioquot mss. *destinare*. Mox editi *qui et ... praedictam fraternitatem*.

[4]) In 6 mss. et I^1O^1 verbum *foveatur* proxime excipit *ut vestrae dignitatis*... omissis intermediis, quae tamen in $\beta\,\Gamma\,i^2$ ex sincera coll. Hisp. descriptis asservantur.

[5]) i^2 *cujus proculdubio et probetur dignitatis affectu non parvi apud sinceritatem tuam nostrum, quo nimium salutaris, valuisse colloquium*. Cujus lectionis satis salebrosae fontes quum non dicantur, retinemus vulgatam solo excepto *quo salutaris* (pro *salutantis*), quod omnes mss. habent (O^1 omitt. *quo*).

[6]) o^1 addit: *Celius Felix episcopus sanctae Ecclesiae catholicae urbis Romae subscripsi. Data V Kalendarum Augusti Venantio II consule. Simul septem et sexaginta episcopi absque papa subscripserunt*. Quam meram Pseudo-Isidoriani alicujus codicis (nam in O^1 deest) appositionem esse, jam nota consularis falsa evincit. Siquidem Venantius primo consul una cum Theodorico rege Gotthorum anno 484 invenitur, secundo demum anno 507 (una cum Anastasio Augusto II). Deinde toto contextu probatur, eam minime epistolam synodicam esse, sed quae solo a pontifice oblata occasione missa sit. Est autem tota ista subscriptio mere de epistola sequenti translata, nisi quod loco *v. c.* positum *II*.

Digitized by Google

Epistola 6.

Felicis papae ad Acacium.

a. 484 d. 28. Jul.

p. 10. *Acacium Constantinopolitanum, multifarias ejus transgressiones enumerans (n. 1), a sacerdotali honore et catholica communione dejicit (n. 2).*

Felix episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae[1]) Acacio.

1. Multarum transgressionum reperiris obnoxius, et in venerabilis concilii Nicaeni contumelia saepe versatus, alienarum tibi provinciarum jura temerarie vindicasti. Haereticos et[2]) pervasores atque ab haereticis ordinatos, et quos ipse damnaveras atque ab apostolica institutis[3]) sede damnari, non modo motu[4]) tuo recipiendos putasti, verum etiam aliis ecclesiis, quod nec de catholicis fieri poterat, praesidere fecisti, aut etiam honoribus, quos non merebantur, auxisti. Testatur hoc Johannes, quem a catholicis Apameae non receptum, pulsumque de Antiochia, Tyriis[5]) praefecisti: et Himerius, tunc de diaconio dejectus atque Christiani nominis appellatione privatus, a te etiam in presbyterii provectus officium. Et quasi haec tibi minora viderentur, in ipsam doctrinae apostolicae veritatem ausus[6]) tuae superbiae tetendisti: ut Petrus, quem damnatum sanctae[7]) memoriae decessori meo ipse retuleras, sicut testantur

[1]) Ita plurimi mss. E^1 E^2 H^8 *ecclesiae Romanae Acacio* (H^8 *viro Acacio*), D^1 omittit *Romae*. N^3 *ecclesiae catholicae vr̄. acacio.*

[2]) Ita plurimi mss. E^1 *et perversatores*, editi omittunt *et.*

[3]) In aliquot mss. *petisti*, E^1 E^2 *instituistt*, F^2 *docuisti.* Respicit Felix ad Acacii relationem, de qua in notitia epistolarum Simplicii non exstantium n. VI disseruimus. In qua videlicet Acacius hunc papam commonebat, Johannem quemdam a Petro Fullone Apamenis ordinatum ab eis rejectum et a se damnatum esse, petebatque, ut eum apostolica sedes nec visu dignum haberet nec poenitentiam ejus reciperet.

[4]) Ita E^2 F^2 D^2 (E^1 *tu tuo*, I^1 *mutu tuo*). Unde quum librarii errore excusabili *motu* excidisset, sequentibus lata rimandi et mutandi causa aperta: D^9 secundis curis *tuto*, alii (etiam a^3) *tu eos;* alii *communioni* vel *collegio* supplerunt, hincque *tuae* vel *tuo* scribentes. Deinde D^1 N^3 *nec catholicis*, moxque editi *autem* (vel *atque*) *etiam.*

[5]) Ita E^2 et editi ad marg. I^1 *tiriis repsisti et umerius*, F^2 H^8 *Tyris repetisti* (E^1 *resipisti*, K^1 *repsisti*) *et Hieronymus tunc didicit detectus atque*, D^2 *Tyriis praesidere fecisti et Himerius merito.* D^1 D^9 N^3 *Tyriis relisisti et merito diaconio dejectos atque christiani nominis* (D^9 *christiana*) *appellatione privatos a te etiam in presbyterii provectos officio.* Ansam errandi dedit vox *et merito* pro *et Himerius.* Porro hujus loco F^2 H^8 *Hieronymus*, E^2 *Hyeremius*, E^1 *Ymerius*, alii *Hymerius* aut *Humerius.* Unde cum D^2 *Himerius* praetulimus, quippe et Himerius ille Tarraconensis, ad quem Siricii epistola 1 scripta, multis in mss. *Humerius* vel *Hymerius* appellatur.

[6]) Ita mss. D; E^1 E^2 F^2 H^8 (et c^1 ad marg.) *ausus tuos et superbiam*, editi *ausu superbiae tuae.*

[7]) Ita D^2 D^9 E^1 E^2 F^2 H^7 I d^2. Alii *a sanctae*, praeter historicam veritatem. Neque enim a Simplicio damnatum Petrum refert Acacius (Simpl. epist. 8 n. 2),

Digitized by Google

a. 484. adnexa, beati evangelistae Marci sedem te[8]) connivente et rursus invaderet, et fugatis orthodoxis episcopis et clericis sui procul dubio similes ordinaret, pulsoque eo, qui illic[9]) fuerat regulariter constitutus, captivam teneret ecclesiam. Cujus tibi adeo grata persona est et ministri[10]) ejus accepti, ut episcopos et clericos plurimos orthodoxos, nunc[11]) Constantinopolim venientes, detegaris affligere, et apocrisarios ipsius confovere, atque anathematizantem eumdem Petrum Calchedonensis decreta concilii et violantem sanctae memoriae Timothei sepulturam[12]), sicut ad nos certiores nunc quoque nuntii[13]) detulerunt, per Vitalem et Misenum credideris excusandum: nec eum laudare desieris et multis efferre praeconiis, ita ut damnationem ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse jactaris. Tantum autem perseveras in hominis defensione perversi, ut quondam episcopos, nunc vero honore et communione privatos, Vitalem atque Misenum, quos ad ejus expulsionem specialiter miseramus, sublatis[14])

---

sed eumdem papam admonet, *haereticum* illum *unum et ipsum* esse *de his, qui olim fuerant et ante damnati*, atque hujus rei fidem ex scriniis apostolicae sedis fieri posse.

[8]) Aliquot mss. *te jubente* et omitt. *et*.

[9]) Ita E[1] E[2] D[2] F[2] H[9] I[1] i[2] cc. Alii et d[2] *illis*.

[10]) In quibusdam inferioris notae mss. *ministerium ejus acceptum*. Ministros illos fuisse Petri apocrisiarios, mox Felix declarat. — Deinde d[2] *episcopos plurimos et clericos*. Nostram lectionem E[1] E[2] D[2] H[5] I[1] i[2] cc tuentur.

[11]) In illis ipsis inferioris notae mss. *tunc*, et in uno *Constantinopoli*. Si nec apostolicae sedis legatis pepercit Acacius, quanto minus aliis. In hoc etiam gravius ejus crimen erat, quod ipsorum ope legatorum, quos seduxerat, hominem perditum excusaret.

[12]) Hujus impii facinoris, quo *Timothei catholici corpus de terra levavit et foras projecit*, meminit Liberatus breviar. c. 18 et Victor Tununensis in chronico pleraque ejus flagitia his paucis exponens: *synodum Calchedonensem de pulpito coram populis damnat, nomina Proterii et Timothei Salofatiatii de ecclesiasticis diptychis tollit, et Dioscori et Helluri, qui Proterium interfecit, scribit, corpusque praefati Timothei Salofatiatii de ecclesia ejiciens in loco deserto foris civitatem projecit*. Tradit et Evagrius h. e. III, 17, Petrum Calchedonensem synodum anathematizasse, ejusque causa conturbatum Acacium atque ab eo missos esse, qui rei veritatem inquirerent. Deinde Petri subdit responsionem, in qua et repetit, duo adversum se delata Acacio esse crimina: *primum quidem*, inquit, *quod sancti patris nostri archiepiscopi beati Timothei reliquias alium in locum transtulerimus, quod quidem facinus nec Deo acceptum nec legibus consentaneum est*; alterum vero, quod Calchedonensem synodum anathematizarit. Et ad hoc quidem sic respondet, ut non falsum dicat, sed nulla ratione veri esse simile, quum synodo illi crediderit eamque confirmaverit. De primo autem crimine prorsus tacet.

[13]) E[1] E[2] F[2] H[6] *multi* (D J O *nuntii*) et mox cum D[7] D[9] i[2] *crederes ... desineres ... esse jactares*,

[14]) J[5] J[6] *sublatos*, omisso cum mss. J O *chartis*, F[2] *sublatos carceris*. Verum hoc retinendum esse liquet quum ex his gest. de nom. Acac. n. 13: *quamvis hostili more detrusi in custodiam chartas amiserint*, tum ex Liberato breviar. c. 18: *supradicti episcopi in custodiam sunt redacti chartis sublatis; ... quos iterum Acacius*

Digitized by Google

chartis custodiae passus fueris mancipari, et[15]) ad processionem, a. 484.
quae tibi cum haereticis habetur, exinde productos, sicut eorum professione patefactum est, ad haereticorum tuamque communionem, contempta, quae vel gentium jure servari debuit, legatione pertraxeris[16]) praemiisque corruperis, et in laesionem beati Petri apostoli, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire feceris, sed etiam impugnatores omnium, quae fuerant mandata, monstraris. In quorum deceptione tuam nequitiam prodidisti, et ad libellum fratris et coepiscopi mei Johannis, qui te gravissimis objectionibus impetivit, in apostolica sede secundum canones respondere diffidens, objecta firmasti. Felicem quoque defensorem fidelissimum nobis, necessitate faciente serius subsecutum[17]), indignum tuis oculis cen-

---

post haec de custodia ejiciens secum fecit procedere, ut quasi confirmato Petri sacerdotio dimitterentur, tum ex ipsa Felicis nostri relatione in epist. 8 n. 1 *et chartis, quas bajulabant, violenter ablatis ad communicandum etc.* Atque his concinit Theophanes chronograph. (ed. Bonn. p. 204) *legatis Roma profectis*, inquit, *et apud Abydum Zenonis et Acacii consilio detentis, vi quoque ablatis eorum litteris ipsisque in carcerem conjectis, eos nisi cum Acacio et Petro Mongo communicarent, interfecturum se Zeno comminatur.* Et pag. 205 de Acacio subdit: *ipsos Felicis Romani pontificis apocrisiarios blanditiis delinitos et pecuniis inescatos praeter mandatorum sibi impositorum fas in communionem Petri adduxit, omnibus catholicarum partium in adversum contestantibus atque reclamantibus.* In libro pontificali quidem custodiae mancipati dicuntur, quum Heracleam venissent. At Valesius in dissert. ad calc. Theodoreti p. 180 Theophanis fidem praefert dicentis, eos Abydi detentos. Nobis vero non levis est suspicio, eos primum Abydi a Zenonis satellitibus comprehensos, moxque elapsos in ipsa urbe regia custodiae mancipatos fuisse, quum infra in Felic. epist. 8 n. 1 dicantur *ad communicandum haereticis hoc est apocrisiariis Alexandrini Petri, adversus quem ierant, de custodia producti.* Idem etiam hic sonant, quae modo expendimus, hujus epistolae verba.

[15]) d[1] *sed et ... pro haereticis.* Nomine *processionis*, qua episcopus ad celebrandum sollemniter sacrificium pergebat, plerumque tota sacrificii actio designabatur. Hinc usu venit, ut qui processioni hujusmodi interessent, cum ceteris procedentibus communicare censerentur; cf. not. 8 in Simplic. epist. 4 et Gelas. epist. 14 c. 25, fragm. 38.

[16]) i[2] *pertrahere ... corrumpere ... feceras ... monstrares.* D[2] D[9] d[2] *pertraheres ... corrumperes* (d[2] *corruptos*) *.·. faceres ... monstrares,* E[1] E[2] F[2] H[5] N[3] (F[2] H[5] *pertrahendi praemiis ...*) *corrumpere et in illusionem* (E[2] *inlusionem*) *... monstrares.* Similiter et D[9] *in illusionem,* D[2] D[6] *ad* (D[6] *in*) *inlusionem,* D[7] D[11] I[1] *in lusionem,* unde d[1] *ad illusionem,* d[2] *in illusionem.* Mss. J O *in laesionem,* quod et cum adjuncto *b. Petri* aptius congruit. Porro d[2] ita hunc locum profert: *praemiisque corruptos non solum inefficaces redire faceres sed etiam in illusionem b. Petri ... fuerant, impugnatores omnium ... monstrares.*

[17]) Ita E[1] E[2] F[2] H[5] J O c c i[2]. D (D[1] D[2]) d[1] d[2] *obsecutum*, contra mentem Felicis, qui defensorem illum *fidelissimum* haud dubie non vocasset, si vel sero esset Acacio obsecutus. At *infirmitate impediente*, ait Liberatus l. c. cap. 18, serius subsecutus est alios legatos; *postquam autem Vitalis et Misenus a custodia Constantinopoli* sunt egressi, perrexit cum chartis ecclesiasticis Constantinopolim, *passusque est et ipse sublatis chartis gravissimam custodiam.*

Digitized by Google

a. 484. suisti. Eos[18]) quoque tecum litteris tuis communicare testatus es, quos constat haereticos. Quid enim sunt aliud, qui post obitum sanctae memoriae Timothei *ad ecclesium sub Petro redeunt*, vel qui *se ex catholicis eidem tradiderunt*, nisi[19]) quod Petrus ab universali Ecclesia atque a te fuerat judicatus?

2. Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententia praesenti, quam per[20]) Tutum tibi direximus ecclesiae defensorem: sacerdotali honore et communione catholica nec non etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio et apostolica per nos[21]) auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus! Caelius Felix episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis

---

[18]) d[1] *Eosque litteris ... constat esse haereticos.* F[2] *Et hos quoque.* Deinde *tuis* et *es* desideratur in pluribus mss. (etiam in E[1] E[2] F[2]).

[19]) D[6] *non quod.* Hisce concinens Evagrius h. e. III, 14 ad calcem Henotici subjicit: *His perlectis Alexandrini omnes sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae sese adunarunt.* Felix autem eos, qui cum Acacio et Petro in Henotici susceptione communicant, nil aliud esse probat, nisi quod Petrus Mongus; hunc autem ab ipsomet Acacio haereticum judicatum esse, adeoque et illos jure haereticos censeri.

[20]) D[2] D[6] D[7] K[3] d[1] *per Toleratum*, alii et nominatim mss. O cum editis *per tuae*, i[2] *per tuum*, E[1] E[2] F[2] I[1] *per Totum*, D[9] D[11] N[3] H[6] J d[2] *per Tutum*. *Tutum* Romanae ecclesiae defensorem memorat idem Felix epist. 8 n. 4, epist. 11 n. 1, epist. 12 n. 4. *Totum* vel *Tutum* et Liberatus l. c. c. 18 legit. Ceterum huic non secus ac legatis aliis structas fuisse insidias Theophanes l. c. pag. 205 tradit. *Verum eos*, inquit, *qui Abydi in insidiis locati fuerant, praeterlapsus, ad Dii monasterium appulit. Dienses autem monachi Acacio in sacrario die dominica stanti Felicis epistolam tradidere.* Quae postremà verba ut cum Liberato conciliari possint, dicendum est, respuisse Acacium chartam sibi a monachis oblatam, quae ideo postea ab uno eorum illius pallio affixa est.

[21]) a[1] c c omittunt *per nos.* Deinde J i[2] *nec unquam*, O *nec jam* et cum E[1] E[2] F[2] H[5] verbo *exuendus* claudunt epistolam. Acacius *nunquam ab anathemate solvendus* dicitur, quamdiu scilicet eum non poeniteret, ut re ipsa non poenituit. Illum tamen Felix poenitere maluisset eoque pacto absolvi, uti epist. 14 n. 5, epist. 15 n. 4 et epist. 17 n. 3 declarat. In hanc partem diserte mentem ejus Gelasius in tract. IV de anathematis vinculo n. 6 explicat. Sed simul ibi *curationem totius Ecclesiae* quasi conditionem solutionis appositam esse, ex Gelasii epistola 1 n. 27, 35 et 39 docemur. — Similiter longe antea Siricius epist. 7 n. 4 de sententia cum clero suo adversus Jovinianum et asseclas ejus lata *omnium nostrum ...*, inquit, *unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius ..., qui incentores novae haeresis et blasphemiae inventi sunt, divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.* Conditionem vero seu clausulam in hujusmodi formulis subaudiendam Leo epist. 31 n. 3 expressit, ubi de Eutyche agens *revocare se*, ait, *a sua opinione debuerat nec ita Ecclesiae praesules commovere, ut damnationis sententiam mereretur accipere, quam utique, si in suo sensu voluerit permanere, nullus ei poterit relaxare.* Sed et ejusmodi de resarciendo damno conditionem additam in sententia adversus Vitalem et Misenum lata visuri sumus (Gelas. epist. 30 n. 8 et 9).

Digitized by Google

Romae subscripsi. Data V Calendas Augustas Venantio viro claris- a. 484.
simo consule. *Simulque*[22]) *septuaginta septem episcopi absque papa subscripserunt.*

Epistola 7

seu

p. 11. **Edictum sententiae Felicis papae propter Acacii episcopi Constantinopolitani damnationem.** a. 484 d. 28 Jul.

Acacius, qui secundo a nobis admonitus statutorum salubrium non destitit esse contemptor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc Deus coelitus prolata sententia de sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quis episcopus, clericus, monachus, laicus post hanc denuntiationem eidem communicaverit, anathema sit, sancto Spiritu exsequente!

Epistola 8.

Felicis papae ad Zenonem imperatorem. a. 484 d. 1 Aug.

p. 12. *Petri Alexandrini Acaciique crimina breviter perstringens, et illum denuo damnatum et hunc a communione et dignitate apostolica discretum esse docet (n. 1—4). Monet, ut Ecclesiam catholicam suis uti legibus et libertate imperator sinat (n. 5).*

Felix Zenoni Augusto.

1. Quoniam pietas tua, licet profusiore pagina ad mea scripta responderit, suis auribus diligentius intimatam *fastidio dignam* credidit veritatem, curandum mihi fuit, ut breviter, quae non vultis latius publicari, definita concluderem. Itaque officiositate praemissa timere me fateor regno vestro pariter et saluti. Siquidem contra divinam reverentiam probabitur, ut beati apostoli Petri directa legatio, sicut ejus confessio patefecit, tamquam in captivitate redacta teneretur, et chartis, quas bajulabat, violenter ablatis ad communicandum haereticis, hoc est apocrisiariis Alexandrini Petri, adversum quem ierat, de custodia sit producta. Quapropter Vitalem[1]) quidem et Misenum, cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul et communione apostolica censura privavit. Sed quum apud barbaras etiam nationes atque ipsius Deitatis ignaras pro exsequendis negotiis vel humanis jure gentium legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas, notum est omnibus, quanto magis ab imperatore Romano et Christiano principe, in rebus praesertim divinis, oportuerit intemeratam servari.

---

[22]) Ita D^1 D^4 D^5 D^6 D^7 D^9 d^1 d^2; N^3 O c c a^3 *simul sexaginta septem.* In E^1 E^2 F^2 H^6 I i^2 tota subscriptio *Caelius Felix* etc. deest.

[1]) Haec et sequentia verba Nicolaus I edist. 9 ad Michaelem imp. laudat. [a^3]

Digitized by Google

a. 484. 2. Deinde legatione submota[2]), quae apud vos, ut dictum est, nec beati Petri apostoli inviolata esse jam potuit, tranquillitas tua litterarum saltem tenore cognoscat, sedem beati apostoli Petri Alexandrino Petro, olim justeque damnato ac nihilominus per sententiam synodalem[3]) nuper eliso, communionis nunquam vel praebuisse vel praebituram esse consensum: quia, ut cetera nunc omittam, ab haereticis institutus contra fas omne catholicae praesidere non possit ecclesiae. Unde quoniam adhortationem meam duxistis onerosam, in vestro relinquo deliberationis arbitrio, utrum beati apostoli Petri an Alexandrini Petri cuiquam sit eligenda communio.

3. Qualis autem Alexandrinus exstiterit, vel quemadmodum falsi nominis sacerdotium per unum[4]) vix suae complicem pravitatis temerarius usurparit, atque in damnatorum fuerit etiam apud vos dudum sorte numeratus, suffragatoris ejus Acacii litteris ad sanctae memoriae decessorem meum datis, quarum exemplaria subdita cernitis, approbate. Utrum vel episcopus dici valeat, quod nomen etiamsi a pluribus episcopis accepisset, habere non posset, vel orthodoxis plebibus contra Nicaenam synodum, contra observantiam singularem[5]) mereatur imponi, prompta in Deum pietate perpendite.

---

[2]) h. e. submoto sermone de legatione, quae etiamsi beati Petri apostoli sit, utpote ab ejus vicario profecta, nec vel tanto nomine, ut inviolata exciperetur, meruit.

[3]) Evagrius h. e. III, 21 testatur, universam synodum Romanam in sententia adversus Misenum et Vitalem *ad verbum* pronuntiasse: *Petrum haereticum, qui olim sacrae sedis decreto damnatus excommunicatus et anathematizatus est, ecclesia Romana non recipit. Cui etiamsi nihil aliud objiceretur, vel hoc unum sufficeret, quod ab haereticis ordinatus orthodoxis praeesse non potuit.* Quam Romanae ecclesiae disciplinam mox etiam aliunde illustraturi sumus.

[4]) Etiamsi hoc Felicis testimonium Acacii scriptis (Simplic. epist. 8 n. 2), quibus et Theophanes l. c. pag. 194 concinit, sit fultum et in gest. de nom. Acac. n. 7 repetatur, tamen Evagrius h. e. III, 20 ex litteris Aegyptiorum episcoporum et clericorum ad Felicem scriptis Petrum *a duobus episcopis eandem haeresim profitentibus* consecratum fuisse refert. Sed nihil inde mutatur Felicis sententia, qua eum a sacerdotali honore arcendum esse censet. Nicaenum quippe concilium can. 4 saltem trium episcoporum praesentiam in episcopi consecratione requirit. Cui concinens Antiochena synodus can. 19 *omnes provinciae episcopos aut saltem plerosque* eidem *adesse* vult: alioquin *ordinationi nulla vis inerit*, ait. Siricius papa autem epist. 5 n. 2 et epist. 10 n. 18 prorsus Nicaeni concilii vestigia premit, *ne furtivum beneficium praestitum videatur.* Similiter Regiense concilium (a. 439) in praefat. et can. 1 *absque trium episcoporum praesentia ... irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus praesumptam* declarat. (Hard. I, 1747).

[5]) Legendum putamus *observantiam regularem.* Hinc oboritur quaestio, quae sit illa *regularis observantia*, quis Nicaenus canon, quibus Petrus catholicis praesidere non permittatur. Innocentius I epist. 17 n. 7 iis, qui ab haereticis ordinati sunt, ordinationis honorem servandum negans, n. 10 Nicaenum sibi objicit canonem 8, quo Novatianis in clero permanere permittitur. Sed observat: *de solis hoc Novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum clericos pertinere.*

Digitized by Google

4. Ubi etiam apparet evidenter, Acacium, qui excessus suos sub vestro potius nomine celare voluit quam vobis profutura suggerere, tam saluti vestrae devotionem deferre[6]) sinceram, quam fidelem conscientiam circa patrum regulas atque ipsum dogma gestaret catholicum. Propterea hunc eumdem, utpote qui multa contra scita veterum nefaria perpetrarit, et ejus laudator emerserit, quem asseruit et ipse damnatum et ab apostolica fecit sede damnari, ac rursus aedificans, quae ante destruxerat, praevaricatorem se ipse constituit: eorum, quos sequi maluit, portioni districtionis apostolicae per Tutum Romanae ecclesiae defensorem justa deputavit auctoritas, atque a communione et dignitate apostolica, qua se ipse ejus externis[7]) sociando monstravit indignum, legitima severitate discrevit. a. 484.

5. Puto autem, quod pietas tua, quae etiam suis mavult[8]) vinci legibus quam reniti, coelestibus debeat parere decretis: atque ita

---

Unde contra hunc canonem agere quodammodo videtur, qui aliis idem beneficium indulget. Verum ex intelligentia *regularis observantiae* a Felice memoratae cognitio Nicaeni canonis pendet, quem indicare voluit. Atqui s. Cyprianus epist. 68 (ed. Pamel.) adversus Basilidem et Martialem, quibus haud multo innocentior erat Petrus, primum ait: *frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur, quum manifestum sit, ejusmodi homines nec ecclesiae Christi posse praeesse, nec Deo sacrificia offerre debere.* Ac proxime subjicit: *maxime quum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto numero Cornelius ... decreverit, ejusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam admitti posse, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.* Quam regulam secutus Felicis decessor Simplicius epist. 18 n. 3 de ipso Petro ad Acacium his scripsit verbis: *Qui si nunc redire contendit, nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire, ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere.* Jure igitur Felix cum Acacio expostulat, quod Petrum ad fastigium sacerdotalis dignitatis admittens *contra regularem observantiam* peccavit. Unde sequitur, ut et peccaverit contra Nicaenum canonem 10: *Quicunque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc non praejudicet regulae: cogniti namque deponuntur;* ibi enim *regulam*, quam et laudavit Felix et Cyprianus exposuit, indicari nemo non advertit. Ad eamdem quoque regulam respexit Hilarius lib. de synod. n. 91, ubi ex Orientalium decreto, quo anathema homousion profitentibus dixerant, infert episcopatu cedendum: *Renuntiemus*, inquit, *episcopatui, quia officium ejus ab anathemate* (h. e. ab iis, qui anathemate percussi sunt, si decretum illud valeat) *sumpsimus. Ordinati enim ab his sumus, qui cum Nicaena synodo homousion profitentur.* — Porro ex variis illis locis manifestum fieri puto, hic *regularem* non *singularem* legendum esse, indeque explicari, quae sit illa regula, quis Nicaenus canon, quorum auctoritate Felix Petrum catholicis praeesse posse negat.

[6]) Ironice dictum pro *non deferre ... quam nec ... gestaret* [Ed.].

[7]) h. e. iis qui ab illius communione sunt segregati.

[8]) Eadem fere jam epist. 1 n. 10 ad eumdem Zenonem scripsit Felix. Quibus quo spectet, palam fit ex iis, quae in eadem epistola n. 9 praemittuntur: Zenonem videlicet *mandasse, ut omnes qui tam a Petro quam a Timotheo fuissent ordinati, si intra tempora definita resipiscerent, ad communionem catholici Timothei reciperentur, non etiam ad male praesumpti gradus privilegia.*

Digitized by Google

a. 484. humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea, quae divina sunt, per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat. Puto, quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam catholicam vestri tempore principatus sinatis uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittatis obsistere, quae regni vobis restituit potestatem. Certum est enim, hoc rebus vestris esse salutare, ut quum de causis Dei agitur, et juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre, et sacrosancta per eorum praesules discere potius quam docere, Ecclesiae formam sequi, non huic humanitus sequenda jura praefigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piae devotionis colla submittere: ne dum mensura coelestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. Et ex hoc quidem de his omnibus conscientiam meam ante tribunal Christi causam dicturus absolvo. Vestrae mentis intererit magis ac magis cogitare, et in rerum praesentium statu sub divina nos examinatione subsistere, ac post hujus vitae cursum ad divinum consequenter venturos esse judicium. *Et alia manu.* Data Calendis Augusti Venantio v. c. consule.

Epistola 9.

seu

(a. 484 init. Aug.) **Felicis papae ad episcopos per Aegyptum, Thebaidem, Libyam et Pentapolim constitutos** *fragmentum.*

Felix papa episcopis per Aegyptum, Thebaidem, Libyam et Pentapolim constitutis p. 12. *post alia.*

Petrum[1]) vero, qui se ab Ecclesiae unitate sub beatae recordationis Proterio separavit[2]), et in mortem ipsius parricidae Timotheo ad persequendos se junxit orthodoxos, nulla tanti nominis aut honoris permittimus societate laetari[3]): quando in creatoribus propriis non dissimilibus ipso sui exordio caducum, quod se aestimat, reperitur. Est ergo praefatus cunctis anathema, nec ab Ecclesia catholica credatur unquam recipi, qui post cohortationem saepissimam et per tot annorum spatia[4]) in perversitate propria perseverans locum satisfactionis amisit.

[1]) Ita G[1]. Editi *Petrus.*

[2]) Eamque ob causam ab ipso Proterio, cujus diaconus erat, una cum Timotheo Aeluro tunc presbytero damnatus legitur in gest. de nom. Acac. (Gelas. tract. I) n. 4, et n. 8 ipsius Timothei catholici testimonio confirmatur.

[3]) Restituimus *quando*, licet in mss. *quanto.* Deinde *creatores* appellantur Petri ordinatores. Nec obstat, quod Felix sup. epist. 8 n. 3 Petrum ab uno dumtaxat ordinatum scribat. Is enim tropicus loquendi modus, quo de pluribus asseritur, quod unius est proprium, nec inusitatus Felici est nec ineleganter hic adhibetur.

[4]) Scil. per triginta fere annos, ut scribit Felix epist. 1 n. 12.

Digitized by Google

Epistola 10.

Felicis papae ad clerum et plebem Constantinopolitanum. (a. 484 init. Aug.)

p. 12. *Ne turbentur ob praevaricationem legatorum Vitalis et Miseni (n. 1), atque ut Acacii a sede apostolica damnati communionem devitent (n. 2). Clericos ab hoc dejectos in loco manere pronuntient (n. 3).*

Felix clero et plebi orthodoxis Constantinopoli constitutis dilectissimis filiis salutem.

1. Probatam cunctis vestrae fidei firmitatem Vitalis atque Miseni non irrationabiliter opinamur praevaricatione turbatam: qui universa, quae illis mandata sunt, non tantum negligendo verum etiam impugnando fecerunt, ut ecclesia Romana consentire damnatis haereticis crederetur[1]); quando contra vetitum his, qui a Petro illo haeretico, parricidarum[2]) socio olim justeque dejecto et toties anathematizato, directi[3]) atque ab Acacio suscepti sunt, nostrorum immemores mandatorum, communicare convicti sunt, nulla contestatione praemissa, quam tamen, sicut his praeceptum fuerat, religio vestrae sanctitatis audiret; actumque est, ut, sicuti praediximus, excessus illorum noster crederetur assensus. Quos et ordinibus suis et veneranda divini mysterii perceptione privavimus. Nullus ergo vestrum per tale commissum sit immemor sui, nec nos aestimet in apostolicae traditionis defensione deficere, quos videt fidei contumeliam in proditores et perditos vindicasse.

2. Scire vos quoque decuit Acacii quondam episcopi varietatem inconstantiamque detectam. Qui quum de Petro isto, sicut probatur adnexis, non ferenda retulerit, atque olim dixerit[4]) fuisse damnatum, per legatos nostros multis laudibus prosecutus, contra conscientiam fecit; utrum ei quidquam credendum sit, omnes qui timorem Dei ante oculos constituunt, judicabunt. Alienarum quoque provinciarum sibi jura defendens[5]), sanctorum trecentorum decem et octo patrum

---

[1]) Symeones Acoemitensis monachus Romam veniens testificatus erat, ut verbis Evagrii h. e. III, 21 utar, *ita multos ex simplicioribus in fraudem inductos esse ab haereticis, quum dicerent, Petrum a Romana etiam sede susceptum esse in communionem.* [a²]

[2]) h. e. Timothei Aeluri.

[3]) Seu qui Petri apocrisiariorum munere defungebantur Constantinopoli, ut planius declaratur epist. 8 n. 1, quosque Acacius confovere epist. 6. n. 1 arguitur.

[4]) Suppl. *eum*. Deinde *per legatos nostros* idem est ac *per litteras legatis redeuntibus traditas.*

[5]) Nempe a. 476 antencycliis Basilisci (Evagr. h. e. III, 7) haec inseri curaverat: *Provincias quoque, quarum ordinationem sedes hujus regiae et gloriosae urbis habuerat, reverendissimo ac sanctissimo patriarchae et archiepiscopo Acacio restitui jubemus.* Ejus etiam opera haud dubie eodem anno lata a Zenone fuit lex (l. 16 Cod. Just. I, 2), qua idem jus ipsi confirmavit. Exinde Calendionem episcopum

Digitized by Google

a. 484. canones illicitarum sibi ordinationum praesumptor est conatus evertere. Quorum etiam ob hoc subjacet ultioni; nec Romanae, id est apostolicae sedis, qua se ipse privavit, communione jam gaudet, quando Petri Eutychianistae socius et susceptor apparens, damnationis ejus se participem indicavit. Quem nostra quoque sententia ministerii episcopalis officio et sancta communione vestroque numero, id est Christiano, judicavit alienum, sicut reperitur in adnexis.

3. Filio autem nostro Salomoni presbytero, quem Acacius, ut placeret haereticis, suo privare putavit gradu, gradum proprium sententia vestra conservet[6]), vel omnes, qui forte a memorato propulsi, in locis suis et in nostra communione manere pronuntiet. Quamvis autem zelum vestrae fidei noverimus, monemus tamen, ut omnes, qui catholicae fidei volunt esse participes, ab illius se communione abstineant, ne, quod absit, simili subjaceant ultioni.

Epistola 11

seu

a. 485 d. 5 Oct. **Synodus Romana ad presbyteros et archimandritas Constantinopoli atque in Bithynia constitutos.**

Synodus Romana Antiochenae ecclesiae causa apud b. Petrum congregata significat, patefactis criminibus Vitalem et Misenum a sacerdotio et sacra communione suspensos, Acacium vero et ab episcoporum collegio et a communione fidelium dejectum esse (n. 1—3). Sententiam in eumdem jam per Tutum defensorem transmissam iterum se mittere nuntiat, et inanem quamdam illius incriminationem refutans (n. 4), ut adversus novas damnati molitiones constantes sint hortatur (n. 5,6). p. 12.

Sancta synodus apud beatum Petrum apostolum congregata universis presbyteris et archimandritis orthodoxis Constantinopoli et Bithyniae constitutis[1]) dilectissimis filiis in Domino salutem.

1. Olim nobis atque ab initio sedi apostolicae omnium nostrum principi fides vestrae probata est sanctitatis: nec dubitari potest, ita vos verae in Deum pietatis tenere constantiam, ut etiam discernendi justos ab impiis, fideles ab infidelibus, catholicos ab haereticis,

---

Antiochenum ordinavit. Quod licet ex necessitate factum excusavit (cf. Simplic. epist. 15, 16, 17), facile tamen multis aliis exemplis hujusmodi infractionis juris alieni prodidit, quo animo attentasset. Neque parum ejus animum a Simplicio et postea a Felice alienavit, quod illi ambitiosis ejus conatibus semper et ubique intercederent.

[6]) Hic observare libet, ita judicium de alieno clerico ferre Felicem, ut non sibi illud arrogare sed clero proprio relinquere videatur, declarare contentus, haud ratum se habere iniquum de illo judicium Acacii.

[1]) Editi *consistentibus*, G[1] *constitutis*, iis scilicet, qui prius ad Felicem scripserant Misenum et Vitalem in multis accusantes. Inter quos praecipuus erat Cyrillus Acoemitensium monasterio praefectus, cujus jussu Symeones monachus

Digitized by Google

dono divini Spiritus habeatis industriam. De eo[2]) gloriantes in Do- a. 485.
mino, etsi nihil esset, quod in causa fidei latere noverimus, tamen ne quis pusillae forte sit mentis, pro sollicitudine ministerii per Ezechielem prophetam a Domino specialiter verba dicta proferimus: *Quodsi*, inquit, *speculator gladium viderit venientem et non insonuerit* Ez. 33, 6. *buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem vero ejus de manu speculatoris requiram.* Videtis ecce, quae nos cura constringat, quae mandata perterreant, et quod cavendum est potius[3]), ne ipsis taceamus adversis, quam magis verendum divinis subjacere suppliciis, et quum possit coelestis vocis auditu, quisquis se custodierit, sine dubitatione salvari, speculatoris sit gravior reatus, si quemquam taciturnitas ejus amiserit.

2. Unde quae sint acta memoramus, quum Vitalis atque Misenus in[4]) nostro judicio constituti causas mandatae sibi pro fide legationis exponerent. Quoniam astutiores sunt filiis lucis filii tenebrarum, praevaricatores mandatae sibi legationis, circumveniente magisque opprimente Acacio, sunt reperti: ita ut, quantum famae mobilitate praecognitum est, constiterit, eos praedicto[5]) contra formam praecepti prohibitum sui exhibuisse famulatum. Quum ob hoc specialiter directi fuissent, ut in ecclesia vobis audientibus eum corriperent, et Petro Alexandrina urbe secluso, quem sanctus Simplicius papa saepius poposcerat longinquo exsilio relegandum, catholicis episcopis subveniretur et populis: isti coram vobis[6]) inter altaria veneranda non solum Acacio, quod vetitum fuit, contraria perpetranti, sed iisdem ipsis, ad quos directi fuerant evitandos, se nescientes communicasse dixerunt; nec catholicis episcopis et clericis, quos persequebatur Acacius, callida seductione translatis subvenire[7]) voluerunt. Et quum se universa, sicut illis mandata sunt, mentirentur egisse,

---

Romam veniens eosdem legatos multiplicis praevaricationis convicit; cf. Evagrius h. e. III, 20 et 21.

[2]) Vulg. *De quo*, moxque *populi se non custodierint*, et omittuut *ejus*. Sequimur G[1] (*populis se non custodierit*).

[3]) G[1] *populis*, alii omnes *pottus*.

[4]) Editi omittunt *in*, moxque G[1] corrupte *astutioris lucis filti*.

[5]) Ita G[1], scil. *Acacio*. Editi *praedicti ... fuissent. Utinam Ecclesia ... corriperet ... et populis isti coram ... relegandum ut catholicis* etc. Quamquam etiam G[1] *utinam* et *ut catholicis* retinuit, lectionem nostram necessario substituendam duximus.

[6]) Puta, *quum Constantinopoli degerent*. a[3] *coram nobis* legisse videtur, ubi totum ad synodum Romanam referendum foret, et sequentia melius cohaererent.

[7]) Ad hoc praesertim missi fuerant, et hoc ipsum eos prorsus neglexisse Simeones detulerat. Qui quidem, ut narrat Evagrius h. e. III, 21, in ipsa synodo Romana eos reprehendit, quod in urbe regia constituti, *quum variae quaestiones propositae essent, noluerint unquam colloqui cum ullo orthodoxorum aut litteras eis tradere, nec quidquam eorum, quae contra rectam fidem tentabantur, examinare.*

Digitized by Google

a. 485. lectis Acacii litteris, quas ipsi detulerant, manifestum est, eos sine excusatione vidisse, unum atque idem Petrum Acaciumque sentire, qui Petrum sancto[8]) Simplicio et ante episcopatum fuisse damnatum et ab episcopatus ipsius retulerat honore propulsum. Adjectum etiam tunc, quum ista in examinatione tractantur, quod Acacius Johannem illum Tyriorum ecclesiae fecerit praesidere, qui Apamenis a Petro Antiochenae ecclesiae tyranno fuerat episcopus ordinatus, sed minime receptus, proprio ordinatore depulso eamdem sedem non timuit occupare: quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab apostolica sede damnari, ut his etiam Christianorum vocabulum tolleretur, quod gesta apud[9]) eum habita manifestant.

3. His ergo deterioribusque compertis, Vitalem atque Misenum a sacerdotali collegio et sacrosancta communione suspendimus[10]). Acacium quoque membris Christi pernicio̊sius inhiantem et per civitates atque provincias unam de fide catholicam Ecclesiam dissipantem, inter episcopos sanctos atque inter Christianos judicavimus non haberi. Qualiter enim fieri poterat, ut scindens tunicam Christi, quam nec crucifigentes eum dividere ausi sunt, in numero fidelium censeretur? Igitur omnia, quae nobis in timore Dei competunt, cogitantes et praevidentes, ne toties exstinctae Eutychianae pestis haereseos, cujus Acacius defensor est et patronus, serpens ut cancer Christi membra disperderet, eum jam nunc e corpore ecclesiastico ut partem putridam anathematizamus sententia memorata abscissum, dominicis eloquiis obsequentes: *Si oculus tuus aut pes tuus scandalizaverit te, abscide eum et projice abs te.*

Matth. 18, 8.

4. Et ut caritas vestra possit agnoscere, venerandas synodos Nicaenam et Ephesinam priorem atque Calchedonensem contra Nestorium et Eutychetem impiissimum nos tenere[11]), post illam sen-

---

[8]) Editi *a sancto Simplicio* (et mox *ab episcopatu*), erratum simile, quod jam in epist. 6 n. 1 auctoritate mss. correximus, ex quibus restituimus *quem damnatum sanctae memoriae decessori meo ipse retulerat* (loco *a sanctae* etc.). Porro Petrus Mongus non a Simplicio papa sed a Proterio Alexandrino, dum adhuc diaconus erat, damnatus est, et a sacerdotali honore, quem usurpaverat, dejectus est ipso Zenonis imperatoris decreto, quo Timotheus catholicus episcopus revocabatur. Hoc autem geminum factum Acacius ipse ad Simplicium retulerat (cf. Simpl. epist. 8).

[9]) G[1] a[1] *apud deum*, et mox G[1] *manifestatis*, mendose. Hic gesta illa indicantur, quae Acacius Constantinopoli habuit, priusquam litteras ad Simplicium mitteret, de quibus conferatur *notitia epistolarum hujus pontificis non exstantium* n. VI.

[10]) Gelasius epist. 30 n. 8 et 9 eos suspensos fuisse tradit, *donec auctore Deo et annisu catholicorum principum vel populi Christiani Alexandrina catholicum recepisset episcopum ecclesia.* — Mox G[1] *pernictosius inherentem.*

[11]) In edit. conciliorum hic additur *etc.*, quasi aliquid desit, et ad marginem annotatur: *Sequitur fidei instructio ejusdem epistolae.* Nobis vero nihil hic suppressum, nihil desiderandum videtur.

Digitized by Google

tentiam, quae in Acacium perturbatorem totius Orientis ecclesiae a. 485.
dicta est, his quoque nunc iterum congregati adjicimus[12]) litteris memoratam subdendo sententiam, quam placuit per Tutum defensorem ecclesiae Acacio dirigi, ne volentes aliqui circumscribere veritatem, malignissimis blandimentis simpliciores quosque seducant. Nam si terra marique orthodoxis non ponerentur insidiae, plurimi ex nobis cum eadem contra[13]) Acacium sententia venire potuissent. Unde nunc causa Antiochenae[14]) ecclesiae apud beatissimum Petrum apostolum collecti, rursum dilectioni vestrae morem[15]), qui apud nos semper obtinuit, properavimus indicare. Quotiens intra Italiam propter ecclesiasticas causas, praecipue fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor praesulum sedis apostolicae ex persona cunctorum totius Italiae sacerdotum juxta sollicitudinem sibi ecclesiarum *omnibus competentem cuncta constituat, qui caput *f. *omnium*
est omnium, Domino ad beatum Petrum dicente: *Tu es Petrus, et* Matth. 16,18.
super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Quam vocem sequentes trecenti decem et octo sancti patres apud Nicaeam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctae Romanae ecclesiae detulerunt[16]): quam

---

[12]) a[1] *adducimus*, G[1] (si recte legimus) *adutimur*, unde *adjicimus* pro genuina lectione derivavimus. Hoc autem verbo restituto et mutata interpunctione nihil jam orationis, quae ante mutila videbatur, integritati deerit. Significat synodus, se eamdem his litteris subjecisse sententiam, quam pridem Tutus Acacio pertulerat. — Mox G[1] omittit *quam* (ante *placuit*).

[13]) Ita G[1]. Vulg. *eadem Acacii sententia ... beatum Petrum.*

[14]) Quae esset nova illa Antiochenae ecclesiae causa, n. 5 explicatur, scilicet Acacium ejecto Calendioni episcopo catholico Petrum Fullonem subrogasse infamem haereticum. His autem rationibus, quibus synodus Graecorum expostulationibus, quod a solo Felice damnatus esset Acacius, satisfacere nititur, alias adjicit Gelasius epist. 26 n. 14.

[15]) G[1] *mores*, vulg. *more*, unde nos *morem* restituimus.

[16]) G[1] *detulerunt que ... omnis Christi*, mendose. Ea quidem potestas Romano pontifici ut metropolitano in Urbicariis provinciis attribuitur concilio Nicaeno c. 4 his verbis: *Potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum.* Sed ex adjunctis hic quoddam singulare privilegium a synodo illa Romanae ecclesiae delatum denotari colligitur, quod litteris ad Silvestrum scriptis neque hodie exstantibus expressum fuisse suspicamur. Ad harum ipsarum imitationem forte artifex in supposititia illa epistola (Ps. Silv. epist. 12 in Const. ep. Rom. pont. Append. I pag. 53) Nicaenos patres ad eumdem ita pontificem induxit scribentes: *Quod autem constituimus in concilio Nicaeno, precamur, ut vestri oris consortio confirmetur.* Sed et ante Nicaenam synodum episcopi Arelate congregati, et post, qui Sardicae convenerant, quidquid constituerant, Julio et Silvestro retulerunt (vid. Silv. epist. 2 et Jul. epist. 3). Forte etiam hic memoratur consuetudo in Nicaena synodo c. 6 confirmata, qua Romani pontifices ad instar potestatem in plures provincias Alexandrino et Antiocheno antistitibus attribuit. Ejus autem consuetudinis, quam nunc Romana synodus explicat, exemplum habemus in Julii epist. 1 n. 8.

Digitized by Google

a. 485. utramque usque ad aetatem nostram successiones omnes Christi gratia praestante custodiunt. Quod ergo placuit sanctae synodo apud beatum Petrum apostolum, sicut diximus[17]) et per Tutum ecclesiae defensorem beatissimus vir Felix, caput nostrum papa et archiepiscopus, indicavit, in subditis continetur.

5. Sicut[18]) autem Acacius impietatem pestiferae damnationis tetendit, ut etiam dejectus insultet, ut scissus saevire non desinat, et quum omnino extra corpus habeatur Ecclesiae, ejus tamen membra
Prov. 18,3. dilaceret et de se scriptum esse testetur: *Impius quum pervenerit in profundum malorum, contemnit:* adjiciens deteriora prioribus persequendo jam mortuos[19]), ejus anima graviter delinquendo conditionem secundae mortis incurrit. Qui Calendione episcopo sancto, quemadmodum cognovimus, nuper ejecto[20]), Petrum toties et a se ante damnatum in ejus misit ecclesiam, ita ut plurimi, si verum est,

---

[17]) Orationis integritas postulare videtur *sicut direximus per*, vel legendum est *sicut diximus et per ... defensorem beatissimus vir Felix caput nostrum papa et archiepiscopus indicavit.* Editi *sicut diximus, per Tutum eccl. def. et beatissimus ... archiepiscopus judicavit.* — Hic observandum, nusquam in superioribus Romanum pontificem a Latinis vocari *archiepiscopum.* Antea quidem Damasus hoc titulo insignitus legitur in libello Marcellini et Faustini ad Theodosium imperatorem, sed ironice. Subinde etiam Latinis familiare esse coepit. Caesarius Arelatensis in suo testamento apud Baronium ad ann. 508 successorem suum saepius *archiepiscopum* dicit.

[18]) Editi *Sic autem ... corpus habeatur ejus ... Impius cum venerit.* Sequimur G[1].

[19]) G[1] *mortuos cui es anima ... conditionem* (vulg. *condemnationem*) *secundae mortis.* Acacium non legimus *jam mortuos* esse persecutum. Sed quia ipsi aliqua intercedebat societas cum Petro Alexandrino, qui Timothei catholici episcopi corpus ex ecclesia in desertum locum ejecerat, ejusdem criminis obnoxius reputatur. Neque enim deprehenso hoc facinore se a Petri societate abstraxit, quamvis eum quodammodo culpaverit, ut supra in epist. 6 ex Evagrio h. e. III, 18 observavimus.

[20]) G[1] a[1] *electo ... misit*, cc *ejecto ... immisit.* Hujus episcopi aliorumque ejiciendorum causam Theophanes chronogr. p. 207 his verbis prodit: *Zeno a tyrannis se opprimentibus liber Calandionem Antiochensium ecclesia expulit et Oasin relegavit, atque Petrum Fullonem in sedem restituit. Nestorem autem Romanum Calchedonis, Eusebium Samosatensium, Julianum Mopsvestiae, Paulum Constantinae, Manum Hemeriae et Andream Theodosiopoleos praesules specie quidem collati in tyrannos favoris, sed revera Henotici ab eis rejecti causa dignitate moveri jussit.* Tradit quoque Evagrius h. e. III, 16, Calendionem Oasim deportatum, et quidem, ut loquitur Liberatus breviar. c. 18, *quum accusaretur in aperto tamquam indevotus principi, mittens populum in rebellionem cum Ello, latenter autem, quia se non suspenderet et a Felicis papae et a Johannis* (Talajae) *communione.* Ex quo et sequitur, ut Calendionis expulsio adeoque et Antiochenae ecclesiae causa, propter quam haec synodus congregata est, longe posterior sit illa altera, in qua Acacius primum damnatus est. Siquidem Acacius, qui aliis auctor fuit, ut se a Felicis communione suspenderent, tum primum teste Theophane pag. 205, hujus papae nomen e diptychis expunxit, quum sententiam, qua a sacerdotali honore removebatur, accepisset.

Digitized by Google

catholici cesserint relictis suis sedibus sacerdotes, et nostrae pro- a. 485.
jectae sint porcis et canibus margaritae. Verumtamen neminem terreat, quod damnatus Acacius non quiescit[21]). Elisus est satanas et tamen operatur. Vicit Christus et vincit, nec adhuc hostis absistit. Et quia certum est nobis, meminisse vos etiam propheticae Psalm. 26, 3.
lectionis nec aliquid habere contra consistentia castra formidinis, opportunissime cohortamur spectantes Dominum: sicut et nos, perseveretis in finem, et sententiam, quam reperitis in subditis, animo constanti retineatis!

6. Ne quid autem maligne[22]) in litteris nostris mutari apud pravissimas mentes aut aliter interpretari possit, primum clementissimo principi, sicut oportuit, supplicantes, has easdem litteras nostras ad dilectionem vestram, clerum plebemque et amplissimum senatum direximus, quibus singuli universique subscripsimus, divinum petentes auxilium, ut vitatis insidiis haec ad vos scripta faciat pervenire. — III[23]) Nonas Octobris Symmacho v. c. cons. **Et alia manu.** Deus vos incolumes custodiat, filii dilectissimi!

Et subscriptiones episcoporum. Candidus Tiburtinae civitatis episcopus Petro Alexandrinae ecclesiae pervasori et Acacio quondam ecclesiae Constantinopolitanae necnon etiam Petro Antiocheno ab episcopatus et Christianorum numero olim jure et merito segregatis omnibusque sequacibus eorum, sequens auctoritatem sedis apostolicae, secundum desiderium[24]) nostrum juxta Ecclesiae statum catholica deliberatione prolatam, anathema dicens subscripsi.

Quadraginta duo episcopi similiter subscripserunt.

Epistola 12.

Felicis papae ad monachos urbis Constantinopolitanae et Bithyniae. (a. 485 c. fin.)

Patefacta praevaricatione Tutum defensorem ecclesiae depositum et sacra communione privatum esse (*n.* 1). *Ut ipsi in transfugas monachos similiter animadvertant, justa tamen culpae cujusvis ratione habita* (*n.* 2).

Felix Rufino, Thalasio, presbyteris et archiman-

---

[21]) Vulgati *quiescat* et mox *exspectantes Dominum ut sicut.* Etiam in his archetypum reddimus.

[22]) cc *maligni*, rectius a[1] *maligne*, ut postulare videtur quod mox subjicitur *aut aliter*. Porro verbum *interpretari* passive sumitur.

[23]) Notam hanc consularem, quam c[7] c[9] c[10] e veteri codice erutam satis habuere ad marginem adnotasse, suo loco restituimus utpote cum gestis optime convenientem.

[24]) Ex G[1] revocamus *desiderium*, quod vulg. omittunt.

Digitized by Google

a. 485. dritis et ceteris monachis circa Constantinopolim et Bithyniam constitutis.

1. Diabolicae artis astutias frequentius experimur, sed malignitati ejus Deo juvante non cedimus. Nam quum ea, quae toties pro constantia fidei disponuntur, fraus ejus vacuare molitur, necesse est, ut et viribus, quas divina gratia subministrat, conatus ipsius exstirpemus. Acceptis itaque litteris dilectionis vestrae, quarum Basilius fuit lator, inter cetera Tutus, quem ob hoc feceramus defensorem ecclesiae de provectioribus intra ecclesiam clericis, ut quam dirigi non licebat in Acacium sententiam ipse portaret, se quadam dementia immo ardore pecuniae, postquam nostris satisfactum est constitutis, inimicis fidei vendidisse convictus est atque confessus. Lectae sunt enim litterae ipsius in conventu fratrum, qualiter pacta[1]) interposita persona, Marone condemnato, ei cui sententiam portarat inhaesisse creditur: quas proprias esse cognoscens, non potuit diffiteri. Unde eum fidei et sedis apostolicae proditorem officio defensoris, quod ei ad tempus dederamus, exuimus, eumque sacrosancti mysterii communione privatum praecipitarique[2]) cognitione praecepimus, monentes dilectionem vestram, ut sicut semper fecistis, pro custodia veritatis jugi observatione vigiletis.

2. Et quia non est dubium, nonnullos ex monasteriis vestris esse deceptos atque ad inimicos Dei seu sponte seu necessitate transiisse, observandum vobis de talibus hoc esse mandamus: ut quisquis cujuslibet loci apud vos vel sponte se dedit vel mercede corruptus, collegii vestri sit prorsus alienus. Quia nisi a fidelibus perfidi sint remoti, rerum discretione sublata laborabunt suspicionibus innocentes, ut ad vitia facilis hominibus est prolapsus. A probatorum consortio
1 Cor. 15, 33. contagia repellenda sunt perditorum: quoniam *mores bonos colloquia*, sicut scriptum est, *perversa corrumpunt*. Illorum vero aliter causa tractanda est, quos constiterit poenis gravibus, ut traducerentur, afflictos[3]). Circa quos humaniores vos esse convenit, ut ad cellulas

---

[a³] [1]) Henr. Valesius in dissert. de duab. synodis Romanis (ad calc. edit. Theodoreti pag. 183) ita corrigendum hunc locum censet: *pacto interposito per senem Maronem condemnato ei, cui sententiam portarat, inhaesisse creditur.*

[2]) Magis placeret *praehabita synodali* seu *judiciali cognitione.*

[3]) In poenis lapsis imponendis semper Ecclesia eorum rationem habuit, qui vi adacti cessissent, eosque benignius respiciebat pia mater. Quippe *qui per tormenta superatus est*, ait s. Cyprianus de lapsis n. 13, *potest rogare talis et dicere: „... caro me in colluctatione deseruit, ... non animus sed corpus in dolore defecit.“ Potest cito proficere ad veniam causa talis, potest ejusmodi excusatio esse miserabilis* (i. e. miseratione digna). In alios vero filios degeneres, qui sponte sua cedebant, gravius animadvertere solebat. Unde concilium Nicaenum can. 11 poenitentiam iis praescribens, qui in persecutione Liciniana lapsi erant, consulto se agere praemittit *de his, qui praeter necessitatem praevaricati sunt aut praeter*

Digitized by Google

sub districtione poenitentiae revertantur, et fidelioribus lacrymis a. 485.
eorum quod lapsi sunt expietur, donec exclusis inimicis et perversoribus suis catholica purgetur Ecclesia.

Epistola 13

seu

Exemplar gestorum, quibus alligatum est praeceptum Felicis papae.

a. 487 d. 13 Mart. et a. 488 d. 15 Mart.

p. 15. **I.** [1]) **De his, qui rebaptizati doluerunt et postea poenitere voluerunt.**
II. De presbyteris vel diaconibus, qui in lapsu haereticorum se baptismati dederunt.
III. De reliquis, qui se rebaptizandos impie dederunt.
IV. De his, qui per ignorantiam aetatis rebaptizati sunt.
V. De his, qui ab haereticis baptizati aut rebaptizati sunt, ut ad ecclesiasticam militiam non pertingant.
VI. De poenitentibus, ut ab aliis episcopis non suscipiantur.

Dilectissimis in Christo Jesu fratribus, universis episcopis per diversas provincias constitutis.

1. Flavio Boetio viro clarissimo consule sub die III [2]) Idus Martias in basilica Constantiniana residente venerabili viro papa Felice una cum Candido Tiburtino, Paschasio Centumcellensi, Constantio Aquinati, Equitio Matellicati [3]), Philippo Numanati, Epiphanio Spellati [4]), Bono Ostiensi, Herennio Portuensi, Constantio Triventi [5]), Agnello Telesino [6]), Constantino Capuano, Urbano Fulginati, Severo Casinati [7]), Martiniano Formiano, Marciano Amerino, Creschonio Tudertino, Herculio Utriculano [8]), Basilio Tolentinati, Maximo Blerano, Projectitio Tarquiniensi, Petro Subaugustano, Maximino Ferentiensi [9]),

---

periculum vel aliquid hujusmodi (Hard. I, 327); adeoque et de iis, qui se aliqua necessitate victos gemebant, lenius judicandum censuit.

[1]) Hi tituli sēu capitula ex mss. IO describuntur, sed Hadriano ignota erant.

[2]) H[c] *II Id.*

[3]) Editi *Mattellicatensi*, *Metellicani*, aut *Marcellicatensi;* emendantur ex mss. et c[7] c[9]. *Matellica* urbs est Italiae in Piceno seu Marchia Anconitana.

[4]) Ita mss., sicque omnis scrupulus de ejusmodi episcopo *Spoletino*, cui temporis hujus non patet spatium, tollitur (cf. Ughelli Italia sacra ed. II. Coleti I, 1256 et X, 115). c[7] c[9] c[10] *Spoletino* (c[9] ad marg. *Dionys. Spellate*), h[1] c[2] a[2] *Spoleti.*

[5]) In vulgatis *Trebiati;* H[6] H[8] *Tribeati*, H[3] *Triveati*, K[3] *Triveti.* Legendum videtur *Triventi*, quae urbs episcopalis in Samnio est, nisi quis malit *Truenti*, cujus urbis episcopus fuerat Vitalis, unus ex Felicis legatis, quos Acacius perverterat. Is certe in gest. de nom. Acac. (Gelas. tract. I) n. 13 *Troentinas* (X[k] *Troentinus*, Vat. *Triventinas*) episcopus appellatur. Hunc autem antequam reconciliationis gratiam mereretur obiisse, ex Gelasii epist. 30 n. 14 constat.

[6]) Editi *Torcelino*, h[1] *Tolesino*, H[6] *Telesinio*, alii *Telesino.*

[7]) H[6] *Casiniti*, H[8] *Casinato*, H[10] *Casinensi*, c[7] c[9] c[10] *Cassinati.* Moxque c[7] c[9] c[10] *Crisconio.*

[8]) H[5] *Autriculano*, editi *Otriculano.* Tum c[7] c[10] *Basilico.*

[9]) Editi *Ferentanensi* (H[10] *Frentanensi*), h[1] *Ferennensi.* Sequimur potiores

Digitized by Google

a. 487 et 488. Basso Ferentinati, Felice Antiatino[10]), Innocentio Mevanati, Felice Anagnino, Benigno Aquaevivensi, Andrea Gabinati, Decio Trium Tabernarum, Cypriano Numentano, Athanasio Albanensi, Vitali Fundano, Petro Lorensi, Constantio Sutrino, Felicissimo Sabinensi, Gaudentio Foroclodiensi[11]), Bonifacio Veliterno, Asterio Foronovano, Romulo Praenestino, Victore, Donato, Rustico et Pardulio Afris episcopis; et presbyteris Rustico, Urbico[13]), Firmino, Paulino, Castino, Petro, Simplicio, Valente, Laurentio, Petro, Canusio, Valentino, Cassio, Paschasio, Petro, Vincomalo, Asterio, Laurentio, Sorano, Canusio, Valentino, Cassio, Paschasio, Petro, Asterio, Leone, Asterio, *Euchenio, Asello, Januario, Bonifacio, Marciano, Petro, Gordiano, Smaragdo, Petro, Bonifacio, Lepido, Xysto, Maxentio, Petro, Epiphanio, Paschasio, Epiphanio, Felice, Asterio, Petronio, Petro, Laurentio, Justino, Fulgentio, Felice, Callisto, Alexandro, Romano, Redemto, Johanne, Projectitio, Valentino, Bonifacio, Sebastiano, Laurentio, Martiniano, Jobino, Epiphanio, Epiphanio, Andrea, Bono, Petro, Servo Dei, Opilione, Petro, Sebastiano, Servando, Romano, Marcellino, Domnino, Petro, Agapito, Juliano et Abundantio; adstantibus quoque diaconibus, Felix episcopus catholicae urbis Romae praesidens synodo dixit:

*f. *Eugenio* vel *Eucherio*

2. *Communis dolor et generalis est gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam episcopos, presbyteros diaconesque cognovimus. Quae res sine dubio ad vestram quoque pervenit notitiam sanctitatis: de quo quid observari debeat, ordinare nos convenit. Proinde ut manifesta sit super hoc nostra sententia, quae nobis sunt visa, recitentur.*

Anastasius diaconus recitavit: Sanctitas[14]) vestra universis episcopis per diversas provincias constitutis.

3. Qualiter in Africanis regionibus astutia diaboli saevierit in populum Christianum, atque in id multiplici deceptione proruperit,

---

mss. Porro *Ferentiam, Ferentinum* et *Ferentanum* distinguunt geographi, ac primam et secundam urbes episcopales fuisse observant, non postremam.

[10]) In plurib. mss. *Anteatino* et mox *Mivanati* vel *Mibanati* (H[8]); c[7] c[9] c[10] *Mevanatensi* et mox *Triumtabernensi ... Nomentanensi ... Laurensi.*

[11]) H[8] *Florogodiensi*, H[8] *Foroclaudiensi.*

[12]) In vulgatis ex 81 presbyteris infra nominatis recensentur tantum 76, omissis quinque, quorum nomina ex mss. revocantur. Quamquam suspicio mihi haud parva, sola incuria quadam librarii quinque nomina (scil. *Canusio, Valentino, Cassio, Paschasio, Petro*) duplicata esse. Certe vulgatis favent H[10] O[1] ita haec perstringentes: *residentibus etiam presbyteris LXXVI.* Ceterum ordinem ibi sequor a[3], quem etiam H[8] praebet, dum editi alium exhibent.

[13]) H[6] *Urbino.* Deinde post *diaconibus* H[10] addit *vel cuncto clero.*

[14]) Ita mss., in quibus gesta praefixa sunt. In ceteris, in quibus omittuntur, inscriptio ponitur: *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Siciliam constitutis Felix in Domino salutem.* In vulgatis autem: *Dilectissimis in Christo Jesu fratribus universis episcopis per provincias constitutis.*

Digitized by Google

ut non modo vulgus incautum sed ipsos quoque in mortis profunda demerserit sacerdotes, nullus non orbis gemuit, nulla terra nescivit. Unde in grandi moerore positi, dissimulare non possumus pereuntium atque a nobis exigendarum discrimen animarum. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste nihil prosit, sed segnius tractata[15]) pernicies reatu non legitimae curationis involvat pariter saucios et medentes. a. 487 et 488.

CAP. I.

4. Imprimis itaque venientis ad vos et remedium postulantis sollicite discutienda est professio et persona decepti, ut medela possit congruens exhiberi. Et qui satisfacturus Deo per poenitentiam, se rebaptizatum legitime doluerit, utrum ad hoc facinus cucurrerit[16]), an impulsus accesserit, requiratur: sciens *quod se decipiat ipse, qui fallit,* nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata[17]), quae pia, quae vera, quae justa sunt; et aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Deterior est autem causa illius, qui forte pretio sollicitatus est ut periret. Nihil enim intentatum reliquit[18]) inimicus; cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis, et conterendus[19]) est venantis laqueus[20]), ut infucatim lamentantibus lapsum tam justitiae moderatione quam compunctione pietatis ad aulam, quam reliquerant, sit regressus. Nec pudeat forsan aut pigeat indictis jejuniorum gemituumque temporibus obedire, aut aliis observantiae salubrioris obtemperare praeceptis: quia humilibus datur gratia, non superbis. Sit ergo ruinae suae dolore prostratus, quisquis in Christo fieri Sap. 1, 11. Psalm. 123, 7. Jac. 4, 6.

---

[15]) Ita mss. H I O i²; editi *tracta.*

[16]) Editi *concurrerit*, corriguntur ex mss.

[17]) Mss. O *recta*, valde corrupte. Perpendendus est hic locus sive poenitentibus, qui de sacerdotum facilitate et indulgentia sibi frustra blandiuntur, sive ipsis sacerdotibus, qui molliori disciplina dum poenitentibus parcere se putant, et sibi et illis imponunt. Eorum quippe judicia quum minime ad justitiae regulas exacta sint, nec supremo tribunali rata sunt, ideoque ipsi velut causae Dei desertores eidem tribunali obnoxii fiunt.

[18]) Editi *relinquit*, rectius mss. et h¹ c⁹ i² *reliquit,* quum hic memoretur, quod sub Hunerico rege in Africa gestum est.

[19]) Ita H T h¹ c² i²; a¹ c c *contendendus.* Ad imitationem Psalmi 123, 7 *laqueus contritus est* hic locus exprimitur.

[20]) Ita plurimi mss. Editi *ut* (c⁷ c¹⁰ omitt. *ut*) *infucatum lamentantibus tam.* H¹⁰ i² *ut infucatum lamentationibus lapsum* (H¹⁰ prima manu *laqueum*) ... *ad caulam* (i² *ad aulam*). H⁶ I⁵ K³ *infugatim*, H⁵ *infugatum*, in aliis nostrae lectioni favent. 2 H⁵ *infuscatis* (alter H⁵ *infucatis*) *lamentationibus.* O⁷ *ut infuscatum sine dolo lamentationibus,* haud dubie ex imperitia librarii, qui et vocem *infucatim,* quam potiores mss. retinent, corrupit, et ejusdem vocis explicationem (i. e. *sine dolo*) ad marginem adscriptam temere in textum transtulit.

Digitized by Google

a. 487 et 488. quaerit erectus; et per dispensationis[21]) nostrae ministerium, quod vestram sequi convenit caritatem nec alicui fas est vel velle vel posse transcendere, causas ejus, qui contra apostolicam doctrinam ad iterationem se nimis infaustam baptismatis dedidit, vel ejus, qui aliquibus argumentis excusandum callide proprium putaverit esse consensum, sacerdotali vigore et humanitate tractemus, ut in eis fides, quae nisi est una jam nulla est, adjutorio Domini judicis ad salutem sine nostrae properationis[22]) offensione reparetur: quia quum peccatoris a nobis satisfactio protrahitur, non praeter nostram laudem atque laetitiam mens ejus ad veniam purgatior invenitur. Et ideo memineritis, hanc super his nos habere sententiam, ut servata discretione peccantium non eadem cuncti, qui lapsi sunt, lance pensentur: quoniam majoris castigationis est exigendus usuram[23]), cui domus Domini commissa fuerit disciplina.

Cap. II.

5. Ut ergo ab Ecclesiae[24]) summitatibus inchoemus, eos, quos episcopos, presbyteros vel diacones fuisse constiterit, et seu optantes forsitan seu coactos lavacri illius unici salutarisque claruerit fecisse jacturam, et Christum, quem non solum dono regenerationis verum etiam gratia percepti honoris induerant, exuisse, quum constet neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palam[25]) Christianum negaverit et professus fuerit se esse paganum: quod quum generaliter sit in omnibus exsecrandum, multo magis in episcopis, presbyteris et diaconibus auditu saltem dictuque probatur

---

[21]) Editi (excepto h[1]) *dispositionis nostrae*, deinde c[2] *mysterium*, refragantibus mss. Serio mature diligenterque examinari vult Felix causas eorum, qui baptismum in se iterari vel spontanea voluntate vel consensu permiserunt, nec praeproperam eis veniam concedi.

[22]) Mss. O et editi *operationis*, 1 H[5] *praeparationis*, verius alii (etiam H[6] H[9] H[10]) *properationis*, h. e. sine offensa et vituperatione, in quam praepropera lapsorum reconciliatione incurremus.

[23]) Editi *usura*, corriguntur ex mss. (etiam H[6] H[9]). Apud Ivon. plane depravatus est hic locus.

[24]) Potiores mss. septem *summantibus* (etiam H[7] H[9] et prima manu H[6]). In H[1] expuncta est littera *n*, ita ut restet *summatibus*, non male. Non enim incognita erat Romanis vox *sammates* eodem modo, quo dicitur *optimates*.

[25]) Huc facit illud s. Augustini cum Eusebio Donatista (epist. 35 n. 3) expostulantis, quod *catholicis exsecrabiliter persuadeatur, ut ad lavacrum alterum veniant, atque ut id accipere mereantur, paganos se esse respondeant; quae vox ne procederet de ore Christiano, tantus sanguis martyrum fusus est.* Ipsi etiam Ariani Vandali, quos secundo tinxerant, Christianos se effecisse jactitabant. Iis vero catholici vim sibi inferre volentibus reclamare solebant: „*Christiani sumus*“. Cujus rei Victor Vitensis hist. persec. Vand. l. V plura profert exempla nominatimque unum infantuli septennis, cui etiam a matre separato os obturare coacti sunt, quia clamare non cessabat: „*Christianus sum*“.

Digitized by Google

horrendum; sed quia idem Dominus atque Salvator clementissimus a. 487
est et neminem vult perire, usque ad exitus sui diem, in[26]) poeni- et 488.
tentia, si resipiscunt, jacere conveniet, nec orationi non modo fidelium sed ne catechumenorum quidem omnimodis interesse; quibus communio[27]) laica in morte redhibenda est. Quam rem diligentius explorare vel facere probatissimi sacerdotis cura debebit.

Cap. III.

6. De clericis autem et monachis aut puellis Dei aut saecularibus servari praecipimus hunc tenorem, quem Nicaena synodus circa eos, qui lapsi sunt vel fuerint, servandum esse constituit: ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo se, ut rebaptizarentur, haereticis impie dediderunt, si tamen eos ex corde poeniteat, tribus[28]) annis inter audientes sint, septem vero annis subjaceant inter poenitentes manibus sacerdotum; duobus etiam oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo popularibus[29]) in oratione socientur. Nec confundantur Deo colla

---

[26]) Plures mss. *in poenitentiam*, 1 H[2] *poenitentia*. Hoc Felicis statutum haud pugnare putandum est cum illo Siricii epist. 1 n. 18: *poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum. Quod quidem*, inquit Leo epist. 167 c. 2, *sine dubio ex apostolica traditione descendit.* Siricio enim sermo est de poenitentia publica, quae cum sollemni manuum impositione in ecclesia peragitur, ut ex verbis quum concilii Carthaginensis V c. 11 tum Leonis in epistola mox citata in locum praedictum Siricii in edit. Coust. exscriptis liquet. Felix autem etsi graviorem poenitentiam, eam tamen secretam et a sollemni manuum impositione immunem exigit, eaque ratione superiorum ordinum poenitentiam a poenitentia clericorum inferiorum distinguit. Istud illustrat et confirmat concilium a Gratiano c. 5 D. 82 laudatum, quod Polycarpus seu Gregorius Hibernense vocat, quod autem saeculo IX anterius non est, sumptum fortasse ex poenitentiali quodam, in hunc modum moderans: *Presbyter si fornicationem fecerit, quamquam secundum canones apostolorum debeat deponi, tamen juxta auctoritatem b. papae Silvestri, si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit ut resurgat, decem annis in hunc modum poeniteat: tribus quidem mensibus privato loco a ceteris remotus pane et aqua a vespera in vesperam utatur, tantum autem diebus dominicis et praecipuis festis modico vino et pisciculis atque legumipibus recreetur, sine carne et sagimine, ovis et caseo, sacco indutus humi adhaereat, die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat; tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur; nec enim debet sacerdos publice poenitere sicut laicus.* Ubi quum sacerdoti lapso poenitentia prorsus canonica praescribatur, haec tamen publica negatur.

[27]) Ita mss. (etiam H[8] H[9] H[10]): editi *laica tantum in morte reddenda est.*

[28]) Dionysius quidem in conc. Nic. c. 11, quem Felix se sequi profitetur, *sex annis* legit. Sed ex hoc loco firmantur ejusdem canonis quum textus graecus tum vetus interpretatio latina, quae perperam appellatur Isidori Mercatoris, quum etiam in Hispana collectione obtineat. Dionysio tamen pervetustus codex Corbejensis favet, in quo haec Nicaeni c. 11 pars ita profertur: *et sex annis omni humilitate succumbat.*

[29]) Excussi *saecularibus*, concinnius mss. cum Ivone *popularibus*. In Capitu-

Digitized by Google

a. 487 et 488. submittere, qui eum non timuerunt abnegare. Quodsi, utpote mortales, intra metas praescripti temporis coeperit vitae finis urgere, subveniendum est imploranti, et seu ab episcopo, qui poenitentiam dederit, seu ab alio, qui tamen datam esse probaverit, aut similiter a presbytero viaticum abeunti de saeculo non negetur.

Cap. IV.

7. Pueris autem, quibus, quod adhuc investes[30]) sunt, a puritate vocabulum est, seu clericis seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur aetatis, aliquamdiu sub manus impositione detentis reddenda communio est. Nec eorum exspectanda poenitentia, quos excipit a coercitione censura. Quod est a nobis provide constitutum, ne hi, quibus in terreni labe contagii plus minusve restat ad vitam, dum adhuc in poenitentia sunt, poenitenda forte committant. Quodsi ante praefinitum poenitentiae tempus despectus[31]) a medicis aut evidentibus mortis pressus indiciis, recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus in eo, quod Nicaeni canones ordinaverunt: ut habeatur inter eos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem praestitutum. Nec catechumenos nostros, qui sub tali professione baptizati sunt, praeterimus, quia non est causa dissimilis, sicut iidem sancti canones ordinaverunt, ejus, qui quolibet modo Christum, quem semel confessus est, abjurarit: tribus annis inter audientes sint, et postea cum catechumenis permittantur[32]) orare, per manus impositionem communionis catholicae gratiam recepturi.

8. Exceptis sane tantummodo episcopis, presbyteris, diaconibus, quos[33]) solo mortis suae tempore reconciliandos esse jam dixi-

---

laribus l. V c. 134 et 135, quae ex Felicis verbis conflata sunt, legitur *populis*, in conc. Nic. c. 11 *duobus annis sine oblatione* (Corb. *praeter oblationem*) *populo in oratione communicet.*

[30]) Mss. O H[10] c[2] *imberbes*, c[4] *impuberes*, ac deinde O cc *a pubertate*. Quae lectio pugnat cum antecedente. Nostra est veterum exemplorum H I T et Capitularium l. c. Ac quidem vox *investes* aetatem *impuberum* aetate inferiorem sonat, quamvis vulgo utraque ut synonyma accipiatur. Irenaeus quoque adv. haer. II, 22 n. 3 pueros *investes* memorat. Nec negotium facere cuiquam debet, quod de *pueris investibus* loquens Felix adjungat *seu clericis seu laicis*, quia usu tunc receptum erat, ut hujusmodi pueri in lectorum numerum adsciscerentur. Quocirca Siricius epist. 1 n. 13 decernit: *Quicunque se Ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet numero sociari.* Conf. etiam not. Coust. in h l.

[31]) Mss. magno consensu, ut et in Capitular. l. c., *dispectus* vel *despectus*, ex interpretatione verbi ἀπογνωσθείς (in Nic. c. 13). T *desperatus a medicis ob evidentia mortis indicia.*

[32]) Ita mss. H I h[1] i[2]; alii editi omisso *permittantur orare* deinde cum H[10] *percepturi.*

[33]) Plerique mss. (etiam H[5] H[9]) *quibus ... conciliandum* (1 H[3] H[6] *reconciliandum*); non displiceret *communicandum.*

Digitized by Google

mus, ceteros, id est, sive clericos sive monachos vel monachas[34]) a. 487 et 488. seu laicos sexus utriusque personas, quos violentia[35]) et periculis coactos iterationem baptismatis subiisse constiterit, vel qui aliquo commento hujus se facinoris piaculis dixerint non teneri, in poenitentia per triennium durare decernimus, et per manus impositionem ad societatem recipi sacramenti.

Cap. V.

Illo per omnia custodito, ne ex eis unquam, qui in qualibet aetate alibi quam in Ecclesia catholica aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur[36]) accedere, quibus satis esse debet, quod in catholicorum numerum sunt recepti; quoniam de suo ordine et communione videbitur ferre judicium, quisquis hoc violaverit antistitum[37]), vel qui non removerit eum, quem ex eis ad ministerium clericale obrepsisse cognoverit:

Cap. VI.

9. Curandum vero maxime et omni cautela est providendum, ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum aut etiam presbyterorum in alterius civitate vel dioecesi poenitentem vel sub manu positum sacerdotis aut eum, qui reconciliatum[38]) se esse dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris aut[39]) in paroecia presbyter, aut episcopus in civitate suscipiat. Quod[40]) aliqua dissimulatione neglectum, culpam tangit etiam clericorum, qui in locis, in quibus hoc minus curatum fuerit, commorantur.

---

[34]) Veterum codicum (etiam H^6 H^9) auctoritate restituimus *monachas*, ab editis omissum. Eodem intellectu n. 6 dicitur *monachis aut puellis Dei.*

[35]) Ita mss. Editi *violentiae periculis ... cujus se facinoris piaculo ... his poenitentiam ... decrevimus ... eos sacramenti.*

[36]) Editi *non permittantur ... debeat ... numero;* castigantur ex mss. Nititur hoc decretum regula ecclesiastica, quam et Nicaeni patres can. 10 confirmant, quae scilicet lapsos a clero arcet. Conferantur Innocentii epist. 17 n. 8 ss., Leonis epist. 18, Felicis epist. 8, ac Coustantii in eas notata, sicut Balleriniorum in Leonis epist. 1 admonit. n. 16 ss. Quibus addere libet illud concilii Carthaginensis a. 419 habiti (cod. can. eccles. Afric. c. 27): *neque permittendum, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.*

[37]) Ita plerique mss. (etiam H^8 H^9) et T; vulgati *institutum*, male. Quippe ordinis sui atque communionis jacturam Felix cuivis antistitum comminatur, qui hoc decretum violaverit aut clericos hujusmodi a se per obreptionem promotos non removerit: quia *cogniti deponuntur*, inquiunt Nicaeni patres can. 10.

[38]) H h^1 *conciliatum.*

[39]) Editi *ad cujus pertinet parochiam presbyter;* castigantur ex mss. (etiam H^8 H^9 H^{10}). Vox *paroecia* hic ecclesiam extra civitatem positam, *dioecesis* vero episcopi territorium seu civitatem sonat.

[40]) Ita mss. potiores (etiam H^6 H^9 H^{10}) et T. Alii *Quod si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam clerum* (i² *clericum*), *qui ... commoratur.*

Digitized by Google

et a. 487 488. 10. His itaque rite dispositis et ad ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis parere vos convenit: quibus, licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui novi aliquid, et quod praeterire nos potuit, fuerit revelatum, secundum 1 Cor. 14, 30. beatum Paulum apostolum, *tacente priore*, fidenter[41]) insinuet: quia Joh. 3, 8. *Spiritus sanctus ubi vult spirat*, maxime quum sua causa tractatur; nec nos pigebit audire, et si qua sunt omissa, non arroganter abnuere sed rationabiliter ordinare. Deus custodiat vos, dilectissimi fratres! Data Idibus Martii Dynamio et Siphidio[42]) viris clarissimis consulibus.

Epistola 14.

(a. 490 c. init.) **Felicis papae ad Flavitam episcopum Constantinopolitanum.**

Gratulationem suam de aucupata ab illo sede Constantinopolitana exsultantem inde p. 17. *valde turbatam, quod de sublatis Petri Acaciique nominibus nihil mandatum audiisset (n. 1 et 2). Quod ut praestet, multis enixe insistit (n. 3—5).*

Felix Flavitae episcopo Constantinopolitano.

1. Multa sunt, quae nobis praebeant de tuae dilectionis ordinatione laetitiam, et sperare divino beneficio cohortentur ecclesiasticae pacis effectum. Primum quidem, quod talem te gratia coelestis elegerit, cujus a puero vita probabilis asseratur, et catholicae fidei, quod ante omnia cupimus, praedicetur intentio. Deinde quia inter haec munera tuae Dominus caritati domini quoque filii nostri gloriosissimi principis votum[1]) contulit et favorem: quatenus potestatis fultus Deo praestante subsidio, facilius valeas expetere, quae secundum veritatem sapienter intenderis. Postremo quod omnia propemodum, quae tui sequuntur honoris exordium, tam benevolentiam nobis clementiae principalis[2]) ostendunt, quam tuae produnt

---

[41]) Editi *ftdeliter*, refragantibus mss.

[42]) H[1] 2 H[3] H[6] I[5] K[3] T *Sibidio*, alius H[3] H[6] O[3] *Sividio*, H[10] *Stmilio*, c[9] ad marg. „Dionys. *Sibilio*". Verba autem proxima *Deus custodiat vos, dilectissimi fratres* ab omnibus mss. H absunt.

[a[3]] [1]) De hoc voto agens Nicephorus Callisti h. e. XVI, 18 narrat, imperatorem chartam puram in sacro altari reponi jussisse, indictoque jejunio 40 dierum a Deo postulasse, ut nomen ejus, quem vellet ecclesiae Constantinopolitanae praeesse, angeli manu adscriberet. Ac tandem reperto in charta Flavitae nomine sese voti sui compotem existimasse; quod tamen postea fraude factum agnovisset et perfidia templi custodis ejusdemque cubiculariorum imperialium principis, quem Flavitas multo auro corruperat. Hic autem Felix hujusmodi Nicephori narrationi suffragari videtur. Quae si denique admittatur, justo judicio illudi meruit Zeno, qui Deum temere tentare ausus sit, et Flavitas dignus prorsus fuit, qui statim episcopali sede, quam impio dolo occuparat, interveniente morte dejiceretur.

[2]) i. e. principis Zenonis. Mox Flavitae ordinatio *regulariter* indicata dicitur, quia non solis litteris sed per legatos significata.

Digitized by Google

speciem voluntatis: dum scilicet ad apostolicam sedem regulariter (a. 490.) destinatur, per quam largiente Christo omnium solidatur dignitas sacerdotum; quod ipsae dilectionis tuae litterae *apostolorum summum petramque fidei et coelestis dispensatorem mysterii creditis sibi clavibus* beatum Petrum apostolum confitentur; quod denique, ut amplius esse unanimes valeamus, nobiscum dilectionem tuam orthodoxae fidei habere velle testantur[3]) assensum.

2. Quae quum non mediocria videantur indicia, quibus de tua mente nobis procedere votiva credamus, ad testimonium majus accessit, ut filii nostri religiosi monachi, rectae fidei confessione pollentes, pariter huc venirent. Quibus utique visis[4]) aestimavimus non aliter destinatos, nisi nominibus damnatorum, a quorum isti communione distabant, de Constantinopolitana ecclesia jam repulsis. Itaque nihil superesse perspeximus, nisi ut hi, qui dilectionis tuae synodica bajulabant, communionis apostolicae participatione fruerentur. Sed dum cum ipsis sollicitius ageretur, ut si mallent beati Petri apostoli communionem fideli corde suscipere, responderent, vel se vel dilectionem tuam ab Alexandrini Petri Acaciique deinceps recitatione futuram modis omnibus alienam: illi nihil sibi tale mandatum fuisse perhibentes, oblatae salubriter gratiae nostrae consentire noluerunt. Qua eorum cunctatione permoti, quum litterae venientes vel ipsa rerum dispositio aliud promittere videretur, et relatio praedictorum longe aliter quam sperabatur efferret, communionem quidem nostram contristati distulimus, quam remotis dubietatibus optabamus plenam catholicae fidei, et hoc, quod circa orthodoxam fidem consensum nobiscum se habere promisit, arbitramur esse venturam. Alioqui nihil nobis poterit imputari, si complectentibus foedera caritatis beati apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societas praeferatur. Erit enim apud Deum hominesque manifestum, talia perpetrantes non nostro vitio sed suo prorsus arbitrio separari, idemque ante tribunal Christi modis omnibus terribiliter judicandum.

3. Non sumus pertinaces, sed dogmata paterna defendimus: quemadmodum etiam tuae dilectionis pagina designavit, zelum pro

[3]) Dum haec ad Felicem scriberet homo versipellis, contrarias ad Petrum Mongum mittebat litteras, quas Evagrius III, 23 ob nimiam prolixitatem se omisisse testatur. De his litteris Felicem prius ab orthodoxis certiorem factum esse quam illi rescriberet, auctor est Theophanes chronograph. pag. 206 et Nicephorus Callisti h. e. XVI, 19. Quod tamem prudens pontifex hic dissimulat.

[4]) i. e. quorum audito adventu, et antequam ad colloquium admitterentur, non alia de causa eos venisse existimavimus, nisi ut nomina damnatorum *Petri Alexandrini et infelicis Acacii*, ut epistola 16 exponitur, e sacris ecclesiae diptychis remota esse testarentur. Quippe verbum *videre* de quolibet sensu dici notum est. Missi autem fuerant illi monachi, ut Flavitae ad Mongum litteris proditis fraudem ejus manifestam facerent, quod tamen Felix sibi detectum callide dissimulat.

Digitized by Google

(a. 490.) orthodoxis ostendere nos debere. Calchedonensi concilio, quod universalis sanxit et custodit Ecclesia, Eutyches et Dioscorus non probantur esse damnati? An eorum complices Timotheus atque Petrus instructionibus plurimis convenientibus non docentur, sicut hi quoque, quos misit tua dilectio, perviderunt? An eorum communionem, frequenter et regulariter interdicentibus nobis, non est secutus Acacius, quos ipse suis epistolis haereticos dixerat olimque damnatos, Gal. 2, 18. et male rursus *aedificans, quod bene ante ipse destruxerat,* secundum apostolum praevaricator apparuit? Ideoque juxta praefatae synodi tramitem merito illic damnatae perfidiae parem cuncti subiere vindictam, qui hujus maluerunt esse participes; quemadmodum contra unamquamque haeresim synodus constituta cunctos etiam dejectae similes pravitatis adstringit, ne in successoribus omnino reparandum esset, quod in auctoribus juste monstratur esse prostratum. Absolvi autem Petrus nulla ratione potuit sine apostolicae sedis assensu, qua fuerat mandante seclusus, sicut de recipiendis talibus forma veterum testatur antistitum. Qui etiam Petrus, si de legitima fuisset curatione sanatus, ad indulgentiam suscipi deberet, non ad sacerdotii dignitatem: qui a damnatis atque haereticis institutus, catholicis plebibus nulla posset ratione praeponi.

4. Perspexisti et ipse nobiscum, salutaria esse quae dicimus. Unde etiam in tuis litteris, quum de beati Petri fide loqueris, quod cum tota gratulatione legimus, catholica mente posuisti: *et qui cum eo sicut vos credimus*[5]), *consona voce glorianter dispersa colligere valeamus.* Quaero igitur, quaenam illa sint vel qua rerum perturbatione *dispersa*? Nec alia nunc prorsus occurrunt, nisi quae per Eutychianae pestis ejusdem sequacium sunt excogitata vesaniam. Dilectio vero tua operam det nobiscum, quatenus possint, quae te Gal. 4, 12. quoque fatente *dispersa* sunt, colligi. Voce utor apostoli: *Obsecro vos, nihil me laesistis.* Non hoc velut imperiosus impono, sed ut conscientiam meam convenienter expediam, ne commissae vobis divinitus rationabiles oves non sine vestro discrimine, quod absit, perire sinantur, exhortor. Cogitate simul omnes, qui dignitate pastorali censemini: pro Christiana fide, quae tunc est Christi si vera est, et vivendum nobis et, si oportuerit, sacrosanctae religionis amore moriendum. Perpendite igitur ipsius vitae semper tempus incertum, ne repente rapti ad cognitionis illius formidandae trahamur examen.

5. Unde propensius tamquam praesentem dilectionem tuam

[5]) Hic legendum *credimus* suadet subsequens verbum *valeamus*. Hoc autem mendum irrepsisse videtur incauti interpretis vitio, qui τοὺς πιστεύοντας in Flavitae epistola legens non advertit, hic latine reddendum *qui credimus*, non, ut usitatius solet, *qui credunt*.

Digitized by Google

jure caritatis vehementer adstringimus, ut sortem infelicis Acacii per- (a. 490.)
horrescens, qui, sicut scriptum est, *ut iret in locum suum*, etiam nobis Act. 1, 15.
conantibus non est permissus absolvi: quo vales tenore contendas, ut catholicorum illius urbis antistitum magis monstreris esse imitator, et dominum filium nostrum gloriosissimum principem conjugemque ejus, adjuncta tecum mea prece, non desinas suppliciter exorare, ut sicut devoti Ecclesiae filii et obsecrationes nostras clementer admittant, et pro sui regni salutisque perpetuae perfici consideratione decernant. Nec dilatae communionis apostolicae tua causetur dilectio tarditatem. Nollemus qualicunque difficultate suspendi, nisi respectus catholicae veritatis obsisteret, cui dilectionem quoque tuam summis viribus inhaerere vel opto vel moneo. Nomen igitur Petri et Acacii tollatur e medio, nec apocrisiariis damnati Petri misceamur aut litteris. Et sicut ait apostolus: *Abscindantur qui vos conturbant*, Gal. 5, 12.
iterumque ut ipse pronuntiat: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis* 1 Cor. 5, 7.
nova conspersio; cum nominibus personisque suis praeterita causa deleatur: nobis Deo inspirante provisuris rationabiliter, ut scripsimus, si cuncta convenerint, ut eorum, quos ordinavit vel baptizavit Acacius[6]), salva confessione catholica pro caritatis Ecclesiae redintegratione nihil pereat: quatenus pax illa proveniat, quae *fecit utraque* Eph. 2, 14.
unum, non illa, quam propheta condemnat: *Pax, pax, et non erat* Ezech. 13, 10.
pax; et caritas, quam tua dilectio suis saepe litteris postulavit, pura succedat, de qua dicitur: *Caritas de corde puro et conscientia bona* 1 Tim. 1, 5.
et fide non ficta.

6. Nihil sit commune luci cum tenebris, quia non possumus nec debemus *mensae Domini participare et mensae daemoniorum*: ut 1 Cor. 10, 21.
tibi creditis ovibus praeteritorum congregatione mundatis, *fiat unus* Joh. 10, 16.
grex et unus pastor. Scriptum esse meministi: *Si recte offeras et* Gen. 4, 7.
recte non dividas, peccasti; et propheta clamat: *Inter mundum et* Ezech. 22, 26.
immundum non discernebatis. Quae universa summatim illa circumspectione perstringimus, ut cordibus salubriter expiatis, tam firmam sine dubitatione quam veram, tam perpetuam quam unitam possimus tenere concordiam. Quantocius ergo super his tua nos reddat dilectio certiores, ut Deo nostro perficiente quod coepit, in compage corporis Christi plena valeamus reconciliatione consentire.

---

[6]) Haud dubie post sententiam adversus eum cum anathemate prolatam. Ex quo sequitur, ordinationis ac baptismi sacramenta ab hujusmodi hominibus collata ita ex disciplinae severitate rejici, ut ex dispensatione suscipi possint, adeoque valida haberi quamvis illicita. Etiam Gelasius epist. 3 n. 6 satis se ibi Felici concinere innuit. Unde palam est, Anastasium II in epistola ad Anastasium imperatorem n. 8 nihil decessorum suorum decretis contrarium scripsisse.

Digitized by Google

Epistola 15.

(a. 490 c. init.)

Felicis papae ad Zenonem imperatorem.

Laudato ejus studio in ordinatione novi episcopi hortatur, ut in Petri Acaciique nominum damnatione, de qua legati episcopales nihil sibi mandatum esse responderant, consensum cum ecclesia Romana tandem efficiat. p. 18.

Felix Zenoni imperatori.

1. Dignas referre Deo nostro gratias fateor mens humana non sufficit, quod tantam religionis curam in vestrae pietatis sensibus miseratio divina constituit, ut eam et universis negotiis anteponi et soliditate reipublicae contineri, quam veraciter Christiano tam augusto judicio censeretis, quia revera propitiatione coelesti rerum subsistit universitas. Ex qua mirabili devotione vestrae clementiae processisse cognosco, quidquid pro divini cultus reverentia celebratus tranquillitatis vestrae sermo deprompsit: ut scilicet firmare catholicae fidei cupientes unitatem ecclesiarumque pacem magnopere roborari, talem studeretis praefici Constantinopolitanis antistitem[1]), qui superno munere prosequente et morum probitate fulgeret et prae omnibus orthodoxae veritatis polleret affectu. Magnam igitur, egregie princeps, capio de utroque laetitiam: quum et in tuae serenitatis animo sicut in saeculi fastigio constitutum ita praecipuum Ecclesia filium Deo factore suscepit, et eum ipsum, de cujus pontificio gloriamini, dum ad beati Petri apostoli sedem suae refert dignitatis exordium[2]), jam suae dedisse gaudeo moderationis indicium. Ubi simul et magnanimitas vestra resplendet, quando Ecclesiae causam, sicut divinitus institutum est, pontificum desiderat ordinatione componi[3]), et qui in sacerdotii perhibetur provectus officium, optat inde fulciri, unde Christo cupiente profluit cunctorum gratia plena pontificum. Cujus etiam litterarum me refovet intentio, qua, sicut decet Christo placere nitentem, et *summum apostolorum beatum* Matth. 16, 18 et 19. *Petrum et petram fidei* esse non tacuit, et eidem *mysteriorum claves creditas* fuisse *coelestium* prudenter struxit, utque nobiscum circa

---

[a3] [1]) c7 c10 e regione hujus verbi ad marg. *Euphemius is fuit.* At Flavitam hic designari, non Euphemium, manifeste demonstrant verba hic repetita, quae Flavitas in superiore epistola memoratur scripsisse. Rursum hinc nonnihil confirmatur, quod Nicephorus Callisti XVI, 18 narrat a Zenone factum, ut praesulem a Deo electum impetraret. Eidem historiae favet, quod mox subditur, Flavitam ab Ecclesia *Deo factore* susceptum fuisse.

[2]) Liberato c. 18 teste Flavitas *non consensit sine Romano pontifice intronizari.*

[3]) Ex Zenonis ipsius verbis ansam arripit Felix, unde ipsum a tuendo Henotico deterreat, prudenter laudans, quod Ecclesiae causam non regali sanctione sed pontificum ordinatione componi vellet, ad quod servandum eum jam pluribus in epist. 8 n. 5 cohortatus fuerat.

Digitized by Google

orthodoxam fidem consentientem haberet assensum, quo amplius (a. 490.) unanimis redderetur, expetiit.

2. Gratissimis igitur professionibus hujus et votis copiosa lectione patefactis, mox ut etiam filios meos sancti propositi monachos pariter venisse conspexi, difficultates omnes, quae primitus obstrepebant, hac credidi dispositione submotas[4]), atque ideo venientibus clericis eas praeter consuetudinem sociatas esse personas, quae Petro vel Acacio non communicasse viderentur, ut illorum nominibus sequestratis, per quos scandalum contigisset ecclesiis, sincera deinceps caritas proveniret. Quibus rite perpensis, nihil aliud mihi supererat gratulanti, nisi ut his, qui fuerant destinati, apostolicae sedis communio traderetur. Sed quum pro catholica fide cautius admonerem, ut suscipientes eam se a consortio retraherent damnatorum, non sibi hoc mandatum omnino dixerunt. Quà rerum diversitate permotum anxium me haesisse profiteor, quum aliud litterae et ipsa rerum ratio demonstraret, et aliud memoratorum contineret assertio. Puramque volens cum eo, qui pontifex creatus asseritur, inire concordiam, gloriae vestrae suggerere properavi, ut nihil residere patiamini, quo denuo quidquam valeat dissensionis oboriri. Quia dum per synodum Calchedonensem, quam se dudum litteris[5]) designavit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioscorum constet esse damnatos, et eorum sectatores plurimis illarum partium documentis Timotheus et Petrus exstitisse monstrentur, atque eorum communionem etiamsi prohibitam secutus Acacius, quos ipse epistolis suis haereticos dixerat esse damnatos: sententia illius concilii convincuntur adstringi et in ipsorum poenam merito recidisse, quorum elegere consortium, sicut in ceteris haeresibus facta semel synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos sequaces consequenter involvit.

3. Quaeso igitur, gloriosissime, nec in successoribus refovere judicemur, quod manifestum est in auctoribus fuisse damnatum, nec Petri putetur legitima provenisse purgatio, quem non secundum morem veterum apostolica sedes, quae ligavit, absolvit. Scit enim Christiana mens tua, venerabilis imperator, quoniam delicta morta-

---

[4]) i. e. ubi clericos, qui Acacio ac Petro Mongo hactenus adhaeserant, et monachos, qui se ab utriusque communione segregarant, venisse conspexi, omnes uno eodemque animo accessisse opinatus, tam diversi studii personas, quae sociari antea non poterant, jam praeter consuetudinem sociatas credidi, adeoque murum quo separabantur sublatum, i. e. a sacris diptychis remota esse nomina eorum, per quos schismatis scandalum contigisset. Mox tamen monachos non a Flavita aut pro Flavita sed adversus ipsum et ad prodendam ejus fallaciam missos esse comperit, quod tamen hic, ut in superiore epistola, tacendum dixit.

[5]) Iis scilicet, quas Zeno legatis Vitali ac Miseno Constantinopoli redeuntibus tradiderat (cf. notit. epist. Felic. II non exstant. n. VIII).

Digitized by Google

(a. 490.) lium secundum conscientiam relaxandi non nisi pontificibus suis ordine competenti superna dederit dispensatio facultatem. Qui Petrus tamen, si vere receptus esset, veniam mereri debuit non honorem: qui a damnatis atque haereticis falsum sacerdotii nomen accipiens catholicae non poterat ecclesiae praesidere. Haec ego, reverentissime princeps, beati Petri qualiscunque vicarius, non auctoritate velut apostolicae potestatis extorqueo, sed tamquam sollicitus pater, salutem prosperitatemque clementissimi filii manere cupiens diuturnam, fidenter imploro. Ecce desideramus, optamus, ambimus ecclesiam Constantinopolitanam, sicut semper, habere connexam. Exuantur obsecro ab his, qui nostri non sunt, et nos quoque volumus esse nobiscum. Postulationes certe gentium barbararum, venerabilis imperator, pro quiete mundani regni publice benignus exaudis: quanto praestantius, quaeso te, preces apostolicae sedis pro sacrarum tranquillitate rerum placatus admittis! Hoc enim hoc expedit, ut si utraque Roma pro mutuo pignore nuncupatur, fiat utraque una fides illa
Rom. 1, 8. Romanorum, quam per universum mundum praedicari beatus Paulus testatur apostolus, sicut apud nostros floruit indiscreta majores; et quae genere concordat ac nomine, non sit religione divisa, per quam etiam discrepantia copulantur. Putasne me, venerabilis imperator, non cum lacrymis ista profundere et velut praesentem ad tuae pietatis vestigia? Nec enim piget, in tali maxime causa, imperialibus
1 Cor. 4, 13. officiis inclinari, quum se apostolus omnium factum dicat esse peripsema.

4. Haec diutius tacui, ne aliis contraria suggerentibus irreverentiam meis potius litteris commoverem. Verum nunc facultate percepta, qualiter vigeat in meo corde vestrae pietatis affectus, insinuo, quia successus traditae vobis divinitus potestatis cupio propitiatione constare. Neque, venerande fili, respuas supplicantem, neve meam velis dissimulare personam. In me enim qualicunque vicario beatus Petrus apostolus, et haec in illo, qui Ecclesiam suam discerpi non patitur, ipse etiam Christus exposcit. Absit, ut huic quemquam Christiana mens tua vel possit vel debeat anteferre, quem pro se votis omnibus desideras exorari: praesertim quum tanta sint illa vel talia, quae tyrannide deleta pro fide catholica gessisti et geris, ut plena a Deo vestrae conscientiae experimenta teneamus. De quibus etsi quid fortassis omissum est, non respicit nisi perfidi virus Acacii, qui dum illicitis crescere tendit augmentis[6]), ea quae rectae religioni congruerent, vobis inter curas publicas occupatis destitit intimare. Nam pietas tua quomodo non sequendum potius

[6]) Notat, ambitionem, qua secundam sedem Acacius et episcoporum in diversis provinciis ordinationes renitentibus summis pontificibus affectarat, omnium quae prave gesserat fontem et originem fuisse.

Digitized by Google

existimaret, quod fecisse conspiceret sacerdotem? Unde divino[7]) ju- (a. 490.)
dicio nullatenus potuit, etiam quum id mallemus, absolvi. Quapropter magis magisque supplicare non desino, ut cum suis nominibus atque personis feralis illa causa transierit: quo nos annuente Domino nostro certa perfectaque laetitia necti valeamus cum praesule nunc creato beati apostoli voce dicentis: *Si qua igitur in Christo nova creatura,* 2 Cor. 5,17.
vetera transierunt, omnia facta sunt nova.

5. Litterae certe vestrae catholicae fidei praedicant unitatem, pacemque ecclesiarum regia pietate pronuntiant. Quae quum debito honore legerentur, qualiter mecum totus ordo Romani[8]) presbyterii vitam vobis prosperitatemque continuam promptus exorans repetitis assidue vocibus acclamarit, et hi qui directi sunt audierunt, et ubique velox tam praeclari nuntii legatio putabatur obviare. Necessitati populi Alexandrinae civitatis magis in ea parte prospiciendum est, ut a pestiferi rectoris retrahatur insidiis. Concurrant omnia, rogamus omnes, ut, quemadmodum docet apostolus, auferatur de me- Gal. 5,12.
dio qui nos conturbat; et ea, quam augustae memoriae Leo, pater eruditorque vester, jugiter custodivit vel vos magnanimiter servare decernitis, ecclesiarum fida pax, vera sit unitas, quoniam cuicunque personae paterna fides et beati Petri communio debet praeferri. Atque ad vestram gloriam sicut imperii vestri felicitas ita post Deum pertinere doceatur regni coelestis integritas: ut de conservatis Ecclesiae suae legibus tranquillitatis tuae benevolentiam Christus assumens, et temporalia tibi dona multiplicet et praestet aeterna.

Epistola 16.

Felicis papae ad Thalasium archimandritam Constantinopolitanum.

a. 490 d. 1 Maj.

p 18. *Ne cum ecclesia Constantinopolitana vel ejus episcopo ipse aut monachi ejus ante communicent, quam a sede apostolica jussi fuerint.*

Felix Thalasio.

Post factas litteras, quas per filios nostros[1]) religiosi propositi

[7]) His verbis Felix aperte demonstrat, quo sensu in epist. 6 n. 2 dixerit Acacium *damnatum nunquamque anathematis vinculo exuendum.* Ac vero superiore epistola 14 n. 5 testatus est, se ejus absolutionem non solo affectu maluisse sed et variis conatibus prosecutum esse: *etiam nobis conantibus,* ait, *non est permissus absolvi.* Conf. epist. 6 not. 21.

[8]) Apostolicae sedis praesules *Romani presbyterii* nomine totius cleri sui coetum a digniori gradu designare solitos, jam ex prioribus illorum epistolis notissimum est. Hoc etiam observabis, eosdem quas per legatos mittebant litteras coram presbyterio et legatis ipsis praesentibus recitari curasse.

[1]) Eos videlicet ipsos, quos Felix *sancti propositi monachos* in epist. 15 n. 2 vel *religiosos monachos* in epist. 14 n. 2 appellavit. Ne vero quis putet, mona-

Digitized by Google

a. 490. viros dilectioni tuae misimus contradendas, ne quid minus pro catholicae fidei custodia diligentior cura prospiceret, caritatem tuam duximus admonendam: ut etiamsi praestante Deo nostro nomina damnatorum, id est Alexandrini Petri et infelicis Acacii, fuerint de ecclesiastica recitatione sublata, ut similes[2]) perditionis eorum sacerdotii non permittantur praesumere dignitatem; non prius tua dilectio vel congregatio, quam gubernas, Constantinopolitanae[3]) ecclesiae vel quicunque ejus futurus est pontifex, communicandum esse decernat, quam ad notitiam sedis apostolicae cuncta referantur vel ipsius litteris, qui fuerit creatus episcopus, vel tuae dilectionis alloquiis. Quia sicut per professionem catholicam sedis apostolicae formam secutus es, ut te a damnata communione suspenderes, ita beati Petri sequi debes exemplum, ut quando ejus auctoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam tuum noveris miscendum esse consortium. Nec quisquam dilectioni tuae omnino persuadeat, jam nostram communionem illis partibus fuisse commissam, quum videas adhuc res in dubio constitutas, et apud nos de illic creato pontifice omnia haberi prorsus incerta[4]). Neque posset cum eo sociari communio, cujus adhuc a nobis nec honor probatur esse susceptus nec fides atque intentio comprobata. Exspectet ergo dilectio tua sedis apostolicae jussionem, et sic ecclesiae Constantinopolitanae sacra se communione conjungat, si in participatione beati Petri et catholicae veritatis desiderat permanere. Data Calendas Majas Probo[5]) Fausto viro clarissimo, indictione XIII.

---

chos, per quos missae sunt litterae, quae prius factae memorantur, alios esse ab iis, qui hanc epistolam 16 pertulerunt, vetat titulus in Virdunensi codice praemissus (cf. monit. in hanc epist. n. 1) et ipsum nostrae epistolae initium, in quo litterae illae non simpliciter *traditae* sed *contraditae* vel *contradendae* dicuntur.

[2]) Clarius: *ne qui perditione ipsis sunt similes sacerdotii permittantur etc.*

[3]) Istud *Constantinopolitanae ecclesiae vel quicunque ej. f. e. pontifex* in dandi casu ad subjectum verbum *communicandum* refertur. Sic loquitur Felix, quasi pro certo haberet, mox alium Flavitae loco subrogandum esse. Quod non idcirco ab eo dictum putem, quia hunc brevi moriturum prophetico spiritu noverset. Restat igitur, ut ideo dixerit, quia ejus ordinationem nullam se non confirmante censebat, vel quia penes se monumenta habebat, quibus prolatis ipsum imperatorem ad eam rejiciendam pronum fore existimabat.

[4]) Non sine consilio istud Felix monet, ne forte Flavitas litteras communionis ipsius indices ac testes se accepisse jactaret, aut etiam id ageret, quod Leo pridem ab Anatolio factum non dissimulavit, ut scilicet eam litterarum partem, quae sibi faveret, proferre contentus, cetera quae adversarentur reticeret.

[5]) Ita cum cl. Rossio *Inscript. Christ.* I n. 927 mutavimus, quum editi *Probo et Fausto vv cc.*, c[1] corrigendum suasit *Longino et Fausto*. Annus 490 autem, qui hic aperte notatur, aliis documentis Occidentalibus unius *Flavii Fausti* aut *Fausti junioris* consulatu insignitur (conf. Rossi l. c. n. 893 et 894), quum collega *Longinus* in Occidente serius innotesceret. Quem Faustum etiam *Probum* appellatum,

Digitized by Google

Epistola 17.

Felicis papae ad Vetranionem episcopum.

(a. 490 m. Maj.)

p. 19. *Dissidii ecclesiae Constantinopolitanae causis expositis hortatur, ut imperatorem ad unionem cum Romana instaurandam permoveat.*

Felix Vetranioni episcopo.

1. Quod unitatis Ecclesiae plena cupimus redintegratione firmari, multorum relatione comperimus[1]): dilectionem tuam et egregiis moribus divina gratia tribuente pollere, et domini filii nostri Christianissimi principis familiaritate subnixam paratamque fraternitatem tuam catholicae fidei causam, si manifestius panderetur, libere et prudenter adstruere. Quibus de tua mente sumptis indiciis, talem te veritatis auctorem esse perpendimus, qualem illic desideravimus invenire. Gratamur igitur, quod haereditatem suam non usquequaque Dominus repulisset, sed in eorum cordibus flammam rectae confessionis servaret absconditam, qui sive se a communione confusa[2]) penitus abstinerent sive in eam per ignorantiam recidissent, mallent tamen et declarari quae recta sunt, et secundum traditionem veterum comprobata sectari. Atque ideo alloqui caritatem tuam nostro modis omnibus sermone curavimus, et de his, quae Ecclesiam Christi fecerint dissidere, competenter instruere.

2. In Calchedonensi itaque synodo, quae de concilii Nicaeni tenore procedens, pro Christianae confessionis integritate servanda tam auctoritate sedis apostolicae quam universalis Ecclesiae est celebrata consensu, Eutychem atque Dioscorum constat fuisse damnatos. Quorum Timotheus et Petrus exstitisse docentur procul dubio sectatores, eorumque se communioni nefariae miscuisse, etiam quum a nobis prohibitus est, Acacius: atque ob hoc ex forma synodi memoratae similem cunctos, quae praefixa fuerat pravitati, damnationis incidisse sententiam, cujus se elegerunt esse consortes. Unde merito praedictus Acacius apostolicae sedis, quae nunc exsecutrix utique saepe dicti Calchedonensis concilii pro fide catholica tunc probati non defuit, iterata excommunicatione[3]) depulsus est, ne per eum,

---

ex Aeclanensi inscriptione (Rossi l. c. n. 927) et notatione anni 491 (*p. c. Fausti jun.* vel *p. c. Flavii Fausti* vel *p. c. Probi Fausti;* conf. Rossi l. c. n. 899) palam fit.

[1]) Clarius esset hoc exordium in hunc modum: *Multorum relatione comperimus id, quod ecclesiasticae pacis plena cupimus redintegratione firmari, dilectionem tuam etc.*

[2]) Flavitae communio merito dici potuit *confusa*, quam se cum Felice papa et cum Petro Mongo scriptis ad utrumque litteris habere asserebat. Nisi forte *confusa* per antiphrasim eorum communio dicitur, qui se in Henotico seu unitivo decreto communicare jactitabant.

[3]) Primum videlicet Felicis sententia anno 484 a. d. V Kal. Aug. Romana in

Digitized by Google

(a. 490.) quod absit, nos quoque reddamur complices perditorum. Neque Petrum quisquam legitime credat esse purgatum, qui non a beati Petri apostoli sede receptus est, qua fuit mandante dejectus. Bene enim dilectionem tuam nosse non ambigo, quod personam hujusmodi, quum ita ratio postularet, non nisi ecclesiasticae legis ordine competenti, sicut divinitus constitutum est, vel possint vel debeant convenienter absolvere. Quod quum factum non sit, manifestum est, Petrum in ea, qua pridem fuerat, perversitate ac damnatione detineri. Qui etiamsi legitime corrigi voluisset, indulgentiam consequi debuit, non ecclesiasticam dignitatem: quia ab haereticis damnatisque falsi sacerdotii nomen assumens, ecclesiae catholicae nullis regulis potuit praesidere. Haec autem, quae de praedictis gesta narravimus, documentis inde venientibus approbantur, sicut Constantinopolitani clerici, qui directi[4]) sunt, agnoverunt; palamque monstratum est, Acacium se eorum fecisse participem, quos suis litteris haereticos et retulerat ipse damnatos.

3. Perceptis ergo[5]) summatim dilectio tua, quae videntur ecclesiarum fecisse dissidium, nosque perpendens non immerito pro fide catholica exstitisse sollicitos, non solum deinceps se a communione damnatorum studeat custodire, sed Christi gregem qua valet industria retrahere non quiescat, et domno filio nostro Christianae mentis Augusto incessabiliter suggerere non omittat: ut operis sui memor, quod fide catholica inspirante Domino nostro clementer dicitur exsecutus, plenam temporibus suis pacem et Christi veritatem sinceram ut praecipuus sacrae religionis filius et pia devotione conspicuus tranquilla dispositione restauret, et de ecclesia Constantinopolitana Petri Alexandrini nomine Acaciique sublato, pro quo tempestas omnis exorta est, intemeratam paternae traditionis fidei post Dominum benignus efficiat unitatem. Quae nunquam fuisset utique temerata, si hanc imperatori Christianissimo fideliter Acacius insinuare voluisset. Sed dum patrum terminos transferre molitur et ambitionibus suis praevaricationis aditum impudenter exquirit, nec venerabilia dubitavit decreta calcare, et inter curas publicas occupato principi venerando dissimulavit, quae noverat, vera suggerere: talem se conscientiam circa salutem regiam potestatemque gestare demon-

---

synodo lata, quae deinde altera Romana synodo anno 485 d. V Octobris habita iterata atque confirmata est (cf. monit. praev. in epist. 11).

[4]) Scil. a Flavita. De quibus item ad ipsum Flavitam scribens Felix in epist. 14 n. 3 *Calchedonensi concilio*, inquit, *quod universalis sanxit et custodit Ecclesia, Eutyches et Dioscorus non probantur damnati? An eorum complices Timotheus atque Petrus instructionibus plurimis convenientibus non docentur, sicut hi quoque, quos misit tua dilectio, perviderunt?*

[5]) Nitidior esset locus hoc ordine verborum: *Dilectio ergo tua perceptis summatim iis, quae videntur Ecclesiae fecisse dissidium, nosque perpendens etc.*

Digitized by Google

strans, qualem in negotio ipsius religionis exhibuit. Unde, quod (a. 490.)
non sine divini judicii terrore dicendum est, etiam nobis, si requisisset, optantibus non est permissus absolvi[6]). Quomodo autem domnus filius noster venerabilis imperator non hoc sibi judicare posset faciendum, quod cerneret sacerdotem vel facere vel docere? Quapropter adjuncta secum mea prece, dilectio tua saepe dictum domnum filium nostrum supplicatione, qua potest, et lacrymarum professione deprecetur: ut patienter permittat abscidi, qui nos conturbant, ne in successoribus haereticorum reparasse videamur, quod in auctoribus eorum certum est fuisse damnatum; priorumque[7]) consimiles opprimere non sinat ecclesiasticam dignitatem, quatenus apostolica voce dicamus: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* 2 Cor. 5, 17. Ecclesiam Constantinopolitanam nobis sicut semper unitam sua post Deum placiditate concedat, quoniam et hoc praesentis felicitatis ejus incrementa desiderant, et consequendae fructus aeternitatis exposcit. Dilectionem vero tuam specialiter commoneo atque contestor, in illo nostri Salvatoris examine formidando rationem mihi modis omnibus reddituram, si quae pro integritate salutis humanae, pro orthodoxa atque regulari constitutione majorum et veraci atque sincera totius Ecclesiae pace reparanda delegavi, quod te tua mente non credimus, segnius exsequaris.

Epistola 18.

Felicis papae ad Andream epicospum Thessalonicensem. (a. 491—492.)

Felix Andreae[1]) episcopo Thessalonicensi.

Quod plene catholicae fidei cupimus redintegratione firmari, sollicitudinem dilectionis tuae, qua ad sedis beati Petri communionem venire desideras, libenter amplectimur; sed eam vellemus, sicut orthodoxae veritatis cautela deposcit, ex omni fieri parte constantem.

---

[6]) Hic rursus exponit Felix, qua mente in sententia adversus Acacium lata eum *anathematis vinculis nunquam exuendum* dixerit.

[7]) Nomine *priorum* Felix Eutychem et Dioscorum intelligit, quorum *similes* fuerunt Petrus Mongus, Acacius et ceteri, qui eorum vestigiis inhaerebant. Rogat igitur, ne sinat Zeno ecclesiasticam dignitatem ab iis opprimi, qui Eutychetis et Dioscori sunt similes.

[1]) Hujus episcopi artes et dolos nec non in schismate pertinaciam Gelasius epist. 18 n. 4 notat.

Digitized by Google

Notitia

epistolarum non exstantium quae ad s. Felicem II papam attinent.

I.

Anno 483. 1. *Felicis ad episcopos Orientales de monendo Acacio incitatio.* 2. *Civium Constantinopolitanorum atque Orientalium ad Felicem de Acacio praevaricatore incusatio.*

1. Quum sedes apostolica iteratis ad Acacium litteris suis nihil profecisset nec responsi quidquam meruisset, etiam episcopos Orientales adiit, ut conjunctis studiis illum monerent. Quod iidem et fecisse memorantur, nec feliciore effectu. *Ecce*, nomine Felicis scribit Gelasius epistola 1 n. 34, *poposcimus vos, ecce scripsistis, ecce non dignatus est ille rescribere nec vobis nec mihi.*

2. Fortasse ejusdem causae prosecutio est, quod Theophanes chronogr. p. 203 sq. refert. Primum enim memorat Orientis episcopos cum Acacio, quod Petro Mongo communionis consortium impertiisset, per litteras expostulasse; illum autem spretis ipsorum monitis cunctos, ut eumdem Petrum in communionem admitterent, impudentissime compulisse. *Tum vero*, inquit, *cives urbis regiae cunctique Orientales Felicem, qui post Simplicii obitum sedem Romanam tenebat, supplices adierunt* (haud dubie per litteras), *et malorum omnium auctorem incusaverunt Acacium.* Quibus dictis adjungit: *Interea Johannes Alexandriae praesul haec eadem denuntians Romam ingreditur.* Ex cujus narrationis ordine sequitur, ut has litteras ante acceperit Felix, quam Johannes Talaja Romam ingrederetur, adeoque in exordio pontificatus sui.

II.

anno 483. *Johannis Alexandrini episcopi ad Felicem adversus eumdem Acacium libellus.*

Mox Johannes catholicus, primum Alexandrinae ecclesiae presbyter et oeconomus ac novissime creatus ejusdem episcopus, Romam ingressus, quos adversus Acacium paraverat libellos Simplicio tradendos, Felici qui proxime ipsi successerat obtulit (Theophanes chron. p. 204, Evagr. III, 18).

III.

anno 483 *c. exit. Cyrilli abbatis Acoemitarum ad Felicem de acceleranda intercessione repetita admonitio.*

Cyrillus Acoemitarum monachorum pater, quum res Orientis in deterius dilabi impatienter ferret, legatos a Felice, ut eis mederetur, destinatos esse ignorans, litteras ad eum scripsit, de quibus Evagrius III, 19 ita loquitur: *priusquam legati papae ad urbem regiam pervenissent, Cyrillus Acoemitensium monachorum praepositus quosdam cum litteris ad Felicem misit, de ejus cunctatione conquerens, quum tam gravia adversus rectam fidem committerentur.*

IV.

anno 484 *c. init. Felicis ad legatos Misenum et Vitalem de communicandis cum Cyrillo consiliis admonitio.*

Statim ut accepit Felix has Cyrilli litteras, scripto ad legatos suos Misenum et collegas misso praecepit eis, *ne quidquam agerent, priusquam cum Cyrillo essent collocuti et ab eo quid agendum esset didicissent.* (Evagr. l. c. cf. Fel. II ep. 10 n. 1).

Digitized by Google

V.

anno 484 *eod. temp. Felicis ad legatos suos aliud commonitorium.*

Simul cum hoc scripto aliud commonitorium a Felice ad eosdem legatos missum esse memorat idem Evagrius l. c. III. 20, sed quid eo contineatur tacet.

VI.

anno 484 *eod. temp. Felicis ad Zenonem imperatorem de tuenda synodo Calchedonensi et auxilio ecclesiae Africanae ferendo admonitio.*

Idem Evagrius postquam mox dictum commemoravit commonitorium, proxime subjicit: *Litteras quoque dedit* (Felix) *ad Zenonem tum de synodo Calchedonensi* (ne illam labefactari sineret), *tum de persecutione, quae in Africa excitata fuerat ab Hunerico*, (ut eam scilicet auctoritate sua sedari curaret). Sive autem his papae monitis sive Afrorum, qui ad ipsum confugiebant, precibus obsecutus, Zeno legatum Uranium, qui teste Victore Vitensi de pers. Vand. V, 7 *Carthaginem sese pro defensione sanctarum ecclesiarum venisse jactabat*, ad Hunericum destinavit. Sed hanc legationem spernens, impius ille rex de crudelitate nihil remisit. Porro has Felicis litteras, si locum spectamus, quo ab Evagrio recensentur, ad initium anni 484 referre licet. Etiam historicam consulimus veritatem, quum si Hunericus anno 485 exstinctus sit, eas non multo posteriores fuisse facile largiemur.

VII.

anno 484 *eod. temp. Felicis ad Acacium de iisdem rebus litterae.*

1. Felix morem suum, quo scribere ad Zenonem sine specialibus ad Acacium litteris hactenus non consuevit, etiam hic secutus, Evagrio ibidem teste *scripsit item ad Acacium*; qua de re, silet idem auctor. Ex iis autem, quae de litteris ad Zenonem scriptis refert, conjectura capi potest, eum pariter de Calchedonensi synodo ad Acacium scripsisse, atque eumdem obtestatum esse, ut et huic concilio adhaereret ipse, et ea qua valebat apud imperatorem auctoritate efficeret, ne ejusdem concilii auctoritas convelleretur.

2. Si Liberato c. 18 habenda fides, postquam certior factus est Felix de vi legatis suis facta, et Acacium haereticum esse manifeste detexit, synodicas ad eum misit litteras, in quibus id nominatim posuit: *peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica. Tum vero*, inquit idem Liberatus, *susceptis his litteris Acacius perseverat . . . Haec cognoscens papa Felix damnationis scripturam misit Acacio per Tutum defensorem.* Sed rerum a Felice gestarum ordine perspecto hujus novae epistolae a Liberato laudatae veritatem admitti non posse jam observavimus. Simili ratione idem papa Petro Fulloni scripsisse fingitur: *corruisti, noli in ruina persistere; peccasti, jam peccare noli!* (Felicis pseudo-epist. 3 n. 8 apud Hard. coll. conc. II, 823.)

VIII.

anno 484 *c. mens. Jun. Zenonis imperatoris ad Felicem de novo episcopo Alexandrino responsum.*

Felicis legatos Misenum et Vitalem dimittens Zeno huic papae rescripsit: *sibi fastidio dignam visam esse litterarum ejus prolixitatem; frustra illum perturbatum esse verbis Johannis Alexandrini, quippe qui olim quidem jurasset, se Alexandrinam sedem nullo unquam modo ambiturum esse, postea vero neglecto jurejurando nullum non sacrilegii genus admisisset.* (Evagr. h. e. 3, 20; cf. Fel. ep. 8 n. 1 et 2). Quibus ab Evagrio l. c. sic summatim perstrictis, idem scriptor haec de Petro Mongo verba velut ea ipsa, quae Zenonis epistola continebantur, subjicit: *pro certo habere debes, et pietatem nostram et supra*

Digitized by Google

memoratum sanctissimum Petrum et universas sacrosanctas ecclesias sanctissimum Calchedonense concilium amplecti atque venerari, quod cum fide Nicaeni concilii prorsus consentit. — Quocirca dubium non est, quin hanc Zenonis epistolam ipse Felix ep. 15 n. 2 indicet, ubi eumdem imperatorem sic alloquitur: *dum per synodum Calchedonensem, quam se dudum litteris designavit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioscorum constet esse damnatos.* Neque ad alias etiam Zenonis litteras referendum videtur, quod Gelasius ep. 26 n. 8 scribit: *Quid, quod ipse Zeno imperator litteris suis profitetur, cuncta sese ex Acacii gessisse consilio?* (id. ep. 1 n. 12). Porro has Zenonis litteras proxime ante mensem Julium anni 484 datas fuisse sequenti paragrapho manifestum fiet.

IX.

anno 484 *eod. temp. Acacii ad Felicem in eadem causa responsum.*

Jisdem legatis simul etiam Acacius epistolam ad Felicem tradidit, in qua Petrum in Alexandrinam sedem intrusum excusandum credidit, immo nec eum laudare desiit et multis efferre praeconiis, ita ut damnationem ipsius, quam ante retulerat, veram non fuisse jactaret. Et haec quidem Felix epist. 6 n. 1 locutus, ep. 10 n. 2 repetit, ubi rursum de Acacio queritur, ut qui, inquit, *Petrum damnatum per legatos nostros* (i. e. per epistolam legatis datam) *multis laudibus prosecutus sit.* Ibidem, ut auctor est Gelasius epist. 1 n. 12, inter alia proferebat, *nunc Alexandrinam ecclesiam respirare et spiritualis alimoniae ubertate satiari.* Eadem quoque epistola testabatur Acacius, sese cum iis communicare, *qui ad ecclesiam sub Petro redibant*, h. e. uti Felix probat, cum iis, *quos constat esse haereticos* (Fel. ep. 6 n. 1). Haec porro epistola, quae Petrum pseudoepiscopum Alexandrinum excusabat ac laudibus extollebat, Johannem accusabat verum ejusdem ecclesiae antistitem, et contumeliis illius referta erat (Gelas. epist. 26 n. 3). Hinc et a Felice legati repraesentantur ut *contumelias in Johannem Acacio dirigente portantes* (Gelas. tract. I n. 13). Hunc autem ibi nominatim mendaciis accusatum fuisse, Gelasius papa ep. 10 n. 6 et ep. 26 n. 4 memorat. Eodem quoque Gelasio ep. 1 n. 12 et 25, 26 n. 8 teste, quidquid tunc egit Zeno sive cum legatis sive cum aliis, recte actum immo *velut divinitus inspiratum* esse Acacius in ea epistola praedicabat, nec tacebat, universa suo ipsius consilio acta esse. Hanc in eo concilio Romano, in quo legati judicati sunt, praelectam esse Felix ep. 11 n. 2 docet. Tempus, quo legatis redeuntibus data est, non est incertum. Sane in ep. 6 perstringere nequit Felix, quae ista continebantur, nisi jam sibi reddita esset. Atqui Julii 28 die anni 484 consignatur epistola 6, adeoque nec ista mense Junio anni ejusdem posterior censenda est.

X.

anno 484 *eod. temp. Cyrilli Acoemitensium praepositi aliorumque urbis regiae archimandritarum nec non episcoporum et clericorum Aegyptiacae dioecesis ad Felicem de rebus Alexandrinis relationes.*

Dum ita in gratiam Petri scribebat Acacius, de eodem Petro tamquam haeretico et de iis, qui cum ipso communicabant, Cyrilli Acoemitensium praepositi aliorumque urbis regiae archimandritarum litteras Felix accepit. Ferebant eas ipsi Acoemitensis monasterii monachi, qui et Vitalis et Miseni judicio deinde interfuerunt. Ipsis autem litteris Evagrius III, 20 alias adjunctas voluit episcoporum et clericorum Aegyptiae dioecesis, qui quum eadem de Petro referrent quae mox dicti archimandritae, illud nominatim testabantur, quod *Johannes quidem, qui erat orthodoxus, legitime ordinatus fuisset, Petrus autem a duobus solum episcopis, qui eamdem atque ipse haeresim profiterentur, creatus esset, et quod*

Digitized by Google

post fugam Johannis omni suppliciorum genere vexati fuissent orthodoxi. His addebant, *Acacium haec omnia didicisse per quosdam, qui ab Alexandrina urbe Constantinopolim venissent, eumque Petri administrum et adjutorem in omnibus deprehendi.*

XI.

anno 484 *eod. temp. Petri Alexandrini ad Felicem papam legatio.*

Ambigendum non videtur, quin et ipse Petrus eodem tempore legatos ad Felicem miserit, qui causam ipsius tuerentur. Ad hoc certe tempus commode referatur, quod apud Anastasium papam II ep. 5 n. 3 lecturi sumus, *ab Alexandrina scilicet ecclesia* (i. e. ab iis, qui Petro addicti erant,) *missos esse ad sedem apostolicam legatos, sed ibi repertum esse quemdam ejusdem civitatis, qui diversa sentiret* (h. e. sequeretur catholicam fidem), ejusque opera effectum, *ne ulla in suscipiendis legatis copia praeberetur.* Quapropter hi *nec ad faciem usque salutationis admissi, sine aliquo effectu reversi sunt.* Sive autem ad Felicem sive ad alium sedis apostolicae praesulem istud pertineat, nihil egit hic pontifex, nisi quod cum hujusmodi hominibus agendum esse Acacio ipsi persuasum erat. Is quippe Simplicio de Petro ac Johanne pseudoepiscopis Antiochenis scribens auctor ipsi fuit, ut *si forte ad sedem apostolicam confugerent, nec visu dignos haberet* (Gelas. tract. I n. 12).

XII.

anno 484 *d.* 28 *Jul. Gesta synodalia de Vitalis et Miseni causa.*

Quum tot monumentis ac testibus de praevaricatione legatorum suorum Felix certior factus esset, eorum causam in synodo cognosci voluit. Varia scripta ibi lecta et gestis, quae laudare videtur Evagrius III, 20, illigata sunt. Ibi Acoemitenses monachi *Vitalem ac Misenum accusarunt, quod ante adventum quidem illorum in urbem regiam Petri nomen in sacris diptychis occulte recitaretur, exinde vero publice vocitari coepisset, atque ita Vitalis ac Misenus cum eo communicassent.* Ipsi vero legati tum interrogati *Acacium totius praevaricationis auctorem esse* confessi sunt (Gelas epist. 1 n. 35), itaque convicti ac condemnati sunt. Sententiam adversus eos dictam memorans Felix ep. 11 n. 3 ait: *Vitalem ac Misenum sacerdotali et sacrosancta communione suspendimus.* Gelasius vero ep. 1 n. 39 et 30 n. 8 et 9 sententiae illi adjectam esse notat hanc clausulam: *donec auctore Deo et annisu catholicorum principum vel populi christiani Alexandrina catholicum recepisset ecclesia sacerdotem,* h. e. donec e s. Marci sede pelleretur Petrus, cum quo velut legitimo ejus successore praeter fas communicaverant. Porro in ea ipsa synodo, in qua damnatus est Acacius, adeoque d. 28 Julii anni 484, Vitalem ac Misenum judicatos esse breviculus hist. Eutych. (Gelas. tract. I n. 13) docet.

XIII.

anno 484 *post mens. Aug. Rufini, Thalasii et ceterorum presbyterorum, archimandritarum ac monachorum urbis regiae et Bithyniae ad Felicem papam de Tuti defensoris praevaricatione denuntiatio.*

Sententiam adversus Acacium latam Felix per Tutum defensorem misit. Sed neque hic Vitali ac Miseno constantior auro corrumpi se sivit. De cujus perfidia dolentes Rufinus, Thalasius, presbyteri et archimandritae ceterique monachi circa Constantinopolim constituti litteras ad Felicem per Basilium miserunt, quibus Tutum pecunia corruptum Acacio damnato inhaesisse significabant. Ilis autem litteris subnexuisse videntur propriam ipsius Tuti epistolam, quam ille diffiteri non volens, inde convictus condemnatus est. Nec alia de causa Felicem eis de nonnullis eo-

Digitized by Google

rumdem monasteriorum monachis, qui *decepti ad inimicos Dei transierant*, rescripsisse putem (cf. Fel. ep. 12 n. 2), nisi quia prius in iisdem litteris, qua ratione sibi aut de iis agendum esset, illum consuluissent. Hoc autem illi scripserunt, postquam Tutus sententiam d. 28 Jul. 484 adversus Acacium latam Constantinopolim pertulisset, et *satisfactum* his *constitutis esset*. Quumque in Felicis epistola 11 synodali *III Nonas Octobres* anni 485 signata Tutus nulla adjecta nota defensor nuncupetur, tunc ejus lapsum nondum cognitum dijudicatumque esse haud temere conjecerimus. Quapropter nostras litteras ita post Augustum anni 484 mensem missas ponemus, ut die V Octobris sequentis anni Romam nondum pervenerint. Ipsis Felix respondit epist. 12.

XIV.

int. ann. 486 *et* 489. *Episcoporum Orientalium ad Felicem pro absolvendis Vitale et Miseno intercessio.*

Procedentibus in causa Acaciana negotiis Orientales pontificem adiisse videntur, ut Vitalem et Misenum absolveret. *Dicite nobis inquiunt*, Felicis nomine Gelasius epist. 1 n. 35 scribit, *utrum Vitalem et Misenum absoluturi sitis an non?* Ac subinde pontificem id promisisse objiciunt. Qui quum respondeat: *quod promisi, legitur;* ut haec promissio, ita illa intercessio scriptis facta esse videtur.

XV.

eod. temp. Felicis ad Orientalium pro absolvendis Vitale et Miseno intercessionem responsio.

Non dubitavit pontifex Orientalium intercessioni quodammodo annuere, ut causam Vitalis et Miseni denuo se deliberaturum esse promitteret. *Quod promisi, legitur*, illorum objectioni respondet (Gelas. epist. 1 n. 35); *hoc nunc implere contendo: promisi enim deliberaturum, quomodo juste videantur absolvi.* Quum autem haec omnia etiamtunc vivo Acacio tractata appareant, ita post III Nonas Octobres anni 485 utrumque scriptum conceptum est, ut annum 489 non excesserit.

XVI.

anno 490. *c. init. Flavitae Constantinopolitani ad Felicem papam de ordinatione sua legatio.*

Acacio circa exitum anni 489 defuncto vehementer expetiit Zeno, ut is illi sufficeretur, quem Deus ipse delegisset. Sed dum Dei electionem miraculo sibi manifestam fieri voluit, permisit Deus, ut eum Flavitas deluderet. Hujus enim nomen in charta pura, quam in sacro altari reposuerat imperator, non angeli, ut is putabat, sed custodis templi multo ipsius Flavitae auro corrupti manu adscriptum est. Hac arte factum est, ut cum summa Zenonis laetitia ordinaretur Flavitas. Qui quidem id in primis studii gessit, ut clericorum ecclesiae suae legationem cum litteris ordinationis suae indicibus ad sedem apostolicam *regulariter destinaret.* Porro litterae illae *apostolorum summum petramque fidei et coelestis dispensatorem mysterii creditis sibi clavibus beatum Petrum* confitebantur. Item in his testabatur Flavitas, sese, *ut amplius ipse Felixque unanimes esse possint, cum illo fidei orthodoxae habere velle assensum, ipsumque Felicem zelum pro orthodoxa fide ostendere debere* significabat (cf. Felic. ep. 14 n. 1 et 3, 15 n. 1). Demum se cum *Petri apostoli fide non secus ac Felicem consentire glorians, ajebat:* „*qui cum eo* (sc. apostolo) *sicut vos credimus, consona voce gloriantes dispersa colligere valeamus*“ (Felic. ep. 14 n. 4). Primae quidem litterarum illarum lectione recreatus est Felix, sed de sinceritate eorum, quae Flavitas in illis profitebatur, mox interrogatis ejus legatis dubitare coepit. Qua de re

Digitized by Google

quum ad Thalasium scriberet (ep. 16), h. e. die 1 Maji anni 490, nondum certior factus fuerat. Unde litteras illas non longe post, ejusdem anni 490 initio, scriptas esse haud temere colligimus.

XVII.

anno 490 *eod. temp. Zenonis imperatoris ad Felicem papam de eadem re litterae.*

Per eosdem legatos misit Zeno ad Felicem litteras suas, in quibus primum profitebatur, sese *religionis curam ecclesiarumque pacem universis reipublicae negotiis anteponere*, ideoque sibi studio fuisse, ut is *Constantinopolitanus superno munere prosequente praeficeretur antistes, qui et morum probitate fulgeret et prae omnibus orthodoxae fidei polleret affectu* (Fel. ep. 15 n. 1). Simul etiam voti se compotem factum esse gratulabatur, addebatque, *desiderare se Ecclesiae causam, sicut divinitus institutum est, pontificum ordinatione componi.* Coram omni presbyterio h. e. toto clero Romano recitatae sunt hae litterae non sine adstantium plausu, cujus quidem ipsi etiam testes fuerant, qui eas attulerant legati (l. c. n. 5).

XVIII.

anno 490 *eod. temp. Rufini, Hilari ac Thalasii archimandritarum Constantinopolitanorum ad Felicem papam de contexta Flavitae fallacia adnuntiatio.*

Interea Rufinus, Hilarius ac Thalasius, regiae urbis archimandritae, veriti, ne Felix Flavitae dolis deciperetrr, nonnullos e monachis suis Romam destinandos duxerunt. Et eo quidem vix ingressi erant Flavitae legati, quum monachos illos, de quorum fide nihil dubitabat, Felix advenisse audivit. Primum eos non alia de causa venisse existimavit, nisi ut damnatorum i. e. Acacii et Petri Alexandrini nomina e sacris diptychis tandem remota esse testificarentur. At illi praepositorum suorum epistolas deferebant, quibus, ut Theophanes tradit, de litteris communicatoriis a Flavita ad Petrum Alexandrinum missis Felix admonebatur. Unde is papa fallacem vafri hujus episcopi animum omnique fide indignum esse cognovit (cf. Felic epist. 14 n. 2).

XIX.

anno 480 *d.* 1 *Maj. Felicis ad dictos archimandritas rescriptum.*

Rufino, Hilario ac Thalasio, qui ipsi scripserant, quam primum rescripsit Felix. At post factas litteras, quum nonnihil adjiciendum duxisset, novam concinnavit epistolam Calendis Majis anni 490 consignatam, ac utrumque scriptum praedictorum archimandritarum monachis tradidit. At primum, quod majoris momenti erat, excidit, atque ad nos pervenit dumtaxat postremum (Felic. epist. 16).

XX.

anno 490 *mense Majo. Euphemii Constantinopolitani ad Felicem papam de ordinatione sua litterae synodales.*

Ipso anno 490, teste Theophane pag. 209, *synodales Euphemii litteras Felix accepit*, quibus hic eum certiorem faciebat, se in Flavitae locum successisse. *Ubi vero illas accepit*, inquit idem scriptor, *ei ut catholico communionis impertiit consortium, haud tamen episcopum agnovit, quod Acacii et Flavitae ejus successoris nomen e diptychis non expunxerit.* Euphemio quidem, si, quae de illo quum Theophanes tum Evagrius 3, 23 et Victor Tununensis narrant, tantisper attendamus, negare non licet catholici nomen, immo eum Calchedonensis concilii acerrimum defensorem exstitisse largiendum est. Verum ea ratione, qua prohibitus dicitur Felix, ne eum episcopum agnosceret, prohiberi etiam debuit, ne suam

Digitized by Google

ei communionem tribueret. Idem enim, ut Euphemii decessori Flavitae communionem negaret suam, hac ratione inductus fuerat, quod ille Acacii nomen ex diptychis non expunxisset. Et vero Theophanis dictis repugnat Gelasius, qui ep. 3 n. 1 cum Euphemio loquitur, ut qui esset *communionis alienae et societatem praeferre mallet alienam, quam ad beati Petri purum redire illibatumque consortium;* et ep. 10 n. 2 generatim ait: *Decessores mei sacerdotes, qui praevaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, a communione apostolica submoverunt.*

XXI.

anno 491 *post mens. April. Felicis papae ad Anastasium de suscepto imperio gratulatio.*

Litteras, quibus Felix Anastasio Augusto imperii habenas suscipienti salutationis officium persolverit, ipsius successsor Gelasius ep. 10 n. 2 memorat his verbis: *Quid sibi vult autem, quod dixerit imperator, a nobis se irreligiose damnatum, quum super hac parte et decessor meus non solum minime nomen ejus attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiae potestatis exseruit, in ejus se rescripsit imperii promotione gaudere.* Atqui Anastasius anni 491 *mensis Aprilis* 14 *die magna paschalis sollemnitatis*, ut loquitur Theophanes pag. 211, *feria V* coronatus est.

XXII.

Epistolae Felici papae falso adscriptae.

1. Felicis ad Petrum Fullonem episcopum Antiochenum monitoria, ut ad fidem reverteretur. „*Τίς δώσει*“ „*Quis dabit*“ (Hard. coll. conc. II, 817, Mansi VII, 1037 Migne Patr. lat. LVIII, 903).

2. Felicis ad Petrum Antiochenum sententia excommunicationis et depositionis. „*Ἐπειδὴ δυστυχῶς*“ „*Quoniam importabilibus*“ (Hard. II, 823, Mansi VII, 1045 Migne LVIII, 911. Alia versio antiquissima incipiens „*Quoniam pestiferis*“ ex cod. Vatic. 4961 fol. 24^{b} in editione Romana epist. pontif. I, 326, Mansi VII, 1047, Migne I. c. 915).

3. Felicis ad Zenonem imperatorem, ut Petrum Fullonem haereticum damnatum ab ecclesia Antiochena expelleret. „*Πρέπει*“ „*Convenit clementiae*“ (Hard. II, 827, Mansi VII, 1049, Migne LVIII, 917).

Has tres epistolas cum aliis octo in eadem causa scriptis, etsi vetustissimorum codicum Vatic. 4961, Corbejensis, al. auctoritas et viri doctissimi Baronius, Cave, Pagius, Scipio Maffejus tuentur, spurias esse certissimis argumentis probarunt Henricus Valesius („De Petro Antiocheno et de synodis adv. eum habitis“ c. 4), Dupinius, Coustantius (supra pag. 19), Lequien dissert. 4 Damascenica, Ballerinii („De antiqu. collectionibus et collectorib. canon.“ p. II c. 11 § 3).

Digitized by Google

S. GELASII PAPAE EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

1. Gelasius se ipse *Romanum* aut *Romae natum*, ut fert antiquus codex, declarat epistola 12 n. 1. Contra *Afer* in libro pontificali dicitur, eaque opinio tam sublesta auctoritate fulta obtinuit hactenus nemine refragante; quo tamen pacto cum praedicta epistola conciliari queat, suo loco discutietur (epist. 12 not. 5). Is primum vocatus in pastoralis sollicitudinis partem a Felice decessore, potissimum ipsi operam in scribendis epistolis impendit, ex quo et factum videmus, ut ex his nonnullae Gelasii nomen prae se ferant (Felicis epist. 14, Gelasii epist. 1, tract. I).

2. Tandem ipsi subrogatus fuit anno 492 prima[1]) Martii mensis die, quae in dominicam incidebat, et statim a sua inauguratione Anastasium imperatorem *honorificis litteris salutare* curavit (epist. 10 n. 2). Hinc rursus corrigendus est liber pontificalis, ubi Gelasius *Zenonis Augusti temporibus* pontificatum gessisse narratur, quum aliunde exploratum sit, Zenoni superstitem fuisse Felicem. Ad quem et referenda est illa relatio, quae eodem libro proditur de Graecia venisse Gelasii temporibus, *eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio;* item et quod ibidem subjicitur de iterata utriusque damnatione, *si non poenitentes sub satisfactione libelli postularent poenitentiam*, quippe quorum neuter ad Gelasii pontificatum pervenit. Sed neque *Johannem* Talajam Alexandrinum antistitem *Gelasius* Romam fugientem *suscepit cum honore*, uti in eodem libro praeter historicam fidem et ea quae superius vidimus praedicatur.

3. Gelasius pontificatu adepto nihil prius habuit, quam ut sententiam a Felice in Acacium latam defenderet, et qua animi constantia quove ingenio instructus fuit, nullis nec Anastasii imperatoris minis sibi saepe intentatis nec Orientalium insidiis aut subterfugiis a proposito suo dimoveri potuit[2]). Pari vigilantia et vigore animi laboreque indefesso providit, ut sartis tectis sedis suae juribus et dignitate Constantinopolitanae urbis antistites justis limitibus contraheret[3]). Nec quis inde existimet, eum ad cetera Ecclesiae negotia unquam minus intentum minusque liberum aut expeditum visum fuisse. Ejus litterae et tot rescriptae diversorum consultationes, quarum reliquias et fragmenta hinc inde sparsas colligere non piguit, satis attestantur, quam laute et perfecte omnia ubique munia obierit pastoris vigilantissimi. In quibus unum prae omnibus laudare liceat, celeberrimum illud de recipiendis et non recipiendis libris decretum (epist. 42). Sanctorum canonum con-

[1]) Quum secundum librum pontificalem et veteres catalogos Felix II a. d. VI Kal. Martias anni 492 obiisset, et *cessasset episcopatus dies quinque*, ille quidem annus et dies efficitur. Cui concinit Victor Tununensis Gelasii initia *Anastasio et Rufo consulibus* ponens. Marcellinus comes eadem *Asterio et Praesidio consulibus* (i. e. anno 494) assignans, jam refellitur ipsius pontificis epistolis 6 et 12 n. 1.

[2]) Huc pertinent epistolae 3, 7—12, 18, 26, 27, 43, tractatus II, III, IV.

[3]) Conf. passim epist. citatae et epist. 28, 29, 42.

Digitized by Google

sultissimus et strenuus ac prudens defensor[4]), si quando necessitate postulante ecclesiasticae disciplinae severitatem aliquantum laxare non dubitat, ea cessante suae statim integritati reddit: unde *sapiens* a Facundo dictus est. Meruit etiam a Nicolao I ob edita haud dubie adversus Pelagium[5]), Nestorium[6]) et Eutychem opera eximia *plurium destructor haeresium* nominari. Pari jure appellari potuisset *reliquiarum idololatriae destructor*, qui gentiliciam Lupercalium superstitionem christianae sanctitati e diametro oppositam ejusque defensores egregio tractatu (tract. VI) sancitoque decreto damnavit et abolevit, quod nemo decessorum suorum tentare ausus fuerat. Facundo rursum teste *in sanctitate vitae atque scientia per universum mundum celebrioris famae gloria celebratus fuit.* Ejus virtutum summam Dionysius Exiguus graphice perstringit in epistola ad Julianum presbyterum ab ipso Gelasio ordinatum, quam priori collectionis suae parti praefigi voluit. Quum vero non omnibus hujus epistolae exempla obvia fuerint, nec gratissima esse non possit nec non valde utilis tantilla haec memoria et recordatio tam venerandi pontificis, eam hic integram subjicere visum est operae pretium, diligenter collatam cum duobus codicibus perantiquis, altero bibliothecae Regiae, altero Vaticano, quo Lucas Holstenius in collectione sua Romana pag. 268 usus est.

Domino venerabili mihi Juliano presbytero Dionysius exiguus.

4. *Sanctitatis tuae sedulis provocatus officiis, quibus nihil prorsus eorum, quae ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere, praeteritorum sedis apostolicae praesulum constituta qua valui cura diligentiaque collegi, et in quemdam redigens ordinem titulis distinxi compositis: ita dumtaxat, ut singulorum pontificum quotquot a me praecepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic praefationi subnecterem eo modo, quo dudum de graeco sermone patrum transferens canones ordinaram. Quia vero sincerissimo affectu Deum diligitis, et idcirco famulos ejus laudanda sollicitudine continetis (quis enim peregrinantium serviens Christo vestro non fovetur hospitio?), justum credidi vobis in hac parte famulari, quatenus industriam vestram, quam coelestibus*[7]) *impenditis regulis, et praesens imitetur aetas et posteritas admiretur. Nam prae virtutis amore cuncta, quae sunt utilia saluti*[8]), *desideratis agnoscere, licet omnem venerandae legis observantiam moribus impleatis.*

5. *Quantique sit apud Deum meriti papa Gelasius, nos, qui eum praesentia corporali non vidimus, per vos alumnos ejus facilius aestimamus, cujus eruditione formati gradum presbyterii sancta conversatione decoratis: ut in vestrorum morum perspicuo munere ejus quodam modo videantur opera praelucere, qui*[9]), *sicut vestra et aliorum relatione comperimus, in tantum bonae voluntatis exstitit, ut annuente Domino principatum in Ecclesia pro multorum salute suscipiens, eum serviendo potius quam dominando sustolleret, vitaeque castimoniam doctrinae meritis ampliaret. Denique omnis*[10]) *actio ejus aut oratio fuisse memoratur aut lectio. Interdum quoque scribendi curam sumebat, prout causa vel ratio postulasset. Servorumque Dei maxime consortiis*

---

[4]) Testes hujus rei sunt prae aliis epistolae 6, 14, 15, 16, 17, 20—24, 28, 36—39, 42.

[5]) Conferantur ejus epistolae 4, 5, 6 et tract. V.

[6]) Praeter alia causae Eutychianae et Nestorianae communia speciatim tractatus III nominandus est.

[7]) α *coelesti impenditis operi.* Deinde loco *admiretur* c^7 c^{10} ad marg.: *commitetur* vel *comitetur*, non displiceret *coimitetur.*

[8]) a^2 omitt. *saluti.* Idem mox *venerandi juris.*

[9]) a^2 *quem, sicut vestra relatione comperimus, in tantum bonae voluntatis exstitisse gratulamur, ut* etc.

[10]) a^2 *omne opus ejus.*

Digitized by Google

atque societate gaudebat, quorum spiritali collatione flammatus tanto divini amoris studio tanta verbi[11]) *Dei meditatione fruebatur, ut huic etiam illud quod psalmista cecinit aptaretur: Beatus homo quem tu erudieris* Ps. 93, 12 et 13. *Domine, et de lege tua docueris eum, ut miliges ei a diebus malis. Hujus enim saeculi malos dies ita Domino mitigante atque gubernante transegit, et*[12]) *universa vitae pericula sic mira prudentia et longanimitate sustinuit, ut deliciis jejunia praeponeret et superbiam humilitate calcaret, tantaque misericordia animi ac largitate claresceret, ut omnes fere pauperes ditans inops ipse moreretur: profecto beatus hac inopia, per quam divinis semper laudibus inhaerebat, sicut propheta dicit ad Dominum: Paupер et inops laudabunt nomen tuum. Fuit*[13]) *quippe ingenio luculentus, vita praecipuus, auctoritate reverendus, et ideo tot virtutum decoratus insignibus ad praecelsi culmen officii non accessit indignus. Honorem summae dignitatis gravissimum pondus existimans, parvamque negligentiam pontificis ingens animarum discrimen esse contestans, idcirco nullo se desidioso otio tradidit nec luxuriosis*[14]) *conviviis effusisque servivit, ex quibus rebus animarum morbi generantur et corporum. Hic itaque pastor summi atque boni pastoris imitator exsistens, egregius praesul sedis apostolicae fuit, qui divina praecepta fecit et docuit. Unde eum magnum*[15]) *inter sanctos esse confidimus, juxta promissionem Christi Domini dicentis: Qui fecerit et docuerit,* Matth. 5, 19. *hic magnus vocabitur in regno coelorum.*

Psalm. 73, 21.

6. Tantus vero pontifex quum ecclesiarum primam annis quatuor, mensibus octo, diebus octodecim[16]) decorasset, laborum mercedem recepturus migravit ad Dominum XIII Calendas Decembres anni 496 et depositus est in casiiica sancti Petri XI Calendas Decembres.

Epistola 1.

Beati Gelasii ad episcopos Orientales,

(a. 488 —489.)

seu

Exemplum rationis reddendae beati Gelasii papae de evitanda communione Acacii, missa ad Orientales episcopos.

p. 23. *Varias argumentationes, quibus Orientales causam Acacii tueri praetendebant, minutatim diluens, vinculum excommunicationis in eum prolatae insolubile esse ostendit.*

1. . . . Post quingentos annos constituta Christi eos velle sub-

---

[11]) α omitt. *verbi.*

[12]) a² *ut universas tentationes mira prudentia et longanimitate sufferret, delicias jejuniis sperneret, superbiam humilitate calcaret, tanta misericordia animi alacritate claresceret,* moxque *satians* (loco *ditans*) et omitt. *laudibus.*

[13]) a² *Fuit enim vir ... decoratus insignibus ad tam excelsum officium non ... grave nimis onus.*

[14]) Alii *luxurioso convivio effusoque,* moxque *nascantur* (loco *generantur*).

[15]) α *inter magnos.* Mox a² *docuerit, maximus vocabitur.*

[16]) Hic numerus habetur in pluribus et praestantissimis catalogis, Vatican. Reg. 1997 et 1127, Sessor. LXIII, aliis; in Cavensi, uno Colbertino et aliquot Anastasii exemplaribus *a. IV m. VIII d. XIX,* in Vallicellano A. 5 cum aliis Anastasii codicibus *a. IV m. VIII d. IX,* in Vaticano 1353 *a. III m. VIII d. IX.* De depositionis ejus die cum Anastasio consentit martyrologium Romanum.

Digitized by Google

(a. 488—489.) vertere, quum triginta annorum lex[1]) hominum non possit abrumpi: . . Sanctum Athanasium ideo non fuisse damnatum a synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit, vel sanctum Johannem Constantinopolitanum vel sanctum Flavianum . . . . . Si ea ergo non consentiente sola, qui damnati sunt a synodo Orientis, non potuerunt esse damnati, consequens est, etiam sine synodo qui eadem sola damnante damnatus fuerit, damnatus sit. Postremo si nulla est ejus solius sententia, quid tantopere cupiunt, hanc resolvi?

2. . . . testimonio Acacii[2]), ubi confirmat, Timotheum catholicum de damnatione Petri *retulisse ad utramque Romam*, ubi *ab haeretico fuisse ordinatum, hoc est complice insaniae suae;* ubi dicit, *ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur*, itaque non ut *in*[3]) *sequestris esset*, quod nunc praetenditur, sancto, quum obiisset, Timotheo subrogandus. Qui pro sceleribus suis, quae retulit ejus Acacius, suppliciis subditus est; nemo autem ad honorem reservatum dignum asserit esse suppliciis. Imperator Timothei catholici electioni cuncta permisit; necesse est igitur, ut sequatur, quod ille constituit et dixit *catholicum a catholicis ordinatum.*[4]) Falsum est ergo, quod *in se-*

[1]) Illam *triginta annorum legem* Gelasius etiam epist. 17 n. 2 appellat. — Deinde ad explendas lacunas in memoriam revocare juvat illud Gelasii epist. 26 n. 5: *Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter ... etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi quod synodus inique damnaverat, et damnandi nulla exsistente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium etc.*

[2]) Testimonium hoc Acacii in ejusdem epistola ad Simplicium (Simpl. epist. 8 n. 2) invenitur. Unde sicut illud *ad Romam alterutram* lucidatur (infra n. 5 *hac pariter et Constantinopolim*), ita hic legendum patet *complice* (pro *complicem*).

[3]) *Sequestrum* vel *sequestre*, vox jurisconsultis familiaris, idem sonat ac *depositum; sequester* autem idem, quod *mediator* vel *arbiter*. Quare *in sequestris esse* vel *in sequestri constitutum esse* nostro loco id sibi vult, ut Petrus quasi successor a Timotheo designatus vel testamento condictus dicatur. — Mox *ejus* ex N[3] additur.

[4]) *Imperator* scilicet, ait Felix epistola 2 n. 4, *quum Timotheus sanctae memoriae catholicus fungeretur extremis, ... tam ad ejus pontificis consulta rescribens quam ad Alexandrinae urbis clerum, omni providentia mandaverat praecavendam, ut si praefatum Dominus sacerdotem de terrena conversatione transire jussisset, non nisi de catholicorum corpore clericorum et qui orthodoxae fidei probaretur discipulus omnibusque communicaret ecclesiis atque a catholicis ordinatus succederet defuncto pontifici.* Idem refert Felix epist. 1 n. 10, Gelasius epist. 26 n. 7 et tract. I n. 9. Simul ibi, pergit Gelasius tract. I n. 9, *Johannes oeconomus multis laudibus praedicatus est, ut jam pene omnibus Alexandrinis putaretur episcopalis officii candidatus.* Praeterea ibidem imperatorem *cuncta Timothei electioni permisisse*, vel, ut mox n. 5 dicetur, ipsi *promisisse, quae statuisset, mansura esse*, hinc addiscimus. Tale quid, ut successor ab episcopo praesertim extremis laborante eligeretur, in Alexandrina quidem ecclesia non ita inusitatum fuit. Sic Alexander nullum sibi mortuo dari successorem nisi Athanasium jussit (Epiph. haer. 68 n. 6). Quin, ut Liberatus breviar. c. 20 narrat, *consuetudo* erat *Alexandriae, illum qui defuncto* succederet, *excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, et sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, et hunc legitime se-*

Digitized by Google

questri dicitur *constitutus*, ut eidem subrogaretur, cui nunquam communicavit, et a quo postulatus[5]) est longius debere relegari. (a. 488—489.)

3. Si juraverat[6]) Johannes non se futurum episcopum, quomodo tu mandasti *dignum esse, cui majora committerentur, quae ad gubernationem ecclesiae pertinerent?* Supra presbyterum quid est majus ad ecclesiae gubernationem nisi episcopatus? Si juraverat, quomodo hoc mandas? Et si juraverat, cur illum exposuisti, ut fieret contra quod juraverat? Aut si factum est quod mandasti, quid irasceris, quid illum tibi dicis pejerasse, quum factum sit, quod se non juraverat esse facturum; quum tu eum hoc fieri debere mandaveris? Apocrisarius erat, omnia ad ipsum pertinebant, omnia ecclesiae ipse curavit, potior illo inter clericos Alexandrinos nullus habebatur: honore presbyter erat; supra quid ei adderetur ad gubernationem ecclesiae, quid ei amplius adjiceretur nisi episcopatus? Tu igitur eum episcopum esse voluisti, qui eum supra quam erat (nec aliud restabat, nisi ut esset episcopus) esse debere mandasti.

4. Miror autem, si *necessitatem*[7]) *patitur* imperator, ne pellat Petrum, et unum hominem necessitatem perpeti non potuisse contendat, ut fieret quod nolebat invitus. Nam et ipse imperator, quum necessitatem praetendit, malum esse definit, quod necessitate facit, docens se hoc nolle facere voluntate, et pati testatur invitus.

5. Si personam Petri excusandam putatis, probamus noxiam, haereticam atque damnatam. Si *in sequestris* fuisse praetenditis, propter scandalum Timotheo catholico subrogandum; nec Acacii hoc scripta[8]) testantur, qui dicit evidenter, cur fuerit exclusus, nec im-

---

dere. Ubi quum successor jam *excubias super defuncti corpus agere* dicatur, ante ejus mortem electus fuisse fere videtur. Quamquam aliis in ecclesiis (conf. monit. praev. in Hilari epist. 15 n. 2) et praesertim in Romana ejusmodi electio, qua episcopatus quasi *haereditarium compendium putaretur*, antiquitus vetita, etiam sub Hilaro synodo Romana anno 465 interdicta erat (Hil. epist. 15 c. 3). Quare Gelasius infra n. 7 recte argumentatur: *nec sibi superstiti* (Timotheus) *sacerdotem superordinare potuit.*

[5]) *Timotheus* enim *scripsit ad papam Simplicium, dicens Petrum olim in diaconio esse damnatum, ... mandans per Esaiam episcopum, rogans, ut scriberetur imperatori de Petro, quia latebat in Alexandrina civitate et insidiabatur ecclesiae, ut ad longinquius deportaretur exsilium* (Gelas. tract I n. 8).

[6]) Tale juramentum Johanni fautores Petri imponebant, ut ex fide Zachariae Evagrius III, 2 refert. Quam incusationem temere jactatam Gelasius epistolis 10 n. 6, 27 n. 2 Graecis exprobat. — Quae sequuntur verba, ex aliqua Acacii epistola ad Johannem vel ad pontificem Romanum data sumpta esse videntur, nisi forte ad epistolam imperatoris modo laudatam pertinent.

[7]) Saepe necessitas quaedam imperatori imponi praetendebatur, quia *per populum Constantinopolitanum nomen Acacii removeri non liceret;* conf. Gelas. epist. 3 n. 15, 12 n. 10.

[8]) Notari videtur Acacii ad Simplicium epistola (Simpl. ep. 8). — Mox N[3] *a sancto Proterio diacono*, quod cum Maff. mutavimus. Petrum *in diaconio dam-*

Digitized by Google

(a. 488—489.) peratoris, qui et Timotheo catholico, quae statuisset, mansura esse promisit, a cujus fuit Petrus communione discretus, et a quo postulatus est longius debere relegari atque huc pariter et Constantinopolim relatus: sicut etiam testatur Acacius, a sancto Proterio in diaconio fuisse damnatum, et catholicum a catholico creandum praestituerit, non Petrum, qui erat haereticus, tamquam *in sequestri* positum subrogandum; a quo ordinati nisi ad communionem sancti Timothei revertissent, jussi sunt[9]) sine dilatione damnari.

6. Qui si dicitur postea *fuisse correctus*, interim hoc ipso in errore hactenus jacuisse monstratur, nec debuisse catholicis praefici[10]) post errorem, a quibus est de errore correctus. Itaque venia dignus fuerat, non honore; et maxime ab haereticis ordinatus nullam episcopalis dignitatis prorsus habere substantiam. Quod si negatur, et testimonio vincuntur Acacii et rerum ratione monstrabitur; quia quum Timotheus haereticus cum suis complicibus damnaretur, hic comes ejus fuit, et cum eodem usque in ejus finem perdurans, a Timothei sit sequacibus institutus. Quaerendum denique, si usque ad diem obitus sui sancto Timotheo communicavit; quod si factum non est, inter eos erit sine dubio, quos imperator dixit *a communione catholici Timothei discrepantes, nisi ad ejus communionem intra duos menses gratiamque remeassent, in perpetuum esse damnatos.*

7. Ridendum autem, quod quidam ab eodem Timotheo catholico Petrum asserunt ordinatum. Nam vivus illum se superstite nullatenus ordinavit, ad cujus nunquam communionem prorsus accessit, quem poposcit, ut dictum est, etiam longius relegari; nec sibi superstiti sacerdotem superordinare potuerit: ipsi viderint, si illum mortuus ordinavit. Tempore autem, quo Petrus invasit ecclesiam, sanctus Timotheus in Alexandria non erat, nec se exstante pontificem, sicut dictum est, poterat ordinare; sed potius Petrus nefande omnia agens, superstite Timotheo legitimo sacerdote, episcopatus sibi ausus est nomen imponere. Nec hoc quilibet catholici tunc fecerunt, qui utique omnes cum Timotheo sentiebant eique communicabant, sed *unus complex insaniae Petri*, sicut iam testatur Acacius.[11]) Nec enim poterant catholici, qui Timotheo haeretico

---

natum esse, Timotheus ad Simplicium scripsit (Gelas. tract. I n. 8), et innuit Simplicius epist. 12 n. 1 (Liberatus breviar. c. 16), et hic etiam Acacius testatus esse dicitur.

[9]) Scilicet imperialibus edictis; conf. Felicis II epist. 1 n. 9. Paulo ante editi omiserunt *et catholicum a cath. cr. praest.*

[10]) Haec quidem sententia canonibus prorsus consentanea saepissime a praesulibus Romanis producta est; conf. Simplicii epist. 18 n. 3 (not. 8), Felic. II epist. 1 n. 9, 2 n. 4, 15 n. 3, al. — In sequentibus notantur epistolae Acacii ad Simplicium (Simpl. ep. 8), et Zenonis ad universos episcopos et clericos Aegypti (conf. Felic. II ep. 1 n. 8, 2 n. 4). Ibidem loco *vincuntur* aptius legeretur *vincitur*.

[11]) Scil. in epistola ad Simplic. (Simpl. ep. 8 n. 2).

Digitized by Google

non communicaverant, qui Timotheo catholico communicabant, superstite et eo catholico, quem nossent legitimum sacerdotem, vel superducere alium vel haereticum consecrare. Unde apparet eum ab haereticis ordinatum, et ideo catholicae ecclesiae praesidere non posse: quia prorsus hoc abominandum nefandumque judicetur, ut qui diu in perfidia volutaverit, fidelium cervicibus imponatur. Quod si admittitur, potest et de aliis haeresibus passim similiter quicunque permitti, quod nulla unquam exempla, nullae regulae, nullae leges ecclesiasticae patiuntur imponi. (a. 488—489.)

8. Sed, inquis, eum *fuisse correctum.* Interim, ut supra jam dictum est, hoc ipso haereticum fuisse monstrabis. Qui etiamsi damnata haeresi se ad fidem catholicam dicitur contulisse, subdi debuit catholicis, a quibus correctus est, non praeesse. Non est enim discipulus supra magistrum, satisque erat, ut correctionis suae subjectus praeberet exemplum, non post diuturnum errorem longamque perfidiam, a quibus emendatus est correctusque, dominari. Tum deinde quaero, quid erroris damnaverit, quid rectae confessionis elegerit, et quam petit[12]) esse falsam quamve veracem fidem. Qui si definitam apud Calchedonem fidem et catholicam sequitur, cur eis communicat, qui duarum naturarum in Christo nullatenus recipiunt veritatem? cur Dioscorum, cur Timotheum haereticum recitari facit? cur quicunque inde veniunt, synodo Calchedonensi adversa defendunt, quibus Petrus sine dubitatione communicat? Si autem magis talium fidem veram esse pronuntiat, apparet satis, quam de suo sit errore conversus.

9. Sed non miror correctum dici, quum in sua perversitate permaneat, quando non constat, et a quo vel correctus fuerit vel receptus. Siquidem Ecclesiae regula vetusque traditio[13]) nota sit omnibus: ab episcopo enim provinciae suae, id est secundae sedis antistite, eum vel discuti vel recipi convenisset. Qui tamen Alexandrinus antistes, etiamsi pravitate damnata eum recipiendum esse judicaret, non prius hoc faceret, quam ad sedem apostolicam retulisset.[14])

---

[12]) Malim *petierit*, aut potius *praedicaverit* vel *professus fuerit.*

[13]) Ita revera *veterem* ordinem fuisse testes sunt can. apost. c. 13 et 33, syn. Illyberit. c. 53, Arelat. I c. 16. Quod idem innuit concilium Nicaenum c. 5 statuens: *De his, qui communione privantur seu ex clero seu ex laico ordine ab episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis* (ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα) *obtineat: ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur;* subindeque eorum appellationes ad synodos provinciales demandat, quas *annis singulis*, ait, *per unamquamque provinciam bis in anno celebrari placuit.* Quam constitutionem deinde confirmarunt synod. Antioch. c. 6, Sardic. c. 14, Carthag. II c. 7, Nemaus. anno 394 c. 3, Arelat. II c. 8.

[14]) *Absolvi* enim, jam Felix epist. 14 n. 3 extulerat, *Petrus nulla ratione potuit sine apostolicae sedis assensu, qua fuerat mandante seclusus, sicut de recipiendis talibus forma veterum testatur antistitum. — Nec Petri*, idem epist. 15 n. 3 re-

Digitized by Google

(a. 488—489.) Docent hoc catholici gesta Timothei aliorumque exempla multorum, qui acceptis libellis haereticorum, in quibus veterem se damnare profitentur errorem, non prius receptionem eorum communionemque confirmant, quam ad hanc sedem satisfacientium gesta dirigerent, atque hinc poscerent, sicut factum est, debere firmari. Quaero, inquam, quis istum discusserit, quisve susceperit, quisve reconciliaverit, quis ad communionem catholicam intrare permiserit. Ubi interim taceo, quia haec omnia poenitentis sunt, utpote et haeretici et ab haereticis ordinati: quem sine ambiguo et constat errasse, qui nunc perhibetur esse correctus; alia est enim venia sub terrore lapsorum, alia spontaneae pravitatis electio. Si Acacius hunc recipit, quo jure, qua regula? quum nec pontificii[15]) ipsius esset hoc facere, nec ad me voluerit haec referre: immo cui, ne id faceret, saepissime contradictum est, et magnopere delegatum, ut eum longius ab Alexandria faceret sacerdotali et catholica vice nostra suggestione depelli. Cur praesumpsit quae vetui, et quae sunt injuncta calcavit?

10. An imperator illum discussit atque suscepit? Constat interim illum ecclesiasticis regulis non receptum: ab ecclesiastica igitur regula receptio ejus omnis aliena est. Quod si dixeris: *Sed imperator catholicus est*; salva pace ipsius dixerimus, filius[16]) est, non prae-

---

petit, *putetur legitima provenisse purgatio, quem non secundum morem veterum apostolica sedes, quae ligavit, absolvit.* Quam exceptionem quum Gelasius saepissime proferat (conf. epist. 26 n. 5, 27 n. 3, 4, 5, tract. IV n. 13), simul duas alias causas addit, scilicet: quia *apostolicae sedi juxta canones debetur summa judicii totius* (epist. 10 n. 9, 26 n. 5), et *secundae sedis antistitem nec expellere quisquam nec revocare sine primae sedis assensu vel potuit vel debuit* (Gel. tract. II n. 8, tract. IV n. 13). — Quae deinde memorantur gesta Timothei, conf. Simplicii ep. 11 n. 3.

[15]) Ita mutandum duximus, ubi antea *pontificis ipsius* legebatur. Tota sententia enim indubie ad Acacium referenda est, et illustratur illis Gelasii epist. 26 n. 5: *Satis constat, Acacium nullum pontificum habuisse sententiam sedis apostolicae* (al. *sententia s. a. damnatum*) *sine ulla ejus notione solvendi.* Similiter epist. 27 n. 4 *ipsum nec examinandi aut recipiendi eum* (Petrum) *habuisse pontificium* ait (conf. etiam ep. 27 n. 3 et 5, tract. IV n. 13). Ac revera correctionem nostram N³ postea consultus contra editos approbavit. — Idem paulo post *catholico vice nostra*, ubi editi *catholico jure nostra.*

[16]) Quae sequuntur de differentia potestatis ecclesiasticae et civilis, et alias saepe a pontificibus Romanis in causa Acaciana producta sunt (conf. Felic. II ep. 8 n. 5, 15 n. 3, Gelas. epist. 10 n. 6 et 9, 26 n. 11), et praeclarissime hisce Gelasii vindicantur: *Fuerint haec*, inquit tract. IV n. 11, *ante adventum Christi, ut quidam figuraliter ... pariter reges exsisterent et pariter sacerdotes, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia. Quod in suis quoque diabolus imitatus est, ... ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed quum ad verum ventum est, eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium vindicavit: ... quoniam Christus memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ... ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus egerent, et pontifices pro tempo-*

Digitized by Google

sul Ecclesiae: quod ad religionem competit, discere ei convenit non docere; habet privilegia potestatis suae, quae administrandis publicis rebus divinitus consecutus est; et ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem coelestis ordinis nil usurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potestates: quae si fideles sunt, Ecclesiae suae et sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vindicet alienum jus, et ministerium, quod alteri deputatum est: ne contra eum tendat abrupte, a quo omnia constituta sunt, et contra illius beneficia pugnare videatur, a quo propriam consecutus est potestatem. Non legibus publicis, non a potestatibus saeculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus Christianae religionis dominos et sacerdotes voluit ordinari, et discuti recipique de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent exsecutiones suas ecclesiasticis praesulibus, non praeferre. Nulla ergo nec certa discussio est, nec manere potest ista susceptio ejus, quem Ecclesia suis legibus nec ordine competenti nec discussit omnino nec communione restituit. Ideoque potius errori ejus communicavit Acacius catholicamque fidem ei prostituit, quam illum ad communionem catholicam revocavit; cujus enim non est ordinata receptio, sequitur, ut in errore permanserit. (a. 488—489.)

11. Acacium quoque a nostra communione submovimus, ne per eum etiam nos Petro nulla Ecclesiae regula discusso atque suscepto et ideo in pristino errore duranti communicasse dignosceremur. Quomodo autem non reus citatur Acacius, communicando ei, quem retulit esse damnatum? *Numquid ex eodem foramine manat aqua dulcis et amara?* Jac. 3, 11. Nam quum[17]) dicat apostolus: *Si quae destruxi, haec eadem reaedifico, praevaricatorem me constituo*; Gal. 2, 18. quum haec inquam dicat tantus apostolus, vos judicate, utrum praevaricator non sit Acacius, qui quod ante damnavit, suo post ore laudavit. *Ex ore tuo,* inquit, *justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis: Pax*[18]), *pax, et non est pax!* Matth. 12, 37. Ezech. 13, 10. Pax est enim *caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* 1 Tim. 1, 5. Quid horum in Petro, quid horum docetur esse in Acacio? Ille non legitima nec ecclesiastica regula discussus atque susceptus in sua permanet pravitate, hic permanenti in pravitate fit complex, etiam postquam eum professus est ipse damnatum.

---

rullum *cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur. — Duo quippe sunt*, epist. 12 n. 2 infert, *quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas etc.* — In sequ. Blanch. *religionis Dominus* mutavit.

[17]) Simili argumentatione et iisdem scripturae sacrae locis utitur Gelasius in epist. 26 n. 4 et in Felicis II epist. 14 n. 3 et 5.

[18]) Istas de pace et caritate temere turbata querimonias saepissime occinebant haeretici et refellebant pontifices; conf. Felic. II epist. 14 n. 5, Gelas. epist. 3 n. 14, 12 n. 6.

Digitized by Google

(a. 488 —489.) 12. *Sed*[19]) *necessitate*, inquit, *imperiali communicavit Petro Acacius*. Hoc ipsum sufficit, quia quod necessitate dicitur perpetratum, pravum esse monstratum est. Viderit Acacius vel qui ista pronuntiat, utrum imperatorem catholicum profiteatur hujus pravitatis auctorem. Nos ista de catholico imperatore non credimus, utpote cujus sacra[20]) retinemus, in quibus catholicam fidem et Calchedonensis synodi definitionem se tenere testatur. Atque ideo etiam ab eodem postulamus, haereticos debere depelli; pessimeque de eo magis ille sentit, qui id eum aut nolle aut non facere posse praetendit: quum nec Divinitati sit aliquid praeferendum, et impium sit, quae ad Deum pertinent, prompta non exsequi voluntate. Nos, inquam, ista de imperatore non credimus; absit enim, ut contra hoc, quod palam profitetur, contra decus imperii catholicam fidem impugnare dicatur. Impugnat autem, quod absit, si quemquam in hoc, quod inimicum est catholicae Ecclesiae, necessitate compellat. Hoc ipso autem, sicut dictum est, constat esse perversum, quod dicitur necessitate committi. Sed haec de imperatore viderint, qui ista praetendunt; nos autem etiam in hac parte imperatoris[21]) sacra recitamus, quibus omnia se imperator cum Acacii consilio fecisse promit, et item Acacii scripta depromimus, quae laudant imperatorem ista facientem. Nemo quod patitur necessitate, collaudat, nemo suo consilio necessitatem sibi poscit inferri. Si necessitate fecit, fatetur malum esse quod fecit; nolens enim non volens fecit; non enim voluntate facit, quod necessitate facit; malum autem fatetur, quod nollet fieri, si necessitate non premeretur. Si malum est, quod necessitate facit, cur id laude prosequitur? cur ad aliorum perditionem praedicator rei ejus exsistit, quam committit invitus? Unde apparet, non necessitatis sed voluntatis esse, quod facit, quum utique placet, quum laudat, quum prae ceteris retro pontificibus esse promulgat: quippe qui dicit, *nunc Alexandrinam ecclesiam respirare, et spiritalis alimoniae ubertate satiari*; de quo ante dixerat[22]), quum expulsus esset, *laetari cum patre*, id est cum Timotheo catholico, *corda fidelium*, id est plebis suae. Postremo ipse videat, si imperatorem

---

[19]) Etiam illud, Acacium solummodo ab imperatore coactum Petro communicasse, persaepe Graeci obtendebant et refutabant pontifices; conf. Gelas. epist. 3 n. 7 et 13, 26 n. 8, 11, 13 al.

[20]) Scilicet aut illa ad Simplicium de recuperato imperio sacra (conf. not. epist. Simpl. non exstant. n. V), aut alia ad Aegyptios data, de quibus memorat Felix II epist. 1 n. 8, 2 n. 4. — Mox editi *qui ait eum aut nolle ... posse quae sentit.*

[21]) De his quidem Zenonis et Acacii litteris conferatur Gelasii epist. 26 n. 8 et notitia epist. Felicis II non exstant. n. VIII et IX.

[22]) Scilicet in litteris illis deperditis, de quibus agitur in not. epist. Simpl. non exstant. n. VI. — Editi *de qua* et infra *demonstrat ... apponit.*

Digitized by Google

dicat facere cuncta quae mala sunt; quando quae cum necessitate se tolerare praetendit, mala esse profitetur et non facere voluntate pronuntiat. In tantum ergo haec mala sunt, ut non vellet haec facere, si necessitas non urgeret: apud nos quod magnopere praedicat, non necessitate sed voluntate facere demonstratur. Si autem ut errasse consentiunt, sic remedium quaerunt, petant ordine suo remedium, acquiescant curari vulnera sua. Nunquam aegrotus medico conditiones suae curationis opponit; proinde vulnera sua, immo quae Ecclesiae omni suis excessibus intulerunt, ut possint veram recipere sanitatem, sinant curari patienter, ea ipsa utique, quae iidem male commissa esse non abnuunt. (a. 488—489.)

13. *Sed populus,* inquit, *Alexandrinus hoc magnis desideriis postulavit, nec Petrum sibi patitur ulla ratione subduci.* Quid[23]), si peteret populus Alexandrinus idololatriam debere parari? Quid enim interest, utrum haereticus an profanus ecclesiae catholicae permittatur imponi? Quid si alterius haeresis cujuslibet hominem sibi praesulem poscat adhiberi? Qui enim fecit hoc de aliqua haeresi, potest et de alia, si id delectat, expetere. Si inter hominum mores aliquid perpetrari tentaretur contra leges publicas, nullatenus id bonus imperator annueret: contra Deum poscentibus acquiescit? Si prava cupientibus annuendum est, ubi est imperialis auctoritas? ubi moderatio? ubi legum gubernatio? Si contra catholicam fidem et ecclesiasticam regulam petentibus concedendum est quod petatur, quomodo catholicus imperator[24])? Ac per hoc, ne fiat contra hominum voluntatem, fiat contra Deum? ne corripiantur utiliter improba, immo lethalia concipientes ne corrigantur, insana molientes pereant in aeternum? Nec boni imperatoris est nec catholici principis, sibimet poscentibus inimica concedere; immo et ipsis[25]), de quibus agitur, et omni reipublicae et saluti ejus et regno, quae contra Deum sunt non cessisse, salutare est.

14. *Sed non sunt,* inquis, *nec bonis moribus nec fidei*[26]) *rectae contraria.* Quomodo non sunt bonis moribus noxia, perfidum parricidii socium, comitem haereticorum atque damnatum, rerum administratorem poscere divinarum, quem praefici nefas esset vel non decebat nec publicae dignitati? Quomodo non religioni contrarium est, haereticum damnatumque, ab haereticis falsum nomen sacerdotis indeptum[27]), catholicae fidei velle praesidere?

---

[23]) Similiter ejusmodi populi, qui praetendebatur, metum Gelasius sugillat epist. 3 n. 15, 12 n. 10.

[24]) Editi *imperator permittat ne fiat* etc. Potius supplerem *fuerit* vel *dicatur.*

[25]) Ita cum Blanch. correximus, quum antea *ipsi.*

[26]) Eamdem objectionem memorat Gelasius epist. 3 n. 8.

[27]) Iisdem verbis Felix II epist. 2 n. 4 utitur, unde simul nostra illic correctio probatur.

Digitized by Google

(a. 488—489.) 15. *Sed*[28]) *correctus est,* inquis, *et hoc omnes voluerunt, a quibus correctus est, et a quibus cognoscitur approbatus.* Qui tandem isti sint, diligenti examinatione videamus. Ipsi certe, quos pariter cum eodem testamini ab errore correctos. Restat, ut complices ejus esse non dubium sit: quibus legibus igitur eorum pro quolibet testificatio debet admitti, quos par crimen involvit?

16. *Sed,* inquis, *qui etiam Timotheo catholico communicare videbantur, nunc Petro communicantes, de eodem similia poposcerunt.* Sunt ergo isti communionis catholicae praevaricatione notabiles, qui, ut dicitur, a catholici Timothei communione, quam ad ejus usque obitum servaverunt, post illius transitum in consortium istius reciderunt, cui nunquam Timotheus catholicus communicasse monstratur. Itaque a Timothei catholici, immo a catholica communione delapsi sunt. Ecce quomodo Petrus correctus est et probatus, qui vel a complicibus suis vel a praevaricatoribus catholicae communionis dicitur postulatus antistes.

17. *Sed Timotheus,* inquis, *catholicus ideo Petro non communicavit, quia episcopatum illo vivente praesumpserat.* Si propter episcopatum, suffecerat Timotheo, Petrum fuisse submotum; quod autem ei non communicabat, non erat episcopatus causa sed haeresis. Communio enim ad fidem pertinet; nam si propter honorem, certe vel laico communicare potuisset, si in illo fides recta mansisset. Cur ab eo ordinati ad fidem catholicam regulariter jussi[29]) sunt recipi? Ubi ostenditur, illum communionis catholicae non fuisse. Deinde si correctus est Petrus, cur ab eo catholici, quicunque sunt vel in Alexandria vel per Aegyptum, remansere discreti? Cur ei non communicant illi catholici, qui usque in diem vitae suae catholico communicavere Timotheo, indeque vere catholici sunt, quia in eadem communione sine ulla ejus temeratione perdurant? Ergo evidenter apparet, quia ei communicant illi tantummodo et eum sibi praesulem poposcerunt, qui ejus, ut dictum est, vel antiquae[30]) sunt complices pravitatis, vel a communione catholica deviantes in ejus consortium transierunt, atque ideo incusabiliter etiam catholicos persequuntur.

18. Audivimus assidue et certa relatione cognoscimus, qui eidem

---

[28]) Simili Graecorum objectioni similiter obviat Gelasius epist. 3 n. 11, 18 n. 5 26 n. 5.

[29]) Scilicet Zenonis litteris a Felice epist. 1 n. 9 memoratis. Quibus concinit ipse Felix in Acacii causa epist. 14 n. 5 spondens, se *provisurum rationabiliter si cuncta convenerint, ut eorum, quos ordinavit vel baptizavit Acacius, salva confessione catholica ... nihil pereat;* similiter Gelasius epist. 3 n. 6.

[30]) Malim *antiquitus* pro antithesi sequentis verbi *transierunt.* — Similiter de persecutione episcoporum catholicorum memorat Gelasius epist. 26 n. 8, 27 n. 7, 8, 11. — Mox editi *cognovimus ... qui contra fidem ... perspiciuntur.*

Digitized by Google

communicare dicantur, qui ab ejus communione discreti sunt: qui eum contra fidem catholicam quotidie et contra apostolicae sedis praedicationem et contra Calchedonensis synodi constituta venire praespiciunt. Quod in tantum verum est, ut testes paternae vesaniae ejus, quos hic habemus, filios producamus. Denique omnes Aegyptii, qui diversis in hac urbe negotiationibus detinentur Petroque communicant, synodum Calchedonensem ejusque definita eatenus audire non possunt, ut nos cur ista tenemus audeant incusare. Apparet igitur ex discipulis, quae doceat hos magister, et ex genitis genitor nefandus agnoscitur. Palam certe solent pronuntiare, quod si audiant Petrum Calchedonensem synodum praedicare, ipsi eum anathematizare non differant; ubi satis apparet, cujusmodi eum doctrinam proferre testantur. Quaerimus certe de vobis, utrum Calchedonensem synodum sequendam putetis an non; si non sequendam, quomodo hanc vos litteris vestris tenere profitemini? Apparet ergo, non solum in catholica neminem vestrum definitione constare, sed ne in sua quidem professione consistere; proinde quemadmodum vobis credemus, fidem catholicam tenere jactantibus, quando etiam ea, quae scripto publicamini, non tenetis? Quodsi vestra professione constricti, Calchedonensis synodi constituta vos omnibus modis servare firmatis, simul etiam apostolicae sedis praedicationem[31]), quae in illa synodo relecta, tractata, suscepta est, vos suscepturos esse dicitis: quae omnia definita ex omnium retro pontificum, qui fuerunt a tempore Domini Salvatoris toto orbe terrarum, beatae memoriae papa Leo ad augustae memoriae Leonem subditis epistolae suae testimoniis approbavit. (a. 488—489.)

19. Si igitur antiquam fidem, et quae a sanctis patribus ad nos est transmissa, sectamini, si de incarnatione Domini Salvatoris haec nobiscum, quae illi sensere, sentitis, et a totius Ecclesiae doctrina nullatenus deviatis (quia neque prudentiores majoribus nostris sumus, neque nobis fas est aliter noviter usurpare, quam illi et didicere et docuere majores; ipsiusque Nicaeni[32]) concilii non magis nos intellectores expositoresque eruditiores sumus, quam illi tot tantique praesules venerandi vel intellexere sapienter vel praedicavere fideliter): hanc omnes sincera mente veroque corde in commune teneamus, et pax est. Regulas quoque, quas ab eisdem patribus

---

[31]) Est Leonis illa ad Flavianum epistola celeberrima (ed. Baller. ep. 28). Quae deinde memoratur ejusdem ad Leonem Augustum epistola testimoniis patrum instructa, in eadem editione epistola 165 est.

[32]) Eutychianos quaedam concilii Nicaeni capita pro sua pravitate detorsisse indeque fideles blasphemiae arguisse, etiam ex panoplia dogmatica qu. 11 n 2 resciscimus, quam clarissimus cardinalis Angelus Majus Nov. Patr. Biblioth. II 640 ss. edidit. Conf. etiam Diogenes Cyzicenus conc. Calched. act. 1.

Digitized by Google

(a. 488—489.) accepit Ecclesia, intemeratas habeamus, et pax est. Sint ergo haec apud vos certa, sint fixa, et nulla discordia est.

20. Quae si apud vos esse praetenditis, patimini sollicitudinem nostram paulisper ista discutere, quia quanto veriorem pacem habere volumus, tanto certiorem causam pacis desideramus agnoscere. Si haec apud vos intemerata perdurant, quid est, quod Petrum Alexandrinum ad fidem catholicam *correctum* dicitis et *receptum*? Abjecit ergo cuncta, quae his definitionibus obviant, et in hanc formam doctrinae catholicae toto corde transiit. Quid sibi isti igitur volunt, quos apud nos quotidie vociferantes agnoscimus, contra Calchedonensem synodum, contra apostolicae sedis praedicationem frementes atque frendentes? Qui si correcti sunt, tenent ergo illa, quae superius memorata sunt; si ea tenent, cur vehementer impugnant? Si illa profitentur, cur a catholicis, qui eadem perseveranti tenent professione, desciscunt? aut cur illi, qui veram fidem profitentur, ab istorum societate dissentiunt? Si eos unam fidem secum retinere noverunt, apparet igitur, hos, qui illa, quae ad fidem catholicam pertinent, palam impugnare non dubitant, qui a catholicorum professione dissentiunt, catholicos omnino non esse, atque ideo nulla ratione correctos. Quid? his cur communicat Petrus? Si istis in errore durantibus ille fidei verae examinatione probatus est et receptus, utique si correxit, ad illa translatus est, quae fidei catholicae convenirent, non in his remansit, quae ei probantur inimica. Cur talibus ergo communicat? Si illa manifeste profitetur, ad quae errore deposito eum transisse cognoscitur, cur ejus communicat inimicis? Itaque luce clarius probatur, non esse correctum sed in eadem pestilentia permanere, cujus sequacibus professoribusque communicat. Ecce igitur, etiam hoc ipsum, quod correctum vultis, videri[33]) falsum evidentissime confutatur. Quapropter licet, etiamsi correctus esset, correctoribus suis subdi debuit, non praeponi, quibus ab haereticis ordinatus nulla potuit praeesse ratione; etiam in hac parte convincitur, qua correctus obtenditur: quando his communicare, qui in pravitate perdurant, sine ambiguo reperitur, atque a nostra communione omnifariam merito justeque repellitur.

21. Ecce quam nobis justa causa suppeditat: etiam Acacium, qui hunc et juste retulit ante esse damnatum et postea nefarie in sua communione suscepit, a nostra communione discrevimus. Cum Acacio enim nobis fuit prisca communio; haec ut servaretur illaesa, per quinquennium[34]) fere monuimus, et licet nec rescribere digna-

[33]) Editi *videtur falsum et evid.* Deinde iidem *si etiam Acacium ... post eum.*

[34]) Editi *per quinquennium permonuimus.* Hic et apud Liberatum breviar. c. 18 Acacius *per quinquennium* a sede apostolica monitus esse dicitur, quum Gelasius epist. 12 n. 8, 26 n. 3 *per triennium fere* id factum perstringat. Differentiam hanc ipse Gelasius tract. I n. 8 dilucidat, ubi accuratius distinguens *per ferme trien-*

Digitized by Google

retur, nos tamen, ut catholicam fidem retineret, nunquam destitimus adhortari. Postremo legatis missis terruimus, blanditi sumus, praediximus comminantes, suadentes, obtestantes, damnationem praetendentes, ne communioni cederet perditorum: laborum suorum pro fide catholica primitus impensorum eum meminisse mandavimus[35]), et incitantes ad gloriam et a periculo deterrentes. Quae cuncta despiciens circumvenit legatos, ut veluti nobiscum se errare praetenderet, et haeretico atque damnato, quem id praecipue ipse retulerat, communione se miscuit. Donec ista cognoscerem, potuit mihi cum illo pristina manere communio; verum ubi hoc comperi, si non eum continuo a mea communione separassem, videretur mihi etiam cum jam praevaricatore nihilominus manere communio, et quae cum catholico fuerat, esse etiam cum eo, qui haereticorum consortium inire maluerat. Quod ne fieret, necessarium mihi fuit abrumpere communionem ejus et a meo consortio sequestrare. Ideo quippe necesse fuit hoc facere, quia catholicae fidei non erat tutum hoc omnino non facere. (a. 488—489).

22. *Sed imperator,* inquis, *necessitatem cum Petro communicandi imponit Acacio.* De hac necessitate et superius[36]) jam multa dicta sunt, et multa dicentur: quibus appareat, et necessitatem, si vera esset, sacerdotem pro catholica fide contemnere debuisse, et tolerare quidquid adversi est, dummodo ab integritate fidei catholicae nullatenus deviaret; deinde manifesta ratione monstretur, sic nullam necessitatem Acacio ab imperatore prorsus ingestam, sicut potius imperatorem satis claret ex Acacii cuncta fecisse consilio.

23. *Etiam ipse imperator,* inquis, *necessitatem habet ista faciendi.* Necessitatis causam interim non requiro; nulla tamen major est necessitas, quam divino cultui et religioni, unde omnia[37]) prosperantur, unde necessitas magis omnis absolvitur et cuncta adversa removentur, esse subjectum, nec ei aliquid omnino praeponere; quia non est utique, quod Deo debeat anteponi, quum ei jussi fuerimus nec animas nostras omnino praeponere. Illo enim despecto non modo nulla potest necessitas expediri, sed nec res quaelibet humana

---

nium vel amplius, ait, *sanctae memoriae papa Simplicius non desiit scribendo ad Acacium.* Unde tres circiter annos Simplicius, duo etiam Felix monuisse putandus est, antequam sententia ipsa ferretur, aut potius, ut saltem hic ponitur, Vitalis et Misenus legati mitterentur. — Simul hinc apertissime patescit, auctorem etsi personali nomine utentem (*monuimus, nunquam destitimus etc.*) tamen nomine sedis apostolicae loqui.

35) Est Felicis II epist. 2 (n. 6).

36) Scilicet supra n. 12, 13, et infra n. 25, 27, 31, 37.

37) Hoc quidem pluribus Felix II epist. 1 n. 3 sq. imperatoris animo proponit. — Mox ed. omitt. *non modo,* ac deinde legunt *et majorem prae omnibus causam esse.*

Digitized by Google

(a. 488—489). constare; unde apparet, majorem necessitatem, majorem prae omnibus causam cuncta eidem postponendi. Adde, quia nulla necessitas est, sed esse praetenditur; nullus jam non est[38]). . . . De exclusione Petri seditio vana proponitur; quippe quum et Timotheo haeretico pulso nemo resultare tentaverit, et eodem pro Petro consequenter ejecto nullus obstiterit. Falso igitur non fieri posse confingitur, quod exemplo earumdem rerum sine tumultu factum esse jam constat. Pecuniae causa non sit, et nulla necessitas est. Nam tumultus in sancti caede Proterii haereticorum irruptione commotus est, nunquam autem per catholicos ullus est tumultus excitatus: et convenit seditiones quorumcunque populorum publica auctoritate compesci. Itaque ut pravorum indulgeatur furori, qui levi metu perterriti conquiescere potuissent, religio divina subvertitur et Christi Ecclesia laceratur! Postremo hoc ipso, quod necessitatem esse praetendit, malum esse pronuntiat quod facit. Unde si ei est necessitas contra divina tendendi, mihi[39]) id operandi nulla necessitas: cavere debeo a malo, quod etiam tu fateris malum, dum necessitate te facere testaris invitum; immo mihi major necessitas est divini timoris et futuri judicii, ut caveam malum. Cur me in tuum nefas, quod necessitate geris, conaris attrahere, quum id subeundi nulla necessitas sit, immo, ut dictum est, non faciendi sit major[40]) causa majorque necessitas.

23. *Sed*[41]) *corrige me,* inquis, *et noli me a tuo consortio sequestrare.* Relinque malum, convertere ad bonum, revertere ad me, et correctus es et liberatus a malo et a me nullatenus separatus. *Sed non possum,* inquis, *et relinquere me non debes.* Tu doles, ut video, quia tecum ego non peream; sed ego doleo, quare mecum ipse non salveris. Si tantum apud te valet persona Petri, ut Deum contemnas, tu videris; me facere nec oportet omnino nec libet. *Quod potest fieri,* inquis, *hoc exige.* Et ego tibi dico: *quod potest fieri, hoc me posce.* Facilius enim fieri potest, ut homo postponatur Deo, ut homo refutetur magis quam Deus: quod si id non potest fieri, multo magis non potest fieri a nobis, ut refutato Deo homo eligatur; major nobis est causa, qua non possimus hoc facere, quam vobis, ut illud facere nolitis. Possimus dicere: *dicite omnes anathema Petro; quamdiu vivit, nolite illi communicare, et communicamus vobis; et quam rationem reddituri sumus Deo, si animas, quas ille perdit,*

---

[38]) Si suppleveris *pervidens* aut quid simile, jam nihil desideratur.

[39]) Simillime personam suam ab ejusmodi praetenta necessitate excipit Gelasius epist. 3 n. 15.

[40]) N[3] *nulla,* quod Maff. mutavit *alia,* nos *major.*

[41]) In sequentibus fere eadem argumenta apparent, quae ab Euphemio Gelasio oblata erant, ita ut vel eadem vox *descendere* repetatur; conf. Gelas. epist. 3 n. 7 seqq.

Digitized by Google

etiam nobis quodammodo permittentibus, assumat ut perimat? Quo me trahere conaris ad te, cur non potius revertaris ad me? Ibi perditio est, hic salus; ibi praecipitium, hic fida securitas; ibi deceptio, hic monitio; tu ad ista salutaria redire non vis, et me vis ad illa periculosa *descendere.* Nescio, si vel te judice debeam ista committere. (a. 488—489.)

25. *Sed Acacius,* inquis, *vi oppressus est et opprimitur, ut aut ad ista pervenerit aut ista non corrigat.* Vim quidem non pertulisse multis rationibus comprobatur, immo et docetur: quia si noluisset, non ad ista pervenerat; quin insuper suis litteris confutatur, quod ipsius consilio cuncta sint gesta, eaque velut divinitus inspirata [42]) collaudet. Sed etiamsi vim apud imperatorem ..... non per imperatorem insidiari legatis, quod nostrorum quoque legatorum professione jam dictum est. Quod si verum est, ille reus est; si falsum, gravamus istos etiam hoc insuper, quod supra praevaricationem tantum addidere mendacium. Sed quia hoc etiam ex litteris Acacii demonstratur, isti hoc non falso dixerunt; ita illius persona gravatur, quae noluit cum legatis nostris anniti, sed potius nostris est insidiata legatis. Certe vel retulisset hoc antequam communicaret, monuissetque illos, ne communicarent. Postremo etiamsi vi premitur, vim perferre debuit, non fide et communione calcata prodere perfidis et se miscere damnatis; sicut fecit sanctae memoriae Flavianus, et alii sub persecutoribus imperatoribus vel haereticis vel paganis, et nuper in Africa factum est. Quid enim? vim maximam illi non patiebantur? Et ideo vincebant patiendo vim, non violentiae cedendo. Numquid sub illis persecutoribus qui negabant Christum vel in haeresim transibant, a catholicis et Christianis non jure damnabantur? Numquid erat excusatio, quod vim passi persistere nequivissent?

26. *Unde ergo,* inquis, *lapsis remedia sunt provisa?* Bene: suscipio ergo eum, si placet, more lapsorum poenitentiam agentem tota vita sua, et in fine communionem [44]) sumentem, sicut de lapsis legitur constitutum; secundum hujus tenoris formulam ad Ecclesiam

---

[42]) Scilicet in epistola deperdita ad Felicem; conf. not. epist. Felic. II non exst. n. IX. In mox sequenti lacuna forte supplendum *pertulisset, debuisset ipse resistere.*

[43]) Et hoc quidem quasi excerptum quoddam ex Gelasii epist. 26 n. 11 exstat, ubi vel illud *nuper in Africa* plenius invenitur.

[44]) [seu [21]] Editi omitt. *communionem.* Fortasse hic ille synodi Romanae anni 487 canon (Felic. II epist. 13 n. 5) significatur, quo de episcopis, presbyteris et diaconibus lapsis constitutum: *usque ad exitus sui diem in poenitentia, si resipiscant, jacere convenit, nec orationi non modo fidelium sed ne catechumenorum quidem commodis interesse, quibus communio laica in morte redhibenda est.* Quamquam de lapsis *tota vita poenitentiam agentibus* etiam antea ab Ecclesia *constituta* edita sunt. Nam, ut alia omittam, notissimum est, primis temporibus pro certis criminibus a quibusdam omnino *negatam communionem, concessam* tantum *poenitentiam,* ut

Digitized by Google

(a. 488—489.) revocemus. Nunc autem si curatio Ecclesiae totius accedat, erit tanti (quia hoc pontificii[45]) est sedis apostolicae, et causa universalis curationis hoc videtur exigere), ut persona Acacii in sacerdotali possit honore revocari? Hoc ipso enim se ostendit non voluntate succubuisse et animum gessisse catholicum, dum curationi competenter insistit.

27. Quid, si vult et non potest, cur per imperialem personam ceteros opprimit? Si imperator, ut fertur, obediens est Acacio, potest; si obediens ei imperator non est, quamvis eum debuerit et debeat constanter viriliterque tractare, certe hoc ipso se fatetur contra catholicam succumbere veritatem. Itaque me ei in hoc statu rerum non miscèri communione, manifestum est. Non enim si ille premitur et adesse sibi non potest, ego oppressionis ejus et transgressionis complex esse jam debeo: sed quia donante Deo liber sum, servo saltem me incolumem, ut et si nunc non[46]) potest, quum Deus jusserit, sit qui valeat pro integritate communionis et fidei illis subvenire, qui integritatem communionis et fidei perdiderunt. Alioquin si omnes eam perdamus, quod absit, unde postea reparabitur, praecipue si in sedis apostolicae, quod nunquam Deus fieri sinat, fuerit temerata fastigio? Itaque si Acacius vim hominis sustinet, ut errata non corrigat, major[47]) mihi necessitas est divini metus et tuendae catholicae communionis et fidei, quolibet modo et qualibet conditione in errore positis nulla fieri ratione consortem, sed ab eorum me contagio servare prorsus immunem: quia si ille per vim habet excusationem, ego praestante Domino qui securus sum, ne per hoc quidem excusationem ullam habere jam potero, qui nulla praestante Domino, sicut dictum est, vi premor. Dimittantur ergo ista divino judicio, donec ipse, sicut saepissime experti sumus, libertatem reddat communioni catholicae atque fidei Christianae; et tunc de eis, qui in illius sunt errore, tractabimus; persona enim Acacii sine[48]) curatione totius Ecclesiae solvi non potest, per quam sauciata est omnis Ecclesia.

---

cum Innocentio I epist. 1 n. 6 loquar. Quod etsi deinde praeprimis Romanorum praesulum studiis et auctoritate concilii Nicaeni c. 13 mutatum est, ita ut in fine vitae nunquam reconciliatio denegaretur, tamen *de pondere aestimando delictorum* (itaque et poenitentiae tempore modoque) *sacerdotis erat judicare* (Innoc. I epist. 25 n. 10). Unde etiam postea saepe per totam vitam protracta poenitentia est: *quamdiu vivunt*, exempli gratia Siricius epist. 1 c. 3 de Christianis apostatis edixit, *iis agenda poenitentia est, et in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda.*

[45]) Ita iterum correximus loco *pontificis* (conf. supra not. 15). Ceterum etsi jam modo interrogationis negativae (quasi *num* praemitteretur) legatur locus, tamen aliqua ex parte mutilus esse videtur nec cum aliis satis cohaerere.

[46]) Ed. omitt. *non*.

[47]) Similiter supra n. 23 et in epist. 3 n. 7 et 13.

[48]) Sententiae adversus Acacium latae additum fuisse *nunquam solvendum*,

Digitized by Google

28. *Sed et tunc,* inquis, *Acacius tecum communicabat, quando Timotheus haereticus vel iste Petrus sub tyranno Basilisco Alexandrinam tenebat ecclesiam.* Vere dicis, sed his tunc Acacius minime communicabat, et in mea communione durabat. Unde potius si vim patitur Acacius, et nunc talem se debet exhibere, qualem se exhibuit sub Basilisco tyranno haeretico persecutore suo. (a. 488—489.)

29. *Sed nunc,* inquis, *utilitatis interest reipublicae.* Sed sacerdos allegare debuit, utilitatis interesse potius publicae, ut divina communio et fides integra servaretur. Utilis est reipublicae religionis eversio, et utilis non erit reipublicae religionis integritas? Nescio, si sunt ejusdem religionis, qui ista praetendunt, et si ejusdem religionis debeant homines ista praetendere[49]) . . . quem vellet de suis et sibi fidelibus subsistere sacerdotem, excluso Johanne, dummodo catholicum et communionis nostrae suspectis locis pateretur praesidere pontificem. Nonne evidenter haec res facit causam Johannis esse meliorem, dum eo excluso et haeretico subrogato non persona hoc meruisse monstratur, sed expugnatio fidei catholicae procuratur?

30. Nos[50]) non in Acacium ideo sententiam tulimus, quia homo est, quia Acacius[51]) dicitur, quemadmodum de quolibet haeretico dici potest; sed propterea, quia sit persona praevaricatrix. Itaque malefactum, quod in ea est, punitur irrogatione sententiae: quae praevaricatio, quod maleficium si recedat, jam non erit illa persona, in quam sententiam insolubilem proferre sum visus. Remanebit enim homo et Acacius, quem non damnat[52]), in quantum homo est et hominis nomine censetur, sed in quantum praevaricator et malefactor est.[53]) Si ergo desinat esse praevaricator et malefactor, cui

---

etiam ex Felicis II epistolis 6 n. 2, 14 n. 5, 15 n. 4 et Gelasii tractatu IV n. 6 seq. compertum habemus. Simulque ibi, ut hinc et ex sequentibus n. 35 et 39 resciscimus, *curatio totius Ecclesiae* quasi conditio solutionis posita erat. Similiter in sententia adversus Vitalem et Misenum adjectum est, *tamdiu eos fore suspensos, donec auctore Deo et adnisu catholicorum principum vel populi Christiani Alexandrina catholicum sacerdotem recepisset ecclesia* (Gelasii epist. 30 n. 8 et 9).

[49]) In lacuna hac cum Maffejo suppleverim: *Tolerari posset, si.*

[50]) Incipit explicatio illius sententiae, quae jam n. 27 breviter perstricta est, Acacium anathematis vinculo *nunquam solvendum* esse, quaeque deinde longius in tractatu IV disputatur. Haec quidem usque ad verba *et incipiunt esse quod non erant vel everti et plantari* codices F^2 H^8 in additamentis collectionis Hadrianae hac inscriptione minio notata proferunt: *Ex epistola beati Pape Gelasii ad orientales de vitanda communione Acacii, ubi datur intelligi nullum esse vinculum insolubile nisi circa illos, qui in errore persistunt.*

[51]) H^6 *ad acacius dicitur.* Mox editi *malefactum est, quod in eo est punitum;* P^2 H^5 N^3 sequimur.

[52]) H^8 *damna,* fortasse *damno* legendum; *damnat* scilicet *sententia insolubilis.*

[53]) Verba *est* usque ad *et malefactor* cum H^6 N^3 addimus. Deinde H^5 *poenitens* (alii *penitus*) ... *incipiat* (al. *incipiet*) ... *Sed incipiet* (al. *incipiente*) *esse.*

Digitized by Google

(a. 488—489.) sententia mea insolubilis est, jam in eo haec sententia mea insolubilis, remoto illo cui illata est, locum penitus non habebit: alter enim erit quam ille, cui illata sententia est, dum incipiat non esse quod fuit, vel non hoc esse, cui illata sententia est. Sed incipiente esse quod non fuit, vel hoc tantum incipiente esse, cui[54]) mea non est illata sententia, non remanebit omnino, ubi stet prolata sententia. Nam quamdiu in hoc manet, cui illata sententia est, vere insolubilis est illa sententia cum eo, cui illata est insolubiliter; quum autem hoc non erit, et[55]) si in eo non manserit, cum illo maleficio, cui illata insolubilis est, illa sententia sine dubitatione transibit. In isto ergo erit solubilis, immo nec erit, cui[56]) illata non est; immo ab hoc erit extranea et aliena, cui eam non constat illatam. Quia in Acacio maleficium et praevaricatio accepit illam insolubilem sententiam, non quod homo est, non quod Acacius nuncupatur; remoto ab eo maleficio, erit cum omni vi sua et causa remota sententia.

Matth. 13,15. *Ne*[57]) *quando*, inquit, *convertantur, et sanem eos.* Hoc de illis, qui *cor crassum habebant, et videntes non videbant et audientes non audiebant.* Numquid[58]) Deo inspirante non sunt ex iisdem Judaeis, de quibus Jes. 6,10. Matth. 13,15. dictum est: *videntes viderunt, audientes audierunt et corde crediderunt*? sicut apostoli et tot millia, quas *reliquias salvas factas esse* Rom. 11,5. testatur apostolus, qui hunc sensum ita tractat, ubi dicit: *nam et* 11,1. *ego Israelita sum.* In Scripturis autem invenimus et illatam interminabilem sententiam in plerosque peccatores, quibus tamen a peccato discedentibus sit remissa: et quosdam dictos *occidi* et *vivificari*, dum in his necatur quod fuerunt, et incipiunt esse quod non erant, vel *everti* et *plantari.*[59])

31. Si[60]) vi imperiali premitur Acacius, ut ista faciat quae facit,

---

[54]) Ita H^8. Editi cum N^3 *se cum ea non esset illata.* In F^2 totum usque ad *prolata sententia* deest.

[55]) Editi *etsi*, moxque F^2 *remanserit.*

[56]) *Cui* ad *in isto* respicit, quasi scriptum esset: *In isto erit solubilis, immo in isto nec erit omnino, cui etc.*

[57]) Ita ordinem ex omnibus codicibus (F^2 H^8 N^3) restituimus, quem Maffejus sic invertit: *In scripturis autem invenimus* etc. usque ad *everti et plantari.* Deinde inserens illud n. 34 *Triduum et Ninive* usque ad *misericordiam consequantur*, pergit: *Nequando inquit* usque ad *Nam et ego Israelita sum.* Porro simillima argumentatio in Gelasii tractatu IV n. 10.

[58]) Ita correxit Maffejus. F^2 H^8 N^3 *Numquid eo* (F^2 *Nam quod Deo*) *inspirante sicut ex iisdem.*

[59]) Hic desinunt F^2 H^8. Hucque Maffejus et sequentes transtulerunt illam sententiam, quam praevio codice N^3 demum n. 34 producimus: *Triduum et Ninive* etc. usque ad *misericordiam consequentur.* Etsi revera magis hoc loco illa convenirent, tamen ordinem codicis mutare noluimus.

[60]) Revertitur auctor ad idem argumentum, quod jam saepius tractavit (conf. n. 12, 13, 22, 25, 27). Ejusmodi repetitiones satis indicio sunt, totam

Digitized by Google

primum imperatorem contra fidem catholicam facere, ac per hoc non esse catholicum, ipse profitetur. Non est ergo, quare a nobis dici persuadeat, quod ipse depromit vel quod ipse testatur. Deinde hoc ipso, quo se vim pati perhibet, malum profitetur esse, quod facit, et contra fidem catholicam se agere demonstrat: cur ergo me hortatur et petit hujus rei complicem esse debere, quam fatetur esse perversam? Si autem malam non esse contendit, restat, ut non jam se vim pati ab imperatore persuadeat, quum sponte sua id faciat, quod bonum esse confirmat. Quum enim bonum dicit esse quod facit, sponte hoc se facere, tamquam quod putat esse bonum, sine dubitatione designat. Non ergo hoc compulsus facit Acacius, quod invitus non facit tamquam malum, sed sponte tamquam bonum. Si enim compulsus, utique invitus; si invitus, utique malum est; non ergo sponte facit, tamquam hoc bonum, sed tamquam malum invitus: si non invitus tamquam malum, sequitur, ut sponte tamquam bonum. Studio ergo et voto et voluntate et judicio proprio, non coactus; non ergo vim patitur, sed sponte delinquit. (a. 488—489.)

32. *Sed obstinatione vestra,* inquis, *in periculum causam totius Ecclesiae adducitis.* Si fides communioque catholica custoditur, in periculum religio venit vel periclitatur religio? Et si, quod absit, fides communioque catholica violatur, in periculum religio non adducitur vel salva religio est? Absit, ut hoc quisquam catholicus et apostolicae fidei filius dicat.

33. *Sed*[61] *apostolicae sedis dignitatem ista obstinatione minuitis.* Si fides communioque catholica servatur, dignitas sedis apostolicae minuitur, si illa violatur, sedis apostolicae dignitas manet? Absit, ut hoc Christianus catholicusque depromat. Si fides catholica et communio laeditur, respublica juvatur, et si illa salva sit, respublica laeditur? Absit, ut hoc Christianus et catholicus profiteatur. Si fides catholica et communio servetur, imperator laeditur, et illis violatis imperator non laeditur? Absit, ut hoc Christianus et catholicus imperator dicat, vel aliquis catholicus Christianus dicat debere fieri, hoc est: laedi fidem et communionem deberi catholicam, ne imperator laedatur, quia si servetur fides catholica atque communio, imperator laedatur. Nos imperatorem tantum amamus[62], ut velimus eum facere, quod pro salute ipsius sit, quod pro anima, pro conscientia ipsius est. Pontificibus catholicis etiamsi qua probatur,

---

epistolam quasi commentationis speciem esse, cui ultima manus nondum admota sit.

[61]) Eadem conferantur in Gelasii epistolis 10 n. 10, 12 n. 3, et recurrunt infra n. 41.

[62]) Similiter Zenonem monuit Felix II epist. 1 n. 1 et Anastasium Gelasius epist. 12 n. 4.

Digitized by Google

(a. 488—489.) relaxet offensam[63]); ipsius est, quod conscientiae, quod animae suae et saluti scit prodesse, facere; si non vult, quae in his sunt utilia facere, ipse viderit. Nos et apud eum et apud homines absoluti sumus; nam si apud eum etiam pro criminosis intervenire pontifices decet, quanto apud eum magis convenientius est pro sacerdotibus intervenire pontifices? Si pro sacrilegis ipse intervenit, quanto magis pro iis nos intervenire convenit, qui, sicut dicit, eum laeserunt?

34. Quid me vultis exaggerare praevaricationem Acacii damnationemque firmare, ut magis ac magis videar inconstans et meae contrarius esse sententiae? Ego si, quod absit, complex mali essem effectus, nunc remedio egerem, non remedium ministrarem; et sedes beati Petri, quod Deus non sinat fieri, aliunde peteret, non praeberet ipsa remedium. . . . *Triduum*[64]), *et Ninive subvertetur*; item de rege Ezechia, adjectis quindecim annis post denuntiationem mortis ad vitam; item de ramis fractis et inserendis; et de iisdem ramis: *si non permanserint in incredulitate, misericordiam consequentur.* Quare, quia sententiam tulimus in Acacium, indignamini. Quod nisi fecissemus, catholicam communionem ab haeretica et damnata communione, cui se hic miscuerat, discernere et tueri et inviolatam servare nullatenus poteramus. Quomodo nos compellitis, iterata[65]) quodammodo constitutione cum exaggeratione praevaricationis Acacii justam sine dubio firmare et congeminare sententiam? Numquid Misenus et Vitalis poterunt recipi, nisi dicant anathema Petro Alexandrino et omnibus, qui ei post anathema communicaverunt vel communicant? Damnabunt enim nobis definientibus iterum ipsi consequenter Acacium. Quomodo ergo eum vultis absolvere? An grave videtur semel damnatum Acacium, et bis damnatum non erit grave? An vultis sive per vos sive per nos videri vel dici sedem apostolicam circumventam fuisse? Ecce[66]) poposcimus vos; ecce

Jer. 45, 4. Psalm. 117, 13. Jon. 3, 4. Jes. 38, 5. Rom. 11, 17 ss. 23 et 31.

[63]) De hac quidem catholicorum episcoporum, quae praetendebatur, offensa imperatoris pluribus perstringit Gelasius epist. 10 n. 6, 27 n. 2 et 8. — Editi ibidem *etiamsi quae ... relaxetur offensa* (N[3] *qua ... relaxet offensa*). Mox editi *apud Deum* (ubi N[3] *apud eum*).

[64]) Ut jam not. 57 et 59 monuimus, hi scripturae textus a Maffejo et sequentibus praemissis verbis *et alia* ad finem n. 30 translati sunt. Codex eos hoc loco praebet, librario vitium loci litera *R.* (i. e. *require*) ad oram et signis †† ad finem scriptis lectori notante. Nec tamen, alterius codicis ope destituti, mutare quid quam fas duximus. Porro textus Jonae 3, 4 ibidem secundum Septuaginta et Theodotionis Symmachique interpretationes datur. Vulgata cum textu Hebraico: *adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.*

[65]) His quidem verbis nil aliud vult Gelasius, quam insulsas Graecorum voces refutare, qui Acacii simul et legatorum absolutionem postulabant. Horum quippe absolutionem, monet, necessario illius iteratam exaggeratamque damnationem includere. Sed in sequentibus n. 36 unam tantum Acacii damnationem praecessisse, id quod Valesius et Pagius negarunt, aperte docetur.

[66]) Haec quidem parum cum toto cohaerent et fortasse librarii incuria aliunde

Digitized by Google

scripsistis; ecce non dignatus est ille rescribere nec vobis nec mihi.[67]) Videtis obstinatam perniciem pravitatis: nonne et propter religionem et propter injuriam vestram debetis unanimes esse nobiscum? (a. 488—489.)

35. *Dicite nobis,* inquiunt, *utrum Vitalem et Misenum absoluturi sitis, an non.* Respondemus et quaerimus et nos a vobis, utrum eos salva fide et communione catholica et sedis apostolicae reverentia absolvi velitis, an non. Si salvis illis non vultis, non eos hoc modo vel hujusmodi ratione solvemus. *Sed promisistis,* inquiunt. Quod promisi legitur[68]); hoc nunc implere contendo. Promisi enim *deliberaturum, quomodo juste videantur absolvi;* hoc etiam nunc sine dubitatione promitto. Scitote ergo deliberationem nostram ad hunc modum esse perductam: quia istos absolvere non valemus, nisi ut juste nostra sententia ante tempus videatur esse laxata, nisi eos exoneremus praevaricationis pondere excusabilioresque[69]) reddamus, dignumque sit nostram in eos anticipare sententiam, quos minoris culpae probaverimus inventos: satisque esse dicamus, ex eo ipso, quod aliquid in sua desidia deliquerint, hucusque correctos et a sacra communione submotos. Ut autem eos relaxemus, circumventos deceptosque dicimus; sequitur, ut quantum istos levamus, tantum opprimamus Acacium. Neque enim jam vel istis aliud dicere vel nobis licet aliud aestimare, quam illum esse totius praevaricationis auctorem; siquidem id istorum confessio synodalibus dixisse teneatur in gestis. Itaque si assertionibus iteratis et professione geminata recentique tractatu atque decreto justam esse sententiam, quae in Acacium sit prolata, cum totius utique praevaricationis exaggeratione firmemus; vos reperite, quomodo postea possit absolvi, quem repetita quodammodo contestatione damnamus. Quemadmodum, inquam, molimur absolvere, totius vinculis praevaricationis obstringimus, et quem levare nitimur, toto pondere damnationis obruimus. Itaque aut isti exspectent, ut *curatione*[70]) *totius Ecclesiae* secundum sententiam liberentur, aut spondete nobis sub jurejurando, nunquam de Acacii absolutione quidpiam esse poscendum. Cur enim est, ut

---

huc translata sunt. Quae autem ibi memoratur pontificis ad episcopos Orientales pro monendo Acacio incitatio, cum illorum scriptis deperiit. Conf. notitia epist. Felic. II non exst. n. I.

[67]) N[3] *regi*, quod cum Maff. correximus. Deinde N[3] *solvantur*, ubi Maff. *salvemus*, nos *solvemus* correximus.

[68]) Et haec quidem episcoporum Orientalium pro Vitale et Miseno intercessio cum pontificis promissione deperiit; conf. notitia epist. Felic. II non exstant. n. XIV et XV.

[69]) Editi cum Maff. *curabilioresque ... Si autem, ut eos relaxemus ... jam velitis aliud dicere.* Mox pro *Quemadmodum* malim *Quem dum.*

[70]) Ut jam supra not. 48 monuimus, sententia in Acacium ita lata fuisse videtur, ut non nisi *curatione totius Ecclesiae* h. e. sublatione totius schismatis solvenda esset. — Mox N[3] *Cum enim*, et deinde editi *proditionis.*

Digitized by Google

(a. 488—489.) eum sic velitis absolvi, ut in omnibus et conscientiam nostram et famam faciatis exponi? Conscientiam, si absolvam, quem totius perditionis auctorem se ipse professus est; famam, totius mutatae sententiae. Nec potest dici, quod quum in istos tamquam in auctores malefactorum fuerit usque ad certum tempus[71]) promulgata sententia, ideo ab his retracta sit tamquam innoxiis, ut in Acacio usque ad id tempus, quod his fuerat praestitutum, quia auctor totius est mali, eadem qua in istos ratione servetur. Quia in Acacium, utpote in auctorem, insolubilem dixi meam fore sententiam, non certo tempore relaxandam; quam si denuo confirmo, definitionis suae tenore mansura est, ut non possit absolvi. Nec enim illic dictum est, *usque ad illud tempus*, sed dictum est, *nunquam* esse solvendam.

36. *Sed quum hoc*, inquis, *jam dixeris, tamen nunc eam moliris absolvere.* Sufficit vel semel dictae sententiae procurare solutionem: quid eam me vis meo iterare decreto? Si semel latam indignamini, cur geminare contenditis? Si semel prolatam absolvere videtur esse difficile, quid faciemus de geminatione sententiae? Forsitan et illic aliquid minus me cognovisse, quam dictum est, potero in semel prolatae sententiae resolutione tractare: quum eam geminata professione firmavero, quid me remedii vis habere? maxime si etiam eo tempore hanc confirmare demonstrem, quo nitor absolvere.

37. *Sed imperator vim fecit Acacio.* Hoc ego dicturus non sum, quia nec verum est, et accusare palam principem omnino non possum; certe vos estote hujus accusationis auctores. Si[72]) putatur absolvendus, qui in Deum deliquisse convincitur, quanto magis absolvendus est, qui in hominem dicitur deliquisse?

38. Si[73]) per id, quod dictum est in prolatae tenore sententiae, *cum adnisu principis Christiani vel populi* res esse curandas, et minus eorum obstinatione provenit, voluerimus causam Miseni Vitalisque tractare; aut istorum communione et consensione illi obstinati[74])

---

[71]) Ibi scilicet dictum est, *tamdiu istos fore suspensos, donec auctore Deo et adnisu catholicorum principum vel populi Christiani Alexandrina catholicum sacerdotem recepisset ecclesia* (Gelas. epist. 30 n. 8). — Mox editi *eadem quae in istos ratio ... eum moliris.* Deinde N[3] *metuis*, ubi cum Maff. *me vis* correximus.

[72]) Sequentem sententiam usque ad *deliquisse* a Maffejo ex textu remotam ex ms. huc revocamus. Quamvis cum antecedentibus parum cohaereat, tamen archetypum reddidisse satius visum est.

[73]) Ita N[3]. Editi *Per id ... curandas, hoc minus ... provenit. Si voluerimus ... tractare quorum communione.*

[74]) Ita Acoemitenses Felici retulerant, *ante adventum quidem Vitâlis et Miseni in urbem regiam Petri nomen in sacris diptychis occulte recitatum, exinde vero publice recitari coeptum* (Evagr. III, 20). Qui licet statim monuit epist. 10 n. 1: *nullus per tale commissum* (scilicet legatorum) *sit immemor sui, nec nos aestimet in apostolicae traditionis defensione deficere;* tamen mox audivit, *nonnullos ex monasteriis* (Constantinopoli) *esse deceptos atque ad inimicos Dei transisse.*

Digitized by Google

sunt redditi, et istos oneramus, quos putamus absolvi, itemque (a. 488 — 489.) istorum exaggeratione peccati sententia nostra fit irrevocabilis a tempore praestituto. Sic enim de istorum receptione tractandum est, ut conscientia nostra et existimatio, quorum interest maxime, in sententiae suae revocatione curetur, et juste nos eam ante tempus revocasse vel remisisse doceamus: ut etiam consolemur eos, qui in fide catholica perseverant, de [75]) istorum communicatione probantes, non nostro eos tunc communicasse mandato, nec eorum communioni praebuisse consensum, et secum nos in fide catholica perdurare. Et ideo ipsi quoque nobiscum nituntur esse constantes. Quodsi istis sine aliquo colore justitiae ante praestitutum tempus sententiam relaxatam audierint, ex nostra voluntate eos communicasse crediturі sunt; et hoc, quod suspendere visi sumus, fortasse simulatorium ad excusationis umbram, et nos transgressores merito judicabunt: ipsique aut deficient et illorum communioni se tradent, aut jure nos damnabunt tamquam communionis alienae vel catholicae violatores communionis.

39. Quomodo ergo ista curentur, justa ratio est quaerenda. Quae nulla est alia, nisi ut isti releventur et excusentur, quos volumus ante constitutum tempus absolvi, justaque videatur nostra remissio; hoc autem fieri potest, si in Acacium cuncta transgressio transferatur. Quod et illi ipsi, qui in fide catholica perseverant, magis fieri ardenter exspectant; in illum enim plus saeviunt quam in istos, tantique habebunt istos relaxari, dummodo in illum, tamquam auctorem praevaricationis, omnia audiant malefacta transferri. Quod quum fuerit, sine dubitatione subsequitur, ut justa sit poena, id est justa damnatio, quae ei pro his videatur inflicta: quae damnatio in sui tenore insolubilis esse monstratur. Itaque fit persona irremediabilis Acacii in exaggeratione criminis et conventione vindictae. Nam si *curatione totius Ecclesiae* persona Acacii liberetur, et isti secundum sententiam nostram erunt modis omnibus absoluti: ita hoc genus [76]), quod supra diximus, quia non adnititur imperator aut populus, alterutram partem non expedire poterit, sed gravare. Unde nonnisi illo solo modo rebus remedium providendum est, ut prius de absolutione agatur Acacii cum totius dumtaxat Ecclesiae sanitate, et sic istis sit suo ordine relaxatum. Si Acacius autem modis omnibus absolvi noluerit, istorum persona illius aggravatione levabitur, eo magis, quod et oblatum sibi Acacius respuisse convincitur, et nostra erit excusata sententia, et de istorum absolutione ante tempus impensa et de illius cum exaggeratione criminis da-

---

[75]) N[3] perperam *de istorum excommunicatione probantibus ... quod istis sine ... relaxatam ex nostra voluntate.*

[76]) Scilicet *sententiae nostrae, qua Vitalis et Misenus constricti sunt.*

Digitized by Google

(a. 488—489.) mnatione firmata. Ideo illi perstant in fide catholica, qui in Oriente persistunt, quia a me eam defendi vident et animantur ex me: alioquin aut et illi corruent me faciente, aut si me, quod absit, decidente illi perstabunt, apud Deum hominesque me jure damnabunt. Illi me etiam sub persecutione positi non deseruerunt; ego illos sine persecutione deserturus sum? Quid Deo, quid hominibus inde dicturus? Possum illi dicere, aliter me damnationem in Acacium non firmare potuisse, nisi ut Vitalem et Misenum absolverem illius exaggeratione peccati; ut autem Acacium exaggerato ejus malo postmodum cogar absolvere, quid ei sum rationis, quid negotii redditurus?

40. *Sed*[77]) *si per Acacium curatur omnis Ecclesia,* inquis, *est tanti unius hominis absolutio, est tanti quovis tempore et quandocunque unius hominis absolutio?* Sed meae interest conscientiae, et meae levitatis opprobrium[78]). Nam si per Acacium curatur Ecclesia, hoc ipso docetur, quia quae potuit per hunc curari, id est eo correcto, per hunc etiam laesa videatur, quum potuerit illo non peccante non laedi. *Sed si istorum,* inquis, *pondus in Acacium jactaveris, istos recte absolvis: quum item Acacius egerit, ut curetur Ecclesia, Acacium convenienter absolves.* Si in hoc spes est, cur eum damnationis pondere me urgere compellis, quem posse vel debere testeris absolvi? Esto, hi absolvi possint Acacii pondere, me quare vis eum onerare, quem nitor absolvere? *Quia aliter,* inquis, *istis non potest subveniri:* at per hoc aut illum vis obrui aut me exponi.

41. *Sed privilegia,* inquis, *vestra hac obstinatione minuitis.* Igitur ne minus juris habeamus, efficiamur haeretici, et ne amittamus ecclesiasticae privilegia potestatis, amittamus ipsam religionem: ne minor sit dignitas apostolicae sedis in paucis, erret in multis? Nescio, si quis dicat falsitatem sequendam potius esse cum plurimis, quam veritatem servandam tuendamque cum paucis. An ideo falsitas non erit falsitas, quia cum multitudine tenetur? Ideo veritas non erit veritas, quia habetur in paucis? Quum veritas non in multitudine sed in quantacumque sui parte vel portione consistat, religio autem nonnisi in veritate sit fixa, privilegia vero ejus nonnisi in eo constent, ubi est firma ipsa religio. An veritas si in paucis fuerit, veritas non erit, et falsitas in multis non erit falsitas? Falsitas in multis major est error, veritas in parvo nullum sustinet detrimentum, quia in quantacunque sui parte veritas fixa consistit; et[79]) et sicut multitudo non efficit, ut falsitas non sit falsitas, ita nec parvitas efficit, ut veritas non sit veritas. Sunt

[77]) Si recte intelligo, hoc sibi ista objectio vult: *Quod id attinet, ut Acacius non aliter solvendus dicatur, nisi per ipsum curetur omnis Ecclesia, nonne iniqua talis conditio, num tanti unius hominis absolutio est?*

[78]) Ed. addunt *agitur.*

[79]) Similiter Nicolaus I in epistola ad Michaelem imperatorem (Migne Patr. lat.

Digitized by Google

innumera exempla, quibus doceatur, in multis falsitate grassante in paucis constitisse veritatem. (a. 488—489.)

42. *Sed abominamur hoc,* inquis. Quid igitur faciemus? Ne veritatem teneamus in paucis, erremus in multis? *Absit,* inquis. Respuamus ergo vel cum plurimis falsitatem, dummodo teneamus vel in paucissimis veritatem. Nonne toto mundo falsitatem tenente, in apostolis ita constabat Ecclesia, sicut mandabat et veritas? Nonne toto populo deerrante in septem millibus apud Israelitas mansit Ecclesia? Et si cuncta curramus, invenimus innumera: nonne scriptum est, *arctam et angustam esse viam, quae ducit ad vitam, latam spatiosamque quae tendit ad mortem?* 3 Reg. 19, 18. Matth. 7, 13. 14.

43. *Quid, quod illi,* inquies, *dicunt se tenere quod rectius est.* Interim jam falsum erit, quod se fatentur id tenere quod nos; si enim melius tenent, aliud tenent. Jam consequens est, ut se probent melius tenere quam nos. Si melius tenent, abstineant se a me, qui male teneo: corrigi ad fidem et sequi quod melius est, voluntate debet venire, non vi. Ego illi molestus non sum, ille mihi quare molestus est? Ego ut me corrigat non peto; non petenti quid ingerit, quid se infert invito? Si nullam meam putat esse sententiam, contemnat illam; quid tantopere poscit eam[80]) absolvi? Si poscit absolvi, et esse alicujus utique momenti non dubitat, et justae damnationis esse confirmat, qua se teneri declinat obstrictum. Itaque fateatur errorem, cui est illata sententia; deponat errorem, et vacua sententia est. Si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se absolvi non desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum; si vero ea se judicat obligatum et poscit absolvi, utique non praetendit injustam, quae eum potuit obligare, atque ab eadem poscit absolvi, quia non potuit obligare nisi justa. Justa autem si est, nonnisi damnato errore justa cognoscitur. Itaque de[81]) absolvenda justae obligatione sententiae errorem fateatur: ponat errorem, quo eum ligatum tenet justa sententia; eo sublato obligationis causa resolvitur.

Epistola 2.

Gelasii papae ad Laurentium de Lignido. (a. 496.)

Ad pontificatum recens assumptus pro medicina quadam orthodoxiae et de more decessorum suorum fidei formulam ad ecclesias mittit.

1. In prolixitate epistolae dilectionis tuae etc. [*est Anastasii II papae epistola* 3, *ubi videsis.*].

t. CXIX col. 945): *numerus pusillus,* ait, *nec obest, ubi abundat pietas, nec multiplex prodest, ubi regnat impietas;* et *non multitudo sed causa damnationem vel justificationem adducit.*

[80]) Editi omitt. *eam,* moxque add. *non* (ante *declinat*).

[81]) Ed. *ad solvendam ... obligationem.*

Digitized by Google

Epistola 3.

(a. 492.)

Gelasii papae ad Euphemium.

Euphemii blandas insinuationes declinans (n. 1—7) et causas pro defensione Acacii prolatas diluens (n. 8—11), religiosus pontifex concordiam ecclesiarum nonnisi p. 25
hujus Acacii sicut omnium damnatorum communione abjecta restitui posse ostendit (n. 12—15), idque ut fiat sub timore divini judicii instat (n. 16).

Dilectissimo fratri Euphemio[1]) Gelasius.

1. Quod plena[2]) cupimus atque sincera fidei communionisque catholicae redintegratione firmari, asserit tua dilectio: quod alteri solus non sufficit[3]) auditus, nisi per litteras spectaverit significantiam provocantem de his, quae circa nos dispensatio divina perfecit, ut sic in secundis vicem salutationis impenderem. Non arbitramur, vel dilectionem tuam vel aliquem sic hoc sperare potuisse, ut puta-

---

[1]) N[3] *Euphimio* (et in inscriptione *ad Ephimium*), F[d] F[m] *Eufymio*; c[1] *Euniſimio*, a[1] cc *Euphemiano* praeter mss. fidem et omnium antiquorum scriptorum auctoritatem. Hi praeterea Euphemium orthodoxae fidei studiosum fuisse magno consensu tradunt. Docet nominatim Evagrius h. e. III, 23, eum acceptis Petri Fullonis ad Flavitam litteris, in quibus Calchedonensi concilio anàthema dicebatur, inde vehementer conturbatum sese a Petri communione segregasse. Addit Theodorus lector h. e. lib. II (ed. Vales. p. 558), eumdem Anastasii imperatoris electioni intercessisse, nec alia ei conditione praebuisse assensum, nisi scriptum ab eo accepisset, quo *profiteretur, se pro defensione fidei amplecti ea, quae in Calchedonensi synodo decreta fuerant.* His Victor Tununensis, Marcellinus comes ac Theophanes concinunt. Si eidem Theophani (pag. 209) habenda fides, *synodales Euphemii litteras Felix accepit et ut catholico communionis impertiit consortium. Haud tamen episcopum agnovit, quod Acacii ac Flavitae ejus successoris nomen e diptychis non expunxerit.* Sed ejus de impertito communionis consortio valde suspectum est testimonium. De eo quidem, cujus orthodoxam probabat fidem, bene sperare potuit Felix; sed quem comperit cum iis, quos ipse damnaverat, communicantem, ei suam communionem impertiri non potuit. Id porro firmat et haec Gelasii epistola. Quamquam orthodoxa Euphemii fides, ut Cyrillus in vita s. Euthymii (ap. Surium c. 69) narrat, etiam episcopum Hierosolymitanum induxit, ut Palladio Antiocheno et Alexandrinis, quod Calchedonensem synodum anathematizarent, exclusis ejus unius communionem amplexaretur.

[2]) b *plana*, vulg. cum O[2] *plene*. Sequimur F[d] F[m] K[1] K[3], quibus suffragatur quum illud Felicis II epistolae 14 n. 2, quae Gelasio in archetypo tribuitur: *communionem quidem nostram contristati distulimus, quam remotis dubietatibus optabamus plenam fidei*, tum istud ejusdem Felicis epist. 17 huic prorsus simile exordium: *Quod unitatis ecclesiae plena cupimus redintegratione firmari.* Nitidior esset oratio in hunc modum: *Id asserit tua dilectio, quod plena cupimus etc.*

[3]) Editi *sufficiat*. Mox F[d] F[m] *expectasset* et omitt. *aliquem — nos vel;* K[1] *spectasset;* tum b *significationem provocatam* additque explicationis ergo: *hoc est, reddens certiorem eum, qui antea litteris provocaverat.* Is fere sensus videtur: *Asserit dilectio tua, quod alteri solus non sufficit auditus, de his scilicet, quae circa nos dispensatio divina perfecit (ad apostolicum videlicet nos thronum extollens), nisi per litteras spectaverit ea sibi significari: provocans me significatione provocata, ut sic in secundis saltem vicem salutationis impenderem.*

Digitized by Google

ret nos vel aliquempiam potiorem, quae sunt gesta referentes, de- (a. 492.)
buisse responsa promereri[4]): quia nimis judicaretur arrogans, si de prima sede taliter existimasset. Quodsi, ut magis opinamur, quasi sociis, quibus praeesse Christi munere delegata[5]) est, apostolicam sedem institutum sibi noviter sacerdotem praeeuntibus oportuisse dixisti litteris indicare: fuit quondam ecclesiastica vetus haec regula apud patres nostros, quibus una catholica apostolicaque communio ab omni praevaricatorum libera pollutione constabat. Nunc autem quum societatem praeferre malitis extraneam, quam ad beati Petri purum redire illibatumque consortium, *quomodo cantabimus canticum* Ps. 136,4.
Domini in terra aliena? Quomodo dispositionis apostolicae antiqua foedera praebeamus hominibus communionis extraneae? Quemadmodum vobis ordinationem renuntiatura est, cui vestro etiam testimonio haereticos damnatos[6]) praeponitis?

2. Dicet forsitan tua dilectio: *cur si fas non est praesentibus, saltem litteris colloquamur?* Quia aliter appellamus dominicae mensae participes, aliter qui in ejus nobiscum societate dissentiunt: quia et ipse Dominus alio modo verba faciebat a sua praedicatione discretis, alio discipulis regni coelestis secreta pandebat, consequenter quoque et apostoli non ita a suo collegio separatis, quemadmodum fidei domesticis consortibusque loquebantur.

3. Sed ait dilectio tua, *tantum circa me sese caritatis habuisse, ut non solum ad scribendum fueris contentus, sed affatus*[7]) *audire.* Legisti sententiam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei,* Rom. 10,17. illud scilicet verbum, quod confessioni beati apostoli Petri *portas inferni nunquam praevalituras* esse promisit. Atque ideo rationabiliter Matth. 16,18. existimasti, quia fidelis Deus in verbis suis non, nisi aliquid tale promisisset, institueret[8]), unde sponsionis suae promissionem impleret.

[4]) o^9 *promere*, alii cum mss. *promereri*: h. e. quum Romanus pontifex praesulibus aliis ordinationem suam et quae in ea gesta sunt refert, sicut quum quispiam potior subditos de collata sibi dignitate certiores facit, id praestare non sic putandus est quasi inferior, qui si huic defuisset officio, nec illorum scripta ceterave officia promereretur. Moris hujus, quo recens creatus pontifex Romanus ceteros episcopos de ordinatione sua certiores facere solet, jam s. Cyprianus epistola ad Cornelium (Cornel. epist. 2 n. 3) meminit. Eum inductum opinamur, ut quisque de novi pontificis creatione hujus ipsius testimonio certior factus nec falleretur incerto rumore, nec diutius de dubiis vacillare cogeretur.

[5]) Ita mss. et c^1, scilicet *sedes apostolica.* b c^4 seq. *delegatum est.*

[6]) F^d F^m O^2 *damnatosque.* N^4 e regione horum ad marg. notat: *haereticos damnatos dicit Petrum et Acacium.* Quae a F^d F^m (*dici*) et posterioribus editoribus, uno Harduino excepto, in textum post *tua dilectio* inserta prorsus inextricabilem sententiam effecerunt.

[7]) O^2 b c^7 c^9 c^{10} ita; K^1 c^1 *affectu*, a^1 c^2 *affatu*, K^3 omittit prorsus. Post verbum autem *audire* supplendum *desideret.* F^d F^m *ut solum ad s. f. c. affectu audire. Lege*

[8]) Ita K^3 O^2 c^1, editi *instituere*, F^d F^m K^1 *instituit.* Deinde c^1 c^3 *unum*, a^1 b c^7 c^{10} *verum*, ubi F^d F^m K^1 K^3 O^2 c^9 *unde.*

Digitized by Google

(a. 492.) 4. Ait denique tua dilectio, nos[9]) *divinae providentiae gratia, quod ille monstraverit, sanctarum ecclesiarum se non deserere caritatem*, quia me in pontificali sede locaverit *non indigentem*, sicut ait, *doceri, sed intendentem omnia necessaria ad ecclesiastici corporis unitatem*. Ego quidem sum omnium hominum minimus, satis immeritus tantae[10]) sedis officium, nisi quod superna gratia semper operatur magna de parvis. Quid enim de me sentiam, quum hoc ipsud[11]) de
1 Cor. 15, 9. se magister gentium testetur, qui se *ultimum et non dignum vocari apostolum* profitetur? Verumtamen, ut ad dilectionis tuae verba redeamus, si veraciter assecutus es haec divinitus mihi fuisse collata, quae et profecto quaecunque sunt bona, dona sunt Dei: sequere ergo hortamenta *non indigentis doceri*, et secundum supernam dispositionem *universa circumspicientis*[12]), *quae ad ecclesiarum pertinent unitatem*, et *adversus diabolum conturbatorem verae pacis atque compagis*, ut asseris, *fortiter resistentis*. Si ergo de me ista pronuntias, aut sectanda tibi sunt, quae a Christo perhibes constituta, aut palam te, quod absit, Christi dispositionibus obviare depromis, aut, da[13]) veniam, lusorie de me cognosceris ista jactare.

5. Sed consequenter adnectis, *condescendibilem me et optima dispositione revocare posse concordiam*. Proinde, quoniam isto verbo frequenter utimini, quid sibi velit, explorem. Optima enim illa est Ecclesiae catholicae atque apostolicae dispositio, quae[14]) docet ad meliora proficiendo conscendere, non ad inferiora descendendo deficere. Quum autem dicis *condescendere* nos debere vobiscum, interim

---

[9]) Ita c^1 c^9 cum mss. Alii omittunt *se*. Est constructio anacoluthica clarior in hunc modum: *nos divinae providentiae gratia, ... caritatem, in pontificali sede locatos. F^d F^m denique nos div. prov. gr. tua dilectio quod inde monstr.*

[10]) Ita mss. et c^1; *ad tantae* c^2 c^7 c^9 c^{10}, *-officio* F^d F^m.

[11]) Ita F^d F^m K^1, *ipsum id* K^3, *ipsi id* O^2, *ipse id* c^1, alii editi solum *ipse*. Porro *ipsud* non secus atque *illud* et *istud* antiquis usitatum fuisse, ex veteribus codicibus satis liquet.

[12]) Vulg. *cunctaque inspiciendis*. Praeferimus cum F^d F^m *circumspicientis*. Al mss. *circa inspicientis*, sicut infra n. 11, ubi obtinet *quid circumspicitis*, K^1 similiter *quid circa inspicitis*. Mox b c^7 c^9 c^{10} *resistentis*, ubi alii *resistentem*.

[13]) Ita F^d F^m c^9 (K^1?); alii et O^2 *aut ad veniam* (ad marg. *venam*) *luxuriae*. Moxque magis placeret *condescendibili me et optima*. De ejusmodi *condescensione* (συγκατάβασει) ob Ecclesiae pacem nonnunquam perutili optime disputat s. Cyrillus Alexandrinus in epistolis nuper ab em. cardinali Angelo Majo (*Patr. nova biblioth.* II, 106 editis, unde forte Euphemius locutionis suae ansam arripuit. *Verisimile quippe est*, explicat, *quosdam ad communionem non receptos, quum se negligi videant, inconsulte ad aliud quid se convertere ... Quamobrem*, pergit sequenti epistola l. c. pag. 107, *constat, haud summo jure agendum esse cum iis, qui converti volunt ... Sufficit enim, ut hi profiteantur sic: „anathema dico illi haeresi ..." Nam durae saepe collisiones*, deinde pag. 108 addit, *multos ad impudentiam impellunt, meliusque est blande potius sustinere resistentes, quam juris acumine molestiam ipsis creare.*

[14]) Ita F^d F^m K^1 c^9, nisi quod c^9 postea cum aliis *condescendere*. K^3 O^2 *quae novit*, c^1 *quae ad*, a^1 b c^7 c^{10} *dispositio ad*.

Digitized by Google

jam vos aut descendere aut descendisse monstratis. Unde, quaeso, (a. 492.)
vel quo ista descensio est? Utique ex superiore quodam loco ad inferiora quaeque deponens[15]). A catholica apostolicaque communione ad haereticam damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: et non solum vos in infimis jacere delectat, sed etiam in superiore manentes sede vultis impelli. *Condescendere* nos vobiscum invitatis ad ima de summis, nos *coascendere* vos nobiscum rogamus ad summa de imis. Nunc igitur sub conspectu illius excelsae justitiae judicet genus humanum, quis nostrum debeat alteri obedire.

6. An dicis, ut cetera nunc omittam: *descendit Dominus ipse de coelo?* Descendit plane, sed ut hominem ab errore liberaret, non ut ejus misceretur errori. Nonne ipse praemonuit, ut *qui in tecto consisterent, non descenderent* nec ad ea, quae in domo videntur esse, tollenda? Nonne pro omnibus apostolus clamat unus, *qui plus omnibus laboravit,* quum de custodia veritatis ageretur: *quibus nec ad horam cessimus subjectionis gratia, ut veritas Evangelii permaneret apud vos?* Videtis coelestem magistrum condescendere noxiis recusantem. Postremo faciamus aliquem corruisse, ad quem benignissime sublevandum paululum quispiam velit inflecti. Ergo, ut erigatur jacens, miserantem convenit inclinari[16]), non ut cum eodem praecipitetur in foveam. Igitur per litteras, quas per Syncletium[17]) diaconem destinastis, de his quos baptizavit, quos ordinavit Acacius, majorum traditione confectam et vestrarum praecipue regionum sollicitudini congruam praebemus sine difficultate medicinam. Quo nos vultis

Matth. 24, 17.

1 Cor. 15, 10. Gal. 2, 5.

---

[15]) Ita F^d F^m K^1 K^3 O^2 a^1 c^9, h. e. *ea utique, quae deponat atque dejiciat.* b *depositos,* c^7 c^{10} *deposito* et ad marg. *depositio,* c^1 c^2 *deponitis.*

[16]) *Nemo enim,* inquit Prosper sent. 317 (secundum s. Augustini epist. ol. 268 nunc 11 n. 4) *quempiam erigit ad id quod ipse est, nisi aliquantum ad id, in quo est ille, descendat.* Sed nulli descendere ita licet, ut vel erroris vel peccati labem admittat.

[17]) Ita F^d F^m c^9; al. *Sinclitium.* Deinde c^1 *et veram praecipue religionum sollicitudini vestrae congruam,* ubi c^2 omitt. *vestrae,* b seq. *religiosae sollicitudini.* Sequimur $O^2(K^1K^3?)$; F^d F^m *sollic. vestrae c. pveremus.* Quaenam vero sit illa medicina, quam Gelasius pollicetur, ex Felicis II epist. 14 n. 5 comperimus, quae ut diximus Gelasio adscribitur, quia revera ab ipso scripta: *Nobis Deo inspirante provisuris rationabiliter, ut scripsimus, si cuncta convenirent, ut eorum, quos ordinavit vel baptizavit Acacius, salva confessione catholica pro caritatis redintegratione nihil peteret.* Hanc medicinam ait Gelasius *majorum traditione confectam,* utpote concilii Nicaeni decretis circa Novatianos Africanorumque statutis in concilio Carthaginensi circa Donatistas, ut alia mittamus, consentaneam. Addit *praecipue regionum vestrarum,* quia in Oriente habitum fuit Nicaenum concilium, atque Orientales erga eos, qui haereticorum contagio polluti fuerant, recipiendos semper indulgentiores exstiterunt. Vide Innocentium epist. 3 n. 3, 16, 17. cap. 3 et 5. Quam autem Felix aperte, Gelasiusque correctis non minus certo promittit indulgentiam, hanc et eorum successor Anastasius II epist. ad Anastasium imperat. n. 8 confirmat.

Digitized by Google

(a. 492.) ultra descendere? Quid tacetis? Quid verecundamini verbis exprimere, quod corde gestatis? Ipsa vos saltem verecundia, quam[18]) iniquum sit, debuit commonere. An forsitan, ut haereticorum damnatorumque et his vel eorum successoribus communicantium nomina consentiamus admitti? Hoc non est condescendere ad subveniendum sed evidenter in inferna demergi.

7. Parcite, quaeso, et nobis et vobis. Quodsi curam vestri adeo non habetis, date veniam nobis. Dolere et flere possumus et debemus: in haec abrupta deduci nec possumus nec debemus, quia praestante Deo nostro sinceram puramque paternae traditionis fidem communionemque retinere, et ab omni praevaricatorum contagione discretam, etiam intentato periculo mortis, optamus: eligentes, si velit Deus, hic[19]) quaelibet illa perpeti, quam causam incidere damnationis aeternae. Date, inquam, veniam, si[20]), quum vos propter amorem cujuslibet hominis vel timorem haec libenter incurritis, nos propter amorem Dei et timorem gehennae talia refutamus. Nec vos credatis dissimulando causas atque personas quibuslibet[21]) amicitiis posse subrepere: quia neque vos ita subtiles estis, qui non possitis intelligi, et nos praestante Deo nostro non reperitis incautos. Nonne missis huc saepe litteris indicastis, cum ceteris haereticis vos Eutychen quoque respuere? Hoc si verum est, aut eos, qui communicaverunt Eutychetis successoribus, pariter abdicate, aut aliorum quoque haereticorum successoribus communicantes admittite.

8. Sed *Acacius,* inquis, *nihil contra fidem, sicut Eutyches et successor ejus, legitur ubicunque dixisse;* quasi non sit deterius, et non ignorasse veritatem, et tamen communicasse veritatis inimicis. Si enim, quum aliquis recte sapiens de fide catholica communicet illis haereticis, inter quos Eutychetem posuistis, vel succesoribus eorum, non est fas eos inter catholicorum altaria nominare: ita[22]) ergo nec illius Eutychetis successoribus communicando simili sorte tenetur
Ps. 54,16. obnoxius? De talibus quippe convenienter dicitur: *descendant in in-*
Rom. *fernum viventes,* qui dum illa vita, *qua justus vivit,* vera atque catho-
1,17. lica putantur vivere, repente aut in prona pravitatis aut in haereticae communionis inferna verguntur.

Matth. 9. Ecce quales Christo dicitis esse praeponendos, quum ille
10,39. Luc. nec animas nostras sibimet praecipiat anteponi. Immo et adhuc
14,26.

---

[18]) Ita F^d F^m K^1 K^3 O^2. In vulgatis *quod nonnunquam fit.*

[19]) Particulam *hic* addimus auctoritate mss.

[20]) Ita mss. et c^1; alii editi *si tamen.*

[21]) In vulgatis *cujuslibet*; rectius in mss. *quibuslibet* scilicet *amicitiae indictis.* Deinde F^d F^m O^2 c^1 *subripere.* Deinde in F^d intermedia a *praestante Deo* usque ad illa n. 11 *cedere veritati* exciderunt.

[22]) F^m c^3 Ita *ergo nec,* alii editi *ergone,* c^1 *itane ergo.* Mox F^m K^3 O^2 *vergitur,* K^1 *vergantur,* vulg. *vergunt.*

Digitized by Google

quaeritis, *quando fuerit damnatus Acacius?* Quasi revera, etiamsi eum nullus ante damnasset, non debuerit orthodoxae et apostolicae communionis, cujus praevaricator exstitit et desertor, participatione secludi; sicut etiam quilibet, qui fuerit ante catholicus, cuicunque haeresi communicans, merito judicatur a nostra societate removendus, sut in tali sorte defunctus, inter catholicorum nomina nullatenus computari. Miramur tamen, quomodo ista profertis: hoc est, ut et synodum Calchedonensem vos suscipere pro fide catholica profiteamini, et eos, quos damnavit sectantium communicatores, non pariter[23]) generaliterque putetis fuisse damnatos. Ostendite ergo, quae synodus in unaquaque haeresi non[24]) cum erroris auctoribus successores eorum his communicantes simulque omnes damnarit et complices. Itaque ille vester Acacius, qui Eutychianis haereticis detestabili communione factus est particeps, ab eadem synodo sine dubitatione damnatus est, quae et Eutychen Dioscorumque cum successoribus eorum hisque communicantes synodico tenore prostravit. (a. 492.)

10. Sic[25]) vos sequacesque eorum Timotheum Petrumque simili definitione dejecit. Proinde si ea, quae in synodo Calchedonensi pro fide et communione catholica[26]) vel apostolica definita sunt, vere certeque sectamini, sicut vestra professione multiplici continetur, aut successores ab illa synodo damnatorum hisque communicantes abjicite, aut, si istos admittitis, ea quae in illa synodo pro fide et communione catholica et apostolica sunt perplexa[27]), non solum falso vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini, et in Eutychianam haeresim sine retractatione reciditis, meritoque a catholicis probamini esse vitandi: quia ut talem pestilentiam perpetuo possemus evadere, ea quae contra ipsam ab ea congregatione sanctorum patrum salubriter decreta leguntur, nullatenus mutilanda, non solum sedis apostolicae praesules, sed etiam Orientalium regionum catholici censuere pontifices.

11. An Petrum dicitis fuisse purgatum, cui communicavit Acacius? Veris assertionibus edocete, hoc ostendite, hoc probate, quibus ille modis, quibus ille regulis ab Eutychiana fuerit professione vel communione mundatus: ut quum id nihilominus evidenti

---

[23]) Ita mss. et c^1. b et exinde alii editi *particulariter*, contra mentem Gelasii, qui Timotheum, Petrum Acacium ac ceteros, qui cum Eutychianis communicarunt, particulariter ac nominatim, sive ut ipse epist. 10 n. 6 loquitur, *viritim* in concilio Calchedonensi damnatos negat.

[24]) Ita F^m. Particula negans eo sensu cum K^1 potest omitti, quod nulla synodus haeresiarcharum complices *viritim ac nominatim*, sed tantum generatim damnavit. Ed. *haeresi cum erroribus successores ... non damnet.*

[25]) F^m K^1 *Sic* (F^m *Si*) *vos sequaces eorum*, K^3 O^2 *Sic vos sequaces quae eorum*, b c^1 et alii editi *Sic vos sequaces quoque eorum* (c^7 seqq. omitt. *vos*).

[26]) Ita F^m K^3 K^4 O^2. Editi *catholica lege apostolica.*

[27]) Ita F^m K^1 K^3 O^1 E^1, hoc est *perculsa* vel *damnata.* Vulg. *peracta.*

Digitized by Google

(a. 492.) rerum claruerit demonstratione convictum, palam aperteque possitis advertere, aut vos debere cedere veritati, aut adversus hanc manifesta dimicatione confligere. Nec vobis blandiamini, quia fidem catholicam profitemini vos tenere, quia Eutychis nomen abnuistis[28]), quia ea veluti praedicare videamini, quae orthodoxa praedicavit antiquitas. Clamat enim vobis illa evangelica sententia: *Aut facite arborem bonam et fructus ejus bonos, aut facite arborem malam et fructus ejus malos; a fructibus enim arbor cognoscitur:* id est, si voce, si fide, si professione catholica et apostolica fideliter veraciterque gloriamini, hujus et communionem recipite. Si vero haereticorum, scilicet damnatorum vel his aut successoribus eorum communicantium, communio vobis placet, quid statis, quid circumspicitis?[29]) Simul et eorum aperte manifesteque, remotis obstaculis, dogma defendite. Quid enim juvat? immo et satis gravat, dictis polliceri quod factis negatur: ut non solum ipsa per se haeresis Eutychiana quam sit funesta Christiano sacramento, possitis agnoscere, sed quanta et quam graves haereses in sui definitione contineat.

Matth. 12,33.

12. Ecce ad quae nos praecipitia condescendere provocatis, atque ad quae nos vitae aeternae pericula cupitis inclinare. Hoc descensu salvare est aegrotantem, an conlanguentem consumi? Haec erit optima dispositio illa, quam memoras, *reparandae concordiae*, an illa potius, ut rejectis contagiis perfidorum integra fide, sincera sui communione potiatur communio catholica atque apostolica, haereticorum[30]) tabe depulsa intemeratam suae fidei confessionem nitatur adstruere, atque invicem sibimet congruentis orthodoxae professionis communionisque sit unitas? Hanc, sicut dilectionis tuae litterae cohortantur, *meis quoque temporibus custodiri*, qua valeo prece deposco, quae per tot annos ab illis patribus gloriosis illibata inviolataque servata est. Haec[31]) enim est, sicut ipse dicis, *quam Deus noster de omnibus bene futuram, et secundum suam veritatem et regulam gubernandam et praescius ante constituit, et singulis quibusque temporibus sua dispositione convenienter aptavit.* Haec est voluntas Dei, cujus tu ingeris mentionem, quam ego quoque pro meo modulo, quantum Dominus donare dignatur, cupio promptus implere, ut non

[28]) c[1] *adjuvistis*, alii editi *ademistis* in mss. *annuistis*, cujus verbi loco restituendum duximus *abnuistis*. Mox F[d] F[m] omitt. *fideliter;* deinde *recipite ab haereticorum*.

[29]) K[1] ut supra n. 4 *circa inspicitis*. Mox ed. *quam gravia haeresis ista in ... cum languente*.

[30]) Ita c[1]; alii editi *ne haereticorum*, c[2] *ac haereticorum*, F[d] F[m] *communione cath.*

[31]) Ita K[3] O[2] et editi omnes. Lectionem K[1], quam Coust. praefert, ipsam enucleari non potui. Innuit ille eam infra hoc modo: *Hinc redibat* (Euphemius) *ad Gelasii laudes, memorabatque Deum, qui omnia secundum veritatem ac regulam suam gubernanda et praescius ante constituit et singula quibusque temporibus convenienter aptavit, illum his ornasse dotibus.* F[d] F[m] *Haec enim sicut i. d. ds nr de omnibus quae bene futura secundum etc.*

Digitized by Google

reus de hujus talenti coelestis deminutione reperiar: in[32]) hoc ta- (a. 492.)
lento, sicut ipse quoque nos admones, incrementum Christi postulo consequi, et nullum prorsus incidere detrimentum. Hinc est, quod prioribus dilectionis tuae[33]) litteris, sicut tua quoque pagina designavit, pro vestra sumpsi salute tristitiam, ubi compleri[34]), quod erat vobis noxium et verae paci contrarium, reperi. Contristatur 2 Cor. 7, 8 ss.
enim apostolus de errore deviantium, et laetitiam recipit de eisdem sua praedicatione correctis.

13. Si autem tua caritas, ut dicit, nescio quorum *necessitate constringitur*, quod, pace tua dixerim, sacerdos pro veritate promenda nec facere deberet omnino nec dicere; ignoscat nobis hominibus timidissimis, si coarctante nos terribili metu[35]) divini judicii, grandi necessitate constringimur, sicut qualescunque ministros Christi decet, animas nostras ponere pro veritate salvandas, quam eas lucrari velle veritatis deminutione perdendas, ut non dicam, cujuslibet contra fidem libitis addicendas.

14. Istae mihi sunt, quas dilectio tua commendat, *certae fidei perpetuae* cum eo, quicunque voluerit, *in Christi visceribus amicitiae*. Hinc non tam optamus *praeponi aliis*, sicut praedicis[36]), quam cum fidelibus cunctis sanctum et Deo placitum habere consortium. Haec mihi, quam mandat tua dilectio, *pax solida, inconvulsa et perennis*, hoc unum *vinculum*, sicut etiam ipse desideras, *salutare*, quo cuncta uniri possit Ecclesia. Hoc quibus est creditum; sicut et ipse deprecaris, protectio divina perficiat. Haec est, *quae Deus est, caritas*, 1 Joh. 4, 8.
quam poscis *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*. Quo- 1 Tim. 1, 5.
modo ergo *de corde puro*, si haereticorum fuerit participatione polluta? Quomodo *conscientia bona*, si malorum fuerit confusione permixta? Quomodo *fide non ficta*, si fuerit juncta cum perfidis? Quae si prudentia tua, sicut[37]) Deum praedicamus, diligenter advertat, perspicit, apostolicam sedem non vitare pacem, sed haereticorum damnatorumque vitare contagia.

---

[32]) Ita mss. et c[1]; alii editi *sed in hoc talento ... admonet incrementum Christi gratia postulo.*

[33]) Scilicet ad Felicem Gelasii decessorem missis, quibus Gelasio, qui tunc Felici ab epistolis erat, redditis vel etiam in conventu cleri recitatis ille suam dissimulare tristitiam nequiverit. Euphemius enim Theophane teste litteris illis Flavitae et Acacii nomina ex sacris tabulis expungere renuebat, ideoque a Felice consequi non meruit, ut ipsum episcopum agnosceret.

[34]) Editi *comperi quod erat vobis noxium et quod verae* (K[1] F[d] F[m] *et verae*, c[1] *et erat*). Deinde F[d] F[m] *repelli* (loco *reperi*). Sequimur K[3] O[2].

[35]) Ita F[d] F[m], faventibus partim K[1] O[2] c[1]. Al. *et divini ... decet nos ... ut non dicem contra fidem libitis cujuslibet abdicandas* (K[1] *abdicendas*, O[2] *abdicandas*).

[36]) Sic mss. et c[1]; alii editi *praedicas*. Deinde ed. *mixta cum perfidis*.

[37]) e[7] c[9] c[10] *sicut eam precamur*, F[d] F[m] K[1] K[3] O[2] c[1] *sicut Deum praedicamus*, b *sicut etiam precamur*. Mox editi *vestigia* (loco *contagia*).

Digitized by Google

(a. 492.) 15. Quae etiam vos rationabiliter intuentes, creditis[38]) componendum populum Constantinopolitanum, non permittere submoveri nomina perfidorum. Quisnam hoc in Ecclesia Dei, quaeso to, possit audire, quum utique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria revocantem, non per devia gregem pastor errantem?[39]) Dic mihi, rogo te, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certe si vobis hoc placet, multo magis causa est nobis justior, qui populum Romanum a fide illa sua, laudabili majorum traditione percepta, declinare nos penitus non sinentem libenter audimus, si vos Constantinopolitanam plebem ab haeretica communione discedere recusantem non vultis offendere.

16. Sed nos dicitis *debere dirigere, qui eam valeant mitigare.* Quomodo me auditura est, quem videtur habere suspectum, si praesules suos despicit admonentes? Nonne ipsis apostolis est praeceptum in aliquibus regionibus verbi praedicatione non uti, his[40]) quippe, in quibus non fuerant audiendi? Veniemus, frater Euphemi, sine dubitatione veniemus ad illud pavendum tribunal Christi (ut taceam quae[41]) ex hoc sit metuenda vindicta), et circumstantibus illis, a quibus[42]) fides ista defensa est. Non illic inficiationibus, non dilationibus, non illusionibus[43]) est agendum, sed manifestissime comprobandum, utrum beati Petri gloriosa confessio cuiquam eorum, quos regendos accepit, quidquam subtraxerit ad salutem, an eam auscultare nolenti[44]) etiam cum suo periculo rebellis exstiterit obstinata pernicies. Ibi certe dilucidabitur, utrum ego, sicut putatis, acerbus, asper et nimis durus difficilisque sim vobis, qui curationem vestram salutemque parturio, qui clamo: *etiamsi austerum videtur anti-*

---

[38]) Recentiores conc. edit. post Bar. *creditis commonendum*, antiquiores cum O^2a^1 *creditis* (O^2 *credetis*) *componendum* ($F^dF^mN^4$ *opponendum*), et mox omnes *nomina* ($F^dF^mc^1c^2$ *nomine*) *perfidorum*. Lectio K^1, quam a^3 praefert, quantum his concinat, nescimus. Nostrae lectioni favent, quae idem Gelasius epist. 12 n. 10 sibi objicit his verbis: *Quod si mihi populi Constantinopolitani persona praeponitur, per quam dicatur nomen scandali id est Acacii non posse removeri;* et paulo ante l. c. n. 6: *Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse componi etc.*

[39]) Pervulgatum est istud Coelestini I epist. 5 n. 3: *Docendus est populus non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat quidve non liceat commonere, non his consensum praebere debemus.* Immo debent et reges, ut egregie docet Felix II epist. 8 n. 5, *quum causa Dei agitur, regiam voluntatem sacerdotibus Christi subdere, non praeferre, et sacrosancta per eorum praesules discere potius quam docere.*

[40]) c^1 *Hi quippe inquis non fuerant.* F^dF^m *ut his quippe iniquis.*

[41]) $F^dF^mO^2c^1c^2$ *quia ex* (F^dF^m *et*) *hoc*, N^2 *quia et hic*, et mox c^2 seqq. oppresserunt *et* (ante *circumstantibus*).

[42]) Ita $F^dF^mK^1K^3O^2N^2c^9$. Editi alii *fides ipsa*, et c^7c^{10} omittunt *defensa*.

[43]) O^2 cc *inclusionibus*, alii mss. *inlusionibus*.

[44]) F^dF^m *nolentia*, a^1 b c^2 seqq. *nolens*. c^1 *An eam occultare nollet etiam.* Deinde ed. *cum ratione vestram salutem.* Moxque N^2 *excisteret ..., recipere salutem*, ibique cum F^dF^m epistolam finit.

Digitized by Google

dotum, accipite, quaeso, bibite, vivite, nolo moriamini; an vos, qui a noxiis prohibiti, medicos ducitis exsecrandos, immo qui vultis vobiscum medicos aegrotare, quam vos recipere sanitatem. *Et alia manu*: Deus te incolumem custodiat! (a. 492.)

Epistola 4.

Gelasii papae ad Honorium Dalmatiae episcopum.

d. 28 Jul. a. 490 (a. 493?)

p. 26. *Ut Pelagianam haeresim olim toto orbe proscriptam in Dalmatis revalescere non sinat.*

Dilectissimo fratri Honorio[1]) Gelasius.

1. Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus, pro sedis tamen apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: *Et tu conversus confirma fratres tuos;* et item: *Petre, amas me? Pasce oves meas:* dissimulare nec possumus nec debemus, quae nostram sollicitudinem forma perstringat, cum beato Paulo apostolo sentientes atque dicentes: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Ita quippe nos repente tristis horrenda et vix credibilis confecit opinio, ut mentem nostram confunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim, in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianae pestis zizania seminasse, tantumque illic eorum praevalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosor ad subripiendum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: *praestante Domino adest fidei catholicae pura veritas, concordibus universorum patrum deprompta sententiis[2]), quae et subtile virus funestae pravitatis exponat, et humano generi salvando conferat de Scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretione rerum nondum abundantia corda conturbet, donec et occultum vulnus appareat et salvatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciae spiritus perditionis armetur, sancto gladio Spiritus principalis et detegitur et necatur. Luc. 22,32. Joh. 21,17. 2 Cor. 11,29. (*f add. *sed*)

2. Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonemus affectu, ut qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam nec ipsos recipere debeatis autores[3]). Quod si temere

[1]) Honorium hunc Dalmatiae metropolitam adeoque Salonitanum episcopum fuisse Norisius hist. Pelag. II, 17 observat, idemque suadent prima ipsius hujus epistolae n. 2 verba.

[2]) Vulg. *sententia* (G[1] *prompta sententia*) moxque *discretionem*, mendum apertum.

[3]) Ita restituimus, quod apud G[1] cc in hunc modum prolatum: *debeatis* (G[1]

Digitized by Google

a. 490 (a. 493?) putatur esse faciendum, quae non haeresis a majoribus nostris convenienter exstincta rursus provocare nos audeat, et palam novis resumptis viribus aperteque confligat? Numquidnam licet nobis a venerandis patribus damnata dissolvere, et ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo, quod magnopere praevacemus[4]), ne cujuslibet haeresis semel dejecta pernicies ad examen denuo venire contendat, si quae antiquitus a nostris majoribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur? Nonne ipsi nos, quod absit et quod nunquam catholica patietur Ecclesia, adversariis veritatis universis contra nos resurgendi proponimus exemplum? Ubi Prov. 22, 28. est, quod scriptum est: *Terminos patrum tuorum non transgredieris;* Deut. 32, 7. et: *Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi, et seniores tuos, et dicent tibi?* Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur (*f. *suffi-ciunt*) nobis non *sufficit? Si quid ignorantes[5]) discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis patribus et senioribus singula quaeque vel vitanda praecepta sunt vel aptanda catholicae veritati, cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate constare, si ea quae ab illis constituta sunt subruamus?

3. An fortasse nescitis, hanc haeresim, de qua loquimur, et ab apostolica dudum sede per beatae memoriae Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Coelestinum, Xystum, Leonem continuis et incessabilibus sententiis fuisse postratam, nec tantum Ecclesiae catholicae legibus sed principum[6]) quoque Romanorum eo tenore

debetis) *aut quod temere putatur esse faciendum*; *quae non haeresis* (G[1] add. *a*) *majoribus*. Nunc iterat Gelasius monitum, quod Leo epist. 1 n. 4 Aquilejensi episcopo adversus eamdem haeresim dederat his verbis: *Cavendum ergo tuae dilectioni est magnaque diligentia providendum, ne per hujusmodi homines exstincta dudum scandala excitentur, et de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua ejusdem mali germen oriatur*. Pelagianam autem perversitatem praesertim anno 418 Zosimo pontifice per totum orbem damnatam esse, in notitia epistolarum Zosimi non exstantium n. VII, 13 et 16 observatum.

[4]) Pelagiani a Zosimo *tractoria* per orbem recepta sollemniter damnati nihil non moverunt, ut ipsorum causa ad novum examen revocaretur. Verum illud eis constanter denegarunt Zosimi successores, nominatimque Coelestinum laudat Prosper lib. contra collat. c. 20 n. 48, quod *sciens damnatis non examen judicii sed solum poenitentiae remedium esse praestandum, Coelestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem totius Italiae finibus jussit extrudi*. Ipsummet Coelestinum videris epist. 13 n. 8. Similiter et Eutychiani in Calchedonensi synodo damnati novam synodum, qua ipsorum doctrina discuteretur, flagitare. Leo vero ejusque successores eorum postulationi intercedere nunquam destiterunt. Si vero Pelagianis causae suae concedatur recognitio, neque id Eutychianis negandum fore, recte Gelasius arguit.

[5]) Verbum *ignorantes* in accusandi casu idem sonat atque infra *ineruditos*. Hoc enim sibi vult: *Si quid eos discere cupiamus, qui ignorant, qualiter etc., cur hujusmodi hominibus non probamus, res esse jam decretas?*

[6]) Constantii imperatoris, Volusiani praefecti urbis et Valentiniani III ad-

Digitized by Google

damnatam, ut nec usquam terrarum vivendi locum sectatores ejus habere sinerentur? Quae omnia tam gestis Ecclesiae per singulas quasque regiones de eorum pravitate confectis, quam censurae publicae sanctionibus edocentur. Ecce quorum[7]) libet aures catholicas audire doctrinam, quaestiones accipere, tractare tendiculas, et blasphemias patienter admittere! O si studerent adversus eos majorum nostrorum libros responsaque cognoscere, illic modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus, quod et ab istis fuerit ventilatum et ab illis magnifica veritate contritum: sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique redderentur instructi, ut nihil amplius quaereretur. Sed si forsitan ineruditos animos quaedam de eorum sen sibus proposita commoverent, ita venerabilium patrum doctrinis et omnis eorum publicatur insania, et quibus remediis curetur ostenditur, ut ex his Deo praestante praevisis cuncta, quae de eorum serie texuerunt, et periculosa sectantibus et stulta deprehendentibus esse videantur: ita ut si quis existimet reluctandum, non[8]) tam veterum sententiis contradictor exsistat, sed humanae saluti catholicaeque doctrinae palam se aperteque profiteatur inimicum. Quo magis attentius[9]) pervigil cura pastorum a sacris gregibus luporum debet arcere saevitiam: quum[10]) quidquid ovibus sanctis acciderit detrimenti, praesulum, quod absit, damnet incuriam, sicut a regeneratis agminibus nocentium depulsio bestiarum custodum praemiis perpetuum procurabit augmentum. Certe si, ut magis optamus, falsis haec rumoribus sint relata, quantocius desideramus agnoscere, ut qui membrorum Christi vexatione trepidamus, multo magis de eorum stabilitate laetemur. Data V Calendas Augusti, Fausto[11]) viro clarissimo consule. a. 490 (a. 493?)

---

versus Pelagianos sunt decreta, quae apud Augustinum in appendice tom. X p. 126 (in edit. III Veneta tom. XVII p. 2756) simul collecta videre licet. Horum primum memorat Photius cod. 53.

[7]) In prius vulgatis *quorumlibet* uno verbo, quo in duas voces diviso nil jam ad orationis integritatem ac nitorem desiderandum restat. Aliter diceres: *Ecce hujusmodi sunt, quorum doctrinam a catholicis auribus audiri placet.* Mox editi *quod non et ab istis;* sequimur G[1].

[8]) In vulgatis *non tamen veterum;* orationis autem series pro *tamen* postulat *tantum*, quod quidem librarii veteres eadem nota qua *tamen* exprimere solent. G[1] *non tam.*

[9]) Hinc excidisse videtur comparationis membrum, quo eorum, qui pecora custodiunt, in arcendis lupis vigilantia exponebatur.

[10]) Ita corrigendum duximus, quod antea in hunc modum: *Num quidquid ... procurarit,* nisi quis forte substituere malit *ne* (vel *nam*) *quidquid.*

[11]) E regione vocis hujus in Romana editione adscriptum est *Albino*, atque hanc conjecturam Baronius calculo suo comprobavit. Quid de illo censendum, in monito praefati sumus. Si vera est lectio, quam veteres codices asservant, anno 490 Felicis nomine atque auctoritate a Gelasio epistola ista scripta est.

Digitized by Google

Epistola 5.

(a. 490—493). **Gelasii papae ad eumdem Honorium Dalmatiae episcopum.**

Eum non debuisse permoveri, quod quae de nascente in Dalmatiis haeresi didicerat ad eum scripserit; nihil illius interesse, per quos ea didicerit; sui autem muneris esse, ut confestim eum ad vigilantiam excitaret (*n.* 1). *Quid cum ipsius legatis actum* (*n.* 2). p. 26.

Dilectissimo fratri Honorio Gelasius.

1. Miramur dilectionem tuam fuisse miratam, curam sedis apostolicae, quae more majorum cunctis per mundum debetur ecclesiis, pro vestrae quoque regionis fide fuisse sollicitam; quumque ad eam perlatum esset, quod quidam per Dalmatias integritatem catholicam vitiare niterentur et divinis humanisque legibus ante damnatum Pelagianae pestilentiae denuo virus inferre, non putaverimus ullatenus differendum, quominus haec diligentius inquirentes, aut[1]) si fortasse subrepserant, de proximo sanarentur, aut anxietatem nostram, si falso probarentur jactata, relevarent: aestimantes, melius nos videri impatientius talia investigare voluisse, quam crescere dissimulando perniciem. Neque enim vel silentio premere causas[2]) hujusmodi vel differendo fovere deberemus, quum dicente magistro gentium, *sollicitudine non pigri,* atque iterum, *qui praeest in sollicitudine,* reos procul dubio nos, nisi continuo quaereremus, etiamsi inaniter essent vulgata, convincerent. Nec interest, per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dum quomodolibet ista referentibus, postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel e vestigio posset lupis hiantibus obviari, vel nullis exsistentibus feris ovium custodia secura persisteret. Ab his, qui essent Chloes, Corinthiorum se dissensiones agnovisse testatur apostolus, confestimque scribere non omittit, ut vel nascentibus jurgiis pius medicator occurreret, vel de eorum comperta mox incolumitate gauderet. Quod nos quoque litteris, quae super hac parte directae[3]) sunt, indicasse reminiscimur, ut scilicet aut irrepentibus obsisteremus insaniis, aut, si nihil horum penitus accidisset, de catholicae veritatis integritate laetaremur. Quapropter non solum dilectio tua nostra non debet

Rom. 1. 2, 11. 8

1 Cor. 1, 11.

[1]) b[1] addit *ut*. Sed hinc non omnis tollitur obscuritas, nisi pro *inquirentes* substituatur *inquireremus*. Erit integer sensus etiam sine particula *ut*, si antea legamus *inquisita*, aut postea *de proximo sanarenus*. Ubi nota, vocem *de proximo* non ad locum sed ad tempus referri. Mox dictos autem naevos occupatissimi praesulis scripta irrepsisse mirum non est. — Ibidem editi *irrepserant*, ubi G[1] *subrepserant*.

[2]) Ita G[1]; alii *causam*. Mox G[1] *dummodolibet ista ... lupis hientibus* (ed. *hiantibus*).

[3]) Ita G[1]; alii *dictae ... praesentis colloquii*.

Digitized by Google

vigilantia permoveri, sed praesentis alloquii salutatione percepta nobiscum potius industriam propriae sociare sollertiae: quatenus vel sive tentata sint talia, protinus corrigantur, vel ne, qualibet obreptione tententur, attentius praecavendo subintrare non valeant. (a. 490—493.)

2. De quibus autem ii, quos tua caritas destinavit, plenius[4]) instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt. Et quoniam se his acquiescere praefati eatenus sunt professi, ut eadem se et primitus tenuisse firmarent, sed ante ullius[5]) in quaestionem vocata vellent manifestius expediri: studuimus quantum inter occupationes fieri potuit, quae nos minime respirare patiuntur, largiente Domino sequentes paterna vestigia de talibus, quae[6]) accepimus, non silere. Quam regulam sobrie sentiendi quisquis fideli corde sectatur, inter orthodoxos merito debeat aestimari; quisquis vero putaverit abnuendam[7]), ab apostolicis sese non ambigat exsulare doctrinis. Certe si quid est, quod valeat animum permovere, fraternitas tua consulere fiducialiter non[8]) omittat, ut Domini gratia ministrante totius discutiat obscuritatis ambiguum fraterna collatio.

Epistola 6.

a. 493 d. 1 Nov.

Gelasii papae ad episcopos per Picenum constitutos.

Cum episcopis illis expostulat, quod ab imperito sene restaurari ac praedicari sinerent tria praecipue Pelagianae sectae capita, quae et refutat, videlicet: I^mo *parvulos peccato originali non esse obnoxios* (*n.* 4 *et* 5); II^do *eos etiam sacro baptismate destitutos damnari non posse* (*n.* 6); III^tio *hominem per liberum arbitrium bono suffragante naturae beatum effici* (*n.* 7 *et* 8). *Eorum praeterea increpat segnitiem, qua presbyterum ab eodem sene communione privari, puellas sacras cum servis Dei una congregatione misceri atque beatae memoriae Hieronymum et Augustinum dente maledico coram lacerari tolerabant* (*n.* 9). *Cum eis denique expostulat, quod episcopi alieni monachos et ministros ecclesiae in militiam provehant clericalem* (*n.* 10).

Gelasius episcopus universis episcopis per Picenum in Domino salutem.

1. Barbaricis hactenus dolebamus incursibus[1]) maxime vicinas Urbi provincias et bellorum saeva tempestate vastari; sed quantum

[4]) Editi contra G[1] addunt *si*. Desiderantur tituli illi ac canones, quos epistolae huic subnexos fuisse Gelasius indicat.

[5]) Et hic supple *rei explanationem* vel quid simile. Apud Dalmatos quaedam *in quaestionem vocata*, nec temere de his Romanum pontificem admonitum esse [illegible] colligitur.

[6]) Ita correximus, quod G[1] *qua cepimus*, vulg. *quae coepimus*. Hic notare videtur Gelasius, quos ad epistolan calcem subjecerat aut certe cum epistola miserat, titulos cum adjunctis responsionibus.

[7]) Scil. *regulam*. Editi *abnuenda*.

[8]) Ita G[1], quum vulg. omittant *non*.

[1]) Dum scilicet Odoacer Herulorum rex et Theodoricus Gotthorum de Italiae

Digitized by Google

a. 493. inter ipsa recentium calamitatum ferventia pericula comperimus, perniciosiorem diabolus Christianorum mentibus labem, quam corporibus hostilis feritas, irrogavit. Quod malum principaliter illarum regionum respicit sacerdotes, qui tanta segnitia tantaque ministerii dissimulatione suscepti commissarum sibi negligunt regimen animarum, ut eas etiam ab exiguis quibusque bestiolis lacerari sub conspectibus suis impune patiantur; quinimmo subrepentes nequitias, confovendo[2]) et depravatoribus acquiescendo fidelium, non solum minime retrahant, sed ipsi magis praebeant proprio nutrimenta perditionis exemplo.

2. Quid autem tales essent acturi pontifices, si, quod absit, vel aliqua nova pestis et primitus ignorata prorumperet, vel ingeniis acrioribus sensibusque versutis aut aliqua saecularium doctrinarum peritia callidis sacrilega blasphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris[3]) detrita commenta, tamque majoribus ecclesiarum magistris quam etiam nostra aetate convicta, non recolunt nec refutant, atque ab imperitis stultisque prolata non respuunt. Gratias omnipotenti Deo, quoniam suorum corda per hujusmodi personas examinat, qui hoc ipsum virus resciunt[4]), quod loquuntur! Nam quid facerent populorum praesules sub astutioribus inimicis, qui se subjiciunt libenter indoctis? Quando utique, etiamsi tanta erat in rectoribus dominici gregis prorsus ignavia, ut nec[5]) tam vilem hebetemque personam possint vel intellegere vel frenare, pastorali cura debuerint a nobis cognoscenda perquirere, quam suasionibus inconsideranter absurdis facilem submittere voluntatem.

3. Oblatus est enim nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modo totius sanctae eruditionis alienus sed ipsius quoque intelligentiae communis prorsus extraneus, in Pelagianae voraginis
Apoc. 16, 13. coeno, sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus, velut una ranarum imprudenter immersus, inque illa faece horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere posset inveniens; quia puritatem relinquens catholicae veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis ejus lutosis foveis circumclusus ob-

regno inter se decertabant. Sed morte Odacris, qui hoc anno 493 exstinctus est, incursus illi quieverunt.

[2]) Ita G[1]; at b *componendo* et mox cum aliis editis *non solum eas minime ... sed ipsis praebeant propria.* Mox G[1] *vel quod ingeniis.*

[3]) Leonis epist. 1 ad Aquilejensem episcopum recole, ubi n. 4 Pelagii error *excisum olim dogmā* ejusque placita *exstincta scandala*, a pontifice appellantur. — Mox editi *gratias Deo agimus*, ubi in G[1] deest *agimus.*

[4]) Haec sententia inferius explicatur, ubi senem de his venenis, quae male hausit et vomuit, nullam rationem vel accipere valere omnino vel reddere dicitur.

[5]) Ita G[1]; editi *ne tam ... potius pastorali.* Ac subaudiri frequenter apud veteres *potius*, notum est. Deinde editi *totius est eruditionis ... impudenter.*

Digitized by Google

ruitur: de illis unus exsistens, de quibus Petrus dicit apostolus: *Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem et in perniciem in his quae ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiae.* Revera enim sic ejus stolidus et obtusus est animus, ut de his venenis, quae male hausit et vomuit, nullam rationem vel accipere valeat omnino vel reddere: sed induratus obcaecatione diabolica sibique jam traditus, cordis sui funesta sit obstinatione damnatus, nihilque supersit ei, nisi ut Deus noster, qui dixit, quae hominibus impossibilia videntur, apud se esse facilia, hujusmodi mentem potenti compunctione transfigat, ut secundum beatum apostolum Paulum, *resipiscat a diaboli laqueis, quibus captivus detinetur* sententia divini judicii. Multa illi, quae de Pelagianis sensibus nec in somnis omnino contigerat[6]), nos magis patefacta prodidimus eaque dudum convicta fuisse monstravimus. Haec etiam ipsa, quae idem proferre videbatur, olim et ab haereticis Pelagianis in medium producta docuimus, et a catholicis praedicatoribus competenter elisa. Pelagium, Coelestium, Julianum ceterosque complures oratoriae facundiae viros in hac assertione probavimus fuisse convictos, et tam ecclesiasticis constitutis quam imperialibus percussos fuisse praeceptis; proinde istum ferre[7]) non posse firmavimus, in quibus illi tales tantique prostrati sunt, qui nec ipsa, quae ab illis sunt disputata, vel intellecta capere vel eloquio simili possit adstruere. Sed, ut dictum est, *diabolica mens inspiratione possessa, in profundum veniens jam malorum, ad remedia nulla consentit.*

a. 493. 2 Petr. 2, 12. Matth. 19, 26. 2 Tim. 2, 26. Prov. 18, 3.

4. Quapropter de innumeris blasphemiarum generibus, quas auctores Pelagianae haeresis ediderunt, tria, quae sibi praecipue hic senex lugendus adscivit, credidimus non tacenda, ut reserata manifestius panderentur et Deo destruente facilius viderentur eversa. In uteris, inquiunt, matrum opere divino creantur infantes; propterea justum videri non putant, quod factura Dei sine ullis propriis actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta, injustumque Deum faciunt, si rei efficiantur, antequam nati. Hoc velut acutissimum sui dogmatis exserunt argumentum, non advertentes, quia primi illi parentes generis humani, de nullis utique genitoribus sed de innoxia limi materia procreati, et pure atque sincere potenter arte divina compacti factique rationales, propria voluntate seductorem secuti diabolum, pravis cupiditatibus per excessum praevaricationis infecti sunt. In quibus utique humana natura peccavit, et humana est

---

[6]) Editi (c^7 c^7 c^{10}) *contigerunt:* renitentibus aliis libris. Porro illud *contigerat*, a verbo *contingo* derivatum, de imperito sene praedicatur. Mox in aliis etiam editis *ea quae dudum:* mendose. Deinde G^1 *Celestinum.*

[7]) Vel legendum *ferri* (pro *tolerari*, scil. *in assertione eorum in quibus*), vel *ferre* (scil. *ea in quibus*) pro *perferre* sive *perficere* interpretandum, quod haud inusitatum est (ex gr. *legem, fructus ferre*). — Mox editi *haeresis addiderunt.*

Digitized by Google

a. 493. facta natura vitiosa, receptrix sine dubio mali, quod ante nescierat: quae a bono rectoque deficiens, in affectum mali pravique recidere[8]) ipso rerum consequentium tramite manifestum est. Tales igitur effecti principes nostrae substantiae semetipsos passibiles et corruptibiles reddiderunt, in tantum conditionis divinae dona violantes, ut mortis fuerint ultione puniti. Hac enim die fuisse mortuos, qua mortales effecti sunt, ambiguum non habetur. Proinde quidquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundum institutionem naturae, sed non absque contagio illius mali, quod sua praevaricatione traxerunt; et utique hoc idem ipsius mali contagium certum est opus non esse divinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium, quod voluntario motu natura collegit, sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suae creationis exsequitur, sed creatio profert vitium, quod non ex institutione Creatoris accepit, sed quod ipsa per lapsum transgressionis suae assumpsit. Nam si ipsi primi homines ex nullis, ut dictum est, parentibus nati et sine ullo formati contagio, per ambitum praesumptionis illicitae semetipsos depravare potuerunt et in opere Dei opus diabolicae fraudis adnectere, quid mirum, si iidem depravati protulerunt subolem depravatam? Nonne etiam quum Deus utique liberam condiderit humanam sua creatione substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecus accedens servitus naturaliter eam reddit obstrictam et obnoxiam? Origine[9]) generantur obnoxii, et ex conditione servili gignuntur addicti, et nascendo fiunt prius obligati quam geniti. Si hoc agitur de rebus extra naturam positis, quanto magis de his provenire non mirum est, quibus ipsa humana substantia depravata cognoscitur? Ac per hoc sicut se ipsa humana substantia de institutione sincera actuum reproborum rea fecit voluntate pollutam, sic edidit subolem atque progeniem naturae suae ex actuum suorum rea voluntate maculosam, quia hujusmodi genuit prolem, cujusmodi se ipsa reddidit praevaricationis excessu. Ideoque non solum de se profert, quod bene Deus instituit, sed etiam quod male ipsa inconsequenter adjecit. Quemadmodum autem qualitas interior appetendi valeat immutare naturam, divinae lectionis auctoGen. 30,38. ritate firmatur. Sic denique pascenti Jacob commissus ille grex

[8]) Est constructio anacolutha, quasi sequeretur *manifesta est*.

[9]) Inde et hi *originarii* vulgo vocabantur, quocirca Honorius l. 1 cod. Theod. V, 10 et Valentinianus III Novell. tit. 26, 30 et 34 *originarios* et *originarias* promiscue appellant *colonos* et *colonas*, qui *cum agnatione sua*, hoc est, cum iis, qui ex ipsis nati erant, patronis suis erant obnoxii. Quapropter et Leo papa epist. 4 cap. 1 ab his ordinandis abstineri vult, qui *originali* vel *alicui conditioni obligati sunt, nisi forte eorum petitio aut voluntas accedat, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis*. Similiter Gelasius epist. 14 cap. 2. Quemadmodum autem conditioni alicui obnoxii obnoxios eidem conditioni, ita et servi servos procreabant.

Digitized by Google

ovium, supposita canalibus varietate virgarum, dum potat, illectus affectionali delectatione concepit, quod non habuit in natura, et inolitum[10]) sensibus transfudit in prolem, quod in creatione non sumpsit. Quod tunc utique figuraliter gestum, et in ecclesiasticis significavit gregibus hoc futurum, et Pelagianorum Deus praevidens calumnias et excitandas fidelibus suis decertationes, intelligentiam praeparavit. a. 493.

5. Docent divina testimonia et ipsa ecclesiastica sacramenta et ab ipso Domino Salvatore catholicorum traditio magistrorum, humanae generationis decolorata primordia. Hinc est, quod clamat propheta: *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum esse a peccatis? Nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Hinc est, quod item dicit Scriptura: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* et alibi: *Quia semen,* inquit, *erat maledictum;* nec non etiam David propheta testatur: *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* Et si hoc ille dicit, quis aliter se asserat procreatum? Beatus quoque apostolus Paulus asserit: *Et nos aliquando eramus natura filii irae sicut et ceteri.* De qua ira in evangelio dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, habebit vitam aeternam; qui autem non crediderit, jam judicatus est, et ira Dei manet super eum:* illa utique, de qua dictum est: *Morte morieris.* Ipse Dominus Jesus Christus coelesti voce pronuntiat: *Qui non manducaverit carnem Filii hominis et biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso:* ubi utique neminem videmus exceptum, nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari[11]) ad aeternam vitam posse perduci; sine illa autem vita in perpetua futurum morte non dubium est. Cur igitur infans hac sorte concluditur, si nullam habet omnino peccatum? Magisque videbitur, quod absit, injustus Deus, si illic infligatur

Job. 14, 4 et 5. Job. 14, 4. Sap. 12, 11. Ps. 50, 7. Eph. 2, 3. Marc. 16, 16 et Joh. 3, 18 et 36. Gen. 2, 17. Joh. 6, 54.

---

[10]) Editi *molitum*, quod eodem modo in veteribus codicibus atque *inolitum* pingi solet. Mox editi *transfundit* et deinde G[1] *fidelibus suis docuncti creaciores intelligentiam.*

[11]) Quo scilicet corporis ac sanguinis participes fimus. Quocirca Fulgentius in fine epist. 12 ad Ferrandum asserit, *nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Ea vero, quae nunc Gelasius scribit, consentanea sunt eis, quae Agust. epist. 186 n. 28 et 29 atque Innoc. ep. 30 n. 5 docuere. Atqui Fulgentius loco citato sequi se profitetur doctrinam Augustini, ac re ipsa sententiam suam illius verbis illustrat ac confirmat. Ita etiam Innocentius ex verbis Johannis *nisi manducaveritis* etc. non eucharistiae percipiendae, sed baptismi suscipiendi conficit necessitatem. Intelligendus est igitur etiam Gelasius hic eodem sensu loqui. Postea n. 6 etiam aliam causam profert, quia scilicet *sine baptismate corpus et sanguinem Christi nec edere valent nec potare.*

Digitized by Google

a. 493. poena, ubi nulla sit culpa. Unde quum de propriis actibus nullo reatu teneatur obstrictus, nihil restat, nisi ut sola sit vitiosa nativitate pollutus; et si non fuerit mysterii Christiani participatione mundatus, ad vitam non potest pervenire perpetuam. Hinc est, quod exsufflantur et catechizantur infantes; et quia in opere Dei, quod[12]) in auctore suo bene sunt instituti, opus diabolicae malignitatis ac-
Col. 1, 13. cessit, *eruti de potestate tenebrarum*, sicut docet apostolus, ad Filii Dei sortem purgationemque legitimam transferuntur. Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus instituit, praevaricatione venisset in culpam et reprobabilis esset effecta, secunda generatio subroganda non fuerat. Propter quod dicit beatus Paulus apostolus:
Rom. 5, 12 et 18. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* et paulo post: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* — Sicut autem omnes *in condemnationem* dicit, utique qui de Adam parente sunt geniti, sic omnes *in justificationem vitae* non nisi illos adstruit, qui in Christi mysterio sunt renati. Innumeris talibus instrumentis haeresis Pelagianae doctrina mortifera et a nostris est convicta majoribus, et nunc eorum copiosa potest eruditione convinci, nec debent simplices animos ista turbare, quibus quae non intelligunt secundum ecclesiasticam formam credidisse sufficiet, aut si quis nosse desiderat, interrogare conveniet.

6. De parvulis autem, quod asserit sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est. Quamvis[13]) enim recentes ab utero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod utique non fallaciter sed veraciter catholica celebrat Ecclesia, ne in sacramentis coelestibus, quod absit, mentita videatur. Proinde quia propria non habeant ulla peccata, constat eis[14]) sola prorsus originaria relaxari. Itaque quibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur aeternam, consequens est, ut solis etiam non remissis ad aeternam vitam pervenire non possint. Unde et Dominus, sicut
Joh. 6, 54. superius diximus, ait (quod utique nisi baptizato non convenit): *Qui non manducaverit carnem Filii hominis et biberit sanguinem ejus, non*

---

[12]) Magis placeret *quo*. Ex eodem exsufflandi ritu saepe Augustinus originalis peccati fidem adstruit, nominatimque op. imperfecto contra Julian. l. III cap. 199 probat ritum illum Deo auctori contumeliosum futurum fuisse, nisi diabolus etiam parvulos peccati contagione reos teneret.

[13]) Illud *quamvis* perinde accipimus ac *quantumvis* et ad *recentes* referimus. Hoc loco indicat Gelasius, etiam Romanos ea usos esse baptismi forma, in qua verba *in remissionem peccatorum* enuntiabantur; cf. Siric. ep. 5 n. 2 (Coust. not. d), Innoc. ep. 2 n. 4.

[14]) Ita G[1]; editi *ejus sola ... itaque omnibus etiam ... baptizatis.*

Digitized by Google

habebit vitam in semetipso; sine vita autem esse perpetua quid est, a. 493.
nisi in sempiterna morte constitui? Quamvis idem sit *regnum coelorum* quod *aeterna vita*, tamen ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est: *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum,* Joh. 3, 5.
sed etiam pariter dictum est: *Qui non manducaverit carnem Filii hominis* Joh. 6, 54.
et biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso. De vita autem aeterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc sacramentum vitam habere videantur praesentem.

Nihil est ergo quod dicant, quod non renati infantes tantummodo in *regnum coelorum* ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur; dum sine baptismate corpus et sanguinem Christi nec edere valeant nec potare, sine autem hoc *vitam in semetipsis habere* non possint, sine vita vero nonnisi mortui sint futuri. Dicant igitur, in morte perpetua constituti[15]) si non aestimentur esse damnati. Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt, locum; et quia non nisi dextram partem legimus et sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine[16]) baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.

7. Tertio capitulo jam toto mundo cognita atque convicta Pelagianorum deliramenta circumfert, quibus dicunt, quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, foedavit ac perdidit, bono suffragante naturae beatus efficitur; quum de beatitudine paradisi, ubi bona fuerat constituta substantia, nisi suo amisso bono nullatenus potuisset expelli: ideo mortalis effecta, quia de bono utique praevaricatione transisset ad malum, et a participatione divina ad diabolica semet facinora contulisset; ideo deceptori suo, cui volens assenserat, competenter addictus, ideo de felicitatis suae caritate seclusus atque ad spinas et tribulos miseriasque multiplices coelesti voce damnatus est; quae utique poena justi judicii tam gravis et aspera in bono perseveranti nullatenus esset inflicta, et nisi malo, non convenienter illata probaretur. Ecce sine divino suffragio, quod in illa beatitudine positus nunquam legitur expetisse, non solum homini naturale bonum prodesse non potuit, non solum non effecit beatum, sed quum hoc solo confidit atque ad ejus non revertitur largitorem, et beatitudinem potius amisit et malorum omnium sumpsit exordium. Quod autem libero arbitrio beatitudinem

---

[15]) G[1] *constitui.* — Hoc in loco ut in ceteris adhaeret Gelasius doctrinae Augustini, qui de orig. animae II, 9 scribit: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum; hoc enim eis etiam haeresis Pelagiana promittit.*

[16]) In G[1] *sine baptismate — regeneratione* deest. Deinde editi *circumferre,* ubi G[1] *circumfert;* ac postea *efficiatur ... unde mortalis.*

Digitized by Google

a. 493. consequantur[17]), quo male usus in perpetuam recidit servitutem, sicut scriptum est: *Qui facit peccatum, servus est peccati; a quo quis superatur, huic et servus addicitur:* nonne haec est illa praesumptio naturalis, quae ad detestandàe captivitatis jura descendit, quam Scriptura sancta sic memorat: *Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium;* de qua genus humanum non nisi solus Dominus noster Jesus Christus commercio suae redemit passionis, et mutata nativitate nos[18]) eruit? *Solus utique venit quaerere et salvare, quod perierat:* ut libertas, quae per temerariam fuerat dejecta superbiam, instauraretur reparata per gratiam, mutuaque vice humanae voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatae subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad praemium. Hinc est, quod ipse Dominus ait: *Quum vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis;* et apostolus beatus Paulus exsequitur: *Quum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae,* id est alieni a justitia, *liberati autem a peccato, servi facti estis justitiae;* et iterum idem ipse: *Libertatem,* inquit, *qua vos Christus liberavit.* Nonne ipse vas electionis affirmat et dicit: *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate?* ne etiam in mala voluntate et velle et perficere Deus putaretur operari.

Joh. 8, 34. 2 Petr. 2, 19. Eccles. 40, 1. Matth. 18, 11. Joh. 8, 36. Rom. 6, 20 et 22. Gal. 4, 31. Phil. 2, 13.

8. Illud autem Pelagianorum peculiare virus est olimque detritum, quo putant gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri, quod absit a mentibus Christianis, quum praefatus testetur apostolus: *Gratia est quae gratis datur, alioquin si ex operibus gratia, jam non est gratia*: quia merces redditur, non gratis, unde *gratia* nomen accepit, impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia, quando magister gentium clamet, cuncta breviter in se dona concludens: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit*; ut ostenderet, quia donum gratiae non ipse praecesserit sed fuerit subsecutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratiae subsequendo: *sed plus omnibus,* inquit, *illis laboravi.* Ac rursus veritus, ne de se praesumere videretur, adjunxit: *non ego, sed gratia Dei mecum.* Non dixit: *ego et gratia Dei mecum,* sed praeposuit gratiam praecedentem[19]), seseque subjunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, quum sit fides ipsa per gra-

Rom. 11, 6. 1 Cor. 15, 10.

---

[17]) Ita sensus integer efficitur, si haec verba quasi ex sententia Pelagianorum sumuntur: *quod autem dicunt, libero arbitrio beatitudinem se consequi* ...; quibus opponitur: *nonne haec est praesumptio* .... Jam opposuit antea et quasi per parenthesin repetit, *homini ne in beatitudine quidem posito bonum naturale prodesse potuisse,* et nunc illius pravae sententiae merum fontem aperit, superbiam scilicet et praesumptionem jam in libro Ecclesiastici notatam.

[18]) G[1] *non serult.*

[19]) Ita G[1]. Editi *se, atque,* a[3] *praecedentem, se atque.* Hinc maxime impeti-

Digitized by Google

tiam, eodem apostolo nos docente: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem?* Nec aliud est misericordia divina quam gratia. Audiamus etiam, quemadmodum informat Ecclesiam: *Gratia,* inquit, *salvi facti estis per fidem,* ut principium salutis et fidei a gratia coepisse dissereret, sicut secutus adnectit: *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur.* Idem ipse alibi generaliter et absolute pronuntiat, dicens: *Quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quis sufficiat singula recensere? Quibus evidenter apparet, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, ut a servitute, quam peccando meruerat, misericorditer absolutum esset. Hujus sacramenti redemptione ante mundi principium sempiterna providentia praeparati, sive nondum prolata lege seu sub observatione legali, figuralibus signis atque sacrificiis omnium sanctorum virorum feminarumque sanctarum vetus origo mundata est, universisque justis per gratiae Spiritum hoc de longe adorando mysterio salutis aeternae remedia contigerunt; cujus in Christo manifestata gentibus plenitudo mundum purgat et renovat, beatitudinisque perpetuae vere facit esse participes.

a. 493. 1 Cor. 7, 25, cf. 1 Tim. 1, 13, 16. Eph. 2, 8. 1 Cor. 4, 7.

9. Quapropter nimis incusamus fratres et coepiscopos nostros, maxime per Piceni provincias Ecclesiam Domini gubernantes, qui non solum ineptissimi senis abjectaeque personae pravum non deterruere colloquium, verum etiam suo nutrivere consensu. Quis audiat, quis ferat, passos esse pontifices, ut cadaver nescio quod indignum presbyterum sibi non acquiescentem auderet[20]) communione privare? Quomodo talis vel susceptus ab aliquo vel patienter auditus est? Qui insuper leges dedit libenter acceptas[21]), ut servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima miscerentur. Nam quum spiritales animi, etiam quum desint ista consortia, imaginariis infestentur illecebris, quemadmodum alterni sexus intuitu, qui illicit et[22]) nolentes, non vehementius incitentur? Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et praesentia sacerdotum beatae memoriae Hieronymum atque Augustinum, ecclesiasticorum lumina magistrorum, *musca moritura,* sicut scriptum est, *exterminans oleum suavitatis,* lacerare contenderet. Sed quid miremur ecclesiarum prae-

Eccles. 10, 1.

---

tur Semipelagianorum dogma, quo gratiam a nobis praeveniri ac praevenientes subsequi volebant.

[20]) In vulgatis *audire communione privaret?*

[21]) Ita G^1 (*accept'*), ed. *exceptus* (c^9 ad marg. „fort. *exceptas*"). Et hanc licentiam Pelagii placitis consentaneam esse Norisius hist. Pelag. lib. II c. 17 observat. Certe Hieronymus adversus Pelag. lib. I circa med. illum arguit, quod feminis etiam *in frequentia virorum et congregatione turbarum psallere permittat.*

[22]) Ita G^1; editi *qui illicite nolentes.*

Digitized by Google

a. 493. sules ista negligere, quos, sicut a multis audivimus, contra canones omnia gerere et contra apostolicam disciplinam passim cuncta miscere manifestum est: non servatis regulis ordinare, liciteque non solum monachos sed etiam ministros Ecclesiae cum feminis ad peregrina migrantes remeare rursus, et ab aliis episcopis in militiam provehi clericalem? Quae quum singula toleranda non sint, quis sustineat tot et talia facinora perpetrari, quibus spectaculum gentilibus, Judaeis et haereticis non immerito praebentes, in ipsum, quod absit, tendere videatur religionis excidium, digneque ista facientibus aptabitur illa sententia dicentis apostoli: *Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus?* Rom. 2, 24.

10. Sufficiat igitur hactenus fuisse haec commissa, et ut placetur Deus, humanis rebus sollicitius divina curentur! Nusquam locum[23]) prorsus inveniat praefatae pestis assertor, nec accessum prorsus ecclesiae vel usquam participationem catholicae communionis inveniat, qui haereticorum mavult subsequi nefaria professione consortium; et hi, cum quibus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi resipiscunt et ab ejus societate discedunt, ab ecclesiastico remoti servitio, debita[24]) ultione plectantur, quo ceteris cavendi ministretur exemplum. Nullum adeat, nec[25]) unquam loqui damnatas olim blasphemias jam sinatur. Discreta suis habitationibus virorum atque feminarum, sicut sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta devotio Contra canonum constituta nullus ad ecclesiasticum permittatur[26]) officium: non ignoraturis provinciae uniuscujusque rectoribus, nec de praeteritis se veniam reperturos erroribus, si deinceps dissimulaverint vitare patefactos. Nec excusationis de cetero relinquetur occasio, si post praecepta praesentia, quae per Romulum diaconum, cujus sollertiam[27]) pro fide catholica et pro religione vigilantiam gratissime comprobamus, duximus destinanda, quisquam super his omnibus aut contemptor aut negligens deprehendatur antistes. Sicut enim ad sedis apostolicae moderamina pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter ecclesiis,

---

[23]) Ita G¹; *editi nusquam loci ... inveniatur.*

[24]) In vulgatis *devota.* Mendum inde ortum, quod antiquarii *v* pro *b* pingere soleant. Ita in Felicis II epistolam 1 n. 13 irrepserat *de vitae eorum meritis devotione* pro *debita eorum meritis devotione.*

[25]) Ita G¹; b *nec usquam loci damnatae olim blasphemiae jam sinantur.* Cui favet, quod alii editi *nec usquam loqui damnatae* etc. Mox G¹ corrupte *diceret a suis habitationibus ... exerceat circumspecta.*

[26]) c⁷ in marg. *promoveatur*, non spernenda conjectura. Dubium enim non est, quin illud sanciat Gelasius adversus eos, quos ad peregrina migrantes contra canonicam disciplinam *ab aliis episcopis* in militiam provehi clericalem proxime n. 9 conquestus est. Vide Siricii epistolam 6 n. 4.

[27]) b *tolerantiam* et mox cum aliis editis *quisquis ... deprehendetur.*

Digitized by Google

ita necesse est, ut in contumaces et desides traditam sibi divinitus a. 493.
non dissimulet potestatem. Data Calendis Novembris, Albino viro clarissimo consule.

Epistola 7.

Gelasii papae ad episcopos per Dardaniam constitutos. (a. 493.)

p. 26. *Ubi tarditatem excusavit, cur electionem suam eis non citius nuntiarit (n. 1), atque exposuit, quomodo Eutychiana haeresis apud Graecos nata Scripturis adversa ideoque catholicis damnata sit (n. 2), eorum, qui ob pertinacem cum illis haereticis communionem damnati sunt, nomina recitare non licere docet, atque ut recitantes a se excludant hortatur (n. 3 et 4).*

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius episcopus.[1])

1. Ubi primum respirare fas est a continuorum tempestate bellorum, quae vel in illis provinciis vel in istis temporum qualitas incessanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini sacerdotes fraternae sollicitudine caritatis duximus alloquendos: primum quia regimen apostolicae sedis indepti, strepitu publico, sicut dictum est, retardante, commissum nobis sacrae dispensationis officium propriis, ut mos erat, litteris nequivimus[2]) indicare, quo vestra fraternitas de communionis Domini nobiscum munere gratuletur; deinde, ut post tantas acerbitates incommoditatesque mundanas, qualiter invicem valeremus, mutuus sermo depromeret; postremo si qua de ecclesiasticis referenda sunt causis, quae propter insidias perpetui hostis pastorali sunt jugiter circumspicienda vigilantia, significationibus panderemus alternis. His igitur incitati, per fratrem et coepiscopum nostrum Ursicinum praesentia dirigere scripta curavimus, praeeunte gratia salutationis hortantes[3]), ut magnanimiter auxilio Domini tolerando rerum transeuntium vastitatem magis esse debeamus attenti, ne, quod absit, perpetuae subeamus vitae dispendium; proinde quae catholicae veritatis poscit utilitas praecavenda, dilectio vestra paulisper advertat.

2. Apud Graecos, quibus multas haereses abundare non dubium est, jam ante annos fere quadraginta et quinque de Domini nostri et Salvatoris incarnatione nata conquaestio est: Eutyche quondam presbytero Constantinopolitano in blasphemias proruente, per quas diceret, unam tantummodo, id est solam Divinitatis, naturam sive substantiam in Domino Jesu Christo credere nos debere,

---

[1]) G[1] addit: *sicut etiam cunctis fratribus per Dalmatiam destinata est.* Deinde vulgati corrupte aut minus concinne *temporibus qualitas ... sollicitudinis caritate.* Restituendum *temporum* jam Baronius et Maffejus monuerant. Mox editi *adepti.*

[2]) Ita G[1] a[1]; c[10] *nequimus.*

[3]) Ita K[1]. *Alii vero orantes.* Moxque G[1] K[1] *adtoniti* (loco *attenti*).

Digitized by Google

(a. 493.) susceptae carnis veritate prorsus abolita. Quod utique[4]) impium pravumque commentum, Marcionistis Manichaeisque conjunctum, totum sine dubio salutis nostrae solveret sacramentum; siquidem, quantum et Scripturae venerabilis dicit auctoritas et majorum testatur doctrina nostrorum, Redemptorem mundi Deum, totum simul Deum totumque hominem, ex Maria virgine fuisse genitum[5]) et huic mundo certum est exstitisse conspicuum. Sic passum atque resurrexisse constat a mortuis, ita[6]) quadraginta diebus fuisse cum discipulis conversatum, in coelum adscendisse, plena luce sit clarum, eoque modo dictum ad judicium angelo testante venturum, ut et Act. 7, 55. Zach. 12, 10. Joh. 19, 37. Filius hominis, quem beatus Stephanus martyr *a dextris virtutis Dei vidit adstantem*, manifestus appareat, et *quem compunxerunt* persecutores ejus, adspiciant: quod nimirum sine carnis humanae non potest constare materia, cujus assumptio glorificata est Deitate, non prorsus absumpta.[7]) Unde et beatus Johannes apostolus dicit: *Qui negat Christum in carne venisse, hic est antichristus;* et gloriosus apostolus Paulus, qualem hodieque credere debeamus Dominum nostrum Jesum Christum, palam professus est, dicens: *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Quo[8]) brevi capitulo simul Arianam pestem et hanc, quam diximus, Eutychianam coelesti praedicatione subvertit, quia et nihil minus est, ubi *omnis plenaque Divinitas habitare* perhibetur, et *corporaliter* exprimendo in veritate persistere nostri corporis approbatur. 2 Joh. 7, 7. Coloss. 2, 9.

3. Super his autem frequenter ab apostolica sede et per beatae memoriae sanctum Leonem et per successores ejus certum est Graecos fuisse convictos, sicut ipsorum chartis, quas apud nos habemus, sine ambiguitate monstratur. Nunc vero quamvis ipsam pestilentiam non audeant profiteri, eos tamen, qui talibus communicaverunt[9]) me-

---

[4]) Sic K[1]; *utique improbumque commentum* G[1], alii editi vero *utique improbum commentum.*

[5]) Ita K[1]; editi *progenitum.*

[6]) Invulgatis *Itaque*, rectius K[1] *Ita*, quod idem sonat atque supra *sic* et infra *eo modo*, hoc est: *totum simul Deum totumque hominem.*

[7]) Ita restituere cum Coust., Maff. et Mans. non dubitavimus loco *adsumta*, quod alii exhibent, cum hic catholica fides adstruatur adversus Eutychianam haeresim, quae, ut Gelasius mox enarrabit, unam in Christo volebat substantiam *susceptae carnis veritate prorsus abolita.* Contra eamdem Leo epist. 124 c. 6 dixit: *Nec divina enim humanis praejudicant nec humana divinis, quum ita in id ipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona gemineter.* Ubi similiter pro *absumatur* mss. Bellov. legit *adsumatur.* Denique manifesta erat pugna verborum illorum *assumtio* et *non assumta.*

[8]) Ita G[1] K[1]. Editi *quod brevi ... quia et homo nihilominus est*, corrupte. Verbum in Christo post susceptam carnem *nihil minus* esse quam ante, hoc est totum ac perfectum Deum esse non destitisse, allatis apostoli verbis recte probatur.

[9]) Editi *communicaverint.* K[1] hic nos deficit, sed sequens verbum *damnati*

Digitized by Google

ritoque secundum Calchedonensis decreta concilii ab apostolica sede (a. 493.)
damnati sunt, obstinatique in eadem damnatione defuncti, pernicioso furore defendunt, et eorum recitationem Ecclesiae catholicae moliuntur ingerere. Quibus utique, quod absit, receptis, etiam contagium pravitatis, cui se communione sociarunt, consequenter incurritur, quemadmodum, quod Dominus avertat, si Arii vel cujuslibet haeretici ad ecclesiasticam recitationem nomen admittitur, simul et consortium detestabilis erroris assumitur.

4. Unde quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem catholicam conditione laxandam, ut nomina eorum qui praevaricati sunt illis in ecclesia recitare sit licitum, et non tam ipsi corrigere quam sinceritatem catholicam inficere nitantur contagio perfidorum: dilectionem vestram fraternae caritatis affectu non destitimus admonere, ut si qui talia seminantes ad vestras regiones forte pervenerint, modis omnibus excludantur, vobisque cum sede beati apostoli Petri, sicut a patribus nostris est tradita, illibata communio atque ex omni parte inconvulsa perduret. Certe si quis aures vestras de hac crediderit subreptione pulsandas, sollicitudine pastorali ad nos quam citius referre properetis, ut[10]) communi studio catholicoque tractatu pro domo unius Domini cuncti catholici conferant sacerdotes: ut et quae orthodoxae definitioni competunt, intemerata serventur, et quatenus errantibus debeat subveniri, rationabili deliberatione noscatur. Haec autem vestra dilectio etiam ad contiguas sibi quasque provincias vicinosque pontifices prudenter faciat pervenire, ut[11]) ecclesiarum praesules universi, veritatis instructione percepta, mortiferam declinare valeant falsitatem. *Et subscriptio*: Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi!

Epistola 8.

Beati Gelasii papae ad Natalem abbatem. (a. 493.)

p 27. *Abbatem, cujus laudabilem pro fide catholica fervorem ex epistola ad Serenum episcopum missa cognovit, sollicitus pontifex hortatur, ut instructionem sedis apo-*

---

sunt" ut et ratio postulant *communicaverunt*. Hic quippe notantur Acacius et Flavitas, sed maxime Acacius, qui haereticae communionis contagione pollutus ideoque damnatus in eadem damnatione defunctus est. Mox G¹ c c *Quod utique*.

[10]) Ita G¹ c[10]; c[7] *et communi*, quod cum proximis verbis minus apte cohaeret. Quorsum enim Gelasius quam primum ad se referri vult, si qui apud Dardanos deprehendantur Acaciani schismatis fautores, nisi ut ipse cum concilio suo atque ipsis Dardanis prospiciat, quo pacto et subveniatur errantibus, et fides intemerata servetur.

[11]) G¹ a¹ *ut ad ecclesiarum praesules*, alii editi *ut ecclesiarum praesules universae veritatis*, minus bene. Non enim in hac epistola fidei expositio tum ampla tamque integra adita est, ut *universam veritatem* in ea explanatam dicere liceat.

Digitized by Google

(a. 493.) *stolicae ad pontifices regionis illius directam in contiguis provinciis adjuvet, et ipsum de ejusdem profectu certiorem reddere saepius curet.*

Dilectisssimo filio Natali abbati Gelasius episcopus.

1. Quamvis pro beati Petri apostoli moderamine divinitus instituto, quo sedis ejus vicarii cunctae sunt Ecclesiae debitores, ad fratres et coepiscopos meos per Dardaniam constitutos competentia scripta dederimus, antiquae fidei communionisque tramitem subsequentes, ut cavere valeant contagia perfidorum et nobiscum illibatum tenere consortium; tamen dilectionem quoque tuam non destitimus [1]) desiderantes affari, cujus et sollicitudinem de noxiis quibusque vitandis, et in retinendis, quae ad utilitatem pertinent Christianam, laudabilem perspeximus esse fervorem, ex litteris scilicet, quas ad fratrem et coepiscopum meum Serenum tua caritas destinavit. Proinde collaborandum sibi tua dilectio perpendit evangelio Dei, et [2]) aeternae salutis intuitu etiam adversantia quaeque toleranda constanter: ut nullum subeas, quod absit, coelestis regni dispendium, ad quod utique, nisi legitime certaveris, non potes pervenire. Tanto enim praestante Domino nobis est instandum vigilandumque, quanto sub [3]) ipso fine jam mundi vehementior humani generis hostis insistere non quiescit.

2. Nihil significamus omissum, quod aut correctione [4]) rerum, quas in ecclesias Orientis seminavit inimicus, patrum regulis congruentem possit adhibere medicinam. Sed quid facimus? quia obduratis auribus vocem refugiunt veritatis audire, tantaque vis morbi saevientis incubuit, ut secum malint salvos quosque lethaliter aegrotare, quam ipsi recipere sanitatem: nunc inficiantes universa, quae ipsorum chartis, ipsorum subscriptionibus approbamus, nunc quum manifesta rerum fuerint luce convicti, palam aperteque fatentes errorem, nolle se tamen reverti ad viam purae confessionis communionisque testantur, sed nos potius exspectant suis praevaricatoribus implicari. Quapropter largiente Christi gratia magnis studiis est agendum, ut, quia de vita perpetua vel amittenda res agitur vel tenenda, demus operam quidem, si aliquos ex illis operante Domino salvare possimus: alioquin, sicut ait apostolus, *te ipsum castum cu-*

1 Tim. 5, 22.

[1]) Ita Jos. Blanch. ex N[3]. Maff. et c[10] *desistimus*. Mox Maff. seq. *cujus sollicitudinem ... ex litteris siquidem.*

[2]) Ita correximus, quod N[3] Blanch. c[10] Mign. *et* (c[10] addit *ob*) *aeternae sal. intuitum ... tolerando constanter*, Maff. *et ob aeternae ... toleranda constaret.*

[3]) Instare jam mundi finem cum multis aliis etiam Gelasium putasse, hinc discimus.

[4]) Ita J. Blanch. ex N[3]. Alii *correctioni*, et Maff. c[10] *aut correctioni ... aut patrum.* Unum alterumque *aut* abundare videtur. Mox Maff. seq. *salvos quoque ... testantes ... exspectantes.*

Digitized by Google

stodi, perire volentium nitamur declinare perniciem, et, quod solum facere debeamus, divinam pro illis exorare clementiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti detinentur ab[5]) ipsius voluntate: ut ab obstinatione mortifera respirantes, pestem quam se humanitus incidisse etiam ipsi sentiunt, inutili verecundiae languore deposito, ad recuperanda remedia sempiterna libero corde resipiscant. (a. 493.)

3. His ergo cognitis, quae, sicut diximus, ad regionum vestrarum sunt directa pontifices, et ipsi protegente vos Domino debetis esse convenienter instructi, et provinciis eadem quibusque contiguis[6]) fiducialiter praedicare. Nihil est enim, quod pavere debeamus, quum certum sit a coelesti praesule non derelinqui, quos suae veritatis praestitit arma tractare, nec quidquam videamus[7]) ei ullatenus praeferendum, quum ipsas animas nostras pro earum nos voluerit salute contemnere. Qualiter autem vel proficiat ibidem religionis integritas vel quid forsitan asseratur, saepius nobis vestra dilectio non omittat ostendere: ut necessaria Christo tribuente subsidia responsis congruentibus ministremus. *Subscriptio papae.* Deus te incolumem custodiat, fili dilectissime! Matth. 10, 39. Luc. 14, 26.

Epistola 9.

Gelasii papae ad Succonium episcopum Afrum apud Constantinopolim constitutum. (a. 493 c. fin.)

p 28. *Episcopum illum, qui persecutionem Arianorum fugiens Constantinopoli improvide cum adversariis veritatis communicasse arguebatur, ut quantocius corrigat obsecrat.*

1. Quum[1]) tuae dilectionis in Christo constantiam ferventemque doctrinam celeberrima loqueretur opinio, dici non potest, quantis gaudiis exsultavimus in Domino, quod vas egregium belli tempore[2]) maxime profuturum divina gratia praeparasset; teque votis omnibus ambientes, et quasi cominus constitutum toto cordis affectu comitabamur absentem. Sed tristi subito rumore percussi consternata, fatemur, mente concidimus, haesimusque diu, utrum ad caritatem tuam super his litteras mitteremus; nam loqui prohibebat dolor, tacere Christi affectio non sinebat. Inter quae[3]) ista fluctuantes vicit divina scientia, quo toto Scripturarum corpore perdoce-

[5]) Maff. sequ. omitt. *ab*.

[6]) Maff. sequ. omittunt *contiguis*.

[7]) Idem Gelasius epist. 3 n. 6 profert.

[1]) N[3] hanc inscriptionem epistolae habet: *Epistola papae Gelasii ad Succonium episcopum Afrum apud Constantinopolim constitutum, qui persecutionem Arrianorum de Africa fugiens Constantinopolim, improvide communicando in praevaricationem Calchedonensis synodi arguitur corruisse: ut corrigat.*

[2]) Scilicet non solum in Africa sed etiam nunc Constantinopoli.

[3]) Editi omitt. *quae*. Deinde forte legendum *ita*. Mox editi *sic praeventos*.

Digitized by Google

(a. 493.) mur, aliqua tentationum subreptione praeventos caritate libera permonere.

2. Communicasse[4]) enim dilectionem tuam in partibus Orientis adversariis veritatis primum fama detulit, deinde plurimorum relatio non spernenda patefecit. Quod ne temere credidisse nos arguas, si falsum est, optamus, da veniam de te sollicitae pietati; si verum est, accipe salubria quaeso patienter amicorum vulnera castigantum,
Prov. 27,6. qui perniciosa subiisti amicorum[5]) oscula blandientum. Itane tu, amantissime et dilectissime, adversantia catholicae regulae consortia suscipere potuisti, tantumque nefas in te invenit effectum, quod vel cogitationibus tuis obrepere potuisse non creditur? Itane tu delegisti praesentis temporis ferre jucunditatem magis, quam affligi cum populo Dei? Stupet animus, mens sauciata succumbit, moerentia corda deficiunt, nec tamen dolori tanto par lamentatio reperitur. Nonne tu ille es, qui spretis regum minis et saevientium barbarorum feralia jura despiciens, simul patriam, facultates et honoris sacerdotalis privilegia posuisti, ut ea perpetua recipere merearis in Christo?

3. Quid igitur nunc agimus? Decolorasti gloriam, violasti confessionem, intercepisti victoriam, quantoque apud apostolicam sedem de tuo nomine fiducia gratiaque crescebat, tanto nunc accedit miseranda confusio. Itane non senseras, quod duobus cornibus praeludendo uno eodemque tempore non minus in Oriente quam in Africa Jesum solvere niteretur Antichristus? quum et illi sic Deum fateantur, ut Deus non sit, et isti sic hominem praedicent, ut hominem vacuare contendant. Inter quae funesta pericula quid prodest evasisse praecipitium, si recedatur in baratrum? Ante oculos non redibat, quod non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, simili damnatione censentur? Vae si eruditionem tuam tantum latuit scelus! Vae amplius, si non latebat, et gestum est! Nam si nihil aliud, hoc unum dilectioni tuae potuit ad haec praecavenda sufficere: ne te illorum communioni misceres, quibus communionem suam beatum Petrum noveras denegasse. Sed quum te Scripturis refertum et catholica institutione pollentem cuncti[6]) respicimus, tanto consolationis exitum non habemus, quanto te perpendimus scientem petisse foedera perditorum.

Jerem. 9,1. 4. *Quis* itaque *dabit capiti nostro aquam et oculis nostris fontem lacrymarum?* Nunc vere de patria conversatione discessum est, nunc

---

[4]) Ed. *communicare*, moxque *quod optamus*.

[5]) c[10] ad marg. *lege inimicorum*, non necessaria correctio. — Mox editi *adversaria*.

[6]) Ed. omitt. *cuncti*.

[7]) Etsi iisdem Jeremiae 9, 1 verbis, forma paululum mutata, epistola illa Pseudo-Felicis ad Petrum Antiochenum (Mansi l. c. VII 1039) incipit, tamen nihil inde contra hujus epistolae genuitatem efficitur, quia verba illa scripturae sacrae

Digitized by Google

verum sentitur exsilium; nam illud salutis causa est, hoc ruinae. (a. 493.) Nec nos inaniter in te uno perpeti cuncta jactamus; quum secundum apostolum et in cujuslibet membri gloria cuncta membra con- 1 Cor. 12, 26. gaudeant, et in quacunque parte corporis convulsa omnis compago vexetur. Et nos quidem pro affectu, quem tibi debemus, prudentiae tuae cruciatum nostrorum viscerum duximus intimandum. Tuae conscientiae interierit, quemadmodum ab his laqueis expediri non renuas. Nobis enim in utroque fructus non vacuus erit, si vel, quod desideriis omnibus imploramus, de tuae salutis et famae redintegratione gratulemur, vel si, quod absit, nostra scripta contempseris, adjuvando fratri minime defuisse videamur.

Epistola 10

seu

Gelasii papae commonitorium ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli. (a. 493 c. fin.)

p. 28. *Quae a Graecis objiciebantur, maxime vero quod Acacium praeter canones damnatum esse obtendebant, Gelasius refellit, ac sedis apostolicae supremam vindicat jurisdictionem.*

1. Ego quoque mente percepi Graecos in sua obstinatione mansuros, nec [1]) cui velut insperatum videri potest, quod est in ante praecognitum. Quapropter non [2]) tam propter religionis causas studeant dispositionibus publicis obviare, sed potius per occasionem legationis regiae catholicam fidem moliuntur evertere, et tali commercio [3]) nituntur sperata praestare.

2. Quid sibi vult autem, quod dixerit imperator, a nobis se irreligiose [4]) damnatum, cum super hac parte et decessor meus non

---

tam notissima quam hoc loco aptissima medium quemdam fontem minime sibi postulant.

[1]) F^d F^m a^1 *ne cui*, moxque D^2 F^d F^m O^1 O^2 *inspiratum*, b c^7 d^1 *quod est ante*.

[2]) Ita D^2 F^d F^m N^3 O^2 a^2; alii editi (etiam d^2) *non jam*. Hinc apparet, imperatorem Theodorici respondisse legatis, sese quominus ipsis concederet, quod illi ad Italiae utilitatem petebant, religionis, hoc est dissidii, quod Graecos inter et Romanos intercedebat, causis detineri.

[3]) Ita d^1 d^2 cum mss., alii editi *commento*. Quae hic *legatio regia*, in epistola sequenti *legatio publica* appellatur: quae videlicet a Theodorico rege non ecclesiasticae sed publicae rei causa destinata erat. In eo autem Gelasius Graecos turpis *commercii* arguit, quod eorum obtentu, quae legati sibi ab ipsis praestari petebant ad publicae rei commoditatem, ipsi sibi a Romanis vicissim concedi volebant, unde et fidei inferrent et religioni perniciem.

[4]) Plerique omnes mss. (O^1 O^2) cum editis (etiam d^2) *in religione* (F^d F^m V^1 *in regione*), quod ex antiquo scribendi more *inreligiose* irrepsit. Anastasius se *irreligiose* damnatum obtendit, quasi contra reverentiam ipsi etiam religionis jure debitam. At calumniam repellit Gelasius, quum neque ipse neque decessor ejus eum ulla sententia lata damnarint, immo honorificis eum scriptis semper colue-

Digitized by Google

(a. 493.) solum minime nomen ejus attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiae potestatis exseruit[5]), in ejus se rescripsit imperii promotione gaudere, et ego nulla ipsius unquam scripta percipiens, honorificis eum, ut nostis, litteris salutare curaverim? Decéssores mei sacerdotes, qui praevaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, a communione apostolica submoverunt. Si[6]) isti placet se miscere damnatis, nobis non potest imputari; si ab eis velit abscedere, tanto magis a nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam sincerae communionis admissus. Ad senatum vero pertinet Romanum, ut memor fidei, quam a parentibus se suscepisse meminit, contagia vitet communionis externae, ne a communione hujus sedis apostolicae, quod absit, reddatur externus.

3. Veniam sibi dari debere[7]) proponunt. Legatur, ex quo est religio Christiana, vel certe detur exemplum, in Ecclesia Dei a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore veniam nisi corrigentibus[8]) fuisse concessam. Auditum autem sub isto coelo nec legitur omnino nec dicitur, quod eorum voce depromitur: *Date nobis veniam, ut tamen nos in errore duremus.* Id quoque parum[9]) est. Ostendant, qui nobis canones nituntur opponere: quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quove documento, sive a majoribus nostris, sive ab ipsis apostolis, quos potiores merito fuisse non dubium est, seu ab ipso Domino Salvatore, qui judicaturus creditur vivos et mortuos, sive factum est unquam, vel faciendum esse mandatur. Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui certe[10]) hoc faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat apostolo:

Matth. 16, 19. *Quae ligaveris super terram, ligata erunt et in coelis, et quae solveris super terram, soluta erunt et in coelo. Super terram,* inquit; nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi. Quod ergo nunquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes in di-

---

rint. Ipse potius Anastasius se damnasse dicendus est, quatenus communionem damnatam catholicae communioni praetulit, nec ab illa ullis monitis etiamsi observantia plenis deterreri valuit. Eamdem calumniam et adversus Symmachum, ut in epistola ejus 10 n. 10 visuri summus, idem imperator instauravit.

[5]) Ita D^{1} D^{5} D^{7} D^{9} F^{d} F^{m} d^{1} d^{2}; alii editi cum D^{2} D^{4} O^{1} O^{2} *exercuit.* Moxque d^{1} delevit *imperii.*

[6]) O^{3} *Si istis;* d^{1} in marg. *si ita.* Vocabulo *isti* intelligendus et imperator.

[7]) Verbum *debere,* in cc omissum, revocatur ex mss. Ab imperatore coeptus sermo nunc ad ceteros damnatorum communioni addictos convertitur.

[8]) Sic mss. At vocula *se* hic additur in vulgatis, qui tamen idem verbum sine *se* infra num. 11 ut mss. exhibent.

[9]) a^{1} b c^{7} c^{9} c^{10} *pariter ostendant* et ad marg. *par est ostendant* et mox *sive majoribus.* Mss. D F^{d} F^{m} N^{3} O V^{1} d^{1} d^{2} *parum est. Ostendant,* O^{11} X^{2} a^{3} *par est ostendant.*

[10]) Mss. O *certum,* moxque D^{11} *solvi* pro *absolvi.*

Digitized by Google

vino judicio non posse penitus excusari. Si autem, quod nunc praetendunt, a Romana se ecclesia divisuri[11]) sunt, id jam dudum fecisse monstrantur. (a. 493.)

4. Euphemius[12]) vero miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit, secundum formam synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec[13]) novit, aut se nosse dissimulat? In qua utique per numerosam sententiam sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos; sicut in unaquaque haeresi a principio Christianae religionis et factum fuisse et fieri, manifesta rerum ratione monstratur, decessoremque meum exsecutorem fuisse veteris constituti[14]), non novae constitutionis auctorem. Quod non solum praesuli apostolico facere licet sed cuicunque pontifici, ut[15]) quoslibet et quemlibet locum secundum regulam haereseos ipsius ante damnatae a catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita procederent[16]), sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in illam reciderit justa lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam[17]) synodalem susceperat auctor erroris.

5. Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur.

---

[11]) Ita O^1 O^2 c^1; D^1 D^2 D^3 D^4 d^2 *se divisuros ecclesiae* (D^2 F^d F^m *se ecclesia divisuros*), D^8 D^{11} *se excisuros ecclesia hoc quod jam;* d^1 *se ecclesia excisuros; hoc jam;* editi *ecclesia se sunt divisuri.* Tum K^3 *fuisse monstrantur.*

[12]) N^3 *Euphimium*, D^2 F^d F^m *Eufimius*, D^1 *Heophimius.*

[13]) Editi (exceptis d^1 d^2) *nec novit eam*, nullo ms. suffragante. Neque vero Euphemius dissimulabat, se nosse synodum Calchedonensem, quam propugnabat, sed dissimulabat, se nosse, Acacium secundum hujus synodi formam fuisse damnatum. Ex hoc loco augurari licet, Euphemii hujus potissimum esse objecta, quae Gelasius variis in scriptis diluit, illumque eorum, qui latam adversus Acacium sententiam irritam volebant, ducem exstitisse.

[14]) D^5 *instituti.* — Idem Felix epist. 17 n. 2 declaravit his verbis: *merito praedictus Acacius apostolicae sedis, quae nunc exsecutrix utique saepe dicti Calchedonensis concilii pro fide catholica tunc probati non defuit, iterata excommunicatione depulsus est.*

[15]) D^6 D^7 O^3 O^7 (K^3?) V^1 *ut* (deest in V^1) *quos licet ut* (V^1 *et*) *quemlibet;* D^1 D^9 P^2 P^m N^3 *quos licet quemlibet*, O^{11} *quo scilicet quemlibet*, D^2 *quos scilicet quemlibet secundum* expuncto postera manu *locum*, sicut et d^1 *et quemlibet locum* suppressit, et mox *damnatos* scripsit (N^3 *damna*). O^1 *cuicunque quoslibet quemlibet locum.*

[16]) Sic meliores mss. cum d^1 d^2; N^3 D^2 D^6 („*Pith. Reg. olim s. Petri Pictav.*“) D^9 *procederent*, editi *prodirent.* His concinit et Gratianus, qui totum hunc locum sapte ingenio c. 1 C. 24 qu. 1 summatim perstrinxit.

[17]) K^3 („*Remigianus*“) b *per conniventiam*, male. O^7 („*Remensis*“) *per conventionem.* Hoc sibi vult: cum erroris auctore ejusdem etiam successores et asseclae communi synodi sententia fuisse perculsos. Simili loquendi ratione Felix II epist. 17 n. 4 cavere se ait, *ne in successoribus haereticorum reparasse videatur, quod in eorum auctoribus certum est fuisse damnatum.*

Digitized by Google

(a. 493.) Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae sedi sana rectaque suadenti parere refugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt[18]) judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus[19]), Paulus, Johannes et ceteri, non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii praeferentes, sola sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti; cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui praeceptionis hujus exstitit exsecutor. Quod utique sicut apostolicam sedem juxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum est damnatus Acacius, quo eorum damnationem, antequam praevaricator exsisteret, fuerat exsecutus.

6. Nobis ausi sunt canonum facere mentionem, contra quos semper[20]) ambitionibus, semper illicitis studendo isse monstrantur. Qua ipsi synodo vel secundum cujus synodi formam Alexandrinum Johannem[21]) de ecclesia, cui ordinatus fuerat, expulerunt? Qui nullis causis evidentibus nec ante convinci[22]), nec postea provocans, etiam in judicio competenti potuit accusari. Quod si dicunt: *imperator hoc fecit*; hoc ipsum quibus canonibus, quibus regulis est praeceptum? Cur huic tam pravo facto consensit Acacius, quum auctoritas

---

[18]) 2 β (D^{7} D^{11}?) *receperunt*. Gelasius hoc loco Sardicensis synodi canones 4 et 5 memorat.

[19]) d^{1} hinc removit voces *Petrus Paulus*, quamvis exsistant in omnibus mss. Hic maxime respicere videtur Gelasius ad Simplicii epist. 7 n. 2, ubi pontifex Acacio nomina eorum recenset, quos suggestione ipsius Acacii in exsilium pellendos judicabat, inter quos memoratur Paulus Ephesiis ordinatus, sicut et ceteri hic nominati praeter alterum Petrum; hunc autem intelligimus Timothei Aeluri socium ac successorem, quem ideo ceteris adjiciendum duxerit Gelasius, quia et ipsum postea Acacius Simplicii jussis obsecutus ejiciendum curavit. — Deinde F^{d} F^{m} V^{1} a^{3} *quo*, alii *qui eorum damnationem*.

[20]) Editi *semper ambitionibus illicitis fecisse* (D^{2} d^{1} d^{2} *tetendisse*) *monstrantur*. D^{9} F^{d} F^{m} N^{3} cum 5 vetustis mss. *semper ambitionibus semper* (*semper* deest in β O^{7} N^{3}) *illicitis tenendi esse monstrantur*. V^{1} corrupte *semper illicistinendi* (?) *ee*, O^{1} *semper inlicitis tenendi esse*. O^{11} *semper ambitionibus semper illicitis studendo esse monstrantur*. Quam lectionem prima tantum verbi *esse* mutata littera censuimus sinceriorem. Quomodo enim Gelasius initio num. 5 dixit: *nobis opponunt canones, contra quos hoc ipso venire se produnt*, ita nunc idem repetit his aliis verbis: *contra quos isse monstrantur*.

[21]) Qui Talaja cognominatus est, qui videlicet, Alexandria expulsus, sedem apostolicam appelavit ac Felici libellum adversus Acacium obtulit.

[22]) O^{1} O^{2} c^{1} *conventus nec postea provocatus*.

Digitized by Google

divina dicat: *Non solum qui faciunt prava reos esse, sed et qui consentiunt facientibus.* Quibus canonibus[23]) quibusve regulis Calendion exclusus est, vel primi urbium diversarum catholici sacerdotes? Qua traditione majorum apostolicam sedem in judicium vocant? An secundae sedis antistites et tertiae ceterique bene sibi conscii sacerdotes depelli debuerant, et qui exstitit religionis inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exsequantur. Ceterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non[24]) solum sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt . . .: et Constantinopolitanae civitatis episcopus, quae utique per canones inter sedes nullum nomen[25]) accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoveri? An, qui homini mentitus[26]) dicitur imperatori, et qui imperatorem laesisse perhibentur, depelli debuerunt: et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini[27]) sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum, qua haec est damnata perfidia, non oportebat excludi? Sed velint nolint, ipsius[28]) judicio antiqua canonum constituta firmantur. Sed viri religiosi atque perfecti, secundum canones concessam (a. 493.) Rom. 1,32.

---

[23]) *α canonici* corrupte. Locum ipsum illustrant haec Felicis II epist. 11 n. 5: *Qui* (Acacius) *Calendione episcopo nuper ejecto, Petrum toties et a se ante damnatum in ejus misit ecclesiam, ita ut plurimi, si verum est, catholici cesserint relictis suis sedibus sacerdotes.* Hi vero a Theophane pag. 207 recensentur: Nestor Tarsensis, Cyrus Hierapolitanus, Johannes Eyrestensis, Romanus Chalcydis, Eusebius Samosatenus, Julianus Mopsvestenus, Paulus Constantinae, Manus Hemeriae seu Himeriae, Andreas Theodosiopolis episcopi.

[24]) Ita omnes mss. (etiam F^d F^m O^1 V^1) c^1 d^1 d^2, quod indicio est, nonnihil desiderandum esse, etsi in mss. nulla lacuna notetur. Ed. al. suppresserunt *non solum*.

[25]) Bonifacius I epist. 15 n. 5 tres tantum sedes secundum canonum sanctiones recenset. Quocirca Leo epist. 104 n. 3 scribit: *non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem.* Gelasius *sedes* simpliciter vocat primarias illas ecclesias, quae vel a Petro vel ab illius discipulo Marco fundatae sunt, h. e. Romanam, Alexandrinam et Antiochenam.

[26]) d^1 d^2 *mentiti dicuntur imperatori et qui imperatorem laesisse perhibentur:* reluctantibus omnibus aliis libris et historiae veritate. Nam solus Johannes Talaja mendacii arguebatur, eumque Zeno hoc obtentu deponi jussit, *quod se jurejurando obstrinxisset, nunquam se Alexandrinam sedem affectaturum*, ut loquitur Evagrius lib. 3 cap. 12. Quocirca Simplicius epist. 18 n. 2. redditam sibi testatur imperatoris sacram, in qua Johannem *tamquam perjurii reum sacerdotio per liberet indignum.* Ceteros autem episcopos superius not. 23 nominatos idem imperator *specie quidem collati in tyrannos favoris, sed revera Henotici ab iis rejecti causa dignitate amoveri jussit*, ut notat Theophanes pag. 207. Quocirca hi imperatorem dicebantur *laesisse*, quatenus Illi Leontiique rebellioni favisse praetendebantur.

[27]) Hujus scilicet indicium ac testimonium est publica nominis Petri damnati in eo altari recitatio, in quo divinum sacramentum peragitur.

[28]) Ita potiores mss. Mss. O (O^1 V^1) c^1 *ipsius judicio* (K^3 O^3 O^{11} *judicia*) *an-*

Digitized by Google

(a. 493.) Tit. 3, 10 et 11. sedi apostolicae potestatem nimirum conantur eripere, et sibimet eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienae, divina Scriptura praedicante: ***Hominem haereticum post primam et secundam correptionem devita, sciens quod hujusmodi delinquat, proprio judicio condemnatus.*** Ecce cognoscant, quia non solum ab alio sed a se quoque ipso damnetur haereticus!

7. Illud autem nimis est impudens, quod ***Acacium veniam postulasse*** confingunt, et ***nos exstitisse difficiles.*** Testis est frater vester, filius meus vir illustris[29]) Andromachus, qui et a nobis abundanter instructus est, ut cohortaretur Acacium deposita obstinatione resipiscere et ad sedis apostolicae remeare consortium, quique se sub jurejurando magnis[30]) cum eodem molitionibus egisse testatur, nec ad ea quae recta sunt potuisse deflecti, sicut rerum probatur effectu. Certe proferatur indicium, quando miserit, quando veniam postularit, correctionemque suam nobis promiserit exhibendam. Nisi forte hunc animum gessit, quem successores ejus habere perspicimus, ut[31]) tamen, etsi veniam postularet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominus in errore persisteret: ubi utique non tam a nobis recipi videretur, quam nos potius in suam traduceret pravitatem. Quem ***reatum*** se ***confessuros*** asserunt ante certamen? Si ***reatus*** est, utique corrigendus est. Si corrigendum non putant, fallaciter se ***reatum*** perhibent[32])

---

tiqua canonum constitutione (O^{6} *institutione*) *firmabuntur.* D^{9} *ipsius ... constitutione infirmabuntur.* F^{d} F^{m} d^{1} d^{2} *ipsius judicia* (F^{d} F^{m} *judici*) *antiqua canonum constitutione firmantur* (D^{3} F^{d} F^{m} N^{3} *firmentur*). In editis aliis, *ipsius judicio antiquae canonum constitutiones firmabuntur.* Hoc sibi vult Gelasius: vetera canonum constituta, quibus supra n. 4 in unaquaque haeresi *a principio Christianae religionis factum fuisse* dicebat, ut una cum haeresis auctoribus eorum etiam successores condemnarentur, ipsius Calchedonensis synodi firmata esse judicio, adeoque et eo ipso damnatam esse Acacii perfidiam.

[29]) In mss. *inluster* vel *inlustris*, quemadmodum et in antiquis diplomatibus eadem vox pingi solet. Is putatur *Andromachus* Lupercaliorum defensor, adversus quem exstat Gelasii tract. VI. Baronius autem illud *a nobis abundanter instructus est* interpretatur *a sede apostolica*, ratus Gelasium id per se praestare non potuisse, quum antequam pontifex crearetur, Acacius vita excessisset. Sed quid obstabat, quominus vivente Felice id etiam per se praestaret, maxime quum in rerum ecclesiasticarum partem, ut observavimus, vocatus esset? Non est tamen prorsus respuenda eruditi cardinalis explicatio, modo nec rejiciatur altera. Ceterum et ipsi Felici in neganda venia pertinaciam objecerunt Graeci. Quapropter is papa epist. 14 n. 3, seu ejus nomine Gelasius, rescripsit: *non sumus pertinaces, sed dogmata paterna defendimus.*

[30]) F^{d} F^{m} D^{4} N^{3} *magis.* Moxque solus d^{1} *deflectere*, et deinde D^{11} cc *judicium.*

[31]) Sic cum N^{3} d^{2} correximus, quum D^{6} D^{7} D^{9} *ut tam eos si*, D^{1} *tamen eo si*, reliqui (F^{d} F^{m} O^{1} V^{1} et D^{9} sec. cur.) sicut editi *tamen si*, d^{1} *ut tametsi.*

[32]) d^{1} inserit *non*, minus recte. — In sequentibus ad personam Euphemii (n. 4) revertitur.

Digitized by Google

profiteri; nisi, quod est infelicius, quum et fatentur reatum, et non (a. 493.)
aestimant corrigendum.

8. Illud quoque me ridere libuit, quod ait: *si necesse fuerit veniam postulare;* existimans nimirum, tunc se peccati veniam necessario[33]) postulare, si ei concedamus ne peccare desistat, immo etiam, quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio, inter quae mundi prodigia haec vox possit admitti. Remitti culpa de praeterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps sinitur[34]) mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assentatio.[35])

9. Non est mirum, si isti sedem beati Petri apostoli blasphemare praesumunt, qui talia portenta vel corde gerunt vel ore diffundunt, et nos insuper *superbos* esse pronuntiant, quum eis prima sedes, quidquid est pietatis, non desistat[36]) offerre, illi etiam ipsam protervo spiritu subjugare se posse confidant. Sed captos mente facere ista non mirum est. Sic phrenetici solent medicantes quosque vel hostes putare vel caedere. Quaero tamen ab his, *judicium* quod praetendunt, ubinam possit agitari: an apud ipsos, ut iidem sint inimici et testes et judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinae legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, non nisi apostolicae sedi juxta canones debetur summa judicii totius; si quantum ad saeculi potestatem, illa[37]) a pontificibus et praecipue a beati Petri vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem judicare. Nec sibi[38]) hoc quisquam potentissimus saeculi, qui tamen Christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quae confessioni beati Petri apostoli *inferni portas nunquam praevalituras* asseruit. Matth. 16, 18.

10. Quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolva-

---

[33]) D[7] omittit *necessario*, moxque *α sic ei*. Paulo antea purior esset oratio: *quod ait, se si necesse fuerit etc.*

[34]) i. e. *permittitur permanere.* c[7] c[9] c[10] *finitur*, D[1] D[2] D[6] D[9] F[d] F[m] *α fingitur.*

[35]) a[1] b cc *assensio.* Plerique omnes mss. *adnotatio*, D[1] D[6] F[d] F[m] N[3] K[3] *adnuntiatio*, D[2] D[9] *annuntiatio.* Praeferimus cum O[11] d[1] d[2] *α*[3] *assentatio.*

[36]) Ita D[2] F[d] F[m] O[1] V[1] c[1] d[1] d[2]; c[7] c[9] c[10] *resistat.* Moxque lectionem D[2] secuti sumus, quum alii mss. D F[d] F[m] V[1] d[2] *illi etiam ipso*, O[1] et editi *illi eam ipso* (d[1] omitt. *ipso*). Deinde d[1] *phrenetici quique*, cc *velut hostes.*

[37]) N[3] *ille ... non ipse.* Moxque b *cognosci*, praeter fidem librorum omnium et sententiam ipsius Gelasii; cf. ep. 12 n. 2 et 3. Eadem mente ad Zenonem Felix II epist. 8 n. 5 jam scripserat: *Puto autem, quod pietas tua ... ita humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea, quae divina sunt, per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat.*

[38]) Ita vulgati cum mss. d[1] *si hoc ... persequatur.* N[3] O[1] *persequentes.*

Digitized by Google

(a. 493.) tur, quam[39]) et vox Christi et majorum traditio et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis, si quis in eis religionis est sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum hominesque sedis apostolicae perpetua constitutione damnentur. Sic autem dicitur fuisse diffinitum, ut deinceps de negotio nihil dicatur, quasi vel nunc eos, quemadmodum nostis, meo duxerim nomine specialiter alloquendos. Neque plane cum istis non corrigentibus ineunda congressio, quemadmodum cum aliarum quoque haeresum sectatoribus dimicatio renuenda. Vos[40]) autem salvos et sospites quantocius huc reverti, continuis Divinitatem votis expetimus.

Epistola 11.

(a. 494 init.)

Episcoporum Dardaniae ad Gelasium papam.

Illius praecepta se grato animo suscepisse nuntiant, atque Eutychis, Petri, Acacii sectatorumque ejus consortium jam antea vitasse (n. 1). Petunt, ut quae Tryphoni mandaverant ipsi suggerenda, benignus audiat, et cum dicto viro aliquem e suis ad ipsos destinet (n. 2). p. 29.

Domino sancto apostolo et beatissimo patri patrum Gelasio papae urbis Romae humiles episcopi Dardaniae.

1. Saluberrima apostolatus vestri praecepta Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet devotione suscepimus, et maximas Deo omnipotenti et beatitudini vestrae referimus gratias, quod nos pastorali admonitione et evangelica doctrina visitare dignatus es, domine sancte, apostolice et beatissime pater patrum. Desiderii enim et voti nostri est, jussionibus vestris in omnibus obedire, et quemadmodum a patribus nostris accepimus, sedis apostolicae, quae vitae et meritis vestris delata est, praecepta intemerata servare, atque religionem orthodoxam, cujus estis praedicatores, fideli et inculpata devotione, prout nostrae rusticitatis sensus patitur, custodire. Eutychis enim vel Petri[1]) Acaciique et omnium sectatorum ejus atque consortium velut quaedam pestifera contagia ante vestram quoque vitavimus jussionem, et multo magis nunc post admonitionem sedis apostolicae et ab eadem nos pollutione necesse est abstinere, et si qui alii ejusdem Eutychis sectam vel Petri et Acacii aut secuti sunt aut sequentur, vel eorumdem sese complicibus atque

---

[39]) Solus d[1] *quoniam et ... fulsit.* Porro *canones* ibi memorati praecipue Sardicenses c. 3, 4, 7 sunt, quibus omnibus fidelibus ad sedem apostolicam provocare permissum.

[40]) Faustus quippe una cum Irenaeo legationis officium obibat.

[1]) Est Petrus Alexandrinus pseudoepiscopus, cujus communione se Acacius contaminavit. Moxque *consortium* idem est ac *sociorum.*

Digitized by Google

consortibus aestimant immiscendos, a nobis, qui sedi apostolicae (a. 494.) secundum divina praecepta et patrum statuta inculpati servire desideramus, omni ratione vitandi sunt. Et si qui forte prava intentione, quod neque arbitramur neque optamus, a sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur; quoniam, ut dictum est, patrum in omnibus custodientes praecepta et inviolabilia sacrosanctorum canonum instituta sectantes, apostolicae et singulari illi sedi vestrae communi fide et devotione parere contendimus.

2. Et quoniam suggerendi fomitem nobis pro insita sibi benignitate beatitudo vestra concessit, aliqua memorato Tryphoni viro religioso filio nostro, praeceptorum vestrorum portitori, suggerenda mandavimus. Et ut suggestionem ejus, quantum arbitramur, justam et rationabilem pro supplicatione nostra libenti animo apostolatus vester dignetur admittere, justis precibus exoramus, quod supplicatio nostra meretur effectum: unum ex angelica sede vestra cum saepe dicto viro religioso ad nos usque praecipite destinare, ut sub ejus praesentia, quae fides orthodoxa et vestrae jussionis sinceritas postulat, ordinentur. *Et subscriptio.*

Johannes episcopus sacrosanctae ecclesiae Scopinae metropolitanae civitatis huic rescripto a nobis dato consentiens, ad omnia quae superius continentur manu propria subscripsi.

Bonosus episcopus ut supra subscripsi.

Samuel episcopus ut supra subscripsi.

Verianus episcopus per Valentinum archidiaconum ut supra subscripsi.

Faustinus episcopus ut supra subscripsi.

Ursinus episcopus ut supra subscripsi.

Epistola 12.

Gelasii papae ad Anastasium Augustum. (a. 494.)

29. *Praemissa excusatione, quod ad illum per Faustum et Irenaeum litteras non dederit (n. 1), de duabus potestatibus ecclesiastica et regali disserit (n. 2 et 3), et obsecrat imperatorem, ne Ecclesiam suis temporibus Acacii causa dilacerari permittat (n. 4). Denique varias objectiones pro defensione schismatis oppositas diluit (n. 5—12).*

1. Famuli[1]) vestrae pietatis, filii mei Faustus magister et Irenaeus viri illustres[2]) atque eorum comites publica legatione fungentes,

[1]) a[1] c c hic in morem salutationis subjiciunt *Gelasius episcopus ad Anastasium Augustum*, praeter fidem mss.

[2]) F[d] F[m] *vir inl.*, K[s] *viri consularis*; certe *Fausto consule* annus 490 consignatur. Mox iidem *publica legatione fungentes*, hoc est, pro civilibus rei publicae non pro ecclesiasticis negotiis: quo sensu infra n. 2 *religionis antistites* legibus imperialibus parere dicuntur, *quantum ad ordinem publicae pertinet disciplinae.*

Digitized by Google

(a. 494.) ad Urbem reversi clementiam vestram quaesisse dixerunt[3]), cur ad vos meae salutationis scripta non miserim. Non meo, fateor, instituto; sed quum directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam sibi vestris praeceptionibus abnegatam tota Urbe disperserint, a litteris credidi temperandum, ne onerosus potius quam officiosus exsisterem. Videtis igitur, non mea dissimulatione provenisse, sed competentis fuisse cautelae, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed ubi serenitatis tuae benevolentiam comperi praefatis indicantibus humilitatis meae clementer expetisse sermonem, jam revera perpendi, reputandum[4]) mihi non immerito, si tacerem; quia, gloriose fili, et[5]) sicut Romanus natus Romanum principem amo, colo, suspicio[6]), et sicut Christianus cum[7]) eo, qui zelum Dei habet, secundum scientiam veritatis habere desidero, et qualiscunque apostolicae sedis vicarius, quod[8]) ubicunque plenae fidei catholicae deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione etenim mihi divini sermonis
1 Cor. 9,16. injuncta, *vae mihi est, si non evangelizavero!* Quod quum vas electionis beatus Paulus apostolus formidet et clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus inspirato[9]) et paterna devotione transmisso subtraxero ministerium praedicandi.

2. Pietatem tuam precor, ne arrogantiam judices divinae rationis officium. Absit, quaeso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo quippe sunt, imperator

---

[3]) O^1 O^2 c[1] *dicuntur*. Moxque sequentia non ita accipienda, quasi Gelasius necdum ullis, ex quo creatus est pontifex, litteris imperatorem salutasset; hoc enim officio se jam perfunctum esse ipse epist. 10 n. 2 testatur: sed quod novae legationis opportunitate oblata nullas ad ipsum litteras dedisset.

[4]) Ita mss. (etiam F^d F^m O^1 V^1) et d^2; alii editi *imputandum*.

[5]) Editi praeter d^2 *te sicut*. Moxque O^1 O^2 K^3 *Romae natus*, de cujus lectionis veritate si constaret, abjicienda esset vulgaris opinio una libri pontificalis auctoritate fulta, qua Gelasius Afer creditur. Hanc autem opinionem cum eo, quod nunc Gelasius se *Romanum natum* praedicat, haud aegre componit Baronius exemplo Pauli, qui quum Tarsi esset procreatus, nihilominus act. 22, 28 sese *Romanum civem natum* esse gloriatus est. Ex eo quidem probabilior est illius interpretatio, quod et simul Anastasium, qui Dyrrhacchii natus erat, *Romanum principem* Gelasius appellat.

[6]) Ita D^1 D^6 D^9 d^1 d^2; D^4 F^d F^m O^1 O^2 V^1 cc *suscipio*.

[7]) Ita O^1 O^2 c; D^1 D^7 F^d F^m N^3 d^2 *cum eum*, D^6 *cum uno*. Mallemus simpliciter *eum*, ut in D^9 secundis curis. Quamquam modestius est, quod Gelasius zelum secundum scientiam imperatori deesse facile innuens, sic precatur hoc munus, quasi non illi, sed sibi deesse sentiret. Quare nec necessaria conjectura Harduini, forte *pacem habere* legendum ad marg. notantis. Potius *zelum* ante *habere* supplendum foret.

[8]) a^1 cc *quodcumque plenae*, O^1 *quod quodcumque*, D F^d F^m O^1 V^1 N^3 d^2 *quod ubicunque*.

[9]) Ita mss. D^1 N^3 d^1 d^2, *sc. evangelio* (ex *evangelizavero*), F^d F^m *expirato*, O^1 O^2 c *inspiratum ... transmissum*. Moxque α D^7 D^9 *judicet*.

Digitized by Google

auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata (a. 494.)
pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum[10]) in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis exspectas[11]), inque sumendis coelestibus sacramentis eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque[12]) inter haec ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si[13]) enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo, oro[14]) te, decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit; ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui, quum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit

---

[10]) Loco *hominum* Baron. substituit *Domino*, quod exinde arripuerunt editores conciliorum nullo suffragante ms. Sed et in concilio Parisiensi VI anno 829 c. 3, quod Capitular. lib. 5. c. 319 insertum est, et apud Anselm. I, 85 (in Vat. 1364) locus iste laudatur cum vocabulo *hominum*, quod et subnexa postulant. Principes *reges hominum* et pontifices *praesules divinarum* [illegible] rum dicuntur, quia illi *humana administrant*, hi etiam regibus *divina dispensant*, u. Gelasii successor Symmachus epist. 10 n. 8 ipsummet Anastasium alloquens explicat. Simili ratione et Fulgentius de verit. praedest. et grat. II c. 22 geminam illam potestatem sic definit atque distinguit: *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo pontifice potior, et in saeculo Christiano imperatore nemo celsior invenitur.* Vide et Felicis II epist. 8 n. 5 ad Zenonem.

[11]) Sic plerique ac potiores mss. (D^5 O^2 c^1); N^3 (prima manu cum F^d F^m *expectis*) O^1 *expectes*, editi (etiam d^1 d^2) *expetis*. Huc spectat illud Symmachi papae epist. 10 n. 8: *Tu imperator a pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas.* Mox α D^9 F^d F^m *hincque* pro *inque*.

[12]) In vulgatis (exceptis d^1 d^2) *Nosti itaque*. Verbum *nosti* abest ab omnibus mss. Deinde d^1 subdit: *Itaque tua interest ex illorum te pendere*, reluctantibus ceteris editis et omnibus mss. Porro *itaque* idem sonat, quod *atque ita* seu *adeoque*. (K^3 simpliciter *et inter haec*). Ante verba autem *pendere* et *velle* subaudiri *debere* nemo non videt.

[13]) Solus d^1 *sicut enim* refragantibus mss. et editis.

[14]) K^3 *quo oro te affectu eis convenit obedire*. In aliis (F^d F^m Q^1 V^1 V^2): *quo oro* (V^2 *qua hora*) *te decet affectu eis convenit;* O^1 O^2 c *quo rogo te*. Deinde b et sequ. conc. edit. substituerunt *qui pro erogandis* male. Idem Gelasius ep. 14. c. 8 *sacri corporis praerogationem* sub conspectu pontificis vel presbyteri exercendi jus diaconis negat.

Digitized by Google

(a. 494.) praeeminere, et subsequens Ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit?

3. Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem. Impeti possunt[15]) humanis praesumptionibus quae divino sunt judicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum, quod ab ipso sacrae religionis auctore praefixum est, non potest ulla virtute convelli! *Firmamentum*[16]) *enim Dei stat!* Numquidnam quum ab aliquibus infestata religio est, quantacunque potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo aestimata est posse succumbere? Desinant ergo, quaeso te, temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticae praecipitanter ambire, quae non[17]) licent: ne et illa, quae male appetunt, nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum hominesque non teneant.

2 Tim. 2, 19.

4. Quapropter sub conspectu Dei pure ac sincere pietatem tuam deprecor, obtestor et exhortor[18]), ut petitionem meam non indignanter accipias: rogo, inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam, quod absit, in divino judicio sentias accusantem. Nec me latet, imperator auguste, quod pietatis tuae studium fuerit in privata vita[19]). Optasti semper fieri particeps promissionis aeternae. Quapropter noli, precor, irasci mihi, si te tantum diligo, ut regnum, quod temporaliter assecutus es, velim te habere perpetuum, et qui imperas saeculo, possis regnare cum Christo. Tuis certe legibus, imperator, pateris nihil perire Romano nomini, nihil[20]) admittis in-

---

[15]) D[1] F[d] F[m] N[3] *non possunt.*

[16]) Ita mss. et editi. D[4] d[1] *Fundamentum.* Mox plures mss. (F[d] F[m] N[3] O[1] O[2] V[1] V[2]) *cum aliquibus infesta religio,* ac deinde D[1] N[3] *quantumque*, d[1] *quacunque.*

[17]) Sic mss. et d[1] d[2]. Alii vero editi cum F[d] F[m] *quae non licet.* Et paulo ante O[1] *perturbationibus ecclesiastica.* Constantinopolitani antistitis, qui secundam sedem affectabat, ambitioni hic occurritur.

[18]) d[1] omittit *exhortor.*

[19]) Hinc firmatur, quod Cedrenus tradit, Anastasio in circo sedenti populum uno ore conclamasse: *sicut vixisti, ita etiam impera domine! Quippe qui*, ut prosequitur idem Cedrenus, *ante galli cantum templum adire solebat ibique dum concio dimitteretur stabat Deum precans, frequens jejunabat et sua pauperibus et mendicis erogabat.* Sed dum in Ecclesiae statu nihil innovari velle se praetexeret, multas ecclesias eodem Evagrio l. c. teste perturbavit ac suis praesulibus spoliavit. Illum tamen Theodorus lector et Theophanes matre Manichaea, Victor autem Tununensis Ariana progenitum tradunt. Quamobrem illum Euphemio suspectae fidei fuisse et de ejus inauguratione Manichaeos Arianosque gratulatos esse auctor est idem Theodorus lector, eique Victor Tununensis, Theophanes et Marcellinus comes suffragantur.

[20]) O[1] O[2] c[1] *nullum admittis ingerere* (alii cc *ingeri*) *detrimentum.* Sequimur F[d] F[m] d[1] d[2].

Digitized by Google

geri detrimenti. Itane verum est, princeps egregie, qui non solum (a. 494.)
praesentia Christi beneficia sed desideras et futura, ut religioni, ut veritati, ut sinceritati catholicae communionis et fidei temporibus tuis non[21]) patiaris quemquam inferre dispendium? Qua fiducia, rogo te, illic ejus praemia petiturus es, cujus hic damna non prohibes?

5. Non sint gravia, quaeso te, quae pro tuae salutis aeternitate dicuntur. Scriptum legisti: *Meliora sunt vulnera amici quam* Prov. 27, 6.
oscula inimici. Quaeso pietatem tuam, ut quo affectu dicuntur a me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat. Verum est, quod figuraliter per prophetam Scriptura testatur: *Una est co-* Cant. 6, 8.
lumba mea[22]), *perfecta mea:* una est Christiana fides, quae est catholica. Catholica autem veraciter[23]) illa est, quae ab omnium perfidorum atque ab eorum successorum consortio sincera, pura, immaculata communione divisa est. Alioquin non erit divinitus mandata discretio, sed miseranda[24]) confusio. Nec ulla causa jam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne[25]) cunctis haeresibus aditum januamque pandamus. *Qui enim in uno offenderit,* Jac. 2, 10.
omnium reus est; et: *Qui minima spernit, paulatim decidit.* Eccl. 19, 1.

6. Hoc est, quod sedes apostolica magnopere praecavet[26]), ut quia munda radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, vel[27]) cui jam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde si[28]) pietas tua unius civitatis populum negat posse componi, quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si, quod absit, nostra fuerit praevaricatione deceptus? Si totus correctus est mundus profana patrum suorum traditione de-

---

[21]) Particulam negantem, quae in vulgatis deerat, supplemus ex mss. Alludit ad fucatae illius pacis studium ab Evagrio loco mox citato memoratum, quo Anastasius praesulibus, quidquid liberet tueri, licere volebat, adeo ut Calchedonensis concilii decreta susciperent alii, alii respuerent, Henotico ceteri mordicus inhaererent. d[1] *quicquam inferri dispendii.*

[22]) F[d] F[m] N[3] c c repetunt *una est.* Moxque O[1] *qua catholica.*

[23]) 4 mss. *singulariter.* Moxque D[5] D[7] α d[1] *successorum sincera,* O[1] *successoribus communione,* D[1] F[d] F[m] N[3] d[2] *successoribus consortibus,* plerique alii mss. (etiam O[2] V[1] V[2]) sicut editi conc. *successoribus atque consortibus.* Ex his omnibus nostram lectionem eruimus.

[24]) Ita F[d] F[m] N[3] O[1] O[2] V[1] V[2] c; d[2] *miranda.*

[25]) Ita O[1] O[2] V[1] V[2] d[2] c; D[1] F[d] F[m] N[3] *nec;* d[1] *ut.* Moxque N[3] O[1] *decidet.*

[26]) O[1] c[1] *praetaxavit,* O[2] *taxavit,* c[7] c[9] c[10] *cavet,* d[2] F[d] F[m] *praecavet.* Moxque F[d] F[m] N[3] O[1] O[2] c d[2] *mundo,* ubi plures mss. et d[1] *munda.* Deinde D[5] delet *nulla rima pravitatis* et post pauca habet *fieri posse non credimus.*

[27]) Ita D[1] F[d] F[m] N[3] d[2]; O[1] O[2] *vel cuiquam,* c[1] *vel unicuique,* c[7] c[9] c[10] *unde cuiquam.*

[28]) Ita O[1] O[2] c; d[1] *cur;* D[1] D[4] F[d] F[m] N[3] d[2] omittunt *si.* Mox editi *posse pace componi* contra fidem mss. F[d] F[m] *universi varicatione deceptus.*

Digitized by Google

(a. 494.) specta[29]), quomodo non corrigatur unius civitatis populus, si praedicatio fida succedat? Ergo, gloriose imperator, nolo[30]) ego ecclesiarum pacem, quam, etiamsi cum mei sanguinis impendio provenire posset, amplector? Sed, precor te, cujusmodi debeat esse pax ipsa, non utcunque sed veraciter Christiana, mente libremus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter per apostolum praedicatur, qui
1 Tim. 1,5. ait: *Caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Quomodo, quaeso te, *de corde erit puro,* si contagio inficiatur externo? Quomodo *de conscientia bona,* si pravis fuerit malisque commixta? Quemadmodum[31]) *fide non ficta,* si maneat sociata cum perfidis? Quae quum a nobis saepe jam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari, et tamdiu non taceri, quamdiu nomen pacis obtenditur: ut nostrum non sit, ut invidiose jactatur, facere[32]) pacem, sed talem velle nos doceamus, qualis et sola pax esse, et praeter quam nulla pax esse monstretur.

7. Eutychianum certo dogma, contra quod apostolicae sedis cautela pervigilat, si creditur salva fidei catholicae posse veritate constare, promatur, asseratur et quantislibet viribus adstruatur, ut non solum per seipsum, quam inimicum sit fidei Christianae, possit ostendi, sed quantas et quam lethales haereses in sua contineat colluvione, monstrari.[33]) Si autem, ut magis confidimus, a catholicis judicatis mentibus excludendum, quaeso te, cur non et contagia simul eorum, qui hoc probantur esse polluti, decernitis refutanda, quum dicat apo-
Rom. 1,32. stolus: *Non solum qui non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus?* Proinde sicut non potest perversitatis communicatore suscepto non pariter perversitas approbari, sic non potest refutari perversitas complice et sectatore perversitatis admisso.

8. Legibus certe vestris[34]) criminum conscii susceptoresque latrocinantium pari judiciorum poena constringuntur, nec expers

---

[29]) Scil. spreto et abjecto idolorum cultu. d^1 *traditione contemta.* Moxque O^1 O^2 c^1 *praedicatio fidei.*

[30]) c^7 c^9 c^{10} ad marg. *non negligo,* D^7 α d^1 *pacem turbari,* contra fidem aliorum plurium mss.

[31]) Ita potiores mss. et c d^2; O^1 d^1 *quomodo.*

[32]) Solus d^1 *velle pacem,* praeter fidem mss. et Gelasii mentem. Nempe quum non semper nostrum sit, facere quod velimus, nunquam tamen non nostrum aut non in nostra potestate est, velle quod libeat, ut Augustinus saepe docet. Deinde d^1 *propter quam,* c^7 c^9 c^9 c^{10} *sed tamen velle doceamus ... nulla esse monstratur.*

[33]) Solus d^1 *monstretur ... ut magis credimus.*

[34]) Hoc est imperialibus, ubi notari videtur, quod Valentinianus l. 1 cod. Theod. IX, 29 sanxit: *Eos, qui secum alieni criminis reos occulendo sociarunt, par atque ipsos reos poena exspectet:* nec non quod idem imperator lege sequente addit: *Latrones quisquis sciens susceperit etc.* — Ibi F^d F^m *constringit.*

Digitized by Google

facinoris aestimatur, qui, licet ipse non fecerit, facientis tamen fa- (a. 494.)
miliaritatem foedusque receperit. Proinde quum Calchedonense concilium pro fidei catholicae atque apostolicae veritate communioneque celebratum damnaverit Eutychen detestandi[35]) furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum ceterosque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in unaquaque haeresi vel factum semper vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum Timotheus[36]), Petrus, atque alter Antiochenus Petrus, non viritim propter singulos quosque rursus facto concilio, sed synodi semel actae regula consequenter elisi. Quemadmodum ergo non evidenter appareret, etiam cunctos simili tenore constringi, qui[37]) eorum communicatores et complices exstiterunt, atque omnes omnino a catholica atque apostolica merito communione discerni? Hinc Acacium quoque jure dicimus a nostro consortio submovendum, qui maluit in sortem transire perfidiae, quam in catholicae atque apostolicae communionis[38]) sinceritate constare, quum fere triennium, ne in id veniret, apostolicae sedis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam vero communionis est factus alienae, non potuit nisi a catholicae et apostolicae mox societate[39]) praecidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse contagia perfidorum. Sed revera vel tali perculsus poena resipuit, correctionem promisit, emendavit errorem? Aut[40]) ille tractatus lenius voluerat coerceri, qui etiam verbera dura non sensit? Quo in sua perfidia et damnatione moriente[41]), tam ejus in ecclesistica recitatione non

[35]) Solus d[1] *damnati.*

[36]) O[1] O[2] a[1] b c *Timotheum, Petrum atque alterum Antiochenum Petrum non viritim propter singulos quosque rursus facto concilio sed synodi semel acta* (O[1] O[2] *seme jacta*) *regula consequenter elisit.* Plerique mss. *Timotheus Petrus atque alter Antiochenus Petrus non viritim singulariter nominatim unusquisque pro parte sua viritim propter singulos quosque rursus facto concilio sed et synodi semel actae regulae* (Reg. secundis curis *actis regulis*) *consequenter elisi*; emendantur ex F[d] F[m] N[3] O[1] O[2], quibus favet D[5], ubi post *Antiochenus Petrus* secunda manu expuncta sunt *singulariter nominatim unusquisque pro parte sua*, et post *viritim* expuncta sunt *propter singulos quosque*, addito in margine *in alio non erat.* Revera verba illa *singulariter nominatim unusquisque pro parte sua* non nisi scholion pro explicanda voce *viritim* appositum esse videntur. D[1] d[2] ea retinent, mutato ordine: *non singulariter ... parte sua viritim propter singulos.*

[37]) Sic potiores mss. et d[1] d[2]; alii *et qui.* Mox solus d[1] expunxit *merito.*

[38]) D[5] d[1] *sinceritatis communione.* Deinde in mss. et d[1] d[2] *triennio* aut *triennium*, ubi editi *per triennium.* Quo pacto computandum sit hoc triennium, ex Gelasii tract. I (gest. de nom. Acac. n. 8) discimus, ubi habetur: *Per ferme triennium vel amplius sanctae memoriae papa Simplicius non desiit scribendo ad Acacium etc.*

[39]) Solus d[1] addit *sedis.*

[40]) Sic D[1] F[d] F[m] N[3] c[7] c[9] c[10] d[2]. d[1] *an ille . . voluit*, K[3] O[1] O[2] *valuerat*, a[1] *valeat.*

[41]) O[1] O[2] V[1] c[1] *manente* (O[2] sec. cur. *moriente*). Deinde D[7] a[3] *ecclesiasticam recitationem* scripsisse videntur; moxque O[1] O[2] *contagium communionis non debet.*

Digitized by Google

(a. 494.) potest nomen adscribi, quam externae contagium non debet communicationis admitti. Quapropter aut doceatur[42]) ab haeretica participatione sincerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum eisdem non potest non repelli.

9. Sic[43]) autem susurrant Orientis episcopi, quod ad eos sedes apostolica non ista conscripserit, quasi vel ipsi de recipiendo legitime Petro sedem apostolicam suis litteris fecerint certiorem, vel hujus receptionis inconditae non jam pariter complices exstitissent. Quem[44]) sicut non possunt docere ab haeretica pravitate fuisse purgatum, ita se haereticorum nullatenus poterunt excusare consortes. Quid[45]) si fortassis adstruxerint, quod ad apostolicam sedem de susceptione Petri per Acacium cuncti consona voluntate retulerint, per eumdem sibimet omnes pari vice sentiant fuisse rescriptum. Apostolicae vero sedis auctoritas quod cunctis saeculis Christianis Ecclesiae praelata sit universae, et canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur. Sed vel[46]) hinc, utrum sibi quisquam contra Nicaenae synodi constituta quidpiam valeat usurpare, collegio potest unius communionis ostendi, non mentibus externae societatis aperiri. Apud illos si quis confidit, egrediatur in medium, et apostolicam sedem de[47]) utroque revincat et instruat. Tollatur ergo nomen e medio, quod[48]) ecclesiarum discretionem procul ac catholicae communionis operatur, ut sincera pax fidei communionisque

---

[42]) Solus d[1] *doceantur ... sinceri ... non posse repelli*, contra auctoritatem mss. D F[d] F[m] O[1] O[2].

[43]) D[4] O[1] O[2] c *si*. Deinde solus d[1] *scripserit*. De Petro Mongo seu Alexandrino postea Gelasius loquitur.

[44]) d[1] *quam sicut non possunt dicere;* D[1] F[d] F[m] N[3] *quam si verum* (D[4] *si vere*) *possunt docere*; restaurantur ex O[1] O[2] c[1] d[2] (alii editi *quem sicut vere non possunt*).

[45]) Ita D N[3] O[1] O[2] d[2]; alii *quod*, F[d] F[m] *qui*. Moxque O[2] c *voce* (loco *voluntate*), ac deinde d[2] *voce*, ubi cum F[d] F[m] N[3] O[1] O[2] c[1] c[7] c[9] c[10] *vice*. De relatione Acacii hic memorata egimus in notitia epistolarum non exstantium Felicis II n. IX. Rescripti autem apostolicae sedis nomine indicatur Felicis epist. 6, quo Acacius primum damnatus fuit.

[46]) c[1] *licet hinc vel utrum sibi quisque*, F[d] F[m] N[3] d[2] *vel hinc vel utrum*, d[1] *vel huic*, O[1] O[2] et vulgatos (c[7] c[9] c[10]) sequimur. Deinde D[5] *unius communione*.

[47]) O[2] et editi praeter d[1] d[2] *de utraque parte* (O[1] *de utraque*). Postquam Gelasius sedis suae praerogativam quum canonum tum traditionis auctoritate asseruit, Orientales provocat et experiri jubet, num ipsius assertionem revincere ac refellere valeant.

[48]) d[1] *quod ecclesiarum et catholicae communionis discretionem proculcat, ut sincera pax communionis et fidei reparetur unitas*, corrupte. Quid enim sibi vult, quod nomen Acacii *ecclesiarum et catholicae communionis discretionem proculcat?* Certe quum hic notetur culpanda quaedam *discretio*, immerito Gelasius vitio verteret, quod haec proculcetur. In editis aliis (etiam d[2]) legitur *procul a catholica communione*. In vetustioribus autem mss. (D[1] F[d] F[m] N[3] O[1] O[2] V[1]) *procul a catholicae communionis*, quam lectionem restituto *ac* pro *a* sinceriorem putamus. Mox O[1] *reparetur integritas et unitas*.

Digitized by Google

reparetur et unitas: et tunc quis nostrum contra venerandam vel (a. 494.)
insurrexerit vel nitatur insurgere vetustatem, competenter et legitime perquiratur. Et illic apparebit, quis modesto proposito custodiat formam traditionemque majorum, quis[49]) supra haec irreverenter insiliens, quis rapina aequalem posse fieri arbitretur.

10. Quodsi mihi populi Constantinopolitani persona proponitur[50]), per quam dicatur nomen scandali, id est Acacii, non posse removeri; taceo, quia et haeretico quondam Macedonio pulso et Nestorio nuper ejecto plebs Constantinopolitana catholica permanere delegerit[51]), quam majorum praesulum damnatorum affectione retineri. Taceo, quod qui ab eisdem ipsis damnatis praesulibus[52]) baptizati fuerant, in fide catholica manentes, nulla sint exagitatione turbati. Taceo, quod pro rebus ludicris populares tumultus nunc etiam vestrae pietatis auctoritas refrenarit[53]); atque ideo multo magis pro salute animarum suarum necessario vobis Constantinopolitanae civitatis obtemperat multitudo, si eam ad catholicam et apostolicam communionem vos principes reducatis. Etenim, imperator auguste, si contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam for-

---

[49]) Neque hic placet, quod apud Quesn. *quis supra haec irreverenter insiliat, quis rapinam rerum ecclesiasticarum posse fieri arbitretur*, nullo ex nostris mss. suffragante. d^2 secundum suos codices (etiam O^1 O^2 V^1) *insiliens, quis rapina posse fieri*: editi alii *insiliens* (O^1 O^2 c^1 add. *quis*) *rapina* (c^1 *rapinam*) *aequalem posse fieri*. His verbis Gelasius invidiam sibi ab Orientalibus conflatam in eosdem refert: venerandae vetustati majorumque traditioni religiose adhaerere se confirmans, ipsos vero sic se gerere, quasi his se crederent superiores. Haec ideo videtur dixisse Gelasius, quia quum ipse ac decessores ejus antistiti Constantinopolitano negassent, quod idem praesul sibi a Calchedonensi concilio concessum volebat, inde occasionem arripuerunt Orientales, ut Romanos pontifices se supra hoc concilium efferre jactitarent. Quia vero Constantinopolitanus antistes contra Nicaenum canonem secundam affectabat sedem, vicissim ipsi tacite exprobrat Gelasius, quod *rapina aequalem* se sedibus apostolicis posse fieri arbitretur.

[50]) F^4 F^m O^1 V^2 *praeponitur;* conf. Gelas. ep. 3 n. 15. Moxque K^3 *tota plebs.*

[51]) In vulgatis hic additur *potius*, quae vox hic ut infra n. 12 reticetur in mss. Neque hoc Gelasio inusitatum; nam et epist. 3 n. 13 legimus *decet nos animas nostras ponere quam*, et num. 16: *vultis vobiscum medicos aegrotare quam*, particula *potius* utrobique tacita. Reticentiae ejusdem plura sunt et apud Augustinum exempla. — Tum Quesn. sequentia sic exhibet: *quam amore praesulum damnatorum ac defectione retineri;* num aliqua auctoritate, me fugit. N^3 d^2 *a defectione retineri.*

[52]) Ita mss. O et c c. Alii mss. *quibus;* pejus vero d^1 d^2 *a quibus*, omisso antea *qui*. Docet Gelasius superiorum temporum exemplo nullum plebi Constantinopolitanae pro Acacio tumultus ciendi esse causam, quum baptismum ab ipso collatum, sicut erga eos actum est, quos Macedonius atque Nestorius olim baptizaverant, ratum habeat.

[53]) Anastasius Theodoro lectore lib. 2 pag. 566 teste *venationes amphitheatri sustulit.* Hinc forte tumultuum illorum popularium, quos idem imperator refrenasse nunc dicitur, nata occasio.

Digitized by Google

(a. 494.) tasse tentaret, nulla pati id ratione potuisses: ad Divinitatis[54]) puram sinceramque devotionem ut tibi plebs subdita redigatur, conscientiae tuae non putas interesse? Postremo, si unius civitatis populi animus non putatur offendi[55]), ne divina, ut res postulat, corrigantur: quanto magis, ne divina offendantur, catholici nominis universi piam fidem nec laedere debemus omnino nec possumus!

11. Et tamen iidem nostra se poscunt voluntate sanari. Competentibus ergo se sinant curari posse remediis: alioquin, quod absit, in eorum transeundo perniciem cum illis perire possumus, ipsos vero salvare non possumus. Jam hic quid sit magis sequendum, sub divino judicio vestrae conscientiae derelinquo: utrum, sicut nos optamus, simul omnes certam redeamus ad vitam, an, sicut illi poscunt, manifestam tendamus ad mortem.

12. Sed adhuc apostolicam sedem sibi medicinalia suggerentem *superbam* vocare *arrogantemque* contendunt. Habet hoc qualitas saepe languentium, ut accusent[56]) medicos congruis observationibus ad salubria revocantes, quam ut ipsi suos noxios appetitus deponere vel reprobare consentiant. Si nos superbi sumus, qui animarum remedia convenientia ministramus, quid vocandi sunt qui resultant? Si nos superbi sumus, qui obediendum paternis dicimus institutis; qui refragantur, quo appellandi sunt nomine? Si nos elati sumus, qui divinum cultum puro atque illibato cupimus tenore servari; qui contra Divinitatem quoque sentiunt, dicant, qualiter nuncupentur? Sic[57]) et nos ceteri, qui in errore sunt, aestimant, quod eorum non consentiamus insaniae. Ubi tamen spiritus superbiae veraciter consistat et pugnet, veritas ipsa indicat.[58])

Epistola 13.

a. 494 d. 25 Jan.

Gelasii papae ad Rusticum.

Obiter commemorans, quantum et consolationis ex illius erga sedem apostolicam caritate percipiat et persecutionis ob Acacii causam sustineat, Epiphanium episco- p 30

[54]) Mss. O c[1] *unitatis.*

[55]) d[1] cum D[3] hic addit *debere* (quod verbum etiam supra num. 2 a Gelasio subticeri observavimus) ac deinde cetera sic prosequitur: *offendi, ne divinae auctoritates, ut res postulat, corrigantur* (ad marg. *collidantur*) ... *universi cultores piam.* Et vero de divinis auctoritatibus hic nullus est sermo, sed de sacris tabulis, quae ad divina mysteria pertinerent, quaeque ut expuncto Acacii nomine corrigerentur, res Ecclesiae postulabat. F[d] F[m] *divine ut res postulant ... debeamus ... possimus.*

[56]) Editi et hic addunt *magis* (d[2] *magis quam ut*), ac deinde d[2] *eos* post *congruis*, quod abest a probatioribus mss. — Mox c c *quia animarum.*

[57]) Ita c d[2] et meliores mss. (F[d] F[m] N[3]); alii et d[1] *Sic nos et ceteri.*

[58]) D[1] N[3] sic claudunt: *Explicit Papae Gelasii ad Anastasium Principem.*

Digitized by Google

pum ei commendat, et ut de Gallorum circa hanc causam animis sese certiorem reddat petit. a. 494.

Dilectissimo fratri Rustico[1]) Gelasius.

1. Inter ingruentium malorum turbines et variarum tentationum, quibus pene mergimur, afflictationes tua nobis caritas, amantissime frater, grande solatium propinavit. Quid enim consolatius posset accidere, quam videre fratres carissimos invicem compatientes et partem oneris ferentes, quibus non minima benedictionis portio collata est? Benedictus Deus, qui tua erga nos taliter affecit praecordia, ut non tantum quae patimur animo sentias, sed et monstres in sanctae tributionis exhibendo misericordiam, qualem habeas in compassivo corde caritatem, et adjungas ad dulcissimae consolationis sermones, quae sunt praecipuae inter amicos opitulationes! Verum dilectionem tuam non fatigabimus scribentes, quam in arcto fuerimus. Scit frater noster et coepiscopus Aeonius, quam utile fuerit, et quod misit et quod ad nos misisti, subsidium. Ceterum frater noster Epiphanius, qui ad gentis suae relevandos et redimendos captivos ad partes vestras destinatur[2]), fraternitatem tuam certiorem faciet, quantam ob impiissimi Acacii causam persecutionem sustinemus. Sed non deficimus, et inter tot pressuras nec cedit animus nec relaxatur zelus nec subvertit metus. Sed licet aporiantes et angustiati, confidimus in eum, qui dabit cum tentatione proventum, et si ad tempus sinit deprimi, non patietur opprimi.

2. Fac, carissime frater, ut tuus tuorumque in nos vel potius in sedem apostolicam non cesset affectus. Qui enim in petra solidabuntur, cum petra exaltabuntur. Adjuva fratrem nostrum Epiphanium, et sentiat quia me amas[3]); et quum redierit ad propria, scribat dilectio tua, tam quae sibi quam quae fratribus nostris et coepiscopis per Gallias constitutis circa impiissimi Acacii causam videbuntur. Deus te praestet incolumem, frater carissime! Datum VIII Calendas Februarias Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

---

[1]) De hoc praesule Ennodius in vita Epiphanii sic scribit: Epiphanius *Lugdunum ingressus est, ubi Rusticus* (ibi *Rusticius*) *tunc episcopalem cathedram possidebat, homo, qui et in saecularis tituli praefiguratione sacerdotem semper exhibuit, et sub praetexta fori gubernationem gessit ecclesiae.*

[2]) Legationem ita prospere obiit, *ut quadringentos homines die una de sola Lugdunensi civitate redituros ad Italiam fuisse dimissos, et plus quam sex millia animarum propriis terris reddita esse* Ennodius l. c. testetur.

[3]) Hoc Gelasii desiderium Rusticus praevenit. Antequam enim litteras illius acciperet, ut Ennodius l. c. auctor est, iste praesul *trans Rhodanum fluvium adventui ipsius* (Epiphanii) *spiritalis laetitiae copia repletus occurrit, causam commeationis inquirit, quae essent astutiae regis edocuit: ne videlicet inopinantem objectionum aut responsionis calliditas inveniret.*

Digitized by Google

Epistola 14.

a. 494 d. 11 Mart. **Gelasii papae ad universos episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos.**

Tituli decretorum Gelasii papae.

I. De constitutis ecclesiasticis pro temporis qualitate moderandis. p. 30.
II. Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur; vel quum[1]) defuerint clerici, de monachis eligantur.
III. Ut[2]) si qui de laicis eliguntur ad clerum, multo sollicitius in his ea, quae de monachis dicta sunt, inquirantur.
IV. Ut[3]) ab episcopis praeceptione papae novae basilicae dedicentur.
V. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quodsi[4]) qui hoc perpetraverint, honoris sui periculo subjacebunt.
VI. Ut[5]) presbyteri modum debitum servent, non chrisma conficiant, non consignent, nec praesente quolibet episcopo, nisi jubeantur ab ipso, vel orare vel sedere praesumant, nec acolythum vel subdiaconum faciant.
VII. Similiter et diaconi mensuram propriam juxta patrum decreta custodiant.
VIII. Quod diaconi in presbyterio residere non possint, nec[6]) sacri corporis praerogationem praesentibus debeant usurpare presbyteris.
IX. Quod apostolica sedes paternos canones pio studio devotoque[7]) custodiat.
X. Ut praeter paschale tempus et Pentecosten nemo baptizare praesumat, nisi eos tantum, quos aegritudo extrema compulerit.
XI. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis celebrari posse temporibus.
XII. Ut[8]) praefixis diebus virgines consecrentur.
XIII. Ut[10]) viduae non velentur.
XIV. Ut[11]) nullus praesul vel ecclesiae vel monasterii servum aut originarium,

---

[1]) O post J, hoc titulo in duos diviso, abhinc tertium inchoat.

[2]) In D^2 H^6 hic III titulus ita legitur: *Ut si qui de laicis eliguntur ad clerum, multo sollicitius haec, quae superius dicta sunt, inquirantur, et super statutos gradus, quibus munus* (D^2 *annus*) *expletur, sex menses adjiciendi sunt, ut post annum et sex menses presbyteri de laicis, si necessitas exegerit, ordinentur.* O *Ut si qui de laicis eliguntur ad clerum, quantum temporis observetur.* Tum sequitur novus titulus V *De bigamiis aliisque personis, quae ad ministerium clericatus nullatenus adplicantur.*

[3]) J O *Ut sine praeceptione papae novae basilicae non dedicentur.*

[4]) Reliqua hujus tituli verba omittuntur in mss JO; in H^6 leguntur: *quod si qui perpetrare fuerint deprehensi, honoris sui sint periculo subituri.*

[5]) Brevius JO: *De presbyteris, ut nihil de iis, quae sunt episcoporum, praesumant.* C^1 E^2 (et apud E^2 est cap. II) *ne presbyteri sibi velint inlicita vindicare.*

[6]) Sequentia suppresserunt JO. N^6 post *non possint* additi *nec cum tractatus habetur ecclesiasticus: nec sacri.*

[7]) H^6 *devoteque.*

[8]) JO *De presbyterorum ... ordinationibus certis celebrandis temporibus.* N^6 *Presbyterorum ordinationes certis celebrare temporibus.*

[9]) JO *De virginibus sacris, quando velentur.* c^1 *De velamine puellarum Dei,* H^6 *Ut praefixis diebus virgines sacrae velentur.*

[10]) C^1 *De viduis, ne velamen sacrum accipiant.*

[11]) JO *Ut servi sub obtentu religionis non suscipiantur in clerum vel in monasterium.* C^1 *De servis vel originariis, ut neque in ecclesia neque in monastertis suscipiantur.*

Digitized by Google

nolentibus dominis, sub nomine religioso defendat: honoris et communionis peri- a. 494.
culum subiturus, quisquis hoc perpetrare tentaverit.

XV. Ut[12]) clerici nulla negotia inhonesta nec turpia lucra sectentur.

XVI. Ut[13]) nemo litteras nesciens vel aliqua parte corporis minutus promoveatur ad clerum.

XVII. De iis, qui seipsos abscidunt[14]).

XVIII. Quod[15]) ad clerum criminosi nequeant promoveri, et in clero positi, si in aliquibus fuerint inventi flagitiis, a suis officiis arceantur.

XIX. Quod daemoniis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat.

XX. Quod ii, qui se sacris virginibus sociant et foedera incesta commiscent[16]), communicare non possint, nisi forte publicam poenitentiam gesserint.

XXI. Quod viduae, ut supra dictum est, non velentur; et si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsae pro[17]) se rationem sint Domino redditurae.

XXII. Quod secunda conjugia saecularibus non negentur, quibus[18]) tamen ad clerum minime venire conceditur.

XXIII. Ut si quis susceperit ecclesiae propriae desertorem et in aliquam provexerit dignitatem, utique sententiae subjaceant, quam canones affixerunt[19]).

XXIV. Quodsi[20]) qui ex monachis aut laicis eliguntur ad clerum, quum nulla cogit necessitas, antiqua in eis debent instituta servari. Quodsi probentur sacram mercati esse pretio dignitatem, ab officio deponantur; nam dantem et accipientem Simonis Magi crimen involvit.

XXV. De sacris locis noviter institutis, quamvis superius dictum sit, hoc nunc tamen adjicitur, ut[21]) nulla basilica sub defunctorum constructa nomine dedicetur.

XXVI. Quod nefas sit feminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex iis, quae virorum sunt officiis deputata, praesumere.

XXVII. Quod[22]) in unaquaque ecclesia, cui episcopus praeest, tam de reditibus quam de fidelium oblationibus quatuor debeant fieri portiones: ut una sit episcopi, alia clericorum, tertia pauperum, quarta ecclesiae fabricis applicetur.

XXVIII. Quod[23]) episcopus, presbyter et diaconus, a quocunque clerico veraciter fuerit accusatus, quod adversus haec constituta fecerit, potest sine dubitatione percelli: sui etiam honoris periculum episcopus subiturus, si haec omnia Ecclesiae noscenda tacuerit.

---

[12]) C[1] *Ut nulli clerico liceat negotiare.* H[6] *Ut clerici nullas negotiationes inhonestas ac turpi sacra sectentur.*

[13]) H[6] *Nulli liceat inlitteratum vel debilem ad ecclesiasticos ordines promovere.*

[14]) H[6] *abciderint.*

[15]) JO *De criminosis, ut ad clerum non admittantur.* Moxque H[6] *criminibus* (pro *flagitiis*).

[16]) Mss. FO *commiserint.*

[17]) H[6] *pro se rationem Deo pro suis sint actibus redditurae.*

[18]) H[6] *quibus jam ad clerum pro hoc facto minime venire conceditur.*

[19]) H[6] JO *praefixerunt.*

[20]) JO *De laicis vel monachis, qui per praemium ordinantur, ut dantem et accipientem Simonis Magi crimen involvat.* H[6] *Quod si quis ex monachis et laicis, de quibus supra dictum est, eligentur ad clerum etc.*

[21]) JO *Ut nulla basilica sub defunctorum constituta nomine dedicetur.*

[22]) JO haec ita perstringunt: *De reditibus ecclesiae vel oblatione fidelium ut quatuor portiones fieri debeant.* Moxque H[6]: *tam de redditu quam de oblatione fidelium etc.*

[23]) JO *Ut episcopus, presbyter, diaconus, qui contra haec constituta fecerit, sui honoris periculum sit subiturus.*

Digitized by Google

a. 494. Dilectissimis fratribus universis episcopis[24]) per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutis Gelasius.

CAP. I. 1. Necessaria rerum dispositione[25]) constringimur et apostolicae sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare et retro praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis[26]) ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, et reparandis militiae clericalis officiis, quae[27]) per diversas Italiae partes ita belli famisque consumpsit incursio, ut in multis ecclesiis, sicut fratris et coepiscopi nostri Johannis Ravennatis ecclesiae sacerdotis frequenti relatione comperimus, usquequaque deficiente servitio ministrorum[28]), nisi remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervalla praefixa, remaneant, sine quibus administrari nequeunt, sacris ordinibus ecclesiae funditus destitutae, atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii salutare subsidium redimendarum desit animarum, nosque magno reatu, si tanto coarctante[29]) periculo non aliquatenus consulamus, innecti.

II. 2. Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quae, ubi nulla vel rerum vel temporum perurgeat angustia, regulariter convenit custodiri[30]), catenus ecclesiis, quae vel cunctis sunt privatae ministris vel sufficientibus usque adeo dispoliatae servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam instituendi[31]) quam promovendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus: ut si quis, etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus[32]) accedit, imprimis ejus vita praeteritis acta temporibus inquiratur: si nullo

---

[24]) Ita mss. JO. De aliis hujus inscriptionis formis confer in hanc epist. monit. praev. n. 2—4. F^d inscriptionem eamdem quam B^1 E^1 E^2 habet. F^m autem ita inscribit: *Constituta canonum a synodo sedis apostolicae ibidem congregata numero LXVII absque papa. Gelasius universis episcopis. Necessaria etc.*

[25]) Ita sedecim mss. (etiam B^1 C^2 F^d F^m H^8 O^1). D^6 D^7 H^6 d^1 d^2 *disputatione*, in aliis editis *dispensatione*.

[26]) d^2 *reparandis*.

[27]) Solus d^1 *qua*. Moxque B^1 C^2 *consumserit*, E^2 *consumserat*.

[28]) Ita pleriquè mss. (etiam B^1 F^d F^m H^8) et editi. Alii (etiam H^{15}) *ministeriorum*. Deinde C^1 *nil* (loco *nisi*). Moxque c^9 c^{10} d^1 i^2 *nequeant*.

[29]) B^1 H^6 H^{15} *cohortante*. Moxque vulgati conciliorum *aliquatenus videamur innecti*, refragantibus mss. Verbum autem *innecti* a superiore *videamur* regitur.

[30]) Ita mss. c^1 d^2 h^1 i^2; c^7 c^9 c^{10} *custodire*.

[31]) c^{10} *intuendi*, moxque c^1 *providendi*, ac deinde F^d F^m d^2 *obsequii*, ubi B^1 D^2 E^2 H^8 O^1 O^2 *officii*.

[32]) Solus d^1 *onus*, ac deinde editi exceptis d^2 i^2 *accedat*, moxque F^d F^m d^2 *vel si nullo*.

Digitized by Google

gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis a. 494.
uxorem, nec a marito relictam sortitus ostenditur; si poenitentiam publicam fortasse non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus appareret; si servilis[33]) aut originariae non est conditionis obnoxius; si curiae jam probatur nexibus absolutus; si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarium[34]) possit implere: ut si his omnibus quae sunt praedicta fulcitur, continuo lector vel notarius aut certe defensor effectus, post tres menses exsistat acolythus, maxime si huic aetas etiam suffragatur, sexto mense subdiaconi nomen accipiat, ac si modestae conversationis honestaeque voluntatis exsistit, nono[35]) mense diaconus completoque anno sit presbyter: cui tamen, quod annorum fuerant interstitia collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur praestitisse devotio.

3. Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis[36]) est aggregandus III.
officiis, tantos ollicitius in singulis, quae superius comprehensa sunt, hujusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis: quia utique convenientia[37]) Ecclesiae ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerendi; tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quaerendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerant assequenda, decerpitur: ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendae penuriae clericalis vitia potius divinis cultibus intulisse[38]), non legitimae familiae computemur compendia procurasse. Quorum promotionibus super[39]) anni metas sex menses nihilominus subrogamus: quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem. Quae tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis, quibus in-

---

[33]) Ita d^1 d^2 et mss. (etiam B^1 E^2 F^d F^m H^{15}; H^8 *originalis*); alii editi *servili ... conditioni*. Vide Leonis ep. 4 cap. 1 et Hilari ep. 16 n. 5.

[34]) Ita potiores mss. (etiam H^9 H^{15} O^1 O^2) et d^2 i^2; alii mss. et a^1 c h^1 *ostiarii possit implere ministerium.* B^1 *ostiarius ... ministerium,* D^7 *ostiarium ... ministerium.* O^3 O^6 *ostiarii ... officium,* H^6 *ostiarium ... officium,* F^d *ostearum ... mysterium,* F^m *ostiariorum.*

[35]) D^9 d^2 *nono mense sit diaconus completoque anno presbyter.* Ms. s. Remigii antiquissimus, qui fuit Nicolai Fabri, cum F^m: *mereatur nomen diaconatus completoque.*

[36]) D^1 F^d *ad ecclesiastici — officiis* (F^d *officii*), unde d^1 *ad ecclesiasticum officium.* Moxque H^{15} *examinare personam quanto.*

[37]) D^6 D^9 d^1 omittunt *convenientia*; F^d F^m *convenienter.* Mox D^9 secundis curis et a^1 c c *ingerenda.*

[38]) a^1 c c addunt *judicemur*, refragantibus mss. Moxque H^6 H^{15} *confutemur.*

[39]) Ita mss. F^d F^m H J O; D^1 *super anni aetas*, B^1 *super enim aetam*, E^2 *super anima aetas*, D^7 d^1 *si permittit aetas, sex menses nihilominus* (et cum d^2) *praerogamus:* corrupte. Hoc enim Gelasius monachos inter et laicos ponit discrimen, quod illos intra annum ad presbyterii gradum promoveri permittat, his autem praeter anni metas etiam sex menses velit subrogari. D^6 *prorogamus*, D^1 *praerogamus.*

Digitized by Google

a. 494. festatione bellorum vel nulla penitus vel exigua remanserunt, ministeria renoventur: quatenus his Deo propitio restitutis, in ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma servetur; nec contra eos ulla ratione praevaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversus scita majorum nova lege proponitur[40]): ceteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus[41]), singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus; nec[42]) fas esse confidat quisque pontificum, bigamos, aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet post[43]) poenitentiam, vel sine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiae publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis exspectatione[44]) discussos, divinis servituros applicare mysteriis; neque[45]) pro suo libitu jura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicae justa dispositione mandante.

IV. 4. Basilicas noviter institutas non petitis ex more praeceptionibus[46]) dedicare non audeant. Non ambiant sibimet vindicare clericos potestatis alienae.

V. 5. Baptizandis consignandisque fidelibus[47]) pretia nulla praefigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: Matth. 10, 8. quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a praedictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati redemptionis suae causas adire despiciant: certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

---

[40]) Solus d[1] *proponuntur*, refragantibus mss. et editis. Deinde D[9] omittit *ab:* moxque *pristinam facientibus ordinationem convenit deinde reverendorum canonum. (facientibus* etiam D[1], d[1] *factis* legit; d[2] addit *cognoscitis* post *vastatas*). Sequimur B[1] E[2] F[d] F[m] H J O et alios editos.

[41]) D[6] D[7] D[9] F[d] F[m] d[1] d[2] *diligamus.* Aliorum codicum (etiam B[1] H[9] H[15]) lectionem firmat illud cap. 13 *quod nec auctoritas divina delegat.*

[42]) D[1] prima manu: *ne forsitan esse confidat quisque pontificum bigamus aut conjugia sortiens,* unde forte d[1] *ne forsitan sint quique pontificum bigami aut conjugia sortientes:* male, quum non de pontificibus sed de laicis ordinandis hic agitur.

[43]) c[10] *poenitentium*, refragantibus mss. et aliis editis.

[44]) H[6] secunda manu sed antiqua *examinatione.*

[45]) d[2] *Ne qui etc.* et jam totum ad sequ. cap. IV (ipsius III) refert, sensu sane et E[2] suffragante. Deinde D[6] *praevadere*, moxque H[6] prima manu *dispensatione.*

[46]) Scil. *sedis apostolicae*, ut infra cap. 25 *absque praecepto sedis apostolicae.* Moxque c c addunt *episcopi* (post *ambiant*), sine auctoritate mss.

[47]) c c addunt *presbyteri*, refragantibus mss. Deinde D[9] *exigere*, moxque plures mss. H (H[1] H[4] H[5]) *mandamus.* d[2] autem *accipimus ... nihil prorsus*, ac denique B[1] *causas adhibere.*

Digitized by Google

6. Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere pro- a. 494.
hibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: VI.
non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendae[48]) sibimet arripere facultatem. Non praesente quolibet antistite, nisi fortasse jubeatur[49]), vel orationis vel actionis sacrae suppetere[50]) sibi praesumat esse licentiam; neque sub ejus adspectu, nisi jubeatur, aut sedere praesumat aut venerabilia tractare mysteria. Nec sibi meminerit ulla ratione concedi, sine[51]) summo pontifice sub-

---

[48]) Ita mss. plerique et editi. D[1] *adhibente*, unde d[1] *adhibere nec sibimet arripere illicitam facultatem.* F[d] *adhibentes.*

[49]) Ita plerique omnes mss. (etiam B[1] F[d] F[m] H[8]). At a[1] c d[1] d[2] h[1] h[2] i[2] *jubeantur* (d[1] addit *ut*) et postea *praesumant ... meminerint* sicque deinceps constanter numero plurali, nisi quod infra d[1] retinuit *ejus praesule*, ubi alii editi praeferunt *eorum praesule.* Quae presbyteris a canonibus prohibeantur, latius exponit concilium Hispalense II anno 619 habitum cap. 7.

[50]) Ita mss. magno consensu (etiam B[1] F[d] F[m] H[8] H[15]), ubi c c *supplendae;* adeoque redundat sequens verbum *esse.* Hic *sacrae actionis* nomine corporis et sanguinis Christi intelligitur sacrificium, quod et vocabulo *agenda* enuntiatur in his concilii Carthaginensis II can. 9: *Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius exsistit.* Idem concilium Hispalense II vocat *sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere*, quum can. 7 constituit: *neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tingere aut signare, nec poenitentes sine praecepto episcopi sui reconciliare nec eo praesente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere.* Similiter *offerre vel sacrum quidem panem aut calicem distribuere coram episcopo vel urbis presbyteris* presbyteros rurales vetat Neocaesariense concilium can. 13.

[51]) Ex his verbis Edmundus Martene de antiq. rit. eccl. tom. II pag. 287 infert: *Poterat ergo summus pontifex presbyteris jus faciendi subdiaconos et acolythos tribuere.* Sed ut magis perspectam habeamus Gelasii sententiam, quaerendum, num summi pontificis vocabulis episcopum quemlibet hic intelligere non liceat. Certe Tertullianus de bapt. c. 17, Innoc. epist. 17 n. 2 et 25 n. 6, Zosimus epist. 1 n. 3, 7 n. 2, 9 n. 1 et 5, conc. Hispalense II can. 7, nec non Hincmarus tom. 2 pag. 718, ut alios taceam, vel docent, quemvis episcopum pontificatus apicem habere, vel *summi sacerdotis* titulo aut *summi pontificis* nomine decorant. Et in hoc quidem loco nihil est, unde alio sensu *summi pontificis* nomen usurpare Gelasius judicetur. Verum ex subsequente Gelasii epistola 25, in qua hoc ipsum decretum memoratur his verbis: *In utraque* illius *parte constat, sine summi pontificis auctoritate ecclesium noviter constructam non posse dedicari,* persuasum habebit lector, id ibi Gelasio esse *sine summi pontificis auctoritate,* quod est hic *sine summo pontifice.* Ac deinde *summi pontificis* vocabulis Romanum praesulem utrobique intelligi non ambiget, ubi legerit infra caput 25: *nobis quoque patefactum est, quod absque praecepto sedis apostolicae nonnulli sanctas ecclesias vel oratoria sacrare praesumant.* Hinc autem oboritur et altera quaestio, num hoc praeceptum non modo ad Italiae, sed et aliarum regionum presbyteros pertinuerit, ut scilicet hi sine praecepto sedis apostolicae subdiaconos et acolythos facere tum non possent, cum ejusdem praecepto possent. Quamquam cui perspicuum est memoratum de basilicis sine praecepto sedis apostolicae non dedicandis decretum ad unas Italiae provincias pertinere, is etiam istud aliud ad easdem regiones spectare non dubitabit. Si etiam Hispalensis II concilii can. 7

Digitized by Google

a. 494. diaconum aut acolythum jus habere faciendi; nec prorsus addubitet, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverit exsequendum, continuo[52]) se presbyterii dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est censeamus, si ejus praesule deferente hujusmodi fuerit praevaricatio comprobata, nec ipso ejus episcopo a culpa conniventiae et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit indicare.

VII. 7. Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus: nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat: quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur[53]);

VIII. 8. Non in presbyterio[54]) residere, quum divina celebrantur vel ecclesiasticus habetur quicunque tractatus. Sacri corporis praerogationem[55]) sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.

Quum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, quae pro alicujus utilitatis fortasse compendio videantur laxanda, cedamus[56]);

---

verba expendantur, ita ibi presbyteris prohibetur presbyterorum atque diaconorum consecratio, ut subdiaconos et acolythos faciendi potestas non negetur.

[52]) d[1] addit. *sin alias.* Deinde D[6] d[2] *referente.* Moxque d[1] d[2] *a culpa cohibente et ad ultionem vocaturo,* nostram lectionem tum plerisque mss. (etiam B[1] E[2] H[8]; H[15] F[d] *cohibentiae*), tum vulgatis tuentibus. — Deinde D[6] *si in immoderata facientem dissimulaverit vindicare*; ac *vindicare* habent etiam plerique alii mss. cum editis (etiam d[2]). Sed magis placet cum B[1] C[1] F[m] *indicare.* Postquam enim Gelasius presbyterum *praesule deferente* (seu *referente*) a se puniendum praemisit, recte cavet, ne praesul hujusmodi culpas *indicare* seu deferre sibi negligat aut dissimulet. Unde hoc decretum ad unas Italiae provincias attinere confirmatur.

[53]) Similiter jam Tertullianus de bapt. cap. 17 scripserat: *Dandi quidem* (baptismi) *habet jus summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est.*

[54]) *Presbyterii* nomine saepe apud veteres coetum intelligi cleri, in quo episcopi cum presbyteris, diaconis atque interdum cum reliquo clero conveniebant, saepissime obviam fit; conf. Cornel. epist. 6 n. 2, Siric. epist. 7 n. 3. His autem in coetibus episcopos ac presbyteros consedere, diaconos adstare mos erat. (cf. syn. Nicaen. c. 18). — Mox D[9] d[2] *ubi divina.*

[55]) Corporis Christi post sacrorum mysteriorum celebrationem reservandi usus hinc manifeste comprobatur. Alioquin diaconis, quibus corporis Christi conficiendi potestas non erat, frustra permitteretur, ut illud episcopis vel presbyteris absentibus ministrarent.

[56]) Ita D[6] cum aliis 11 mss. ac F F[d] F[m] d[2]. At H[5] *diacenus,* H[15] h[1] *dicamus,* a[1] c i[2] *credamus.*

Digitized by Google

9. Quumque nobis[57]) contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et quum sedes apostolica super his omnibus, favente Domino, quae paternis canonibus sunt praefixa[58]), pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est, quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiae totius posuit principatum. Dicente autem[59]) Scriptura: *Ordinate in me caritatem*, et item: *Omnia cum ordine fiant*, atque iterum psalmista praedicante: *Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus ejus: ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite gradus*[60]) *ejus, ut enarretis in*[61]) *progenie altera, quia hic est Deus Deus noster in aeternum, et ipse reget nos in saecula:* hic procul dubio, qui in ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, et in cujus virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis Deus noster et rector populis praedicandus est Christianis: ubi nemo sibimet aliquid existimet imminutum, quum et de uniuscujusque gradus perfectione nihil deperit, et convenienter retinendo, quod coelesti dispensatione collatum est, pariter nobis et

a. 494. IX.

Cant. 2,4. 1 Cor. 14,40. Psalm. 47, 13—15.

---

[57]) d² omittit *nobis*. Deinde paulo post Isidorus Mercator substituit *superior his*, quod exinde a c¹ c² c⁴ c⁶ c⁷ c¹⁰ arripuerunt. Monet tamen Labbeus, in edit. 1552 et 1609 exstare *super his*. Sic etiam legit Dionysius Exiguus, neque hanc lectionem mutavit Hadrianus I. Eamdem asservabat exemplar, quo usus est Hincmarus Caroli Calvi nomine scribens ad Hadrianum II papam, ut fidem facit editio Cordesii pag. 560, quamvis in novissimam non ex veterum codicum fide sed ex editione Romana (ut aliis etiam locis non sine incommodo factum est) revocatum sit *superior his*. Tredecim autem ex Coustantii mss. iique potiores, sicut mss. B¹ D¹ E² F⁴ Fᵐ et d¹ d² c⁹ h¹ h² i², retinent *super his*. Sane quum in paternorum canonum numero ea etiam Gelasius ducat, quae antea ab apostolicae sedis antistitibus constituta fuerant, se ipsa superior diceretur sedes apostolica, *si superior his* admitteretur. Sed et epist. 26 n. 3 profitetur, *uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exsequi sedem prae ceteris oportere quam primam.*

[58]) d² *praefinita* et paulo post *in hac sibi*.

[59]) Addimus *autem* auctoritate B¹ D¹ E¹ H⁸ d² h¹, unde etiam interpunctionem mutari necesse.

[60]) O¹¹ cum vulgata *domos*, quam lectionem non patitur subnexus Gelasii commentarius. Psalteria Romana et Mediolanensia pariter exhibent *gradus*. Nec aliter legit Ambrosius, qui tamen hunc exponens locum observat, in Graeco haberi τὰς βάρεις, quod interpretatur *excelsas et turritas domos*. Habet et psalterium, quod s. Germano Parisiensi usui fuisse traditur, *turrim*. Simpliciorem interpretem, qui Graece mediocriter callebat, primo τὰς βάρεις Latine *graves* convertisse, et inde *gradus* factum esse crediderim. Idem dicendum de alio loco Psalm. 44, 9, ubi in nonnullis exemplaribus legitur *a gradibus eburneis*.

[61]) Ita mss. (etiam B¹ E²) et d² h¹ h² i²; alii editi *progenies alteras quoniam quoniam* etiam H⁴ h¹ i²). Moxque D¹ E² d² *regit*.

Digitized by Google

a. 494. cognoscibilem Deum fieri et tribuit esse rectorem. Nam et si quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregati[62]) et strenuitate pensatur, si vitae jam proposito continetur, quod protelata fuerat aetate curandum, dummodo illa nullatenus dissimulata subripiant[63]), quorum quodlibet inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Etsi illa nonnunquam[64]) sinenda sunt, quae, si ceterorum constet integritas, sola nocere non valent, illa tamen sunt magnopere praecavenda, quae recipi sine manifesta decoloratione non possunt. Ac si ea ipsa, quae nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumve[65]) cogit intuitus, vel acceleratae provisionis respectus excusat, quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quae nec ulla necessitas nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?[66])

X. 10. Baptizandi sibi quisquam passim quocunque tempore nullam credat inesse[67]) fiduciam, praeter paschale festum et Pentecostes venerabile sacramentum: excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis aegrotans exitio praeventus abscedat.

XI. 11. Ordinationes[68]) etiam presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exercere non audeant, id est: quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac medianae[69]) Quadragesimae die, sabbati jejunio circa vesperam nove-

---

[62]) Ita mss. (etiam D^1 D^3 E^2 F^d H^8 H^{15}) et h^1 h^2, cum quibus et vetera concilii Suessionensis exemplaria consentiunt. B^1 F^m *aggregari et*, K^3 *adgregante*, O^1 O^2 d^1 *aggregata et*, H^{10} et alii editi (a^1 c d^2 i^2) *aggregata strenuitate*, ac mox H^{15} *vita etiam*. Hoc autem sibi vult: id, quod de interstitiis remittitur, ordinati bonis moribus et strenuitate compensari, si etc.

[63]) Vulg. conc. *surrepant* moxque *quodlibet si inesse*, B^1 E^2 F^m *quodlibet in se claruerit*, ac deinde F^d d^2 h^1 *constat* (h^1 ad marg. *convincat*).

[64]) Solus d^1 *nunquam*, moxque H^{15} *quae sic et eorum constat*, deinde alii editi (etiam B^1 F^d F^m) *valeant*, et c^1 c^7 c^9 c^{10} *nisi manifesta ... possint*.

[65]) In C^2 F^d deest *temporumve*; c h^1 i^2 *temporumque*.

[66]) In C^1 subnectitur in folio tamen separato. *In Christi nomine incipit decretale editum de recipiendis sive non recipiendis auctoribus etc.*; quo quidem decretali toto descripto postmodum reliqua epistolae hujus decreta subjiciuntur. Sed hoc librario imperito, qui quaterniones scriptos negligenter collegit atque compegit, est tribuendum.

[67]) d^2 expunxit *inesse*, quod tamen cum mss. (etiam (B^1 C^2 F^d F^m H^8 H^{15}) alii retinent. Moxque H^8 loco *verendum* habet prima manu *venerandum*, secunda *praebendum*.

[68]) D^1 D^6 d^1 *ordines ... celebrandos* (D^1 *celebrandas*). Subinde alii editi ac nonnulli mss. *exerceri* vel *exercere non debent*. α H^6 H^8 H^{10} H^{15} *non debeant*. Cum mss. melioris notae (etiam B^1 C^2) et d^2 praeferimus *non audeant*. Regulae hic praescriptae haeret Pelagius I fragm. 17 et 18.

[69]) α D^6 D^9 F^d F^m H^6 H^{11} et editi *mediana*. Mox quatuor antiqui mss. *jejunii* pro *jejunio*; O^9 *jejunia noverint celebranda*. Loco *medianae quadragesimae* Pelagius I fragm. 25 et 26 *medianae hebdomadae* vocabulis utitur. Ex ejusdem fragmentis

Digitized by Google

rint celebrandas: nec cujuslibet utilitatis[70]) seu presbyterum seu a. 494.
diaconum his praeferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.

12. Devotis quoque Deo virginibus, nisi aut in Epiphanorium[71]) XII.
die aut in albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponant, nisi[72]) forsitan, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de saeculo transeant, implorantibus non negetur.

13. Viduas autem velare[73]) pontificum nullus attentet, quo- XIII.

---

17 et 18 etiam *sabbatum magnum* seu *sabbatum magnae noctis*, quae Pascha praecedit, ordinationibus destinatum fuisse discimus.

[70]) Hoc est: *quantumlibet utilem presbyterum seu etc.* Hinc male a^1 c^2 seqq. addunt *causa*, quamvis haec vox absit ab omnibus mss. Moxque d^2 *praeferant qui ante ipsum.* Regulas illas Gelasius confirmat, quas quum pridem Beneventi praelato senioribus presbyteris neophyto neglectas accepisset, Leo hanc abusionem epist. 19 ad Dorum arguit acriter, nec impunitum dimisit, *dum in illo*, ait, *non humanitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur; omnis enim*, pergit, *laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis assequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit.*

[71]) Editi *Epiphaniarum*, rectius mss. (etiam B^1 H^8) *epiphaniorum*, F^d F^m omisso *die*. Tum C^1 C^2 omisso *in albis paschalibus* subdunt: *aut in apostolorum natali* (*natali* etiam d^2), ubi alii habent: *aut in apostolorum natalitiis* (H^{10} H^{15} *natalibus*, D^9 F^d *natale*, F^m *natales*). Gregorii sacramentorum liber praecipit virginum benedictionem fieri in *Epiphania, vel secunda feria Paschae* (ordo autem Romanus *in albis paschalibus*), *aut quando apostolorum natalitia celebrantur.* Ambrosius de virginibus lib. 3 cap. 1 narrat, Marcellinam sororem suam in natali Christi die, adstantibus compluribus puellis Dei ac frequenti populo, virginitatis emissa professione, a Liberio consecratam esse. Idem et in libro de lapsu virginis consecratae cap. 5 lapsam sic alloquitur: *non es memorata diei sanctae dominicae resurrectionis, in qua divino altari te obtulisti velandam?* Unde, ut ex priore loco conficitur, inter Epiphaniorum dies ipsum Christi natalem esse censendum, ita ex altero sicut ex ordine Romano et nostro Gelasio colligitur, non sola Paschae feria secunda, sed aliis etiam ejusdem sollemnitatis diebus virgines consecratas esse.

[72]) Burchard. VIII, 15 (in R^1?) addit: *et nisi ante viginti quinque annos.* Deinde quidam mss. (etiam H^6 H^8 H^{10}) et a^1 cc *exeant.*

[73]) O^{11} *sine aliqua benedictione velare*, additamentum Gelasii menti prorsus adversum. Hoc loco autem, ut manifestius fiat, num istud de non velandis viduis decretum usu receptum sit aliquando, vel a saeculo saltem VIII in desuetudinem non venerit, non frustra quaeramus. Quippe in regum Francorum Capitulari anni 801 c. 13 legitur: *De feminis, quas defunctis viris lex Langobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis velumque suscipere, petierunt nostram licentiam, ut mox, dum divina pietas inspiraverit, eas indemnes liceat suscipere.* Quod quidem iis conceditur. Idem Capitulare anni 847 c. 11 praecipit: *In qualicunque modo mulier velum sanctum acceperit, sponte in eo permaneat.* Quod autem ibi *mulieris* nomine etiam vidua intelligatur, liquet ex his eorumdem Capitularium lib. 5 cap. 180: *Qualicunque modo mulier, permittente canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit, aut sponte aut invita, in eo permaneat.* Laudat et Ivo part. VII cap. 54 Aurelianensis concilii decretum, quo jubentur *viduae, quae spontanea voluntate ab altari sacrae conversationis velamen suscipiunt, in eodem proposito permanere*; et cap. 56 subjicit Aquisgranensis concilii Ludovico Pio praesente habiti praeceptum: *De nobilibus feminis, quae amis-*

Digitized by Google

a. 495. niam[74]) quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma praestituit, non est penitus usurpandum; eisque sic ecclesiastica sunt ferenda praesidia, ut nihil committatur illicitum.

XIV. 14. Generalis etiam querelae vitanda praesumptio est, qua propemodum causantur universi, passim servos et originarios, dominorum jura possessionumque[75]) fugientes, sub religiosae conversationis[76]) obtentu vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum conniventibus quoque praesulibus indifferenter admitti. Quae modis omnibus est amovenda[77]) pernicies, ne per Christiani nominis institutum aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti: praecipue quum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione

---

sis viris repente velantur. — Nihilo tamen minus concilium Triburiense anno 895 celebratum c. 25 primum hoc Gelasii decretum confirmat his verbis: *Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout statutum est in decretis Gelasii papae.* Tum quatenus superiora Capitularium seu conciliorum statuta, illaeso Gelasii decreto, intelligenda sint, aperit in hunc modum: *nos autem auctoritate patrum suffulti in hoc sacro conventu sancimus et libere judicamus: si sponte velamen quamvis non consecratum sibi imposuerit, et in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniae habitum ulterius habere debet.* Velamen igitur etiam viduis erat, sed non *consecratum;* quod tamen, quia *sanctimoniae habitus* erat, et *velum sanctum* et *sacrae conversationis velamen*, ut allatis in locis vidimus, appellabatur. Hanc autem concilii explicationem Gelasii menti esse consentaneam, ex dictis illius infra cap. 21 manifestum est, ubi notans hunc locum in eo se *de viduis sub nulla benedictione velandis latius disseruisse* memorat. Denique hoc decretum usu receptum et canonica auctoritate munitum esse, docent nos tum ista concilii Turonensis II c. 20: *Quae vestem mutaverit, absque dolo in eo proposito, quod disposuit, perseverare procuret. Illud vero, quod aliqui dicunt: vidua, quae benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere, quum omnes sciant, quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis*; tum haec concilii Parisiensis VI anno 829 habiti c. 40: *Comperimus, quod quidam presbyterorum incaute et extraordinarie velum viduarum inconsultis episcopis suis consecrarent. Ut autem nullus pontificum viduam velare attentet, canonica auctoritas inhibet. Quod vero presbyteri inconsultis episcopis suis velum viduarum consecrare non praesumant, prorsus interdicimus.* Atque hoc Parisiensis synodi statutum comprobant Capitularia lib. 7 c. 172, ubi arguuntur presbyteri, quod inconsultis episcopis velum viduarum consecrarent, non quia iis consultis id liceret, sed quia consulti id, quod sibi ipsis inhibitum est, prohiberent.

[74]) Ita mss potiores (etiam B^1 E^2 F^d F^m et i^2); d^2 *et quod.* Alii vero (etiam H^8 h^1 h^2) omisso *quoniam* subjiciunt infra: *Non est ergo penitus.* Moxque d^2 *delegit.*

[75]) O^9 O^{11} Π^1 *possessionemque.* Hoc in capitulo Gelasius restaurat, quod ab Innocentio I epist. 2 n. 14 delibatum et a Leone epist. 4 c. 1 firmatum fuerat.

[76]) C^1 *conversionis,* non contemnenda lectio. Olim quippe *converti* dicebantur, qui saeculum abdicabant, ut se Dei servitio manciparent. Quocirca s. Benedictus regulae suae caput 58 *de disciplina suscipiendorum fratrum* sic orditur: *Noviter quis veniens ad conversionem.* Deinde *ecclesiastici famulatus* nomine clericus ordo designatur, infra autem *publica disciplina* vocatur civilis, et quae ad reipublicae ordinationem pertinet.

[77]) D^9 d^2 *prohibenda,* moxque D^1 D^9 E^2 *christiani nominis instituto,* H^{15} *christianitatis nominis ... praecipue ut.* Mox F^d F^m *oblatione*, et F^m *mysterii.*

Digitized by Google

fuscari conveniat dignitatem, cogaturque pro statu militantium sibi a. 494.
conditioneque[78]) jurgari, aut videri, quod absit, obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter aut diaconus, vel eorum qui monasteriis praeesse noscuntur, hujusmodi personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticae[79]) servituti vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum sub scripturae testimonio primitus absolutas aut legitima transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant communionisque subituros, si super hac re cujusquam verax nos querela pulsaverit. *Magnis quippe studiis* secundum beatum apostolum *praecavendum est, ne fides et disciplina Domini blasphemetur.* 1 Tim. 6, 1.

15. Consequens fuit, ut illa quoque, quae de Piceni partibus nu- XV.
per[80]) ad nos missa relatio nuntiavit, non praetereunda putaremus, id. est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, qua[81]) ipse Dominus negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo implicat*[82]) *se negotiis saecularibus,* psalmistam quoque David surda dissimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Proinde hujusmodi aut ab indignis posthac quaestibus noverint abstinendum, et ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum; aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis abstinere[83]) cogantur: quoniam domus Dei domus orationis et esse debet et dici, ne officina negotiationis et spelunca potius sit latronum. Matth. 21, 12 et Joh. 2, 15. 2 Tim. 2, 4. Psalm. 70, 16. Luc. 19, 46. Jes. 56, 7. Jer. 7, 11.

16. Illitteratos quoque et[84]) nonnulla parte corporis imminutos XVI.
sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio et apostolicae sedis vetus forma non recipit;

---

[78]) Solus d[1] *conditiones jurgari videri*, refragantibus mss. (D[1] H[15] B[1] *jurgare*) et editis.

[79]) D[9] d[2] *Ecclesiae servitio.* Moxque F[d] F[m] d[2] *putaverit ... ambigat ... subiturum ... vera nos querela*, et deinde H[15] *magis quippe secundum.*

[80]) D d[2] omittunt *nuper* et mox *id est.* F[d] *implecatos* (loco *imminere*).

[81]) Solus d[1] *non attendentes quia dominus*, F[d] F[m] d[2] *quia*, et F[m] *reconciliantes.*

[82]) d[2] *obligat*, moxque omittit *quoque* et deinde *aut* (ante *ab indignis*); c[10] *non cognovit.*

[83]) C[2] D[6] D[9] D[11] d[1] d[2] *abire.* Clericos foenerantes et turpe lucrum sectantes concilium Nicaenum can. 17 de gradu dejicit. Eidem concinit Carthaginense I. anno 348 sub Grato habitum can. 13; sanxit et Valentinianus III Novel. tit. 34 § 4, *ut clerici nihil prorsus negotiationis exerceant; si velint negotiari, sciant se judicibus nobditos clericorum privilegio non muniri.*

[84]) Ita mss. F[d] F[m] N J O et editi. B[1] *et ulla*, d[1] prima manu *et nulla*, d[2] *et cum aliqua corporis imminutione.* Idem Innoc. epist 37 n. 3 et Hilarus epist. 16 n. 5 institerunt.

Digitized by Google

a. 494. quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, et vitiosum
Lev. 21,18 et Deut. 17,1. nihil prorsus Deo offerri legalia praecepta sanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus haec[85]) vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria vel incuria praesidentium tales ante suscepti sunt, in his, quibus constituti sunt, locis eatenus perseverent, ut nihil unquam promotionis arripiant[86]), satisque habeant, hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

XVII. 17. De his autem, qui semetipsos[87]) absciderint, paterni canones evidenter sequenda posuerunt; quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere secludi[88]). Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppetit, praeter illa quidquam, quae memorabilis decrevit forma, censere.

XVIII. 18. Comperimus etiam, horrendis quibusdam criminibus implicatos tota discretione submota non solum de factis atrocibus necessariam poenitudinem non habere, sed nec aliqua correctione[89]) penitus succedente ad divinum ministerium honoremque contendere; nonnullos autem etiam in ipsis ordinibus constitutos, gravibus delinquentes
1 Tim. 5,22. facinoribus, non repelli, quum et apostolus clamet, *nemini cito manus imponendas*, *neque communicandum peccatis alienis*, et majorum venerconc. Nic. c. 9 et 10. randa constituta pronuntient, hujusmodi, etiam si forte subrepserint, tam qui ante peccaverint, detectos oportere repelli, quam sacrae professionis oblitos praevaricatoresque sancti propositi procul dubio submovendos.

XIX. 19. Usque adeo sane comperimus illicita quaeque[90]) prorumpere,

---

[85]) In C^2 deest *haec vitentur;* B^1 *vetentur*, moxque H^{15} d^2 *in clero.*

[86]) Ita potiores mss. et d^2; alii *accipiant.*

[87]) Ita mss. (etiam B^1 E^2 F^d F^m H^8 H^{11} H^{15}) h^1 h^2 d^2; alii editi *se ipsos abscindunt* (vel *abscidunt*). Aliqui mss. et d^2 *De his ... absciderint* pro titulo ponunt. et canonem ipsum incipiunt: *Paterni canones.*

[88]) K^3 *excludi.* Moxque d^1 *quia forsitan esse nulli suppetit, et praeter illa non est quicquam, quae memorabilis ordo decrevit et forma censurae.* Editi conc. cum H J O *suppeditat quidquam praeter illa.* Sequimur B^1 E^2 F^d F^m H^8 a^3 d^2 (B^1 *suppeditet*, H^8 *suppediat*, a^3 *suppetit etc.*). Mox B^1 *memorabilis ordo.*

[89]) H^{15} *correptione.* Mox F^d *Usque adeo percensemus sane comperimus.*

[90]) H^8 *quosdam ad illicita quaeque prorumpere*, d^1 *quosque praesumere* ac deinde cum D^7 *ut daemoniis ..., irretiti ... tractare permittantur.* Mss. et editi alii nostram lectionem praebent, nisi quod c c i^2 *daemoniacis*, O^8 *daemoniosis*, Π^1 *daemone aliisque*, C^1 C^2 E^1 F^d F^m *daemonis*, alius H^5 *daemonibus*, B^1 *energumenis*, α H^1 H^2 H^3 H^6 J^5 K^3 H^{15} d^2 h^1 autem *daemoniis.* Moxque d^2 *irretito*, D^1 *tribuantur.* Hoc Gelasii capitulum eo memorari decreto, quod Ivo part. 2 c. 125 profert: *Bene siquidem majorum regulis diffinitum est, ut daemoniacis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat*, adeoque decretum illud Pio I papae male adscribi, Coustantius jam epist. Rom. pontif. tom I pag. 70 observavit. Ex eo autem, quod in eodem decreto additur, quid etiam cum iis agendum sit, qui comitiali morbo corripi solent, comperimus. Ibi enim subjicitur: *Cui praecepto*

Digitized by Google

ut daemoniis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in[91]) hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremo, si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permisit, quanto magis doni coelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos? a. 494. Rom. 14, 15. 1 Cor. 8, 11. Lev. 21, 18. Deut. 17, 1.

20. Virginibus sacris[92]) temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta foedera sacrilegaque miscere. Quos[93]) protinus aequum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque[94]) poenitentiam omnino non recipi; aut XX.

(*majorum ut morem geramus*), *consulto rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus offeruntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis, exceptis illis, qui corporum incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi. Qui tamen et ipsi tam diu erunt ab officio suo et ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio ... per discretionem episcopi inveniantur ab incursu daemonum alieni.* De hujusmodi autem passione quum apud Gelasium accusatus esset Foropopulensis antistes, quo pacto ille se gesserit, infra in fragmento 8 visuri sumus. Vide et Gregorium M. lib. 13 epist. 5 ad Aetherium, nec non concilium Suessionense II anno 853 can. 2 et Vermeriense II, eodem anno habitum, c. 1. In libro *de dogmatibus ecclesiasticis*, qui Gennadio tribuitur, apud Augustinum c. 39 (al. 72) legimus, *clericum non ordinandum, qui aliquando in furiam versus vel afflatione diaboli vexatus est.*

[91]) Ita F^d F^m a^1 c^1 d^2 i^2; h^1 h^2 c^7 c^9 c^{10} omittunt *in*. Moxque d^2 *fidelis* et omittit *ipsos*; O^1 O^2 *ac fidelium*, aliis mss. et editis nostram lectionem dantibus (B^1 H^9 omittunt *si*). Deinde solus d^1 *Qui necessario*, ac postea cc *permittit*.

[92]) F^d O^1 O^2 cc addunt *autem;* moxque d^2 *dedicatum*, ac deinde H^{15} *misceri*.

[93]) Solus d^1 *Quos publicatos aequum*. D^1 prima manu *quis pristinus*, secunda *quos protinus*.

[94]) D^6 D^7 D^9 F^m d^1 *privatamque*, mendum manifestum, ortum forte ab aliquo antiquario, qui primo *provatam*, mutato *b* in *v* scripserit. Subinde F^m d^1 omittit *omnino*; ac mox priores conciliorum editiones *sed his certe*, aliae post a^1 *sed tamen his*, et postea cum F *non negetur*, pro *non negari*. Sequimur potiores mss. (etiam B^1 C^2 H^6 H^{15}). Innocentius quidem epist. 2 ad Victricium c. 12 n. 13 sicut et Carthaginense IV concilium can. 104 de sola virginis aut viduae post consecrationem lapsae poena decernit, at plura concilia non secus ac Gelasius puellarum etiam corruptores pari poena constringunt. Nempe Arelatense II concilium can. 52 statuit, ut *puellae cum his, cum quibus se alligaverint, communione privetur: ita ut eis postulantibus poenitentia non negetur, cujus poenitentiae communio multo tempore differatur*; Praecipit et concilium Matisconense I can. 12, *ut usque ad exitum cum ipsis, qui se hujusmodi consortio miscuerint, communione privetur*. Disciplina durior asseritur in libro Ambrosii de lapsu virginis consecratae cap. 8, ubi ei *veniae spes ab humano dig* negatur. Triburiense autem concilium anno 895 c. 23 hoc Gelasii decretum confirmavit, sicut et regum Francorum Capitulare anno 816 c. 25. Conferantur, quae a Coustantio in Innoc. ep. 2 cap. 12 notata.

Digitized by Google

a. 494. his certe viaticum de saeculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negari.

XXI. 21. Nam de viduis sub[95]) nulla benedictione velandis superius latius duximus disserendum. Quae si propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverit, periculi ejus interierit, quali Deum debet satisfactione placare[96]). Sicut enim, si
1 Cor. 7, 9. se forsitan continere non poterat, secundum apostolum nullatenus nubere vetabatur, sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiae[97]) fidem debuit custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solas adhortationes praemii sempiterni poenasque proponere divini judicii, ut et nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum
1 Tim. 5, 9 ss. est quippe, quae[98]) de earum moribus actibusque beatus apostolus testatur; quod planius exponere praeterimus, ne sensus sexus instabilis non tam deterrere quam admonere videamur.

---

[95]) B[1] D[9] d[1] d[2] *sine ulla* (D[1] *sin ulla*); mox editi cum mss. J O H[6] *late sufficienterque praediximus*, ac subinde editi *calcaverint periculi earum ... debeant etc.* renitentibus Dionysii aliisque potioribus mss. (etiam B[1] F[d] F[m] d[2] h[1] h[2]). H[5] H[12] D[1] *late duximus*, C[2] E[2] *latius diximus* (hic notatur superius cap. 13). — Deinde solus d[1] *Quarum aliqua*, c c cum mss. H *professam*, ac postea d[2] *pristinam*. In hisce sequimur B[1] E[2] et alios editos.

[96]) B[1] F[d] F[m] *deo placere;* a[1] c i[2] hic addunt *quia juxta apostolum primam fidem irritam fecerunt*, quod in solis exstat mss. J O ac forte repetitum est ex his Innocentii epist. 2 n. 16: *si apostolus Paulus, quae a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines, quae priori promissioni fidem frangent?* Porro iisdem apostoli verbis nisi Carthaginensis IV concilii patres can. 104 viduas, quae, postquam se devoverunt Domino, nubunt, et adulterii censent reas et a communione removent. Vide infra Symmachi epistolam 15 num. 5 et 6.

[97]) d[2] i[2] *pudicitiam fidemque* sola auctoritate mss. D (D[5] D[7] D[9]). Mox d[2] omittit *solas* (mss. J c c *solum*).

[98]) c[10] *ut* (et ad marg. *quae*), c[9] i[2] *quod*, a[1] c[1] h[1] h[2] d[2] cum mss. B[1] D F[d] F[m] H *quae*. Moxque a[1] c h[1] h[2] i[2] cum B[1] F[d] *plenius* et deinde cum H[6] H[12] ... *ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.* D[7] d[1] *quod nunc planius exponere poteramus, sed pro tempore libet supprimere, ne sensu detestabili quosdam non tam deterrere, quam admonere videamur.* D[1] D[6] D[9] prima manu *quod dum planius exponere poterimus, ne sensus detestabilis* (D[1] *sexus instabilis*) *non tam deterrere quam admonere videamur.* D[9] secundis curis expuncta conjunctione *dum* pro *poterimus* apposuit *praeterimus.* F[d] F[m] *poterimus ne sensus* (F[d] add. *et sexus*) *instabilis ... admonere.* Nostram lectionem praebent B[1] E[2] d[2] a[3], nisi quod a[3] *admovere* (sec. unum ms., alterum *amovere*). Eam vero genuinam esse non ambiget, qui similem contulerit locum tractatus VI adversus Andromachum n. 8. Inde enim liquet, Gelasium hic nonnulla scriptoris antiqui verba adoptare, quibus nolle se significat de viduarum lascivarum moribus planius disserere, ne forte fragilis et instabilis sexus animos ac sensus hujusmodi expositione ad earum actus incitandos magis stimulare ac promovere, quam ab eis deterrere videatur. Indulgentiae Gelasii erga viduas, quae propositi tenaces non erant, exemplum alterum suppeditabit ipsius fragmentum 38, ex quo et totum hoc capitulum illustrabitur. Vide Symmachi epistolam 15 n. 5 et 6.

Digitized by Google

22. Secundas nuptias sicut saecularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanae fragilitati generaliter[99]) concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio dicandorum. a. 494. XXII.

23. Quisquis propriae desertor ecclesiae nullis exsistentibus causis ad aliam putaverit transeundum, temereque[100]) susceptus fuerit et promotus, reverendorum canonum vel ipse vel receptor ejus atque provector constituta non fugiet, quae de hujuscemodi praesumptoribus praefixere servanda. XXIII.

24. De monachis[101]) laicisque copiosius in prima praeceptionis hujus parte digesta: quae vel quatenus pro rerum temporumque necessitate concessa sint, quemadmodum, ubi nullius necessitatis interesse probabitur, non nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos vero constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo facinus tale patrantis[102]): quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit. XXIV. Act. 8, 20 ss.

25. De locorum consecratione sanctorum[103]), quamvis superius strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque praecepto sedis apostolicae nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare praesumant. Hoc sumus tamen indicio detestabiliore per- XXV.

---

[99]) d² *generalis.* Moxque F¹ *dedita,* H⁵ H⁶ H¹² J O a¹ c h¹ h² i² *dedicata*; magis placet cum 5 mss. a² B¹ E² d¹ d² *dicandorum* (C² *dedicandorum*). De iis enim, qui vel ad clerum admittendi vel ab eo removendi sunt, sermo est.

[100]) D¹ (secunda manu) D⁴ d¹ *si temere.* Mox pro *fugiet* mss. H J O et c h¹ h² *effugiet. Canonum constituta* autem, quae ibi vocat, sunt Nicaen. c. 15 et 16. Sardic. c. 19, Calch. c. 20.

[101]) a² *vel laicis*, D⁹ *monachis quae*, d² *quoque* (omittens *laicisque*, quod habent plerique omnes mss., etiam B¹ F^d F^m H⁵ H¹² et editi), moxque cum h¹ *digesta sunt*, cc *digestum est.* Deinde D⁹ *vel quae pro* et cum F^m d² *vel quemadmodum*, O¹ O² c addunt *his* ante *pro rerum.* Denique D¹ D⁹ d² h¹ *nullius facti necessitas* (D¹ omittit *necessitas*) *interesse probabitur.* Mss. B¹ E² F^d F^m H J O c i *nullius necessitatis* (F^m *necessitas*) *interesse probatur* (mss. B¹ H D cum d² h¹ i *probabitur*), unde nostra lectio.

[102]) Mss. O (O¹ O²) et editi *perpetrantes*, D² H⁶ H¹² (h¹ h² ad marg.) *patrantes*, D⁴ D⁹ D¹¹ d¹ d² *vendentes*, F^d *vincentes*, F^m *vindentes*, C² *vendente*, C¹ *vendentis*, hocque si abesset *tale facinus*, optime subnexae rationi conveniret. Sed quia in omnibus libris exstat *tale facinus*, retinemus cum mss. F H *patrantis*, ac verbum *vendentis*, quo, quid sibi vellet *tale facinus patrantis*, apte explicabatur, e margine in textum translatum esse suspicamur. Hic porro haeret Gelasius concilii Calchedonensis canoni 2, quo sancitur: *si quis episcopus per pecunias fecerit ordinationem ..., is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjaccbit, et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione ... proficiat.* Praecipit et vulgatus apostolorum canon 30, *ut, si quis episcopus aut presbyter aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur et ipse et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur sicut Simon Magus a Petro.*

[103]) C¹ d² haec verba pro inscriptione ponunt et canonem ipsum incipiunt: *Quamvis etc.*

Digitized by Google

a. 494. moti, quod in quocunque nomine defunctorum et, quantum dicitur, nec omnino fidelium, constructiones aedificatas sacris processionibus[104]) audacter instituere memorantur. Quae quoniam[105]) tam acerba tam dura sunt, ut eadem vix noster ferre possit auditus, si revera Christianitatis affectus in illis regionibus certus et fixus est, et districtius ista quaerantur, et a quibus fuerint gesta, prodantur: quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exsistat[106]), in quem sententia debita proferatur, ita quum manifestis fuerit documentis expositus, quam sceleris tanti poscit immanitas, non vitabit ullatenus ultionem.

XXVI. 26. Nihilominus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminae sacris altaribus ministrare firmentur[107]), cunctaque non nisi virorum famulatui deputata sexum,

---

[104]) Hoc est, ut infra ex epistolis 25, 33 et 34 nec non ex fragmento 21 manifestum fiet: *quo procedant atque confluant populi sacra illic peracturi.* Quare non probandum, quod H^6 (secunda manu) H^{12} O^1 O^2 c^1 h^1 h^2 i^2 *professionibus.* Ex hoc autem loco elici potest ratio, cur Gelasius epist. 33 et 34 aliquam basilicam consecrari permittens, sanctorum, in quorum honorem dicanda erat, nomina tam studiose enuntiari curet, curve successores ejus nominatimque Gregorius epist. II, 5 et VIII, 4 id non permittant, nisi hac conditione: *si nullum corpus ibidem* (ubi sacra aedes consecranda erat) *constat esse humatum.* Timebant videlicet atque cavebant, ne incommodum incurrerent, quod Gelasius modo reprehendit, hoc est, ne ecclesiae vel oratoria in defunctorum ibi jacentium nomine constructa viderentur, quamvis hi vel ignoti vel etiam infideles essent, aut certe nulla veneratione digni. Quemadmodum vero e frequentibus concessionibus, quibus Romani pontifices ecclesias consecrari permittunt, in quibusdam provinciis usu receptum esse liquet, ne *absque praecepto sedis apostolicae* ibi ecclesiae consecrarentur, ita ex iisdem locis colligere est, nullis in regionibus obtinuisse hunc usum, nisi in iis, quae vulgo Suburbicariae vocabantur. Unde primus Nicolaus I eam legem ad universalem usum transferre nisus est.

[105]) d^2 delet *quoniam* (quod habent B^1 H J O h^1 i^2); moxque c^9 c^{10} omittunt *ut eadem vix ... auditus*, quod cum mss. D F^4 F^m H J C^2 et c^1 h^1 d^2 i^2 recipiendum putavimus.

[106]) Editi *exstat*, d^2 *exsistit*, moxque H^{15} (qui etiam *exsistat*) *quum manifesti fuerint documentis expositis, quam sceleris tanti poscit immanitas, vitavit ullatenus ultionem.* c^1 c^9 c^{10} *quem tanti sceleris*, d^1 *tamquam sceleris;* et mox O^1 O^2 c^9 c^{10} h^1 d^2 *non effugiet ullatenus* contra auctoritatem aliorum mss. (E^2 H^6 H^{15}) et editorum.

[107]) a^1 c c d^2 *ferantur* (d^2 *firmentur*) *et cuncta, quae nonnisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit* (d^2 *competunt*); castigantur ex fide mss. potiorum (etiam B^1 C^2 F^4 F^m H^6 H^{12} H^{15} O^1 O^2), nisi quod H^6 H^{12} O^1 O^2 h^1 *competit.* Regino lib. 1 cap. 198 hanc sententiam velut *ex epistola Leonis papae* profert. Longe ante Gelasii tempora Laodicenum concilium c. 44 constituerat, quod non *oporteat mulieres ingredi ad altare, nec ea contingere, quae virorum officiis deputata sunt.* Eumdem abusum et postea concilium Parisiense VI, anno 829 habitum, c. 45 quum Gelasiani hujus loci tum mox dicti concilii auctoritate reprimere studuit in hunc modum: *Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, et in concilio Laodicensi capitulo XLIV et in decretis Gelasii papae titulo XXVI copiose invenitur.* Unde duo confici puto: primum quidem hoc concilium secutum esse titulorum divisionem, quam Dionysius Exiguus induxit, alterum vero id majo-

Digitized by Google

cui non competunt, exhibere. Nisi[108]) quod omnium delictorum, quae a. 494.
singillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis et crimen eos respicit sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando pravis excessibus se favere significant: si tamen sacerdotum jam sint vocabulo nuncupandi, qui delegatum[109]) sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quaeque profanaque declives, sine ullo respectu regulae Christianae praecipitia funesta sectentur. Quumque scriptum sit: *Minima qui spernit, paulatim decidit;* quid est de talibus existimandum, qui immensis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quae non solum ipsos videatur obruere, sed et ecclesiis universis mortiferam, si non sanentur, inferre perniciem? Nec ambigant non solum qui haec ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii se jacere dispendio, si non quanta[110]) possunt celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicatione salventur. Quo enim more[111]) teneant jura pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus injuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui praesident, potius operentur? Quantumque[112]) apud Deum possent, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur adspiciant, quum exsecrabili studio sectantur Eccli. 19, 1.

---

ris momenti, Parisiensi VI concilio ignotam fuisse Isidorianam epistolam illam Soteris nomine confictam, in qua legitur: *Sacratas Deo feminas vel monachas ... incensum circa altare deferre perlatum est ad apostolicam sedem; quae omnia reprehensione et vituperatione plena esse nulli recte sapientium dubium est.* Unde et inferre licet, eidem concilio nihilo magis notam fuisse reliquam Isidori collectionem Ex quo et id consequens mihi videtur, ut quae in Isidorianis epistolis atque in Parisiensi concilio communia sunt verba, haec non a concilio Parisiensi ex epistolis illis, sed ab Isidoro Mercatore ex Parisiensi concilio exscripta fuerint, adeoque anno 829 recentiores sint illae epistolae. Hinc minime mirum est, Zachariam papam, a Bonifacio episcopo Moguntino consultum, num *monachis, id est ancillis Dei, quaedam in ecclesia munia obire liceret*, epist. 65 ad Pippinum (Bonif. opp. ad Giles. I, 153), nulla Soteris mentione facta, unum hunc Gelasii locum referre satis habuisse, quamvis ad allatam Bonifacii quaestionem nihil responderi aptius potuisset, quam quod Soter definisse ponitur.

[108]) H[n] *Si quod*, c[10] *viso quod* et ad marg. *nisi*, quod habent omnes mss. et editi alii. Deinde D[1] (prima manu) D[7] d[1] *quae saltem perstrinximus*, D[6] *quae saltim*, moxque a[1] cc *noxa omnis et crimen*, i[2] *noxa omnis; reatus omnis et crimen*, ac postea D[6] D[7] D[9] F[m] d[1] *reos respicit.*

[109]) C[2] F[d] *delatum*, moxque (D[1] prima manu) et d[1] *nullo respectu.* Mox cum F[d] *non solum* ante *qui* addidimus.

[110]) H[12] h[1] *tanta qua possunt*, c c *quanta possint*, ac deinde O[1] O[2] i[2] *medicina* et cum E[2] F[d] *sanentur*, ubi c c d[2] h[1] *medicatione curentur* (B[1] F[m] H[n] H[15] a[3] *salventur*).

[111]) B[1] E[2] F[d] F[m] H c h[1] i[2] *more*, D d *jure*. Deinde D[1] F[m] *teneantur jura pontificum*, d[1] *teneantur ad pontificium*. Sequimur d[2] cum praestantioribus mss. (B[1] H[2] E[2]).

[112]) Ita B[1] D[1] F[d] H[15] (*Dominum*) O[1] O[2] h[1] E[2] H[n] d[2]; F[m] *Tantumque;* c[9] c[10] d[1] i[2] *Qui quantum apud Dominum.* Moxque D[1] F[d] *si hoc nisi*, B[1] E[2] F[m] *si hoc nisu*, O[1] O[2] *si ei*, ac deinde c h[1] i[2] *sectentur adversa. Et etc.*

Digitized by Google

a. 494. adversa, et quasi magis haec regula sit[113]), qua ecclesiae debeant gubernari, sic quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur: quum et si cognitos habuit canones unusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia, et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit[114]) ignorantem. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus, quia nec sciens proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

XXVII. 27. Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis[115]) applicanda. De quibus, sicut sacerdotis interierit, integram ministris ecclesiae memoratam dependere quantitatem, sic clerus[116]) ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero, quae ecclesiasticis aedificiis attributa sunt, huic operi veraciter praerogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris aedibus destitutis, in lucrum suum praesul impendia his designata convertat. Ipsam[117]) nihilominus adscriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est: *Ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui est in coelis,* oportet etiam praesenti testificatione praedicari et bonae famae praeconiis non taceri.

Matth. 5, 16.

XXVIII. 28. Quapropter nec[118]) clericorum quisquam se hujus offensae futurum confidat immunem, si in his, quae salubriter sequenda de-

---

[113]) H[15] *sic que ecclesie*, d[1] *possit*, moxque h[1] d[1] d[2] *ecclesia debeat*, ac deinde a[1] c i[2] *si quidquid*, H[15] *si quid quidem.*

[114]) O[6] c[9] c[10] d[1] d[2] *oportuerit* (d[1] *oportuit*) *scientem*, quum teste Coustantio omnes mss. (etiam B[1] E[1] E[2] F[d] F[m] H[6] H[15] O[1] O[2]) c[2] h[1] *oportuerit ignorantem*, i[2] *oportuerit, quo magis.* Deinde F[d] F[m] H[6] c[10] d[2] i[2] *quia* (F[m] *qui*) *nesciens*, moxque B[1] *quod ignorat* (pro *quod noverat*).

[115]) h[1] *fabricis ampliandis ecclesiae* et ad marg. *applicanda.* Quemadmodum ex sequentibus aliisque locis liquet, solidorum ecclesiae redituum administrationem ad episcopum pertinuisse, ita ex Simplicii epist. 1 n. 2 non minus perspicuum est, id munus, quum illo abuteretur episcopus, ad presbyterium transferri potuisse. Inde et ostenditur, qua ratione mereantur plecti, qui vel portionem ad alimoniam pauperum perpetuis ecclesiae statutis designatam, vel quam sacris aedibus restaurandis certae leges designant, in propria lucra convertunt.

[116]) H[6] et c[10] ad marg. *clericus*, moxque solus d[1] *ecclesiae aedificiis*, ac postea h[1] *prorogata*, d[1] d[2] *instructio* (pro *instauratio*). — F[d] *alteram delegatam ... praesules ... convertant.*

[117]) D[1] d[2] *ipsa nihilominus adscripta pauperibus portione. Et hanc quamvis ... monstraturus esse dicatur* (D[1] secunda manu *videatur*). Moxque editi *glorificent Patrem.*

[118]) Ita B[1] D F[d] F[m] H d[2]. — h[1] c[1] c[7] c[9] c[10] i[2] *nec* (h[1] *ne*) *clericorum quispiam* (c[1] *qui sapientia*); moxque E[2] *hujus rei se futurum*, et d[1] *si his*, ac deinde d[2] *referendum curaverit*, c[1] autem proxime sequentia *probationibus — delinquendi* omisit.

Digitized by Google

prompsimus, sive episcopum sive presbyterum seu diaconum viderit a. 494.
excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat[119]) ceteris interdictio delinquendi. Sui vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiae totius auditui haec putaverit supprimenda. Data[120]) V. Idus Martii, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 15

seu

Epistolaris formula Gelasii papae.

p. 32. **Incipiunt constituta sancti Gelasii papae, quae episcopi in ordinatione sua accipiunt.**

Papa *ille*[1]) clero, ordini et plebi consistentibus civitate *illa*[2]).

1. Probabilibus desideriis[3]) nihil attulimus tarditatis. Fratrem jam et coepiscopum nostrum illum vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus[4]) in mandatis, ne unquam ordinationes praesumat illicitas: ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex poenitente, vel curiae aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad sacros ordines permittat accedere; sed si quos hujusmodi forte repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines praetendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichaei, aliqui rebaptizati saepius sunt probati.

2. Ministeria atque ornatum ecclesiae, vel quidquid illud est in

---

[119]) a[1] c[7] c[9] c[10] h[1] i addunt *et*, moxque c[1] *sic vero.*

[120]) In F[m] D[6] D[7] D[9] d[2] loco chronicae notae subjicitur: *Et alia manu. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.* Quod in a[1] c c ita est retentum, ut et praemissa nota servaretur. Sequimur praestantissimos codices (B[1] E[1] E[2] F[d] O[1] O[2] H[1]) et primos editos c[1] h[1] i[2], nisi quod B[1] F[d] *Data VI Idus Martii.*

[1]) Antiquis id moris erat, ut in generalibus formulis nominis proprii loco pronomen *ille* substituerent. Qua voce papae ejus, qui novum episcopum ordinasset, nomen hic exprimendum notatur, sicut mox verbis *in civitate illa* eam civitatem, cui novus creatus est episcopus, et deinde ubi dicitur *coepiscopum nostrum illum* hunc ipsum episcopum appellandum esse designatur. Quia vero pronomen vulgo nota *ill.* ita exprimebatur, ut litterae *n.* speciem prae se ferret, subinde usu venit in iisdem formulis, ut non *ill.* sed *n.* loco nominis poneretur. — In F[d] deest *ille.*

[2]) In E[1] et libro diurno Roman. pontif. additur *dilectissimis filiis in Domino salutem*, quod exinde in edit. conc. transiit, sed abest a ceteris mss. (C[1] C[2] D[11] F[2] F[4] H[2]).

[3]) C[2] addit *vestris*, moxque cum C[1] F[d] *fratrem etiam et.*

[4]) c[7] *credimus*, moxque cum c[10] *uxorem qui neque.* Deinde F[1] H[3] *poenitentem curialem* (F[1] *curiale*) *consentem aut cuilibet*, c[7] c[10] *expoenitentem*, et postea c[7] *ad sacros ordines praetendentes.*

Digitized by Google

(a. 494.) patrimonio ejusdem, non minuere studeat sed augere. De reditu vero ecclesiae vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones: quarum unam sibi ipsi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit redditurus judicio rationem.

3. Ordinationes vero presbyterorum seu diaconorum non nisi quarti[5]), septimi vel decimi mensium jejuniis, sed et in ingressu quadragesimali, atque medianae[6]) vespere sabbati noverit celebrandas.

4. Sacrosancti autem baptismi sacramenta[7]) non nisi in paschali festivitate et Pentecoste meminerit esse praebenda, exceptis iis, qui mortis urgentur periculo: ne in aeternum pereant, talibus debet[8]) remediis subveniri. Huic ergo sedis nostrae praecepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile placitumque fiat corpus Ecclesiae per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente in[9]) unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

Epistola 16.

Gelasii papae ad Brundisios.

Litterae formatae Juliani episcopi noviter ordinati indicantes, quae ille in ordinatione sua promiserit. p. 3

Gelasius clero, ordini et plebi Brundisii[1]).

1. Concesso vobis, quem petistis, antistite fratre jam et coepiscopo meo Juliano necessarium fuit, eodem ad ecclesiam suam mox remisso ad vos nostra scripta pariter destinare, quibus agnosceretis[2]), eidem fuisse praeceptum, ne unquam ordinationes praesumat illicitas: ne bigamum et qui virginem non est sortitus uxorem, at-

[5]) H[s] et lib. diurn. addunt *primi*, quod Gelasius et in proxima epist. 14 cap. 11 omisit.

[6]) c[7] c[10] *medio*, corriguntur ex dictis mss. Post verbum *medianae* subauditur *quadragesimae* (est hebdomada quarta *quadragesimae*), quasi antea non *quadragesimali*, sed *quadragesimae* praecessisset.

[7]) c[7] c[10] et lib. diurn. *sacramentum ... praebendum*, cui lectioni sequens epistola suffragatur. Cum nostris tamen mss. retinere nobis liceat *sacramenta ... praebenda:* non solum propter varios ritus, qui sacram tinctionem praecedebant, sed et propter confirmationis et eucharistiae perceptionem, quae proxime sequebatur.

[8]) c[7] c[10] et lib. diurn. *oportet*. Mox F[d] *qui tecum vivit etc.*

[9]) D[11] c[7] c[10] et lib. diurn. *et Spiritu sancto*. Deinde c[7] c[10] et lib. diurn. post *Amen* subjiciunt: *Et subscriptio ejus. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii*, quod abest a nostris mss. Sequitur in F[d] fol. 73[b] *Item ejusdem. Qualis debeat esse pastor ecclesiae. Diligenter investigavimus etc*; quod infra fragm. 48 producemus.

[1]) Ita Q[1] Q[2]; Z *Brundusii*, alii editi *Brendesii*.

[2]) Ita Q[1] Q[2] Z; a[2] c[7] *agnoscetis*. Hic innuitur, Julianum ab ipso Gelasio Romae ordinatum esse.

Digitized by Google

que illiteratum vel obnoxium, aut in aliqua parte corporis debilem notatumque modis omnibus ad sacros ordines permittat accedere. Quod etiam de peregrinis[3]) atque incognitis vel ex[4]) poenitentibus cavere debebit, quia hujusmodi a venerabilibus prohibentur officiis. (a. 494.)

2. Ac nihil ex ministeriis atque ornatu postremo de quacunque re, quam constat ad ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus et oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum sibi unam ipse retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quarum rationem divino est redditurus examini.

3. Sacris quoque ordinibus applicandos hac observatione promoveat, ut jejunio quarti, septimi et decimi mensis vespere[5]) sabbati presbyteros atque diaconos ordinandos esse cognoscat. Venerabilis etiam baptismi sacramentum nisi in festivitate paschali et Pentecostes tradere non praesumat, exceptis aegritudine laborantibus.

Epistola 17.

Gelasii papae ad episcopos Siciliae.

a. 494 d. 15 Maj.

p. 33. *Facultates Ecclesiae episcopi juxta canonum decreta administrent* (*n.* 1); *circa illarum sicut dioecesium possessionem valere tricennalem praescriptionem* (*n.* 2).

Gelasius Romanae ecclesiae episcopus dilectissimis et in Christi caritate unanimiter[1]) connexis fratribus episcopis, qui in Sicilia sunt constituti.

1. Praesulum[2]) nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates Ecclesiae episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut

---

[3]) Siricius epist. 6 n. 4 vehementer improbat nonnullos, qui transeuntes et peregrinos temere ordinarunt. Superior epistola nominatim Afros non suscipiendos monet.

[4]) a^2 c^7 c^{10} *expetentibus* emendantur ex Q^1 Q^2. Sic et Hilarus epist. 16 n. 5 prospiciendum docet, *ne ex poenitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere*. Vide superiorem epist. 15 n. 1 et epist. 14 cap. 2, Innocent. epist. 17 n. 11.

[5]) Hinc excidisse videtur *initii quadragesimae atque medianae*, ut in epist. 14 c. 11 et in epist. 15 n. 3 exprimitur.

[1]) Mss. n^3 *unanimis cum connexis*, i^2 *una mecum connexis*.

[2]) Id sibi vult hic *praesulum nostrorum auctoritas*, quod infra *filiorum nostrorum principum auctoritas*. Eodem loquendi modo utitur et Simplicius epist. 16 n. 2, quem in locum quae observata sunt repete. Et vero regibus et episcopis commune est *praesulum* nomen, quia ipsis pariter convenit *praesidere*. Sed in hoc differunt, quod, ut loquitur ipse Gelasius epist. 12 n. 2, reges *praesident humano generi*; ideoque illi ibidem *reges hominum*, hi *rerum praesules divinarum* appellantur. Iidem infra epist. 37 n. 1 *praesules ministrandae fidei Christianae* dicuntur. Ad calcem epist. 6 Symmachi papae edictum edituri sumus Theodorici regis *senatui Romano orbis praesuli* inscriptum.

Digitized by Google

a. 494. viduarum, pupillorum[3]) atque pauperum nec non clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut, sicut antea diximus, peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

2. Illud etiam adnecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiae nec non et dioeceses ab[4]) aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro[5]) eo appellare, quod legum tempus[6]) exclusit. Data Idibus Maji, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus[7]).

Epistola 18.

a. 494 d. 2 Aug.

Gelasii papae ad episcopos Dardaniae et Illyrici.

Praedicat illorum constantiam in servanda fide ac vitandis vicinis contagiis (*n.* 1). p. 33

---

[3]) J[17] *publicorum pupillorum.* Verborum superiorum constructio, quae intricatior est, ita erit perspicua, ut *episcopi potestatem habeant ad regendum facultates Ecclesiae.* Moxque i[2] *Hoc eis statuimus.*

[4]) Ita J[17]. At alii libri addunt *quae*, Z *si quae.* Et mox X[1] *quas tricennalis.* Apud Reginonem autem lib. 1 cap. 18: *Ut si qui, quod absit, facultates Ecclesiae et dioeceses ab aliis quibus possidentur episcopis etc.* Non displiceret: *ut si, quod absit, ab aliis quibusdam possidentur.* Certe post verbum *dioeceses* supplendum aut dicendum *alterius.* Hanc Gelasii sententiam illustrat Toletani IV concilii anno 633 habiti canon 34, in quo praecipitur: *Quicunque episcopus alterius episcopi dioecesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis ejus jam videtur esse dioecesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi.* Ad eamdem respiciens jam anno 617 concilium Hispalense II c. 2 sanxerat: *Tricennalis objectio silentium ponit; hoc enim et saecularium principum edicta praecipiunt et praesulum Romanorum decrevit auctoritas.* Vide et concilium Calchedonense c. 17 nec non cod. Theod. lib. 4 tit. 14 unicam Theodosii legem (l. 3 C. VII, 39) et Aniani interpretationem atque Valentiniani novell. tit. 26. Silendum hic non est, synodi VIII ab Hadriano II anno 870 habitae capitulum 18, in quo praescriptio tricennalis firmatur, quum a Gratiano (c. 8 C. XVI qu. 3) tum in ms. Josaphateo ab annis circiter 500 descripto sub Gelasii nomine citari cum triplici tamen varietate: quarum prima est, quod Z Π^1 habent tantum *in scriptis donata*, ubi synodus addit *vel sine scriptis;* altera, quod ubi illi exhibent *ac jussu praesulis*, in synodo exstat *ac usu praesulis*; postrema, quod quum synodus prae se ferat *seu res restituerit et reservaverit*, ab illis abest *et reservaverit.*

[5]) Regino et Capitularia ut in mss. *pro eo.* Deinde soli mss. O *liceat appellare quos*, et in uno secundis curis: *pro his* (X[1] *pro id*) *appellare quos.*

[6]) Alii *tutela*, vel *regula*, vel *cautela.* X[1] *quos legum teda* (num forte *theta* vel *taeda?*) *post exclusit.*

[7]) Monet Mansi coll. conc. VIII, 45 in suo ms. Burch. l. VIII c. 46 etiam hoc decretum tamquam ex *epistola Gelasii ad Sicilienses cap. 9* acceptum referri (quod inde sane etiam in c. 3 C. XXVII, qu. 1 transiit, sed est revera ex Symmachi epist. 15 ad Caesar. n. 6): *Neque viduas ad nuptias transire patimur, quae religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter autem virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigit.*

Digitized by Google

Ut eorum, qui ab Eutychianorum consortio se non segregant, communionem vitent (*n.* 2), *ad ipsum autem de fidei instantibus crebrius scribant, ipsiusque monita vicinis provinciis nota faciant* (*n.* 3). *Ut ab artibus caveant episcopi Thessalonicensis, qui a recitando nomine Acacii abstinere nolens apostolicae sedis communionem non meruit* (*n.* 4). *Ne persuaderi sibi sinant, Acacio praevaricationis suae crimen fuisse laxatum, aut ab apostolica sede propriam injuriam, non fidei et communionis catholicae causam tractari* (*n.* 5). a. 494.

Gelasius episcopus universis episcopis per Dardaniam[1]) sive per Illyricum constitutis.

1. Audientes orthodoxam vestrae dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquae fidei communionisque sincerae traditionibus inhaerentes, ut mentem Christianae deditam veritati nullatenus infecerint praevaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum atque Macarium diacones tota cordis aviditate curavimus: quoniam pro sedis apostolicae principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus, quum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen purae confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens aestu tentationis exaruit, nec viae proximum cecidit vagantibus[2]) inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piae devotionis vestrae coelesti satione dispersum in trigesimum et sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti dominici mystica locutione designans. Matth. 13, 3 ss.

2. Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianae pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis: quoniam jam *qui perseverat usque in finem, hic salvus erit.* *Dominus prope est, nihil solliciti sitis;* siquidem major est, qui[3]) in nobis est, quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos esse Scriptura testante sit certum. Ut autem ab eorum, qui in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium: quia sicut in unaquaque haeresi cum prävitatis auctore damnato successores ejus et complices atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Aelurus et Petrus Alexandrinus ejusque communicator Acacius nec non etiam Antiochenus Petrus Matth. 10, 22. Philip. 4, 5. Luc. 17, 21.

---

[1]) Notat Labbeus, in quibusdam codicibus legi *et Daciam.* In Vigilii papae constituto seu epistola 24 n. 125 haec epistola citatur ut *ad Dardaniae episcopos* scripta.

[2]) Ita G[1], ut jam a[1] suspicatus fuerat; at editi *vacantibus ... coelesti factione dispersum.*

[3]) Ita G[1]; editi *quod in nobis ... nos etiam scriptura.*

Digitized by Google

a. 494. cum suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam, etiamsi pravitatem deponere se promittat[4]), recitandis tamen nominibus consentiens perditorum vel eadem recitantium minime communione discretus, ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscunque modis est
Eph. 5,27. permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, *quae maculam rugamque non sustinet*, inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperae capitis dira commercia, et procul a coelestibus pascuis mor-
Joh. 6,50. tifera venena pellantur, ut salutaris alimonia *panis illius, qui de coelo descendit*, fideles hanc sumentes ad vitam perducat aeternam!

3. Quae ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio, ut et sospitatem vestrae caritatis optatam et fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat: quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias haec eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat, ut et qui catholicae communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis, et qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur.

4. Noverit autem vestra fraternitas, ecclesiae Thessalonicensis antistitem, nostris[5]) adhortationibus saepius incitatum, contagia communionis externae nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii vel ceterorum similium perfidorum hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem sedis apostolicae non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensi-
*(suppl. *discretis*) bus et ab omni nefanda[6]) societate *beati Petri apostoli nec pos-
*(f. *sub ficta*) sumus nec debemus Ecclesiae praebere commercia. Propterea cautius agendum est cum praefato, nec catholicis mentibus, *ut fit, apostolicae sedis reconciliatione subrepat: quam sicut dolosis artibus
*f. *societatem ejus* fallere et circumvenire non praevalet, ita[7]) *sub cujus non potest obtinere. Auctoritatem quoque nostram, quae ad Dalmatiarum est

[4]) Ea de causa nominatim Euphemius Constantinopolitanus antistes, quamvis ab Eutychiana pravitate se et dictis et gestis profiteretur alienum, apostolicae tamen sedis communionem non meruit, quia noluit a recitando Acacii nomine abstinere. Vide epist. 7 n. 3 et 4 et epist. 10 n. 4.

[5]) Non alius fuit ab Andrea, ad quem exstat Felicis II epist. 18. Hunc enim non Felici solum sed et Gelasio superstitem fuisse, ex libello apocrisiariorum Alexandrinae ecclesiae legatis Anastasii II papae oblato (infra Anast. II ep. 5), quem Baronius ad annum 497 refert, manifestum est. Ex citata autem Felicis epistola hunc Andream jam tum apostolicae sedis communionem dolose captare conatum esse colligitur.

[6]) G[1] *ab omni nefande societatis*, quo sermo etiam mancior apparet (supplendum tunc *consortio discretis*).

[7]) Locus iste, qui mutilus est, integer fieret in hunc modum: *ita societatem ejus non potest obtinere.* Deinde *auctoritatis* vocabulo epistolam intelligimus, quae non exstat. Alii editi ita interpunxerunt: *obtinere auctoritatem quoque nostram.*

Digitized by Google

directa pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in a. 494.
veritate catholica secundum formam traditionis antiquae tenere nos consonam noveritis ubique sententiam. Si quos vero novos didiceritis motus exsurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine reserare, quo subinde, quae patrum regulis congruant, praestante Domino remedia procuremus.

5. Nec quisquam omnino vobis persuadeat, Acacio praevaricationis suae crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis jureque meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes nec quaesivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare; siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: *Quae ligaveritis super terram, et quae solveritis super terram.* Matth. 18, 18.
Ceterum jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere praeter id, in quo eum dies supremus invenit; atque ideo nisi ejus nomine refutato ceterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensae dominicae puritatem, quam majores nostri semper ab haeretica magnopere servaverunt pollutione discretam.

6. Sed neque vos quisquam[8]) circumvenire pertentet, quod dicat, non de religione sed de moribus esse certamen, vel apostolicam sedem non causam communionis catholicae fideique tractare, sed injuriam dolere, cur videatur ab Acacio fuisse contempta; quoniam haec et hujusmodi, quatenus simplices quosque decipiant, hi qui in errore sunt positi, spargere non quiescunt. Videtis enim, sicut supra jam dictum est, per nomina praevaricatorum, si, quod absit, in Ecclesia recitanda credantur, simul et contagium praevaricationis induci. Sedes autem apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionem sinceram, ut hodie cuncti, qui in ejus visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei communionisque[9]) catholicae revertantur, secundum regularum tramitem paternarum toto cordis affectu venientes et plena caritate suscipiat. Data III Nonas Augusti, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 19.

Gelasii papae ad Aeonium episcopum Arelatensem.

a. 494 d. 23 Aug.

p. 34. *Caritatis suae erga Gallos sollicitudinem testatur, et ab Aeonio de ecclesiae illius statu litteras vicissim exspectat.*

Dilectissimo fratri Aeonio Gelasius.

1. Inter difficultates varias copiam nos reperisse gratulamur,

[8]) Ita G[1]; alii *quisque ... videantur ... simplices quoque.*
[9]) Editi *communionemque catholicam*, corriguntur auctoritate G[1].

Digitized by Google

a. 494. qua per divinam gratiam sedis apostolicae regimen nos adisse pandentes, praetermissum diu cum tua misceremus fraternitate sermonem, et salutatione directa mutua caritate solliciti dilectionis quoque tuae prospera quaereremus. Quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante susceptam beati Petri apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas ecclesias earumque rectores amplectitur, et inter diversos mundi turbines, si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quaerit anxia et gavisa cognoscit.

*f. *instantibus.* 2. Quapropter, frater carrissime, *instantius religiosis viris filiis nostris Euphronio presbytero et Restituto viro religioso, qui ad Italiae partes ad providendam congregationi sanctae[1]) substantiam commearant, remeantibus ad propria, silere nequivimus, sed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam: quatenus et vigere apud nos alternae viscera gratiae fratres et coepiscopi nostri per Gallias constituti caritate tua vulgante cognoscerent, et desiderantibus omnium, per quos tua caritas voluisset, referret mutuo sospitatem, constaretque nullatenus quantumlibet saeculo detrahente divelli, sed[2]) catholicam professionem manere semper ubique conjunctam. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime! Data X Calendas Septembris, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 20.

(a. 494—495.) **Gelasii papae ad Martyrium[1]) et Justum episcopos.**

Homines Amandini cujusdam viri illustris invito domino clericos ordinatos ita restitui vult, ut tamen presbyteri peculio amisso in eodem gradu permaneant, diaconi aut vicarium praestent aut ipsi reddantur. p 34

Gelasius Martyrio et Justo episcopis.

Et[2]) antiquis regulis et novella synodali explanatione comprehensum est, personas[3]) obnoxias coelestis militiae cingulo non praecingi. Sed nescio, utrum ignorantia an voluntate rapiamini,

---

[1]) Seu monasterio in Italia ac forte Romae sito, cui subsidiarias opes Euphronius et Restitutus circa illud tempus providerunt, quo Aeonius ipse ad Gelasium simile subsidium miserat.

[2]) L[1] *sede catholicum*, mallemus: *sed catholica professione manere semper ubique conjunctos*, vel *conjunctam*, hoc verbo ad *sospitatem* relato.

[1]) Inter episcopos, qui Romanae I synodo sub Symmacho subscripserunt, Martyrium et Justum legimus, hunc Acherontinum, illum Terracinensem.

[2]) Z et editi *Ex.*

[3]) Z hic addit *servituti*, quod deest apud Q[1] Q[2] X[1]. Sic idem Gelasius epist. 16 n. 1 ordinandum non esse docet *illitteratum vel obnoxium*, nec addit *servituti* Utrobique vero subauditur *originis vel conditionis* seu etiam *servitutis*, ut epistolam 14 c. 2 et epistolam 15 n. 1 conferenti patebit. Porro antiquas regulas, quae hic memorantur, eas intelligimus, quas Innocentius I ep. 2 n. 14 et Leo

Digitized by Google

ut[4]) ex hac culpa nullus pene episcoporum videatur extorris. Ita (a. 494—495.)
enim nos frequens et plurimorum querela circumstrepit[5]), ut ex hac parte nihil penitus putetur constitutum. Actores siquidem illustris viri filii nostri Amandiani graviter conqueruntur, homines suo juri debitos alios adhuc clericos, alios jam diaconos ordinatos; quum non solum post modernum, quod tantorum pontificum collectione sub omnium saluberrimae provisionis assensu constat esse perfectum, hujusmodi personas[6]) suscipere non deberes, verum etiam si qui forte in divinae cultum militiae ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminare prorsus et exutos religioso privilegio ad dominorum possessiones justa debueris admonitione compellere. Et ideo, frater carissime, eos quos supradicti viri actores in clericatus officio monstraverint attineri, discussos et obnoxios approbatos custodito legum tramite sine intermissione restitue: ita ut si quis jam ex iis presbyter reperitur, in eodem gradu peculii[7]) sola amissione permaneat,

---

epist. 4 n. 2 asserunt; novellam autem explanationem eam interpretamur, quam Gelasius epist. 14 c. 14 promulgavit.

[4]) Ita Q^1 Q^2 X^1. Z et editi *ita ut ex hac causa.*

[5]) Gelasium quidem jam *generalis querela*, ut ipse loquitur epist. 14 c. 14, permoverat, ut ea de re pluribus episcopis congregatis decerneret; at ubi divulgatum est hoc decretum, statim haud dubie permultis data est occasio de re, quam inique ferebant, vehementius expostulandi. Mox cum Q^1 X^1 scripsimus *debitos*, ubi editi *deditos.*

[6]) Z *personae suscipi non deberent* (c^{10} *personas suscipi non debere*) ... *eliminati prorsus et exuti ... debuerint admonitione compelli. Et ideo, fratres carissimi, quos ... monstraverit ... ac probatos ... restituite;* castigatur ope Q^1 Q^2 X^1 Π^1, nisi quod X^1 *suscipere non debere ... ex his presbyter inventur.* Atque ex hac lectione, quae apud Ivonem valde confusa est, colligitur, hanc epistolam Martyrio et Iusto a pari fuisse scriptam, ideoque sermonem non ad duos simul sed ad unum, quia utrique proprium ejus exemplum tradendum erat, converti.

[7]) Z *peculii sui amissione mulctatus maneat ... Reliqua officia.* Ibidem verba *ipse ... hoc ... ulla* (al. *illa*) cum Q^1 X^1 addidimus. Gelasius hic morem gerit Valentiniani III novellae de judicio episcopali anno 452 datae (tit. 34 § 6), in qua cavetur: *Originarii sane vel servi, qui jugum natalium declinantes ad ecclesiasticum se ordinem transtulerunt, exceptis episcopis, ut dictum est, aut presbyteris, ad dominorum jura redeant, si non in eodem officio annum tricesimum* (nota privilegium tricennalis praescriptionis) *impleverunt: ita ut hujus conditionis diaconus domino pro se vicarium reddat, omni pariter peculio restituto. Circa quem nihilominus, si copia vicarii dandi non suppetat, quae de ministeriis urbium superius sunt statuta servantur:* hoc est, ut subnexa Aniani interpretatio explicat: *ipse ad conditionem propriam revocetur.* Ex eo autem, quod saeculo obnoxios ecclesiastico seu religioso ministerio obstringi iniquum aliquando visum est, percipit quisque, quanto iniquius videri debeat, Deo addictos saeculi servitio mancipari. Porro de citata Valentiniani constitutione et de altera Zenonis Augusti, quae refertur l. 37 cod. Just. I, 3 postea Justinianus novel. 123 c. 17 derogavit, ubi inter alia edicit: *Adscriptitios in ipsis possessionibus, in quibus sunt adscripti, clericos etiam praeter voluntatem dominorum fieri permittimus: ita tamen ut clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant.* Vide concilium Aurelia-

Digitized by Google

a. 494. adversa, et quasi magis haec regula sit[113]), qua ecclesiae debeant gubernari, sic quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur: quum et si cognitos habuit canones unusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia, et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit[114]) ignorantem. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus, quia nec sciens proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

XXVII. 27. Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis[115]) applicanda. De quibus, sicut sacerdotis interierit, integram ministris ecclesiae memoratam dependere quantitatem, sic clerus[116]) ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero, quae ecclesiasticis aedificiis attributa sunt, huic operi veraciter praerogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris aedibus destitutis, in lucrum suum praesul impendia his designata convertat. Ipsam[117]) nihilominus adscriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est: *Ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui est in coelis,* oportet etiam praesenti testificatione praedicari et bonae famae praeconiis non taceri.

Matth. 5, 16.

XXVIII. 28. Quapropter nec[118]) clericorum quisquam se hujus offensae futurum confidat immunem, si in his, quae salubriter sequenda de-

---

[113]) H[15] *sic que ecclesie*, d[1] *possit*, moxque h[1] d[1] d[2] *ecclesia debeat*, ac deinde a[1] c i[2] *si quidquid*, H[15] *si quid quidem.*

[114]) O[6] c[9] c[10] d[1] d[2] *oportuerit* (d[1] *oportuit*) *scientem*, quum teste Coustantio omnes mss. (etiam B[1] E[1] E[2] F[d] F[m] H[8] H[15] O[1] O[2]) c[2] h[1] *oportuerit ignorantem*, i[2] *oportuerit, quo magis.* Deinde F[d] F[m] H[8] c[10] d[2] i[2] *quia* (F[m] *qui*) *nesciens*, moxque B[1] *quod ignorat* (pro *quod noverat*).

[115]) h[1] *fabricis ampliandis ecclesiae* et ad marg. *applicanda.* Quemadmodum ex sequentibus aliisque locis liquet, solidorum ecclesiae redituum administrationem ad episcopum pertinuisse, ita ex Simplicii epist. 1 n. 2 non minus perspicuum est, id munus, quum illo abuteretur episcopus, ad presbyterium transferri potuisse. Inde et ostenditur, qua ratione mereantur plecti, qui vel portionem ad alimoniam pauperum perpetuis ecclesiae statutis designatam, vel quam sacris aedibus restaurandis certae leges designant, in propria lucra convertunt.

[116]) H[8] et c[10] ad marg. *clericus*, moxque solus d[1] *ecclesiae aedificiis*, ac postea h[1] *prorogata*, d[1] d[2] *instructio* (pro *instauratio*). — F[d] *alteram delegatam ... praesules ... convertant.*

[117]) D[1] d[2] *ipsa nihilominus adscripta pauperibus portione. Et hanc quamvis ... monstraturus esse dicatur* (D[1] secunda manu *videatur*). Moxque editi *glorificent Patrem.*

[118]) Ita B[1] D F[d] F[m] H d[2]. — h[1] c[1] c[7] c[9] c[10] i[2] *nec* (h[1] *ne*) *clericorum quispiam* (c[1] *qui sapientia*); moxque E[2] *hujus rei se futurum*, et d[1] *si his*, ac deinde d[2] *referendum curaverit*, c[1] autem proxime sequentia *probationibus — delinquendi* omisit.

Digitized by Google

prompsimus, sive episcopum sive présbyterum seu diaconum viderit a. 494.
excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat[119]) ceteris interdictio delinquendi. Sui vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiae totius auditui haec putaverit supprimenda. Data[120]) V. Idus Martii, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 15

seu

Epistolaris formula Gelasii papae.

p. 32. **Incipiunt constituta sancti Gelasii papae, quae episcopi in ordinatione sua accipiunt.**

Papa *ille*[1]) clero, ordini et plebi consistentibus civitate *illa*[2]).

1. Probabilibus desideriis[3]) nihil attulimus tarditatis. Fratrem jam et coepiscopum nostrum illum vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus[4]) in mandatis, ne unquam ordinationes praesumat illicitas: ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex poenitente, vel curiae aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad sacros ordines permittat accedere; sed si quos hujusmodi forte repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines praetendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichaei, aliqui rebaptizati saepius sunt probati.

2. Ministeria atque ornatum ecclesiae, vel quidquid illud est in

---

[119]) a[1] c[7] c[9] c[10] h[1] i addunt *et*, moxque c[1] *sic vero.*

[120]) In F[m] D[6] D[7] D[9] d[2] loco chronicae notae subjicitur: *Et alia manu. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.* Quod in a[1] cc ita est retentum, ut et praemissa nota servaretur. Sequimur praestantissimos codices (B[1] E[1] E[2] F[d] O[1] O[2] H[1]) et primos editos c[1] h[1] i[2], nisi quod B[1] F[d] *Data VI Idus Martii.*

[1]) Antiquis id moris erat, ut in generalibus formulis nominis proprii loco pronomen *ille* substituerent. Qua voce papae ejus, qui novum episcopum ordinasset, nomen hic exprimendum notatur, sicut mox verbis *in civitate illa* eam civitatem, cui novus creatus est episcopus, et deinde ubi dicitur *coepiscopum nostrum illum* hunc ipsum episcopum appellandum esse designatur. Quia vero pronomen vulgo nota *ill.* ita exprimebatur, ut litterae *n.* speciem prae se ferret, subinde usu venit in iisdem formulis, ut non *ill.* sed *n.* loco nominis poneretur. — In F[d] deest *ille.*

[2]) In E[1] et libro diurno Roman. pontif. additur *dilectissimis filiis in Domino salutem*, quod exinde in edit. conc. transiit, sed abest a ceteris mss. (C[1] C[2] D[11] P[2] F[d] H[2]).

[3]) C[2] addit *vestris*, moxque cum C[1] F[d] *fratrem etiam et.*

[4]) c[7] *credimus*, moxque cum c[10] *uxorem qui neque.* Deinde F[1] H[8] *poenitentem curialem* (F[1] *curiale*) *consentem aut cuilibet*, c[7] c[10] *expoenitentem*, et postea c[7] *ad sacros ordines praetendentes.*

Digitized by Google

(a. 494.) patrimonio ejusdem, non minuere studeat sed augere. De reditu vero ecclesiae vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones: quarum unam sibi ipsi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit redditurus judicio rationem.

3. Ordinationes vero presbyterorum seu diaconorum non nisi quarti[5]), septimi vel decimi mensium jejuniis, sed et in ingressu quadragesimali, atque medianae[6]) vespere sabbati noverit celebrandas.

4. Sacrosancti autem baptismi sacramenta[7]) non nisi in paschali festivitate et Pentecoste meminerit esse praebenda, exceptis iis, qui mortis urgentur periculo: ne in aeternum pereant, talibus debet[8]) remediis subveniri. Huic ergo sedis nostrae praecepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile placitumque fiat corpus Ecclesiae per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente in[9]) unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

Epistola 16.

Gelasii papae ad Brundisios.

Litterae formatae Juliani episcopi noviter ordinati indicantes, quae ille in ordinatione sua promiserit. Jp. 3.

Gelasius clero, ordini et plebi Brundisii[1]).

1. Concesso vobis, quem petistis, antistite fratre jam et coepiscopo meo Juliano necessarium fuit, eodem ad ecclesiam suam mox remisso ad vos nostra scripta pariter destinare, quibus agnosceretis[2]), eidem fuisse praeceptum, ne unquam ordinationes praesumat illicitas: ne bigamum et qui virginem non est sortitus uxorem, at-

[5]) H[s] et lib. diurn. addunt *primi*, quod Gelasius et in proxima epist. 14 cap. 11 omisit.

[6]) c[7] c[10] *medio*, corriguntur ex dictis mss. Post verbum *medianae* subauditur *quadragesimae* (est hebdomada quarta *quadragesimae*), quasi antea non *quadragesimali*, sed *quadragesimae* praecessisset.

[7]) c[7] c[10] et lib. diurn. *sacramentum ... praebendum*, cui lectioni sequens epistola suffragatur. Cum nostris tamen mss. retinere nobis liceat *sacramenta ... praebenda:* non solum propter varios ritus, qui sacram tinctionem praecedebant, sed et propter confirmationis et eucharistiae perceptionem, quae proxime sequebatur.

[8]) c[7] c[10] et lib. diurn. *oportet*. Mox F[d] *qui tecum vivit etc.*

[9]) D[11] c[7] c[10] et lib. diurn. *et Spiritu sancto*. Deinde c[7] c[10] et lib. diurn. post *Amen* subjiciunt: *Et subscriptio ejus. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii*, quod abest a nostris mss. Sequitur in F[d] fol. 73[b] *Item ejusdem. Qualis debeat esse pastor ecclesiae. Diligenter investigavimus etc*; quod infra fragm. 48 producemus.

[1]) Ita Q[1] Q[2]; Z *Brundusii*, alii editi *Brendesii*.

[2]) Ita Q[1] Q[2] Z; a[2] c[7] *agnoscetis*. Hic innuitur, Julianum ab ipso Gelasio Romae ordinatum esse.

Digitized by Google

que illiteratum vel obnoxium, aut in aliqua parte corporis debilem notatumque modis omnibus ad sacros ordines permittat accedere. Quod etiam de peregrinis[3]) atque incognitis vel ex[4]) poenitentibus cavere debebit, quia hujusmodi a venerabilibus prohibentur officiis. (a. 494.)

2. Ac nihil ex ministeriis atque ornatu postremo de quacunque re, quam constat ad ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus et oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum sibi unam ipse retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quarum rationem divino est redditurus examini.

3. Sacris quoque ordinibus applicandos hac observatione promoveat, ut jejunio quarti, septimi et decimi mensis vespere[5]) sabbati presbyteros atque diaconos ordinandos esse cognoscat. Venerabilis etiam baptismi sacramentum nisi in festivitate paschali et Pentecostes tradere non praesumat, exceptis aegritudine laborantibus.

Epistola 17.

Gelasii papae ad episcopos Siciliae.

a. 494 d. 15 Maj.

p. 33. *Facultates Ecclesiae episcopi juxta canonum decreta administrent* (*n.* 1); *circa illarum sicut dioecesium possessionem valere tricennalem praescriptionem* (*n.* 2).

Gelasius Romanae ecclesiae episcopus dilectissimis et in Christi caritate unanimiter[1]) connexis fratribus episcopis, qui in Sicilia sunt constituti.

1. Praesulum[2]) nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates Ecclesiae episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut

---

[3]) Siricius epist. 6 n. 4 vehementer improbat nonnullos, qui transeuntes et peregrinos temere ordinarunt. Superior epistola nominatim Afros non suscipiendos monet.

[4]) a^2 c^7 c^{10} *expetentibus* emendantur ex Q^1 Q^2. Sic et Hilarus epist. 16 n. 5 prospiciendum docet, *ne ex poenitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere*. Vide superiorem epist. 15 n. 1 et epist. 14 cap. 2, Innocent. epist. 17 n. 11.

[5]) Hinc excidisse videtur *initii quadragesimae atque medianae*, ut in epist. 14 c. 11 et in epist. 15 n. 3 exprimitur.

[1]) Mss. a^3 *unanimis cum connexis*, i^2 *una mecum connexis*.

[2]) Id sibi vult hic *praesulum nostrorum auctoritas*, quod infra *filiorum nostrorum principum auctoritas*. Eodem loquendi modo utitur et Simplicius epist. 16 n. 2, quem in locum quae observata sunt repete. Et vero regibus et episcopis commune est *praesulum* nomen, quia ipsis pariter convenit *praesidere*. Sed in hoc differunt, quod, ut loquitur ipse Gelasius epist. 12 n. 2, reges *praesident humano generi;* ideoque illi ibidem *reges hominum*, hi *rerum praesules divinarum* appellantur. Iidem infra epist. 37 n. 1 *praesules ministrandae fidei Christianae* dicuntur. Ad calcem epist. 6 Symmachi papae edictum edituri sumus Theodorici regis *senatui Romano orbis praesuli* inscriptum.

Digitized by Google

a. 494. viduarum, pupillorum[3]) atque pauperum nec non clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut, sicut antea diximus, peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

2. Illud etiam adnecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiae nec non et dioeceses ab[4]) aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro[5]) eo appellare, quod legum tempus[6]) exclusit. Data Idibus Maji, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus[7]).

Epistola 18.

a. 494 d. 2 Aug.

Gelasii papae ad episcopos Dardaniae et Illyrici.

Praedicat illorum constantiam in servanda fide ac vitandis vicinis contagiis (*n.* 1). p. 383

---

[3]) J[17] *publicorum pupillorum.* Verborum superiorum constructio, quae intricatior est, ita erit perspicua, ut *episcopi potestatem habeant ad regendum facultates Ecclesiae.* Moxque i[2] *Hoc eis statuimus.*

[4]) Ita J[17]. At alii libri addunt *quae*, Z *si quae.* Et mox X[1] *quas tricennalis.* Apud Reginonem autem lib. 1 cap. 18: *Ut si qui, quod absit, facultates Ecclesiae et dioeceses ab aliis quibus possidentur episcopis etc.* Non displiceret: *ut si, quod absit, ab aliis quibusdam possidentur.* Certe post verbum *dioeceses* supplendum aut dicendum *alterius.* Hanc Gelasii sententiam illustrat Toletani IV concilii anno 633 habiti canon 34, in quo praecipitur: *Quicunque episcopus alterius episcopi dioecesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis ejus jam videtur esse dioecesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi.* Ad eamdem respiciens jam anno 617 concilium Hispalense II c. 2 sanxerat: *Tricennalis objecto silentium ponit; hoc enim et saecularium principum edicta praecipiunt et praesulum Romanorum decrevit auctoritas.* Vide et concilium Calchedonense c. 17 nec non cod. Theod. lib. 4 tit. 14 unicam Theodosii legem (l. 3 C. VII, 39) et Aniani interpretationem atque Valentiniani novell. tit. 26. Silendum hic non est, synodi VIII ab Hadriano II anno 870 habitae capitulum 18, in quo praescriptio tricennalis firmatur, quum a Gratiano (c. 8 C. XVI qu. 3, tum in ms. Josaphateo ab annis circiter 500 descripto sub Gelasii nomine citari cum triplici tamen varietate: quarum prima est, quod Z Π^1 habent tantum *in scriptis donata*, ubi synodus addit *vel sine scriptis;* altera, quod ubi illi exhibent *ac jussu praesulis*, in synodo exstat *ac usu praesulis*; postrema, quod quum synodus prae se ferat *seu res restituerit et reservaverit*, ab illis abest *et reservaverit.*

[5]) Regino et Capitularia ut in mss. *pro eo.* Deinde soli mss. O *liceat appellare quos*, et in uno secundis curis: *pro his* (X[1] *pro id*) *appellare quos.*

[6]) Alii *tutela*, vel *regula*, vel *cautela.* X[1] *quos legum teda* (num forte *theta* vel *taeda?*) *post exclusit.*

[7]) Monet Mansi coll. conc. VIII, 45 in suo ms. Burch. l. VIII c. 46 etiam hoc decretum tamquam ex *epistola Gelasii ad Siculienses cap. 9* acceptum referri (quod inde sane etiam in c. 3 C. XXVII, qu. 1 transiit, sed est revera ex Symmachi epist. 15 ad Caesar. n. 6): *Neque viduas ad nuptias transire patimur, quae religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter autem virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigit.*

Digitized by Google

Ut eorum, qui ab Eutychianorum consortio se non segregant, communionem vitent (*n.* 2), *ad ipsum autem de fidei instantibus crebrius scribant, ipsiusque monita vicinis provinciis nota faciant* (*n.* 3). *Ut ab artibus caveant episcopi Thessalonicensis, qui a recitando nomine Acacii abstinere nolens apostolicae sedis communionem non meruit* (*n.* 4). *Ne persuaderi sibi sinant, Acacio praevaricationis suae crimen fuisse laxatum, aut ab apostolica sede propriam injuriam, non fidei et communionis catholicae causam tractari* (*n.* 5). a. 494.

Gelasius episcopus universis episcopis per Dardaniam[1]) sive per Illyricum constitutis.

1. Audientes orthodoxam vestrae dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquae fidei communionisque sincerae traditionibus inhaerentes, ut mentem Christianae deditam veritati nullatenus infecerint praevaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum atque Macarium diacones tota cordis aviditate curavimus: quoniam pro sedis apostolicae principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus, quum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen purae confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens aestu tentationis exaruit, nec viae proximum cecidit vagantibus[2]) inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piae devotionis vestrae coelesti satione dispersum in trigesimum et sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti dominici mystica locutione designans. Matth. 13, 3 ss.

2. Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianae pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis: quoniam jam *qui perseverat usque in finem, hic salvus erit.* *Dominus prope est, nihil solliciti sitis;* siquidem major est, qui[3]) in nobis est, quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos esse Scriptura testante sit certum. Ut autem ab eorum, qui in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium: quia sicut in unaquaque haeresi cum prāvitatis auctore damnato successores ejus et complices atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Aelurus et Petrus Alexandrinus ejusque communicator Acacius nec non etiam Antiochenus Petrus Matth. 10, 22. Philip. 4, 5. Luc. 17, 21.

---

[1]) Notat Labbeus, in quibusdam codicibus legi *et Daciam.* In Vigilii papae constituto seu epistola 24 n. 125 haec epistola citatur ut *ad Dardaniae episcopos* scripta.

[2]) Ita G^1, ut jam a^1 suspicatus fuerat; at editi *vacantibus ... coelesti factione dispersum.*

[3]) Ita G^1; editi *quod in nobis ... nos etiam scriptura.*

Digitized by Google

a. 494. cum suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam, etiamsi pravitatem deponere se promittat[4]), recitandis tamen nominibus consentiens perditorum vel eadem recitantium minime communione discretus, ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscunque modis est
Eph. 5,27. permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, *quae maculam rugamque non sustinet*, inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperae capitis dira commercia, et procul a coelestibus pascuis mor-
Joh. 6,50. tifera venena pellantur, ut salutaris alimonia *panis illius, qui de coelo descendit*, fideles hanc sumentes ad vitam perducat aeternam!

3. Quae ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio, ut et sospitatem vestrae caritatis optatam et fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat: quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias haec eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat, ut et qui catholicae communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis, et qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur.

4. Noverit autem vestra fraternitas, ecclesiae Thessalonicensis antistitem, nostris[5]) adhortationibus saepius incitatum, contagia communionis externae nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii vel ceterorum similium perfidorum hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem sedis apostolicae non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensi-
*(suppl. *discretis*) bus et ab omni nefanda[6]) societate *beati Petri apostoli nec possumus nec debemus Ecclesiae praebere commercia. Propterea cautius
*(f. *sub ficta*) agendum est cum praefato, nec catholicis mentibus, *ut fit, apostolicae sedis reconciliatione subrepat: quam sicut dolosis artibus
*f. *societatem ejus* fallere et circumvenire non praevalet, ita[7]) *sub cujus non potest obtinere. Auctoritatem quoque nostram, quae ad Dalmatiarum est

[4]) Ea de causa nominatim Euphemius Constantinopolitanus antistes, quamvis ab Eutychiana pravitate se et dictis et gestis profiteretur alienum, apostolicae tamen sedis communionem non meruit, quia noluit a recitando Acacii nomine abstinere. Vide epist. 7 n. 3 et 4 et epist. 10 n. 4.

[5]) Non alius fuit ab Andrea, ad quem exstat Felicis II epist. 18. Hunc enim non Felici solum sed et Gelasio superstitem fuisse, ex libello apocrisiariorum Alexandrinae ecclesiae legatis Anastasii II papae oblato (infra Anast. II ep. 5), quem Baronius ad annum 497 refert, manifestum est. Ex citata autem Felicis epistola hunc Andream jam tum apostolicae sedis communionem dolose captare conatum esse colligitur.

[6]) G[1] *ab omni nefande societatis*, quo sermo etiam mancior apparet (supplendum tunc *consortio discretis*).

[7]) Locus iste, qui mutilus est, integer fieret in hunc modum: *ita societatem ejus non potest obtinere*. Deinde *auctoritatis* vocabulo epistolam intelligimus, quae non exstat. Alii editi ita interpunxerunt: *obtinere auctoritatem quoque nostram*.

Digitized by Google

directa pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in a. 494.
veritate catholica secundum formam traditionis antiquae tenere nos consonam noveritis ubique sententiam. Si quos vero novos didiceritis motus exsurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine reserare, quo subinde, quae patrum regulis congruant, praestante Domino remedia procuremus.

5. Nec quisquam omnino vobis persuadeat, Acacio praevaricationis suae crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis jureque meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes nec quaesivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare; siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: *Quae ligaveritis super terram, et quae solveritis super terram.* Matth. 18, 18. Ceterum jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere praeter id, in quo eum dies supremus invenit; atque ideo nisi ejus nomine refutato ceterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensae dominicae puritatem, quam majores nostri semper ab haeretica magnopere servaverunt pollutione discretam.

6. Sed neque vos quisquam[8]) circumvenire pertentet, quod dicat, non de religione sed de moribus esse certamen, vel apostolicam sedem non causam communionis catholicae fideique tractare, sed injuriam dolere, cur videatur ab Acacio fuisse contempta; quoniam haec et hujusmodi, quatenus simplices quosque decipiant, hi qui in errore sunt positi, spargere non quiescunt. Videtis enim, sicut supra jam dictum est, per nomina praevaricatorum, si, quod absit, in Ecclesia recitanda credantur, simul et contagium praevaricationis induci. Sedes autem apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionem sinceram, ut hodie cuncti, qui in ejus visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei communionisque[9]) catholicae revertantur, secundum regularum tramitem paternarum toto cordis affectu venientes et plena caritate suscipiat. Data III Nonas Augusti, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 19.

Gelasii papae ad Aeonium episcopum Arelatensem.

a. 494 d. 23 Aug.

p. 34. *Caritatis suae erga Gallos sollicitudinem testatur, et ab Aeonio de ecclesiae illius statu litteras vicissim exspectat.*

Dilectissimo fratri Aeonio Gelasius.

1. Inter difficultates varias copiam nos reperisse gratulamur,

[8]) Ita G[1]; alii *quisque ... videantur ... simplices quoque.*
[9]) Editi *communionemque catholicam*, corriguntur auctoritate G[1].

Digitized by Google

a. 494. qua per divinam gratiam sedis apostolicae regimen nos adisse pandentes, praetermissum diu cum tua misceremus fraternitate sermonem, et salutatione directa mutua caritate solliciti dilectionis quoque tuae prospera quaereremus. Quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante susceptam beati Petri apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas ecclesias earumque rectores amplectitur, et inter diversos mundi turbines, si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quaerit anxia et gavisa cognoscit.

*f. *instantibus.* 2. Quapropter, frater carrissime, *instantius religiosis viris filiis nostris Euphronio presbytero et Restituto viro religioso, qui ad Italiae partes ad providendam congregationi sanctae[1]) substantiam commearant, remeantibus ad propria, silere nequivimus, sed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam: quatenus et vigere apud nos alternae viscera gratiae fratres et coepiscopi nostri per Gallias constituti caritate tua vulgante cognoscerent, et desiderantibus omnium, per quos tua caritas voluisset, referret mutuo sospitatem, constaretque nullatenus quantumlibet saeculo detrahente divelli, sed[2]) catholicam professionem manere semper ubique conjunctam. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime! Data X Calendas Septembris, Asterio et Praesidio viris clarissimis consulibus.

Epistola 20.

(a. 494—495.) **Gelasii papae ad Martyrium[1]) et Justum episcopos.**

Homines Amandini cujusdam viri illustris invito domino clericos ordinatos ita restitui vult, ut tamen presbyteri peculio amisso in eodem gradu permaneant, diaconi aut vicarium praestent aut ipsi reddantur. p. 34

Gelasius Martyrio et Justo episcopis.

Et[2]) antiquis regulis et novella synodali explanatione comprehensum est, personas[3]) obnoxias coelestis militiae cingulo non praecingi. Sed nescio, utrum ignorantia an voluntate rapiamini,

---

[1]) Seu monasterio in Italia ac forte Romae sito, cui subsidiarias opes Euphronius et Restitutus circa illud tempus providerunt, quo Aeonius ipse ad Gelasium simile subsidium miserat.

[2]) L[1] *sede cathòlicum*, mallemus: *sed catholica professione manere semper ubique conjunctos*, vel *conjunctam*, hoc verbo ad *sospitatem* relato.

[1]) Inter episcopos, qui Romanae I synodo sub Symmacho subscripserunt, Martyrium et Justum legimus, hunc Acherontinum, illum Terracinensem.

[2]) Z et editi *Ex*.

[3]) Z hic addit *servituti*, quod deest apud Q[1] Q[2] X[1]. Sic idem Gelasius epist. 16 n. 1 ordinandum non esse docet *illitteratum vel obnoxium*, nec addit *servituti* Utrobique vero subauditur *originis vel conditionis* seu etiam *servitutis*, ut epistolam 14 c. 2 et epistolam 15 n. 1 conferenti patebit. Porro antiquas regulas, quae hic memorantur, eas intelligimus, quas Innocentius I ep. 2 n. 14 et Leo

Digitized by Google

ut[4]) ex hac culpa nullus pene episcoporum videatur extorris. Ita (a. 494 enim nos frequens et plurimorum querela circumstrepit[5]), ut ex hac —495.) parte nihil penitus putetur constitutum. Actores siquidem illustris viri filii nostri Amandiani graviter conqueruntur, homines suo juri debitos alios adhuc clericos, alios jam diaconos ordinatos; quum non solum post modernum, quod tantorum pontificum collectione sub omnium saluberrimae provisionis assensu constat esse perfectum, hujusmodi personas[6]) suscipere non deberes, verum etiam si qui forte in divinae cultum militiae ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminare prorsus et exutos religioso privilegio ad dominorum possessiones justa debueris admonitione compellere. Et ideo, frater carissime, eos quos supradicti viri actores in clericatus officio monstraverint attineri, discussos et obnoxios approbatos custodito legum tramite sine intermissione restitue: ita ut si quis jam ex iis presbyter reperitur, in eodem gradu peculii[7]) sola amissione permaneat,

---

epist. 4 n. 2 asserunt; novellam autem explanationem eam interpretamur, quam Gelasius epist. 14 c. 14 promulgavit.

[4]) Ita Q^1 Q^2 X^1. Z et editi *ita ut ex hac causa.*

[5]) Gelasium quidem jam *generalis querela*, ut ipse loquitur epist. 14 c. 14, permoverat, ut ea de re pluribus episcopis congregatis decerneret; at ubi divulgatum est hoc decretum, statim haud dubie permultis data est occasio de re, quam inique ferebant, vehementius expostulandi. Mox cum Q^1 X^1 scripsimus *debitos*, ubi editi *deditos.*

[6]) Z *personae suscipi non deberent* (c^{10} *personas suscipi non debere*) ... *eliminati prorsus et exuti ... debuerint admonitione compelli. Et ideo, fratres carissimi, quos ... monstraverit ... ac probatos ... restituite;* castigatur ope Q^1 Q^2 X^1 Π^1, nisi quod X^1 *suscipere non debere ... ex his presbyter inventur.* Atque ex hac lectione, quae apud Ivonem valde confusa est, colligitur, hanc epistolam Martyrio et Iusto a pari fuisse scriptam, ideoque sermonem non ad duos simul sed ad unum, quia utrique proprium ejus exemplum tradendum erat, converti.

[7]) Z *peculii sui amissione mulctatus maneat ... Reliqua officia.* Ibidem verba *ipse ... hoc ... ulla* (al. *illa*) cum Q^1 X^1 addidimus. Gelasius hic morem gerit Valentiniani III novellae de judicio episcopali anno 452 datae (tit. 34 § 6), in qua cavetur: *Originarii sane vel servi, qui jugum natalium declinantes ad ecclesiasticum se ordinem transtulerunt, exceptis episcopis, ut dictum est, aut presbyteris, ad dominorum jura redeant, si non in eodem officio annum tricesimum* (nota privilegium tricennalis praescriptionis) *impleverunt: ita ut hujus conditionis diaconus domino pro se vicarium reddat, omni pariter peculio restituto. Circa quem nihilominus, si copia vicarii dandi non suppetat, quae de ministeriis urbium superius sunt statuta servantur:* hoc est, ut subnexa Aniani interpretatio explicat: *ipse ad conditionem propriam revocetur.* Ex eo autem, quod saeculo obnoxios ecclesiastico seu religioso ministerio obstringi iniquum aliquando visum est, percipit quisque, quanto iniquius videri debeat, Deo addictos saeculi servitio mancipari. Porro de citata Valentiniani constitutione et de altera Zenonis Augusti, quae refertur l. 37 cod. Just. I, 3 postea Justinianus novel. 123 c. 17 derogavit, ubi inter alia edicit: *Adscriptitios in ipsis possessionibus, in quibus sunt adscripti, clericos etiam praeter voluntatem dominorum fieri permittimus: ita tamen ut clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant.* Vide concilium Aurelia-

Digitized by Google

(a. 494—495.) diaconus vero aut vicarium praestet, aut si non habuerit, ipse reddatur. Residua officia sciant, neminem posse ab obnoxietate, si convincitur, vindicari: quatenus hoc ordine custodito nec dominorum jura nec privilegia ulla ratione turbentur.

Epistola 21.

(a. 494—495.) **Gelasii papae ad Herculentium, Stephanum et Justum episcopos.**

Similiter de servis duobus Placidiae feminae illustris ordinatis decernit. p. 31.

Gelasius Herculentio, Stephano et Justo episcopis.

Frequens equidem et assidua nos querela circumstrepit de his pontificibus, qui neque antiquas regulas nec decreta nostra noviter directa cogitantes, obnoxias possessionibus[1]) obligatasque personas venientes ad clericalis officii cingulum non refutant. Nuper etenim actores illustris feminae Placidiae petitorii oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis sive Casilinatis[2]) urbis Antiochum servum juris patronae suae, absentis dominae occassione captata, ad presbyterii honorem usque productum[3]), ejusque fratrem Leontium clericalis officii privilegio decorasse. Et ideo, fratres carissimi, inter supradictos actores et eos, qui conditionis extremae repetuntur, objectam cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus: et omni veritate discussa, si revera objectam sibi maculam justitiae refragationis non potuerit ratione diluere, Leontium clericum, quem gradus praefinitus legibus non defendit, ad sequendam cognationis[4]) suae necessitatem modis omnibus redhibete. Antiochum vero, quia propter[5]) sacerdotium non jam potest retolli, si in suam ecclesiam in hoc, in quo est, honore desiderat collocare[6]), non veluti redditum sibi, sed habeat pro mysteriorum[7]) celebratione susceptum.

---

nense I c. 8 et concilium Aurelianense III c. 26. Et haec quidem epistolae hujus veritatem magis ac magis confirmant, quum illam eo intervallo, quod Justinianum inter et Valentinianum III intercessit, conscriptam esse pateat.

[1]) X[1] *possessoribus*, moxque Q[2] *illigatasque personas venientes ad clericale cingulum.*

[2]) Ita Q[1] Q[2] *II*[1] D[6] T. *Clusitanae* Z. In fragmento 17 epistolae Pelagii I ad Petrum episcopum Potentinum scriptae mentionem fieri videbimus *Marcellianensis ecclesiae sive Consilinatium.*

[3]) X[1] *perductum.*

[4]) Q T X *cognitionis*, emendantur ex Z, qui mox loco *redhibete* habet *reddi jubeatis.* Leges hic memoratas repete ex notis in epistolam superiorem.

[5]) Q T *per sacerdotium.* Praeferimus cum Z *propter sacerdotium.* Mox Z *reconciliari* (pro *retolli*).

[6]) Z hic addit *domina*, quod certe debet subaudiri.

[7]) Ita Z. Alii vero libri *ministeriorum.* Permittit Gelasius dominae, servum

Digitized by Google

Epistola 22.

Gelasii papae ad Rufinum et Aprilem episcopos.

(a. 494—495.)

35. *Simile decretum de duobus originariis Maximae illustris et magnificae feminae diaconis ordinatis.*

Gelasius papa Rufino et Aprili episcopis.

Quis enim aut leges principum aut patrum regulas aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum aestimet transire commissum? Actores siquidem filiae nostrae illustris et magnificae feminae Maximae petitorii nobis insinuatione conquesti sunt, Silvestrum atque Candidum originarios[1]) suos contra constitutiones, quae supra dictae sunt, et contradictione praeeunte a Lucerino[2]) pontifice diaconos ordinatos. Ideo, fratres carissimi, tantae praevaricationis excessus noveritis sagacius inquirendos; et si constiterit querelam veritate fulciri, continuo, qui contradictione praeeunte non legitime sunt creati, a sacris officiis repellantur[3]).

Epistola 23.

Gelasii papae ad Crispinum et Sabinum episcopos.

(a. 494—495.)

35. *Duos clericos de libertate sua petitos cognitioni illorum episcoporum secundum leges divinas et publicas addicit.*

Gelasius papa Crispino et Sabino episcopis.

Silvester et Faustinianus ecclesiae Grumentinae[1]) clerici lacrymosa nobis insinuatione conquesti sunt, libertatem sibi domini sui benignitate concessam haeredum ejus oppressione pulsari, sibique in clericatus officio pene a cunabulis servientibus, etiam manumissore

---

presbyteri honore decoratum ad fundi sui ecclesiam revocare, non ut solitum servi ministerium impendat, sed ut sacra missarum mysteria ibi celebret.

[1]) Originariorum fit mentio tum in novella Valentiniani III (ed. Haenel. tit. 34 § 6, tum in novella Majoriani tit. 7 § 7, maxime vero cod. Justin. lib. 11 tit. 46. Ibi autem leg. 11 Arcadius et Honorius imp. constituunt: *Originarios colonos nullis privilegiis, nulla dignitate, nulla census auctoritate excusari praecipimus, sed amputatis omnibus, quae aliquoties per gratiam sunt elicita, domino vel fundo esse reddendos.* Illi originarii dicebantur, qui ex adscriptitiis colonis in ipso solo erant nati, nec sine terra, in qua nati erant, nec sine gleba vendi poterant, ut libro ac titulo proxime citatis leg. 7 et 15 docetur.

[2]) Infra fragm. 3 visuri sumus Gelasii praeceptum, quo Anastasium Lucerinae civitatis sacerdotem ordinari jubet. De ipsone an de ejus successore haec querela sit, nihil suppetit, unde quidquam asseramus.

[3]) Ex praescripto legis superius in epistola 20 relatae, ad quam Gelasius decreta definitionesque suas accomodare solet, satis eis erat, vicarios sui loco sufficere. At Gelasius hanc eis optionem ideo non permittere se declarat, quia contradictione praeeunte non legitime creatos censebat.

[1]) T Π^1 *Grumentiae* (Π^1 in seq. epist. *Grumentinae*). Grumentium olim urbs erat Lucaniae episcopali sede decorata.

Digitized by Google

(a. 494—495.) vivente in eodem actu nihilominus constitutis, divinis mysteriis impendere servitium non licere: quum si petitionem veritas subsequatur, contra patris et auctoris[2]) sui factum venientibus, ut indignis, haereditas legibus auferatur, nec eis liceat haereditatem capientibus contra auctoris sui prosilire judicium. Et ideo, fratres carissimi, quoniam se etiam ab archidiacono dictae ecclesiae queruntur oppressos, qui per eorum absentiam moderatoris judicium promisit eos esse secuturos calcatis omnibus rationibus, atque[3]) contra leges divinas et publicas pulsatis forum suum putavit auferri; in vestro judicio, quisquis[4]) ille est qui clericum lacessit, adveniat: ut Ecclesiae jura, quae vetusti principes assidua sanctione firmaverint, impetitis clericis non negentur.

Epistola 24.

(a. 494—495.) **Gelasii papae ad Zejam comitem.**

Praedictos clericos in causa sua agenda ei commendat. p. 35.

Gelasius papa Zejae comiti.

Christianis gratum semper debet esse, quod ab eorum poscitur

---

[2]) Π^1 hic et infra *actoris*. Valentinianus quum in fine novellae 34 § 18 sanxisset, ut a proprio domino *translatos originis jure et titulo revocari non liceret*, subdit: *indecorum est auctoris facta convelli, quae pro consilio suo et tractatu necessaria judicaverit, quum magis deceat, ad ejus reverentiam, quae illi visa sunt, inviolata servari.* Si vero id de translatis, quanto magis de manumissis et post manumissionem Deo consecratis censuerit.

[3]) T Π^1 *et quae contra.* Restituendum duximus *atque contra*, aut cum Gratiano *et contra*. Mox *pulsatis* id est, quod *accusatis*, in dandi casu. Porro publica lex est, ut actor rei seu accusati forum sequatur. Hinc novella saepe laudata Valentiniani III tit. 34 § 2: *In clerico petitore consequens erit, ut secundum leges pulsati forum sequatur, si, ut dictum est, adversarius suus ad episcopi vel presbyteri audientiam non praestat assensum.* Honorius autem anno 412 cod. Theod. lib. 16 tit. 2 leg. 41 jam constituerat: *Clericos nonnisi apud episcopos consensit accusari; igitur si episcopus vel presbyter, diaconus et quicunque inferioris loci Christianae legis minister apud episcopum, (siquidem alibi non oportet), a qualibet persona fuerint accusati etc.* Theodosii etiam junioris, Valentiniani et Arcadii apud Sirmondum append. cod. Theod. c. 3 ea lex est: *Continua lege sancimus, nomen episcoporum vel eorum, qui Ecclesiae necessitatibus serviunt, neve ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahatur. Habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi.* Idem et ibid. cap. 6 Theodosius et Valentinianus anno 424 firmarunt. Sed maxime ad prima praecedentis legis verba respexisse videtur Gelasius, ubi ait: *quae vetusti principes assidua sanctione firmarunt.* Nec dubium, quin ecclesiastica fuerit haec causa, in qua de jactura sacri muneris, *in quo paene ab incunabilis* Deo serviebant Silvester ac Faustinianus, agebatur, ac nonnulli episcopis et clericis minus faventes et procul dubio alios suffectos cupientes eorum famae insidiarentur. Quocirca ad Faustiniani et Silvestri causam lex ejus pertinet, ac justa est Gelasii expostulatio, quod ad moderatorem seu judicem publicum pertrahantur.

[4]) T *quaeso ille qui clericum*, Π^1 *qui se ille qui clericum*: emendantur ex Z.

Digitized by Google

dignitate praestandum, quia Deo servientibus beneficium negare non convenit. Silvester itaque atque Faustinianus, qui se a cunabulis clericos confitentur, a Theodora se opprimi per violentiam conqueruntur, quia dicunt se ingenuos atque ab[1]) auctore pristinae conditionis nexibus absolutos, in sortem deterrimae iterum servitutis addici, et per auctoritatem regiam contra leges publicas, quum clericali cingulo tenerentur adstricti, per archidiaconum urbis Grumentinae esse conventos; quum constet eum, qui coelestem militem pulsat, nonnisi ejus forum debere sectari. Et ideo, dilecte fili, depenso salutationis affatu supradictos clericos tibi[2]) commendo, ut si ad delegatorum judicium eorum adversaria[3]) venire contempserit, sublimitatis tuae tuitione vallentur, ne quid illis aut subreptio, aut inimica legibus violenta necessitas imponat: quia qui judicium refugit, apparet eum de justitia diffisum. (a. 494—495.)

Epistola 25.

Gelasii papae ad quemdam episcopum. (a. 494—495.)

p 35. *Ut novam ecclesiam sine summi pontificis auctoritate consecratam, cujus ideo missas suspenderat, suscepta nunc auctoritate cultui divino reddat.*

Praecepta synodalia, quae ante paucos menses de sede nostra ad provinciam sunt directa, et antiquis canonibus consentiunt, et ea quae minus esse probantur addidimus; et in utraque parte constat, sine[1]) summi pontificis auctoritate ecclesiam noviter conditam non posse dedicari. Teque ex hac basilica, quae taliter ad cultum

---

Antea elegantius diceretur *in vestrum judicium*, eo quod scilicet, ut in epistola sequenti docemur, Crispinus et Sabinus erant delegati.

[1]) Sic corrigendum putamus, quod male Π^1 *atque actore*, pejus Z *atque auctore Deo*. Hoc sibi vult *ab auctore*, quod initio epistolae superioris *domini sui benignitate*.

[2]) Π^1 omittit *tibi commendo ut*, habet Z.

[3]) Z *adversarii venire contempserint*. Praeferendum cum Π^1 *adversaria* scil. *Theodora*. Hic autem delegatorum judicum nomine Crispinum et Sabinum episcopos, ad quos superior epistola data est, intelligi, ex ejusdem epistolae fine est manifestum.

[1]) In prima parte epistolae 14 cap. 4 generaliter praecipitur: *Basilicas noviter institutas non petitis ex more praeceptionibus dedicare non audeant;* tum in altera cap. 25 additur: *de locorum consecratione sanctorum, quamvis superius strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque praecepto sedis apostolicae nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare praesumant.* Quibus locis inter se collatis liquet, Gelasio synonyma esse tria haec: primum epistolae 14 c. 25 *absque praecepto sedis apostolicae*, alterum epistolae hujus *sine summi pontificis auctoritate*, postremum praedictae epistolae 14 c. 6 *sine summo pontifice*. Notanda sane haec locutio, qua nullum ante Gelasium ad Romanum antistitem specialiter designandum usum esse meminimus, quamvis subinde celebris adeo ac familiaris evaserit. Antea enim quosvis episcopos *summos pontifices* dictos esse observavimus.

Digitized by Google

(a. 494—495.) fuerit processionis[2]) adducta, suspendisse missas, probabiliter[3]) computamus. Sed quia devotus locus non debet a mysteriorum[4]) gratia diu vacuus permanere, frater carissime, eorum martyrum nomine, quos[5]) relatio continet, auctoritatis nostrae suscepta serie consecrabis: ut populorum frequentatio, quam illic avide convenire mandasti, servatis regulis ecclesiasticis et canonibus integrum habeat firmata religione conventum.

Epistola 26.

Gelasii papae ad episcopos Dardaniae.

a. 495 d. 1 Febr. **Rationis[1]) reddendae: Acacium a sede apostolica competenter fuisse damnatum.** p. 35.

Dilectissimis[2]) fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.

1. Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam et[3]) veluti difficilem quaestionem et adhuc tamquam inauditum quidpiam nosse desiderat, quod Eutychianae pestilentiae communicatores, non habentes quod pro suae perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, misera[4]) contentione submurmurant; non quia sit alicujus momenti quod garriunt, sed quia non inve-

---

[2]) X^1 *professionis*, moxque Q^2 *missam*. Notandum, quo pacto dicat Gelasius primo, basilicam *ad cultum processionis adductam* seu praeparatam, deinde hunc cultum suspensum, quatenus suspensae sint missae, innuat; postremo eumdem *processionis cultum* tunc perfectum fore doceat, quum in basilica dedicata cum missarum celebritate *integer haberi poterit populi conventus*. Hinc enim *processionis* voci quae potestas sit, intelligitur. Nec dubium videtur, quin ex more veterum, quibus de sacris mysteriis aliter atque tectis verbis loquendi religio erat, originem duxerit hic usus. Haec ab actu autem, quo clerus ac populus ad illa celebranda procedebat, dicta sunt *processio*, quemadmodum a verbo, quo fidelium coetus ab eorum celebratione dimittebatur, *missae* seu *missarum* nomen obtinuerunt.

[3]) Istud *probabiliter* perinde nobis sonare videtur ac *probabile* seu *aequa ex causa*.

[4]) Q^2 X^1 Z (in recent. edit.) *ministeriorum*. Magis placet cum priscis edit. Z *mysteriorum*, hoc est missarum, quarum celebratio suspensa mox dicebatur.

[5]) X^1 *quorum*.

[1]) Ita D^7. In D^1 D^3 F^d F^m N^3 *Incipit rationis ... damnatum;* quibus D^4 D^6 d^2 addunt: *nec posse quemquam sine discrimine animae suae ejus communionis participem fieri.* Sub finem omnes repetunt: *Explicit rationis ... damnatum nec posse ... effici.*

[2]) Ita mss. D O N^3, quibus favet Facundus lib. 5 c. 4 epistolam *istam ut universis episcopis per Dardaniam constitutis scriptam* laudans. Q^1 Q^2 *Gelasius episcopis Dardaniae*, c^9 c^{10} *Gelasius episcopus urbis Romae ad Dardanos*. In D^4 haec et superius prima inscriptio deest, ita ut nec a quo nec ad quem data sit compareat. Unde forte factum, ut Hincmarus Laudunensis ejusmodi exemplari usus, testimonium nostrae epistolae tamquam *ex epistola Gelasii ad Anastasium principem* laudet.

[3]) c^9 c^{10} omittunt *et*, moxque F^d F^m N^3. (D^4 O^1) *desiderans ... quid pro*, c^1 *desideratis*.

[4]) Mss. D d^2 *sola*, moxque cum N^3 *nec inveniunt*.

Digitized by Google

niunt penitus, quid loquantur. Ubi magis eos, qui catholicis sensi- a. 495.
bus instituti sunt, adhuc haerere miramur[5]), quam illos, qui a veritate exciderunt et ab antiqua Ecclesiae traditione sunt devii, profanas vocum novitates et ineptias caducae perversitatis obtendere: quibus eos vestra dilectio retulit jactitare, *ideo Acacium*[6]) *non putare jure damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse dejectus;* et insuper dementiam suae vanitatis accumulare, pueriliter adjicientes: *praecipue pontificem regiae civitatis.* Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab[7]) ipsis beatis apostolis et considerare prudenter, quoniam patres nostri catholici[8]) doctique pontifices in unaquaque haeresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem praedicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare; nec in eadem[9]) causa denuo, quae praefixa fuerant, retractari qualibet recenti praesumptione permiserunt: sapientissime praevidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiae constitutum, ac semper iisdem[10]) furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam praefixis positarum semel synodalium regularum non cessant elisae pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere et simplicia quaeque corda percutere, quid fieret, si

---

[5]) D[1] F[d] F[m] N[3] *murmurant,* moxque *profanas vocum ... obtendere,* ubi alii *profanasque ... obtendunt.*

[6]) G[1] *Acaciũ non putareť dampnatũ.* c c *jactitare. Ideo Acacium non putare,* et mox cum N[3] O[2] *accumulant.*

[7]) Q[1] Q[2] *ad ipsos beatos Apostolos,* minus bene. Vult namque Gelasius Dardanos ea, quae ab apostolorum temporibus ad sua usque gesta sunt, percurrere, ut hinc compertum habeatur, quo pacto damnatis erroris auctoribus, illorum consortes et asseclae, nulla speciali synodo congregata, pariter cum eis condemnati sint: *sicut in unaquaque haeresi a principio Christianae religionis et factum fuisse et fieri manifesta ratione monstratur,* ut loquitur epist. 10 n. 4. Unde apparet, hic perinde esse *ab ipsis beatis apostolis,* atque *a principio Christianae religionis.* Inde Orientalium objectum eadem ratione, licet aliis verbis, Gelasius in mox dicta epistola 10 diluit. Jam et Felici II, ut ex ejus epistola 11 n. 4 liquet, objecerant, *Acacium ab uno non potuisse damnari.* Quod ille simpliciter sic intellexit, quasi sententiam, quam e synodo Romano adversus Acacium dixit, ab ipso solo et sine synodo dictam existimarent, quum hoc potius vellent, nequaquam ab eo, non convenientibus simul in unum aliarum etiam sedium praesulibus, Acacium damnari potuisse.

[8]) Mss. D O N[3] formae brevioris addunt *videlicet,* moxque cum iisdem et G[1] Q[1] addimus *pro fide.* Paulo antea d[1] *resuscitata.*

[9]) N[3] O[1] Q[1] *in hac eadem,* moxque F[d] F[m] *fixa,* et cum N[3] *perŏidentes,* Q[1] d[2] *prouidentes.*

[10]) O[1] *hisdem furoris residui,* moxque d[1] omittit *etiam.* Q[1] *praesumptis certaminibus.*

Digitized by Google

a. 495. subinde fas esset perfidis inire concilium: quum quaelibet[11]) illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat et falsitas, tametsi ratione vel auctorite deficiens, sola tamen intentione non cedens?

2. Quae majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie praecaverunt, ut[12]) contra unamquamque haeresim quod acta synodus pro fide, communione et veritate catholica atque apostolica decrevisset, non sinerent novis posthac retractationibus mutilari, ne pravis occasio praeberetur quae medicinaliter fuerant statuta pulsandi; sed auctore cujuslibet insaniae ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator exsisteret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus: quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione[13]) posset agnosci. Et ut[14]) propiora taceamus, quae diligens inquisitor facile poterit vestigare, Sabellium damnavit synodus, nec ut sectatores ejus postea damnarentur, necesse fuit singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquae cunctos, qui vel pravitatis illius vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii forma fidei communionisque catholicae, Nicaeno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu[15]) sive communione deciderit, sine retractatione conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit, sed universos quocunque modo in haec[16]) consortia recidentes tradito sibi limite synodali refutavit Ecclesia; nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, novis[17]) ausibus, quae fuerant salubriter constituta, temerasse. Propterea[18]) in tempestate quoque persecutionis Arianae plurimi catholici sacerdotes de exsiliis pace reddita respirantes[19]), sic

---

[11]) Ita G^1 D^1 F^d F^m N^3 Q^1 d^2; alii editi cum H^{10} O^1 *quamlibet illa* (O^1 c^1 *illi*, H^{10} *illius*). Deinde D^1 F^d F^m N^3 Q^1 *depromat falsitas etsi ... intentione* (*intentione* etiam G^1, alii editi *contentione*).

[12]) Ita D^1 F^d F^m G^1 N^3 Q^1. Editi *ut quae* (d^2 *quod*) *contra ... haeresim coacta* (d^2 *acta*, O^1 c^1 *coacta semel*) *... apostolica promulgasset ... post haec novis*. Q^1 *medicinalia ... ac pari errore*.

[13]) D^1 *communicatione*.

[14]) Mss. D F^d F^m O brevioris formae addunt *brevitatis causa*. Deinde cum G^1 *propiora* praetulimus, ubi alii (etiam Q^1) *priora*.

[15]) F^d F^m G^1 N^3 Q^3 d^2 *sensu*, alii *consensu*. Mox G^1 *tractatione*, ubi alii omnes *retractatione*. D F^d F^m O N^3 Q^1 d^2 *concludit*.

[16]) F^d F^m N^3 Q^2 d^2 *in has blasphemias*. **Atque omnino F^d F^m hic ad classem mss. D computabimus.**

[17]) D N^3 d^2 *novitter quae*, O^1 *ausibus*, alii editi *novis ausibus*. Q^1 *remeasse*.

[18]) D d^2 brev. form. *Non autem nos latet in tempestate persecutionis Arianae plurimos pontifices de etc.*

[19]) Iidem: *per certas provincias congregatis secum fratribus ecclesias composuisse*,

Digitized by Google

cum catholicis nihilominus fratribus ecclesias composuere turbatas, a. 495.
ut non tamen illius synodi Nicaenae quidquid de fide et communione catholica et apostolica definierat immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius tenore decreti, nisi resipuissent, censerent esse damnatos.

3. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non[20]) aliquam magis exsequi sedem prae ceteris oportere, quam primam, quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum[21]), Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet. Haec dum Acacium certis comperisset indiciis a[22]) communione catholica deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat exsecutorem saepe necessariae dispositionis suae contra haereticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa frequenter[23]) scripta testantur. Quibus ille quum[24]) dedito silentio diu non respondere proponeret, episcopalis quoque directa legatio est, ac nihilominus pagina destinata, quae praemoneret eum suorum ante meminisse gestorum, et quae primitus

---

et mox omittunt *et apostolica.* Deinde iidem *nisi resipuisset, judicare* (d² *judicavere*) *damnatum, esseteque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret.*

[20]) Iidem et Q¹ *nullam magis,* G¹ omittit *non.*

[21]) Ita mss. G¹ D N³ Q¹ d² (Q¹ *et ecclesia*). Coust. legisse in suis mss. videtur *praeceptum* (ita etiam O¹), quod confirmat illis Symmachi epist. 5 n. 2: *ejus* (Symmachi) *sedi primo Petri apostoli meritum vel principatus, deinde secuta jussione* (seu *jussionem*) *Domini venerandorum conciliorum auctoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem.* Ubi *Petri principatus* ad *Domini praeceptum* refertur, quod Ecclesia deinde secuta sit atque auctoritate sua firmavit. Vide infra epist 42 n. 1.

[22]) Mss. D O N³ *a veritate catholica* (O¹ c¹ *apostolica,* d² omittit *catholica*).

[23]) Iidem *familiariter.* Tum multo jejunior quam in eo, quod sequimur, rerum narratio subjicitur; quam secundum D N³ O¹ O² apponimus. Acacium dispositionis apostolicae sedis contra haereticos exsecutorem exstitisse, ipsius ad Simplicium epistola 8 testis est. Ubi vero ad haereticorum communionem defecit, et Simplicius ab anno 482 et deinceps Felix ab anno 484 eum monere non destiterunt.

[24]) Q¹ Q² *primum cum deditus,* G¹ c⁹ c¹⁰ *cum debito*; ex lectione mss. D O N³ d² *tamquam dedito* recipimus *cum dedito* h. e. *affectato* seu, ut Felix II epist. 2 ad ipsummet Acacium n. 2 loquitur, *obstinato.* Is quo pacto nunc per *triennium* alias *per quinquennium* admonitus dicatur, in Gelasii epist. 1 not. 34 explicuimus. — Ibidem in exemplaribus brevioris formae D N³ d² *primum tamquam dedito ... proponens,* O¹ O² c¹ *quum primum tamquam dedito ... proponeret ... sua communione semovit.* — Quae deinde memoratur *legatio* et *pagina destinata* est Felicis epistola 2 per Vitalem et Misenum transmissa.

Digitized by Google

a. 495. pro fide catholica desudasset, oportere respicere: contestans et blandiendo pariter et minando, ne se a corpore catholicae unitatis abscinderet; simulque quoniam hunc Johannes secundae sedis antistes gravibus pulsaret objectis, ad primae sedis audientiam cohortatus[25]) est vel venire debere vel mittere. Licet enim synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cujuslibet civitatis episcopus primae sedis judicium non vitaret[26]), ad quod convenerat secundae sedis antistes, qui nisi a prima sede non posset audiri. Praecipue[27]) qui praejudicatis animis nulla synodo a Graecis fuisset exclusus, etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere nec deberet. Quia nec ab inferioribus episcopis potior, nisi a prima sede, sicut dictum est, vel discuti potuisset vel, si ita ratio postulasset, addici; etiam cunctis Orientalibus episcopis cum ipso Acacio in Petri communionem recidentibus, secundae[28]) sedis episcopus catholicus ab externae communionis hominibus esset nullatenus judicandus. Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam legationem sedis apostolicae blandimentis, praemiis perjuriisque deceptam, quibus ei cum imperatore promisit, integram praesuli[29]) apostolico causam de omnibus esse servandam, Petri communione pollutam redire perfecit: in tantum sedis apostolicae despiciens potestatem, ut non solum ejus auctoritati non cederet, sed etiam potius in consortium communionis externae per legatos suos niteretur abducere, fieretque apostolicae sedi necessitas eos ipsos, quos direxerat,

---

[25]) Hoc verbum passive accipitur idemque sonat ac *citatus est*, sed est minus invidiosum. Nempe quum Johannes Alexandriae expulsus apostolicam sedem appellasset, inde in urbem contendens libellum Felici adversus Acacium obtulisset, is Felicis epistola 3 Romam ad dicendam causam est vocatus.

[26]) Generalior est, quae in edit. Rom. adscribitur, hujus loci summa: *nullus episcopus primae sedis judicium vitare potest.* Gelasius enim iis respondens, quae Orientales supra in fine numeri 1 obtendebant, scilicet *sine speciali synodo damnari non debuisse praecipue pontificem regiae civitatis*, ait: *congruere, ut cujuslibet civitatis episcopus primae sedis judicium non vitaret*, non simpliciter, sed ubi *secundae sedis antistes injuste expulsus* et primum appellans ad ejus judicium jam *convenisset.* — Porro G¹ Q¹ *qui in ista prima sede.*

[27]) c⁹ ad marg. *forte „cum praecipue“.* Deinde editi *quia ab inferioribus*, repugnante sensu et G¹ Q¹

[28]) Ita G¹ Q¹ Q². Editi *cum secundae.* Duplex hic suggeritur ratio, cur Johannis causa nequeat a Graecis legitime cognosci, prima quidem a dignitate sedis, altera vero a differentia communionis repetita. Neque vero aequitati et ecclesiasticae disciplinae consentaneum erat, Johannem catholicum, qui cum Calchedonensis concilii propugnatoribus communicabat, ab haereticis aut certe haereticorum, qui mox dictum concilium impugnabant, consortibus judicari.

[29]) Ita Q¹ Q², quibus concinit G¹ *praesuli apti*, editi *praesulis apostolici causam.* De vi legatis illata non siluerunt ecclesiastici scriptores, ut ad Felicis II epistolam 6 observavimus. Solus Gelasius hoc Acacii et imperatoris promissum memoriae commendavit.

Digitized by Google

sacerdotes honore pariter et communione privare, ne tali contagione a. 495.
videretur infecta, satisque monstraret, non se Acacii specialiter odisse personam, sed respuere foedera perditorum, quae etiam in suis pontificibus[30]) detestata convenienter horreret. Nihilominus autem litteris suis[31]) Acacius indicarat, et in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita sedis apostolicae auctoritate exsecutor ipse quoque damnaverat, sine ejusdem apostolicae sedis consultatione promptissime recidisse, et accusationem Johannis laudesque Petri proprio sermone deferre. De quibus, si utique confidebat, magis vel venire vel mittere debuisset, ut et praesentem de mendaciis, quae dicebat, posset confutare Johannem, et praeconia Petri quae digesserat rationabiliter allegaret. Quod quum minime fecerit, satis evidenter ostendit, nec Johannem se posse convincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi; solumque sibi monstravit inesse propositum lacerandi catholicos haereticosque laudandi, seseque eorum potius, quos laudabat, docuit esse participem, quam catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem: tulitque de se ipse judicium, quum damnati hominis communione pollutus, damnationis ejus factus est particeps.

4. Ita et sedes apostolica, quod ad necessariam diligentiam respiceret, nil omisit, et Acacius secundum formam synodi Calchedonensis, qua error cui communicavit elisus est, sicut de haeretico homine scriptum est, suo judicio condemnatus apparuit, justeque sedes apostolica, quae utique se Alexandrinum Petrum damnasse non etiam solvisse meminerat[32]), ne per Acacii pristinam communionem Petri quoque collegium, cui Acacius communicaverat, incideret, ipsum competenter Acacium a sua communione submovit. Quapropter utrum errori vel praevaricationi communicaverit Acacius, quid opus erat nova discussione cognoscere, quum jam litteris suis esset ipse confessus, ac, sicut scriptum est, *Ore tuo justificaberis et ore tuo condemnaberis*, verborum suorum vinculis et reus teneretur et jure plectendus? Cur ipse in nova causa[33]), quam synodus nulla praecesserat, Johannem, quem suis litteris impetebat, qualemcunque[34]) secundae sedis episcopum, in primae sedis beati Petri apo- Matth. 12,37.

[30]) Vitale scilicet et Miseno legatis. Paulo ante *communio externa* vocatur communio cum iis, qui ab Ecclesia catholica alieni sunt. Mox loco *horreret* G¹ *hortaret*, Q¹ *oraret*.

[31]) Quas videlicet per legatos Vitalem ac Misenum post lapsum redeuntes ad Felicem miserat, de quibus in notitia epistolarum Felicis II non exst. n. IX egimus.

[32]) Ita G¹ Q¹ Q². Editi *memorat*.

[33]) Hoc est, ea erat Johannis causa, quam nulla synodus definierat. Quocirca similis non erat Acacii causae, quae quum concilii Calchedonensis decreto praeverteretur, causa vetus et jam judicata appellari poterat.

[34]) Vocabulo *qualemcunque* uti affectat Gelasius ex sententia adversariorum, qui eum ut perjurii reum episcopali honore indignum dictitabant.

Digitized by Google

a. 495. stoli judicio confutare despexit; et ut causam diceret, seu per se, seu[35]) per summissam personam, vel venire vel destinare contempsit: indignum habens cujuslibet civitatis antistes, ad primae sedis venire judicium, ad quod secundae sedis cerneret venisse pontificem, quod Anatolius Constantinopolitanae urbis episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse[36]) monstratur? Ecce etiam in hac parte vocem non[37]) habet conquerentis. Ecce, inquam, ad legitimum est vocatus examen, ubi vel suas partes justis allegationibus defensaret. Si ille apostolicae sedis refugit examen in Johannis catholici pontificis negotio vestigando, quemadmodum sedes apostolica de receptione Petri haeretici sua auctoritate resoluti Acacii fuerat secutura judicium? An sedem apostolicam congruebat paroeciae Heracliensis ecclesiae, id est Constantinopolitani pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem vel propter eum fuerant congregandi, judicium praestolari, quum[38]) apostolicae id est primae sedis audientiam Constantinopolitanus episcopus declinaret? Qui utique etiamsi metropolitani esset jure suffultus, etiamsi inter sedes haberet locum, primae tamen sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones appellante secundae sedis antistite, vocabatur ad nostrorum[39]) causam. Hoc ipso satis ostendit reum se esse confessum, qui ad legitimum judicium postulatus adesse contempsit; nec poterat ultra differri, ne, sicut dictum est, antiqua illius communione durante, quum sese jam sociasset externae, sedes quoque apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum, dignumque esset, vel praevicatorem vel contemptorem judicii competentis, manifestissime scilicet de suo negotio desperantem, a catholica atque apostolica integritate et communione secludi. Hic si examinatio

---

[35]) Sic mss. (Q¹ Q² G¹). At editi *seu per alium vel.* Mox consulto ait Gelasius *cujuslibet sedis antistes*, propterea quod superius objiciebant *praecipue pontificem regiae civitatis.*

[36]) Qui scilicet Leonis epistola 69 ad Theodosium praemonitus ei morem gessit, uti fidem facit ejusdem epistola 80.

[37]) Ita G¹ Q¹ Q². Editi *non habent conquerentes.* Certe et quae antecedunt et quae sequuntur, de uno Acacio sermonem esse indicant. Simili loquendi ratione ex jureconsultis petita synodus Romana apud Symmachum epist. 6 n. 18 permittit *vocem contradictionis afferre*, et concilium Carthaginense V c. 12 statuit, ut *qui intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur*, hoc est, cuivis interpellationi aditus excludatur. Vide Johan. II epist. 1.

[38]) Editi *cum apostolicam ejusdem primae ... etiam inter sedes*, emendantur ex mss.

[39]) Quia non solum se Acacius sed et apostolicae sedis legatos Petri damnati communione contaminaverat, ac de Marci successore, cujus causae ad Romanum antistitem specialiter pertinebant, disceptatio erat, ideo dixisse videtur *ad nostrorum causam.* Vide Julii epistolam 1 n. 2. Mox editi *ad legitimum judicium apostolatus adesse;* G¹ Q¹ sequimur.

Digitized by Google

quaeritur, jam judicio non erat opus, posteaquam et litteris suis[40]) a. 495. ipse confessus est, et legitimum judicium vocatus adire pertimuit. Si auctoritatis pondus inquiritur, Calchedonensis synodi tenor, cum apostolica sede consentiens, et illius definitionis exsecutio reperitur, quo[41]) damnati illic erroris communicator effectus, praefixa nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit: quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravae communionis effecto et exsecrationem sui gestat et poenam. Hoc tenore etiam Timotheus Aelurus atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem quoquomodo[42]) tenuisse videbantur, non repetita synodo sed auctoritate tantummodo sedis apostolicae, ipso quoque Acacio postulante vel exsequente, probantur esse damnati.

5. Nunc[43]) autem ipsi doceant, Petrum legitime fuisse purgatum et ab omni haereticorum contagione rite discretum, quum ei communicavit Acacius, si ejus communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum. Aut si, quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum probare non potuerunt expiatum (propter quod etiam ad apostolicae sedis judicium Acacius vel venire vel destinare non ausus est); restat, ut ejus[44]) inexpiatione fuerit, et qui ei communicavit, infectus. Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Qua-

---

[40]) Quibus videlicet Petri communionem se suscepisse cum elogio ejus renuntiabat. Mss. brevioris formae hunc locum ita habent: *postquam litteris suis ipse confessus est. Si auctoritatis.* Similiter sequentia contrahunt, quae ex auctoritate G¹ Q¹ praebemus.

[41]) Ita G¹ Q¹; editi *reperitur condemnati.*

[42]) Illud *quoque modo*, quod in primo specimine deerat, consulto Gelasius in hoc secundo addidit, ne Timotheum et Petrum, qui, quamvis damnati insuper et parricidii rei, in Alexandrinam sedem invaserant, legitimos hujus ecclesiae praesules censere videretur. Mox vulg. *probatur esse damnatus.*

[43]) H¹² O¹ O² Q¹ Q² hic praemittunt: *Quodsi utrum errori vel praevaricationi* (Q¹ Q² *praedicatione*) *communicarit* (H¹² O² *communicavit*) *Acacius, forsitan dicatur oportuisse constare, breviter praebemus ad ista responsum. Aut enim ipsi doceant etc. aut deinceps.* Quod additamentum ex primario exemplo repetitum secundis Gelasii curis recte castigatum atque suppressum est. Deinde O¹ O² *si ut* (D¹ N³ *sirut*) *magis est verum ... non probaverint*, Q¹ *poterunt.*

[44]) D¹ Q¹ Q² *in ejus expiatione*, d¹ *impiatione.* Concinnius F⁴ F⁵ G¹ N³ O¹ O² d² *ejus inexpiatione*, hoc est: expiatione ejus deficiente. Alioquin cum vulgatis retinendum est *ut in ejus communicatione.* Mox Q¹ *Nec plane tacemus ... solvendi utpote quae* (vulg. *quod*).

Digitized by Google

a. 495. propter satis[45]) constat, Acacium nullum habuisse pontificium, sententiam sedis apostolicae sine ulla ejus notione solvendi. Dicant certe: qua synodo hoc ille praesumpsit, quod nec sic quidem absque apostolica sede fas haberet efficere? Cujus sedis episcopus? Cujus metropolitanae civitatis antistes? Nonne paroeciae Heracliensis ecclesiae? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicae sedis abrumpere nulla ejus consultatione quaesita, itane vero non licuit primae sedi, Calchedonensis synodi constituta sicut decuit exsequenti, hujusmodi praevaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi, quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla exsistente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. Sanctae memoriae nihilominus Johannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam[46]) sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctae memoriae Flavianum pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis praesulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit. In qua pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, et in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit. Quam congregatio, quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta: quoniam sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.

6. Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit et praecipue sedes apostolica non probavit, per bene gestam synodum, id est, secundum Scripturas sanctas, secundum traditionem

---

[45]) Ita G[1] Q[1] Q[2] cum mss. D O[1] O[2] N[3] brevioris formae. Editi *quum satis constet ... sententia sedis apostolicae damnatum sine ..., dicant certe ... praesumpserit.* Iste *damnatus* quidem Petrus Mongus diceretur. Deinde Q[1] *quod apostolicae sedi frequenter dictum est* (c. 7 ad marg. *datum est*).

[46]) In G[1] deest *etiam sola.* Mox O[1] O[2] cum exemplaribus brev. form. *sanctum Flavianum pontificum* (O O[1] *pontificem*) *Graecorum ... sola submovit.* Hic notatur concilium seu latrocinium Ephesinum, cujus adeoque Flaviani damnationi palam intercesserunt apostolicae sedis legati. In iis, quae mox sequuntur, per duas fere columnas inde a verbis *In qua* usque ad n. 7 *Dicat ergo* in exemplaribus brevioris formae res summatim tantum constringuntur.

Digitized by Google

patrum, secundum ecclesiasticas regulas pro fide catholica et com- a. 495.
munione prolatam, quam cuncta recipit Ecclesia, quam maxime sedes apostolica comprobavit, ut debuerit et potuerit immutari; bene vero gestam synodum juxta supradictum modum nova synodo nullatenus immutandam. Proinde si Eutychen fatentur haereticum, male gestam apud Ephesum synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, et perbene[47]) gestam synodum Calchedonensem, qua Eutyches vel cum eo sentientes talia sunt rejecti, velint nolintque consentient; atque ideo bene gestam synodum novis exagitationibus refricari non licuisse cognoscant. Qui si forsitan dixerint, eo tenore Ephesinam quoque synodum non licuisse mutari; rursus haec eadem, quae supra deprompsimus, planius repetita perpendantur, id est: quia contra fidem, contra veritatem communionemque catholicam vereque Christianam non recte sit gesta synodus, legitima synodo pro fide, veritate communioneque catholica vereque Christiana modis omnibus secludenda est, et injusta synodus justa synodo submovenda. Pro fide autem et veritate et communione catholica bona synodus vereque Christiana semel acta nulla nec potest nec debet novae synodi iteratione convelli, sed secundum bene gestam synodum recteque praefixam, si quis ab ejus tramite deviarit, consequenter ac sufficienter ejus definitione plectendus, meritoque illius subjacet constitutis. Nec opus est per singulos quosque deviantes jureque plectendos novas rursus synodos introduci; quum ex illius tramite, quae auctorem cum errore damnavit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex ejusdem fuerit factus erroris, ut ejus se contagione polluerit, competenter et particeps ejusdem damnationis exsistat, ejusque poena puniatur obstrictus, cujus maluit inire consortium.

Quaero ergo ab his, quid de Eutyche sentiant: fuissene haereticum, an asserunt non fuisse? Si non fuisse contendunt, quid ambagibus agunt, quid circuitionibus praestigiisque se contegunt? Palam se Eutychianos esse pronuntient, ut in ejus sacrilego furore convicti, veritatis molibus obruantur, aperteque cognoscant, non solum haec ipsa pestis Eutychiana quantum Christiano dogmati probetur inimica, sed quantas alias haereses easque gravissimas in sua pravitate contineat: ut in quibus foveis volutentur, et in quod praecipitium barathrumque mergantur, intelligant. Simul autem si Eutychen haereticum negant, omnimodis publicatur, quod ideo de omnibus Eutychianae pesti communicantibus suppresso veluti hoc ipso errore contendunt, ut nos per talium nominum[48]), quod absit, insidias captiosasque tendiculas in Eutychetis insaniam nitantur in-

[47]) Editi *et per bene gestam, ... quod Eutyches;* castigantur ex mss.

[48]) G¹ Q¹ Q² *nominum*, editi *hominum*. Moxque a³ *computantur* corrigendum dixit.

Digitized by Google

a. 495. ducere: quod quidem etiamsi non negent, sive scientes sive nescientes facere confutantur. Sin vero et Eutychen haereticum negare non audent, restat, ut contra catholicam fidem non synodum nuncupandam, sed conspirationem potius perditorum fuisse consentiant, quae apud Ephesum Eutychete reducto perculit sanctae memoriae Flavianum, cunctosque qui illic aderant sacerdotes militari terrore compulerit tanto sceleri praebere consensum. Atque ideo nobis necesse est pravam perversamque conspirationis illius et latrocinalem fuisse perhibeant actionem, eamque debuisse modis omnibus aboleri; et ideo justam, bonam, veraciter Christianam Calchedonensem synodum processisse definiant in his, quibus Eutychete depulso cum suo fautore Dioscoro haeresim eorum erroremque damnarit. Hanc ergo synodum, ut dictum est, bonam, veram, justam Christianamque esse non dubitant, per quam illa noxia sit remota. Perspiciant ergo tandemque concedant, quod quisquis ab ejus justae et Christianae veraeque synodi fide, communione et veritate deviaverit, vel ab ea deviantibus communionem miscuerit, sufficienter atque competenter secundum ipsius definita teneatur obstrictus: quoniam mala synodus bona debuit submoveri, bona vero synodus nulla causa est, cur alia debeat synodo retractari, ne ipsa retractatio ejus constitutis deroget firmitatem. Proinde quicunque congregationis Ephesinae tenentur affectu, quid adhuc Acacii tantummodo nomen obtendunt, et non palam se[49]) sectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur? Quod si refugiunt, atque Eutychen se perhibent exsecrari, simul ergo et Ephesinam, qua male receptus est, conspirationem jure cassatam, et Calchedonensem synodum, qua rejectus est, merito consentient institutam; atque ita synodum, quae pro fide catholica sit praefixa, secundum veterum formam, sicut dictum est, perspicient novellis non potuisse quaestionibus ventilari, sed juxta ejus tenorem semel legitime justeque depromptum et jure probari recta sectantes, et sentientes contraria refutari. Quod sedes apostolica, sicut decuit, antiqua traditione custodiens, non synodum duxit iterandam, sed in ejus praevaricatore pellendo hanc eamdem synodum potius exsequendam.

7. Quapropter si quis adhuc secundum Calchedonensem synodum haec ab apostolica sede gesta reprehendit, praeter quod et hac, quam superius adstruximus, et multiplici potest ratione convinci, multo magis tamen Acacio non licuisse fatebitur ista tentare. Dicat ergo, qua ipse[50]) synodo Johannem secundae sedis antistitem, qualemcunque, certe catholicum et a catholicis ordinatum nec de catho-

---

[49]) Ita G^1 Q^1. Editi omittunt *se*, moxque scribunt *profitentur, quid ... jure cessatam ... rejecta est.*

[50]) Editi (exc. d^1 d^2) omittunt *ipse*.

Digitized by Google

lica fide et communione aliquatenus impetitum, duxerit excluden- a. 495.
dum, et haereticum manifestum Petrum sua quoque exsecutione damnatum pontifici catholico permiserit subrogari[51]); quum etiamsi reus manifestus esset Johannes, post eum saltem catholicum convenisset praefici sacerdotem, sicut ipse quoque suis sacris sanctae memoriae Timotheo catholico in Alexandria faciendum promisisse legitur imperator. Qua synodo tertiae sedis episcopum Calendionem idem expelli fecit Acacius[52]), ac nihilominus eidem Petrum tam haereticum manifestum, ut eidem palam nec se communicare praetenderet, sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem synodo ejectis orthodoxis nullo[53]) crimine maculatis, pravos quosque et criminibus involutos sua provisione supposuit? Qua synodo tot aliena privilegia[54]) nefandus populator invasit? Sed libri non sufficient, si tragoedias ejus, quas per ecclesias totius Orientis exercuit, singillatim[55]) scribere moliamur.

8. An illud ipsius argumentum nobis existimant opponendum, quo facinora sua in imperialem nisus est jactare personam? Cur igitur quando voluit, obstitit Basilisco tyranno, certe et haeretico vehementer infesto? Cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit[56]) et in aliis resultare, si vellet! Sed ut ea quae latius explicanda sunt omittamus, quid[57]), quod ipse Zenon imperator lit-

---

[51]) Ita G¹ Q¹. Editi secundum O¹ O² *subrogandum*. Moxque Q² *permisisse legitur*. Evagrius III, 12, ubi narravit: qui Johannes *legatus missus est Constantinopolim, petiturus a* (Zenone) *principe, ut si forte episcopus ipsorum* (Timotheus) *vivis abiisset, liceret civibus Alexandrinis eum, quem vellent, episcopum eligere;* adjungit: *Imperator lege lata sanxit, ut post mortem Timothei is esset episcopus, quem clerus et populus suis suffragiis elegissent.* Hoc est igitur, quod imperator ille suis sacris promisisse nunc memoratur.

[52]) Ita G¹ Q¹. At editi *fecit Acacius: nihilominus eumdem Petrum ... palam nefasse communicare.* Is Petrus Evagrio III, 16 teste *Calchedonensem synodum publice anathematizavit; quae res quum nunciata esset Acacio, non mediocriter eum conturbavit.* Vide et subnexa (n. 8 et 13), nec non Felicis II epistolam 11.

[53]) Horum nomina ac sedes Theophanes pag. 207 recenset.

[54]) Non tantum hic sermo est de praerogativa secundae sedis, quam sibi a synodo Constantinopolitana attributam et a Calchedonensi auctam arrogabat, sed de privilegiis ordinationum, quas metropolitanis per Orientem nulla synodo concedente auferebat.

[55]) Editi *sigillatim ... existiment.*

[56]) Q² *potuit etiam altis*, Q¹ *potuit et aliis.* Eum non tantum obstitisse pro se, sed et *monachos et populum urbis regiae adversus Basiliscum, ut qui haereticus esset, concitasse*, Evagrius III, 7 Zacharia quodam auctore tradit. Mox Q¹ post *vellet* addit: *An non apostolus dicit, non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, reatu pariter sunt irretiti? Sed ut etc.* Etiam in his sequimur G¹.

[57]) Editi *quidquid ipse.* Mox Q² *recta*, Q¹ *conscribit.* Gelasius tum Zenonis tum Acacii litteras hic memorat, quas legatis Miseno et Vitali post praevaricationem redeuntibus ad Felicem dederunt, de quibus in notitia epistolarum

Digitized by Google

a. 495. teris suis profitetur, cuncta sese ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse pariter testatur Acacius, qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit, et suo consilio haec eadem gesta non tacuit? Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius praevaricator exstiterit, et non in omnibus, quos vel fecit depulsis catholicis pontificibus tamquam tyrannus ecclesiis quibusque praeponi, vel taliter praepositis perversa communione permixtus est; qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quo[58]) se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi! Quis autem non perspiciat Christianus, quod catholicis pontificibus propria sede dejectis non nisi haeretici potuerint introduci? Quibus tamen cunctis vel auctor fuit Acacius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit, his utique, qui a communione haereticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel quum haec fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco jam[59]) fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit, ut si solus ipse non poterat, junctis[60]) cum eadem consiliis atque tractatibus, apud imperatorem possent quae religioni competerent allegari? Nam si Basiliscus, ut dictum est, tyrannus et haereticus scriptis apostolicae sedis vehementer infractus est et a plurimis revocatus excessibus, quanto magis legitimus imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione mitigari; praecipue quum ejusdem Acacii esset specialis fautor et amator, et qui litteris suis tam ipsum Acacium quam sanctae memoriae papam Simplicium magnis laudibus extulisse[61]) doceretur, quod haereticis constantissime restitissent. Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia praepediri nolebat ullatenus, quae pro haereticis desiderabat impleri?

---

non exstantium Felicis II n. VIII et IX egimus. His concinit et Evagrius, qui ubi lib. 3 c. 12 enarravit Zenonem jussisse, *ut Alexandrina sedes Petro restitueretur, dummodo ille Henotico suo subscriberet et Proterianos in communionem suscipere voluisset*, statim initio c. 13 hanc dispositionem consilio Acacii regiae urbis episcopi factam testatur. Immo Henoticum ipsum ab Acacio dictatum esse fama erat, ut Theophanes pag. 202 memoriae mandavit.

[58]) Ita G[1] Q[1]; editi *quod*, moxque *quia communioni* (Q[1] *quia a communione*).

[59]) Ad Acacii relationem, quam Simplicius epist. 7 n. 1 memorat, respicit. De qua relatione, quae in notitia non exstantium Simplicii scriptorum n. VI observata sunt, recole.

[60]) Ita editi cum G[1] Q[1] d[2]. D[1] *cunctis cum eodem* et omittit *possent*, unde d[1] *cunctorum ... allegarentur*, O[1] *conjunctis — allegarentur*. Mox Q[1] *infectus*.

[61]) G[1] cum editis *extulisset doceretur ... restituisset*, unde a[3] cum Q[1] Q[2] nostram lectionem praetulisse videtur; d[2] cum mss. brev. form. *extulisset quod*. Ad eumdem litterarum Zenonis locum respiciens Felix II epist. 2 n. 4. Acacio praecipit, ut eidem imperatori scripta illa offerat, *quibus*, inquit, *decessorem meum eximia laude sustulit, eo quod haereticam tyrannidem veritatis assertione confoderit*. Scriptorum eorumdem rursum Felix meminit epist. 1 n. 6.

Digitized by Google

9. Ponamus tamen, etiamsi nulla synodus praecessisset, cujus apo- a. 495.
stolica sedes recte fieret exsecutrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda? Numquid cum his, qui jam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis perque exsilia diversa relegatis, socii evidenter exsistebant communionis externae, prius se ad haec consortia transferentes, quam sedis apostolicae scita consulerent? Cum quibus ergo erat synodus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique jam depulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat habere conventum; quia moris ecclesiastici omnino non esset, cum his, qui pollutam communionem tenerent permixtamque cum perfidis, ullum miscere concilium, propheta quoque dicente: *Non sedi in*[62]) *concilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non introibo, odivi congregationem malignorum et cum impiis non sedebo.* Recte igitur per Calchedonensis synodi formam hujusmodi praevaricatio repulsa est potius, quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum nec cum talibus habere licebat, adducta est. Nam et quid ageretur de fide catholica, si intelligere voluissent, ignorare non poterant, quum viderent catholicos pontifices nulla synodi discussione, nullo concilio, praecipue quum novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli; et ceteri quid caverent, ex illorum discere qualitate potuissent. Restat igitur, ut illius[63]) partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dederunt, meritoque ab apostolica sede ceterisque catholicis non jam consulendi erant potius, sed notandi. Psalm. 25, 4 et 5.

10. Risimus autem, quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquidnam[64]) harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam

---

[62]) Q¹ *cum concilio* et omittit *odivi — sedebo.* Mox editi *viderant.* Sequimur G¹ Q¹.

[63]) Q¹ Q² *illius esse* (Q¹ *eos fuisse*) *haereseos sit clarum.* Mox editi *experimenta dediderunt.* Theophanes pag. 207 observat, omnes illos episcopos dignitate sua motos esse eo quidem obtentu, quod tyrannis, qui in Zenonem rebellaverant, favorem contulissent (id porro est, quod Gelasius *novas causas* nulla synodo antecedente discussas vocat), re autem vera, quod Henoticum rejecissent. Cui observationi statim adjungit: *Petrus autem Fullo Antiochiam ingressus, multa nefanda perpetravit, ut puta synodi* (Calchedonensis) *exsecrationes, episcoporum abrogationes, noxiorum intrusiones, ordinationes illegitimas et his similia.*

[64]) Q¹ Q² *Numquid jam harum.* Ab Alexandro Antiocheno antistite Innocentius olim consultus, utrum divisis *imperiali judicio provinciis, ut duae metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari,* respondit epist. 24 n. 2: *Non esse e re visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari honoresque aut divisiones perpeti etc.* Huic decreto, quod etiam omnem in ecclesiasticis ordinibus commutationem solo rerum saecularium intuitu excludit, consentaneus est Calchedonensis can. 12.

Digitized by Google

a. 495. suis dignitatibus usurparunt? Numquid Acacius, ut Johannem qualemlibet hominem, catholicum tamen a catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in haeresi jam detectum atque damnatum absque sedis apostolicae consultatione[65]) reciperet, aliqua synodo saltem illic habita hoc audacter arripuit? Ut Calendionem de Antiochia pelleret, haereticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitia sedis apostolicae rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundae sedis et tertiae major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quae non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis *regiae*[66]) *civitatis*, alia potestas est regni saecularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas praerogativam praesentis regni non minuit, sic imperialis praesentia mensuram dispensationis religiosae non mutat. Sit clara vel[67]) urbs illa potestate praesentis imperii, religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc praesente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de imperatoris praesentia blandiuntur, et inde putant Constantinopolitanae civitatis episcopis potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens contra regulas obtinere nihil potuit, sanctae memoriae papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum quam se tentasse talia, confitentem, atque in apostolici praesulis totum dicentem positum potestate: ipsum beatum papam Leonem sedis apostolicae praesulem, cujus synodus Calchedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra, quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius praeter Nicaenos canones nova videretur actione tentatum[68]), competenti refutatione

---

[65]) Julius epist. 1 n. 22 Romano episcopo nominatim in ecclesiam Alexandrinam speciale jus consuetudine firmatum vindicat, adeo ut ejus episcopus illo inconsulto judicari non debeat.

[66]) Ita G^1 Q^1 cum D N^3 d^2; vulgati omittunt *regiae civitatis*.

[67]) Vulgati *clara urbs ... religio tunc sub eadem firma*, contra G^1 Q^1. Mox ea, quae a verbis *Postremo si* usque ad n. 11 sequuntur, in mss. brev. form. desunt. Quae ibidem memorantur Marciani et Anatolii epistolae, inter Leoninas sunt epist. 110 et 132.

[68]) Hic notatur Calchedonensis concilii can. 28, cui apostolicae sedis legati act. 16 reclamarunt, utpote post ipsorum ac judicum, qui synodalibus gestis interfuerant, discessum *ac praeter canones ecclesiasticos et disciplinam* edito, ut ipsi loquuntur (Hard. coll. conc. II, 626). Ex hoc autem Gelasii loco Facundus manifestum esse putat, ea, quibus Leo quaedam Calchedonensia synodi gesta

Digitized by Google

vacuasse: eaque nihilominus etiam sub sanctae memoriae papa Simplicio legatum sedis apostolicae sanctae memoriae Probum Canusinae urbis episcopum, Leone[69]) principe tunc petente praesente, docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus praebuisse consensum. Atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticae paterna traditione firmatum convenienter observent. a. 495.

11. Dicatur autem de Alexandrino et Antiocheno episcopis, certis ex causis principem magis illa, quae gesta sunt, non Acacium praecepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque[70]) vindictam, tantum ut Ecclesiae sineret Christianus princeps regulas custodiri; quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et novam discussionem consequenter inquireret, et sicut semper esset effectum, divinae pariter leges humanaeque censerent, ut sacerdotali concilio de sacerdotibus judicia provenirent, non a saeculari viderentur qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accedente[71]), non tamen religionem ullatenus ex-

---

improbavit, *contra Constantinopolitani episcopi ambitionem, non contra sententiam super epistolam Ibae prolatam* dicta esse. Id vero unum palam et aperte rejicit Leo, quod praeter Nicaenos canones ibi tentatum fuit. Nec aliquid amplius hic Gelasius memorat. Sed ex hoc Facundi loco confici manifeste arbitramur, auctius epistolae hujus exemplar authenticum habendum esse. Siquidem testimonium Gelasianum quod laudat, integrum in eo exstat, quum vix prima ejus verba reperire sit in altero.

[69]) Baronius hujus loci auctoritate ad annum 467 observat, Leonem imperatorem, quum neque a Leone papa neque ab ejus successore Hilaro obtinere valuisset, ut rata haberent Calchedonensis synodi de Constantinopolitanae ecclesiae privilegiis decreta, hoc a Simplicio, statim atque eorum locum adeptus est, conatum esse impetrare; eaque de causa missum esse a mox dicto papa legatum, qui petitis consensum praeberi non posse edoceret.

[70]) Zeno et Johannem Alexandrinum et Calendionem Antiochenum sibi injuriosos et contumeliosos exstitisse querebatur, et hunc quidem ut perfidum et inimicis suis devinctum, illum vero ut perjurum et sacramenti, quo se coram ipso obligarat, violatorem. Num aequa esset illius expostulatio, non expendit Gelasius, sed hanc synodi cognitioni, ut Ecclesiae regulae postulabant, servandam fuisse adstruit.

[71]) In quibusdam mss. *accidente.* Deinde in altero *non tamen contra religionem.* Accessione particulae *contra* sententia efficitur Gelasii menti contraria. Primum enim asserit, sacerdotes a saecularibus minime judicandos esse. Deinde exceptionem adjungit, modo eorum culpa religionem non excedat, hoc est, religionis finibus contineatur. Et haec quidem conceptio consentanea est principum edictis. Nam Theodosius junior apud Sirmondum app. cod. Theod. cap. 3, ubi edixit: *habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus;* subjicit: *quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi.* Ita intelligendum, et quod s. Martinus apud Treviros constitutus, Severo Sulpicio hist. II, 50 teste, Maximo imperatori ajebat, *novum esse et inaudi-*

Digitized by Google

a. 495. cedentes, potestate percelli. An[72]) et haec juxta rationem principi suggerenda non erant? Regiae civitatis honore sublimis, si factus erat ille regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his, quae pro religione fuerant exserenda, exstitit contemptibilis atque despectus, et aut segnis aut fiduciam non habens intimandi; in quo per regiam civitatem major effectus est? An ut per ea suae praevaricationis exerceret potius tyrannidem, quam causas religionis legitime procuraret? Nathan
2 Reg. 12, 1. propheta palam publiceque in facie regi David et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit, et confessione correctum consequenter absolvit. Beatae memoriae Ambrosius, Mediolanensis sacerdos ecclesiae, majorem[73]) Theodosium imperatorem a communione publice palamque suspendit, atque ad poenitentiam redegit regiam potestatem. Beatae memoriae papa Leo, sicut legitur, imperatorem Theodosium juniorem Ephesino latrocinio libere coarguit excedentem. Sanctae memoriae quoque papa Hilarus Anthemium imperatorem, quum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus diversarum conciliabula nova[74]) sectarum in Urbem vellet inducere, apud beatum Petrum apostolum palam, ne id fieret, clara voce constrinxit in tantum, ut non ea facienda cum interpositione sacramenti idem promitteret imperator. Sanctae memoriae nihilominus papa Simplicius, et post eum sanctae memoriae papa Felix, non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus auctoritate libera saepius[75]) in-

---

tum nefas, ut causam Ecclesiae judex saeculi judicaret. Quaenam autem causa ecclesiastica diceretur, Ambrosius epist. 21 ad Valentinianum juniorem n. 2 explicat, ubi Valentiniani I laudat edictum, quo sanxit, *in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit nec jure dissimilis*, hoc est Ambrosio interprete: *sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare. Quia etiam si alias quoque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam haec voluit ad episcopale judicium pertinere.* Ad mores autem attinebat Johannis et Calendionis causa, nec depositionis poena nisi episcopali judicio plecti poterant. Vide epistolam sequentem n. 9 et 10, et quae ad epistolam 23 observavimus recole.

[72]) Sic Q^2, nisi quod *justa ratione,* ubi magis placet cum ceteris *juxta rationem.* At editi cum G^1 Q^1 *An adhuc* (Q^1 *adhec*) *justa ratione principi suggerenda non erat.* Deinde iidem *illa regia,* moxque G^1 Q^1 *quae religione.*

[73]) Editi *majori Theodosio communionem;* emendantur ex mss. Q^1 Q^2. Iterum haec omnia a verbis *Beatae memoriae Ambrosius* usque ad *manifestum est* in mss. brev. form. desunt.

[74]) Abest *nova* a Q^2. Id porro anno 467, qui Anthemii imperatoris primus et Hilari papae postremus fuit, contigerit necesse est.

[75]) Hoc ita est intelligendum, ut Basiliscum quidem tyrannum solus Simplicius semel epist. 3 increparit, Zenonem vero imperatorem quum idem Simplicius tum Felix saepius coarguerint ita libera auctoritate, ut modestia et reverentia, qua principes alloqui decet, non deesset. Qui autem illorum ad Zenonem lit-

Digitized by Google

crepasse noscuntur; flectique potuisset, nisi Constantinopolitani a. 495.
praesulis accenderetur instinctu, qui particeps externae communionis effectus, necessario, in quod inciderat, jam fovebat, malens in suae praevaricationis obstinatione persistere, quam curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probavit eventus. Ecce nuper Honorico[76]), regi Vandalicae nationis, vir magnus et egregius sacerdos Eugenius Carthaginensis episcopus multique cum eodem catholici sacerdotes constanter restitere[77]) saevienti, cunctaque extrema tolerantes hodieque persecutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro haeretico regnum Italiae tunc tenenti, quum aliqua non facienda praeciperet[78]), Deo praestante nullatenus paruisse manifestum est. Hic autem vir bonus Acacius et sacerdos eximius in tantum se et suggerere potuisse monstravit et noluisse deprompsit, immo favisse patefecit, ut et imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, et ipse imperatorem magnis praeconiis elevaret ista facientem; seseque prodidit his agendis rebus fuisse participem.

12. Sed esto, Calendion imperatoris nomen abstulerit[79]), Johannes principi mentitus fuisse jactetur; quae tamen quum novae

---

teras jam laudatas, quae hic dicuntur, cum epist. 43 et 44 Leonis ad Theodosium contulerit, in eo quod proxime assertum est, Theodosium scilicet a Leone libere fuisse correptum, nihil falsi deprehendet, nedum id cum Quesnello falsissimum censeat.

[76]) Legendum *Hunerico;* tum Q¹ Q² *regi Wandalorum.* Ab hoc rege anno 483 Maji 20 die Eugenio Carthaginensi traditum est edictum, cui ille praesul, multique cum eo, non cedendum ratus, exsilium cum sociis variasque aerumnas pati maluit, ut ex Victoris Vit. lib. 2 n. 13 ss. notum est. Quamvis autem Hunerico anno 484 exstincto Guntamondus seu Gontabondus ejus successor cum catholicis mitius egerit, eos tamen vexare haeretici episcopi non desistebant.

[77]) In vulgatis *resisterent,* in mss. *resistere,* G¹ *consistere,* Q¹ *egregius sacerdos constanter resistere saevienti.* Orationis series manifeste postulat *restitere.*

[78]) Odoacer aliqua non facienda praecepit, quum anno 483 proxime post exitum Simplicii papae scriptura data, quae anno 502 in concilio Romano sub Symmacho recitata est, interdici constituta capitis poena voluit, ne sine ipsius consultatione Romani pontificis fieret electio, neve futuro pontifici ac secuturis ullum ecclesiae praedium alienandi potestas esset. De hac scriptura quominus hic loqui Gelasius intelligatur, nihil vetat, maxime quum illam tum ratam non fuisse sequentium pontificum electiones ac praedictae synodi sub Symmacho acta fidem faciant, nec dubitare nos sinant, quae habemus Felicis II gesta, quin tunc temporis Gelasio praecipuus in clero et in Ecclesiae negotiis locus fuerit. Ita etiam compositus est illius sermo, ut quod non solus, sed quod cum aliis clericis fecisset, memorare videatur. Vide apud Symmachum epist. 6 n. 4.

[79]) Hoc est: *e diptychis,* ut ex his epistolae 27 sequentis n. 8 colligitur: *Numquid omnes, quos memoravimus, episcopi imperatori mentiti sunt, numquid omnes imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt?* Horum igitur criminum postremum Calendioni, primum Johanni affingebant. Ideo autem Calendion, ut Evagrius lib. 3 cap. 16 scribit, Zenoni in odium venit, quia *Illi, Leontii et Pamprepii, qui adversus Zenonem tyrannidem sumpserunt, partes fovisse existimabatur,* vel potius, ut observat Liberatus cap. 18, *praetexebatur.*

Digitized by Google

a. 495. essent causae, nova debuit ecclesiastica provenire discussio. An qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerunt, et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini sacramenti[80]) studentem miscere cum perfidis, secundum synodum, qua haec est damnata perfidia, non oportebat expelli? Quid de innumeris per totum Orientem catholicis sacerdotibus propria sede depulsis, et indubitanter haereticis intromissis? Novae certae erant causae; et his consequenter nova synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus causis peteretur a principe saltem qualiscunque synodus celebranda: ut quocunque vel colorato judicio traditionis ecclesiasticae passim pontifices viderentur excludi[81]), non solum quarumcunque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus quum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acacius, communicando cunctis, qui in catholicorum locum haeretici fuerant subrogati. Apostolus autem dicit, *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, reos indubitanter adscribi. An haec licuit saeculari potestati, et actis talibus Acacio consentiente[82]) absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicae consultatione perficere; et sedi apostolicae non licuit, secundum tenorem synodi Calchedonensis in veteri utique causa et veteri constituto juxta definitionem damnata, inimicis synodi Calchedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere?

Rom. 1,32.

13. Sed inquiunt: Acacius principi obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? Cur ipsi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter[83]) hoc fecerit, communicare videretur, non commodavit assensum? Ecce resultanti non institit imperator, ecce vim nolenti non intulit, ecce refugienti contagia manifesta concessit! Postremo cur tanto tempore, quum ista gererentur vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre maturavit? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel praemoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret, sicut sub Basilisco jam fecerat. Cur illis ceteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus indubitanter haeretici singulis urbibus fuerant substituti?

---

[80]) Quatenus videlicet in sacramenti seu sacrificii divini celebratione Petri perfidi ac damnati nomen recitari studet. Mox Q¹ *per totum orbem catholicis.*

[81]) Q¹ Q¹ *exclusi*, vulg. cum G¹ *excludi.*

[82]) Q¹ *consentienti.* Mox D¹ N³ Q¹ Q² *justa definitione damnatum* (Q¹ *justa definitionem damnata*).

[83]) Illud *latenter* epistola sequens n. 6 explicat, quia scilicet Acacius non per se ipsum, sed per Petrum Alexandrinum cum Antiocheno communicabat. Mox Q¹ *non resistit resultanti imperator.*

Digitized by Google

Postremo ille defuit suis partibus, et quae[84]) sacerdoti catholico competerent, agere fastidivit; ideo sedes apostolica, quod ad eamdem pertinebat, vel potuit vel debuit praeterire? a. 495.

14. Quolibet igitur modo haereticorum complicem refutavit[85]), et consortem communionis externae a sua communione dimovit; nec opus fuit nova synodo, quum veteris constituti sufficienter hoc[86]) forma praescriberet; nec opus fuit, ut haec scienda Orientis episcopis intimaret, quos ex expulsione catholicorum, quae agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est, et communicando haereticis subrogatis facto tali consensisse. Non dubium est etiam, cum externae communionis effectis nec potuisse nec debuisse sedis apostolicae scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione, qui constantissime perdurarunt, quid fidei communionique catholicae deberetur. Ecce agnoverunt, quemdadmodum a talibus recedendo, immo talibus contraria moliendo, a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint. Ecce agnoverunt, quam justis ex causis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea perstiterant congruebant, et illi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicae auctoritate sit remotus Acacius, (ad cujus praecipue vocatus examen vel venire vel mittere non curavit, ut se de his omnibus, ut confidebat, absolveret), ejusque pariter quicunque complices exstiterint. Atque ab illa merito cum his communione discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus a catholicis pontificibus discrepando cognoscitur separasse: jureque sententiam ille damnationis excepit ceteris[87]) consortibus promulgandam, qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiae ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui Acacio si communicaverant Orientales episcopi antequam huc referret[88]), pari utique reatu sine dubio probabantur[89]) involvi, jureque per illum transgressionis sententiam susceperunt tamquam facti cum eodem

---

[84]) Ita G[1] et vulgati, nisi quod hi in sequentibus *ad eadem*, d[2] autem *agere non curavit ... ad eam pertinebat* legant. a[3] sec. suos codices et Q[1] *quod sacerdoti ... competeret ... ad eam* (Q[1] *eamdem*) *pertinebat nec potuit nec debuit.*

[85]) a[3] sec. mss. *refutatum.*

[86]) Ita F[d] F[m] G[1] (*h*) N[3] Q[1] d[2]; vulg. *haec.* Mox Q[1] a[3] *et expulsione.*

[87]) Editi *ceterisque consortibus cum suis consortibus promulgandam*; castigantur ex mss.

[88]) G[1] *refert*, alii *referret*, hoc est, antequam eam per legatos a se deceptos ad Felicem mitteret relationem, qua se Petri communionem suscepisse cum ejusdem Petri encomio significavit. Qua relatione propriam ipse perfidiam confessus justam sententiam excepit, quae in ceteros ejusdem perfidiae consortes lata est.

[89]) Ita G[1] Q[1]. Vulg. *probabatur.* Mox editi *ipse de eodem*, et Q[1] a[3] *cunque sede apostolica.*

Digitized by Google

a. 495. communionis externae: qui utique non consuli tamquam nostrae communionis homines jam deberent, sed tamquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant antequam Acacius huc referret, et communicantem notare debuerant, et ipsi de eodem potius huc referre, atque apostolicae sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque ea sede apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciverant et eorum successoribus[90]) communicare delegerant, ideo cum sede apostolica minime congruebant. Quia in sortem reciderant praevaricatoris Acacii, et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter adstringi, ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem praevaricatione damnatos, in qua hodieque manere persistunt. Sed sicut ii simili conditione constricti complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque rei[91]) reum possunt competenter absolvere; sic illo juste praevaricatore damnato ipsi quoque pari jacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi: quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio[92]) est, qui in eamdem perfidiae reciderant actionem, sic in uno eodemque, qui pro omnibus scripserat vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita pariter quoque cum eodem vel in eodem est complicum transgressio punita cunctorum. Quae tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo praesulis apostolici, cujus erat utique potestatis, legitime[93]) probatur esse deprompta, praecipue quum secrete dirigenda videretur, ne custodiis ubique praetentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum; tamen quia orthodoxis ubique dejectis et haereticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis, in Oriente catholici pontifices aut residui omnino non essent aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia catholi-

---

[90]) Hoc est iis, qui catholicis pontificibus expulsis subrogati erant.

[91]) Ita G^1; vulg. omitt. *rei*.

[92]) Editi *vulgata transgressione*, emendantur ex mss. Acacius pro omnibus scripsisse dicitur, non quia nomine omnium scripserit, sed quia perfidiam scripto professus est, in cujus damnatione cuncti, qui ejus consortes essent, condemnati censerentur. Mox Q^1 cum exemplaribus brevioris formae post *punita cunctorum* addit: *Quae ad instructionem etc. ... praepropere censuisse*. Deinde prosequitur: *Quae tamen sententia etc.* usque ad fin. n. 15 *pravitatis immunes*.

[93]) Editi *legitimae, probatur ... secreto* (a^3 *secretim*). De hujusmodi, quae mox memorantur, insidiis jam ab anno 485 synodi Romanae patres apud Felicem epist. II 11 n. 4 sic conquerebantur: *Si terra marique orthodoxis non ponerentur insidiae, plurimi ex nobis cum eadem contra Acacium sententia venire potuissent*. Iis autem rationibus, quas ejusdem synodi patres Graecis expostulantibus, quod solius Felicis nomine prolata esset adversus Acacium sententia, in mox dicta epistola n. 4 reddiderant, novas nunc Gelasius adjicit.

Digitized by Google

corum congregatio sacerdotum rationabiliter in Acacium sententiam a. 495.
cognovit fuisse prolatam. Quae congregatio facta pontificum non contra Calchedonensem, non tamquam nova synodus contra veterem primamque convenit[94]), sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicae exsecutionis effecta est: ut satis appareat, Ecclesiam catholicam sedemque apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit et cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata et sincera communione tractatum.

15. Quae quum universa noverint qui videntur ecclesiis Orientalibus nunc praeesse, propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt unitatem, quia occasionem dissensionis hujus suis ambitionibus suffragantem deponere jam recusant, quia sine auctoritate sedis apostolicae omnium ecclesiarum passim jura confundunt, magis eligentes in errore persistere, quam praesumptionum suarum perdere facultatem, plus usurpationum suarum licentiam diligentes, quam divini judicii tenentes corde respectum. In quo necesse est, velint nolint, tam de fidei communionisque catholicae sinceritate neglecta, quam de paternis canonibus evidenter irruptis recipiant quod merentur, nisi dum hic tempus admittit, haec damnationis aeternae pericula correctis mentibus studeant declinare, ut possint non tales permanere, quibus insolubilis est lata sententia, sed a talibus recedentes, ab eadem sententia non teneri: quae sicut in errore durantibus nunquam solvenda praefixa est, sic ab his erit aliena, qui exstiterint puniendae pravitatis immunes.

16. Haec vero ad instructionem vestrae dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil apostolicam sedem, quod absit, praepropere censuisse, et non habere, quod juste possit opponere, perversa doceatur improbitas. Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista quae scribimus, pariter catholicis et contraria sapientibus innotescant: quo et sanis necessaria firmitas, et male sanis competens medicina praebeatur. Data Calendis Februarii consulatu Viatoris[95]) viri clarissimi.

[94]) Ita G¹ Q¹ Q²: editi *cognovit*. Haec dicta ad illam referri possunt synodum, quae mense Octobri anni 485 Romae congregata *rationabiliter in Acacium sententiam cognovit fuisse* (anno superiore) *prolatam*. Probabiliter tamen ad eam pertinent, quae anno 484 convenit, quae quidem negatur *nova synodus*, quia non tam, ut de nova causa necdum judicata pronuntiaret, congregata est, quam ut apostolicae sedis decreta concilii Calchedonensis exsequentis testis et particeps fieret. Ideoque dicitur, sententiam adversus Acacium *rationabiliter prolatam cognovisse*, quia quam protulit Felix, ut acquitati et Calchedonensium patrum judicio consentaneam suo calculo approbavit.

[95]) Ita G¹ (*cons. Viatoris vc*) h. e. anno 495. Editi *Victore v. c. consule*.

Digitized by Google

a. 495.

Epistola 26.

(Ex editione Ballerinorum.)

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.

1. Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam et veluti difficilem quaestionem, et adhuc tamquam inauditum quidpiam nosse desiderat, quod Eutychianae pestilentiae communicatores, non habentes quid pro suae perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, sola contentione submurmurant: non quia sit alicujus momenti quod garriunt, nec inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos, qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc haerere miramur, quam illos, qui a veritate exciderunt et ab antiquae Ecclesiae traditione sunt devii, profanas vocum novitates et ineptias caducae perversitatis obtendere: quibus eos vestra dilectio retulit jactitare, ideo Acacium non putare jure damnatum, quod non a speciali synodo videatur fuisse dejectus, et insuper dementiam suae vanitatis accumulare pueriliter, adjicientes: *praecipue pontificem regiae civitatis.* Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis et considerare prudenter, quoniam patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in unaquaque haeresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem praedicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum deinceps voluerint firmumque constare, nec in eadem causa denuo quae praefixa fuerant retractari qualibet recenti praesumptione permiserint: sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiae constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si, limitibus etiam praefixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisae pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quaeque corda percutere: quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire concilium, quum quaelibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit, quod perniciosa depromat falsitas, etsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens?

2. Quae majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie praecaverunt, ut contra unamquamque haeresim quod acta synodus pro fide, communione, veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post haec retractationibus mutilari, ne pravis occasio praeberetur quae medicinaliter fuerant statuta pulsandi; sed auctore cujuslibet insaniae ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communi-

Digitized by Google

:ator exsisteret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus; a. 495.
quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci.

Et ut brevitatis causa priora taceamus, quae diligens inquisitor facile poterit vestigare: Sabellium damnavit synodus, nec fuit necesse, ut ejus sectatores postea damnarentur, singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquae cunctos, qui vel pravitatis illius vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii forma fidei communionisque catholicae, Nicaeno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive sensu sive communione deciderit, sine retractatione concludit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit; sed universos quocunque modo in has blasphemias recidentes, tradito sibi limite synodali refutavit Ecclesia, nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, noviter quae fuerant salubriter constituta, temerasse. Non autem nos latet, in tempestate persecutionis Arianae plurimos pontifices, de exsiliis pace reddita respirantes, per certas provincias congregatis secum fratribus ecclesias composuisse turbatas; non tamen ut illius synodi Nicaenae, quidquid de fide et communione catholica definiverat, immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius decreti tenore nisi resipuisset, judicavere damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret.

3. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, nullam magis exsequi sedem oportere prae ceteris, quam primam, quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit; pro suo scilicet principatu, quem beatus apostolus Petrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet.

Haec dum Acacium certis comperisset indiciis a veritate deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat exsecutorem saepe necessariae dispositionis suae contra haereticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa familiariter scripta testantur. Quibus ille primum tamquam dedito silentio nihil respondere proponens, tandem aliquando missis litteris profitetur, se Alexandrino Petro, quem expetita apostolicae sedis exsecutor ipse quoque damnaverat, absque apostolicae sedis notitia communione permixtum. Beati autem Petri sedes, quae Alexandrinum Petrum se tantummodo damnasse, non etiam solvisse noverat, non recepit; atque ideo, ne per Acacium in

Digitized by Google

a. 495. Petri quoque consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit, et multis modis transgressorem a sua societate fecit alienum.

4. Hic si examinatio quaeritur, jam judicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est. Si auctoritatis pondus inquiritur, Calchedonensis synodi tenore illius definitionis exsecutio reperitur, quo damnati illic erroris communicator effectus, praefixae nihilominus damnationis particeps exsisteret; quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravae communionis effecto et exsecrationem sui gestat et poenam. Quo tenore Timotheus etiam atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem tenuisse videbantur, non repetita synodo sed auctoritate tantummodo sedis apostolicae, ipso quoque Acacio postulante vel exsequente, probantur esse damnati.

5. Quodsi, utrum errori vel praevaricationi communicarit Acacius, forsitan dicatur oportuisse constare, breviter praebemus ad ista responsum: aut enim ipsi doceant Petrum veraciter legitimeque purgatum et ab omni haereticorum contagione rite discretum, quum ei communicavit Acacius, si ejus communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum; aut si, quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum non probaverint expiatum, restat, ut ejus inexpiatione fuerit, et qui ei communicavit, infectus.

Nec plane tacemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi: utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter constat satis, Acacium nullum habuisse pontificium sententiam sedis apostolicae sine ulla ejus notione solvendi. Qua certe synodo hoc ille praesumpsit, quod nec sic absque apostolica sede fas quidem haberet efficere? Cujus sedis episcopus? Cujus metropolitanae civitatis antistes? Nonne parochiae Heracleensis ecclesiae? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicae sedis abrumpere, nulla ejus consultatione quaesita; itane vero non licuit primae sedi, Calchedonensis synodi constituta, sicut decuit, exsequenti, hujusmodi praevaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo praecedente, exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi nulla exsistente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae quippe memoriae Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. Sanctae memoriae nihilominus Johannem Constantinopolitanum synodus etiam catholi-

Digitized by Google

corum praesulum certe damnaverat, quem simili modo sedes aposto- a. 495.
lica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctum Flavianum pontificem Graecorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit; potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis praesulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo sola submovit, et pro veritate ut synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit. In qua ut ergo sola jus habuit absolvendi eos, quos synodica decreta perculerant, sic etiam sine synodo in hac eadem causa plurimos etiam metropolitanos damnasse cognoscitur.

Quodsi quis haec ab apostolica sede vel secundum synodum acta reprehendit, praeter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur. Dicat ergo, qua ipse synodo secundae sedis antistitem qualemcunque, certe catholicum et a catholicis ordinatum, nec de catholica fide et communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum; et haereticum manifestum Petrum, sua quoque exsecutione damnatum, catholico pontifici permiserit subrogari. Qua synodo tertiae sedis episcopum sanctum Calendionem fecit expelli, ac nihilominus eidem Petrum tam manifestum haereticum, ut eidem palam nec se communicare praetenderet, sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem synodo, ejectis orthodoxis nullo crimine maculatis, pravos quosque et criminibus involutos sua provisione supposuit? Qua synodo tot aliena privilegia nefandus populator invasit? Sed libri non sufficient, si tragoedias ejus, quas per ecclesias totius Orientis exercuit, singillatim describere moliamur.

8. An illud ipsius argumentum nobis aestimant opponendum, quo facinora sua in imperialem visus est jactare personam? Cur igitur quando voluit obstitit Basilisco tyranno, certe et haeretico vehementer infesto? Cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit in aliis resultare, si vellet. An non apostolus dicit: Rom. *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, reatu* 1, 32. *pariter sunt irretiti?* Sed ut ea quae latius explicanda sunt omittamus, quid, quod ipse Zenon imperator suis litteris profitetur cuncta esse ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse quoque testatur Acacius, qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit, et suo consilio haec eadem gesta non tacuit! Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius praevaricator exstiterit, et non in omnibus, quos vel fecit depulsis catholicis pontificibus tamquam tyrannus ecclesiis quibuscunque praeponi, vel taliter praepositis perversa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi!

Digitized by Google

a. 495. Quis autem non perspiciat Christianus, quod catholicis pontificibus a propria sede dejectis non nisi haeretici potuerunt introduci? Quibus tamen cunctis vel auctor fuit Acacius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit, his utique, qui a communione nullatenus discrepabant. Cur ergo vel quum haec fieri videret, non sicut sub Basilisco jam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit: ut, si solus ipse non poterat, junctis cum eadem consiliis atque tractatibus apud imperatorem possent, quae religioni competerent, allegari? Nam si Basiliscus, ut dictum est, tyrannus haereticus scriptis apostolicae sedis vehementer infractus est et a plurimis revocatus excessibus, quanto magis legitimus imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione mitigari: praecipue quum ejusdem Acacii esset specialis fautor et amator, et qui litteris suis tam ipsum Acacium quam sanctum papam Simplicium magnis laudibus extulisset, quod haeretico constantissime restitissent? Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia praepediri nolebat ullatenus, quae desiderabat expleri?

9. Ponamus tamen, etiamsi nulla synodus praecessisset, cujus apostolica sedes recte fieret exsecutrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda? Numquid cum his, qui jam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis et per exsilia diversa relegatis, socii evidenter exsistebant communionis externae, prius se ad haec consortia transferentes, quam sedis apostolicae scita consulerent? Cum quibus ergo erat synodus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique jam depulsi, soliique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat ha-
Psalm. 25,4. bere conventum, dicente psalmo: *Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Nec ecclesiastici moris est, cum his, qui pollutam habent communionem permixtamque cum perfidis, miscere concilium. Recte igitur per Calchedonensis synodi formam hujusmodi praevaricatio repulsa est potius, quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum nec cum talibus haberi licebat, adducta est. Nam et quid ageretur de fide catholica, intelligere si vellent, ignorare non poterant, quum viderent catholicos pontifices nulla synodi discussione, nullo concilio, praecipue quum novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli; et ceteri quid caverent, ex illorum qualitate discernere potuissent. Restat igitur, ut illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dederunt, meritoque ab apostolica sede ceterisque catholicis non jam consulendi erant, sed potius notandi.

10. Risimus autem, quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis tempo-

Digitized by Google

ribus non constitit imperator? Numquidnam harum urbium sacerdotes a. 495.
ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt? Numquid Acacius, ut Johannem quemlibet hominem, catholicum tamen a catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in haeresi jam detectum atque damnatum absque sedis apostolicae consultatione reciperet, aliqua synodo saltem illic habita hoc audacter arripuit; ut Calendionem de Antiochia depelleret, haereticumque Petrum, quem ipse damnaverat, absque notitia sedis apostolicae rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundae sedis et tertiae major est dignitas sacerdotum quam ejus civitatis, quae non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis *regiae civitatis*, alia potestas est regni saecularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas praerogativam praesentis regni non minuit, sic imperialis praesentia mensuram dispensationis religiosae non mutat. Sit clara urbs illa potestate praesentis imperatoris, religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc praesente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.

11. Sed dicatur forsitan de Alexandrino et Antiocheno, certis ex causis principem magis illa quae gesta sunt, non Acacium praecepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de ejus injuria contumeliaque vindictam, tantum ut Ecclesiae sineret Christianus princeps regulas custodiri, quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et novam discussionem consequenter inquireret. Et si, sicut semper esset effectum, sacerdotali concilio de sacerdotibus judicia provenirent, non a saeculari viderentur qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accedente, non tamen contra religionem ullatenus excedentes, potestate percelli. An et haec justa ratione principi suggerenda non erant? Regiae civitatis honore sublimis si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his, quae pro religione fuerant exserenda, exstitit contemptibilis atque despectus, et aut segnis aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam civitatem major effectus est? Nathan propheta palam publiceque in facie regi David et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit, et confessione correctum consequenter absolvit. Hic autem vir bonus et sacerdos egregius in tantum se et suggerere potuisse monstravit et noluisse deprompsit, immo favisse patefecit, ut et imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, et ipse imperatorem magnis praeconiis elevaret ista facientem, seseque proderet his agendis rebus fuisse participem.

Digitized by Google

a. 495. 12. Sed esto, Calendion nomen imperatoris abstulerit, Johannes principi mentitus fuisse jactetur: quae tamen quum novae essent causae, nova debuit ecclesiastica provenire discussio. An qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerunt; et in Deum, qui summus et verus est impeperator, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum, qua haec est damnata perfidia, non oportebat excludi? Quid per totum Orientem de innumeris urbibus pulsi catholici sacerdotes, et haeretici subrogati? Novae certe erant causae, et his consequenter nova synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus causis peteretur a principe saltem qualiscunque synodus celebranda, ut quocunque vel colorato judicio traditionis ecclesiasticae passim pontifices viderentur exclusi, non solum quarumcunque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus quum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acacius communicando cunctis, qui in catholicorum locum haeretici fuerant subrogati. Apo-
Rom. 1,32. stolus autem dicit, *non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus,* reos indubitanter adscribi. An haec licuit saeculari potestati et actis talibus Acacio consentienti absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicae consultatione perficere; et sedi apostolicae non licuit secundum tenorem synodi Calchedonensis in veteri utique causa et veteri constituto justa definitione damnatis inimicis synodi Calchedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere?

13. Sed Acacius, inquiunt, principibus obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? Cur ipsi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fecit, communicare videretur, non commodavit assensum? Ecce resultanti non restitit imperator, ecce vim nolenti non intulit, ecce refugienti contagia manifesta concessit; postremo cur tanto tempore quum ista gererentur vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, deferre curavit? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel praemoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret, sicut sub Basilisco jam fecerat. Cur illis ceteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus indubitanter haeretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo si ille defuit suis partibus, et quae sacerdoti catholico competerent agere non curavit; ideo sedes apostolica, quod ad eam pertinebat, vel potuit vel debuit praeterire?

14. Quolibet modo haereticorum complicem refutavit et consortem communionis externae a sua communione dimovit, nec opus fuit nova synodo, quum veteris constituti sufficienter hoc forma praescriberet; nec opus fuit, ut haec facienda Orientis episcopis intima-

Digitized by Google

ret, quos et expulsione catholicorum, quae agebantur in causa fidei, a. 495.
non ignorasse manifestum sit, et communicando haereticis subrogatis facto tali consensisse. Non dubium est etiam externae communionis effectos, atque ideo cum eis jam nec potuisse nec debuisse sedis apostolicae scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione qui constantissime perdurarunt, quid fidei communionique catholicae deberetur.

Ecce agnoverunt, quemadmodum a talibus recedendo, immo talibus contraria moliendo a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint. Ecce agnoverunt, quam justis ex causis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea perstiterant congruebant, et illi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicae auctoritate sit remotus Acacius, ejusque pariter quicunque complices exstiterunt; atque ab illa merito communione cum his discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus a pontificibus catholicis discrepando cognoscitur separasse, jureque sententiam ille damnationis excepit, ceteris consortibus promulgandam, qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiae ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui si communicaverant Orientales episcopi, antequam huc referret, pari utique sine dubio reatu probabantur involvi, jureque per eum sententiam transgressionis susceperunt, tamquam facti cum eodem communionis externae. Qui utique non consuli tamquam nostrae communionis homines jam deberent, sed tamquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant antequam Acacius huc referret, et communicantem notare debuerant, et ipsi potius de eodem huc referre, atque apostolicae sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque sede apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciverant, et eorum successoribus communicare delegerant, ideo cum sede apostolica minime congruebant, quia in sortem reciderant praevaricatoris Acacii, et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter adstringi. Ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem praevaricatione damnatos, in qua hodieque manere persistunt. Sed sicut hi, simili conditione constricti, complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque rei reum possunt competenter absolvere; sic illo praevaricatore juste damnato, isti quoque pari jacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi: quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eamdem perfidiae reciderant actionem, sic in uno eodemque, qui pro omnibus scripserat vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum.

Digitized by Google

a. 495. 16. Quae ad instructionem vestrae dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil apostolicam sedem, quod absit, praepropere censuisse. Quae tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo praesulis apostolici, cujus erat utique potestatis, legitime probatur esse deprompta, praesertim quum secretim dirigenda videretur, ne custodiis ubique praetentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum: tamen quia orthodoxis ubique dejectis et haereticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis, in Oriente catholici pontifices aut residui omnino non essent aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum rationabiliter cognovit sententiam in Acacium fuisse prolatam. Quae congregatio facta pontificum non contra Calchedonensem, non tamquam nova synodus contra veterem primamque convenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicae exsecutionis effecta est: ut satis appareat, Ecclesiam catholicam sedemque apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit et cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata fide et sincera communione tractatum.

Epistola 27

p 38.

seu

(a. 495.) **Beati Gelasii papae ad episcopos Orientis de eadem ratione reddenda.**[1])

1. Quid[2]) ergo isti prudentes viri et argutis mentibus totius religionis interna rimantes, in Orientis partibus constituti, si cognoverunt hujusmodi personam[3]) in Antiochena ecclesia constitutam, cur communicando talibus praebuere consensum? Cur non illico

[1]) Ita mss. $D^1 F^d F^m N^3 d^2$ (*Incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientis*); d^1 *Ex epistola Gelasii papae ad Orientales episcopos post alia*, praepositione *ex* nec non verbis *post alia*, quibus fragmentum dumtaxat hic haberi paulo apertius significatur, de suo adjectis.

[2]) $N^6 O^1 X^1 V^2 c^5$ hic subjicit: *Dilectissimis fratribus episcopis Orientalibus Gelasius*, quod quum absit ab exemplaribus vetustioribus collectionis D et N^3, ab Isidoro adjectum suspicamur, maxime quum Gelasius, dum istud scribebat, Orientalium communionem respueret. Venet. s. Marc. 169, $O^2 c^1$, ut jam in monito praevio observatum, sine ulla distinctione Gelasii epistolae 26 n. 14 (post verbum *tractatum*) nostram adnectunt: *Quid ergo isti* etc. Sed pravam ligaturam esse ipse sensus palam prodit.

[3]) Supple *qualis erat Petrus Fullo*, de quo antea sermonem, qui exciderit, habitum esse palam est.

Digitized by Google

reclamarunt, cur non se a tali contagio removerunt, quum jam[4]) evi- (a. 495.)
denter adverterent ideo Calendionem depulsum, ut haereticis panderetur introitus? Quare hic nihil[5]) de synodo, nihil de re, nihil de fide Christiana, nihil de personarum examinatione tractarunt? Si vero illi se[6]) communioni voluntarie subdiderunt, ab apostolica sede certe separati sunt: cum talibus et apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset omnino synodus provenire. Quodsi ignorasse se dixerint, qualis apud[7]) Antiochiam post Calendionem successisset antistes, quid mirum, si, qui in Oriente positi quae in regione sua contigerant scire nequiverunt, ea quae apud apostolicam sedem gesta fuerant ignorarint? Cur tamen, posteaquam ad eorum notitiam pervenit, qualis esset sacerdos apud Antiochiam constitutus, non ejus consortia continuo respuerunt? Quid excusationem de ignorantiae colore praetendunt, quum hodieque et manifestata[8]) contagia perfidorum et a nobis saepius exprobrata sectentur? Quo satis apparet, quia nec tunc quidem, etiamsi cognoscerent, refutarent, quando nunc etiam publicata non renuunt. Prorsus in quamlibet se partem causationemque[9]) convertant, manifestae veritatis ita laqueis suffocantur, ut suis ipsi verbis possint actibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatae perfidiae residuam ventilare.

2. Haec autem, quae de Calendione venerabili dicta sunt, et in Johannis Alexandrini conveniunt certa ratione personam. Immo, si causa eadem latius inquiratur, tantae illic tragoediae, tanti reperiuntur errores, ut, si ipsi sint judices, qui eadem perpetrarunt, quum evidenter fuerint confutati[10]), a sui damnatione non temperent. Palam enim illic aperteque monstratur, nihil aliud quam quaesitam causam, quemadmodum catholico qualicunque depulso pontifice haeretico Petro reseraretur accessus. Tunc istud nemo discutiebat, synodum nemo poscebat, passim omnia licito fieri a quibuscunque

---

[4]) Ita F^d F^m N^3 O^1; c^5 c^7 c^9 c^{10} *tam*, O^2 c^1 *cum evidenter*, moxque d^2 *animadverterent*.

[5]) Ita mss. D N^3 O^1 O^2 d^2; c^{10} omittit *nihil de synodo*.

[6]) c^5 c^7 c^9 c^{10} addunt *eorum*, quod abest a mss. Verbum *illi* perinde est atque *hic*. De communione autem cum Petro Fullone inita sermo est. Mox *cum talibus* idem est quod *cum Orientalibus*, qui *tales* evaserunt.

[7]) c^5 c^7 c^9 c^{10} *Antiochiae*, O^1 c^1 *in Antiochia*, moxque F^d F^m c c *contigerint ... ignorarent*.

[8]) D^5 *manifesta*, moxque d^1 *Quod satis*.

[9]) O^1 O^2 c^1 et tres alii mss. *excusationemque*. Moxque d^1 *concludi et convincantur nonnisi*, et D^5 omittit *residuam*.

[10]) d^1 *consultati* et mox O^2 *a sua damnatione*, reluctantibus aliis libris. Sane adverbium *evidenter*, quod antecedit, praeferendum suadet verbum *confutati*. Neque vero reos nisi evidentissima confutatio ad *sui damnationem* cogere valet. Hic respicere videtur Gelasius ad prolixiorem epistolam, quam Felicis nomine scripsit de vitanda communione Acacii (Gelas. epist. 1).

Digitized by Google

(a. 495.) videbantur: nullum discrimen rerum[11]), nulla examinatio postulabatur Ecclesiae; sed prout de[12]) unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam tertiae et secundae sedis antistites. In his nulla rerum vestigatio[13]) quaerebatur, nulla facienda concilia jactabantur. Subrogabantur haeretici, nemo resultabat: sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectabantur. Non mirum quidem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam caecis[14]) mentibus secuti sunt vilitatem. Sed miramur, cur eos non pudeat in istorum damnatione de synodo non facta causari, quum sciant tot tantosque pontifices nulla synodo fuisse depulsos. In[15]) istorum rejectione de non inito concilio conqueruntur: cognoscant se, cur non et hoc in aliorum rejectione quaesiverint, accusari. Si[16]) vero in ceterorum rejectione concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum dejectione non fuit opus synodo, et fuit magnopere congreganda in praevaricatoris damnatione confessi?

3. Quid igitur restat, nisi ut dicant haereticos non fuisse? Non ergo de synodo conquerantur[17]), qui se palam communionis externae perhibent sectatores. Cur ergo eis synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Calchedonensem synodum venire cognoscunt, qua Eutychianus error cum suis auctoribus generalis Ecclesiae voce damnatus est? Nec dubium, quod, sicut[18]) in unaquaque haeresi, (quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus), omnes complices, sectatores, communicatores damnatae semel pravitatis pari sorte censentur. Ideoque sit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores secundum illius tenorem synodi nulla recenti facta pontificum congregatione damnati

---

[11]) D^5 d^1 *rei*, qui tamen mox *rerum vestigatio* retinuerunt. Utrobique sibi constant mss.; neque vero de uno tantum episcopo, sed de pluribus e suis urbibus expulsis expostulatio est.

[12]) O^1 O^2 c^1 *unicuique* et cum c^5 c^7 c^9 c^{10} *sedis antistes*.

[13]) O^2 c^1 *investigatio*, moxque D^5 *conciliabula* et c^{10} *subrogantur*.

[14]) Ita D^1 D^4 F^d F^m N^3; O^1 O^2 c^1 *a scis mentibus*, moxque c^5 c^7 c^9 c^{10} *utilitatem*, d^1 *voluntatem ... etiam cum sciant*.

[15]) c^5 c^9 c^{10} addunt *si* (c^1 *in istorum dejectionem si de*). Deinde c^1 *dejectione ... cognoscant ergo*. Orationis integritas non deerit, si pro *conqueruntur* legamus *cum queruntur*.

[16]) D^4 omittit reliqua hujus num. 2. In sequentibus D^1 O^2 c c omittunt *synodo*.

[17]) d^1 *conqueruntur ... videtur;* c^5 c^9 c^{10} autem ibidem *Cur enim*, et deinde D^1 d^1 d^2 *contra Calchedonensem venisse*. Sequimur in prioribus mss D, in his F^d F^m N^3 O^1 O^2. Moxque O^1 O^2 c^1 *cognoscunt*. *Quid Eutychianus*, ac deinde c^5 c^7 c^9 c^{10} *cum auctoribus generali Ecclesiae voce* (D^5 *vocabulo*).

[18]) Hic subticetur *Eutychiano errore cum suis auctoribus damnato*. d^1 autem removet *sicut*, et mox c^5 seqq. *Ideoque fit*.

Digitized by Google

sunt, sic et[19]) qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors sit factus et poenae. Quid igitur ambagibus et nebulis ista praetexunt, ut impudentiam suam mentemque vesanam inanibus potius fabulis celare[20]) lethaliter, quam prodendo medicinaliter sanare contendant? Nihil enim nobis commune cum hominibus communionis externae. Ideo vocatur ad judicium certe quaecunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Post confessionem porro litterarum tenore[21]) depromptam cur ad judicium vocaretur Acacius, qui se confessus est Petro, quem[22]) petiit a sedis apostolicae praeceptione damnari, communione sociasse? Nec[23]) ei jam credi, externae communionis effecto, vel pro sua vel pro illorum vel pro Petri defensione jam[24]) posset, cui se prius miscuerat nefando consortio, feceratque se cum ejus causa sine dubitatione communem. Cui[25]) examinatione praemissa et legitima, si ita esset, purgatione suscepto regulariter misceretur; sed cum eodem nondum legitime discusso atque purgato communione sociatus, quam adhuc reo se miscuit, tam pro eodem non habuit loquendi fiduciam. Nam quum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede posset ferre judicium, potuit[26]) jure damnare? Simili modo, nisi (a. 495.)

---

19) O¹ O² *et Petro quia*, d² *etiam qui Petro.*

20) c⁵ seqq. *velare*, et mox O² c¹ *ad judicium certum*, d² autem *Ideo certe vocatur.*

21) De quibus scilicet in notitia epistolarum non exstantium Felicis II n. IX egimus. Mox F^d F^m *qua se confessus.*

22) D⁵ *quem repetita praeceptione damnaverat sedes apostolica.* Quinque mss. a³ F^d F^m et c¹ *quem petit* (c¹ *petiit*) *a sedis apostolicae praeceptione damnari.* D⁶ D⁹ *quem petita ... damnari.* Al. ed. (etiam d²) *quem petita sedis apostolicae praeceptione damnarat.* Mox D⁹ c¹ *se communione.* Ex superioribus scriptis constat, Acacium a Simplicio petiisse, ut Petrus damnaretur, et quum istud impetrasset, praecepti illius exsecutorem fuisse. Hinc in proxima epistola 26 n. 7 legimus, *Petrum* ab Acacio *sua exsecutione damnatum*, et in fine n. 4: *Timotheus Aelurus atque ipse Alexandrinus Petrus auctoritate tantummodo sedis apostolicae, ipso quoque Acacio vel postulante vel exsequente, probantur esse damnati.* Vide Acacii ad Simplicium epistolam 8 n. 2 et Simplicii ad ipsum Acacium epistolam 18 n. 3.

23) d¹ *Nec enim ei*, moxque omittit *vel pro illorum*, quibus verbis ii notantur, de quibus paulo ante n. 2 dictum: *Non mirum quidem, si nunc eos defendere molimur.*

24) d¹ omittit *jam*, moxque d¹ *feceratque ejus causam*, D¹ d² *feceratque secum ejus causam.* Sequimur D² N³ F^d F^m O¹ O² cc.

25) Ita O¹ O² d¹ d² c⁹ c¹⁰. D¹ F^d F^m N³, 8 mss. a³, c⁵ c⁷ *qua*, pro quo restituendum ducit a³ *quam*, hoc scilicet ad *prius* referens. Moxque O² c¹ *purgatione susceptis* et d¹ d² *tam pro eo loquendi fiduciam non habuit.*

26) In vulgatis (etiam d¹ d²) sec. N⁶ *non potuit jure quemquum damnare*, ubi maxime illud *quemquam* praeter mentem Gelasii adjectum est, nec ullo quantum scio codice fulcitur. Sequimur antiquiores mss. D¹ F^d F^m N³, a quibus hoc tantum dissident O¹ O² O³ K³ β c¹, quod *damnari* pro *damnare* habeant. Praefert D⁵ *potuit a prima jure damnari;* minus displiceret *non potuit nisi a prima jure damnari.* Ferenda autem est oratio, si interrogatio negativa ponatur, aut suppleatur *non*

Digitized by Google

(a. 495.) videbantur: nullum discrimen rerum[11]), nulla examinatio postulabatur Ecclesiae; sed prout de[12]) unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam tertiae et secundae sedis antistites. In his nulla rerum vestigatio[13]) quaerebatur, nulla facienda concilia jactabantur. Subrogabantur haeretici, nemo resultabat: sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectabantur. Non mirum quidem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam caecis[14]) mentibus secuti sunt vilitatem. Sed miramur, cur eos non pudeat in istorum damnatione de synodo non facta causari, quum sciant tot tantosque pontifices nulla synodo fuisse depulsos. In[15]) istorum rejectione de non inito concilio conqueruntur: cognoscant se, cur non et hoc in aliorum rejectione quaesiverint, accusari. Si[16]) vero in ceterorum rejectione concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum dejectione non fuit opus synodo, et fuit magnopere congreganda in praevaricatoris damnatione confessi?

3. Quid igitur restat, nisi ut dicant haereticos non fuisse? Non ergo de synodo conquerantur[17]), qui se palam communionis externae perhibent sectatores. Cur ergo eis synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Calchedonensem synodum venire cognoscunt, qua Eutychianus error cum suis auctoribus generalis Ecclesiae voce damnatus est? Nec dubium, quod, sicut[18]) in unaquaque haeresi, (quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus), omnes complices, sectatores, communicatores damnatae semel pravitatis pari sorte censentur. Ideoque sit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores secundum illius tenorem synodi nulla recenti facta pontificum congregatione damnati

---

[11]) D^5 d^1 *rei*, qui tamen mox *rerum vestigatio* retinuerunt. Utrobique sibi constant mss.; neque vero de uno tantum episcopo, sed de pluribus e suis urbibus expulsis expostulatio est.

[12]) O^1 O^2 c^1 *unicuique* et cum c^5 c^7 c^9 c^{10} *sedis antistes*.

[13]) O^2 c^1 *investigatio*, moxque D^5 *conciliabula* et c^{10} *subrogantur*.

[14]) Ita D^1 D^4 F^d F^m N^2; O^1 O^2 c^1 *a scis mentibus*, moxque c^5 c^7 c^9 c^{10} *utilitatem*, d^1 *voluntatem ... etiam cum sciant.*

[15]) c^5 c^9 c^{10} addunt *si* (c^1 *in istorum dejectionem si de*). Deinde c^1 *dejectione ... cognoscant ergo*. Orationis integritas non deerit, si pro *conqueruntur* legamus *cum queruntur*.

[16]) D^4 omittit reliqua hujus num. 2. In sequentibus D^1 O^2 c c omittunt *synodo*.

[17]) d^1 *conqueruntur ... videtur;* c^5 c^9 c^{10} autem ibidem *Cur enim*, et deinde D^1 d^1 d^2 *contra Calchedonensem venisse*. Sequimur in prioribus mss D, in his F^d F^m N^2 O^1 O^2. Moxque O^1 O^2 c^1 *cognoscunt*. *Quid Eutychianus*, ac deinde c^5 c^7 c^9 c^{10} *cum auctoribus generali Ecclesiae voce* (D^5 *vocabulo*).

[18]) Hic subticetur *Eutychiano errore cum suis auctoribus damnato*. d^1 autem removet *sicut*, et mox c^5 seqq. *Ideoque fit*.

Digitized by Google

sunt, sic et[19]) qui Petro communicavit Acacius, ut criminis parti- (a. 495.)
ceps, ita consors sit factus et poenae. Quid igitur ambagibus et nebulis ista praetexunt, ut impudentiam suam mentemque vesanam inanibus potius fabulis celare[20]) lethaliter, quam prodendo medicinaliter sanare contendant? Nihil enim nobis commune cum hominibus communionis externae. Ideo vocatur ad judicium certe quaecunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Post confessionem porro litterarum tenore[21]) depromptam cur ad judicium vocaretur Acacius, qui se confessus est Petro, quem[22]) petiit a sedis apostolicae praeceptione damnari, communione sociasse? Nec[23]) ei jam credi, externae communionis effecto, vel pro sua vel pro illorum vel pro Petri defensione jam[24]) posset, cui se prius miscuerat nefando consortio, feceratque se cum ejus causa sine dubitatione communem. Cui[25]) examinatione praemissa et legitima, si ita esset, purgatione suscepto regulariter misceretur; sed cum eodem nondum legitime discusso atque purgato communione sociatus, quam adhuc reo se miscuit, tam pro eodem non habuit loquendi fiduciam. Nam quum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede posset ferre judicium, potuit[26]) jure damnare? Simili modo, nisi

---

[19]) O¹ O² *et Petro quia*, d² *etiam qui Petro.*

[20]) c⁵ seqq. *velare*, et mox O² c¹ *ad judicium certum*, d² autem *Ideo certe vocatur.*

[21]) De quibus scilicet in notitia epistolarum non exstantium Felicis II n. IX egimus. Mox F^d F^m *qua se confessus.*

[22]) D⁵ *quem repetita praeceptione damnaverat sedes apostolica.* Quinque mss. a³ F^d F^m et c¹ *quem petit* (c¹ *petiit*) *a sedis apostolicae praeceptione damnari.* D⁶ D⁹ *quem petita ... damnari.* Al. ed. (etiam d²) *quem petita sedis apostolicae praeceptione damnarat.* Mox D⁹ c¹ *se communione.* Ex superioribus scriptis constat, Acacium a Simplicio petiisse, ut Petrus damnaretur, et quum istud impetrasset, praecepti illius exsecutorem fuisse. Hinc in proxima epistola 26 n. 7 legimus, *Petrum* ab Acacio *sua exsecutione damnatum*, et in fine n. 4: *Timotheus Aelurus atque ipse Alexandrinus Petrus auctoritate tantummodo sedis apostolicae, ipso quoque Acacio vel postulante vel exsequente, probantur esse damnati.* Vide Acacii ad Simplicium epistolam 8 n. 2 et Simplicii ad ipsum Acacium epistolam 18 n. 3.

[23]) d¹ *Nec enim ei*, moxque omittit *vel pro illorum*, quibus verbis ii notantur, de quibus paulo ante n. 2 dictum: *Non mirum quidem, si nunc eos defendere molientur.*

[24]) d¹ omittit *jam*, moxque d¹ *feceratque ejus causam*, D¹ d² *feceratque secum ejus causam.* Sequimur D³ N³ F^d F^m O¹ O² cc.

[25]) Ita O¹ O² d¹ d² c⁹ c¹⁰. D¹ F^d F^m N³, 8 mss. a³, c⁵ c⁷ *qua*, pro quo restituendum ducit a³ *quam*, hoc scilicet ad *prius* referens. Moxque O² c¹ *purgatione suscepta* et d¹ d² *tam pro eo loquendi fiduciam non habuit.*

[26]) In vulgatis (etiam d¹ d²) sec. N⁶ *non potuit jure quemquum damnare*, ubi maxime illud *quemquam* praeter mentem Gelasii adjectum est, nec ullo quantum scio codice fulcitur. Sequimur antiquiores mss. D¹ F^d F^m N³, a quibus hoc tantum dissident O¹ O² O³ K² β c¹, quod *damnari* pro *damnare* habeant. Praefert D⁵ *potuit a prima jure damnari;* minus displiceret *non potuit nisi a prima jure damnari.* Perenda autem est oratio, si interrogatio negativa ponatur, aut suppleatur *non*

Digitized by Google

(a. 495.) asseritur? Ecce interim in his causa[40]) vestra nutat et labitur, et si haec sola sint, prorsus tota subruitur.

6. Sed adducitur[41]) adhuc aliud, quod ad cumulum vestrae convictionis accedat. Quid enim si doceatur, non solum priusquam in ejus communionem veneritis[42]), neque tantummodo quum ad ejus communionem venistis, sed etiam postea in haereticorum nihilominus eum communione durasse: nonne aut per illum apud vos communio perveniebat haeretica, aut in haereticam communionem vos ejus commercio transibatis? Docete igitur, Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri unquam communione desiisse, et non usque ad diem, quum[43]) Antiochenus Petrus in hac luce versatus est, individuum utrisque fuisse consortium. An dicturi estis, et Antiochenum Petrum fuisse correctum? Cur[44]) usque in finem se non communicasse gloriabatur Acacius? Sed quid profuit, quod illi per seipsum communicare non voluit, quum eidem per Alexandrinum Petrum sine ulla se communicare putaret invidia? Quid facimus de tot tantisque civitatibus, ex quibus catholici pontifices sunt repulsi? Si catholici subrogati sunt, cur catholici sunt rejecti[45])? Sed evidenter apparet, quia quum catholici sunt rejecti, non catholici fuerunt subrogati. Restat, ut catholicis haeretici quicunque successerint. Cur eis temere communicastis? Cur non, ut ista nova facies rerum et tanta tragoedia de pontificum successione viventium a[46]) synodo discute-

---

[40]) O^1 O^2 c^1 *causis ... labitur auctoritas et si haec sola sint, prorsus tota subruitur.* Sequimur D^4 D^6 F^d F^m N^3 d^1 d^2 c^5 seqq., nisi quod d^1 *sola sunt*, c^5 seqq. *sola fuit.*

[41]) Ita N^3 O^2 K^3; D^4 F^d F^m *adducit*, O^1 c^1 *adducite*, d^1 d^2 *adjicitur*, c^5 seqq. *est.* Moxque aliqui mss. (etiam F^d F^m) *convinctionis.*

[42]) Al. ed. *veniretis.* O^2 omittit *veneritis neque — ad ejus communionem.* Moxque aliqui mss. (etiam F^d F^m) *transiebatis*, et K^3 *descisse.*

[43]) d^1 addit *mortis*, et mox *non* (ante *fuisse consortium*), refragantibus mss. Illud *usque ad diem quum* elegantius uno verbo *quamdiu* redderetur. Ex hoc alterove Gelasii loco Henricus Valesius in Evagr. h. e. III, 23 observat, falli Theophanem et Cedrenum, qui Petrum Fullonem post Petrum Mongum e vivis abiisse scribunt. Fullonis mortem Victor Tunonensis ad annum 488 refert. De Acacio autem cum Petro Mongo, atque hujus cum Petro Fullone communione legendus Evagrius h. e. III, 16.

[44]) D^6 D^9 c^5 seqq. *cui usque*, D^1 D^4 F^d F^m N^3 d^2 *cur usque*, d^1 *cur ergo ei usque*, O^1 O^2 c^1 *cur isti usque.* Moxque c^{10} *quod profuit.* Cum Petro Antiocheno ut publice communicaret, Acacius Zenone etiam jubente adduci non potuit. Quocirca Gelasius in epistola superiore n. 8 ait: *Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem;* et num. 13: *Ipsi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fecerit, communicare videretur, non commodavit assensum.*

[45]) d^1 *ejecti* utrobique; mox c^5 seqq. *sunt subrogati*, moxque d^1 d^2 *restat ergo*, O^1 X^1 *restat igitur*, F^d F^m N^3 O^2 c^1 c^5 seqq. *restat ut*, ac deinde O^1 O^2 X^1 c^1 *at catholici non sint sed haeretici, quicunque successerunt.* Vide epist. 26 n. 8, 12 et 13.

[46]) D^9 omittit *a.* Mox O^1 O^2 K^3 c^1 *dolent.* Elegantius ceteri, *dolet* im-

Digitized by Google

retur, egistis? An de uno dolet Acacio, quod speciali synodo non (a. 495.)
fuerit confutatus, quum proprium crimen suis litteris ipse detexerit, nec audiri debuerit jam sponte confessus; et de tantis pontificibus catholicis non dolet sine ulla discussione seclusis? Qui utique, si catholicos nossent eos, quorum communionem vitaverant, his potius communicare maluissent, quam non communicantes eis dura persecutione depelli.

7. Ecce tanti catholici sacerdotes hoc ipso se indicant, quid apostolica sedes censuerit, cognovisse constanterque probasse retinendum, quo[47]) communionem catholicam reservantes, et eos, qui apostolicae sedi communicarent, elegere consortes, et illos, quibus sedes apostolica minime[48]) communicaret, usque ad persecutionis incursus renuere consortes. Certe quae sedes apostolica decreverat, Orientalibus episcopis non innotuisse jactatur. Unde ergo tot tantique pontifices unum idemque cum sede apostolica sentientes eamque probantes apta religioni sacrosanctae veraque sanxisse, quae non solum sequenda sibi judicaverint[49]) sed etiam usque ad persecutionem viriliter exserenda? Ecce habuistis, qui apostolicae constitutionis et notitiam vobis ingererent, et retinendi constantiam ministrarent. Si apostolica sedes misisset, vix duos aut tres dirigere potuerat. Ecce tot pontifices, apostolicae sedis scita sectantes, ingerunt vobis notitiam et praebent servandae veritatis exempla. Qui contra tantos clausistis oculos ibidem constitutos, quomodo duos vel tres audire possetis? Hoc ipso sine dubio cognovistis illos apostolicae sedi placere, quo[50]) vos displicere videbatis. Aut illos ergo sectamini, per quos intelligebatis sedis apostolicae voluntatem, aut nihil est, quod de ignorantia velitis obtendere, quum indiciis tantis et talibus abutentes, sedis apostolicae constituta tantis testimoniis praedicantibus respuere potius quam recipere maluistis.

8. Numquid omnes isti, quos memoravimus, episcopi imperatori mentiti sunt? Numquid omnes imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt[51])? Quum igitur pellerentur, et vivis pontificibus catholicis

---

personaliter, quomodo dicitur *pudet*, *piget* etc. Alioquin dicendum fuisset *doletis*.

[47]) c[5] seqq. *quod*, O[1] O[2] c[1] *qui*, mss. D d[2] *quo*.

[48]) Ita mss. D F[d] F[m] N[3] O[1]; D[4] β c[5] seqq. *decreverat minime communicare*, et mox d[1] d[2] *non tenuere*, F[d] F[m] N[3] O[1] D[3] et alii 4 mss. a[3] *tenuere*, O[2] c[5] seqq. *renuere*. c[1] totum locum ita contrahit: *qui communionem catholicam resonantes, et eos, qui apostolicae sedi communicarent, usque ad persecutionis incursus tenuere consortes.*

[49]) O[1] O[2] c c *judicaverunt*. Moxque d[1] *persecutionem exercenda cognoverunt. Ecce habuisti.* O[1] O[2] *exsecranda*, c[1] *exercenda;* nostram lectionem praebent D[1] F[d] F[m] N[3] c[5] seqq. d[2].

[50]) Ita mss. D F[d] F[m] O[1] d[2]; O[2] *quo vobis*, c[5] seqq. *quod vos*. Moxque O[1] O[2] *aut ad nihilum quidem de ignorantia velitis*, ac deinde c[1] d[1] *judiciis*, O[1] *inductis*.

[51]) Hoc est: *numquid omnes iis erant obnoxii criminibus, quibus Johannes et Ca-*

Digitized by Google

(a. 495.) noveratis eos cum apostolica sede sentire; et quid sedes apostolica sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat Orientales antistites nullatenus ignorasse, et[65]) per illos catholicae atque apostolicae communioni prodidisse contrarios et ab eadem defecisse, quum non illis estis passione conjuncti, sed potius persecutoribus eorum societate connexi. Hic vobis synodus nunquam venit in mentem, et certe de personis, ut dictum est, nulla veteris[66]) lege constrictis. Hic nullo concilio[67]), non unius urbis vel unius episcopi sed totius Orientis Ecclesiam subiit animum vestrum facto sacerdotali concilio debere curari. Sed homines, qui in contrariam partem toto proposito et toto recideratis[68]) affectu, concilia potius necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid censeretur, quo vobis rebus evidenter ostensis et legitime confutatis in haereticorum non liceret venire consortium.

10. Quid igitur de ignorantia praetenditis, quum per totum Orientem catholicam fidem communionemque sinceram sedi apostolicae congruentem non solum cognovisse tot pontifices videbatis, sed[69]) etiam usque ad extremum constantissime defendisse? Si nos non audieratis, quid de fide et communione catholica atque apostolica censeremus, illos adspicere debuistis, et aut sequi, si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credeba-

hil est memoria lapsus. Inde enim ipse non *Johannis* sed *Petri Paulique* nomina removerat, et hoc quidem renitentibus mss. Is porro Johannes primum Apamenae ac deinde Tyriae, Paulus Ephesinae ecclesiae praefectus fuerat, ut ex Simplicii epistola 7 n. 3 et Gelasii tract. I n. 12 comperimus.

65) c^5 seqq. *et vos catholicae*, mss. D F^d F^m N^3 O^1 O^2 *et per illos*, a^3 sec. suos codices *ac per hoc vos* legisse videtur. Mox D^4 c^5 seqq. a^3 d^2 *prodidisse;* N^3 D^6 D^9 F^m O^1 O^2 *prodisse*, unde c^1 d^1 *prodiisse*; F^d *prodere*. Deinde d^1 *connexis*.

66) c^1 c^5 seqq. d^2 *veteri*, D^4 F^d F^m N^3 O^1 et mss. a^3 *veteris* subaudita voce *synodi*. d^1 *veteris offensae lege*, nulla mss. auctoritate suffultus. Hic vero *vetus* non antiquitatem sed simpliciter, quod praeteritum atque anteactum est, sonat. Nostrae lectioni lucem confert, quod in epistola superiori n. 13 et 14 disseritur ac praesertim illud: *non tamquam nova synodus contra veterem primamque convenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti etc.* Hic porro de iis episcopis agitur, qui superius n. 8 dicti sunt dignitatibus suis privati *ex nulla veteri causa, ut tamquam ex praeterita definitione judicarentur obstricti.*

67) In mss. et d^2 *concilio*, c^5 seqq. a^3 *consilio*. Quae mutatio etsi ferri potest, quippe utriusque verbi permutatio apud librarios usitatissima, tamen nihil orationis facilitati medetur. Anacoluthia autem apud pontificem occupatissimum et alias saepius occurrit. Mox D^1 *non unius episcopi*, deinde c^5 seqq. *ecclesiae*. D^4 *ecclesia*.

68) c^5 seqq. d^2 *recesseratis*, plerique mss. (etiam F^d F^m) *recederatis*, verius O^1 O^2 K^3 c^1 d^1 (O^3 D^9 secundis curis) *recideratis*. Habemus infra n. 12 *omnes pontifices Orientales ... in haec recidere contagia*. Ita et in epistola superiore n. 14 legimus Acacium *in communionem recidisse perfidiae*. Idemque hujus verbi usus saepe in his epistolis recurrit.

69) F^d F^m omitt. *sed*. Mox O^2 c^1 *Si vos*.

Digitized by Google

tis errasse quid[70]) illos, vel suo proposito illam tenuisse sententiam, (a. 495.) agnoscendo[71]) quid sedes apostolica definiret. Aut igitur collegas et fratres de proximo in conspectu vestro vel catholicos sequi debuistis, vel impetere si credebatis errare, nec illis, a quibus nullo discrimine vexabantur, praebere consensum; donec veritas ex omnibus patefacta constaret, et regulariter de eis ecclesiastici judicii forma procederet. Sin[72]) vero sedis apostolicae regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam, consequenter per illos, et quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum, et illorum persecutoribus adnuendo a sedis vos apostolicae, non ignorantes ejus sententiam, consortio retraxistis. Et adhuc dicitis ignorasse vos, quid sedes apostolica censuisset, quum ab[73]) illis sacerdotibus catholica fide et communione pollentibus non verbis aut litteris, sed personis praesentibus didiceritis universa, et ab eadem vos proprio judicio separasse videamini[74])? Et adhuc dicitis, synodum in unius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quaesistis? Quibus autem vultis, ut de talium causarum relatione credamus? Catholicis an haereticis? Ab omni haereticorum contagione discretis, an haereticorum communione pollutis? Quis autem non videat, illos esse catholicos et ab omni haeretica peste prorsus alienos, qui propriis urbibus detrusi et in exsilium sunt redacti; et eos, qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed aut Eutychianos manifestos, aut eorum sectatoribus communicantes?

11. Haec pestis[75]) apud eos hodieque perdurat. Siquidem et cum Petro Alexandrino et cum Antiocheno Petro indifferenter ii,

---

[70]) D^1 N^3 O^1 O^2 *Quid illos vel*, unde d^1 *Quid illos dicitis vel*, D^4 D^7 c^5 seqq. d^2 *Quid illos juvat vel*. Neutra lectio interpolationis suspicione vacat, immo Gelasii mentem neutra exprimit. Unde lectionem F^d F^m O^1 arripientes, cui fere in omnibus favent D^1 N^3 O^2 c^1, speramus satis nos sensum et verba auctoris assecutos esse. Similiter a^3 resarciendum suasit: *errasse quidem illos vel suo proposito illam tenuisse sententiam, aut cognoscendo, quid sedes apostolica definiret.*

[71]) Ita O^1. F^d F^m N^1 O^2 d^2 *an agnoscendo* (F^d N^3 *cognoscendo*), D^5 D^7 c^1 c^5 seqq. *aut cognoscendo.*

[72]) d^2 *si vero.* Moxque c^5 seqq. *retrocessistis* omisso antea *vos.*

[73]) In F^d F^m O^2 c^1 deest *ab.* Moxque O^3 *volentibus*, alii codices (D^1 D^4 F^d F^m N^3 O^1 mss. a^3 c^1) *nolentibus*, c^5 seqq. d^2 correxerunt *pollentibus*, D^5 d^1 a^3 *catholicam fidem et communionem colentibus.*

[74]) In mss. D^1 D^6 D^9 F^d F^m N^3 O^1 hic repetuntur verba superioris epistolae secundum brevius exemplum n. 14: *Ecce agnoverunt in eorum professione etc.* usque *neque nisi resipiscentes poterunt prorsus absolvi.* Hoc fragmentum autem hic cum c^1 c^5 seqq. d^1 d^2 a^3 omittimus, quia deest in mss. O^2 D^5 c^1 c^5, et quia praecedentia ac sequentia personae secundae *et adhuc dicitis* cum hoc additamento personae tertiae *Ecce agnoverunt* non videntur congruere. Porro c^5 seqq. *dicitis etiam*, D^4 *dicitis etiam adhuc.*

[75]) d^1 addit *enim.* Mox O^2 *commixtione permixti.*

Digitized by Google

(a. 495.) noveratis eos cum apostolica sede sentire; et quid sedes apostolica sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat Orientales antistites nullatenus ignorasse, et[65]) per illos catholicae atque apostolicae communioni prodidisse contrarios et ab eadem defecisse, quum non illis estis passione conjuncti, sed potius persecutoribus eorum societate connexi. Hic vobis synodus nunquam venit in mentem, et certe de personis, ut dictum est, nulla veteris[66]) lege constrictis. Hic nullo concilio[67]), non unius urbis vel unius episcopi sed totius Orientis Ecclesiam subiit animum vestrum facto sacerdotali concilio debere curari. Sed homines, qui in contrariam partem toto proposito et toto recideratis[68]) affectu, concilia potius necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid censeretur, quo vobis rebus evidenter ostensis et legitime confutatis in haereticorum non liceret venire consortium.

10. Quid igitur de ignorantia praetenditis, quum per totum Orientem catholicam fidem communionemque sinceram sedi apostolicae congruentem non solum cognovisse tot pontifices videbatis, sed[69]) etiam usque ad extremum constantissime defendisse? Si nos non audieratis, quid de fide et communione catholica atque apostolica censeremus, illos adspicere debuistis, et aut sequi, si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credeba-

hil est memoria lapsus. Inde enim ipse non *Johannis* sed *Petri Paulique* nomina removerat, et hoc quidem renitentibus mss. Is porro Johannes primum Apamenae ac deinde Tyriae, Paulus Ephesinae ecclesiae praefectus fuerat, ut ex Simplicii epistola 7 n. 3 et Gelasii tract. I n. 12 comperimus.

65) c^5 seqq. *et vos catholicae*, mss. D F^d F^m N^3 O^1 O^2 *et per illos*, a^3 sec. suos codices *ac per hoc vos* legisse videtur. Mox D^4 c^5 seqq. a^3 d^2 *prodidisse*; N^3 D^6 D^9 F^m O^1 O^2 *prodisse*, unde c^1 d^1 *prodiisse*; F^d *prodere*. Deinde d^1 *connexis*.

66) c^1 c^5 seqq. d^2 *veteri*, D^4 F^d F^m N^3 O^1 et mss. a^3 *veteris* subaudita voce *synodi*. d^1 *veteris offensae lege*, nulla mss. auctoritate suffultus. Hic vero *vetus* non antiquitatem sed simpliciter, quod praeteritum atque anteactum est, sonat. Nostrae lectioni lucem confert, quod in epistola superiori n. 13 et 14 disseritur ac praesertim illud: *non tamquam nova synodus contra veterem primamque convenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti etc.* Hic porro de iis episcopis agitur, qui superius n. 8 dicti sunt dignitatibus suis privati *ex nulla veteri causa, ut tamquam ex praeterita definitione judicarentur obstricti.*

67) In mss. et d^2 *concilio*, c^5 seqq. a^3 *consilio*. Quae mutatio etsi ferri potest, quippe utriusque verbi permutatio apud librarios usitatissima, tamen nihil orationis facilitati medetur. Anacoluthia autem apud pontificem occupatissimum et alias saepius occurrit. Mox D^1 *non unius episcopi*, deinde c^5 seqq. *ecclesias*. D^4 *ecclesia*.

68) c^5 seqq. d^2 *recesseratis*, plerique mss. (etiam F^d F^m) *recederatis*, verius O^1 O^2 K^3 c^1 d^1 (O^3 D^9 secundis curis) *recideratis*. Habemus infra n. 12 *omnes pontifices Orientales ... in haec recidere contagia*. Ita et in epistola superiore n. 14 legimus Acacium *in communionem recidisse perfidiae*. Idemque hujus verbi usus saepe in his epistolis recurrit.

69) F^d F^m omitt. *sed*. Mox O^2 c^1 *Si vos*.

Digitized by Google

tis errasse quid[70]) illos, vel suo proposito illam tenuisse sententiam, (a. 495.) agnoscendo[71]) quid sedes apostolica definiret. Aut igitur collegas et fratres de proximo in conspectu vestro vel catholicos sequi debuistis, vel impetere si credebatis errare, nec illis, a quibus nullo discrimine vexabantur, praebere consensum; donec veritas ex omnibus patefacta constaret, et regulariter de eis ecclesiastici judicii forma procederet. Sin[72]) vero sedis apostolicae regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam, consequenter per illos, et quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum, et illorum persecutoribus adnuendo a sedis vos apostolicae, non ignorantes ejus sententiam, consortio retraxistis. Et adhuc dicitis ignorasse vos, quid sedes apostolica censuisset, quum ab[73]) illis sacerdotibus catholica fide et communione pollentibus non verbis aut litteris, sed personis praesentibus didiceritis universa, et ab eadem vos proprio judicio separasse videamini[74])? Et adhuc dicitis, synodum in unius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quaesistis? Quibus autem vultis, ut de talium causarum relatione credamus? Catholicis an haereticis? Ab omni haereticorum contagione discretis, an haereticorum communione pollutis? Quis autem non videat, illos esse catholicos et ab omni haeretica peste prorsus alienos, qui propriis urbibus detrusi et in exsilium sunt redacti; et eos, qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed aut Eutychianos manifestos, aut eorum sectatoribus communicantes?

11. Haec pestis[75]) apud eos hodieque perdurat. Siquidem et cum Petro Alexandrino et cum Antiocheno Petro indifferenter ii,

---

[70]) D^1 N^3 O^1 O^2 *Quid illos vel*, unde d^1 *Quid illos dicitis vel*, D^4 D^7 c^5 seqq. d^2 *Quid illos juvat vel.* Neutra lectio interpolationis suspicione vacat, immo Gelasii mentem neutra exprimit. Unde lectionem F^d F^m O^1 arripientes, cui fere in omnibus favent D^1 N^3 O^2 c^1, speramus satis nos sensum et verba auctoris assecutos esse. Similiter a^3 resarciendum suasit: *errasse quidem illos vel suo proposito illam tenuisse sententiam, aut cognoscendo, quid sedes apostolica definiret.*

[71]) Ita O^1. F^d F^m N^3 O^2 d^2 *an agnoscendo* (F^d N^3 *cognoscendo*), D^5 D^7 c^1 c^5 seqq. *aut cognoscendo.*

[72]) d^2 *si vero.* Moxque c^5 seqq. *retrocessistis* omisso antea *vos.*

[73]) In F^d F^m O^2 c^1 deest *ab.* Moxque O^3 *volentibus*, alii codices (D^1 D^4 F^d F^m N^3 O^1 mss. a^3 c^1) *nolentibus*, c^5 seqq. d^2 correxerunt *pollentibus*, D^5 d^1 a^3 *catholicam fidem et communionem colentibus.*

[74]) In mss. D^1 D^6 D^9 F^d F^m N^3 O^1 hic repetuntur verba superioris epistolae secundum brevius exemplum n. 14: *Ecce agnoverunt in eorum professione etc.* usque *neque nisi resipiscentes poterunt prorsus absolvi.* Hoc fragmentum autem hic cum c^1 c^5 seqq. d^1 d^2 a^3 omittimus, quia deest in mss. O^2 D^5 c^1 c^5, et quia praecedentia ac sequentia personae secundae *et adhuc dicitis* cum hoc additamento personae tertiae *Ecce agnoverunt* non videntur congruere. Porro c^5 seqq. *dicitis etiam*, D^4 *dicitis etiam adhuc.*

[75]) d^1 addit *enim.* Mox O^2 *commixtione permixti.*

Digitized by Google

(a. 495.) qui catholicis successerant, communione permixti sunt, et successoribus utriusque Petri hodieque miscentur. His adde etiam illos, qui, licet catholicis[76]) non successerint, sed dum catholici pontifices haberentur, talium se communioni junxerunt. Haec illa mixtura, haec est illa confusio, qua per Orientem totum inter catholicam haereticamque communionem nulla discretio est: immo qui discerni[77]) tentaverit, potius habetur haereticus, persecutione percellitur, exsiliis et afflictione multatur. Restat ergo, ut in hac colluvione cunctorum, sicut quisquis ab eadem separatus est, sincerae communionis et ideo catholicus comprobatur; ita quisquis illius detestandi commercii particeps invenietur, quantum a sincera communione, tantum a catholica atque apostolica sit remotus. Nec praetendat quisquam, quod alicui forsitan evidentiori non communicasset[78]) vel communicare videatur haeretico. Quid enim juvat, si illi non communicet, et his tamen communione jungatur[79]), qui ab illius non sunt communione diversi? Quodsi eorum nulli communicavit vel omnino non communicat hic erit ille sincerae, catholicae apostolicaeque communionis et fidei; alioquin nullo modo poterit indiscretae illius mixtionis insincerum vitare contagium. Hoc modo etiam ille vir bonus Acacius Antiocheno Petro, cui se palam non communicare jactabat, per alios sine ambiguo communicasse detegitur. Neque enim ab omnium, qui Antiocheno Petro communicabant, semet Acacius communione suspendit. Ac per hoc quid profuit, quod videri volebat illi palam non communicare, cui per suos complices subsicivae[80]) communionis nectebatur? Alexandrino Petro communicavit Acacius; sed donec advixit Antiochenus Petrus, qui utique post Acacianum cum Petro Alexandrino foedus initum defunctus ostenditur, nunquam Antiocheno Petro Alexandrinus Petrus communicare desiit.

12. Quod catholicorum continet relatio sacerdotum ceterorumque in catholica fide[81]) durantium, nec conscientiam latere potest totius Orientis. Et ut taceam, quod per ipsum Zenonem imperatorem, qui utique Antiocheno Petro, quem introduxerat et cujus sacerdotium comprobaverat, sine dubio communione[82]) permixtus,

[76]) Supple *expulsis*. Deinde d[1] d[2] *tamen tum*, ubi D[1] N[3] O[1] c[5] seqq. *sed dum*, O[2] c[1] *sed cum* et c[5] seqq. *communione*.

[77]) D[5] d[1] *discernere*. Rectius ceteris in libris *discerni* scil. ab haeretica communione. Moxque iidem *pellitur* pro *percellitur*.

[78]) Ita D[1] F[d] F[m] N[3] c[5] seqq.; at d[2] *communicasse*.

[79]) c[5] seqq. *jungitur* et mox *non omnino*.

[80]) F[d] F[m] *subsive*, O[2] c[1] *sub signo communionis*. Moxque O[2] *Alexandrino Petro non communicavit Acacius*.

[81]) c[5] seqq. omittunt *fide*, quod habent omnes mss. c[1] d[1] d[2].

[82]) Solus d[1] *commixtus* omisso *communione*.

Digitized by Google

communicabat Acacius, plurimos diversarum urbium praesules pos- (a. 495.)
sumus demonstrare, quibus cum Antiocheno Petro communicantibus nihilominus communicabat Acacius, et per illos Antiocheno communicabat consequenter et Petro. Sed haec apud Graecos facilis et inculpabilis putatur esse permixtio, apud quos nulla est veri falsique discretio; et quum omnibus reprobis volunt esse communes, in nulla monstrantur probitate constare. Hic autem ille est Petrus Antiochenus, quem nec per poenitentiam ad communionem catholicam recipi etiam a sede apostolica poposcit Acacius. Ac per hoc quid[83]) queruntur a nobis Acacium fuisse damnatum, quum hac professione praemissa et per[84]) anfractus Antiocheni Petri recepta communione, se doceatur ipse damnasse? Ubi tamen non solum reus tenetur Acacius, sed omnes pontifices Orientis, qui pari modo in haec recidere[85]) contagia meritoque simili damnatione tenentur obstricti, nec inde possunt ullatenus expediri, nisi dum supersunt a talibus abstinendo. Nec nos oportet in talibus causis nisi illis credere, qui aut omnino se sciunt ab hujus perfidiae nexibus divino beneficio servare discretos, aut his, qui a perfidorum consortio recesserunt. Nam in perfidorum contagio constitutis quam fidem pro sincerae communionis testificatione possumus adhibere, qui in[86]) insincera communione sunt positi? Nec eorum testimoniis niti[87]) pro veritate poterimus, qui impugnare nituntur falsitatibus veritatem. Restat, ut non nisi illis credere debeamus, qui ab omni contagione sunt liberi.

Epistola 28.

Gelasii papae ad episcopos Dardaniae. (a. 495.)

p. 39. *Ut secundum veterem consuetudinem statui episcopos a suo metropolitano et metropolitanum a suis episcopis curent.*

Gelasius universis per Dardaniam constitutis.

Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum jura turbare[1]), ac privilegia, quae metropolitanis vel provincialibus

---

[83]) Ita D^6 D^7 D^9 F^d F^m N^3 O^2 d^1 d^2; O^1 c^5 seqq. omittunt *quid;* c^1 *quod.*

[84]) Ita N^3 D^4 F^d F^m O^1 O^2 c^1 c^5 seqq. d^2, nisi quod c^5 seqq. *per infectos*, O^1 *Antiocheno Petro.* Deinde d^1 *se doceatur eo recepto a communione ipse damnasse.*

[85]) c^5 seqq. *cecidere.* Moxque D^1 F^d F^m N^3 O^1 *teneantur ... possint* (*possint* etiam c^5 seqq.).

[86]) Ita F^d F^m N^3 O^2 D^6 (secunda manu), D^4 *qui sincera*, O^1 c^1 c^5 seqq. *qui in sincera;* d^1 d^2 *qui in non sincera;* moxque c^5 seqq. *polluti* (pro *positi*).

[87]) O^1 O^2 c^1 *inniti*, moxque c^5 seqq. *non verentur* (loco *nituntur*).

[1]) His verbis maxime notantur Constantinopolitani antistites, seu, ut loquitur Gelasius epist. 26 n. 15, *qui videntur ecclesiis Orientalibus nunc praeesse, quique propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt unitatem, quia occasionem dissensionis hujus suis ambitionibus suffragantem deponere jam recusant, quia*

Digitized by Google

(a. 495.) episcopis decrevit antiquitas, temeraria praesumptione pervadere, propter quod etiam communionis apostolicae desiderant discidium[2]) tenere, quo scilicet ab ejus auctoritate divisi, velut impunes proprias usurpationes exerceant, non respicientes, quia aeterno Judici rationem tam de catholicae sinceritatis injuria[3]), quam de traditionum praejudiciis paternarum non sine perpetuae sint damnationis interitu reddituri, si in hac obstinatione permanserint: caritatem vestram duximus instruendam, ut vos omnes in commune fratres, sive per Dardaniam sive per quamque contiguam provinciam constituti, qui vos sub metropolitanis vestris esse meministis, et ab eisdem substitui decedentes[4]), sicut vetus consuetudo deposcit, unanimiter statuatis antistites; et vicissim si metropolitanus humanae conditionis forte decesserit, a comprovincialibus episcopis, sicut forma transmisit[5]), sacrari modis omnibus censeatis; nec quemquam sibi, quod[6]) vobis antiqua dispositione concessum est, patiamini vindicare: quatenus et inter ipsas adversantium voluntatum procellas veterum regulas nullatenus custodire cessetis, sicut persecutionum tempore diversarum patres nostros constanter fecisse non dubium est.

Epistola 29.

(a. 495.) **Gelasii papae ad Natalem.**

Prior epistola de pari scripta. p. 39.

Gelasius Natali episcopo[1]).

Quia per ambitiones *et reliqua* (*ut in antecedenti epistola usque ad*

---

sine auctoritate sedis apostolicae omnium ecclesiarum passim jura confundunt, magis eligentes in errore persistere, quam praesumptionum suarum perdere facultatem.

[2]) Ita Q^1; c^{10} *dissidium*, moxque *vel impunes*.

[3]) Orientales *catholicae sinceritatis* violatae arguit, quia quamvis integram profiterentur fidem, vel cum haereticis tamen communicabant, vel ab eorum, qui cum his communicaverant, consortio discedere renuebant. *In quo necesse est*, inquit epist. 26 n. 15, *velint, nolint, tam de fidei communionisque catholicae sinceritate neglecta ... recipiant quod merentur.* Hinc et ibid. n. 14 et epist. 18 n. 6 apostolicam sedem *sincerae communionis* vindicem praedicat.

[4]) Hoc est *qui decedentium vicem suppleant.* Apud Z c^{10} autem *decernentes* male praeferri, liquet ex sequenti *decesserit*, sicut ex epistola sequenti, in qua hujus verbi loco legere est *obeuntes*.

[5]) Supple *traditionis antiquae*, quae duo verba adjuncta leguntur in his epist. 18 n. 4: *Secundum formam traditionis antiquae tenere nos consonam ubique noveritis sententiam;* vel simpliciter *vetus*, ut in epistola sequente. Veterem illam formam etiam postea renovari curavit Aurelianense II concilium can. 7, ubi istud constituit: *In ordinandis metropolitanis episcopis antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amissam. Itaque metropolitanus episcopus a comprovincialibus episcopis, clericis vel populis electus, congregatis in unum comprovincialibus episcopis ordinetur.*

[6]) c^{10} *quam.*

[1]) Q^1 *presbytero.*

Digitized by Google

verba:) caritatem tuam duximus instruendam, nos pariter ad metropo- (a. 495.)
litanos vestrae provinciae sive cujusque[2]) contiguae, quae catholicam servant unitatem, magnopere delegasse, ut obeuntes[3]) episcopos in eadem regione metropolitanus suus debeat ordinare; eumdemque ipsum metropolitanum, si humana morte transierit, non nisi comprovinciales episcopi juxta formam veterem studeant ordinare: quatenus quae iisdem[4]) veneranda decrevit antiquitas, nullus sibimet contra fas usurpare contendat.

Epistola 30

a. 495 d. 13 Mart.

seu

Exemplar gestorum de absolutione Miseni Flavio Viatore viro clarissimo consule sub III Iduum Majarum in basilica beati Petri.

39. *Misenus libello duplici praevaricationis suae veniam petens et haereses omnes detestans, a Gelasio, postquam latam in eum sententiam non insolubilem fuisse ostendit, approbante synodo communioni Ecclesiae et honori suo restituitur.*

1. Residente in synodo venerabili viro papa Gelasio una cum Bonifacio, Maximino; Epiphanio, Basilio, Vitali, Claro, Irenaeo, Decio, Asello, Euplo, Valentino, Martiniano, Basso, Benigno, Primitivo, Palladio, Vindemio, Constantio, Martyrio, Candido, Laurentio, Deodato, Mercurio, Stephano, Dulcitio, Fortunato, Paschasio, Sanctulo, Innocentio, Chrysogono, Colonico, Molensi, Maximiano, Valentino, Constantio, Gaudentio, Felice, Vitaliano, Petro, Sereno, Aucupio, Timotheo, Stephano, Laurentio et Probo episcopis, residentibus etiam Castino, Laurentio, Canusio, Eugenio, Januario, Marciano, Gordiano, Petro, Urbico, Paulino, Valente, Petro, Asterio, Smaragdo, Bonifacio, Maxentio, Epiphanio, Justino, Felice, Redempto, Projectitio[1]), Callisto, Johanne, Valentino, Sebastiano, Martino, Epiphanio, Andrea, Servodei, Apellione[2]), Petro, Servando, Agapito, Abundantio, Marcellino, Litorio, Laurentio, Agathone, Sebastiano, Valentino, Anastasio, Genesio, Dionysio, Epiphanio, Acontio, Paulino, Agapito, Adeodato, Benedicto, Dominico, Redempto, Severo, Juliano, Stephano, Crescentiano, Septimino, Cypriano et Epiphanio presbyteris, una cum Amandiano viro illustri et Diogeniano viro spectabili, adstantibus quoque diaconibus, Gelasius episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: „Meminit dilectio vestra,

---

[2]) a[2] c[10] *cujusquam.*

[3]) seu *obeuntibus succedentes.*

[4]) Ita Q[2]. a[2] c[10] omittit *iisdem.*

[1]) G[1] a[1] *Protectitio.* Romanae synodo anno 499 habitae subscribit *Projectitius presbyter tituli s. Laurentii in Damaso.*

[2]) Ita G[1] a[1]. *Opilio presbyter tituli Vestinae* mox dicto concilio subscribit. — Mox G[1] *Crescentiono* ac deinde *contineant qui aliud.*

Digitized by Google

a. 495. superiore conventu oblatum nobis a Miseno libellum in conspectu vestro fuisse recitatum: hunc eumdem, si placet dilectioni vestrae, denuo recensendum, ut acta nostra contineant. Et quia aliud se quoque petitorium prae manibus habere profitetur, quid etiam in hoc contineatur, possimus agnoscere." Et adjecit: „Miseni libellus denuo recitetur."

2. Anastasius diaconus recitavit: „Datum a famulo vestro Miseno die octavo Jduum Martiarum, Viatore v. c. consule. Quantum ad meae pertinet infelicitatis abruptum[3]), errori meo qualibet ratione contracto definio non esse parcendum: quoniam hoc ipso poena carere non debeo, quod merui ad causam poenalem quacunque[4]) sorte perduci. Quantum vero respicit[5]) ad remediale subsidium, duo sunt, quae me ad hoc suppliciter implorandum venire constringunt: ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici Judae praevaricatoris exemplo, et quia tanta est ineffabilis illa clementia, quae apostolica potestate universum facinus possit absolvere. Hanc igitur solam in meo negotio, papa venerabilis, vocem miserandus effundo: *parce prostrato, porrige manum jacenti!* Nullis ignorantiae excusationibus nitor, nullas decipulas circumventionis obtendo, nec in quemquam calamitatis meae studeo transferre discrimen[6]), quia alios incusare non debeo, qui poscam clementer absolvi: quia licet mihi pro mea defensione nihil afferam, non ambigam tamen haec omnia tuo judicio esse tractanda. Tantum quaeso, ut superno[7]) Numini obsequentes, quod pronuntiat per prophetam:
Ezech. 18,32. *Nolo mortem morientis, donec revertatur et vivat,* vos potius cuncta, quae in[8]) persona mea gesta sunt, benigna consideratione librantes,

---

[3]) b[1] ad marg. *obtutum.* Jam apud Leonem epistola 15 cap. 3 legimus *in magnae tendunt impietatis abruptum.* Eamdem locutionem Gelasio familiarem fuisse, probat vel unus illius tractatus V, in quo et num. 12 occurrit *caveatque, ne incidat in mortiferae praecipitationis abruptum*, et n. 24 *ipse videat suae temeritatis abruptum.*

[4]) Ut infra N[6] *quacunque sorte*, cui favet G[1] *quacunque forte*, a[1] b[2] *quecunque foret.* Duplici poena Misenus multatus fuerat: a sacerdotali dignitate et a communione suspensus. Hanc sibi relaxari conceptis verbis rogat, ad illam quoad vixerit ferendam paratus videtur.

[5]) Ita hic ut infra G[1] a[1]; N[6] b[1] c[7] seqq. hic *pertinet*, infra *respicit.* Deinde G[1] *et quanta est ineffabilis.*

[6]) Ex G[1] N[6] hic revocatum est *quia alios incusare non debeo, qui poscam clementer absolvi*, quod deerat in alio Vatic. Mox G[1] *quia licet pro.* — Etiamsi Misenus omnem excusandae culpae curam dimittere se profitetur, mox tamen se circumventum per imperitiam peccasse, ideoque socio sublato veniae reservatum esse non tacet.

[7]) G[1] a[1] *ut supernam misericordiam subsequentes, quae*, non alio sensu.

[8]) Ita N[6]. G[1] a[1] *in personam meam gesta sint ... deliberantes viaticum senia negritudine et continua maceratione consumpto, ne sine ecclesiastico munere rapiar* et mox *fortitudinis intuentes* ubi alii *formidinis intuens.* Misenus non ambit mu-

Digitized by Google

viaticum seni aegritudine continua et maceratione consumpto, ne a. 495.
sine ecclesiastica communione rapiar, non negetis, ex alterius casu experimentum meae formidinis intuentes, qui auxilium, etiam vobis conferre volentibus, non potuit indipisci. Et me per imperitiam hac clade potius implicatum, hoc[9]) ipsum dignanter ostendit, quod ad receptionis ecclesiasticae superstes gratiam valui pervenire."

3. Quo lecto Gelasius episcopus dixit: „Petitorium gesta retinebunt." Et adjecit: „Ipse nunc Misenus adveniat, et petitorium quod obtulit, ipso praesente, recitetur." Quumque ingressus fuisset Misenus, prostratus in terram aliud petitorium obtulit, et rogavit ut susciperetur. Quumque susceptum fuisset, Gelasius episcopus dixit: „Utraque petitoria, quae obtulit, ipso quoque praesente legantur."

4. Iterum Anastasius diaconus recitavit: „Datum a famulo vestro Miseno sub VIII Iduum Martiarum, Flavio Viatore viro clarissimo consule.

Quantum ad meae pertinet infelicitatis abruptum, errori meo qualibet ratione contracto definio non esse parcendum: quoniam hoc ipso poena carere non debeo, quoniam merui ad poenalem causam quacunque sorte perduci. Quantum vero respicit ad remediale subsidium, duo sunt, quae me ad hoc suppliciter implorandum venire constringunt: ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici Judae praevaricatoris exemplo", *et cetera quae superius continentur.*

5. Item aliud petitorium recitat. „Datum a famulo vestro Miseno sub die tertio[10]) Iduum Martiarum, Flavio Viatore viro clarissimo consule. Oblato primitus petitorio meo nihil aliud suppliciter exoravi, quam ut misericordia mihi sedis apostolicae non in perpetuum negaretur. Cujus mihi spem quoniam pro immensa Dei pietate, qua regitur, relucere jam sentio, magis magisque conscientiam meam contagiis perfidorum, quae infeliciter potius quam studio circumventus incideram, liberam purgatamque esse pronuntians, toto corde atque ore protestor sub divinae contemplationis intuitu: me omnes quidem haereses et quidquid inimicum est catholicae et apostolicae fidei communionique sincerae, prona mente refutare; tum

sus seu dignitatem sed communionem ecclesiasticam, ne sine viatico tam necessario ex hac vita rapiatur. Quam gratiam in fine vitae petentibus concedi voluit Cyprianus (edit. Pam.) epist. 53 et 54, Nicaeni concilii patres c. 13, Siricius epist. I cap. 3, 5 et 6, Innocentius epist. 25 n. 10, Coelestinus epist. 4 n. 3 et alii.

[9]) G[1] a[1] *hoc ipsum* (a[1] *ipso*) *dignanter ostendite.* Rectius N[6] *hoc ipsum indignanter ostendit* ceu *judicio est*, nisi quod syllaba *in* erronee a praecedente voce *ipsum* repetita. Deinde *receptionis ecclesiasticae* (c[10] *ecclesiae*) vocabulis communio ecclesiastica intelligitur.

[10]) G[1] a[1] *quarto Iduum.* Ad calcem tamen exhibet *tertio.*

Digitized by Google

a. 495. praecipue Eutychianam haeresim cum suo scilicet auctore Eutychete[11]) et ejus sectatore Dioscoro, vel successoribus ejus atque communicatoribus Timotheo Aeluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petro Antiocheno, cunctisque eorum complicibus et communicatoribus respuere, damnare et anathematizare perpetuo, omnesque istos et hujusmodi horribiliter exsecrari; nec unquam me cum talibus ullum quolibet modo profiteor habiturum esse consortium, sed ab his omnibus futurum prorsus alienum. Quorum pravitatem licet nunquam voluntate receperim, tamen me, quia calamitatis impulsu minus cautus videor incidisse, sub conspectu Dei et beati Petri apostoli ejusque vicarii ac totius Ecclesiae mea, sicut dixi, professione[12]) voceque condemno, detestor, exhorreo, in sola me fide communioneque catholica et apostolica semper duraturum esse confirmans. Cui petitioni meae manu mea subscripsi die tertio Iduum Martiarum, Viatore viro clarissimo consule. Haec vestrae beatitudini in conventu venerandorum[13]) credidi meis manibus offerenda." Et alia manu: „Ego Misenus huic petitioni meae et a me oblatae subscripsi, die et consule suprascripto".

6. Gelasius episcopus dixit: *Quae lecta sunt transcribantur.* Et adjecit: *Quid videatur fraternitati vestrae statuendum, vestri quoque consilii participatione desideramus agnoscere.* Levaverunt se omnes episcopi et presbyteri rogantes et dicentes: *Exaudi Christe: Gelasio vita!* dictum vicies. *Quod vobis Deus dedit in potestate, praestate!* dictum duodecies. *Hoc fac quod facit domnus*[14]) *Petrus!* dictum decies. *Ut indulgeas, rogamus!* dictum novies.

---

[11]) Johannes Maxentius in *professione catholica de Christo* similiter anathematizat *Eutychen, Dioscorum, Timotheum Aelurum, Petrum Alexandrinum et Petrum Antiochenum et Acacium Constantinopolitanum cum omnibus sectatoribus eorum et successoribus, communicatores et complices, aut quicunque forte eorum maculantur contagione, aut memorias eorum celebrant, qui in ipsa damnatione defuncti sunt, aut (velut) innocentes defendunt.*

[12]) G[1] a[1] *confessione.*

[13]) Bar. ad marg. addit *episcoporum.* Si tamen gestorum initium consultemus, ubi nominati sunt ii, qui coetui huic interfuerunt, *presbyterorum* potius quam *episcoporum* nomen ibi adscribendum esse censebimus. Qui enim coetui huic interfuisse memorantur, *presbyteri* nominantur, non *episcopi.* Ex proxima tamen acclamatione sicut et ex altera, quae ad actorum calcem subjicitur, liquet in eodem coetu episcopos consedisse simul et presbyteros. Ubi notandum, quod, quum Gelasius toti conventui dixisset: *Quid videatur fraternitati vestrae statuendum, vestri quoque consilii participatione desideramus agnoscere,* statim subnectitur: *levaverunt se omnes episcopi et presbyteri rogantes et dicentes.* Tum sententia ipsorum exposita de iisdem adjungitur: *Quum denuo sedissent.* Unde conficitur: 1° in synodalibus conciliis presbyteros non secus atque episcopos *sedisse;* 2° utrosque pariter sententiam dixisse suam; 3° neutrum diaconis concessum esse. Nam in gestorum initio *adstitisse* dicuntur diaconi, non *sedisse,* et in processu sententiam dixisse nusquam memorantur.

[14]) Ita N[e]; G[1] a[1] *Dominus,* moxque omittit *rogamus.*

Digitized by Google

7. Quum denuo sedissent, Gelasius episcopus dixit: „Sedes apo- a. 495.
stolica quidem, quae Christo Domino delegante totius Ecclesiae retinet principatum, pro dispensatione curaque generali, quam vel pro fide catholica vel pro paternis canonibus regulisque majorum necessaria semper circumspectione dependit, Misenum atque Vitalem, quos contra Eutychianae pestilentiae sectatores vel contra eos, qui talium se communione polluerant, suae potestatis legatione suffultos ad Orientem dudum sub sanctae memoriae decessore meo praesule destinarat, quod apostolica praecepta declinantes quolibet modo in eorum, adversum quos missi fuerant, consortia recidissent, gestis synodalibus rerum discussione patefacta, communione pariter et honore merito jureque submovit. Quibus tamen misericordiae locum memor supernae pietatis pro suo moderamine reservavit, et dum conditionem posuit ultionis, spem noluit propitiationis abscidi: sicque suam sententiam temperavit, ut istorum veniam cum illorum mallet salute provenire, quorum fuerant participatione decepti, ac potius praeberent eis, quos[15]) suo firmaverant in pravitate consensu, et salubrem correptionis[16]) metum et emendationis imitandae consortium. Denique sic ipsa animadversionis verba librata sunt, ut se illi et cum istis perculsos adverterent, et ex eorum conditione non diffiderent posse salvari. In quo utique et his non est in totum via praeclusa remeandi, et illis, si mallent, per istos est oblata correctio, studiumque porrectum, quo possint meliore conatu praeteritos compensare prolapsus, si favorem, quem praevaricatoribus facili voluntate detulerunt, in reformationem catholicorum potius converterent sacerdotum[17]).

8. Dictum est enim, *tamdiu istos fore suspensos, donec auctore Deo et adnisu catholicorum principum vel populi Christiani Alexandrina catholicum*[18]) *sacerdotem recepisset ecclesia.* Gratulandum scilicet crederetur, nullo modo Graecos non posse renuere, quod viderent ab

---

[15]) Ita G[1] N[6]; a[1] *quos suos;* missi re ipsa fuerant Vitalis et Misenus, ut et Petrum Alexandria ejicerent, et Acacium ad dicendam causam in Urbem vocarent. Nihil vero aliud effecerunt, nisi ut in pravitate sua utrumque firmarent: adeo ut Petri Alexandrini nomen, quod antea clam in sacris diptychis Constantinopoli recitabatur, post eorum adventum palam publiceque recitari coepisset. Hinc et in errorem inducti quique simpliciores divulgantibus haereticis, ut Evagrius h. e. III, 20 et 21 tradit, Petrum a Romana sede in communionem fuisse susceptum.

[16]) *Correptionis* correximus, quod fere semper a veteribus librariis cum *correctione* promiscue mutatur. Moxque N[6] *percussos adverterent ex eorum,* et deinde G[1] *este pensare prolapsus.*

[17]) Hoc est: ad id potius converterent, ut episcopi catholici, qui ejecti fuerant, sedibus suis redderentur.

[18]) N[6] c[9] *catholico sacerdote coepisset Ecclesia gratulari at scilicet.* G[1] a[1] b c[10] *catholicum sacerdotem recepisset Ecclesia. Gratulandum scilicet* etc.

Digitized by Google

a. 495. apostolica sede fuisse damnatum, facileque eos posse de istorum supplicio commoveri, ut nossent, quid vitarent et quid consequenter ambirent, ac velle putarentur[19]) resipiscendo magis sentire cum rectis, quam jugiter errare cum perfidis. Exspectatumque diu est, ut his rationibus incitati contagia nefanda deponerent, ut[20]) cum apostolica sede consentiendo, sicut de eorum speratum fuerat voluntate, nitentes catholicis sacerdotibus revocandis studium potius commodarent: quo ipsi ad orthodoxam recurrerent unitatem, et istis, qui illorum participes erroris exstiterant, ministrarent praestitutae[21]) receptionis effectum. Nec qua fieri potuit occasione cessatum est, quo competenter admoniti et sufficienter instructi pariter pericula vitanda cognoscerent, ac patere sibi januam, si sinceris mentibus hanc petiissent, apostolicae communionis adverterent.

9. Sed quia eo perventum est, ut hortamentis quoque medicinalibus, dum etiam quae referrent contraria non haberent, differrent tamen hactenus adhibere consensum, illorum quidem difficultatibus paternum quemdam debemus pii doloris affectum, deprecantes omnipotentiam Dei nostri, quae sola quamvis devias in veritatis viam potest convertere voluntates, ut eisdem suae propitiationis operatione[22]) mirabili spiritum resipiscentiae et efficaciam correctionis dignanter infundat. Quae donec, sicut de ejus virtute confidimus, divina placatione proveniant, hunc interim, qui supplicat, desiderabiliter expetentem nullatenus perire patiamur: ut cujus non sunt Orientales dejectione perterriti, ne in errore persisterent, saltem curatione provocentur, ut rédeant ad salutem; praecipue quum dispositionis sedis[23]) apostolicae clementiam tenor comitetur ipse dictorum, neque prolata sibi repugnare constitutio judicetur. Definitum quippe est, ut superius jam praedictum est, eos[24]) de quibus agimus eatenus debere suspendi, *donec auctore Deo et praefatis adnitentibus*

---

[19]) Ita G[1] N[6]. At editi *putarent*.

[20]) Ita N[6]; a[1] b c[7] seqq. *una cum ... consentiendo* (G[1] a[1] *sentiendo*) ... *nitentesque ... revocandi studium potius commodarent* (G[1] a[1] *commendarent*). Deinde N[6] *veritatem*.

[21]) a[1] *praestitae*. Rectius alii libri cum N[6] *praestitutae*. Nempe in sententia adversus Vitalem et Misenum prolata praestitutum atque praescriptum erat, eos non recipiendos esse, nisi quum Alexandrina ecclesia catholicum recepisset sacerdotem. Ubi igitur operam dedissent Orientales, ut catholici episcopi, inter quos praecipuus erat Johannes Alexandrinus, ad ecclesias suas reverterentur, id quod Vitalis ac Miseni receptioni praestitutum erat, perficientes, ipsis receptionis effectum ministrassent.

[22]) a[1] *operationem mirabili spiritu resipiscentiae et efficientiam* (*operationem* etiam G[1]).

[23]) G[1] a[1] omittit *sedis*. Paulo antea G[1] *redirent*.

[24]) Vitalem scilicet ac Misenum; sed mox verbo *praefatis* catholici principes et Christianus populus intelliguntur.

Digitized by Google

Alexandrina catholicum reciperet ecclesia sacerdotem. Non abrupte et a. 495.
sine exceptione propositum est, sed ea ratione depromptum est, qua non[25]), sive illis adnitentibus sive non adnitentibus, indifferenter videretur infixa sententia: ideoque sub quo tenore librata conditio est, eodem non exsistente, necessitatem[26]) suae professionis absolvit. Quod enim *cum adnisu* praedictorum pronuntiatum est esse faciendum, hoc eodem non succedente non fieri posse manifestum est. Sed quum eorum etiam faciendum memoratur adnisu, satis evidenter ostensum est, quod sine hoc non possit impleri. Licet ergo illi, quorum deesse probatur adnisus, de sua sint obstinatione miserandi, tamen quia deest, sicut sine eo effici non potest quod cum eodem effici posse praesumptum est, ita desistentibus causis, per quas hic articulus veniret ad terminum, insolubiliter non retinet obligatum.

10. Quapropter lata sententia non exsistentibus, per quae possit usque ad sui exitum deputatam retinere mensuram, his consulendi, qui[27]) arctati tenebantur, tribuet libertatem. Et apostolica quidem sedes, ut saepe repetendum est, aestimans Orientales nullo modo non posse respuere quod sedes apostolica refutasset, eosque saluti propriae et apostolicae communioni nullius praeferre posse personam, haec de eorum mentibus melius aestimarat. Sed quod iterum non tacendum est, dolenda pernicies non velut improvidam bene de Orientalibus sentientem potest opinionem magis apostolicae sedis arguere, quam suae pervicaciae potius deputare, quod oblatum sibi tramitem propriae redintegrationis secuta non fuerit; nec ideo tamen aliis debet medicinalem desiderantibus impedire per suam pervicaciam facultatem. Tunc enim dicta sunt de Graecorum consensione fidenter, quia simul beati Petri societatem quibuslibet videbantur praeponere posse personis, et qui exstiterant ante catholici, aestimabantur consensuri facile veritati, atque ideo cujuslibet hominis affectum desideriis[28]) apostolicae communionis non posse praeponere. Quae quum nondum susceperint per quas hic ordo decurreret voluntates, id quod per eas fieri posse praesumptum est, cernitur absolutum, quoniam quum desunt qui efficiant[29]), nullus provenire posit effectus: immo quum iidem ipsi, per quos judicabatur esse faciendum, ne efficiatur obsistunt.

---

[25]) c[9] omittit *non;* similiter mox G[1] a[1] omittunt *sive non adnitentibus.*

[26]) a[1] *necessitate.*

[27]) b c[7] seqq. *et his qui arctati tenebantur*, G[1] a[1] *qui adtenebantur.*

[28]) G[1] et editi *in desideriis*, moxque G[1] a[1] *proponere.* Deinde magis placeret *Qui* sc. *Graeci;* vox *Quae* autem ad *desideriis* referenda est.

[29]) b c[7] seqq. *perficiant* et ad marg. *si desint per quos id efficiant;* et mox *obsistant.* Potior visa est lectio G[1] a[1], quae quidem clarius ordinaretur in hunc modum: *quoniam quum desunt qui efficiant, immo quum iidem ipsi, per quos judicabatur esse faciendum, ne efficiatur obsistant, nullus provenire possit effectus.*

Digitized by Google

a. 495. 11. Qui si in hac sunt, quod absit, obstinatione mansuri, resoluta conditio est illius rei, quae eorum studiis fiducialiter censebatur impleri. Sin vero, sicut potius optamus, fuerint ad meliora conversi, ne inter haec interim qui misericordiam postulat, vel aetate vel morbo, quo frequenter impetitur[30]), possit intercipi, dum est superstes, est consulendum, ne defuncto jam nullum possit remedium subrogari. Quippe quum non dictum sit, *sive illis adnitentibus sive etiam fortassis invitis,* sed *cum eorum* magis *adnisu* quod promulgatum fuerat posse constare, sic[31]) igitur cum illis adnitentibus nullatenus praefixa perdurant. Hoc etiam tenore beatus Paulus apostolus non ideo, quod absit, fefellisse credendus est aut sibi
Rom. 15, 28. exstitisse contrarius, quoniam quum se ad Hispanias promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere; quantum ad divini secreta consilii, quae ut homo omnia non potuit licet Spiritu Dei plenus agnoscere, superna praetermisit dispositione praeventus. Nec quia beatus Petrus apostolus pro affectu divinae reverentiae ipsi Do-
Joh. 13, 8. mino respondit: *Non lavabis mihi pedes in aeternum,* fefellisse, quod absit, aut in sua putabitur minime constitisse sententia, quod mox eidem divinae cesserit voluntati, et quod se dixerat[32]) non esse facturum, causis adstrictus humanae salutis expeteret prona voluntate faciendum. Idcirco illa non succedente[33]) via, qua reorum fuerat reconciliatio constituta, alteram licet adoriri, qua subveniatur, quibus subveniendum esse decretum est: maxime quum Miseno ex quolibet excessu vel qualibet praevaricatione[34]) poena sufficiat, quae usque eo tracta est, ut sola conditionis humanae suprema consi-

---

[30]) Ita G^1 a^1; b c^7 seqq. *impeditur, possit intercipi, dum super istis et consulendum ... quippe cum dictum sit.*

[31]) Ita Q^2 G^1 a^1 (G^1 *sic*), alii editi *sicut igitur ... nullatenus pace fixa.* Idem autem est *praefixa* quod supra *praestituta.*

[32]) Ita N^6 b, quae lectio antea *ut quod se* videtur exigere. At G^1 a^1 *dixerit ... parere* (vel *palere*) *prona* Q^2 Z *passus est prona.*

[33]) N^6 *faciente*, b c^7 seqq. *accedente via, qua eorum*, G^1 Q^2 a^1 *succedente via, quare horum* (Q^2 *qua reorum*), unde nostra lectio.

[34]) b c^7 seqq. *praevaricationis ... tractata est ... considerationis* (N^6 *conditionis*) *humanae suprema consideratione*, G^1 a^1 *tracta est ... conditionis humanae et superna conditione*, unde nostra lectio apparet integra. Declarat Gelasius eo tractam seu prolatam esse Miseni poenam, ut non habeat, quo crescat: siquidem mortis, cui obnoxia est humana conditio, quamque Miseno jure metuendam continuae illius aegritudines suadent, extremo discrimine considerato dumtaxat laxetur, atque ita satisfactum sit severioribus Ecclesiae canonibus, qui, paucis durioribus exceptis, etsi poenitentiam ad exitum vitae protrahunt, in periculo constitutis eam remitti volunt. *De his vero,* inquit Nicaenum concilium can. 13, *qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam nunc, ita ut, si forte quis recedat ex corpore, necessario vitae suae viatico non defraudetur.* Quamquam

Digitized by Google

deratione laxetur, remittendaque punitio sit, quae non habet ultra quo crescat. Quia quum nulli animae Deus omnipotens et misericors per ecclesiasticam pietatem quaerenti noluerit remedium denegari, non dubium est, hoc ipso auctore Deo et divina compunctione prodire, ut tunc de ejus receptione tractetur, quando ea non protelanda quoque necessitas compellat impendi. a. 495.

12. Nostro praeterea Salvatore beato Petro apostolo prae ceteris delegante: *Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis;* sicut et his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicae dispensationis officium et totum possit generaliter alligari, et totum consequenter absolvi: praecipue quum ex hoc magis praeberi cunctis oporteat apostolicae miserationis exemplum, ut absolutione damnati, si resipiscant universi et ab errore se retrahant atque ad apostolicae communionis sinceram redeant unitatem[35]), vinculis se damnationis illius, quam universaliter merito praevaricatores exceperant, non ambigant exuendos. Neque enim qui longe positos ad integram fidem curare nitimur, revertentes in praesenti supplices refutare debemus. Ubi sollicite praecavendum est, ne conscientiae detrimentum, negantes usque ad[36]) extremum poscenti misericordiam, quod absit, ullatenus incidamus, censuraeque severitas etiam circa supplices sine fine persistens transeat in reatum. Matth. 16, 19.

13. Proinde quantum permittente[37]) Domino possibilitatis humanae, desideranti remedia praebeamus, totum[38]) quod supra nostrae

---

negandum non est, de iis, qui desperatos in morbos inciderent, hoc caveri. Sed variae illae rationes, quas undequaque Gelasius tanto studio quaeritat, quo Misenum illaesa decessoris sui sententia absolvere se posse probet, quanta religione majorum decretis haerendum sit, demonstrant.

35) G¹ a¹ *puritatem;* et mox *merito praevaricatoris*, ubi non displiceret *praevaricationis*.

36) b c⁷ seqq. *ad extremum peccati materiam* (Vatic. Coust. *poscenti materiam*) ... *nullatenus incidamus*, N⁶ *ad extremam peccati materiam ulla incidamus*. Sincerior est lectio G¹ Q¹ a¹. Sed melior est deinde haec N⁶ *censuraeque severitas*, quam quod in praedictis mss. ac vulgatis *censuraeque veritas* (vulg. *veritatis*).

37) G¹ a¹; b c⁷ seqq. *praemonente*, moxque c⁷ addit *est* (post *humanae*), quod utique subauditur.

38) Totum hunc locum usque ad verba *alia defunctorum* Vigilius papa constituto suo (a. 553) epist. 24 n. 125 inseruit. Haec eadem perstringens Facundus Hermian. contra Mocianum interpretationem eis adjungit a Gelasii mente non satis accuratam, ubi habet: *Et apostolica quidem sedes per ib. Gelasium nefas judicat, post mortem condemnare quempiam in Ecclesiae pace defunctum, quum dicit: „Quod super nostrae facultatis est modulum, divino judicio relinquamus.“* Nam Vitalis, ad quem maxime respicit, in Ecclesiae pace minime defunctus fuerat. Quamquam generalis Gelasii sententia dici potest, quatenus Christi verbis, quibus tantum super terram ligandi fit potestas, nititur, quod ex ejus verbis epistola 18 n. 5 confirmare licet.

Digitized by Google

a. 495. facultatis est modulum divino judicio relinquentes. Non autem nobis poterunt imputare, cur praevaricationis offensam viventibus remittamus, quod Ecclesiae Deo largiente possibile est, qui[39]) nos etiam mortuis veniam praestare deposcunt, quod nobis possibile non
Matth. esse manifestum est. Quia quum dictum sit: *Quae ligaveritis super*
18, 18. *terram;* quos ergo non esse jam constat super terram, non humano sed suo judicio reservavit, nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis beatis apostolis conspiciat non fuisse concessum[40]).

14. Quia alia sit causa superstitum, alia defunctorum, tulerit Vitalis sortem divini judicii, cui etiam, quum magnopere vellemus, non potuit subveniri: huic saltem prosint, dum copia viventis admittit, in remediis assequendis alterius experimenta repente sub-
Luc. tracti. Quumque scriptum noverimus: *Unus assumetur et unus relin-*
17, 34. *quetur;* hortatur nos intercepti periculum in superstite subsidia non differre[41]) sanandi, qui hoc ipso recipiendus divinitus indicatur, quum illi supervivit, qui ad haec non meruit pervenire: et quoddam de utroque coelestis judicii refulget examen, ostenditurque nobis evidentius in duobus, in quo fuerit causa sine venia, et in[42]) quo sit, quae indulgentia carere non debeat. Atque ideo, quam ipse quoque, si superstes competenter Acacius expetisset, potuerat obtinere, quippe de quo sic positum est *insolubilem fore*, ut non diceretur *etiamsi*[43]) *forte corrigeret*; multo magis huic, qui communione

[39]) Rursum haec Facundus ibidem laudat sic interpolata: *qui nos etiam mortuis aut veniam aut condemnationem dare poscunt.* Hanc autem interpolationem ignoravit Vigilius papa in constituto seu epist. 24 n. 125, ubi eumdem locum citat. Et vero Gelasius Orientales schismaticos hic notat, qui Acacium, extra Ecclesiae communionem defunctum, ab ipso absolvi volebant; de quo et ep. 18 n. 5 sic eum audivimus loquentem: *absolutionem, quam superstes nec quaesivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare, siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: Quae ligaveritis super terram* etc. Quocirca nihil erat causae, cur *aut condemnationem adderet.*

[40]) Apud Facundum his proxime adjungitur: *Si enim licet ligari mortuos, licet et solvi; et si licet mortuis damnationem inferre, licet et veniam dare.* Quae verba Sirmondus Gelasii esse existimavit, sed ad ipsum Facundum ea pertinere non solum nostrorum codicum sed Vigilii etiam papae auctoritate evincitur. Is enim in laudato constituti loco haec ita rescribit: *conspicit non fuisse concessum, quia alia est causa superstitum, alia defunctorum.* Quae ultima verba (*quia alia* etc.) melius ad sequentia referenda nobis visa sunt.

[41]) Ita G^1 a^1; b c^7 seqq. *differenda,* moxque N^6 *ad hoc.*

[42]) Fronto Ducaeus notis apud Lab. legendum esse conjectans *in quo sit, quo indulgentia carere non debet, atque adeo quod ipse quoque,* mentem non est assecutus Gelasii, qui quidem hoc sibi vult: *et in quo sit* (supple *causa*), *quae indulgentia carere non debeat. Atque ideo quam* (supple *indulgentiam* seu *veniam*) *ipse quoque* etc. Infortunatus ille, *in quo fuerit causa sine venia,* est Vitalis, sicut Misenus is est, *in quo sit causa, quae indulgentia carere non debeat.*

[43]) In sententia scil. adversus ipsum a Felice epist. 6 prolata. Qua de clausula vide ejusdem Felicis epistolam 15 n. 4 et Gelasii tractatum IV.

Digitized by Google

ejus infectus est, imploranti flebiliter pietatis est apostolicae non a. 495.
negare.

Professus ergo Misenus regulariter se omnes haereses, Eutychianam praecipue cum Eutychete, Dioscoro, Timotheo Aeluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano Petroque Antiocheno vel cunctis eorum successoribus, sectatoribus et communicatoribus detestari, eosque anathemate ferire perpetuo, communionis apostolicae et sacerdotalis[44]) gratiam, quam catholica traditione percepit, recipiet dignitatis."

15. Omnes episcopi et presbyteri surgentes in synodo acclamaverunt: *Exaudi Christe, Gelasio vita!* dictum quindecies. *Domine Petre, tu illum serva!* dictum duodecies. *Cujus sedem et annos!* dictum septies. *Vicarium Christi te videmus!* dictum undecies[45]). *Apostolum Petrum te videmus!* dictum sexies. *Cujus sedem, et annos!* dictum septies trigesies.

Sixtus notarius sanctae Romanae ecclesiae jussu domini mei beatissimi papae Gelasii ex scrinio edidi die tertio Idus Martii[46]), Flavio Viatore viro clarissimo consule.

Epistola 31.

Beati Gelasii ad actores urbici.

a. 495 d. 28 Juli.

p. 41. *Apocha de certis reditibus ecclesiae Romanae a.* 494.

Gelasius actoribus urbicis.

Constat vos intulisse actionibus ecclesiae ex praestatione fundi Claculas, quem conductionis titulo tenes, de fructibus anni consulatus Asterii et Praesidii virorum clarissimorum, de indictione III,

---

[44]) Verbo *sacerdotalis* in G^1 a^1 clauduntur haec gesta. Cetera ex ms. Virdun. supplentur. Ex quo liquet plus Miseno, quam petebat, esse concessum, siquidem cum ecclesiastica communione ei etiam restituta est dignitas sacerdotalis; et vero utrumque non tam ei sublatum quam suspensum fuerat.

[45]) Apud b c^7 seqq. praetermissum fuerat *undecies apostolum Petrum* (hic forte addendum *in*) *te videmus dictum;* quod ex Frontonis notis restituimus. Notandus hic locus: primus enim est, in quo Romanum praesulem *vicarium Christi* appellatum meminimus. *Vicarium Petri* eum nuncupandi mos diu obtinuit. Ipse Misenus supra n. 5 sub conspectu *beati Petri apostoli ejusque vicarii*, Gelasium hoc voce indicans, agere se testatur. Quis autem apud Latinos vocis *vicarii* usus fuerit, Suidas ita notat: *Βικάριος παρὰ Ῥωμαίοις διάδοχος, vicarius apud Latinos idem est, quod successor.* Et id quidem firmare licet ex his Cypriani ad Stephanum epist. 1 n. 5: *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus; quorum memoriam quum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es.*

[46]) Editi *Maji;* ex archetypi, cum quo et chronica novissimo Miseni libello praefixa consentit, fide corriguntur.

Digitized by Google

a. 495. auri solidos triginta. Notavi V Calendas Augusti Flavio viro clarissimo consule.

Epistola 32.

Gelasii papae ad Vincomalum.

Apocha altera ejusdem generis. p. 41

Gelasius Vincomalo.

Constat vos intulisse actionibus ecclesiae ex praestatione fundi, quem conductionis titulo tenes, de fructibus anni consulatus Asterii et Praesidii virorum clarissimorum, de indictione III, auri solidos triginta. Notavi V Calendas Augusti Flavio viro clarissimo consule.

Epistola 33.

(a. 495—496.)

Gelasii papae ad Johannem episcopum Soranum.

Ut in oratorio quodam Magetiae feminae spectabilis defunctorum nomine divina celebrentur officia, sed publica frequentatione et processione cessante, indulget. p. 41

Gelasius papa Johanni episcopo Sorano[1]).

Certum est quidem et nostris praeceptionibus constitutum, ne quis in ecclesia aut in oratorio, quod sedis nostrae non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi, ne conditores furtivis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent. Sed quia Magetia[2]) spectabilis femina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse; frater carissime, humanitatis intuitu, quod priora statuta non maculet[3]) funeribus et sepulcris, tantum in comprehensis petitorio locis ministeria noveris pro sollemnitate praestanda, ut defunctorum nomine solummodo divina celebrentur officia, publica frequentatione et processione cessante. Data[4]) Idibus Aprilis.

Epistola 34.

(a. 495—496.)

Gelasii papae ad Senecionem episcopum.

Consecrari ecclesiam quamdam in honorem s. Viti praemissa dotatione permittit, ita tamen, ut donator praeter processionis aditum nihil proprii juris habeat. p. 41

Gelasius papa Senecioni episcopo.

Piae mentis amplectenda devotio est, qua Senilius[1]) vir hono-

---

[1]) Erat Sora urbs Latii versus Campaniam et Marsos, nunc quoque episcopalis sub Neapolitano metropolitano.

[2]) Q[1] *Ingretia*, Z *Megetia* vel *Megentia*.

[3]) Ita Q[1] Q[2], id est *praedictis statutis illaesis;* Z *non maculent.* Moxque Q[1] Q[2] *mysteria.*

[4]) Ita Q[1] Q[2] U[1]; Z omittit chronicam notam.

[1]) Q[1] *qua Senilius vobis in re Vivia,* U[1] *qua se Julius nobis in re Juliana,* unde

Digitized by Google

rabilis in re Viviana sui juris fundasse perhibetur ecclesiam, quam in honorem sancti Viti confessoris ejus nomine cupit consecrari. Hanc igitur, frater carissime, si ad tuam dioecesim pertinere non ambigis, ex more convenit dedicari, collata primitus donatione sollemni, quam ministris ecclesiae destinasse se praefati muneris testatur oblator: sciturus sine dubio, praeter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum. Data[2]) XIII Calendas Augusti. (a. 495—496)

Epistola 35.

Gelasii papae ad Herculentium episcopum Potentinum. (a. 495—496.)

p. 41. *Eadem conditione consecrari ecclesiam in honorem sanctorum Michaelis archangeli et Marci confessoris permittit.*

Gelasius[1]) Herculentio episcopo Potentino.

Trigetius[2]) hujus petitorii nobis insinuatione suggessit, in re sua, quae[3]) Sextilianus vocatur, basilicam se sanctorum Michaelis archangeli et Marci confessoris pro sua devotione fundasse. Et ideo, frater carissime, si ad tuam pertinet paroeciam, benedictionem supra memoratae basilicae sollemni veneratione depende. Nihil tamen fundator ex hac basilica sibi noverit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur.

Epistola 36.

Gelasii papae ad Johannem episcopum.

p. 42. *Aselum archidiaconum, qui interfecto episcopo inconsulta sede apostolica se eligendum curaverat, ab officio suo submovet.*

Gelasius Johanni episcopo.

Nos ausus impii commovere Aselli, qui archidiaconatus fungebatur officio. Nam quum duro casu lethaliter sauciato pontifice prae ceteris ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de episcopali domo subduceretur; et eum[1]) ipsum in tumultu praesenti permisit occidi,

---

mutavit d^2 *Julius V. H.* (i. e. *vir honorabilis*) *in re Juviana; Z qua se Julius in re Juliana* (al. *Jnviviana*, Q *Viviana*); unde non dubitavimus nostram lectionem restituere. — Mox c^{10} omitt. *oblator.*

[2]) Ita Q^1 Q^2 U^1; Z omittit hanc chronicam notam.

[1]) Ita X^1; alii omittunt inscriptionem.

[2]) Ita Q^1 Q^2. X^1 *Trygetius*, Z c^{10} *Frigentius*. Augustino discipulus quondam fuit *Trigetius* nuncupatus, ex quo liquet, hoc nomen apud Latinos usitatum esse. Mox X^1 *hujus petitorii*, ubi alii *vero petitoria.*

[3]) Z *quod Sextilianum vocatur*, moxque *Martini confessoris pro sua defensione*; sequimur Q^1 Q^2 X^1.

[1]) Scil. pontificis occisorem et creditarium.

Digitized by Google

quum et[2]) ad fatendum servari debuisset, utrum haec sua voluntate peregerit aut cujusquam praecipitatus impulsu, et prius ab eo, quia idem creditarius praesulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non evidenter intelligat, propter hoc praecipue dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, et ignorata facultas ecclesiae facilius direptionibus subjaceret? Nam et libellaris incisus episcopi perhibetur inventus, et vir bonus Asellus ac suo gradu dignus, quod nunquam ante tentatum est, prius in se decretum adactis ecclesiae ministris compulit celebrari, quam de excessu secundum tramitem vetustatis ad sedis apostolicae notitiam relatio mitteretur. Quam sit autem intolerabile malum, quis Christianus addubitet? ut quum soleat etiam communi sorte defuncto pontifice transitus ejus ante omnia nuntiari, competens deputari visitatio, atque ita de subrogando sacerdote tractari; hic unus exstiterit, qui interfecto religionis antistite de suo mox honore cogitaverit, quam studuerit deferre quod gestum est. Ubi tametsi latet extrinsecus quid agatur, tamen affectatae potestatis abruptum conscientiam suspicione non exuit defuncti locum taliter[3]) ambientis. Interim ne quis hoc unquam audeat usurpare, quod ante istum nullus est ausus, ab officio, quod gerebat, nostra sit auctoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sane juris ecclesiastici sustulisse convincitur, modis omnibus reformare cogatur.

Epistola 37.

Gelasii papae ad Majoricum et Johannem.

Ecclesiam Scyllacenorum post geminatam caedem pontificum jure proprii pastoris privat et illorum visitationi committit (n. 1). Divisionem sanctissimi eucharistiae sacramenti a quibusdam superstitiose tentatam omnino interdicit (n. 2). p. 42

Gelasius[1]) Majorico et Johanni episcopis.

1. Ita nos Scyllacenorum[2]) caedes geminata pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diu constitutio nostrae deliberationis haesitaret, dum et ingerere quempiam[3]) parricidialibus exem-

---

[2]) Cum T^2 addimus *et*. Mox c^{10} *praecipuum ... libellarius.*

[3]) Ita T^2. c^{10} *pariter*, moxque ad marg. *forte ambiens.* Vox *ambientis* (scil. Aselli archidiaconi) autem ad *conscientiam* referenda.

[1]) Q Z omittunt inscriptionem, quam praebent T U X^1 et confirmant Algerus, Gratianus (c. 12 D. 2 de consecratione) et Π^1.

[2]) T c^{10} *quidem Latinorum*, Grat. var. lect. *Sillanorum* vel *Syllanorum*, U^1 *Squillacinorum*, Q^2 *Scillacinorum.* Retinendum cum X^1 Q^1 Z *Scyllacenorum.* Scyllaceum autem urbs est Calabriae ulterioris etiam nunc episcopalis sedes sub Rhegino archiepiscopo.

[3]) T *quemquam parricidialibus exemplis dubitaremus antistitem.* Deinde Q^2 *et*

Digitized by Google

plis detestaremur antistitem et ecclesiam utcunque destitutam non usque adeo judicaremus relinquendam. Quapropter jam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus religioni dũximus consulendum, ut paroeciae vices[4]) ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernentur, quae ibidem commanentes ferro didicerit necare pastores, inauditoque facinore, quod etiam nullis provinciis nusquam prorsus acciderit[5]), quae bellorum continuis diversisque incursionibus affliguntur, haec reperta sit civitas, quae praesules ministrandae[6]) sibi fidei Christianae sine persecutione prosternat. Curandum est igitur; ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitum, atque ita saltem furoris tanti materies subtrahatur, si[7]) in qua haec possit acerbitas perpetrari, consistens ibidem persona defuerit: eoque modo vel illa civitas, dum in quos saeviat non habeat, ab hujusmodi cessatione desistat vel aliis imitantibus dira contagia non praebeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis[8]), quae sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter macularat sanguine dignitatem; quia in utroque hac est ultione plectenda, sive scilicet instinctu domestico seu furiis incitata nefas hoc committit externis[9]). Praebeat ergo dilectio vestra in hoc statu positae ministerium visitationis ecclesiae, et aut conveniendo pariter aut vicissim, prout qualitas rerum causaque poposcerit, divina ministeria[10]) repraesentet ingratis, ne quum devitamus zizania, dominica videamur praeterire frumenta.

2. Comperimus[11]) autem, quod quidam in eadem regione sumpta

---

ubicunque ecclesiam destitutam judicaremus non usque adeo nullatenus relinquendam, quod T c[10] omnino omittunt, nos ex recensione Q[1] X[1] Z restituimus.

[4]) Z *vice ... gubernetur*, pergitque T c[10] *quia ibidem ... didicerunt*, X[1] *quae ... didicit.*

[5]) Ita T Q[1] X[1]; Z *accidisse legitur*, minus recte. Non enim Gelasio de rebus longe antea praeteritis, quas lectione didicerit, sermo est, sed de iis, quae adhuc paene sub oculos ejus transigebantur et a quibus epistolam 6 sic orditur: *Barbaricis hactenus dolebamus incursibus maxime viçinas Urbis provincias et bellorum saeva tempestate vastari.* Sic vero de iis loquitur, ut necdum incursiones illae ac bella quievisse videantur. Quodsi ita est, ad initia pontificatus ejus haec epistola referenda est.

[6]) Z *ministrantes sibi fidei Christianae sacramenta*, T c[10] *ministrando sibi fidem Christianam;* castigantur ex Q[1] Q[2] X[1]. Quomodo superius epist. 12 n. 2 episcopi *rerum praesules divinarum*, ita et hic *praesules ministrandae fidei* dicuntur.

[7]) T c[10] *si in quam* (X[1] *qua*) — *defuerit*, ac deinde *civitas* omittunt. Mox T Z c[10] *habebit.*

[8]) Ita Q T X[1]; Z *pensandis.* Mox T c[10] *collatam fuso*, et deinde X[1] *haec est.*

[9]) Q T X[1] *exterius*; Z *externis.* Sequentia (*Praebeat — frumenta*) non habet T.

[10]) Q[2] et aliqua exemplaria Z *mysteria* (X[1] *misteria*). Superior sententia *Egeat ergo episcopalibus subsidiis aliunde depensis* postulat, ut hic *ministeria* cum U Z praeferamus.

[11]) Quod sequitur, etsi alio distractum, T Z referunt; id uno tamen tenore cum superioribus conjunctum atque continuatum Q S X[1] repraesentant.

Digitized by Google

a. 495. apostolica sede fuisse damnatum, facileque eos posse de istorum supplicio commoveri, ut nossent, quid vitarent et quid consequenter ambirent, ac velle putarentur[19]) resipiscendo magis sentire cum rectis, quam jugiter errare cum perfidis. Exspectatumque diu est, ut his rationibus incitati contagia nefanda deponerent, ut[20]) cum apostolica sede consentiendo, sicut de eorum speratum fuerat voluntate, nitentes catholicis sacerdotibus revocandis studium potius commodarent: quo ipsi ad orthodoxam recurrerent unitatem, et istis, qui illorum participes erroris exstiterant, ministrarent praestitutae[21]) receptionis effectum. Nec qua fieri potuit occasione cessatum est, quo competenter admoniti et sufficienter instructi pariter pericula vitanda cognoscerent, ac patere sibi januam, si sinceris mentibus hanc petiissent, apostolicae communionis adverterent.

9. Sed quia eo perventum est, ut hortamentis quoque medicinalibus, dum etiam quae referrent contraria non haberent, differrent tamen hactenus adhibere consensum, illorum quidem difficultatibus paternum quemdam debemus pii doloris affectum, deprecantes omnipotentiam Dei nostri, quae sola quamvis devias in veritatis viam potest convertere voluntates, ut eisdem suae propitiationis operatione[22]) mirabili spiritum resipiscentiae et efficaciam correctionis dignanter infundat. Quae donec, sicut de ejus virtute confidimus, divina placatione proveniant, hunc interim, qui supplicat, desiderabiliter expetentem nullatenus perire patiamur: ut cujus non sunt Orientales dejectione perterriti, ne in errore persisterent, saltem curatione provocentur, ut rédeant ad salutem; praecipue quum dispositionis sedis[23]) apostolicae clementiam tenor comitetur ipse dictorum, neque prolata sibi repugnare constitutio judicetur. Definitum quippe est, ut superius jam praedictum est, eos[24]) de quibus agimus eatenus debere suspendi, *donec auctore Deo et praefatis adnitentibus*

---

[19]) Ita G[1] N[6]. At editi *putarent*.

[20]) Ita N[6]; a[1] b c[7] seqq. *una cum ... consentiendo* (G[1] a[1] *sentiendo*) ... *nitentesque ... revocandi studium potius commodarent* (G[1] a[1] *commendarent*). Deinde N[6] *veritatem*.

[21]) a[1] *praestitae*. Rectius alii libri cum N[6] *praestitutae*. Nempe in sententia adversus Vitalem et Misenum prolata praestitutum atque praescriptum erat, eos non recipiendos esse, nisi quum Alexandrina ecclesia catholicum recepisset sacerdotem. Ubi igitur operam dedissent Orientales, ut catholici episcopi, inter quos praecipuus erat Johannes Alexandrinus, ad ecclesias suas reverterentur, id quod Vitalis ac Miseni receptioni praestitutum erat, perficientes, ipsis receptionis effectum ministrassent.

[22]) a[1] *operationem mirabili spiritu resipiscentiae et efficientiam* (*operationem* etiam G[1]).

[23]) G[1] a[1] omittit *sedis*. Paulo antea G[1] *redirent*.

[24]) Vitalem scilicet ac Misenum; sed mox verbo *praefatis* catholici principes et Christianus populus intelliguntur.

Digitized by Google

Alexandrina catholicum reciperet ecclesia sacerdotem. Non abrupte et a. 495.
sine exceptione propositum est, sed ea ratione depromptum est, qua non[25]), sive illis adnitentibus sive non adnitentibus, indifferenter videretur infixa sententia: ideoque sub quo tenore librata conditio est, eodem non exsistente, necessitatem[26]) suae professionis absolvit. Quod enim *cum adnisu* praedictorum pronuntiatum est esse faciendum, hoc eodem non succedente non fieri posse manifestum est. Sed quum eorum etiam faciendum memoratur adnisu, satis evidenter ostensum est, quod sine hoc non possit impleri. Licet ergo illi, quorum deesse probatur adnisus, de sua sint obstinatione miserandi, tamen quia deest, sicut sine eo effici non potest quod cum eodem effici posse praesumptum est, ita desistentibus causis, per quas hic articulus veniret ad terminum, insolubiliter non retinet obligatum.

10. Quapropter lata sententia non exsistentibus, per quae possit usque ad sui exitum deputatam retinere mensuram, his consulendi, qui[27]) arctati tenebantur, tribuet libertatem. Et apostolica quidem sedes, ut saepe repetendum est, aestimans Orientales nullo modo non posse respuere quod sedes apostolica refutasset, eosque saluti propriae et apostolicae communioni nullius praeferre posse personam, haec de eorum mentibus melius aestimarat. Sed quod iterum non tacendum est, dolenda pernicies non velut improvidam bene de Orientalibus sentientem potest opinionem magis apostolicae sedis arguere, quam suae pervicaciae potius deputare, quod oblatum sibi tramitem propriae redintegrationis secuta non fuerit; nec ideo tamen aliis debet medicinalem desiderantibus impedire per suam pervicaciam facultatem. Tunc enim dicta sunt de Graecorum consensione fidenter, quia simul beati Petri societatem quibuslibet videbantur praeponere posse personis, et qui exstiterant ante catholici, aestimabantur consensuri facile veritati, atque ideo cujuslibet hominis affectum desideriis[28]) apostolicae communionis non posse praeponere. Quae quum nondum susceperint per quas hic ordo decurreret voluntates, id quod per eas fieri posse praesumptum est, cernitur absolutum, quoniam quum desunt qui efficiant[29]), nullus provenire posit effectus: immo quum iidem ipsi, per quos judicabatur esse faciendum, ne efficiatur obsistunt.

---

[25]) c^9 omittit *non;* similiter mox G^1 a^1 omittunt *sive non adnitentibus.*

[26]) a^1 *necessitate.*

[27]) b c^7 seqq. *et his qui arctati tenebantur*, G^1 a^1 *qui adtenebantur.*

[28]) G^1 et editi *in desideriis*, moxque G^1 a^1 *proponere.* Deinde magis placeret *Qui* sc. *Graeci;* vox *Quae* autem ad *desideriis* referenda est.

[29]) b c^7 seqq. *perficiant* et ad marg. *si desint per quos id efficiant;* et mox *obsistant.* Potior visa est lectio (G^1 a^1, quae quidem clarius ordinaretur in hunc modum: *quoniam quum desunt qui efficiant, immo quum iidem ipsi, per quos judicabatur esse faciendum, ne efficiatur obsistant, nullus provenire possit effectus.*

Digitized by Google

a. 495. 11. Qui si in hac sunt, quod absit, obstinatione mansuri, resoluta conditio est illius rei, quae eorum studiis fiducialiter censebatur impleri. Sin vero, sicut potius optamus, fuerint ad meliora conversi, ne inter haec interim qui misericordiam postulat, vel aetate vel morbo, quo frequenter impetitur[30]), possit intercipi, dum est superstes, est consulendum, ne defuncto jam nullum possit remedium subrogari. Quippe quum non dictum sit, *sive illis adnitentibus sive etiam fortassis invitis,* sed *cum eorum* magis *adnisu* quod promulgatum fuerat posse constare, sic[31]) igitur cum illis adnitentibus nullatenus praefixa perdurant. Hoc etiam tenore beatus Paulus apostolus non ideo, quod absit, fefellisse credendus est aut sibi exstitisse contrarius, quoniam quum se ad Hispanias promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere; quantum ad divini secreta consilii, quae ut homo omnia non potuit licet Spiritu Dei plenus agnoscere, superna praetermisit dispositione praeventus. Nec quia beatus Petrus apostolus pro affectu divinae reverentiae ipsi Domino respondit: *Non lavabis mihi pedes in aeternum,* fefellisse, quod absit, aut in sua putabitur minime constitisse sententia, quod mox eidem divinae cesserit voluntati, et quod se dixerat[32]) non esse facturum, causis adstrictus humanae salutis expeteret prona voluntate faciendum. Idcirco illa non succedente[33]) via, qua reorum fuerat reconciliatio constituta, alteram licet adoriri, qua subveniatur, quibus subveniendum esse decretum est: maxime quum Miseno ex quolibet excessu vel qualibet praevaricatione[34]) poena sufficiat, quae usque eo tracta est, ut sola conditionis humanae suprema consi-

Rom. 15, 28.

Joh. 13, 8.

---

[30]) Ita G[1] a[1]; b c[7] seqq. *impeditur, possit intercipi, dum super istis et consulendum ... quippe cum dictum sit.*

[31]) Ita Q[2] G[1] a[1] (G[1] *šic*), alii editi *sicut igitur ... nullatenus pace fixa.* Idem autem est *praefixa* quod supra *praestituta.*

[32]) Ita N[6] b, quae lectio antea *ut quod se* videtur exigere. At G[1] a[1] *dixerit ... parere* (vel *palere*) *prona* Q[2] Z *passus est prona.*

[33]) N[6] *faciente*, b c[7] seqq. *accedente via, qua eorum*, G[1] Q[2] a[1] *succedente via, quare hòrum* (Q[2] *qua reorum*), unde nostra lectio.

[34]) b c[7] seqq. *praevaricationis ... tractata est ... considerationis* (N[6] *conditionis*) *humanae suprema consideratione*, G[1] a[1] *tracta est ... conditionis humanae et superna conditione*, unde nostra lectio apparet integra. Declarat Gelasius eo tractam seu prolatam esse Miseni poenam, ut non habeat, quo crescat: siquidem mortis, cui obnoxia est humana conditio, quamque Miseno jure metuendam continuae illius aegritudines suadent, extremo discrimine considerato dumtaxat laxetur, atque ita satisfactum sit severioribus Ecclesiae canonibus, qui, paucis durioribus exceptis, etsi poenitentiam ad exitum vitae protrahunt, in periculo constitutis eam remitti volunt. *De his vero,* inquit Nicaenum concilium can. 13, *qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam nunc, ita ut, si forte quis recedat ex corpore, necessario vitae suae viatico non defraudetur.* Quamquam

Digitized by Google

deratione laxetur, remittendaque punitio sit, quae non habet ultra quo crescat. Quia quum nulli animae Deus omnipotens et misericors per ecclesiasticam pietatem quaerenti noluerit remedium denegari, non dubium est, hoc ipso auctore Deo et divina compunctione prodire, ut tunc de ejus receptione tractetur, quando ea non protelanda quoque necessitas compellat impendi. a. 495.

12. Nostro praeterea Salvatore beato Petro apostolo prae ceteris delegante: *Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis;* sicut et his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicae dispensationis officium et totum possit generaliter alligari, et totum consequenter absolvi: praecipue quum ex hoc magis praeberi cunctis oporteat apostolicae miserationis exemplum, ut absolutione damnati, si resipiscant universi et ab errore se retrahant atque ad apostolicae communionis sinceram redeant unitatem[35]), vinculis se damnationis illius, quam universaliter merito praevaricatores exceperant, non ambigant exuendos. Neque enim qui longe positos ad integram fidem curare nitimur, revertentes in praesenti supplices refutare debemus. Ubi sollicite praecavendum est, ne conscientiae detrimentum, negantes usque ad[36]) extremum poscenti misericordiam, quod absit, ullatenus incidamus, censuraeque severitas etiam circa supplices sine fine persistens transeat in reatum. Matth. 16, 19.

13. Proinde quantum permittente[37]) Domino possibilitatis humanae, desideranti remedia praebeamus, totum[38]) quod supra nostrae

---

negandum non est, de iis, qui desperatos in morbos inciderent, hoc caveri. Sed variae illae rationes, quas undequaque Gelasius tanto studio quaeritat, quo Misenum illaesa decessoris sui sententia absolvere se posse probet, quanta religione majorum decretis haerendum sit, demonstrant.

[35]) G[1] a[1] *puritatem;* et mox *merito praevaricatoris,* ubi non displiceret *praevaricationis.*

[36]) b c[7] seqq. *ad extremum peccati materiam* (Vatic. Coust. *poscenti materiam*) ... *nullatenus incidamus,* N[6] *ad extremam peccati materiam ulla incidamus.* Sincerior est lectio G[1] Q[1] a[1]. Sed melior est deinde haec N[6] *censuraeque severitas,* quam quod in praedictis mss. ac vulgatis *censuraeque veritas* (vulg. *veritatis*).

[37]) G[1] a[1]; b c[7] seqq. *praemonente,* moxque c[7] addit *est* (post *humanae*), quod utique subauditur.

[38]) Totum hunc locum usque ad verba *alia defunctorum* Vigilius papa constituto suo (a. 553) epist. 24 n. 125 inseruit. Haec eadem perstringens Facundus Hermian. contra Mocianum interpretationem eis adjungit a Gelasii mente non satis accuratam, ubi habet: *Et apostolica quidem sedes per ib. Gelasium nefas judicat, post mortem condemnare quempiam in Ecclesiae pace defunctum, quum dicit: „Quod super nostrae facultatis est modulum, divino judicio relinquamus."* Nam Vitalis, ad quem maxime respicit, in Ecclesiae pace minime defunctus fuerat. Quamquam generalis Gelasii sententia dici potest, quatenus Christi verbis, quibus tantum super terram ligandi fit potestas, nititur, quod ex ejus verbis epistola 18 n. 5 confirmare licet.

Digitized by Google

a. 495. facultatis est modulum divino judicio relinquentes. Non autem nobis poterunt imputare, cur praevaricationis offensam viventibus remittamus, quod Ecclesiae Deo largiente possibile est, qui[39]) nos etiam mortuis veniam praestare deposcunt, quod nobis possibile non
Matth. 18, 18. esse manifestum est. Quia quum dictum sit: *Quae ligaveritis super terram;* quos ergo non esse jam constat super terram, non humano sed suo judicio reservavit, nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis beatis apostolis conspiciat non fuisse concessum[40]).

14. Quia alia sit causa superstitum, alia defunctorum, tulerit Vitalis sortem divini judicii, cui etiam, quum magnopere vellemus, non potuit subveniri: huic saltem prosint, dum copia viventis admittit, in remediis assequendis alterius experimenta repente sub-
Luc. 17, 34. tracti. Quumque scriptum noverimus: *Unus assumetur et unus relinquetur;* hortatur nos intercepti periculum in superstite subsidia non differre[41]) sanandi, qui hoc ipso recipiendus divinitus indicatur, quum illi supervivit, qui ad haec non meruit pervenire: et quoddam de utroque coelestis judicii refulget examen, ostenditurque nobis evidentius in duobus, in quo fuerit causa sine venia, et in[42]) quo sit, quae indulgentia carere non debeat. Atque ideo, quam ipse quoque, si superstes competenter Acacius expetisset, potuerat obtinere, quippe de quo sic positum est *insolubilem fore,* ut non diceretur *etiamsi*[43]) *forte corrigeret*; multo magis huic, qui communione

---

[39]) Rursum haec Facundus ibidem laudat sic interpolata: *qui nos etiam mortuis aut veniam aut condemnationem dare poscunt.* Hanc autem interpolationem ignoravit Vigilius papa in constituto seu epist. 24 n. 125, ubi eumdem locum citat. Et vero Gelasius Orientales schismaticos hic notat, qui Acacium, extra Ecclesiae communionem defunctum, ab ipso absolvi volebant; de quo et ep. 18 n. 5 sic eum audivimus loquentem: *absolutionem, quam superstes nec quaesivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare, siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: Quae ligaveritis super terram* etc. Quocirca nihil erat causae, cur *aut condemnationem adderet.*

[40]) Apud Facundum his proxime adjungitur: *Si enim licet ligari mortuos, licet et solvi; et si licet mortuis damnationem inferre, licet et veniam dare.* Quae verba Sirmondus Gelasii esse existimavit, sed ad ipsum Facundum ea pertinere non solum nostrorum codicum sed Vigilii etiam papae auctoritate evincitur. Is enim in laudato constituti loco haec ita rescribit: *conspicit non fuisse concessum, quia alia est causa superstitum, alia defunctorum.* Quae ultima verba (*quia alia* etc.) melius ad sequentia referenda nobis visa sunt.

[41]) Ita G^1 a^1; b c^7 seqq. *differenda,* moxque N^6 *ad hoc.*

[42]) Fronto Ducaeus notis apud Lab. legendum esse conjectans *in quo sit, quo indulgentia carere non debet, atque adeo quod ipse quoque,* mentem non est assecutus Gelasii, qui quidem hoc sibi vult: *et in quo sit* (supple *causa*), *quae indulgentia carere non debeat. Atque ideo quam* (supple *indulgentiam* seu *veniam*) *ipse quoque* etc. Infortunatus ille, *in quo fuerit causa sine venia,* est Vitalis, sicut Misenus is est, *in quo sit causa, quae indulgentia carere non debeat.*

[43]) In sententia scil. adversus ipsum a Felice epist. 6 prolata. Qua de clausula vide ejusdem Felicis epistolam 15 n. 4 et Gelasii tractatum IV.

Digitized by Google

ejus infectus est, imploranti flebiliter pietatis est apostolicae non negare. a. 495.

Professus ergo Misenus regulariter se omnes haereses, Eutychianam praecipue cum Eutychete, Dioscoro, Timotheo Aeluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano Petroque Antiocheno vel cunctis eorum successoribus, sectatoribus et communicatoribus detestari, eosque anathemate ferire perpetuo, communionis apostolicae et sacerdotalis[44]) gratiam, quam catholica traditione percepit, recipiet dignitatis."

15. Omnes episcopi et presbyteri surgentes in synodo acclamaverunt: *Exaudi Christe, Gelasio vita!* dictum quindecies. *Domine Petre, tu illum serva!* dictum duodecies. *Cujus sedem et annos!* dictum septies. *Vicarium Christi te videmus!* dictum undecies[45]). *Apostolum Petrum te videmus!* dictum sexies. *Cujus sedem, et annos!* dictum septies trigesies.

Sixtus notarius sanctae Romanae ecclesiae jussu domini mei beatissimi papae Gelasii ex scrinio edidi die tertio Idus Martii[46]), Flavio Viatore viro clarissimo consule.

Epistola 31.

Beati Gelasii ad actores urbici.

a. 495 d. 28 Juli.

p. 41. *Apocha de certis reditibus ecclesiae Romanae a.* 494.

Gelasius actoribus urbicis.

Constat vos intulisse actionibus ecclesiae ex praestatione fundi Claculas, quem conductionis titulo tenes, de fructibus anni consulatus Asterii et Praesidii virorum clarissimorum, de indictione III,

---

[44]) Verbo *sacerdotalis* in G^1 a^1 clauduntur haec gesta. Cetera ex ms. Virdun. supplentur. Ex quo liquet plus Miseno, quam petebat, esse concessum, siquidem cum ecclesiastica communione ei etiam restituta est dignitas sacerdotalis; et vero utrumque non tam ei sublatum quam suspensum fuerat.

[45]) Apud b c^7 seqq. praetermissum fuerat *undecies apostolum Petrum* (hic forte addendum *in*) *te videmus dictum;* quod ex Frontonis notis restituimus. Notandus hic locus: primus enim est, in quo Romanum praesulem *vicarium Christi* appellatum meminimus. *Vicarium Petri* eum nuncupandi mos diu obtinuit. Ipse Misenus supra n. 5 sub conspectu *beati Petri apostoli ejusque vicarii*, Gelasium hoc voce indicans, agere se testatur. Quis autem apud Latinos vocis *vicarii* usus fuerit, Suidas ita notat: *Βικάριος παρὰ Ῥωμαίους διάδοχος, vicarius apud Latinos idem est, quod successor.* Et id quidem firmare licet ex his Cypriani ad Stephanum epist. 1 n. 5: *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus; quorum memoriam quum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es.*

[46]) Editi *Maji;* ex archetypi, cum quo et chronica novissimo Miseni libello praefixa consentit, fide corriguntur.

Digitized by Google

a. 495. auri solidos triginta. Notavi V Calendas Augusti Flavio viro clarissimo consule.

Epistola 32.

Gelasii papae ad Vincomalum.

Apocha altera ejusdem generis. p. 41.

Gelasius Vincomalo.

Constat vos intulisse actionibus ecclesiae ex praestatione fundi, quem conductionis titulo tenes, de fructibus anni consulatus Asterii et Praesidii virorum clarissimorum, de indictione III, auri solidos triginta. Notavi V Calendas Augusti Flavio viro clarissimo consule.

Epistola 33.

(a. 495—496.)

Gelasii papae ad Johannem episcopum Soranum.

Ut in oratorio quodam Magetiae feminae spectabilis defunctorum nomine divina celebrentur officia, sed publica frequentatione et processione cessante, indulget. p. 41.

Gelasius papa Johanni episcopo Sorano[1]).

Certum est quidem et nostris praeceptionibus constitutum, ne quis in ecclesia aut in oratorio, quod sedis nostrae non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi, ne conditores furtivis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent. Sed quia Magetia[2]) spectabilis femina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse; frater carissime, humanitatis intuitu, quod priora statuta non maculet[3]) funeribus et sepulcris, tantum in comprehensis petitorio locis ministeria noveris pro sollemnitate praestanda, ut defunctorum nomine solummodo divina celebrentur officia, publica frequentatione et processione cessante. Data[4]) Idibus Aprilis.

Epistola 34.

(a. 495—496.)

Gelasii papae ad Senecionem episcopum.

Consecrari ecclesiam quamdam in honorem s. Viti praemissa dotatione permittit, ita tamen, ut donator praeter processionis aditum nihil proprii juris habeat. p. 41.

Gelasius papa Senecioni episcopo.

Piae mentis amplectenda devotio est, qua Senilius[1]) vir hono-

[1]) Erat Sora urbs Latii versus Campaniam et Marsos, nunc quoque episcopalis sub Neapolitano metropolitano.

[2]) Q^1 *Ingretia*, Z *Megetia* vel *Megentia*.

[3]) Ita Q^1 Q^2, id est *praedictis statutis illaesis;* Z *non maculent.* Moxque Q^1 Q^2 *mysteria.*

[4]) Ita Q^1 Q^2 U^1; Z omittit chronicam notam.

[1]) Q^1 *qua Senilius vobis in re Vivia,* U^1 *qua se Julius nobis in re Juliana,* unde

Digitized by Google

rabilis in re Viviana sui juris fundasse perhibetur ecclesiam, quam (a. 495 in honorem sancti Viti confessoris ejus nomine cupit consecrari. —496.) Hanc igitur, frater carissime, si ad tuam dioecesim pertinere non ambigis, ex more convenit dedicari, collata primitus donatione sollemni, quam ministris ecclesiae destinasse se praefati muneris testatur oblator: sciturus sine dubio, praeter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum. Data[2]) XIII Calendas Augusti.

Epistola 35.

Gelasii papae ad Herculentium episcopum Potentinum.

(a. 495 —496.)

p. 41. *Eadem conditione consecrari ecclesiam in honorem sanctorum Michaelis archangeli et Marci confessoris permittit.*

Gelasius[1]) Herculentio episcopo Potentino.

Trigetius[2]) hujus petitorii nobis insinuatione suggessit, in re sua, quae[3]) Sextilianus vocatur, basilicam se sanctorum Michaelis archangeli et Marci confessoris pro sua devotione fundasse. Et ideo, frater carissime, si ad tuam pertinet paroeciam, benedictionem supra memoratae basilicae sollemni veneratione dependе. Nihil tamen fundator ex hac basilica sibi noverit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur.

Epistola 36.

Gelasii papae ad Johannem episcopum.

p. 42 *Aselhum archidiaconum, qui interfecto episcopo inconsulta sede apostolica se eligendum curaverat, ab officio suo submovet.*

Gelasius Johanni episcopo.

Nos ausus impii commovere Aselli, qui archidiaconatus fungebatur officio. Nam quum duro casu lethaliter sauciato pontifice praeceteris ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de episcopali domo subduceretur; et eum[1]) ipsum in tumultu praesenti permisit occidi,

---

mutavit d^2 *Julius V. H.* (i. e. *vir honorabilis*) *in re Juviana; Z qua se Julius in re Juliana* (al. *Jnviviana*, Q *Viviana*); unde non dubitavimus nostram lectionem restituere. — **Mox** c^{10} omitt. *oblator*.

[2]) Ita Q^1 Q^2 U^1; Z omittit hanc chronicam notam.

[1]) Ita X^1; alii omittunt inscriptionem.

[2]) Ita Q^1 Q^2. X^1 *Trygetius*, Z c^{10} *Frigentius*. Augustino discipulus quondam fuit *Trigetius* nuncupatus, ex quo liquet, hoc nomen apud Latinos usitatum esse. **Mox** X^1 *hujus petitorii*, ubi alii *vero petitoria*.

[3]) Z *quod Sextilianum vocatur*, moxque *Martini confessoris pro sua defensione*; sequimur Q^1 Q^2 X^1.

[1]) Scil. pontificis occisorem et creditarium.

Digitized by Google

quum et[2]) ad fatendum servari debuisset, utrum haec sua voluntate peregerit aut cujusquam praecipitatus impulsu, et prius ab eo, quia idem creditarius praesulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non evidenter intelligat, propter hoc praecipue dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, et ignorata facultas ecclesiae facilius direptionibus subjaceret? Nam et libellaris incisus episcopi perhibetur inventus, et vir bonus Asellus ac suo gradu dignus, quod nunquam ante tentatum est, prius in se decretum adactis ecclesiae ministris compulit celebrari, quam de excessu secundum tramitem vetustatis ad sedis apostolicae notitiam relatio mitteretur. Quam sit autem intolerabile malum, quis Christianus addubitet? ut quum soleat etiam communi sorte defuncto pontifice transitus ejus ante omnia nuntiari, competens deputari visitatio, atque ita de subrogando sacerdote tractari; hic unus exstiterit, qui interfecto religionis antistite de suo mox honore cogitaverit, quam studuerit deferre quod gestum est. Ubi tametsi latet extrinsecus quid agatur, tamen affectatae potestatis abruptum conscientiam suspicione non exuit defuncti locum taliter[3]) ambientis. Interim ne quis hoc unquam audeat usurpare, quod ante istum nullus est ausus, ab officio, quod gerebat, nostra sit auctoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sane juris ecclesiastici sustulisse convincitur, modis omnibus reformare cogatur.

Epistola 37.

Gelasii papae ad Majoricum et Johannem.

Ecclesiam Scyllacenorum post geminatam caedem pontificum jure proprii pastoris privat et illorum visitationi committit (*n.* 1). *Divisionem sanctissimi eucharistiae sacramenti a quibusdam superstitiose tentatam omnino interdicit* (*n.* 2). p. 42

Gelasius[1]) Majorico et Johanni episcopis.

1. Ita nos Scyllacenorum[2]) caedes geminata pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diu constitutio nostrae deliberationis haesitaret, dum et ingerere quempiam[3]) parricidialibus exem-

---

[2]) Cum T^2 addimus *et*. Mox c^{10} *praecipuum ... libellarius*.

[3]) Ita T^2. c^{10} *pariter*, moxque ad marg. *forte ambiens*. Vox *ambientis* (scil Aselli archidiaconi) autem ad *conscientiam* referenda.

[1]) Q Z omittunt inscriptionem, quam praebent T U X^1 et confirmant Algerus, Gratianus (c. 12 D. 2 de consecratione) et Π^1.

[2]) T c^{10} *quidem Latinorum*, Grat. var. lect. *Sillanorum* vel *Syllanorum*, U^1 *Squillacinorum*, Q^2 *Scillacinorum*. Retinendum cum X^1 Q^1 Z *Scyllacenorum*. Scyllaceum autem urbs est Calabriae ulterioris etiam nunc episcopalis sedes sub Rhegino archiepiscopo.

[3]) T *quemquam parricidialibus exemplis dubitaremus antistitem*. Deinde Q^2 *et*

Digitized by Google

plis detestaremur antistitem et ecclesiam utcunque destitutam non usque adeo judicaremus relinquendam. Quapropter jam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus religioni duximus consulendum, ut paroeciae vices[4]) ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernentur, quae ibidem commanentes ferro didicerit necare pastores, inauditoque facinore, quod etiam nullis provinciis nusquam prorsus acciderit[5]), quae bellorum continuis diversisque incursionibus affliguntur, haec reperta sit civitas, quae praesules ministrandae[6]) sibi fidei Christianae sine persecutione prosternat. Curandum est igitur; ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitum, atque ita saltem furoris tanti materies subtrahatur, si[7]) in qua haec possit acerbitas perpetrari, consistens ibidem persona defuerit: eoque modo vel illa civitas, dum in quos saeviat non habeat, ab hujusmodi cessatione desistat vel aliis imitantibus dira contagia non praebeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis[8]), quae sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter macularat sanguine dignitatem; quia in utroque hac est ultione plectenda, sive scilicet instinctu domestico seu furiis incitata nefas hoc committit externis[9]). Praebeat ergo dilectio vestra in hoc statu positae ministerium visitationis ecclesiae, et aut conveniendo pariter aut vicissim, prout qualitas rerum causaque poposcerit, divina ministeria[10]) repraesentet ingratis, ne quum devitamus zizania, dominica videamur praeterire frumenta.

2. Comperimus[11]) autem, quod quidam in eadem regione sumpta

---

ubicunque ecclesiam destitutam judicaremus non usque adeo nullatenus relinquendam, quod T c[10] omnino omittunt, nos ex recensione Q[1] X[1] Z restituimus.

[4]) Z *vice ... gubernetur*, pergitque T c[10] *quia ibidem ... didicerunt*, X[1] *quae ... didicit.*

[5]) Ita T Q[1] X[1]; Z *accidisse legitur*, minus recte. Non enim Gelasio de rebus longe antea praeteritis, quas lectione didicerit, sermo est, sed de iis, quae adhuc paene sub oculos ejus transigebantur et a quibus epistolam 6 sic orditur: *Barbaricis hactenus dolebamus incursibus maxime vicinas Urbis provincias et bellorum saeva tempestate vastari.* Sic vero de iis loquitur, ut necdum incursiones illae ac bella quievisse videantur. Quodsi ita est, ad initia pontificatus ejus haec epistola referenda est.

[6]) Z *ministrantes sibi fidei Christianae sacramenta*, T c[10] *ministrando sibi fidem Christianam;* castigantur ex Q[1] Q[2] X[1]. Quomodo superius epist. 12 n. 2 episcopi *rerum praesules divinarum*, ita et hic *praesules ministrandae fidei* dicuntur.

[7]) T c[10] *si in quam* (X[1] *qua*) — *defuerit*, ac deinde *civitas* omittunt. Mox T Z c[10] *habebit.*

[8]) Ita Q T X[1]; Z *pensandis.* Mox T c[10] *collatam fuso*, et deinde X[1] *haec est.*

[9]) Q T X[1] *exterius*; Z *externis.* Sequentia (*Praebeat — frumenta*) non habet T.

[10]) Q[2] et aliqua exemplaria Z *mysteria* (X[1] *misteria*). Superior sententia *Egeat ergo episcopalibus subsidiis aliunde depensis* postulat, ut hic *ministeria* cum U Z praeferamus.

[11]) Quod sequitur, etsi alio distractum, T Z referunt; id uno tamen tenore cum superioribus conjunctum atque continuatum Q S X[1] repraesentant.

Digitized by Google

tantum corporis sacri portione a calicis sacri cruore abstineant[12]). Qui procul dubio quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi[13]), aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire, cavendumque[14]) est, ne pestilentia talis obrepens multos in consensum pravitatis adducat.

Epistola 38.

Gelasii papae ad Philippum et Cassiodorum.

Coelestinum presbyterum, in caede episcopi sui conscium convictum, officio suo et communione privat. p. 12

Gelasius Philippo et Cassiodoro.

Coelestini causa talis est, quam vos quoque non arbitror ignorare. Siquidem hic conscius convictus in caede parentis[1]) et episcopi, quemadmodum gestorum tenore monstratur, cunctorum judicio nullatenus aestimatus est officio dignus altaris, eique pro tam detestando facinore unius anni interdicta communio est, quatenus poenitudine competenti tanti facinoris curaret abruptum. Quod etiamsi a nobis minime[2]) juberetur, ipse magis cogitans divini corporis sacramentum, debuit ad hoc mente purgatiori remeare. Quod tempus tamen aut expletum aut prope jam putamus exactum. Post quod ei communionis facultatem patere non dubium est, ut et sententia synodalis possit abrumpi, et ut illi magis prosit, valeat majori satisfactione mundari.

---

[12]) Baronius ad annum 496 Manichaeos hic notari observat, de quibus Leo serm. 4 de quadrag. c. 5 ait: *Quumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinent. Quod ideo vestrae notum facimus sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur*, hoc est, quod noster Gelasius dicit: *ab integris arceantur.* Sane hujus pontificis haereticis illis detegendis ac proscribendis vigilantiam ac sedulitatem Anastasius biblioth. seu Pontificalis liber commendavit his verbis: *hujus temporibus inventi sunt Manichaei in urbe Roma, quos in exsilium deportari praecepit, quorum quoque codices ante fores basilicae s. Mariae incendio concremavit.* Huic autem Anastasii narrationi nonnullam etiam fidem faciunt tot Manichaeorum scripta in decreto sequenti de libris apocryphis tam enucleate recensita.

[13]) Dum scilicet fit istud ex impia superstitione; nisi enim ipsis Leonis atque Gelasii temporibus licuisset aliquando eucharistiam sub una specie percipere, nunquam mox dicto artificio latere se potuisse Manichaei confisi essent

[14]) Ita Q X^1; in T Z desunt sequentia.

[1]) Vix erraverimus, si hunc *parentem et episcopum* Scyllacenorum illum antistitem posuerimus, de cujus caede in epistolis 36 et 37 jam pluribus tractatum est.

[2]) Ita T^2. c^{10} omitt. *minime.*

Digitized by Google

Epistola 39.

Gelasii papae ad Majoricum, Serenum et Johannem episcopos.

p. 43. *Dionysios quosdam, qui ecclesiae Vibonensi detrimenta intulerant, sacra communione usque arcendos, et presbyterum, qui contra pontificale judicium illos admiserat, ab officio suo pellendum decernit.*

Gelasius Majorico, Sereno et Johanni episcopis.

1. Qui et[1]) humanis legibus incivili temeritate[2]) calcatis et reverentia religionis abjecta, vel ecclesiastica privilegia calcare contendunt vel ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec hujusmodi saltem commoniti convictique nequitiam sopire consentiunt atque illata sacris rebus detrimenta sarcire: merito divini muneris sunt participatione privandi, ut hujus perceptione careant, quod sacrilegis[3]) ausibus habuere despectui.

2. Quapropter[4]) Dionysii, qui, sicut vestrae textus relationis ostendit, non solum Vibonensis ecclesiae jura turbare, sed etiam repensare quod nequiter admiserant respuerunt, sacrae communionis arceantur accessu, donec quae honori divino competunt, discant devota mente deferre. Contra quos etiam quidquid publicis legibus agi poterit, minime negligatur: ut qui utrumque tempserunt, utrisque cohibiti, tam sibi quam ceteris praebeant quod necessaria disciplina poscit exemplum.

3. Coelestinus vero presbyter fratris et coepiscopi nostri Sereni, qui contra pontificale judicium contraque apostolicae sedis mandata prorumpens, supradictis communionem sacram ministrare praesumpsit, quum non potuerit ignorare sententiam proprii sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico pellatur[5]): ut nullus Ecclesiae ministrorum contra pontificalia constituta venire contendat.

Epistola 40.

Beati Gelasii papae ad Johannem Spoletanum.

p. 45 *Olibulae religiosae feminae causam contra sororum impetitiones tuendam illi commendat.*

Gelasius Johanni Spoletano.

Olibula religiosa femina flebili nobis petitione suggessit, se a

[1]) Z addit *et divinis*, quod rectius abest a T Π^1 a^2. De ecclesiasticis praediis in suum jus non transferendis exstat praeceptum Hilari papae ep. 8 n. 7.

[2]) Ita a^2. Alii vero libri *damnatione calcatis*.

[3]) Ivo part. III c. 150 *sacras leges habuere;* sed part. IV c. 185 ceteris libris concinit.

[4]) Quae toto hoc numero continentur, a Gratiano praetermissa sunt.

[5]) Π^1 *repellatur*. Mox a^2 *instituta*, ubi cum Π^1Z praeferimus *constituta*. Synonyma hinc videntur *pontificalia constituta, pontificale judicium*, et *sententia proprii sacerdotis*. Unde et praedictam Vibonensis ecclesiae causam ad Nolani episcopi judicium delatam fuisse colligitur.

Digitized by Google

sororibus fuisse nudatam, quae parentum substantiam solae sibi contempta ejus solitudine divisere, maritorum suorum suffultae praesidio. Et quia interest officii tui, ut hujusmodi personas, quae in proposito devotae mentis integritate perdurant, congrua defensione tuearis, frater carissime, quidquid in supradictae feminae negotio petatur, impende, ne patiaris eam a suis sororibus aut ab earum conjugibus aliqua oppressione laborare: ut recepta de parentum substantia portione debita Deo possit quieta mente servire.

Epistola 41.

Gelasii papae ad Bonum epicospum Sabinatem.

Ut Rufinum monachum pro basilica s. Laurentii praesentatum sequenti sabbato p. 43
diaconum faciat, presbyterii ordinatione usque ad medianam hebdomadam dilata.

Gelasius Bono episcopo Sabinati.

In parochia tua basilica sancti Laurentii, quae in possessione filii et consiliarii nostri viri magnifici Theodori fundata est, officium presbyteri deesse cognovimus. Et quia praefatus filius noster nobis retulit invenisse Rufinum quemdam monachum olim sibi vita et[1]) moribus comprobatum, et hunc postulat ibi presbyterum consecrari, quod subito fieri nos praerogata[2]) observantia non acquievimus. Ideoque dilectio tua his acceptis sabbato veniente faciat eum subdiaconum, et si Deus voluerit et vixerimus, mediana hebdomada presbyterum faciemus[3]): quatenus superveniente festivitate paschali sacra mysteria[4]) in memorata basilica a persona competenti valeant adimpleri.

Epistola 42

seu

a. 495 —496. **Decretalis[1]) de recipiendis et non recipiendis libris, qui scriptus est a Gelasio papa cum LXX viris eruditissimis episcopis in sede apostolica urbis Romae.**

CAP. I. p. 44.

1. Post[2]) propheticas et evangelicas atque apostolicas scripturas,

[1]) Z addit *religione*, et mox in quibusdam codicibus *et in omnibus* (loco *et moribus*).

[2]) Z *prorogata ... ideo ... his litteris acceptis.* Haec *observantia* noviter decreto synodali (Gelas. epist. 14 c. 11) fixa erat.

[3]) Q[1] *fac*, Z *faciemus*, quod melius cum antecedenti *vixerimus* congruit.

[4]) Z *ministeria*. Q[1] deinde *ac persona*.

[1]) Ita F[2] H[3] *Incipit decretalis* etc. De aliis inscriptionibus recole, quae in monito nostro n. 4 attulimus.

[2]) Qui praemiserunt canonem Scripturae et alia, quae nos melius Damaso tribuimus, hic addunt: *has omnes pr. e. ev. a. ap. quas superius deprompsimus script.*

Digitized by Google

quibus Ecclesia catholica per[3]) gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universae per orbem catholicae diffusae[4]) Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum[5]) obtinuit: *Tu es, Petrus,* inquiens, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.* Addita[6]) est etiam societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici[7]) garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans, coronatus est: et pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque[8]) omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. a. 495—496. Matth. 16, 18.

Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana ecclesia, *non habens*[9]) *maculam neque rugam nec aliquid hujusmodi.* Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo et evangelista consecrata est, Ipseque a Petro apostolo in Aegyptum directus, verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beatis- Eph. 5, 27.

---

[3]) In pluribus mss. desideratur *per gratiam Dei.*

[4]) Ita C[1] C[2] F[1] F[2] F[d] F[m] F[v] H[s]. At c[9] c[10] omittunt *diffusae*, et mox habent *Romana catholica et apostolica ecclesia.* Deinde F[d] F[m] *sed* (pro *sit*), F[2] b *nonnullis synodicis ... sed et.* — Eadem haec in Pseudo-Isidori praefatione in concilium Nicaenum proferuntur (Hard. coll. conc. I, 309), et quaedam similia in Caroli Magni de sacr. imag. lib. 1 c. 6 et Nicolai I epistola 8 ad Michaelem imperatorem (Migne Patrol. lat. tom. 119, 949).

[5]) F[1] *principatum* moxque cum mss. et c[1] *inquiens*, ubi O[9] c[9] c[10] *inquientis.*

[6]) Ita plures ac potiores mss. At editi cum F[v] *Cui data est.* Non displiceret lectio Γ C[2] (sec. manu) *cui addita.*

[7]) F[1] F[d] F[m] *haeresei*, K[4] *haeresii*, F[v] *haeresi.* Mox C[1] *uno eodemque glorioso amore cum Petro*, corrupte. Non defuerunt etiam inter catholicos, qui Petrum et Paulum eodem quidem die, sed non eodem anno coronatos senserunt, quos inter Arator in fine libri I cecinit: *Non eadem tamen una dies annique voluta Tempore sacravit repetitam passio lucem.* Sed ut Baronius ad ann. 69 probat, et numero et auctoritate praepollent qui Gelasio concinunt.

[8]) C[2] Γ c[1] *talesque*, alii editi cum a[1] *talemque*, K[4] *talisque*, O[9] *taliterque.* Ex potioribus mss. restituimus *aliisque.* Mox C[2] *orbibus*, F[v] *omnibus in;* deinde F[1] *narrando* (pro *venerando*), F[1] F[v] *pertulerunt.* Deinde F[d] F[m] *sedis Romanae ecclesiae.*

[9]) Quo haec spectant, interpretari licet ex illis Hormisdae epist. 21 n. 4: *In sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio.* Quocirca et Carolus Magnus de sacris imaginibus lib. 1 cap. 6 eamdem Romanam ecclesiam commendat his verbis: *Omnes catholicae debent observare ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quae non habens maculam nec rugam, et portentosa haeresum capita calcat, et fidelium mentes in fide corroborat.*

Digitized by Google

a. 495 —496. Act. 11,26. simi Petri apostoli[10]) habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est.

Cap. II.

1 Cor. 3,1. 2. Et quamvis *aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id, quod positum est, qui est Christus Jesus,* tamen ad[11]) aedificationem sancta id est Romana ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti, quas[12]) regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est:

Sanctam synodum Nicaenam[13]) trecentorum decem et octo patrum, mediante maximo Constantino Augusto[14]). Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Coelestini papae, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio episcopo ab Italia destinato. Sanctam synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto et Anatolio Constantinopoli-

---

[10]) a^1 c^2 seq. addunt *nomine*: refragantibus mss. et aliis verbis. Et quidem Petrus per se, non per vicarium Antiochiae sedit, ut etiam nunc cathedrae seu sedis beati Petri in Antiochena ecclesia per orbem celebrata sollemnitas testis est. Apposite ab Innocentio epist. 24 n. 1 Antiochia appellatur *prima primi apostoli sedes, quae urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet.*

[11]) Ita 1 β; F^2 H^s X^k omittunt *id est*, plerique alii (etiam C^2 F^d F^m F^v) ejus loco *idem* (C^2 sec. manu *eamdem;* non displiceret *eadem* vel *item*, et antea cum C^2 F^v *sanctam*). C^2 F^v *tamen ad* (F^v omitt. *ad*) *aedificationem sanctam idem Romanam ecclesiam*, Γ *ad aedificationem nostram id est Romanam ecclesiam*, editi *ad aedificationem nostram sancta Romana.* — Neque in mss. rara est hujusmodi mutatio. Et ut hujus rei non aliunde accersamus exempla, mox pro *id est ... Nicaenam* C^1 F^s F^v *idem ... Nicaenam.*

[12]) Ita codices, qui decretum nostrae formae proferunt, nisi quod F^2 et editi *suscepimus.* Alii *quas superius enumeravimus,* F^d F^m a^3 *quas regulariter superius enumeravimus* (F^d F^m *memoravimus*). *Regulariter* hoc est ex canone tum ab Innocentio epist. 6 c. 7, tum a concilio Carthaginensi III can. 47 jam praescripto suscipiendi.

[13]) C^2 *secundum trecentorum decem et octo episcoporum* (sec. man. add. *patrum*), F^d F^m X^k *secundum trecentos ... patres.*

[14]) a^1 c^2 seq. cum mss., qui hoc decretum Hormisdae adscribunt, hic adjiciunt: *in qua Arius haereticus condemnatus est. Sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit.* Sed apud Merl. haec verba absunt, et ex omnibus mss., qui idem decretum Gelasio attribuunt, soli O^s (in marg.) K^3 ea exhibent, haud dubie ex Hormisdae exemplaribus repetita. Praeterea Γ prima manu in contextu prae se fert *in qua Arius haereticus condemnatus est*, sed secundis tantum curis in ora inferiori adscriptum habet *sanctam synodum Constantinopolitanam CL patrum contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi papae et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi est ordinatus episcopus.* — Deinde F^1 C^2 X^k *Ephesiam.* Subinde editi *condemnatus,* moxque in aliquot mss. (etiam C^2 c^1) deest *episcopo.* Is Arcadius ut primarius apostolicae sedis in Ephesina synodo legatus, nunc solus memoratur, licet ei adjuncti fuerint et alii duo.

Digitized by Google

tano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana haereses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatae sunt[15]). a. 495—496.

Cap. III.

3. Item opuscula beati Caecilii[16]) Cypriani martyris et Carthaginensis episcopi.

Item opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula beati Basilii Cappadociae episcopi.

Item opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Johannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item[17]) opuscula beati Hilarii Pictavensis episcopi.

Item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi.

Item opuscula beati Augustini Hipponeregiensis episcopi.

Item opuscula beati Hieronymi presbyteri.

Item opuscula Prosperi[18]) viri religiosissimi.

Item epistolam beati Leonis papae ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam; de[19]) cujus textu quispiam si usque ad unum jota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium orthodoxorum patrum, qui in nullo a sanctae ecclesiae Romanae consortio deviarunt nec

---

[15]) In a^1 cc ut in exemplaribus, quae Hormisdae nomen prae se ferunt, hic adjungitur: *sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post horum* (in mss. Hormisdae *istorum quatuor*) *auctoritatem* et *custodienda et recipienda decernimus et mandamus.* Sed haec a mss. C^1 C^2 F^1 F^2 H^8 F^t F^v F^x F^d F^m H^3 H^5 ac ceteris codicibus, in quibus hoc decretum Gelasio adscribitur, prorsus absunt, si perpaucos excipias, quibus et alia, ut monui, ex Hormisdae exemplis sunt inserta. Haec autem antiquus Hispanae collectionis auctor in ejusdem collectionis praefatione sic imitatus est: *Sed et si qua sunt concilia, quae sancti patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore:* quae quidem verba Isidorus Hispal. haud multo post lib. 6 orig. cap. 15 exscripsit.

[16]) c^1 *Cyrilli,* F^d F^m *Cecili,* C^2 F^v *Cicili.* a^1 c^2 seq. omittunt *Caecilii,* quam vocem ex mss. restituimus. Deinde *episcopi* vocabulo sola Hormisdae exempla subjiciunt *in omnibus recipienda,* quae accessio propter singularem Cypriani de baptismo haereticorum opinionem nonnihil suspecta jure videatur.

[17]) a^1 c^d seq. hic ad marginem notant: *Item opuscula B. Proterii Alexandriae episcopi*; cujus notae nullum est in nostris mss. vestigium.

[18]) Ita plerique mss. (F^2 H^8 F^v F^x K^4 O^9); editi cum C^1 C^2 F^d F^m $\Gamma^2\beta$ addunt *beati.*

[19]) Ita C^1 F^2 F^d F^m; editi cum C^2 F^v O^9 *cujus textum.* Mox plerique mss. (exceptis C^2 F^2 F^v O^9) *jotam,* et deinde F^v corrupte *quispiam suis quae istam.* Huic Gelasii sententiae concinens Pelagius I epist. 5 n. 1 anathematizare et ab aeternae vitae praemiis alienum judicare se scripsit, quicunque ab ea fide, quam papa Leo in suis epistolis praedicavit, *in una syllaba aut in uno verbo vel in sensu ... declinavit vel declinaverit.*

Digitized by Google

a. 495 —496. ab ejus fide vel praedicatione sejuncti sunt, sed ipsius communicationis[20]) per gratiam Dei usque in ultimum diem vitae suae fuere participes, legendos decernit.

Item decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione[21]) dederunt, venerabiliter suscipiendas esse.

4. Item gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant[22]). Quis ista catholicorum dubitet et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus sed Dei gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in[23]) sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum,

---

[20]) Ita C^1 F^2 H^3 (C^2 *ut communicationis*). At F^d F^v K^4 *communicatione*, F^m *communicationi*, ceteri vero libri *communionis* et mox *decernimus*, ubi ex C^1 F^2 F^d F^m H^3 restituimus *decernit*, scilicet Romana ecclesia, cujus nomine Gelasius hoc decretum promulgans superius praemisit: *Romana ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas.* Ubi sicut de Romana ecclesia *non prohibet*, ita et hic de eadem *decernit* dicitur. Verbum autem *decernimus* ab eo, qui decretum hoc a ceteris gestis distraxit, imprudenter substitutum suspicamur.

[21]) Plerique omnes mss. cum c^1 *consolatione*, lapsu librariis valde familiari, F^d F^m *consultationem*, H^3 *consultatione:* Hic animadvertit quisque, *papae* nomen simpliciter pro Romano antistite positum. Pluris autem refert observare *Decretalium epistolarum* nomine eas hic intelligi, quae usu tum receptae erant, quasque Leo I epist. 4 c. 5 designat his verbis: *Decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri debere mandamus.* Illud vero ad eas epistolas, quas Isidorus Mercator priorum pontificum nomine construxit, frustra quidam accomodant, quum hae ad saeculum nonum ubique fuerint ignotae.

[22]) C^1 F^s *ingrediantur* (haud dubie pro *inradiantur*), H^6 *illustrantur*. Deinde a^1 c^4 seq. *Quis ita esse catholicorum*, F^1 F^d F^f F^m H^3 Γ *Quis catholicorum*. In plerisque aliis mss. et c^1 c^2 *Quis ista* (vel *ita*) *catholicorum;* C^2 F^d F^m F^v H^6 omittunt *et* ante *majora* (C^2 addit sec. manu). Aperta fiet lectio in hunc modum: *Quis catholicorum dubitet, eos ista et majora.*

[23]) Quatuor mss. *a sancta.* Verius alii libri *in sancta*, hoc est *intra divina officia*, quae Romanis in ecclesiis peraguntur. Totus hic locus in veteri canonum collectione olim D. Petiti, tunc ejus dono bibliothecae Germanensis, ita corruptus et interpolatus effertur: *Gesta martyrum, quae mirabilibus cruciatibus et triumphis irradiant, et a catholicis viris conscriptae sunt, omnimodis veneramur; ea vero, quae ab haereticis vel idiotis compositae vel adulteratae sunt, nullatenus recipiantur: quae in ipsis eorum dictis ab ecclesiasticis viris sine mora deprehendi possunt.* Quam lectionem quum vir clarissimus probat, plus aequo defert codici, in quo veterum sententiae non minori licentia adulteratae passim enunciantur. Neque vero in ea lectione, quam ceteri codices praeferunt, ullam pugnam esse, ut vult, largiar. Tantum Gelasius ab eo longe abesse se testatus, publice ut gesta martyrum, licet Romana in ecclesia publice non legantur, respuat, statim cur in ecclesia Romana non legantur explicat. Dum vero eadem ab ecclesia Romana suscipi declarat, simul et ea fidelibus extra ecclesiam ac privatim legere licere satis aperte docet. Immo infra Gelasius, nec quod Silvestri actus

Digitized by Google

qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus vel[24]) idiotis superflua aut minus aptaque quam rei ordo fuerit, esse putantur: sicut cujusdam Quirici[25]) et Julittae, sicut Georgii aliorumque hujusmodi passiones, quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum praedicta ecclesia et omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur. a. 495 —496.

Item vitas patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus descripsit[26]), cum omni honore suscipimus.

---

etsi ab ignoto auctore conscripti a multis catholicis legantur, improbat. Non defuere tamen, qui quod Romana ecclesia publice non permittebat, etiam privatim interdictum putarent. Unde apud Mabillonium Liturgia Gallic. pag. 467 passionis sanctorum Cantianorum scriptor quosdam, qui martyrum gesta legi prohiberent, acriter carpit. Nos igitur iste ac similes veterum loci docent, quanta circa legendos in ecclesia libros majorum nostrorum religio fuerit. Laodicenum concilium can. 59 sancit: *minime in ea legendos libros non canonicos, sed solos canonicos veteris ac novi Testamenti.* Decretum hujusmodi ita temperat concilium Carthaginense III, ut postquam can. 47 statuit: *praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum;* paulo post subjiciat: *liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniversarii dies eorum celebrantur.* Id quoque ut in ecclesiis passiones martyrum legerentur, apud Gallos ante saeculi V exitum usu receptum fuisse ex s. Caesarii Arelatensis sermone, qui in appendice tomo V s. Augustini 3tius est, colligitur. Eumdem morem et subinde in Romanam ecclesiam inductum esse, testis est Hadriani I epistola 3, in qua praecipitur: *Vitae patrum sine probabilibus auctoribus minime in ecclesia legantur; nam ab orthodoxis titulatae et suscipiuntur et leguntur.* Cujusmodi verba interpolationi superius notatae occasionem dedisse haud temere videantur. Praeterea sanctus Benedictus, cujus in latitudinem secessus ad Gelasii tempora aut circiter refertur, regulae capite 9 non scripturas tantum *sed et expositiones earum, quae a nominatissimis doctoribus orthodoxis et catholicis patribus factae sunt,* legi praescribit; quod eum praeter ecclesiae Romanae usum praescripsisse nemo sibi persuaserit, maxime qui et ipsum audierit Gelasium in hoc decreto *tractatus omnium orthodoxorum patrum legendos* proxime constituentem.

[24]) $F^d F^f F^m F^v$ *et,* alii editi *aut.* Deinde K^4 *ideotis,* K^3O^3 *idiotis aut dictis,* ex nota, ut videtur, marginali, qua quis non intelligens quid sibi vellet *idiotis,* e regione scripsit *aut dictis* (H^6 *aut dictu*). O^6 *ab infidelibus addita superflua,* quae lectio, etsi minus sincera, si tamen *vel idiotis* retinuisset, Gelasii mentem satis apte explicaret. Mox c^2 seq. *scripta esse putantur,* praeter fidem omnium mss. Potius verbum *inserta* subintelligitur.

[25]) In 16 mss. (etiam $H^5 F^v X^k$) *Curici vel Cirici;* moxque a^3 removit *compositae.* Theodorus Iconii episcopus, qui sub finem imperii Justiniani vel non multo post sinceriora eorumdem martyrum gesta ex traditione virorum fide dignorum concinnavit, anno 1660 a Combefisio edita ac subinde a Ruinartio inter acta selecta martyrum recusa, fatetur: in actis illis, quae nunc Gelasius reprobat, *verba exstare praetumida et inconsona nugasque ab spe Christiana extraneas continentia, suspicaturque illa Manichaeorum seu aliorum quorumdam haereticorum aliena sentientium arte confecta.*

[26]) F^2 *conscripsit,* editi *scripsit.* Mox $C^1 F^d F^f F^m$ *cum honore,* H^3 totum omittit.

Digitized by Google

a. 495 —496. Item actus[27]) beati Silvestri apostolicae sedis praesulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multae hoc imitantur ecclesiae.

Item scriptura de inventione crucis[28]) Dominicae, et alia scriptura de inventione capitis beati Johannis baptistae, novellae quidem relationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt. Sed quum haec ad catholicorum manus advenerint[29]), beati Pauli apostoli praecedat sententia: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1 Thess. 5,21.

Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis[30]) Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quae praedictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos[31]) vir saepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

---

[27]) Huc spectat, quod Carolus Magnus libr. Carolin. II c. 13 scribit: *Libro igitur actuum b. Silvestri, ubi de imaginibus* (apostolorum) *Constantino imperatori delatis scribitur, ideo obniti potest, quia quamquam a pluribus catholicis legatur, non tamen ad ea, quae in quaestionem veniunt, affirmanda plane idoneus perhibetur: quod in libro b. Gelasii Romanae urbis antistitis, qui inscribitur Decretale de recipiendis vel non recipiendis codicibus, apertius demonstratum.*

[28]) C^2 addit *sanctae.* Moxque $F^1 F^d F^m$ omittit *dominicae,* cujus loco H^3 *sanctae.* Tum c^1 *Item scripturam ... et aliam scripturam.* a^1 c^2 seq. *Item scripta ... et alia scripta,* ac deinde cum c^1 *novellae quaedam relationes.* C^2 F^v *novellae quidem relationis* (F^v *et*) *nonnulli* (c^2 *eas*) *catholici legunt.* 2 mss. *revelationes.* Inter opera Cypriani edit. Pamel. pag. 577 habetur de revelatione capitis Johannis Baptistae tractatus. Quem quum Baronius annotationibus in martyrol. IV Kal. Septembris hic notari observavit, non attendit, et in eodem tractatu laudari Marcellini comitis chronicon post Gelasii mortem concinnatum. Sed inde hoc decretum Gelasio eripere Pearsonius Ignatian. pag. 51 frustra contendit, quum item a Marcello quodam archimandrita ante Gelasii obitum capitis Johannis Baptistae revelationem scriptis mandatam esse, nec ipse diffiteatur.

[29]) Editi cum C^2 *pervenerint,* moxque C^2 *beati apostoli probant* (sec. manu *praecedat*) *sententiam,* F^m *praecedit.*

[30]) Ita potiores mss. Alii vero, (inter quos C^2 F^v O^9) *beatissimus.* a^1 cc *beatus.* Hieronymi scripta commendandi nullam praetermittit Gelasius occasionem, quo efficacius insolentiam retundat illorum, qui famam ejus lacerare non desistebant. Cujus rei causa imperitum quemdam senem ab ipso epist. 6 n. 9 acriter reprehensum audivimus.

[31]) Hoc est Luciferianos, Vigilantium, Jovinianum, Helvidium, ac si quos alios *zelo Dei et fidei religione reprehendit.* Hanc autem approbationem extra conditionis hujus fines ad omnia Hieronymi verba protendens Pearsonius, multa in cassum colligit, unde et auctoris hujus decreti et Hieronymi non unam in omnibus esse sententiam, adeoque hoc decretum Gelasio abjudicandum persuadeat. Quasi vero is papa sese a qualibet Hieronymi sententia ne unguem latum quidem discedere profiteatur, et non potius hoc tantum significet, sese in aliquibus de libertate arbitrii, in quibus Rufinum peccare Hieronymus notavit, eadem sentire, quae ille doctor sentit; et ut Rufinum in his reprehensione dignum judicat, ita idem sentire se de omnibus aliis, quos idem doctor *zelo Dei et fidei*

Digitized by Google

Item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia eum auctore suo dicimus renuenda. a. 495—496.

Item chronica Eusebii Caesariensis[32]) atque ejusdem ecclesiasticae historiae libros: quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici[33]) unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularum[34]) notitiam, quae ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit[35]) historiam miraque brevitate contexuit.

Item viri venerabilis Sedulii paschale[36]) opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude praeferimus.

Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.

5. Cetera, quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia. E quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt, credidimus[37]) esse subdenda.

---

religione reprehendit, hoc est, eos a se improbari pariter ac reprehendi: uno verbo istud ad unos haereticos attinet, quos Hieronymus zelo fidei refutavit.

32) C² addit *epi*. F¹ hic desinit.

33) C¹ *schismaticis*: non spernenda lectio. Neque enim Origenes schismati ulli adhaesisse legitur, sed ejus doctrina schismati occasionem dedit. Notandum, qua mente Gelasius et nunc historiae Eusebii libros non *renuendos* docet, et infra eamdem historiam *apocryphan* denuntiat. Ex his similibusque locis planum est, paulo latius apud eum, quam nonnulli putant, patere *apocryphi* nomen. Non enim ideo Eusebii historia ab eo apocrypha dicitur, quia illam aut legi nolit aut occuli velit, sed quia ut ab homine suspecto scriptam nonnisi circumspecte legendam censeat. Hunc autem duplici de causa suspectum habet: quia nimirum et Origeni palam et clam Ario faverit, cujus gratia in primo historiae suae libro *tepuisse*, hoc est, quae adversus ejus haeresim exserenda erant, tacuisse innuitur.

34) Ita melioris notae mss. At a¹ cc *singularem*. Mox C² *scrutationem* et sec. manu *instructionem*.

35) a¹ cc addunt *dignam*. Moxque cum C² F⁴ F⁵ addidimus *viri* (C² *sedulii episcopi*).

36) Notant eruditi, Sedulium idem opus primo metrica postea vero soluta oratione composuisse, ac primum scriptum *paschale carmen*, postremum *paschale opus* nuncupasse. Ad Gelasium quod attinet, ignota ei fuit hujusmodi distinctio. Eam enim lucubrationem, quam *versibus heroicis descriptam* notat, *paschale opus* appellat. Hoc Sedulii carmen Asterii exconsulis opera primum in lucem prodiisse plerique sentiunt. Quod quamvis concedatur, hoc Gelasiani decreti veritati nihil officere, praevio monito probavimus; quanto magis, si cum Justo Fontanino sentiamus, exconsulem curasse, non ut in lucem primum emitteretur Sedulii opus, sed ut elegantiori forma vulgaretur.

37) Editi cum C² *credimus*.

Digitized by Google

a. 495 —496.

Cap. IV.

Notitia[38]) *librorum apocryphorum, qui non recipiuntur.*

Ariminensem[39]) synodum a Constantio Caesare Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tauro praefecto, ex tunc et nunc et usque in aeternum confitemur esse damnatam.

6. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri numero X[40]), apocryphum.

Actus nomine Andreae[41]) apostoli apocryphi.

Actus nomine Thomae apostoli[42]) apocryhi.

Actus nomine Petri apostoli alius[43]) apocryphi.

Actus nomine Philippi apostoli[44]) apocryphi.

Evangelium[45]) nomine Matthiae apocryphum.

Evangelium nomine Petri apostoli apocryphum.

Evangelium nomine Jacobi minoris apocryphum.

Evangelium[46]) nomine Barnabae apocryphum.

Evangelia[47]) nomine Thomae, quibus utuntur Manichaei, apocrypha.

---

[38]) Titulum hunc asservant C^2 F^2 F^g F^v H^3 Γ, nisi quod C^2 corrupte *Item notitia de librorum* (sec. manu *libros*) *apocriforum, qui etc.* F^d F^m X^k *Incipit notitia librorum apocriforum id est.* Etiam F^f omitt. *qui non recipiuntur.*

[39]) Editi cum F^d F^m X^k addunt *Inprimis*, moxque *Item Itinerarium.*

[40]) Ita c^1 cum 12 mss. a^3 C^2 (sec. manu) F^2. At a^1 c^2 seq. *libri octo*, F^v prorsus omittit. C^1 H^3 X^k F^d F^f F^m cum exemplaribus Hormisdae *libri numero novem*, ac deinde sola Hormisdae exemplaria *apocryphum esse scimus.* Est opus notissimum *Recognitiones s. Petri* vel *Περίοδοι Πέτρου* nuncupatum.

[41]) Vid. Phot. cod. 114 et Augustin. contra adversar. leg. et prophet. I, 20, Euseb. h. e. III, 25, Epiph. haer. XLVII, 1. LXI, 1. LXIII, 2.

[42]) Ita C^2 F^2 a^3. Editi cum C^2 (prima manu) H^g F^v et exemplaribus Hormisdae addunt *libri X.*

[43]) *Alius* addimus cum C^2 F^2 F^v H^g. Citantur hi actus ab Isidoro Peluslota lib. II ep. 99. Omnes hos actus apocryphos edidit Tischendorf (Acta apost. apocr. Lipsiae 1851).

[44]) c^2 *Philippi apocrypha*, omissa voce *apostoli*, deindeque subjicit *Evangelium nomine Thaddaei apostoli apocryphum.* Utraque lectio tametsi nullius ms. auctoritate fulta, in edit. Rom. et sequentibus concil. retenta est. Subnexos libros Eusebius h. e. III, 25 pariter notat ac rejicit, utpote sub apostolorum nomine ab haereticis evulgatos, qui Petri, Mathiae et quorumdam aliorum evangelia continent. Vide Innocentium I epist. 6 n. 13. *Actus Philippi* autem ab Anastasio Sinaita citantur (ap. Coteler. Monum. eccl. Graec. tom. III).

[45]) Quidam mss. (etiam C^2 F^2 H^g X^k) hic et in sequentibus *Evangelia.* Deinde ibi ordo apud alios alius. In C^2 F^d F^m H^g X^k et exemplaribus Hormisdae ita sequuntur: *Mathiae ... Barnabae ... Jacobi minoris ... Petri ap. ... Thomae ... Barthol. ... Andreae*, in F^v *Mathiae, Petri, Jacobi, Barn., Thomae.*

[46]) a^3 hoc delevit, non monens, qua auctoritate. Retinemus cum C^2 F^d F^m F^v H^g X^k.

[47]) Ita plerique mss. (etiam C^2 F^2 F^d F^m H^g X^g; F^v *evangelium ... quibus*). a^3 cum H^3 a^1 cc praetulit *evangelium ... quo.* Duplex quidem circumferebatur evangelium

Digitized by Google

Evangelium[48]) nomine Bartholomaei apostoli apocryphum. a. 495
Evangelium[49]) nomine Andreae apostoli apocryphum. —496.
Evangelia[50]), quae falsavit Lucianus, apocrypha.
Evangelia[51]), quae falsavit Hesychius, apocrypha.
Liber de infantia Salvatoris apocryphus.
Liber de nativitate Salvatoris et de Maria vel[52]) obstetrice apocryphus.
7. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.
Libri omnes, quos fecit Leucius[53]) discipulus diaboli, apocryphi.

Thomae ab haereticis adscriptum, quorum unum Gnosticis, alterum Manichaeis usui erat. Sed de eo uno, quo Manichaei utebantur, hic sermo est. Hoc autem Cyrillo Hierosolymitano catech. 6 n. 31 teste, Thomas quidam e tribus primis Manetis discipulis unus composuerat. Evangelii Thomae ab haereticis conscripti meminere Eusebius h. e. III, 25, Hieronymus prooem. comment. in Matthaeum et Leontius de sectis lib. 3. Augustinus quoque contra Faustum XXII c. 79 ad idem opus maxime respicit, ubi primum praefatur: *legunt scripturas apocryphas Manichaei a nescio quibus sutoribus fabularum sed apostolorum nomine scriptas*, ac deinde subjicit: *Ibi tamen legunt apostolum Thomam, quum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus et prorsus incognitus, a quodam ministro palma percussum imprecatum fuisse homini.*

[48]) C^2 F^g H^3 H^8 K^4 O^2 $\Gamma\beta$ et exemplaria Hormisdae *Evangelia ... apocrypha.* Evangelii hujus secundum Bartholomaeum mentionem faciunt Ambrosius in Lucam lib. 1 n. 2 et Hieronymus prooem. in Matth. ex Origenis homilia I in Lucam.

[49]) F^v prorsus hoc omittit, C^2 delevit secunda manu *Andreae* ejusque loco posuit *Bartholomaei.*

[50]) F^v *Evangelium quem* ... Hic confirmat Gelasius, quod Hieronymus praefat. in evang. ad Damasum scripsit: *Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utique nec in toto veteri instrumento post LXX interpretes emendare quid licuit, nec in novo emendasse profuit, quum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat falsa esse quae addita sunt.*

[51]) In F^2 F^d H^a hoc prorsus omittitur. F^g F^v H^3 β *Evangelium quod falsavit.* Deinde $\Gamma\beta$ *Isicus*, C^1 *Asycius*, C^2 *Ysicius*, K^4 *Eusicius*, 2 alii cum F^m *Isicius*, O^1 *Esicius*, F^v *Eusicius* (et add. sec. manu) *et Lucius*, H^3 *Hisicius*, X^k *Hysicius.* Legendum esse *Hesychius* ex verbis Hieronymi proxime allatis apertum est.

[52]) Editi *et*, moxque cum F^f (sec. manu) addunt quidam *ejus.*

[53]) C^2 (prima manu), ut in exemplaribus Hormisdae, *Lucius*, 2 β *Lucianus*, Atto Vercellensis *Seleucius.* Verius aliis in libris et C^2 sec. manu *Leucius.* Haeretici hujus et actorum ab ipso conscriptorum meminere Innocentius I epist. 6 n. 13, Augustinus de actis cum Felice Manichaeo II, 6, Evodius seu auctor libri de fide contra Manichaeos (apud Augustinum) cap. 5. Etiam apud Phot. cod. 114 quidam Λεύκιος Χαρῖνος memoratur. De illo aliisque ejusdem farinae haereticis, quae Turribius Asturicensis episcopus apud Leonem edit. Ballerin. post ipsius Leonis epistolam 15 tradit, non ab re fuerit hic exscribere. Ille de Manichaea secta praefatus, cap. 5 subdit: *Per cujus* (sectae) *auctores vel per ipsum maximum principem Manem ac discipulos ejus libros omnes apocryphos vel compositos vel infectos esse manifestum est. Specialiter autem actus illos, qui vo-*

Digitized by Google

a. 495 —496. Liber, qui appellatur Fundamentum, apocryphus.

Liber[54]), qui appellatur Thesaurus, apocryphus.

Liber de filiabus Adae[55]) Leptogenesis apocryphus[56]).

Liber, qui appellatur actus Theclae[57]) et Pauli apostoli, apocryphus.

Liber, qui appellatur Nepotis[58]), apocryphus.

Liber Proverbiorum ab[59]) haereticis conscriptus et sancti Xysti nomine praenotatus apocryphus.

---

cantur sancti Andreae, vel illos, qui appellantur sancti Johannis, quos sacrilego Leucius ore conscripsit, vel illos, qui dicuntur sancti Thomae et his similia; ex quibus Manichaei et Priscillianistae, vel quaecumque illis est secta germana, omnem haeresim suam confirmare nituntur, et maxime ex blasphemissimo illo libro, qui vocatur memoria apostolorum. Neque tamen idem Turribius l. c. cap. 6 praefracte negat, immo etiam ultro largitur, *mirabilia illa atque virtutes, quae in apocryphis libris scripta sunt, sanctorum apostolorum vel esse vel potuisse esse;* at constare sibi dicit, *assertiones illas sensuum malignorum*, quas notat, *ab haereticis insertas esse.*

[54]) Libri *Θεσαυροί* apud Phot. cod. 85.

[55]) In Hormisdae mss. *Judae hoc est Leptogenesis.* Illud *hoc est* non exstat in Gelasianis, et legunt $H^1 X^k$ *Leptogenesibus*, $F^d F^f F^m$ *l. qui appellatur Adae lepto genesibus* (F^d *adaleptogenesibus*), $F^2 H^s$ *Leptogeneseos*, vetus β *Litogenesis*, c^1 *Liptogenesis*, plures alii *Lectogenesis*, F^v *lectum geneseos*, K^4 Γ *Lactogeneseos*, O^1 O^9 *Lectogeneseos*, C^2 *Licto egeneseos*, F^s *Extragenescos*, recentior β *lectione geneseos;* in nullo reperimus, quod a^1 cc praeferunt *De filiabus Adae geneseos.* Hic notari videtur liber nomine *parvae genesis* notus, quem memorant Cedrenus, Epiphanius haeres. 39 n. 6, Georgius Syncellus, Hieronymus epist. 78, alii.

[56]) c^2 seq. cum $F^f F^d F^m H^3 X^k$ hic immittunt: *Centonem* (c^2 seq. *centimetrum*) *de Christo Virgilianis versibus compaginatum apocryphum*; quod in ceteris mss. et c^1 longe inferius collocatur.

[57]) F^v sec. manu addit *vel Thollius.*

[58]) C^1 F^v cum Hormisdae mss. *Nepotes* vel *Nopotis* (F^v), C^2 *Nephothes*, alii *Nepotis.* Notari hic videtur Nepotis Aegyptii episcopi liber, quem Dionysius Alexandrinus antistes teste Eusebio h. e. VII. 24 vehementer impugnavit, quamvis hominem magno honore ac reverentia prosequi se simul testificaretur. Ejusdem mentio fit et in Vigilii constituto seu epist. 24.

[59]) Editi *qui ... Sixti ... praenotatus est. Xysti* cum C^2 F^2 F^f F^v H^s et 5 vetust. mss. a^3 scripsimus. Deinde plerique mss. (etiam $C^2 F^d F^m H^s X^k$ et exemplaria Hormisdae) *praesignatus.* De hoc opere Augustinus retract. lib. 2 c. 42 ita loquitur: *Verba quaedam, quae velut Xysti Romani episcopi et martyris Pelagius posuit, ita defendi, tamquam revera ejusdem Xysti essent, sed postea legi Sixti philosophi esse.* Erroris hujus causam Hieronymus comment. in Jeremiam c. 22 et in Ezech. c. 18 nec non epistol. 132 ad Ctesiphontem in Rufinum rejicit, quod videlicet *librum Sixti Pithagorei hominis absque Christo, mutato nomine Xysti martyris et Romanae ecclesiae episcopi praenotavit*, quum scilicet illum latinitate donavit. Gennadius Massiliensis lib. de viris ill. inter opera, quae Rufinus in latinum sermonem convertit *Sixti sententias memorat.* Ubi autem Hieronymus *mutato nomine* id factum observat, satis aperte philosopho *Sixti*, et beato martyri ac papae *Xysti* nomen servandum docet. Porro hujus philosophi sententias consecrare studens Mercator, eas epistolis dispersit, quas Xysti I ceterorumque pontificum, qui secundo saeculo ac sequentibus floruerunt, nomine confinxit

Digitized by Google

Revelatio[60]), quae appellatur Thomae, apocrypha. a. 495
Revelatio, quae appellatur Pauli, apocrypha. —496.
Revelatio, quae appellatur Stephani, apocrypha.
Liber[61]), qui appellatur Transitus id est assumptio sanctae Mariae, apocryphus.
Liber[62]), qui appellatur Poenitentia Adae, apocryphus.
Liber de[63]) Ogi homine gigante, qui cum dracone post diluvium ab haereticis pugnasse fingitur, apocryphus.
Liber, qui appellatur Testamentum Job, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia Origenis, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia[64]) sancti Cypriani, apocryphus.

---

[60]) Deest in cod. Lab. et H^{12}. Mox C^2 J^c addunt *apostoli*, quod abest a potioribus mss. Et forte hoc opus Thomae Manetis discipuli erat. Eorumdem mss. auctoritate etiam in sequenti versu expunximus idem *apostoli* vocabulum, ac deinde *sancti* (ante *Stephani*).

[61]) H^9 *Revelatio quae appellatur translatio i. e. adsumptio sanctae Mariae.* F^d F^m O^9 X^k et β (inferioris notae) *transitus sanctae Mariae apocr.*, et addit β *Idem assumptio quae sanctae Mariae appellatur apocr.* Γ omittit *assumtio.* — Opusculum istud sub nomine Meliti vel Melitonis Smyrnensis latum Pseudo-Hieronymus in sermone de assumptione b. Mariae ad Paulam et Eustoch. paulo post initium memorat his verbis: *Ne forte si venerit in manus vestras illud apocryphum de transitu ejusdem virginis, dubia pro certo recipiatis.*

[62]) Apud Epiphanium haer. 26 n. 8 ἀποκαλύψεις τοῦ Ἀδάμ vocatur; nam idem hoc opus esse docet Cedrenus l. c.

[63]) Et hic quum maxima sit codicum varietas, singulas eorum lectiones subjicimus, ut ex his seligat quisque, quam magis probaverit. Igitur H^3 *de Eugiani nomine gigante.* F^v prima manu *Eugea*, sec. manu *Eugenii a nomine gigante.* C^1 C^2 O^1 et 2 mss. Hormisdae *de Eugenia* (C^2 sec. manu *Vegenia*) *nomine gigante* (C^2 *gigantis*), quam lectionem praetulit Chifflet. Sed deinde substituere coactus est *quae*, licet in omnibus libris legatur *qui.* β *de Eogia nom. gigante.* Exhibent alii septem *de Vegia nomine gigante.* F^s F^t X^k *de Ugia nomen gigantis* (X^k *nomine gigante*), K^4 *de Vigilia nomine gigante*, F^d F^m O^2 a^1 cc *de Ogiae* (F^m *Ogia*) *nomine gigantis* (F^d F^m *gigante*), F^2 H^{bc} *de Eugia nomine gigante.* Deinde editi *qui ab haereticis cum dracone post diluvium pugnasse fingitur* (C^2 F^v F^d F^m *perhibetur*). Sixtus Senensis lib. 2 bibliothecae sacrae librum *Og regis Basan* (Num. 21, 33) nomine conscriptum hic indicari suspicatur, ejusque conjecturae favet, quod in ms. Colbertino Gelasiana quaedam fragmenta continente sic legimus: *Liber qui appellatur Og gigantis apocr.*; vel quod in altero ejusdem bibliothecae codice hoc decretum identidem decurtatum ac mutilatum exhibente ita effertur: *Liber nom Og gigantis, qui cum dracone post diluvium pugnasse dicitur.* Ille quidem *Og* potius Moysi tempore cum Israelitis, quam *post diluvium cum dracone pugnasse* dicendus fuisset. At fabulosum scriptorem a veritate dissidere mirandum non est. Lectio, quam praeferimus, propius a plerisque mss. et editis recedit, nominatimque F^d F^t F^m F^s X^k O^2 β ei suffragantur. Photius cod. 85 *librum Giganteum* (γιγάντειον βίβλον) inter Manichaeorum scripta recenset. Conferatur etiam Fabricius cod. pseudepigr. v. t. pag. 799 sq.

[64]) 2 Γ *coena s. Cypriani;* F^d F^m omitt. *sancti* ac deinde *poenitentia.* Libro huic occasionem dedisse videtur confusa quaedam tum Cypriani Carthaginensis tum Cypriani prius magi ac postea martyris, quem d. 26 Septembris Ecclesia colit, notitia.

Digitized by Google

a. 495 —496. Liber, qui appellatur Poenitentia Jamnae et Mambrae, apocryphus.

Liber, qui appellatur Sortes [65]) apostolorum, apocryphus.

Liber, qui appellatur Lusa [66]) apostolorum, apocryphus.

Liber [67]), qui appellatur Canones apostolorum, apocryphus.

Liber Physiologus ab [68]) haereticis conscriptus et beati Ambrosii nominae praesignatus, apocryphus.

8. Historia [69]) Eusebii Pamphili apocrypha.

---

[65]) Editi *Sortes sanctorum apost.*, C^2 F^v *sors apostolorum*. Vulgatum hoc opusculum est in *Cod. can. vet. eccl. Rom. ex biblioth. D. le Pelletier* pag. 370.

[66]) Mss. O a^1 cc (C^2 sec. manu proximo versui adscripsit) *Laus*. Colb. Hormisdae *Jussa apostolorum;* unde forte i^1 i^2 *Jus apostolorum*. C^1 F^1 F^2 F^v F^5 F^4 F^6 K^4 H^3 *Lusa* (X^{ex} *Lussa*). Num verbum *lusa* pro *lucta* irrepsit? An *lusa* a *ludo*, quasi ludi apostolorum dictum est? — Porro lectione Hormisdae exemplarium *Jus* vel *Jussa apostolorum* constitutiones apostolorum notari, vix dubium est.

[67]) Totus iste versus *liber qui appellatur Canones apostolorum apocryphus* in C^2 F^5 F^v H^{12} O desideratur. Eumdem et in codice suo defuisse plane significat Hincmarus lib. 55 capitum cap. 24, ubi scribit: *B. Gelasius in catalogo qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur descripto ... de canonibus apostolorum penitus tacuit, sed nec inter apocrypha misit*. Dallaeus quidem pro postremo verbo *misit* legendum putat *omisit*; sed hanc correctionem non admittit praemissa sententia *de canonibus apostolorum penitus tacuit*. Mitto, et Hincmarum Isidori collectione, in qua de iisdem pariter tacetur, uti consuevisse. Praetermissioni huic dubio procul occasionem dedit superior articulus iisdem verbis (scilicet *apostolorum apocryphus*) pariter desinens. Certe ille versus integer asservatur in 2 vetustioribus Colb. (C^1 F^1?) H^3 H^5 F^2 F^d F^m a^1 cc. Unde mirum non est, eumdem in tribus aliis, quorum ope decretum hoc ab Hormisda recognitum ad nos pervenit, retentum esse. Id tamen, quod Pearsonius inde consequi putat, scilicet hoc decretum cum genuinis Gelasii scriptis pugnare adeoque ab illo alienum esse, minime ipsi concedendum est. Neque enim is papa, ut eruditus ille vir voluit, canones apostolorum, sed conciliorum decreta ea, quae apostolorum nomine subinde donata sunt, usquam probat. Sane frustra ostendit, a Gelasio epist. 14 c. 17 de iis, *qui semetipsos absciderant*, apostolorum canonem 22 laudari, quum ibi potius Nicaenorum patrum canon 1 laudetur. Ita et quod idem papa in eadem epist. cap. 24 adversus Simoniacos constituit, non ex can. 30 apostolorum sed ex Calchedonensis canonis 2 praescripto decernitur. De hujusmodi locis Dionysius Exiguus in praefatione aptius locutus est, ubi ait: *Canones, qui dicuntur apostolorum, de graeco transtulimus; quibus quia plurimi consensum non praebuere facilem, hoc ipsum ignorare vestram noluimus sanctitatem, quamvis postea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur*. Non enim temere *assumpta sint*, sed *assumpta esse videantur* prudens dicit. Sed non multo postquam a Dionysio latinitate donati sunt illi canones, etiam eorum auctoritate Romani praesules nominatimque Johannes II epist. 5 ad Caesarium et Vigilius epist. 2 ad Profuturum uti coeperunt. Quamquam in eos canones semper manebit *apocryphi* censura eo nomine, quo Hieronymus ep. 7 ad Laetum apocrypha definit, *quae non sunt eorum, quorum titulis pronotantur*.

[68]) Editi cum C^2 F^v *qui ab ... conscriptus est ... signatus* (C^2 F^v *praesignatus*). Citatur hic *Physiologus* etiam a Vincentio Bellovacensi Specul. natur. VII, 63.

[69]) Duo hic observanda: primum Gelasium, quum et superius historiae Eusebii libros non usquequaque *renuendos* praedicat, et nunc eamdem historiam

Digitized by Google

Opuscula Tertulliani apocrypha. a. 495
Opuscula Lactantii[70]) apocrypha. —496.
Opuscula Africani apocrypha.
Opuscula Posthumiani et[71]) Galli apocrypha.
Opuscula Montani, Priscillae et Maximillae apocrypha.
Opuscula omnia[72]) Fausti Manichaei apocrypha.
Opuscula Commodiani apocrypha.
Opuscula alterius Clementis Alexandrini apocrypha.
Opuscula Tascii[73]) Cypriani apocrypha.

---

apocryphum pronuntiat, minime pugnare secum, sed circa hos aliosque hujusmodi libros haud ab ea abesse sententia, quam Hieronymus epist. 62 (ed. Migne) ad Tranquillinum tenere se profitetur his verbis: *Ego Origenem propter eruditionem interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium et nonnullos ecclesiasticos scriptores graecos pariter et latinos, ut bona eorum eligamus vitemusque contraria juxta apostolum dicentem: „Omnia probate quod bonum est tenete“.* Si autem scriptorum hujusmodi opera legere et quod in eis bonum est colligere ac tenere licet, nihil foret, cur Gelasio abrogaretur hoc decretum, etiamsi cum iis libris, quibus in hoc decreto censoria inuritur virgula, ipse censor in nonnullis consentire probaretur. Alterum observo, nempe hanc censuram in unos historiae libros, non in ejusdem commentarios vel in praeparationis evangelicae libros cadere; aut si etiam hi propter rationem superius allatam non temere suscipiendi sunt, in iis dumtaxat, quae Origeni aut Ario faveant, seu in quibus a communi catholicorum sententia Eusebius discedit, non in iis, in quibus cum his consentit, suspectos esse debere. Unde consequens non est, ut ex eo, quod in libro Gelasii de duabus naturis citentur Eusebii tum commentarii in psalmos, tum praeparationis evangelicae libri, decretum hoc vel praedictus de duabus naturis liber Gelasio abjudicari debeat.

[70]) H^3 F^d F^f F^m X^k *Lactantii sive Africani* (F^d F^f F^m X^k add. *sive*) *Firmiani apocr.*, et deinde omittunt sequentem versum de *Africano.*

[71]) $I^c H^8$ omittunt *et Galli*, $F^d F^m$ omitt. *et*; H^3 *Gai.* Hic notatur Severi Sulpicii Posthumiano et Gallo interloquentibus dialogus, in quo Millenariorum errores Hieronymus animadvertit, quamvis nunc ab iis purgatus appareat. De hoc libro doctor ille in Ezechielem lib. XI cap. 36 ita loquitur: *Nec sabbati otio dormiemus: quod et multi nostrorum et praecipue Tertulliani liber, qui inscribitur „de spe fidelium“, et Lactantii institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis crebrae expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui Gallo nomen imposuit.* Quo testimonio Gelasium, quem Hieronymi de libris judicio plurimum detulisse experimus, ut hunc dialogum apocryphum ediceret, adductum esse valde probabile est. — Nunc igitur opinionis hujus nullum in dialogis Sulpicii vestigium. Aut igitur amanuenses, quod in eis legerat Hieronymus, de industria praetermiserunt, aut Hieronymus ipse, quod s. Martinus de Antichristo in fine dialogi II dixisse perhibetur, Millenariorum opinionem redolere judicavit.

[72]) In $F^d F^m H^3$ ut in exemplis Hormisdae deest *omnia.* Deinde $C^2 \Gamma$ *Faustini.* Notissimus est iste Faustus libris Augustini.

[73]) Ita cum H^3 F^2 F^d F^m 2 vet. β (C^1 F^1?) et exemplaribus Hormisdae. At H^8 *Tusci*, C^2 *Tassi*, $a^1 c^2$ seq. *Tatii*, F^6 O^9 *Tharsi*, alii cum F^7 *Tarsi.* Quum superius post oecumenicas synodos approbentur opuscula *b. Caecilii Cypriani martyris Carthaginensis episcopi*, et in Hormisdae quidem exemplis dicuntur *in omnibus recipienda*, restat, ut aut alterius Cypriani, qui pariter dictus sit Tascius, aut huic

Digitized by Google

a. 495 —496. Opuscula Arnobii[74]) apocrypha.
Opuscula Tichonii apocrypha.
Opuscula Cassiani[75]) presbyteri Galliarum apocrypha.
Opuscula Victorini Petabionensis[76]) apocrypha.
Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha.
Opuscula Frumentii[77]) Caeci apocrypha.
Centonem[78]) de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocryphum.

---

falso inscripta opuscula hic notentur. Ut enim hunc articulum ab aliena manu suppositum existimemus, non sinere videtur summa omnium mss. in eo exhibendo consensio. Non comparet quidem apud Ivonem atque Gratianum, sed nec apud eos opuscula Lactantii, Commodiani, Arnobii, Tichonii etc. memorantur. Ac martyrologium Romanum sub die 26 Septembris *Cypriani martyris Nicomediae* memoriam agit, qui ante conversionem suam *erat magus et suis magicis artibus Justinam dementare conabatur.*

[74]) F[f] *Arnovini,* moxque F[m] *Thichonii*, F[d] *Thychonii*, C[2] *Ticoni*, F[r] *Tigoni*, editi *Tychonii.*

[75]) Hac censura collationes Cassiani maxime percelluntur, quas Prosper Aquitanus libro in collatorem edito confutavit. Ad libros enim de incarnatione Domini hortante Leone diacono postea pontifice scriptos quod attinet, eos in magna catholicorum omnium aestimatione semper fuisse norunt omnes. [c[11].]

[76]) Ita F[d] F[m] F[r]. Quibus favet, quod c[1] *Pitavionensis,* K[4] *Petabinensis,* F[f] *Pettachionensis*, alii 5 mss. a[3] *Pictavionensis.* At corrupte 1β *Pictarensis*, tres alii cum F[2] *Pictavensis,* C[2] *Pictabensis,* I[c] *Pietabiensis,* a[1] o[2] seq. *Pictaviensis* (X[k] *Pictabiensis*). *Petabium* autem est urbs ad Dravium fluvium in Pannonia sita. — Eadem ratio, quae Gelasium induxit, ut Severi dialogum inter apocrypha recenseret, eum impellere potuit, ut hujus auctoris scripta in eamdem classem amandaret. Ejus enim crebras expositiones Millenariorum errore non vacare Hieronymus supra in comment. in Ezech. c. 36 laudatus nos docuit. In quo Hieronymi loco quum et Marianus *Petabionensis* reperisset, *Pictaviensis* substituendum esse non solum in hoc commentario, sed et in libro de script. eccles., male sibi persuasit.

[77]) F[2] *Frumenti ceti,* F[r] *Frumentini.*

[78]) Jam observavimus, hunc articulum in F[d] F[m] a[1] c[2] seq. superius *libro qui appellatur actus Theclae* praemitti, in ceteris autem codicibus, si paucos excepens, huc referri, atque opus hic memoratum in iisdem editis nullo suffragante ms. *Centimetrum* appellari. Legit c[1] *Centon de Christo Virgilianis compactum versibus apocryphus*, quod sibi non cohaeret. F[c] *Centones ... compaginati ... apocrypli.* Cui Hieronymus epist. 103 ad Paulinum, nisi figurata utatur oratione, favere videtur, ubi hoc opus sic notat: *Quasi non legerimus Homerocentones et Virgiliocentones.* Sed eidem refragantur omnes ad unum mss. (etiam C[2] F[2] F[d] F[m] F[r]; H[6] *Centoni ... compaginatum apocrypha*) sicut et Isidorus Hispalensis, qui lib. de viris illustr. c. 5 idem opus *Centonem* non *Centones* vocat. Neque enim ambigendum, quin ad hunc ipsum locum respiciat, quum ibi scribit: *Proba uxor Adelphii proconsulis, femina inter viros ecclesiasticos idcirco posita sola, quod in laudem Christi versata est, componens Centonem de Christo Virgilianis-cooptatum versiculis. cujus quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium; quod tamen opusculum legitur inter apocryphas scripturas insertum.* Ubi enimvero insertum legitur, nisi in hoc decreto, quod Gelasius edidit et Hormisda recognovit? Neque parum ad illud opus inter scripturas apocryphas inserendum contulisse putem Hieronymi in laudata epistola 103 de hoc Centone judicium. Ibi quippe primum

Digitized by Google

9. Epistola Jesu ad Abgarum[79]) regem apocrypha. a. 495 —496.
Epistola Abgari ad Jesum apocrypha.
Passio Quirici et Julittae apocrypha.
Passio Georgii apocrypha.
Scriptura, quae appellatur Salomonis contradictio[80]), apocrypha.
10. Phylacteria omnia, quae non angelorum, ut illi confingunt, sed daemonum magis[81]) nominibus consecrata sunt, apocrypha. Haec et[82]) his similia, quae Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Hebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus[83])

ridet hujusmodi opus, ex quo *hominem sine Christo* (hoc est Christi nescium) *possimus dicere Christianum;* tum prolatis ex eo paucis versiculis indignabundus subjicit: *Puerilia sunt haec et circulatorum similia, docere quod ignores, immo ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.* Ad nostram lectionem quod attinet, orationi reliquae aptius congrueret: *Cento ... compaginatus ... apocryphus.*

[79]) F^d a^1 cc *Abagarum ... Abagari,* ubi in mss., si recentiores excipias, *Abgarum ... Abgari,* H^s *Aggarum ... Aggari,* X^k *Augarum ... Augari,* C^2 *Abaguro ... Abaguio,* F^v *Abgiarum ... Abgari* legimus. Deinde H^s C^2 F^v F^d F^m cum 6 vetustioribus mss. et Hormisdae exemplis *Abgarum* non appellant *regem,* quae vox in C^1 F^2 asservatur. Mox plerique mss. ut supra *Cyrici* aut *Cirici* loco *Quirici*?

[80]) H^3 et exempla Hormisdae *interdictio,* F^d F^m *inter.*

[81]) Iidem ac 3 alii *magis conscripta sunt nominibus.* Editi alii cum C^2 F^v K^4 *magis* (1 β sec. manu *magici,* F^c *magica*) *arte* (C^2 omitt. *arte*) *conscripta sunt.* X^k *quae nomine angelorum illi confingunt sed daemonum magis nominibus conscripta.* Sequimur C^1 F^2 H^s. In Γ et aliis mss. hic articulus de phylacteriis omittitur. Porro in primis ejusdem codicis Γ foliis praemittitur glossarium *phylacteria* interpretans: *decem verba legis vel scripturam variam, quod ligat homo aut super caballum aut super caput suum.* In appendice tom. 5. s. Augustini (ed. III Venet. tom. XVI col. 1410) sermo 279 *de phylacteriis* est inscriptus, cujus auctor Caesarius Arelatensis episcopus a magis ac divinis adhibendis aut consulendis Christianos avocare studens, nominatim num. 4 sic loquentem inducit, qui phylacteriorum usum suadeat: *si characteres illos tibi voluisses appendere, jam poteras sanitatem recipere.* Idem episcopus ibidem serm. 295 n. 5 (l. c. col. 1368) haec habet: *Si adhuc videtis aliquos ... phylacteria etiam diabolica et characteres aut herbas vel succos sibi vel suis appendere* etc. Is praefuit Agathensi concilio, in cujus canone 68 repetitum, quod jam concilii Laodiceni canone 36 sancitum erat: *Non oportet ministros altaris aut clericos magos et incantatores esse aut facere quae dicunt phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum;* quia videlicet, dum alligantur corporibus, animos obligant et devinciunt daemoniis, eosque a Christo separant.

[82]) a^1 cc addunt *omnia,* quod abest ab aliis libris. Notandum, pronomina *haec* et *his* ad proxima verba scilicet *phylacteria* etc., non ad ea omnia, quae superius *apocrypha* pronuntiantur, referri. In his enim plurima sunt, quae Gelasius non usquequaque renuenda censebat, ut nominatim de Eusebii historia mentem suam aperuit, et quorum auctores anathematis insolubili vinculo damnare noluisset.

[83]) H^3 *Photinus quoque.* Deinde editi cum mss. O *et Bonosus et qui.* Non modo Hebionis, Pauli Samosateni et Photini, sed et Bonosi similem de Christo errorem fuisse Gelasius nos docet. Eidem concinit et Vigilius ep. 24 n. 131. Utriusque sententiam confirmat Gregorius lib. XI indict. 4 epist. 67 ad Quiricum, ubi Christum a Bonosianis non credi tradit. Cf. monitum Coustantii in Siricii epist. 9.

Digitized by Google

a. 495 —496. et Bonosus, qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscoenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive [84]) Manichaeus Faustus Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius[85]), Novatus, Sabbatius[86]), Coelestius[87]), Donatus, Eustasius[88]), Jovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis[89]), Coelestius[90]), Maximianus, Pri-

[84]) H^{s} *Arrius sive Manichaeus.* Moxque duas voces *Faustus Africanus*, quae in prius vulgatis virgula interjecta separantur, conjungendas putamus, eoque pacto Faustum haereticum Manichaeum distinctum esse, qui ex Africa oriundus erat, a Fausto Gallo, qui etsi Semipelagianorum dux et antesignanus, numquam tamen haereticus audivit.

[85]) *Γ Conomius*, exempla Hormisdae *Eunomius Conomius*, oscitantia librarii, qui duplicem unius vocius lectionem simul usurpavit, quum unum *Eunomii* vocabulum retinendum fuisset. — Deinde in iisdem exemplis *Novatius*. Magis placeret *Novatianus*, hujus enim nota sunt scripta, non Novati; sed Novati Novatianique nomima saepe apud antiquos praesertim Graecos confundi usitatissimum est. Is certe hic notatur, quem Hieronymus epist. 62 ad Tranquillinum designat his verbis: *Ego Origenem propter eruditionem interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum;* ubi etiam *Novatianum* memorari existimamus.

[86]) C^{1} *Sambacius*, H^{s} F^{v} et alii septem *Sabastius* aut *Sabbastius*. Retinendum cum F^{d} F^{m} F^{z} H^{s} X^{k} et editis *Sabbatius*, de quo Socrates H. E. V, 21 et VII, 12 nec non Sozomenus H. E. VII, 18 plura narrant. Is ex Judaeo factus Christianus, et a Marciano Novatianorum in regia urbe episcopo presbyter ordinatus, Judaeorum nihilominus opinioni studiose inserviebat. Quum praeterea episcopatus cupiditate incensus esset, paschalis festi causa a Novatianis secessit, eorumque, qui schisma ipsius sequebantur, episcopus est constitutus. Addit Socrates H. E. VII, 25, eum in insulam Rhodum relegatum, ibi mortem obiisse; sed quum schismatici ipsius sectae addicti cadaver ejus inde Constantinopolim transtulissent, ac super tumulum ejus orare solerent, Atticum operam dedisse, ut in alio sepulcro noctu absconderetur.

[87]) C^{1} H^{s} c^{10} cum exemplis Hormisdae *Callistus*, F^{d} F^{m} X^{k} *Calistus*. In antiquo quidem Pseudo-Silvestri papae constituto, quod Coustantius in appendice tom. I epist. Roman. pontif. edidit, n. 5 legitur: *Calistus ita docuit Sabellianum, ut arbitrio suo sumat unam personam esse Trinitatis.* Sed subjectum *Donati* nomen eum hic potius designari persuadet, qui una cum Botro Donatistarum schismati originem dedit, de quo Optatus de schism. Donatist. I scribit: *Botrus et Celesius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut absentibus Numidis soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tum suffragio totius populi Caecilianus eligitur. Botrus et Celesius spe sua dejectus;* unde schismatis causa conflata, quam ibidem Optatus explicat. Qui autem ab Optato *Celesius*, ab Augustino in psalmo Abecedario contra Donatistas *Celestius* nuncupatur. Similiter legunt c^{1} *Celestius*, a^{1} c^{2} seq. *Caelestius*, C^{2} F^{s} *Γ Caelestus*, F^{v} et 2 alii *Celestus*, mss. O *Celertus*, H^{s} F^{2} totum omittunt.

[88]) Ita potiores mss. (etiam F^{2}). C^{2} F^{s} F^{v} K^{4} I^{c} H^{s} *Eustacius*. Unum Hormisdae cum H^{3} O^{9} *Eustachius*, F^{d} *Γ Eustatius*, F^{m} O^{1} O^{2} X^{k} a^{1} cc *Eustathius*. Forte hic notatur Sebastenus ille episcopus, cujus nomen ecclesiasticae historiae monimentis nominatimque in epistolis Basilii magni satis celebre est.

[89]) F^{v} *Elane*, K^{4} O^{9} a^{1} cc *Celarensis*, C^{2} *Celumensis;* emendantur ex aliis libris. Hunc Julianum Marius Mercator edit. Baluz. pag. 40 vocat *exepiscopum Eclanensis oppidi, haereticum Pelagianum seu Caelestianum*, et pag. 119 *ex episcopo Eclanensi hujus haeresis signiferum et antesignanum.* Augustini scriptis notissimus est.

[90]) I^{c} a^{1} c^{2} seq. *Caelestinus.* Verius alii mss. et c^{1} *Caelestius*, primarius sci-

Digitized by Google

scillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus[91]), Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam alius Antiochiam maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, nec non et omnes haeresiarchae[92]) eorumque discipuli sive schismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana catholica et apostolica ecclesia eliminata atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata. a. 495—496.

Epistola 43

seu

Sancti Gelasii Romae episcopi exemplar epistolae ad Syriae episcopos missae[1]). (a. 495—496.)

p 58. *Occasione arrepta de monachorum manipulo contra Eutychianam haeresim fidem catholicam profitente et episcoporum Syriae legatione de statu ecclesiae Orientalis nuntiante, ipsos episcopos ad similem professionem tenendam hortatur.* (*n.* 2). *Miseram illius regionis vicem dolet, ubi haeretici impune debacchantur* (*n.* 3). *Refutat horum de Deo passo commenta* (*n.* 4—7), *iterumque ad fidem erga patrum et Ecclesiae catholicae doctrinam incitat* (*n.* 8 *et* 9).

Κυρίοις μου πάντα θεοσεβεστάτοις καὶ ὁσιωτάτοις ἐπισκόποις Κοσμᾷ[2]), *Σεβηριανῷ, Κύ-*

Dominis meis religiosissimis et sanctissimis episcopis Cosmae[2]), Severiano, Cyro, Zoilo,

licet Pelagii discipulus. Postea a^1 c^1 seq. *Maximinus* refragantibus omnibus mss. Licet fuerit Maximinus haereticus Arianus, contra quem Augustinus scripsit, exstitit nihilo minus et *Maximianus* Donatista, a quo *Maximianistae,* qui eo duce a ceteris Donatistis secesserunt, fuerunt cognominati.

[91]) F^v et editi *Unicus,* verius meliores mss. (etiam C^2 F^2 F^d F^m H^8) *Cynicus* (I^c *Cinicus*), quo nomine appellatur *Maximus* Constantinopolitani concilii canone 3 et Damasi epistola 8 damnatus.

[92]) Ita F^{v2} H^a I^c c^9 c^{10}, nisi quod I^c *haeresiarches et eorum discipulos qui schismatica,* c^9 *discipuli, qui schismatica.* F^d F^m C^2 c^1 *haeresei* (C^2 *haeretici*) *haereseorumque discipuli,* F^v H^3 O^9 *haereses* (H^3 O^9 *haeresei*) *haereseorum discipuli,* X^k *haereseorum quas haeretici sive schismatici,* Γ *haeresei haereses eorumque discipuli,* editi alii *haeretici eorumque discipuli.* Mox X^k *retinemus,* F^d F^m I^c *retinuimus.*

[93]) I^c a^1 c^2 seq. *indissolubili:* emendantur ex melioris notae mss. Voce *insolubili* jam Felix II epist. 6 in sententia adversus Acacium usus fuerat, eamque vocem Gelasius, ut vidimus ac visuri sumus, retinet ipse ac non semel explicat. Vel ex ea formula, qua clauditur istud decretum, ad Gelasii tempora pertinere, non falso ipsi adscriptum esse, dinoscitur. F^d F^m claudunt: *Explicit explanatio fidei catholicae.*

[1]) Ita in Graeco inscribitur: *Τοῦ ἁγίου Γελασίου ἐπισκόπου Ῥώμης ἴσον ἐπιστολῆς πεμφθείσης τοῖς τῆς Συρίας ἐπισκόποις.*

[2]) Ex coaevis illi se nobis apud Lequien *Oriens christianus* tom. II offerunt

Digitized by Google

a. 495—496.

ρῷ, Ζωίλῳ, Εὐσεβίῳ, Θωμᾷ, Σιλουανῷ Γελάσιος[3]) ἐλέει θεοῦ διάκονος τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς πίστεως.

Eusebio, Thomae, Silvano Gelasius[3]) miseratione divina minister catholicae et apostolicae fidei.

1. Εἰ ἅπερ ἠξίωσας ἔγραψας, ἔργῳ πρόελδε. Τίς τὰς ἐμὰς ὠδῖνας πρὸς ὑμᾶς ἐγκαταμίξει, θεοφιλέστατοι; Τί δὲ καὶ τοῦ ταπεινοῦ ἡ πρὸς τοὺς μεγάλους παῤῥησία; Οὐ προπετείας τὸ ἐπιχείρημα οὔτε κενῆς δοξῆς ἡ ἔναρξις, θείας ἀγάπης καὶ σωτηριώδους πυρσὸς ὑπελθὼν ἐπεγείρει τὴν προτροπήν. Κἀμοὶ δότε συγγνώμην, παρακαλῶ· οὐδὲ γὰρ ἐλλείποντα τῇ ὑμετέρᾳ συνέσει τὰ τῆς ταπεινότητος προεθέμην λέγειν· ἀλλ' ὡς ὑπομνήσει φιλοθέῳ ἡ παράκλησις, ὅτι πάντες Joh. 6, 45. ὑμεῖς διδακτοὶ θεοῦ, καθά που φησὶ τὸ θεῖον λόγιον. Οὐκοῦν τὰ ἐξ ἀγάπης λεγόμενα κρίναντες, δότε μισθὸν ἀνταποδόσεως, τῶν εὐχῶν ὑμῶν τὰς ἀμοιβάς. Ἔδει τοὺς καλοὺς διδασκάλους τῶν μαθητῶν προαρπάσαι τὴν πρὸς τὴν πρεσβείαν τάξιν· εἰ καὶ ἡμῖν ἐπιγράφεται ταύτης τὸ κάλλιστον, ὡς ἐν προδρόμοις θεμένοις τῆς ἐπιδείξεως τὴν σπουδήν· διεγείρουσι μὲν καὶ

1. Si quae recta existimas scripsisti, operam urge. Quis meos dolores vobis communicet, o Deo carissimi? Cur humilis apud magnos fiduciam sumat? Non est audaciae molimen neque vanae gloriae impulsus, sed divinae salutarisque caritatis fax mihi supposita ad adhortandum excitat. Mihi ergo veniam detis, oro; non enim quia vestrae prudentiae defectum supplere velim, humilitatis meae verba proferre decrevi; sed cum religiosa monitione fiet deprecatio mea, quia vos omnes *docibiles Dei* estis, prout ait divinum oraculum. Itaque quae caritatis affectu dicimus vos dijudicantes, date mercedem retributionis, precum scilicet vestrarum remunerationem. Oportet bonos magistros praeoccupare discipulorum in orando ordinem; siquidem nobis tribuitur hic gradus praecipuus, ceu praecursoribus spectaculo curam impendentibus, excitantibus insuper et

---

Syriae episcopi, quos Gelasius hic notare possit: *Cosmas Epiphaniae* circa initia saeculi VI (l. c. col. 918), *Severianus Arethusae* eodem tempore (l. c. 916), *Cyrus Mariamnae Syriacae*, qui scripsit ad Johannem Constantinopolitanum (l. c. 920), alius *Cyrus Hierapolitanus* episcopus sub Zenone imperatore orthodoxos episcopos in exilium pepulisse memoratur l. c. 928, tertius ejusdem nominis *Edessae episcopus* item sub Zenone l. c. 962; *Zoilus Rhaphanoeae*, qui item scripsit ad Johannem Constantinopolitanum (l. c. 920); *Eusebius Larissae Syriacae*, qui item scripsit ad Johannem Constantinopolitanum et floruit circa annum 518 (l. c. 920); *Thomas Damasci* episcopus monophysita circiter ann. 518 Damasco expulsus (l. c. 836); *Silvani* denique plures.

[3]) Γελάσιος deest in codice; ex inscriptione huc revocatum est.

Digitized by Google

καταρτίσασι τὰ μέλη, προοδοποιήσασι δὲ τὴν μήνυσιν τῆς στερρότητος δι' ἑαυτῶν. Καλῶν διδασκάλων ἀληθῶς ἄριστοι μαθηταί· καλῶν ποιμένων θαυμασία τῶν προβάτων ἡ νομή· οὗτοι τῶν ὑμετέρων πόνων οἱ καρποί.

membra roborantibus, classicum denique fortitudinis exemplo nostro canentibus. Bonorum magistrorum optimi vere sunt discipuli, mirifica ovibus pascua a bonis pastoribus suppeditantur: hi vestrorum laborum fructus. a. 495—496.

2. Ἐπειδὴ τοίνυν φθασάντων παρ' ἡμῖν τῶν εὐαγῶν μοναχῶν θεῖον σύστημα δεξιᾶς ἔλαβε κοινωνίας παρὰ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, ἀρνησάμενον μὲν τὴν πρὸς τοὺς Εὐτυχιανιστὰς ἤγουν Μανιχαίους[4]) κοινωνίαν, συμφωνῆσαν δὲ πᾶσι τοῖς κρίμασι τῶν θείων κανόνων ἐν ἀποβολῇ τῶν καθαιρεθέντων αἱρετικῶν πάντων, ὁμολογίᾳ δὲ τῆς διὰ πάντων ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις καὶ ἀποστόλοις Λέοντος τοῦ πάπα· λέγειν ἐπάναγκες πρὸς τὴν ἁγίαν ὑμῶν σύνοδον· εἰ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἐκλεκτὴ, καὶ οἱ κλάδοι· ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται. Ἥκατε δὲ καὶ ὑμεῖς ὦ τιμιώτατοι πρὸς τὴν εὐαγγελισθεῖσαν παρ' ὑμῶν ἁγίαν καθέδραν· προφθάσατε πρὸς τὴν ἀχείμαστον Πέτρου πέτραν· συναριθμήθητε χορῷ τῷ ἀποστολικῷ· βεβαιώσατε ὑμῶν τῆς νίκης τοὺς στεφάνους· προκαταλάβετε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν σεβασμιότητα παρ' οἷς[6]) καὶ

2. Quia igitur sacrorum monachorum egregius manipulus ad nos delatus communionis dexteram ab apostolica cathedra accepit, propterea quod communicare se cum Eutychianis sive Manichaeis[4]) negarunt, sed cunctis potius sacrorum canonum definitionibus consentiebant, et damnatos quosvis haereticos repudiabant, et Calchedonensis synodi sanctique et apostolici Leonis papae per omnia confessionem tenebant; necesse est dici a nobis vestrae sanctae synodo[5]): *si delibatio sancta est, et massa, et si radix sancta, et rami.* Namque *ex fructu arbor cognoscitur.* Venite et vos, o honorandissimi, ad eam, quam vos ipsi sanctam praedicastis cathedram, accurrite ad immobilem Petri petram, connumerate vos choro apostolico, confirmate victoriae vestra coronas, praeoccupate paratam vobis, o reverendissimi, reverentiam apud eos[6]), qui fidem semper confirmare soliti fuerunt. Utique narrarunt nobis Johannes ac Sergius, dili- Rom. 11, 16. Matth. 12, 33.

[4]) Ita Eutychianos dicit, advertit Majus, quia ipsi revera phantasiastae cum pari errore Manichaeorum congruebant, qui Gelasii quoque aetate grassabantur et a fidelibus semper quasi foedissimi haeretici respuebantur; cf. infra not. 12.

[5]) De hac Syrorum synodo nihil aliud notum. Sed ab ea Johannem et Sergium legatos et libellum synodalem ad sedem apostolicam missos esse, hinc docemur.

[6]) Scilicet praesules sedis apostolicae urbis Romae, *ad quam*, ait Irenaeus

Digitized by Google

a. 495 —496. ἀεὶ ἡ πίστις τὸ κῦρος ἔχει. Διηγήσαντο γὰρ ἡμῖν Ἰωάννης καὶ Σέργιος οἱ σπουδαιότατοι ἀδελφοὶ, οἱ ἀφ' ὑμῶν πρὸς ἡμᾶς παραγενόμενοι, τῆς πίστεως τῶν Ῥωμαίων[7]) τὸ ἀήττητον, τὴν περὶ τὰ τέκνα φιλοστοργίαν, τὴν μέριμναν τῶν ἐκκλησιῶν. Οὐ γὰρ ὡς κατάσκοποι τῆς ἐλαφρίας[8]) ἡμῶν ἐδέχθησαν, ἀλλ' ὡς μηνυταὶ τῆς ἀνδρείας ὑμῶν· οὐδὲ ὡς ἀδόκιμοι ἀπεπέμφθησαν, ἀλλ' ὡς εὐαγγελισταὶ τῆς ὁμοφροσύνης ὑμῶν· ἀπήγγειλαν γὰρ καὶ διηγήσαντο τήν τε σταθερὰν κρίσιν ὑμῶν, καὶ τῶν αἱρετικῶν τὴν ἀναίδειαν, τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν τὸ καρτερικὸν, καὶ τῶν αἰσχίστων τὴν μιαιφονίαν. Τοῦτο μὲν στόματι διηγησάμενοι, τῷ δὲ ἀληθεῖ καὶ διὰ λιβέλλου τῶν ὑφ' ὑμᾶς εὐλαβῶν μοναχῶν διαπεμφθέντος διδάξαντες, ὅσας θλίψεις πολλὰς καὶ κακὰς διήλθατε, ὅσαι τοῦ θεοῦ αἱ ἀντιλήψεις ἐπανέτειλαν.

3. Καὶ οὐ θαυμαστόν· οὐδὲ γὰρ ἐν πρώτοις τῶν λύκων αἱ ἐπιδρομαὶ, ἀλλ' ἀεὶ μὲν ἐπιτρέχουσιν, ἀεὶ δὲ τῷ ῥοπάλῳ τοῦ καλοῦ ποιμένος ἐκ(βάλλ)ονται· τότε νικᾷ ἡ πίστις, τότε οὐκ ἐξαναστῇ πόλεμος· οὐκ ἐν[9]) ... τὰ τῆς ἀνδρείας, ἀλλ' ἐν ... τὸ λαμ-

gentissimi fratres, qui a vobis ad nos venerunt, fidei Romanorum[7]) invictum robur, amorem erga filios, ecclesiarum sollicitudinem. Non enim tamquam speculatores parvitatis[8]) nostrae recepti fuerunt, sed ut fortitudinis vestrae testes; neque ut improbabiles repulsi sunt, sed ut nuntii concordiae vestrae recepti. Nuntiarunt enim et exposuerunt firmum vestrum judicium, haereticorum impudentiam, patientiae vestrae constantiam, et pessimorum saevitiam. Atque haec oretenus narrarunt: tum veritatem confirmarunt libello a vobis per religiosos monachos vestros misso, docentes, quot quantasque malas pressuras perpessi fueritis, qualia vobis Dei auxilia obvenerint.

3. Neque id mirum; haud enim in primis fiunt luporum incursiones, semper tamen assultant, semperque vicissim clava boni pastoris abiguntur. Tunc fides vincit, tunc bellum non consurgit: non[9]) in (*pace*) fortitudinis facinora, sed in (*pugna*) splendor virtutis. Quid enim

---

adv. haer. III, 3, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, quae est προκαθημένη τῆς ἀγάπης (Ign. ad Rom.).

[7]) *Romanos* per emphasim eos dicere videtur, qui fidem Romanam in illa regione strenue contra haereticorum nisus sustinebant. Revera orthodoxi ibidem mox simili ratione ab haereticis *Melchitae* nuncupati sunt.

[8]) Vocem in codice antiquitate pene abolitam nonnisi in hunc modum enucleari potui. Majus lacunam (ἐλ ... ιας) posuit.

[9]) Lacunae sequentes saeculorum dente in codice factae resarciri non potuerunt. Si expleveris ἐν εἰρήνῃ ... ἐν μάχῃ ... οἱ οὐδαμινοί (vel οὐλόθυμοι vel οὐλόμενοι) vel quid simile, integer sensus erit. Certe ita latine reddidimus. Majus vertit: *tunc fortitudinis facinora, tunc splendida documenta virtutis.*

Digitized by Google

πρὸν τῆς δοκιμασίας. Τί γὰρ οὐκ ἐκινήσαν οἱ οὐ ... πρὸς τὸ ἄρδην ἀφανίσαι τοῦ χριστιανισμοῦ καὶ τὸ ὄνομα καὶ τὸ πρᾶγμα; Τίνα χρήματα οὐχ ὑπέφθειραν ἀνταρσίαν[10]) ... τὰ τοῦ Χριστοῦ; Ποῖαι μά(χαιραι) οὐ διεφθάρησαν, ἐν βασάνοις γυμνάζουσαι τοὺς ἁγίους; Ποῖον ξίφος ἠχονημένον οὐκ ἠμβλώθη ἐκ τῶν τεμνομένων μακαρίων αὐχένων καὶ μελῶν τῶν καθολικῶν; Ἤ τίς θαλάττης ἄβυσσος οὐ πεπλήρωται ὀστέων τῶν αἵματι συρρύέντων σωμάτων ὀρθοδόξων; Ποία δὲ ἔρημος οὐ πεπόλισται ἐκ τῶν ἐν αὐτῇ ἐξορισθέντων ἀρχιερέων διὰ τὴν πίστιν; Ἤ ποῖαι πόλεις ὑπ(ερόριοι) καὶ μακράν που ἀπῳκισμέναι τῆς ἑαυτῶν ἐξουσίας, οὐ κοσμοῦνται καὶ θάλλουσιν ἐκ τῶν διασπαρέντων[11]) καὶ φυγόντων ἁγίων πατριαρχῶν, ἐπισκόπων, κληρικῶν, μοναχῶν τε καὶ λαϊκῶν; Παρὰ τοῖς Μανιχαίοις[12]) ἐξουσία τοῦ λαλεῖν καὶ πράττειν ἅπερ βούλονται· παρ' αὐτοῖς χρημάτων θησαυροὶ λαοπλάνων· παρ' αὐ-

conati non sunt (*homines nequam*), ut christianitatis nomen et rem funditus destruerent? Quantae opes distractae sunt, dum adversus[10]) Christum rebellatur? Quot gladii consumpti, dum in excruciandis sanctis exercentur? Quot exacuti mucrones sunt obtusi caedendis beatorum cervicibus et membris catholicorum? Quaenam maris abyssus orthodoxorum corporum sanguine manantium ossibus non est oppleta? Quinam desertus locus haud evasit frequens multitudine antistitum illic fidei causa exulantium? Quaenam urbes exterae, longissime a nostro imperio sitae, non ornantur et florent propter illic dispersos[11]) sanctos exsules patriarchas, episcopos, clericos, monachos laicosque? Apud Manichaeos[12]) libertas loquendi est et agendi pro libito, apud ipsos pecuniae thesauris abundant populorum deceptores, apud ipsos discordiae et contentiones et sedium ambitiones: apud ipsos impostorum globi, magorum cho- a. 495—496.

[10]) ἀνταρσία, vox ab ἄῤῥην, ἄρσιος derivata, idem fere quod *inimicitia* sonat. Quare si in sequenti lacuna suppleveris ποιοῦντες (vel κινοῦντες) εἰς, jam nihil desiderandum erit.

[11]) Ejusmodi persecutiones fidelium praeprimis in Oriente grassantes saepissime memorant et lugent pontifices; conf. Felicis II epist. 11 n. 4 et 5, Gelasii epist. 1 n. 39, 13 n. 1, 27 n. 2, 7, 8 al.

[12]) Ita iterum Eutychianos vocat, sive propter ipsorum cum Manichaeis similitudinem (conf. Gelasii epist. 7 n. 2, Germani epist. ad Armenos n. 7 apud Ang. Maj. Patrum nov. biblioth. II, 589 et hujus not. 4), sive ut emphatice haereticos Anastasio imperatore suffultos significaret. De hoc quippe Theophanes chronogr. pag. 210 tradit: *Sane Manichaei et Ariani de Anastasii promotione sibi gratulabantur: Manichaei quidem, quod imperatoris mater eorum partibus amice efficeretur, Ariani vero, quod Clearchum ejus avunculum ... omnino possiderent.* Qui etsi eodem Theophane teste Euthymio patriarchae chartam propria manu subscriptam tradidit, qua Calchedonensis synodi decreta velut fidei normam se acceptare profiteretur, tamen mox fidei catholicae satis infensus inventus est.

Digitized by Google

a. 495—496. τοῖς ἔρεις τε καὶ μάχαι καὶ θρόνων ἐφέσεις· παρ' αὐτοῖς γοήτων ἐσμοί, φαρμακῶν χοροί, ἐν μοναχῶν σχήματι τὴν μορφὴν ἀμειβόντων· ἐκεῖ μαγεία σκιρτῶσα κατεπαίρεται, καὶ ἀστρονομία γαυριῶσα καταθύμια χρησμοδοτεῖ· δαίμονες (ἐκβακχεύοντες), καὶ ἱερεῖς ἀσεβείαις αὐτῶν κροτοῦντες, καὶ Χριστὸς ὁ παιζόμενος, καὶ ὁ συνιὼν οὐκ ἔστι· τοῦτο τῶν τὴν μίαν φύσιν ἐν τῷ Χριστῷ τραγῳδούντων τὸ συμπόσιον· τοῦτο τῶν μεθυόντων καὶ ἀφανιζόντων ἐν συγχύσει τὰς ἑνωθείσας φύσεις τὸ ἐργαστήριον.

ri, qui sub monachorum habitu transfigurantur; ibi magia insolenter attolitur, et astrologia jactabunda, prout cuique libitum est, oracula edit: debacchantur daemones, eorumque impietatibus plaudunt sacerdotes, Christus illuditur, nemo denique recte sapit. Hoc est illorum, qui unam Christi naturam decantant, symposium, haec est officina ebriorum et qui unitas naturas confundendo destruunt.

4. Κἀγὼ μὲν, ὦ αἱρετικὲ, τρέψω πρὸς σὲ τὸν λόγον· ὁμολογῶν Χριστὸν υἱὸν θεοῦ τοῦ ζῶντος, τὰ τοῦ ἁγίου Πέτρου φθέγγομαι ῥήματα, τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ[13]) πατρὸς ὑμῶν κηρύττω. Σὺ δὲ λέγων θεοῦ[14]) παθόντος, ἀναιρεῖς τὰ τῆς οἰκονομίας, καινοτομεῖς, ἀποβαλλόμενος τοῦ κορυφαίου τὴν ὁμολογίαν. Ἐκεῖνος λέγει Χριστοῦ παθόντος, καὶ σὺ ἀντιπράττεις κράζων θεοῦ παθόντος. Τὸ λέγειν θεοῦ παθόντος ψιλὴν ὑποφαίνει τὴν θεότητα, γυμνὴν τοῦ ἐνδύματος, ἐστερημένην τοῦ ναοῦ καὶ τῆς τοῦ δούλου μορφῆς προσλήψεως. Τί τὴν ἀπαθῆ θεότητα καθέλκεις εἰς πάθος θεο-

Matth. 16, 16.

Matth. 16, 17.

1 Petr. 4, 1.

4. Jamque ego ad te, o haeretice, sermonem convertam, confitensque *Christum Dei vivi filium*, Petri verba dico, revelationem patris[13]) vestri depraedico: tu autem *Deo*[14]) *passo* dicens, oeconomiam destruis, novam doctrinam invehis, abjecta coryphaei confessione. Ille dicit, *Christo passo*, tu autem adversaris dicens *Deo passo*. Verba *Deo passo* solam denotant deitatem, veste sua nudatam, templo suo privatam, et absque servilis formae adsumptione. Cur impassibilem deitatem trahis ad passionem, o Dei hostis? Cur immortalem naturam servitio et mortis corruptelae obnoxiam facis? Ego *Christum Dei vivi filium*

[13]) Ang. Majus verba haec ad Petrum apostolum respicere putat, quippe qui primus episcopus Antiochiae pater ecclesiae Syriacae appellari possit. Ipse ea potius ad patrem coelestem referenda existimo, cujus revera *revelationem* esse, quae Petrus Matth. 16, 16 confessus erat, Dominus testatus est.

[14]) Haec formula obcoecato studio a Petro Fullone intrusa erat nec illo mortuo statim evanuit. Praeterea Gelasio usitatissimum est, haereticos quoslibet in refutationibus suis quasi personali colloquio producere (conf. ipsius epistolae 1, 3, 10 al.).

Digitized by Google

μάχε; Τί τὴν ἀθάνατον φύσιν ὑπὸ δουλείαν καὶ φθορὰν θανάτου ὑποβάλλεις; Ἐγὼ Χριστὸν υἱὸν θεοῦ τοῦ ζῶντος ὁμολογῶν, οὐ ψιλὸν τὸν ἄνθρωπον τοῦ Χριστοῦ κηρύττω, ἀλλ' ἐν θεότητι τελείᾳ καὶ ἐν ἀνθρωπότητι τελείᾳ τὸν αὐτὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος προσκυνῶ. Δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως γέγονεν, ἵνα εἷς πιστευθῇ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος· εἷς, εἰ καὶ τῶν ἑνωθεισῶν φύσεων τὸ διάφορον νοεῖται μετὰ τῶν ἐνεργειῶν. Εἰ γὰρ καὶ αἱ φύσεις (ἑκάστη ἰδιό-) τησι κοσμοῦνται, ἀλλ' εἷς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ αὐτὸς θεὸς κατὰ ἀλήθειαν καὶ ἄνθρωπος κατὰ ἀλήθειαν· ἕνωσις ἀδιαίρετος καὶ ἀδιάζευκτος, χωρισμὸν μὴ ὑφισταμένη· εἷς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα. Ἀλλὰ δάκνῃ καὶ σπαράττῃ τοὺς ὀδόντας διαπρίων, τὴν ἐν Χαλκηδόνι σεβασμίαν σύνοδον ταῦτα κηρύξασαν αἰτιώμενος, καὶ τὸν ἀοίδιμον καὶ ἐν ἀποστολικῇ χορείᾳ καταριθμούμενον Λέοντα βάλλεις ὕβρεσιν ἐν παραφροσύνῃ. Καὶ ἡμεῖς μὲν οἱ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ὑπήκοοι γνήσιοι τὰ παρ' αὐτῶν θεσπίσματα ἐν στόματι φέροντες καὶ καρδίᾳ ἐγκεκολλαμένα ἔχοντες, στέργομεν ἀπαρεγχειρήτως· σὺ δὲ ταῦτα ἀφεὶς, καὶ πρὸς τὸν ἀσεβείας βάραθρον ἐμπεπτωκὼς, μαρυκᾷς τὴν τῶν ἀκανθῶν χορτώδη ποιότητα.

confitens, non simplicem Christi hominem praedico, sed cum deitate perfecta et cum humanitate item perfecta eumdem Dei vivi filium adoro. Duarum quippe naturarum unio inconfuse et inconvertibiliter facta est, ut unus credatur Christus Dei vivi filius: *unus*, inquam, etsi unitarum naturarum differentia intelligitur cum operationibus. Quamquam enim utraque natura proprietatibus suis ornatur, attamen unus est Christus Dei vivi filius, idem vere Deus idemque vere homo, unio indivisibilis, insolubilis, nullam patiens separationem: unus Christus Dei vivi filius, *unus dominus, una fides, unum, baptisma*. Tu tamen angeris et dirumperis dentibusque frendes, venerandam Calchedonis synodum, quae haec praedicavit, incusans, nec non celeberrimum et apostolico choro adnumeratum Leonem contumeliis pulsans stultissime. Nos vero sanctorum apostolorum germani discipuli, illorum effata ore gerentes et cordi insculpta habentes, inviolabiliter eadem retinemus. Tu vero haec deserens et in impietatis barathrum temet conjiciens, gramineam spinarum materiam ruminas.

a. 495—496.

Eph. 4, 5.

5. Ἔστι γάρ σου καὶ ἄλλο, ὑφ' ᾧ κομπάζῃ καὶ σκιρτᾷς, ἐγχειρίδιον πίστεως, τῆς σῆς γνώμης

5. Est et aliud tibi, quo gloriaris et exsultas, enchiridium fidei, opinionis tuae atque ty-

Digitized by Google

a. 495 —496. καὶ τυραννίδος ἐφόδιον· ᾧ προσηνῶς καὶ ἀπατητικῶς προσέρρι-ψας ὄνομα, ΕΝΩΤΙΚΟΝ καλέσας. Φεῦ τῆς φληνάφου τερθρείας τῶν ἀποστατῶν· παρώσαντο τῶν ἀποστόλων τὴν διδαχήν, καὶ λαϊκῶν διδάγμασιν ἐναβρύνονται· τῶν ἐνθέσμων συνόδων ἀποστρέφονται τὰς ἐκθέσεις, καὶ κοσμικῶν ἐπιστολιδίοις τὰς ἐλπίδας ἑαυτῶν ἀνατιθέασι· τῶν ἁγίων καὶ ὁμολογητῶν ἀποθοῦνται τὴν σεμνότητα, καὶ χάρτην ἐπ' ἔκ[λυσιν] τῆς ἐν Χαλκηδόνι ἁγίας συνόδου ἐκφωνηθέντα κα-
2 Chron. 26, 19.] ταπ[ομπεύου]σι· τοῦ Ὀζίου τὴν θρασύτητα δοξάζουσι, καὶ ἱερωσύνης τὸν ἁγιασμὸν ἀποτινάσσονται. Καὶ[15]) ὑμεῖς μὲν, ὦ οὗτοι, ἕως ὧδε στῆτε λεπρῶντες καὶ τοῦ προπηλακισμοῦ τὴν ἀτιμίαν ἐπὶ προσώπου λάβετε σημεῖον, τρέμοντες καὶ στένοντες ἐπὶ τῆς γῆς· οὐ γὰρ ὀρθῶς προσηνέγκατε, ἀγνοήσαντες ἱερωσύνης αὐθεντίαν καὶ λαϊκῶν προπέτειαν. Εἰ γὰρ καὶ βασιλεὺς[16]) προῆλθεν, ἀλλ' οὐκ ἀρχιερεὺς ἐχειροτονήθη· βασιλεία μὲν γὰρ ὑπὸ ἱερωσύνης παιδαγωγουμένη διαμένει ἐν ..., καὶ ἱερωσύνη ὑπὸ βασιλείας δοξαζομένη, φαιδρύνει τὴν ἀλουργίδα, [μεγαλα]υχεῖ τὰ σκῆπτρα, ἁγιάζει τὴν ἀξίαν· ὑβριζομένη δὲ ἐκριζοῖ θεμέλια.

rannidis adminiculum, cui blandum fallaxque nomen imposuisti, HENOTICUM appellans. Hem nugaces apostatarum praestigias! Abjecerunt apostolorum doctrinam, et laicorum constitutis gloriantur: legitimarum synodorum praescripta repudiant, et in mundanorum hominum epistoliis spes suas reponunt; sanctorum et confessorum auctoritatem detrectant, et chartam, quae Calchedonensem sanctam synodum destruit, publice jactant; Oziae audaciam extollunt, et sacerdotii sanctificationem repellunt. Et vos[15]) quidem estote hactenus leprosi, contumeliaeque maculam in vultu habetote, signi instar, trementes et in terram curvi gementes; non enim recte sacrificium obtulistis, ignorantes sacerdotii auctoritatem et laicorum temeritatem. Etiamsi enim hic rex[16]) processit, non tamen episcopus est ordinatus. Porro regia dignitas a sacerdotio directa (diu) manet; sacerdotium vicissim a rege honoratum, purpuram laetificat, sceptrum illustrat, dignitatem sanctificat; sin vero injuriis afficitur, fundamenta convellit.

6. Ἐφεύρεται δὲ καὶ ἕτερον εἶδος ἀσεβείας ὑπὸ τῶν τολμη-

6. Excogitatum est aliud quoque impietatis genus ab audaci-

[15]) Notat Orientalium debilitatem, qui subscriptionibus suis Henotico calculum adjecerant.

[16]) Sacpissime apud pontifices ac praeprimis apud Gelasium de differentia sacerdotii et imperii doctrina asscritur (conf. Gelas. epist. 1 n. 10 not. 16). Ac revera ejusmodi est, ut ea sublata tollatur tota religio et ethnicorum status reducatur.

Digitized by Google

τῶν θεοπασχιτῶν. Πέφυκε γὰρ τὸν κρατούμενον τῷ τῆς παραφροσύνης πάθει ἐκεῖνα λέγειν, ἅπερ ἡ φρενῖτις ὑποτίθεται. Τί οὖν τὰ τῆς ἀλογίας, τὸν ὑπὸ ἁγίου ἀγγέλου ἐκδοθέντα ὕμνον, ἐξ ἁμαρτιῶν ὀργῆς κρατησάσης, καὶ γῆς ἐκ μοχλῶν κινουμένης καὶ σεισμοῖς ἀναβραζομένης, πόλεών τε ἐκ βάθρων καταῤῥιπτομένων καὶ τάφων αὐτοσχεδίως ἀθρόον τοῖς ἐκγόνοις γινομένων, ἐτόλμησαν οἱ σκληροτράχηλοι καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀντιπίπτοντες, παρασαλεῦσαι τῆς θείας ὁροθεσίας τῶν ὕμνων τὰ σήμαντρα· κἀνταῦθα βασκαίνοντες τῇ τῶν ἀνθρώπων σωτηρίᾳ, ἀνατρέψαντες, ὡς ἔστιν ἰδεῖν, καὶ τῶν στοιχείων τὴν ἐῦτακτον κίνησιν, μείζονα ὀργὴν ἐπισπασάμενοι διὰ τὴν εἰς ὕψος ἄδικον δυσφημίαν; Καὶ ὥςπερ διὰ τῆς ἐκδοθείσης φιλανθρώπως ὑμνῳδίας ἡ θραῦσις ἐκόπασεν, οὕτω πάλιν καταργηθείσης διὰ τῆς παρατροπῆς τῶν σχισμάτων, ἐπληθύνθη πρὸς ταῖς ἄλλαις αὐτῶν ἀσεβείαις ἡ πτῶσις. Ἐντεῦθεν σεισμῶν ἀπαύστων ἀναβρασμοὶ, καρπῶν ἀφορία, ἐκκλησιῶν ταραχαὶ, ἐθνῶν ἀπανασταίσεις, εἰρήνης φυγὴ, συγχύσεως ἐπικράτησις, αἱμάτων ἀκόρεστος ἔκχυσις.

bus Theopaschitis. Solet enim, qui insaniae morbo laborat, ea dicere, quae phrenitis[17]) suggerit. Quaenam itaque amentia est, traditum a sancto angelo hymnum, dum coelestis ira adversus peccata saeviret, tellusque a cardinibus nutaret et motibus quateretur, oppida a fundamentis everterentur subitaque ruina natis suis sepulcra fierent; cur inquam ausi sunt isti dura cervice homines, et sancto Spiritui resistentes, commovere divini statuti in hymnis sigilla, atque hinc, hominum saluti invidentes, elementorum, ut videre est, ordinatum motum pervertere, majorem provocantes iram, propter suam iniquam quam in altum eructarunt blasphemiam? Ac quemadmodum propter datam clementer hymnodiam confractio cessaverat; ita rursus hac sublata ob schismatum aberrationem cumulata est ultra ceteras ipsorum impietates ruina. Hinc terrae motuum indesinentium jactationes, frugum sterilitas, ecclesiarum perturbationes, populorum rebelliones, pacis exsilium, tumultus ubique dominans, sanguinis infinita effusio. a. 495 —496.

7. Καὶ ἡ μὲν καθολικὴ ἐκκλησία, ἣνπερ ἐν παιδείᾳ μετ' οἰκτιρμῶν παρέλαβεν ὑμνῳδίαν, μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἀπαύστῳ στόματι καὶ χείλεσιν ἀσιγήτοις βοᾷ, ψάλλουσα καθεκάστην· ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέη-

7. Et catholica quidem Ecclesia, quem ad sui correptionem a Dei misericordia accepit hymnum, eum cum timore ac pavore incessante ore et nunquam tacentibns labiis clamat, quotidie psallens: *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis,*

[17]) Similiter de *phrenecticis* imaginem Gelasius epist. 10 n. 9, 12 n. 12 adhibet.

Digitized by Google

a. 495 —496.

σον ἡμᾶς. Ἡ δὲ τῶν θεομισῶν ἐναγὴς φρατρία, ἡ τὴν ἀκήρατον καὶ ἄχραντον τοῦ θεοῦ φύσιν ἀεὶ παρατόμοις βέλεσι κατατοξεύουσα, τὸ ὁ σταυρωθεὶς τῷ αἴνῳ προσέθηκεν, ἵνα τῆς θεότητος καὶ τὸ ἀθάνατον καθυβρίσῃ, καὶ τῆς ἁγίας τριάδος τὸ ὁμοούσιον διαφθείρῃ. Ἐπινοοῦντες οἱ ἀναιδεῖς ἕτερον εἶδος παραπληξίας μεστόν· ἐν γὰρ τῇ προσθήκῃ τοῦ ὁ σταυρωθεὶς ἄλλος τις εὑρίσκεται παρὰ τὸ τρισάγιον νοούμενος, ὁ ἐλεῆσαι αὐτοὺς δῆθεν ἀναγκαζόμενος. Εἰπόντες γὰρ τὸ τρισάγιον καὶ προσθέντες τὴν καινοτομίαν, ἕτερόν τινα ὑποφαίνουσι διεζευγμένον τοῦ τρισαγίου, καὶ τοῦτον ἀνώνυμον. Εἰ γὰρ ὡς ἐπὶ τῆς τριάδος ἅγιος ὁ θεὸς ὁ πατήρ, ἅγιος ἰσχυρὸς ὁ υἱὸς, ἅγιος ἀθάνατος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ὁ σταυρωθεὶς λεγόμενον ἄλλον τινὰ βούλεται ἔξω τῆς τριάδος. Ἀλλ' οὐκ αἰδῇ οὐδὲ αἰσχύνῃ τὸ ἀλλόκοτον καὶ ἀπαίδευτόν σου τῆς δοξολογίας; Πῶς λέγεις ἅγιος ἀθάνατος, ἢ πῶς ἐπάγεις τὸ ὁ σταυρωθείς; Ἢ ἄνελε τὸ ἀθάνατος καὶ εἰπὲ τὸ ὁ σταυρωθείς, ἢ ἐρυθριάσας τὸ ἀθάνατον, παραίτησαι τὸ ὁ σταυρωθείς. Ἀλλ' οὐ νήφεις, ἐμβρόντητε, οὔτε ταῖς ἀκοαῖς ἐνηχήθης, οὔτε τῇ διανοίᾳ κατενόησας τῆς ὑμνῳδίας τὴν μεγαλοπρέπειαν· ὅπως θεὸν ἰσχυρὸν ἀθάνατον τὸ τρισάγιον ἐκδιδάσκει. Ὁμολογοῦμεν καὶ ἡμεῖς, συκοφάντα, τὸν σταυρωθέντα, ἀλλὰ κατὰ τὴν οἰκονομίαν, οὐκ ἐφ' ὕβρει τοῦ ἀθανάτου· οὐδὲ ἐπὶ καταλύσει τοῦ

miserere nostri. Deo autem odibilium exsecranda factio, quae integerrimam puramque Dei naturam impiis telis semper adpetit, verba *qui crucifixus es* laudi addidit, ut Deitatem ejus et immortalitatem injuria afficiat, et sanctae Trinitatis consubstantialitatem corrumpat. Atque aliud hi impudentes insaniae plenum commentum excogitant: etiam in additamento *qui crucifixus es* alius quidam invenitur praeter trisagium subintellectus Deus, qui proinde illorum *misereri* compellitur. Nam quum dicunt trisagion et novitatem illam attexunt, alium quemdam innunt a trisagio sejunctum, et quidem anonymum. Etenim si de Trinitate dicitur *sanctus Deus pater, sanctus fortis Filius, sanctus immortalis Spiritus sanctus,* verba *qui crucifixus es* alium quemdam extra Trinitatem spectant. Nonne vero te pudet pigetque absurdae hujus et imperitae laudationis? Quomodo dicis *sanctus immortalis,* et mox addis *qui crucifixus es?* Vel aufer *immortalis,* et dic *crucifixus:* vel *immortalem* reverens, aufer *qui crucifixus es.* Sed qui stolidus es, sobrius esse non potes, neque aure audis neque mente intelligis hymni majestatem, quomodo scilicet *Deum fortem atque immortalem* trisagion nos doceat. Confitemur nos quoque, o sycophanta, crucifixum, sed secundum incarnationis rationem, non ad immortalis contumeliam; neque ad incorruptibilis exitium adoramus crucifixum, sed *Christum Dei vivi filium,* ut sanctus

Matth. 16, 16 sq.

Digitized by Google

ἀφθάρτου προσκυνοῦμεν τὸν ἐσταυρωμένον, ἀλλὰ Χριστὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὡς ὁ ἅγιος Πέτρος ἐξ ἀποκαλύψεως τοῦ πατρὸς παιδευθεὶς ἐδίδαξεν. Ἡ ἁγία καὶ μακαρία τριὰς οὐ βαθμοῖς ὀνομάτων ὑπόκειται ἀξίας, ἀλλ' ἰσότητι πραγμάτων μεγαλύνεται. Εἰ γὰρ καὶ πρόσωπα τρία, ἀλλ' οὐ τρεῖς ἀξίαι· ἐνθα τὸ ὁμοούσιον, ἐκεῖ τὸ παντὸύναμον· τὸ διάφορον ἐν ὀνόμασιν, ἀλλ' οὐκ ἐν ἀξίᾳ· τὸ ἀνόμοιον ἐν προσηγορίαις, οὐκ ἐν οὐσίᾳ. Εἰ γὰρ καὶ τρεῖς ὑποστάσεις πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ἀλλὰ· μία οὐσία, μία θεότης, μία ἐν ἀθανασίᾳ, ἐν ἀπαθείᾳ, ἐν ἀτρεπτότητι, ἐν βουλῇ, ἐν δημιουργίᾳ, ἐν ἐλέει, ἐν οἰκτιρμοῖς.

8. Οὐκ ἐμοὶ οἱ λόγοι, τῶν ἀποστόλων αὕτη ἡ διδασκαλία, τῶν ἁγίων πατέρων ἡ ἐξήγησις. Πατέρας δὲ λέγω τοὺς διαδόχους τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ Λόγου· οὓς λυσσῶν ἀναθεματίζεις, μὴ φέρων αὐτῶν τοὺς ἀνεπαισχύντους ἐλέγχους, μηδὲ τὴν λαμπρότητα τῶν μαρμαρυγῶν τοῦ ἐν αὐτοῖς θείου χαρίσματος. Οὐκ ἠγνόηται δὲ, ὅτι ἡ ἐν Χαλκηδόνι τῶν ἁγίων σύνοδος Νεστόριον μὲν ὡς φρενοβλαβῆ κατέκρινεν· Εὐτυχέα δὲ ἀσεβήσαντα ἀπεκήρυξεν ἀναθέματι βαλοῦσα· Διόσκορον δὲ τὸν Ἀλεξανδρέα καὶ φονέα τοῦ ἁγίου Φλαβιανοῦ, τὸν καὶ τοὺς προμάχους τῆς πίστεως παρανόμως καθελόντα, καὶ ἄλλους δὲ ἀρχαιοτέρους φωστῆρας ἀποκηρύξαντα, καὶ Εὐτυχεῖ περιπλακέντα, τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας ἀπέκοψεν. Οἱ ἀναθε-

Petrus revelante ei Patre nos docuit. Sancta et beata Trinitas haud gradibus nominum dignitatis obnoxia est, sed rerum aequalitate magnificatur. Nam etsi tres sunt personae, non tamen tres dignitates. Ubi consubstantialitas, ibi omnipotentia; differentia est in nominibus, non in dignitate, dissimilitudo appellationum, non substantiae. Quamvis enim tres sunt hypostases, Patris ac Filii et Spiritus Sancti, una tamen substantia, una deitas: una inquam in immortalitate, in impassibilitate, in immutabilitate, in voluntate, in creatione, in clementia, in misericordia. a 495—496.

8. Non sunt hi mei sermones, sed apostolorum doctrina haec est et sanctorum patrum enarratio. Patres autem dico successores illorum, qui testes oculati fuerunt et ministri Verbi; quos tu, furibunde, anathemate pulsas, quia liberas illorum reprehensiones aequo animo non fers, neque radiantem splendorem divini, quod in eis est, charismatis. Nemo autem ignorat, Calchedonensem sanctorum virorum synodum damnasse insanum Nestorium, impium item Eutychem exauctorasse anathemate perculsum, nec non Alexandrinum Dioscorum sancti Flaviani interfectorem, qui et alios fidei defensores sceleste expulerat et alia antiquiora Ecclesiae lumina extinguere nisus fuerat; hunc inquam, arcto vinculo Eutychi

Digitized by Google

a. 495 —496. ματισμοὶ ὑμῶν, οὓς κατὰ τῶν φίλων τοῦ θεοῦ κορυβαντιῶντες ἀκοντίζετε, τὸν κόσμον ἀνέτρεψαν, τὸν ἀέρα ἐμόλυναν, τοὺς οὐρανοὺς ἠχλύωσαν, τοὺς ἀγγέλους παρώτρυναν, τὰ Σεραφὶμ παρώργισαν, τὸν χερουβικὸν θρόνον ἐπέσεισαν, τὸν βασιλέα τῆς δόξης εἰς ἐκδίκησιν παρεκίνησαν. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν τοῖς ἐκλεκτοῖς μου, φησὶν ὁ δεσπότης, τοῖς δι' ἐμὲ ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὸ ἀφρόνων ἀναθεματιζομένοις, ὅτι ποιήσω τὴν ἐκδίκησιν ὑμῶν, καὶ ἐκδικήσω καὶ ἀνταποδώσω· μεθύσω τὰ βέλη μου ἀφ' αἵματος, καὶ ἡ μάχαιρά μου φάγεται κρέα· ἀφ' αἵματος τραυματιῶν καὶ αἰχμαλωσιῶν ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐθνῶν· καὶ ἐκκαθαριῶ τὴν γῆν τοῦ λαοῦ μου· ἐξῆλθεν ἡ ἀπόφασις, καὶ ἐδόθη ἡ μάχαιρα κυρίου ἐν ἱερεῦσιν ἀνομίας· μάχαιρα κυρίου ἐν ἄρχουσιν ἀδικίας· μάχαιρα ἐν πόλει, ἐν ἀγρῷ, ἐν παντὶ ὑβριστικῷ καὶ ὑπερηφάνῳ, ἐν παντὶ τόπῳ ἀνόμων καὶ ἀποστατῶν, ἐν παντὶ κοινωνήσαντι τῇ τῶν ἁγίων ὕβρει, ἐν παντὶ προσπελάσαντι τῇ τῶν ἀναθεματισθέντων ἀσεβῶν κοινωνίᾳ.

haerentem, synodus ab Ecclesiae corpore abscidit. Vestra porro anathemata, quae adversus Dei amicos furiose jaculati estis, mundum subverterunt, aërem corruperunt, Seraphinos irritarunt, Cherubicum thronum quassarunt, gloriae regem ad ultionem provocaverunt. Amen quippe dico vobis electis meis, ait Dominus, qui mei causa quotidie ab insanis anathemata patimini, vos ulciscar et remunerabor: inebriabo tela mea sanguine, et gladius meus carne vescetur, cruore sauciorum et captivorum, capitibus principum gentium, purgaboque terram populi mei. Exiit decretum, pervenitque Domini gladius ad sacerdotes iniquitatis, gladius Domini adversus principes injustitiae: gladius in civitate, gladius in agro, contra omnem contumeliosum ac superbum, per omnem impiorum locum et apostatarum, contra quemlibet, qui sanctos injuriando operam confert, denique contra omnes, qui anathemati subjectis impiis communicant.

9. Τούτων οὕτως ἐν ὀργῇ ἐξωγρημένων ὑπὸ τὸ ἀμφίβληστρον τῆς ἐκδικήσεως, καλῶς. ὑμεῖς ἐξεκλίνατε, θεοφιλέστατοι, τόπον δώσαντες· καλῶς ἀφορίσθητε ἐξ αὐτῶν, τῷ βορβόρῳ τῆς ἀθεΐας ἐγκυλιομένους ἐγκαταλείψαντες. Χαίρει Χριστὸς διαιρούμενον τὸν σύνδεσμον αὐτῶν ὁρῶν· εὐφραίνεται τοὺς ἐξ αὐτῶν ἀποστατουμένους προσλαμβανόμενος. Ἐκεῖνοι ἐν ἅρ-

Exod. 15, 19.

9. Hos itaque ab ira Dei reti ultionis implicitos praeclare vos defugite, a Deo dilectissimi, de via decedentes: praeclare vosmet secernite, atque eos in irreligiositatis luto volutantes deserite. Gaudet Christus, praecisum vinculum illorum videns: laetatur ad se recipere, qui ab eo defecerant. Illi *in curribus et in equis, nos autem in nomine Domini* magnificabimur. Ipsi *in-*

Digitized by Google

μασι καὶ ἵπποις, ἡμεῖς δὲ ἐν ὀνόματι κυρίου θεοῦ ἡμῶν μεγαλυνθησόμεθα· αὐτοὶ συνεκοδίσθησαν καὶ ἔπεσαν ὑπὸ τὴν μάχαιραν τοῦ κυρίου, ἡμεῖς δὲ ἀνέστημεν καὶ ἐσώθημεν, ἐν σκέπῃ τοῦ θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ αὐλιζόμενοι. Ἐνηχήσατε ἡμῖν τῶν πνευματικῶν ὑμῶν ἀγώνων τὴν τερπνὴν μελῳδίαν· προπηδήσει καὶ αὖθις ἡ καλὴ καὶ[18]) πιστὴ ῥοδῆ, τῆς ἐπὶ θεοῦ ἐπιστασίας ὑμῶν φωνοῦσα τὸν εὐαγγελισμόν. Διηγήσασθε θᾶττον, πῶς ἐπέστη ὁ ἄγγελος κυρίου, καὶ τὰ δεσμὰ διεσπάραξεν ἄφνω, ὕπνῳ νεκρώσας τοὺς φύλακας· ὅπως τε ἡ σιδηρέα πύλη ἀνεπετάσθη, πρὸς τὴν πόλιν τοῦ θεοῦ ἀπάγουσα ὑμᾶς. Οὕτω γὰρ οὕτω συνευφραινόμενοi τῇ κατοικίᾳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ τὴν μεγαλειότητα τοῦ θεοῦ παρ' ὑμῶν ἀκούοντες, αὐτῷ τῷ μεγαλουργῷ θεῷ καὶ πατρὶ ἅμα τῷ μονογενεῖ υἱῷ σὺν ἁγίῳ πνεύματι δόξαν ἀναπέμψωμεν ὁμοθυμαδὸν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

pediti sunt et ceciderunt sub Domini gladium; nos autem *surreximus et salvati sumus,* in velamento Dei coeli habitantes. Cantate nobis spiritalium vestrorum certaminum dulcem melodiam: prodibit rursus pulchra et[18]) fidelis rosa, quae vobis divinae tutelae bonum nuncium sonabit. Narrate protinus, quomodo Domini angelus adstiterit et vincula cito dissolverit, somno custodes mortificans: et quomodo ferrea ianua reserata sit, quae vos intra civitatem Dei recipit. Sic enim, sic laetantes in contubernio Deique magnalia a vobis audientes, ipsi prodigiorum auctori Patri Deo cum unigenito Filio et sancto Spiritu laudem concorditer extollemus per saecula saeculorum. Amen.

a. 495 —496. 1 Reg. 17,45. Ps. 19,9. Exod. 3,2. Act. 12,7 ss.

GELASII PAPAE EPISTOLARUM FRAGMENTA.

p 59.

Fragmentum 1.

p 61 *De communione Eutychiana vitanda.*

Gelasius Johanni illustri.

De sacra tibi communione rescripsimus, ut si tua sublimitas, sicut te facere pro tua id salute conveniens est, fidem catholicam

[18]) Nescio, cur clariss. Majus has codicis voces καὶ πιστὴ ῥοδῆ in vocem περιστερά mutarit. Nam aperte hic Gelasius illum mirabilem *rubum* Exodi 3, 2 respicit, qui ut olim Moysi ita nunc fidelibus vocem liberationis de dira captivitate ederet. Qui rubus in versione Septuaginta βάτος nuncupatus, sermone quotidiano per emphasin facile *rosa* (ῥοδῆ) appellari potuit.

Digitized by Google

desiderat sustodire, Eutychianae pestis vel eidem communicantium aut eorum, qui talium student nomina recitare[1]), non ambigas foedera declinanda; sed ubicunque professionem communionemque[2]) repereris, ab his contagiis expeditus nullum cum perfidia eorumque complicibus velis miscere consortium.

Fragmentum 2.

De defensanda fide catholica. p. 61

Gelasius Agilulpho.

Precor autem, ut reculam[1]) beati Petri apostoli inter Dalmatias constitutam defensare dignemini, et quae vobis vel frater vel[2]) coepiscopus meus Honorius pro ejus utilitate suggesserit, vel conductores putaverint intimandum, quam fieri potest, praestare jubeatis.

Fragmentum 3.

Anastasium diaconum Lucerinae civitatis antistitem a se creatum esse notum faciat, et curet, ut necessaria huic ecclesiae solatia impendantur. p. 61

Gelasius Dulcio defensori.

Experientia tua praesenti admonitione suscepta filiis nostris viris magnificis Aemiliano magistro militum et Constantino judici et Ampelio ex nostra exhortatione dicere non omittat: ecce, sicut magnitudinis vestrae desiderium postulavit, sine mora aliqua et sine ullo dispendio, ita ut nec ipsas dare ecclesiasticis officiis consuetudines[1]) sineremus, Anastasium diaconem Lucerinae civitati ordinavimus sacerdotem. Propterea nunc magnificentia vestra ejusdem episcopi

---

1 [1]) In hoc quidem omnis nisus eorum erat, qui a partibus Acacii contra Romanos pontifices stabant (cf. Gelas. epist. 7 n. 3).

[2]) Scilicet *talium hominum* vel *foederum*, aut simile quid schisma istud Acacianum notans.

2 [1]) Ita U^1 c^{10}. Migne *regulam*.

[2]) *Vel* abundare videtur, aut pro *et* sonat. *Honorius* autem ille est Salonitanus episcopus, qui in Gelas. ep. 4 et 5 fidei propugnator in Dalmatiae regionibus apparet.

3 [1]) H. e. quae ab episcopo ordinato praesulibus, qui ordinationi ipsius interfuerunt, atque clericis dari consueverant pro *inthronisticis*, ut postea locutus est Justinianus Nov. 123 c. 3. Ibi iste imperator haec praefatus: *Pro consuetudinibus autem illa sola permittimus, quae subsequenter inserta sunt*, exinde quid ab unoquoque episcopo sit praestandum, pro ecclesiae ipsius dignitate ac reditibus moderatur. In hujus tamen capitis fine inopum ecclesiarum gratia adjungit: *Episcopum enim ecclesiae minus duas auri libras reditus habentem neque pro inthronisticis neque pro alia qualibet consuetudine aliquid dare permittimus.* Cui legi nunc Gelasius videtur praeludere. Jure autem quae praebebantur, Justinianus ibidem, ut a *primo presbytero et archidiacono susciptantur atque ex consuetudine percipientibus dividantur*, constituit. Notandum, has consuetudines in titulo praedicti capitis 3 Nov. 123 *cathedratici* nomine donari, quo verbo etiam Gelasius fragm. 20 utitur; sed ibi aliud quid videtur sonare.

Digitized by Google

vel ecclesiae Lucerinae utilitatibus in universis, quae sunt necessaria, libenter impendat, et competentia vigilantiae suae tribuat Christiana devotione solatia.

Fragmentum 4.

p. 62. *Ut episcopum curent cum cleri populique consensu eligi.*

Gelasius papa Philippo et Gerontio[1]) episcopis.

Plebs Clientensis data nobis petitione deflevit, diu se sine rectoris proprii gubernatione dispergi: ac, sicut asseritur, is qui a[2]) vobis jam probatus dicitur, a paucis et tenuibus putatur eligendus, quum ad vos pertineat, universos assidua admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio viderint et sine aliqua reprehensione, consentiant. Et ideo, fratres carissimi, diversos ex omnibus saepe dicti loci paroeciis presbyteros, diaconos et universam turbam vos oportet saepius convocare: quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis imminentibus[3]) sibi quaerant sola Divinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare praescriptis.

Fragmentum 5.

p. 62. *Ut visitatoris nomine presbyterum et diaconum basilicae s. Eleutherii ordinet.*

Gelasius Coelestino episcopo.

Presbyteri, diaconi et universi clerici Histoniensium[1]) civitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia beati martyris Eleutherii episcopi, quae in supradictae civitatis paroecia probatur esse constructa, presbyterum qui constitutus fuerat defecisse, atque in ejus locum Julianum diaconum ipsius ecclesiae pro celebritate ipsius loci quantocius debere ordinari. Et ideo, frater carissime, si de ejus vita vel moribus nihil est quod contra canonum veniat statuta, suprascriptum presbyterii honore decorabis, sciturus eum visitatoris te nomine non cardinalis[2]) creasse pontificis. Pariter etiam et Felicissimum diaconum in ejus ecclesiae ministerio, si conversatio ejus

---

4 [1]) Z *Geruntino* moxque *Plebs Diotrensis* (aut in edit. Boehmeri *Diestrensis*, quod oppidum fuit Moesiae secundae, al. *Durostoli*). Praeferimus cum Q^1 Q^2 *Clientensis*. In provincia Corneola juxta Valeriam ab Anonymo Ravennate l. IV 2, 21 recensetur *Cliena*.

[2]) Q^2 *a nobis ... cum ad nos*, et cum Q^1 *eligendus*, ubi Z *jam putatur electus*.

[3]) Ita Q^1 Q^2; *admonentibus* Z.

5 [1]) Z *Stomensis*, Q^1 Q^2 *Stoniensium* eo more, quo veteres *Spania* pro *Hispania* scribere consuerunt. Porro *Histonium* oppidum est Frentanorum seu Aprutii citerioris (hodie *Vasto d'Ammone*).

[2]) H. e. ex delegato ac transitorio, non ex proprio ac perpetuo jure. Haec vox, quae eodem intellectu deinceps frequens erit, nunc primum nobis occurrit. Ejus autem explicatio subnexo fragmento firmatur.

Digitized by Google

patitur, subrogabis, ut locus processionis celeberrimus ad mysteriorum consecrationem nec sacerdote indigeat nec ministro.

Fragmentum 6.

Ut Grumentinis diaconum consecret. p. 62

Gelasius Sabino episcopo.

Quartum defensorem diaconum sibimet consecrari populus Grumentinae civitatis exposcit. Hunc ergo, si nil est quod ejus personae possit opponi, diaconii provectione decorabis: ut noverit tamen dilectio tua, hoc se delegantibus nobis exsequi visitatoris officio, non potestate proprii sacerdotis.

Fragmentum 7.

Corripitur, quod papa inconsulto ad comitatum profectionem paret. De reverentia, p. 62
quae divinis mysteriis debetur.

Gelasius Elpidio episcopo Volaterrano.

1. Quo ausu, qua temeritate rescribis Ravennam[1]) te parare proficisci, quum canones[2]) evidenter praecipiant nullum omnino pontificem nisi nobis ante[3]) visis atque consultis ad comitatum debere contendere! Quod quum longaevi vel aetate vel honore pontifices, id est Pistoriensis, Lucensis et Fesulanus, nuper monstrentur fecisse, tu, qui paucorum dierum fungi sacerdotio videris, quemadmodum tibi putas licere, quod non licet, nisi quod hoc officio carere festinas, quo[4]) te his excessibus ostendis indignum?

2. Sacrosancta religio, quae catholicam tenet disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat, ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire. Nam quomodo[5]) ad divini mysterii consecrationem coelestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, et qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?

---

7 [1]) Q^2 *ad Ravennam*, in qua nimirum urbe Theodorici regis aula erat.

[2]) Vide conc. Antioch. c. 11, Sardic. c. 27 et 28, Zosimi papae epist. 1 n. 1. Hilari epist. 7 n. 4 et vulgatum codicem eccl. Afric. cap. 106.

[3]) c^{10} omittit *ante*. Moxque Z delevit *quod quum longaevi — videris*, quod cum Romanis correctoribus ex Polycarpo l. I t. 17 et aliis revocavimus. Ibidem *id est* ex X^1 addidimus.

[4]) Editi *quod* (Z *quo*) *his excessibus te*.

[5]) Supple *in celebratione divinorum mysteriorum*. Quamvis autem hujusmodi argumento probare soleant et alii patres, quam necessaria sit sacerdotalis mundities, quamque absurdum, Spiritum sanctum ab eo invocari, qui ipsum non habuerit; non inficiantur tamen, Spiritum sanctum invocatum adesse, quia ministri vitium supplet Christus, cujus nomine sive a bonis sive a malis ministris sacra mysteria peraguntur.

Digitized by Google

Fragmentum 8.

p. 62. *Quomodo consulendum ecclesiae, cujus praesul frequenti incursione elisus dicebatur.*

Gelasius Rustico et Fortunato episcopis.

Nuper Foropopiliensis[1]) ecclesiae clerici una cum Sabino[2]) et Pelagio laicis propria suggestione reserarunt, praesulem suum gravi quadam necessitate vexari, cujus eum dicerent incursione frequenter elisum. Quod ne scandalum fidelibus videretur ingerere, et Ecclesiam Dei ubique positam hac offensione turbaret[3]), praecipue quum eodem ipso volente huc se perrexisse firmarent: ad dilectionem vestram scripta direximus, ut ecclesiae, cujus rector tali casu teneretur adstrictus, visitationem congruam redderetis. Verum quia nunc idem ipse venit huc pontifex falsaque omnia de se jactata disseminat, sub divini contemplatione judicii vestraeque conscientiae existimationisque respectu rerum fide sollertissime perquisita, si aliquando scilicet vel in domo vel in processione vel in alio quocunque loco probatur repente collapsus[4]) vocesque dedisse confusas et spumas ore jactasse, quanta fieri potest, examinatione quaeratur. Quod tamen sive possit[5]) aliquorum testificatione firmari, sive nunquam contigisse dicatur, non putandum est posse sufficere, sed certum manifestumque documentum, quia de tanta re non segnius agendum est. Faciat rem tua dilectio, frater Rustice, sui moris et aptam magno pontifici, ut eum triginta[6]) diebus tecum esse constituas,

---

8 [1]) Z *Foropopulensis*. *Forum Popilii* olim erat episcopalis in Aemilia sedes (hod. *Forlimpopoli*) sub archiepiscopo Ravennate. Sed hoc loco aliud Forum Popilii, Campaniae oppidum inter Capuam et Trebulam situm, illud *Φόρος Ποπλίου* Ptolemaei, dictum putaverim (cf. Holstenii adnotat. in Cluverii Italiam antiqu. pag. 258 seq. et Bischoff u. Moeller Vergleichendes Wörterbuch der alten mittlern und neuen Geographie ed. 1829).

[2]) Ita D^6 Π^1 R^2 (nam quem Mansius hic generatim *vetustissimum Lucensem* vocat, suspicor esse Lucens. 124 Burchardi collectionis). At Z *cum Sabino episcopo et Pelagio et laicis*.

[3]) Z *turbare* moxque *tenetur ... reddatis*.

[4]) R^2 *prolapsus*, non alio sensu; scilicet quantum ex subjectis conjectare licet, comitiali morbo laborabat. Ac forte episcopi hujus infirmitas tandem comprobata Gelasio edendi decreti, quod epist. 14 cap. 19 adversus sacros ministros *daemoniacis similibusque passionibus irretitos* sancit, occasionem dedit.

[5]) Ita mss. At Z *non possit aliquorum factum testificatione*.

[6]) a^2 secundum mss. suos legisse videtur *triginta vel octoginta*, aut cum duobus illis vetustis Gratiani codicibus correctorum Romanorum simpliciter *octoginta*. Hoc quidem Richterus in edit. corp. jur. can. ad. c. 2 C. VII qu. 2 inde irrepsisse arbitratur, quod in veteribus exemplaribus omnibus scriptum fuerit *l. XXX i. e. vel triginta*. — Similis quaedam concilii Suessionensis II anno 853 habiti c. 2 sententia fuit, qua Wenilo Senonensis metropolitanus Herimannum Nivernensem episcopum molesta infirmitate correptum apud se, quoad aestivum tempus pertransiret, detinere ac probare jussus est. Herimannus vero sic probatus anno eodem in concilio Vermeriensi II c. 1 ecclesiae suae restitutus fuit.

Digitized by Google

eumque carnibus indifferenter[7]) uti necessaria probatione compellas.

Fragmentum 9.

Ut presbyter propter invalitudinem corporis, quae casu obtigit, ab officio suo non removeatur. p. 62

Gelasius papa Palladio episcopo.

Praecepta canonum, quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut ad sacerdotium debiles corpore non patitur pervenire, ita et, si quis in eo fuerit[1]) constitutus ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest, quod tempore suae sinceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis deflevit oblato, quod habetur in subditis, olim sibi ante annos plurimos collatam presbyterii dignitatem, quam revera immaculatam[2]) corporis vitio suscepisset. Sed nuper propter provinciae vastitatem, quam Thusciae prae omnibus barbarorum[3]) diversa sectantium et ambiguitas invexit animorum, quum imminentes gladios evadere fugae praesidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi septa transiliens, inferiores partes corporis inseruisse suggessit, quae vix adhibita curatione biennio potuissent abstergi. Et ideo, frater carissime, supradicto locum suum dignitatemque restitue, quatenus sacrosancta mysteria sicut consuevit exerceat. Neque enim convenit, ob hoc auferri ante susceptum ordinem, in[4]) quo postmodum in invaletudinem corporis casu probatur faciente collapsus.

Fragmentum 10.

Quid ipsi agendum penuria presbyterorum laboranti, ac detrectantibus illius diaconis ad presbyterii gradum promoveri. p. 62

Gelasius Victori episcopo.

Consuluit dilectio tua de suorum promotione[1]) clericorum perhibens, quod diaconi ad presbyterii gradum, quo ecclesiam tuam memoras indigere, venire detrectant. Quapropter quia invitos fieri ecclesiastica moderatio[2]) gravitasque non patitur, ut ex nolentibus

---

[7]) R[2] ad oram addit *anellinis* (i. e. *agninis*); carnes enim hoedinae provocare daemones credebantur.

9 [1]) Ita Q Z; T X[1] *constitutus actu fuerit sauciatus.*

[2]) Ita X[1]; Q Z *immaculati corporis judicio*, et mox T *suscepit.*

[3]) Z addit *feritas*, quod omittunt Q T X[1]. Tum X[1] secunda manu *armorum* (loco *animorum*), et Z *dum* (loco *cum*). Ista in id tempus apte conveniunt, quo Odoacer Herulorum rex et Theodoricus Gothorum dux de Italiae regno digladiabantur.

[4]) X[1] *quia*, et mox cum T omittit *in.*

10 [1]) T *promissione*, moxque c[10] omittit *fieri.*

[2]) *Ecclesiasticae moderationi* accessio etiam facta est imperialis auctoritatis. Nam et Majorianus Nov. t. XI (ed. Haenel), *ne quis invitus clericus ordinaretur*, sanxit. Quocirca Gregorius epist. lib. I ind. IX ep. 19 ad Natalem Salonitanum

Digitized by Google

fiant volentes, ordinatio illa potest perficere: scilicet[3]) si quos habes vel in acolythis vel in subdiaconibus maturioris aetatis et quorum sit vita probabilis, hos in presbyteratum studeas promovere: ut qui[4]) in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus post minores; ipsaque commoda presbyteri propensius quam diacones consequantur, ut hac saltem ratione constricti, et honorem, quem refugerant, appetere nitantur et quaestum.

Fragmentum 11.

p 63. *De episcopo, qui ad comitatum, ut ibi causam diceret, contra fas compulsus fuerat.*

Gelasius papa Gerontio et Johanni episcopis.

Frater et coepiscopus noster Serenus tantis est contumeliis appetitus, ut non sine nostra fuerit lacessitus injuria, quia ad comitatum domini filii nostri regis pro immanitate facti venire compulsus[1]) est. Hunc ergo omnibus decet a nobis solatiis adjuvari, quia cunctis crescit, quidquid in tali causa probatur impensum.

Fragmentum 12.

p 63. *Ut leges Romanorum principum circa reverentiam b. Petri curet servari.*

Gelasius Theodorico regi.

Certum est, magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse praecepit, multo

---

edicit: *justum est, ut nemo crescere compellatur invitus.* Hinc et a Simplicio epist. 14 in Johannem episcopum Ravennatem, quod quemdam presbyterum invitum episcopum consecrasset, animadversum vidimus.

[3]) Z c^{10} omisso *scilicet* deinde *vel subdiaconis maturiores aetate.* Paulo ante X^1 *sint* (loco *fiant*).

[4]) Haec altera pars a superiore distracta in D^6 Π^1 ita citatur: *Ex registro Gelasii Papae. Qui proficere etc.* Erga clericos hujusmodi severiores fuerunt Africani. Siquidem in vulgato codice canonum ecclesiae Africanae c. 31 constituerunt, ut *quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus ecclesiarum non obtemperaverint episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.* Jam vero nihil novi Gelasius hic statuit. Nam et antea Simplicius epist. 1 n. 2 non aequam clericis ecclesiasticorum proventuum portionem, sed *pro singulorum meritis* dividendam docuerat. Postea et concilium Emeritense anno 666 habitum c. 14 ita oblationum tres partes aequales fieri vult, *ut unam episcopus habeat, alteram presbyteri et diacones ... inter se, ut dignitas et ordo poposcerit, dividant, tertia vero subdiaconibus et clericis tribuatur, ut a primiclero, juxta quod in officio eos praescit esse intentos, ita singulis dispensetur.*

11 [1]) Quo nimirum ad dicendam causam idem Gelasius epist. 23 nec simplices clericos nisi calcatis regulis omnibus compelli potuisse contendit et compulsos esse ingemiscit. Atque hos quidem non nisi quia celassent clericalem gradum, susceptos, statimque, ut is manifestus factus est, ad apostolicae sedis examen rejectos esse, sequens fragmentum 13, ubi et tota causa explicatur, fidem facit.

Digitized by Google

magis circa reverentiam beati Petri apostoli pro suae felicitatis augmento velle servari.

Fragmentum 13.

Theodoricum regem Sereni Nolani episcopi clericos rebelles ad Gelasii examen remisisse. p. 63

Gelasius Quinigesio et Constantino episcopis.

Felix et Petrus ecclesiae Nolanae clerici contumaciter et contra constitutum rebelles ad comitatum filii mei regis putaverunt esse properandum, dicentes sibi vim fuisse generatam, tacito clericatus officio: et auctoritate[1]) promerita contra civilitatem redemptis sibi barbaris suprascriptum episcopum suum gravibus injuriis et dispendiis[2]) affecerunt. Proinde necessarium fuit, ut ad eumdem dominum filium meum supradictus frater noster Serenus episcopus convolaret, ostensaque fraude[3]) secundum beatitudinem temporum suorum vir praecellentissimus filius meus Theodoricus rex ad nostrum[4]) contumaces clericos remisit examen.

Fragmentum 14.

Ut Justus et Stephanus de injuriis Proficuo Salpinati episcopo a Brumario spectabili viro illatis, si is consenserit, cognoscant, sin minus, episcopus provinciae judicem conveniat. p. 63

Gelasius Justo et Stephano episcopis.

Frater et coepiscopus noster Proficuus Salpinae sacerdos ecclesiae petitorii nobis insinuatione suggessit, Brumarium spectabilem virum, quum nullis exstantibus causis servum ecclesiae gravissima caede mactasset, tunc etiam ad augendam violentiae suae pervicaciam supradictum antistitem gravissimis contumeliis affecisse. Et ideo, fratres carissimi, si a vobis admonitus ad judicium vestrum[1]) inquisitionemque convenerit, veritate discussa, unde tantus superbiae spiritus aut violentiae conceptio fluxerit, quidve fuerit quod pontifex tanta laceraretur insolentia, nostris auribus relatione signate. Aut si forte simili praesumptione contempserit, potestatem sibi supra-

---

13 [1]) Quae scilicet causae apud laicos judices agendae eis potestatem faciebat.

[2]) Haec est illa *immanitas facti*, cujus causa Serenus ad comitatum compulsus supra fragmento 11 dicitur.

[3]) H. e. patefacto eorum clericatu, quem tacuerant.

[4]) Nolani episcopi causam ad apostolicae sedis jus pertinuisse exploratum habebit, qui id adjunxerit, et quod Gelasius fragm. 11 scribit, Serenum *non sine nostra injuria* ad comitatum fuisse compulsum, et quod fragmento 12 rogat *leges Romanorum principum circa reverentiam beati Petri apostoli servari*, quae hactenus hoc negotio fuerat laesa. Sed et eum causae illius cognitionem vicinis episcopis delegare satis habuisse inde conficitur.

14 [1]) Quia vulgo actor rei forum sequi debet, ad ecclesiasticum judicium laicus vocari quidem poterat, sed compelli invitus non poterat.

Digitized by Google

dictus pontifex noverit esse concessam[2]), quatenus apud judicem provinciae atrocium injuriarum quaerat propositione vindictam.

Fragmentum 15.

p. 63. *Ut de objectis diacono Verulanae civitatis calumniis judicium instituant et digna ultione vindicent.*

Gelasius Rufino[1]) et Justo episcopis.

Honorati et primarii Verulanae civitatis fusius nobis precibus supplicarunt, sicut habetur in subditis, quibus etiam subscriptionem propriam commodarunt, se ab Agnello diacono gravi contumeliarum genere fuisse maceratos, ut etiam reos[2]) perjurii, sicut ipsi dicunt, se asserant inclinatos. Et ideo, fratres carissimi, secundum petitorii fidem supradicto diacono ad vestrum judicium, imminente Laurentio Romanae ecclesiae defensore, mox deducto, veritatis assertione discussa si constiterit integritas[3]) supplicantium, aut intenta doceat diaconus, aut de ejus protervitate noveritis esse vindicandum: quatenus de tantis excessibus memoratae improbae temeritatis ex-

---

[2]) Galli clericos judicia publica seu saecularia inconsulto ac non permittente episcopo petuerunt expetere. Istud nominatim anno 465 in concilio Venetico c. 9 constituerunt: *clericis nisi ex permissu episcoporum suorum saecularia judicia adire non liceat.* Id ipsum et antea anno 453 in Andegavensi concilio caverant, et postea in Aurelianensi III c. 32 ac pluribus aliis firmarunt. Quocirca nil mirum, si Romanus antistes episcopis Italiae sibi subjectis id permittendi jus sibi servarit, ac nunc Gelasius Salpinati episcopo ad judicem publicum adeundi potestatem concedat. Quanta autem severitate Afri episcopis, presbyteris ceterisque clericis judicia publica interdixerint, docet vulgatus codex canon. eccl. Afric. c. 15 et 104.

15 [1]) Cod. Laborantis *Martino et Justo.*

[2]) Ita T[2]. Editi *res.*

[3]) Hoc quidem ipsum concilium Calchedonense c. 21 de personis clericos lacessentibus caverat: *Clericos aut laicos,* inquiens, *accusantes episcopos aut clericos, passim et sine probatione ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.* Pluribus de eadem re codex canonum ecclesiae Africanae c. 128 et 129 (syn. VII Carthag. c. 1 et 2) agit: *Definimus eum rite ad accusationem* (scil. *clericorum*) *non admitti,* qui *posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus sive laicus, accusare voluerit. Item placuit, ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicae non admittunt. Omnes etiam infamiae maculis aspersi, id est histriones ac turpitudinibus subjectae personae; haeretici etiam, sive pagani, sive Judaei. Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est deneganda.* Similiter jam concilium II Carthaginense anno 390 can. 6 statuerat: *Geneclius episcopus dixit: placet ergo caritati vestrae, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majores natu non habeat accusandi? Ab universis episcopis dictum est: si criminosus est, ut non admittatur, omnibus placet.* Hinc igitur justa pontificis praecautio.

Digitized by Google

clusus[4]) ultio digna comitetur, et qui se conviciis trivialibus implicavit, sacrae communionis arceatur accessibus.

Fragmentum 16.

De correptione diaconi propter varia crimina et magicam artem incusati. p. 61.

Gelasius Secundino Visinensi.

Atroces injurias indecorum prorsus ducimus ministrorum Ecclesiae vocibus irrogari, talia laicorum quum plerumque refugiant actiones. *Tempus bonum* siquidem honesta femina didicerat a magistro Paulo diacono; quae[1]) non solum se suggerit criminibus appetitam, verum etiam in damnata arte magicae exsecrationis conscientiam miscuisse. Et ideo, frater, inter[2]) supradictos te decrevimus cognitorem, ut si praedictum diaconum protervitas[3]) ista convincit, postquam indecenter probatus fuerit mulierem[4]) inciviliter appetiisse, aut eumdem ad adstruenda quae jactavit adstringas, aut digna correctione compescas.

Fragmentum 17.

Paroeciarum statum individuum manere debere, ac restituendum esse, quod quavis ratione distractum sit. p. 64

Gelasius Maximo et Eusebio episcopis.

Licet[1]) regulis contineatur antiquis, paroecias unicuique ecclesiae pristina dispositione deputatas nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente ubique universalis confusio nasceretur: tamen etiam decretis nostris ante non multum temporis destinatis omnia jussimus, quae taliter fuerant invasa, restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat: ea quae inter fratrem et coepiscopum nostrum Constantium[2]) Camiscanae ecclesiae sacerdotem et directos ab Anconitano pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus; tunc formam in ceteris cognitionibus, quae sit sequenda, praescripsimus[3]). Nulla igitur prae-

---

[4]) Corrupta lectio. Fortasse *exclusum* legendum.

16 [1]) In T^2 deest *quae*. Mox c^{10} omitt. *se*.

[2]) Ita T^2. c^{10} *in*.

[3]) T^2 *protervitas vestra*, fortasse *paternitas vestra* legendum.

[4]) Ita T^2. c^{10} *mulier ... appetisse*.

17 [1]) Z addit *in*, deinde omittit *ubique*. Mox *paroeciarum* voce territorium episcopale dici, et usu antiquo et lite inter duos episcopos pendente monstratur. Porro similiter secundum legem Romanam in terminis seu finibus praediorum praescriptio locum non habebat.

[2]) Z *Constantium Anuscanae* (editores tamen monent in vetustis libris legi *Canuscanae*, *Camuscanae* et *Tumiscanae*, Berardus *Asculanae* legendum suspicatur) *ecclesiae sacerdotem et inter nuntios directos*.

[3]) Z c^9 *perscripsimus*. Moxque Q c^5 *objectio*.

Digitized by Google

sumptione statum paroeciarum, qui perpetuae aetatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia pontificis neque temporalis objectio, quae per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensus[4]), nec subripiente supplicatione praeceptio[5]) divellere potest semel dioecesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota convenit[6]). Territorium etiam non facere dioecesim olim noscitur ordinatum.

Fragmentum 18.

p. 64. *Inter partes, quae de spatiis contendunt, servetur quod definitum, alioquin jurejurando res terminetur.*

Gelasius Justo episcopo.

Dilectio tua studeat quaesita omnium fideliter rerum veritate, ut si de spatiis, de quibus memoratur orta contentio, definitio dudum certa processerit, intemerata servetur. Alioquin si nihil unquam constiterit terminatum, nunc[1]) de praescriptione temporum, si qua pars fidit[2]), praebeat sacramentum; ut[3]) tamen, quae hactenus possedisse perhibetur, jusjurandum sinatur offerre.

Fragmentum 19.

p. 64. *Unde dignoscatur, ad quem pertinere debeat ecclesia recens fundata, et cujus sit eam consecrare.*

Gelasius papa.

Quid novae aedificationi antiqua ecclesiarum poterit praejudicare divisio, quum in ea non futura, sed quae erant praesentia finirentur? Nunc autem ad hanc basilicam, quae dedicanda est, illud debet

---

[4]) Z *adhibitus nec subrepente.* Cum his antiquum conferatur decretum Siricii epistolae 1 in modum appendicis subnexum nec non inferius fragmentum 23.

[5]) Q^2 *perceptio.* Magis placet cum D^6 Π^1 X^1 Z *praeceptio* h. e. auctoritas et constitutio pontificalis, qua adjudicatur quod petitur.

[6]) Q c^3 *consistit.* Mox sequens sententia *Territorium etiam* (c^{10} *enim*) etc. deest in T D^6 Π^1, revocatur ex Q^1 Q^2 X^1 Z. Ut *territorium* ditionem civilem, ita *dioecesis* ditionem ecclesiasticam sonat. Eamdem vocis *dioecesis* potestatem pridem usitatam ac praesertim Afris, ex quibus Gelasius oriundus erat, familiarem fuisse, jam in Hilari epistolam 4 n. 2 observavimus. Similis ejusdem usus apud Gelasium epist. 17 n. 2, fragm. 19 et in conc. Tolet. IV c. 35.

18 [1]) Z *tunc.* Deinde Π^1 D^6 *de perscriptione*, quod et Ivo p. III c. 135 habet, [a¹] licet p. VI c. 105 cum Gratiano consentiat. Tricennalem legem etiam inter ecclesias locum habere vult Gelasius epist. 17 n. 2 et concilium Toletanum IV c. 34.

[2]) Ita mss. Z *confidit*, Ivo p. III c. 135 *dissidet*, p. VI c. 105 *fidit*, Pannorm. *fidei*, c^{10} ad marg. *diffidit.*

[3]) Z *ut tamen* (al. ed. *ita tamen ut*) *de iis quae.* Loco *de iis* subauditur potius *pars.* Mox Z *probatur*, Ivo p. VI *probabitur*, qui p. III et Pan. consentiens cum D^6 Π^1 *perhibetur.*

Digitized by Google

summa intentione disquiri, quis, id est, cujus civitatis ex eadem *(f. *regione*) *re, antequam basilica quae nuper fabricata est fundaretur, baptizaverit incolas, aut ad cujus consignationem[1]) sub annua devotione convenerint. Non enim terminis aut locis aliquibus convenit definiri, sed illud facere dioecesim, quod superius continetur, ut constet * (suppl. *ad eum pertinere,*) commanentes *, a quo fuerint lavacri regeneratione purgati. Et ideo, fratres carissimi, amotis ambagibus et omni circuitione submota, hoc vos modis omnibus convenit investigare, ut ille maxime ad consecrationem vocetur, cui per hunc modum, quem praescripsimus, debere permitti noveritis. In ceteris etiam ecclesiis, quas post constitutum, quod gestis sanctae memoriae Leonis papae in synodo nuper relectis in[2]) his locis, quae distincta sunt, per subreptionem ab Virumnis episcopo constiterit consecratas, haec eadem et requirenda et sunt modis omnibus ordinanda, ita tamen ut documentum, quod superius diximus, in omni constitutione servetur; quia quidquid supplosis petitionibus clarueri postulatum, id in irritum merito tanti praesulis erit contemplatione deducendum.

Fragmentum 20.

De numero baptizandorum non praescribendo. Ut episcopus a presbytero pro cathedratico aut de iis, quae in die dedicationis offeruntur, amplius quam quod moris est non exigat. p. 64

Gelasius Sabino episcopo.

... Nec enim numerus baptizandis juste creditur imponendus, quum quanti petierint vel ad regenerationem festinaverint, non sint pro alterius voluntate repellendi[1]). Et ideo, frater carissime, hujus-

---

[a³] 19 [1]) *Consignationis* nomine intelligitur confirmationis sacramentum, ad quod percipiendum *annua devotione* convenitur, non quia singuli singulis annis illud percipiant, sed quia semel quoque anno in Paschatis vel Pentecostes sollemnitate conferri consueverat.

[2]) Mallemus *in haec loca, quae dicta sunt, destinatum est, per subreptionem ab utrovis episcopo etc.* Ea hic memorari videntur decreta, de quibus Gelasius fragm. 17 scripsit: *decretis nostris ante non multum temporis destinatis omnia jussimus, quae taliter fuerant invasa, restitui.* Quae autem notentur *Leonis gesta*, ignoramus; nisi forte ea intelligantur, quae apud se in causa Celidonii episcopi confecta esse ipse testatur epist. 10 cap. 3. Vide Hilari epistolas 11 et 13 atque Innocentii epistolam 40, quibus hi pontifices similiter terminos a patribus praestitutos nulli transgredi licere confirmant.

20 [1]) D⁶ *Π*¹ *pellendi.* Quod autem sequitur, non ita interpretandum puto, ut eadem constitutione, qua baptizandorum definiebatur numerus, ceteris, qui numerum praestitutum excederent, baptismum in qua vellent ecclesia suscipere conceptis verbis permitteretur; sed ita potius, ut repulsi a propria ecclesia id, quod illa negaret, a vicina vel qualibet alia ecclesia quaerere sibi licere existimarent. Qua ex licentia perturbabatur ordo disciplinae et ecclesiarum confusio inducebatur. Ut enim fragmentis 17 et 19 docemur, ad eam quisque dinoscebatur pertinere ecclesiam, in qua baptismum perceperat.

Digitized by Google

modi superfluam constitutionem modis omnibus removebis, ut unusquisque aut in vicina sibi ecclesia aut in electa pro suae mentis baptizetur arbitrio. Cathedraticum[2]) etiam non amplius, quam vetusti moris esse constiterit, ab ejus loci presbytero noveris exigendum; et de iis, quae die dedicationis fuerint offerentium devotione collata, consuetudinem, quae generaliter omnibus ecclesiis est praescripta, servabis[3]).

Fragmentum 21.

p. 65. *Ut sublatis causis, propter quas processionem ad basilicam s. Agathae suspenderat, eam restauret.*

Gelasius Victori episcopo.

Dudum de sanctae Agathae basilica, quae in Caclano fundo olim noscitur constituta, processionem[1]) sub nostra consultatione

---

[2]) Quid hic sibi velit *cathedraticum*, Gratianus explicare nititur, sed ejus explicatio non placet. Jam et in fragmentum 3 observavimus, in Justiniani Nov. 123 nomine *cathedratici* donari quasdam consuetudines, quas episcopi recens ordinati pro *inthronisticis* exsolvere solebant, atque idem nomen hic nonnihil aliud sonare. Ex Pelagii I fragmentis 23 et 24, quibus cavetur, *ne episcopus cathedratici nomine amplius quam duos solidos accipiat*, veram hujus vocis intelligentiam licet expiscari. Nam et concilium Bracarence anno 572 habitum decreto hujusmodi morem gerens can. 2 constituit: *ut nullus episcoporum, quum per dioeceses suas ambulant, praeter honorem cathedrae suae, i. e. duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat.* Quod et Toletanum VII anno 646 confirmavit, dum refrenare cupiens quorumdum rapacitatem pontificum, qui ecclesias immodicis exactionibus pene exhauriebant, can. 4 sanxit: *non amplius quam duos solidos unusquisque episcoporum praefatae provinciae per singulas dioecesis suae basilicas juxta synodum Bracarensem annua illatione sibi expetent conferri, monasteriorum autem basilicis ab hac solutionis impensione sejunctis.* Idem igitur est *cathedraticum*, quod *honor cathedrae episcopi*, nec aliud est iste *honor*, nisi certa pecunia ab ecclesiis pontifici eas visitanti impendenda. Enimvero *honoris* vocabulum ecclesiastico usu saepe *subsidium* sonat. [a']

[3]) H. e. ut servetur, quod a Simplicio papa epist. 1 praescriptum, ab ipsomet Gelasio epist. 14 cap. 27 confirmatum fuit, videlicet ut oblationes fidelium quatuor in partes dividerentur, earumque una contentus esset episcopus, nec praeterea tertiam, quae ecclesiarum fabricis destinata erat, sibi usurparet. Jam enim et hanc nonnullos praesules in proprium emolumentum convertere tentasse Gelasius loco mox citato notat. Sed quum neque prava illa consuetudo cessaret, anno 572 Bracarensis III concilii patres can. 2 constituendum duxerunt: *neque* (episcopus) *tertiam partem ex quacunque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requiret, sed illa tertia pars pro luminariis ecclesiae vel recuperatione* (leg. *reparatione*) *servetur, et singulis annis episcopo inde ratio fiat.* Idque anno 666 Lusitani instaurandum curarunt in Emeritensi concilio can. 16 caventes: *ut nullus provinciae Lusitanae episcopus a qualibet parochiana ecclesia tertiam auferre praesumat.* Ea nempe temporum omnium fuit cupiditas, ut non defuerint unquam, qui potestate sua ad occupanda ecclesiarum bona abuterentur.

21 [1]) *Processionis* nomine praesertim missarum celebrationem intelligi, quum ex totius fragmenti contextu tum maxime ex hoc loco docemur, quem illustrat

Digitized by Google

suspenderas, asserens, possessionis dominum omnia, quae illi conferebantur, accipere et suis usibus applicare, nec illic posse ministrorum Dei aliquos ad processionem venire, quum nulla illic alimenta susciperent. Sed nuper vir spectabilis Petrus noster nobis rationabiliter intimavit, hoc quod in culpam venerat se taliter ordinasse, ut universa, quae in ecclesia supradicta diversorum fuerint oblatione collata, ad episcopum aut ad eum, cui basilicam deputaverit, universa[2]) pertineant, ita ut ex hoc compendio sarta tecta ecclesiae procurentur. Et ideo, frater, saluberrimae dispositionis professione suscepta, processionem supradictae ecclesiae te convenit ordinare.

Fragmentum 22.

De episcopo, qui facultates ecclesiae depraedabatur atque ejus depraedationi resistentes clericos dejiciebat. p. 63

Gelasius Respecto et Leonino episcopis.

Johannes archidiaconus Falerionensis urbis eversionem ecclesiae ab eo, qui praesulis nomine censetur, effectam grandi nobis supplicatione conquestus est, ita ut se videlicet de loci sui administratione dejecto, iter sibi liberum ad depopulandas facultates aperiret ecclesiae. Nam ministeriis et ornatu pro sua voluntate distracto, praedium etiam paternum, quod in alimoniam clericorum decessor ejus reliquerat, velut proprium suis utilitatibus vindicavit, obviantemque supradictum archidiaconum ceterosque complures, qui pariter reclamabant, ab ordinibus suis credidit excludendos. Et ideo, fratres carissimi, Divinitatis intuitu Ecclesiae causam summa attentione trutinantes, omni veritate discussa, de compertis cita nostris auribus relatione signate, ut perspecta instructione diligentiae vestrae, quid fieri debeat, censeamus.

Fragmentum 23.

Proventuum ecclesiae Volaterranae cura Justino et Fausto committitur. p. 65

Gelasius Justino archidiacono et Fausto defensori.

Volaterranae[1]) ecclesiae actus vel patrimonium, quod hactenus

---

et iste epistolae 25: *te ex hac basilica, quae taliter ad cultum fuerat processionis adducta, suspendisse missas probabiliter computamus.*

[2]) Repetitio vocis *universa* videtur supervacanea.

[a³. Ed.] 23 [1]) Z *Vulteranae* T *Volateranae.* Elpidius Volaterranus episcopus Romano concilio anno 501 celebrato subscripsit. Supra autem fragmento 7 sic a Gelasio corripitur episcopus Elpidius, ut ejus acta ipsi minime probari palam sit. Et haec quidem causa forsitan fuit, cur proventuum Volaterranae ecclesiae curam, quam ad proprium episcopum pertinere Gelasius ipse epist. 17 docet, eidem nunc sublatam archidiacono et defensori demandet. Certe Gaudentio cuidam rerum ecclesiae suae administrationem, qua abusus fuerat, a Simplicio papa epist. 1 n. 2 subtractam et ad presbyterum translatam vidimus. Quod si ita

Digitized by Google

comperimus destitutum, vel post damnationem Eucharisti, quo fuerat depravante dispersum, curae vestrae decrevimus esse delegandum: ut diligentia, qua vos pro ecclesiae utilitatibus existimamus esse vigilantes, praedia culturae restituatis antiquae, et revocetis, si qua sunt vendita aut donata mancipia. Possessiones etiam, quas ab Eumacio[2]) et Opilione episcopis vel ceteris quovis jure videritis teneri, quia contra[3]) constitutum synodi ab episcopo praedia alienari nullo potuerunt commento, nihilominus revocentur. Sit emptoribus ad eum recursus, qui praesumpsit aliquid de ecclesiae rebus illicita venditione distrahere; ita ut pensiones annuas ad pontificem deferatis, cui privilegia sua integra convenit omni ratione servari, ut ejus dispensatione portiones proveniant consuetae: ita ut portionem quartae[4]), quae ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuat, prout cujusque locum meritumque cognoscit. Pariter etiam ex fidelium oblatione faciendum, ut quartam clericis eroget pro consideratione suae electionis antistes. Fabricarum etiam portio episcopo sciente et disponente vestra erogatione pendatur, quatenus nihil penitus in detrimentum alicujus rei patiamini generari. Si[5]) quid vero in ecclesiae vestrae damnum aut in iis, quae sunt praeceptione[6]) nostra prohibita, pontificem vestrum videritis admittere, mox nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat censeamus[7]).

---

est, severius tunc egit Simplicius cum Gaudentio, quam nunc agit Gelasius cum Volaterrano episcopo; utpote cujus dispositioni summam ex proventibus collectam permittat ac tantum moneri velit, si quid ab illo in hac dispensatione contra legum praescriptum admittatur.

[2]) Z *Eumancio*, c^7 c^{10} *Ennatio* omisso antea *quas*.

[3]) T Z *contra constituta*, deinde Z *ab episcopis*. Hilarus papa epist. 8 n. 7 statuit, *ne praedia aliquo jure in alterum transferrentur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceretur, ut quid fieri deberet, communi omnium deliberatione tractaretur*.

[4]) T Z *quartam*, concinnius mss. *quartae*. Nam haec quarta in plures dividebatur portiunculas, et quidem non aequales sed pro cujusque clerici merito ac dignitate, ut in fragmento 10 observavimus atque hoc ipso firmatur.

[5]) Sequentia usque ad verba *debeat censeamus* X^1 sejunctim et sola sub hoc titulo inducit: *N. CXVIII. Gelasius Justino archidiacono et Fausto defensori. Quando et ubi liceat subditis proclamare de praelatis.* Desunt in Z, prioribus adduntur in T D^5 Π^1.

[6]) T D^6 Π^1 X^1 c^{10} *praeceptionis nostrae* (suppl. *auctoritate*). Q^2 *praeceptioni nostrae*, unde nostram lectionem restituimus.

[7]) Solus T addit: *Decimas justo ordine non tantum nobis sed majoribus visum est plebibus tantum, ubi sacrosancta dantur baptismata, deberi*, unde et c^7 c^{10} in textum receperunt. Quae geminane sint an ab Ivone aliunde fragmento huic adjecta, quum Coustantius definire non ausit, nos cum Berardo l. c. II 347 indubie hoc alterum arbitramur: scilicet ea ex quodam exemplari, in quo nullo signo discreta proxime sequebantur, sola scribentis incuria adsuta esse. Nam etsi jam dudum non nisi in ecclesiis baptismalibus baptizare licitum erat, tamen

Digitized by Google

Fragmentum 24.

Justino et Fausto in dispensatione credita cur adjunctus socius. Ne cui clerico p. 65.
praedium ecclesiae pro portione sua deputent. Quo pacto proventuum summa in quatuor partes dispertienda.

Gelasius Justino archidiacono et Fausto[1]) defensori.

Vobis enim et famae vestrae consultum[2]) duximus, ut pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat: quatenus omnia praedia ad vestrum revocetis studium, nec cuiquam clerico pro portione sua solum aliquod ecclesiae putetis esse deputandum, ne per incuriam et negligentiam minuatur; sed omnis pensionis summam ex omnibus praediis rusticis urbanisque collectam ad antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quid ad causas vel expensas accidentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur, et quatuor portiones vel de fidelium oblatione vel de hac fiant modis omnibus pensione[3]): ita ut unam sibi tollat antistes, aliam clericis pro suo judicio et electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omni conscientia faciat erogari; fabricis vero[4]) quae competit, ad ordinationem pontificis erogatione vestra decernimus esse pendendam[5]). Si quid forte sub annua remanserit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode condatur enthecis: ut si major emerserit fabrica, sit subsidio, quod ex diversi temporis diligentia potuerit custodiri, aut certe ematur possessio, quae utilitates respiciat communes.

---

ut ejusmodi ecclesiae *plebes* vocarentur, vix ante saeculum nonum in usum sollemnem transiit (cf. syn. Rom. ann. 828 c. 8 et 16, syn. Valent. III ann. 855 c. 17, syn. Pontigon. ann. 876 c. 11, Nicolai I epistol. ad Adon. Vienn. ann. 861 c. 4). Tum vero tota quaestio, quae hic jam pro definita ponitur, num decimae baptismali tantum deberentur ecclesiae, fere eodem demum saeculo exorta et agitata est; conf. Capitul. Mogunt. ann. 801 c. 23, ad Salz ann. 803 c. 2, Ticin. ann. 855 c. 11.

24 [1]) Z c^{7} c^{10} *Faustino.*

[2]) Hinc colligere possumus, Justinum et Faustum aegre tulisse, quod Gelasius, quasi fidei ipsorum non satis crederet, in delegata administratione socium eis adjungi voluerit, qui res easdem episcopi nomine procuraret. Quam autem ob causam sese ita gesserit, prudens papa nunc eis paterna benignitate aperit.

[3]) D^{6} Π^{1} *pensiones*, rectius alii libri *pensione*, h. e. de summa ex rusticis urbanisve praediis collecta. Mox Q *clericus ... sub omnium conscientia.*

[4]) Z addit *quartam*, quae vox neque necessaria est, utpote verbis *quae competit* satis intellecta, neque exstat in mss.

[5]) Q Z *pensandam ... remanebit ... tradatur enthecis* (Q *condatur in thecis*). Cavet Gelasius, ne quovis obtentu portionem fabricis destinatam in proprium lucrum quis convertat.

Digitized by Google

Fragmentum 25.

Gelasius Cresconio, Johanni et Messalae episcopis.[1])

p 65. Decessorum statuta sicut legitima et justa successorem custodire convenit, ita debet etiam male facta corrigere.

Fragmentum 26.

Gelasius Maximo et Clero episcopis.

p 66. Nihil perire credimus ecclesiasticis utilitatibus, si quae sunt aliena reddantur.

Fragmentum 27.

p 66. *Ut Johannes calicem ecclesiae, cui ablatus fuerat ab ejus decessore, restituat.*

Gelasius Johanni episcopo Pisano.

Ecclesiastica ministeria, quae unicuique basilicae fidelium devotio deputavit, ad aliam ecclesiam nullo debent subripiente transferri. Et ideo si hujus juris portitoris petitio veritate subsistit, calicem, quem decessor tuus abstulit, ecclesiae cujus fuit restitue sine intermissione.

Fragmentum 28.

p 66. *Cura pontificalis de egentibus. Rescindit Gelasius testamentum conductoris praediorum ecclesiae. Qua conditione substantiam illius post ejusdem mortem filiis contradi velit.*

Gelasius Honorio episcopo.

1. Divinae retributionis memor, ad pontificalem conscientiam non ambigas pertinere, egentium commodis piam sollicitudinem non negare.

2. Illud etiam sinceritatem tuam non latere volumus, ad nos fuisse perlatum, quod Ampliatus conductor, quem non solum servum constat esse ecclesiae, sed ita ejus rationibus a multis temporibus implicatum, ut etiamsi esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur, ausu temerario molitus fuerit condere paginam testamenti, cujus omne peculium ecclesiastico juri legibus[1]) non dubitetur obstrictum. Quapropter his praesumptionibus vice nostra tua fraternitas contradicat, nec fieri prorsus aliqua subreptione permittat. Ac si eidem quidquam humanitus[2]) forte contigerit, quia grandaevus esse memoratur, mox ejus sine dilatione substantiam praecipiat unanimitas tua filiis ejus dumtaxat, quibus patrimonium probatur esse commissum, sub fideli descri-

25 [1]) Ita mss. At Z *Cresconio et Johanni Messaliae.*

28 [1]) Ejusmodi *leges* conf. Gaji instit. II § 86—93, c. 10 D. XLI, 1.

[2]) T *humanitatis*, moxque omissis vocibus *praecipiat* et *esse* legit *contradat* (c[10] *contrudat*). Z *praecipiat humanitas.*

Digitized by Google

ptione contradi, donec temporibus universis, quibus hoc patrimonium gubernasse cognoscitur, partes dominicas reddere cogatur[3]) indemnes.

Fragmentum 29.

De servanda testatoris voluntate. p. 66

Gelasius Laurentio.

Consideratio ecclesiasticae utilitatis hoc postulat, ex dispositione[1]) servandum testatoris arbitrium.

Fragmentum 30.

Sacerdotalem intercessionem petentibus non negandam. p. 66

Gelasius Leontio et Petro episcopis.

Quisquis in negotiis suis nostri nominis intercessione sperat sibi remedia posse conferri, prona nos convenit animositate praestare.

Fragmentum 31.

Viduarum causas impensius tuendas esse. p. 66

Gelasius Gerontio et Petro episcopis.

Licet omnibus de nobis sperantibus non debeamus, in quantum possumus, nos negare, plus tamen viduarum et orphanorum causas et impensius ducimus exsequendas, quas tueri a nobis vel ab omnibus divina manifestat assertio.

Fragmentum 32.

Ut Anastasius pupillos Maximum et Januarium contra adversariorum commenta protegat. p. 67.

Gelasius Anastasio[1]).

Desolatis propriae defensionis auxilio, et qui suis actibus prodesse[2]) pro aetatis infirmitate non possunt, exoratum decet pontificem subvenire, quia pupillis[3]) tuitionem etiam divinitas jussit impendi. Et ideo Maximo et Januario clericalis officii, qui se solatiis parentum vel propinquorum asserunt destitutos, auxilium ex nostra delegatione praestabis, ut adversus improbitates adversariorum suorum protecti, tuae exsecutionis annisu noxia commenta non sentiant.

---

[3]) Z *cogantur*, nec male; hoc enim verbum referendum videtur ad *filios*.

29 [1]) Z *justa dispositione* (al. *dispensatione*).

32 [1]) Z addit *episcopo*, contra mss. et ea quae sequuntur (*clericalis officii auxilium ex nostra delegatione praestabis*).

[2]) Editores Z praetulerunt *adesse*, licet in pluribus mss. circumferri moneant *prodesse*, quod et habent nostri.

[3]) In priscis editionibus Z hic addebatur *et viduis;* quod recte suppressum in recentioribus, quum hic de duobus tantum pupillis sit sermo. Mox Z c[10] *solatio.*

Digitized by Google

Fragmentum 33.

p. 67. *De diacono, qui pupillos, quos tutelae vice susceperat, bonis spoliavit.*

Gelasius Fortunato episcopo.

Irreligiosum prorsus et exsecrabile judicamus, si quisquam vel[1]) extraneos in sui tuitione susceptos non omni fide et tota animi sui educaverit sanctitate. Ac quum Olympius, diaconus dilectionis tuae, Felicis et Olympii suggeratur avunculus, eosque parvulos tutelae vice[2]) susceperit nutriendos, ultra latrocinium esse judicamus, quod eos bonusculis[3]) parentum, sicut asserunt, reliquit extorres, alia contra leges et jura vendendo.

Fragmentum 34.

p 67. *Res pauperum Januarii nobilis auxilio et defensioni commendat.*

Gelasius Januario.

Sed causas, quibus beneficia beati Petri apostoli continuata percupias[1]), fidenter injungo. Praestet igitur tua nobilitas, ut rebus pauperum ejus auxilium defensionemque concedat, et conductores earum pio favore tueatur: ut vicissitudinem praestitorum ab eodem percipiat consequentem, cujus meritis et honori devotus ista dependit.

Fragmentum 35.

p 67. *De restitutis ecclesiae Romanae praediis Firminae illustri feminae gratias agit et eulogias transmittit.*

Gelasius Firminae illustri feminae.

Ad cumulum vero mercedis vestrae pertinere certissimum est,

---

33 [1]) Quaedam exemplaria Z hic addunt *clericos* vel *clericus*, quod omittit Ivo et correctores Romani expunxerunt.

[2]) Ea videlicet ratione, qua Leo imperator c. 32 C. I, 3 *orphanotrophos* appellat, *qui pupillorum sunt quasi tutores*, et quorum erat *ad similitudinem tutoris et curatoris personas et negotia eorum defendere ac vindicare*. Qua in re Gelasius adversari non videtur decreto, quo Cyprianus epist. 66 (ed. Pamel.) *pridem in concilio episcoporum* statutum dicit, *ne quis de clericis aut Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat*. Nam licet Justinianus c. 52 C. I, 3 sanciat, episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos ac monachos *immunitatem ipso jure omnes habere tutelae*, tamen Nov. 123 c. 5 permittit, *presbyteros, diaconos aut subdiaconos jure cognationis ad tutelam vel curam vocatos hujusmodi administrationem suscipere, si tamen intra quatuor menses, ex quo vocati sunt, apud judicem competentem declaraverint, talem administrationem propria se voluntate suscepisse*. Neque vero hic arguitur diaconus, quod orphanorum curam suscipere noluerit, sed quod ejus vice suscepta pupillorum bona dissipaverit. Sed et concilium Calchedonense c. 3 clericum ex lege *ad minorum tutelas inexcusabiles* vocari tum potuisse innuit. Similiter conc. Aurelianense ann. 541 c. 13.

[3]) Ita D^e Π^r. T Z *bonisculis*. Magis placeret *boniculis*, licet recte dicatur *monusculis*. Certe tenuia bona hac voce, quae ex pupillorum libello videtur repetita, significantur.

34 [1]) I. e. vehementer cupias vel desideres. Forte legendum *percipias*.

Digitized by Google

si praedia, quae vel a barbaris vel a Romanis inconvenienter invasa sunt, vestris dispositionibus egentium victui reformentur. Cujus tanta de provinciis diversis, quae bellorum clade vastatae sunt, Romam multitudo confluxit, ut vix ei Deo teste sufficere valeamus. Conspicitis ergo, quantum boni operis acquiratis, si beato Petro apostolo praedia, quae pro sua quisque anima contulit, vestro post Deum praesidio liberata reddantur. Cujus benedictionis eulogias[1]), quas pro affectione direxi, peto ut grata suscipere mente digneris.

Fragmentum 36.

Misso ad regem legato Hereleuvam reginam salutat et ut egentium causas adjuvet supplicat. p. 67

Gelasius Hereleuvae reginae.

Qui pro victu pauperum domno filio excellentissimo regi cum meis litteris supplicaret, Petrum ecclesiae defensorem dirigere properavi. Quo veniente sublimitatem quoque tuam salutare non destiti, plurimum deprecans, ut pro vestrae salutis et prosperitatis augmentis egentium causas juvare dignemini. Data V Cal. Martii.

Fragmentum 37.

Excommunicatos intra annum causam suam agere debere. Non communicandum cum mortuis, cum quibus vivis non communicatum est. Poena eorum, qui cum excommunicatis communicaverint. p. 67

Gelasius papa.

Quicunque intra anni spatium causam[1]) suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiae claudere[2]) aditum videntur. Quodsi obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam juxta beati Leonis praedecessoris nostri sententiam divino judicio reservantes, quibus vivis non communica-

---

35 [1]) Hae *benedictionis eulogiae* panes aut alii cibi benedicti erant, qui in signum communionis et amicitiae spiritualis jam quarto saeculo ab episcopis vel presbyteris mitti solebant. Qui mos forte inde fluxit, quod olim episcopi, qui invicem communicabant, in communicationis indicium vicissim sibi eucharistiam mittebant, ut testatur Eusebius h. e. V, 26. Quod quum postea in concilio Laodiceno vetitum fuisset, eo magis saltem *eulogiae* sive *panes* illi *benedicti* transmitti coepti sunt, quo jam antea diebus festis post missam praesentibus distribui consueverant. De aliis conferatur Ducangius sub hac voce.

37 [1]) Ita Q^1 Q^2. At aliis in libris hic additur *civiliter sive publice.* Haeret Gelasius Carthaginensis V concilii canoni 12, quo constituitur, *ut clerici, si forte causae suae adesse voluerint et innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.*

[2]) Ita Q^1 Q^2. At D^6 Π^1 T Z *clausisse ... videantur.* Quam postea respicit Gelasius *s. Leonis sententiam,* videsis in hujus epistola 167 ad Rusticum Narbonensem.

Digitized by Google

vimus, mortuis[3]) communicare non possumus[4]). Hi sane, qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per poenitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo perducantur[5]), excepto mortis interitu urgente. Qui vero excommunicato scientes communicaverit, et amodo[6]) saltem in domo simul oraverit, atque latebras defensionis[7]), ne quo minus ad satisfactionem perducatur, praebuerit: donec ab excommunicatore poenitentiam accipiat, corporis et sanguinis Domini communione privatum se esse cognoscat[8]), et secundum canones poeniteat.

Fragmentum 38.

p. 67. *Ut ecclesiae aditus et mysteriorum communio viduae non negetur, quamvis post viduitatis propositum nupserit.*

Stephano episcopo Gelasius.

Oportuerat Antistiam, quae direxit petitorium, in desiderata sibi pudicitia permanere, quia non facile contemnere debuit, quod facile prius credidit postulandum. Pertractato enim et maturato consilio juventutem suam vel ea, quae petitorio[1]), debuit aestimare, nec contra electionem viduitatis indictae suffragia postmodum et occasiones rumpendae quaerere castitatis. Sed quia mutabilem mentis errorem[2]) ferendae culpae cupiditate temeravit, et maritum potius incontinentiae suae, quod nullis prohibetur legibus[3]), exquisivit,

---

[3]) Sic Q^1 Q^2 T. At Z cum 2 mss. *nec mortuis communicare debemus.* Vide supra epist. 18 n. 5 et epist. 30 n. 13, ubi Gelasius ad absolvendos defunctos nullam sibi potestatem esse adstruit. Si autem eis absolutionem, quae communionem antecedere debet, impendere non potest, neque potest cum eis communicare.

[4]) In D^6 Π^1 hic desinit fragmentum; in Q^1 Q^2 Z tantum sequens sententia usque ad *Qui vero* desideratur. De eadem re hoc in vulgato codice canonum eccles. Afric. c. 29 habemus statutum: *Placuit universo concilio, ut qui excommunicatus fuerit sive episcopus sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suae ante audientiam communionem praesumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.* Vide et concilium Antiochenum c. 4.

[5]) R *reducantur.*

[6]) T *animo saltem in domo simul oraverit;* Istud *amodo* perinde est atque *ex die quo decretum istud ipsi innotuerit.* Sanxerat jam concilium Carthaginense IV c. 73: *Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicetur.* Vide et concilium Carthaginense VII c. 5 et Antiochenum c. 4.

[7]) Z omittit *defensionis*, quod habent Q R T. Mox aliqui mss. T *ne cominus.*

[8]) Hic desinit Z. Deinde T *delictum secundum.*

38 [1]) Supple *exponit* aut simile verbum.

[2]) H. e. pudicitiae fidem, quam Deo mutabilis mentis ignara promiserat.

[3]) Supra enim epistola 14 cap. 21 etsi de ejusmodi viduis praedicat, eas *promissam Deo pudicitiae fidem debere custodire;* tamen addit: *Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solas adhortationes praemii sempiterni poenasque proponere divini judicii,* puta quia tales etiam *sub nulla benedictione velari*

Digitized by Google

supradictam processioni solitae noveris esse reddendam, et ut accessu[4]) ecclesiae et mysteriorum sacra communione potiatur.

Fragmentum 39.

De iis, qui ecclesiarum asyla temerarunt. p. 67

Gelasius Epiphanio episcopo.

Ad episcopos ceteros[1]) direximus jussionem, ut eos, qui ecclesias violasse perhibentur, accessu earum judicent esse non dignos.

Fragmentum 40.

Ut ab ecclesiarum aditu arceantur, qui in ecclesiae sanctuariis constitutum per vim abstraxerunt. p. 68

Gelasius Victori, Constantino, Martyrio, Felicissimo, Sereno et Timotheo episcopis.

Frater et coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit, Benenatum et Maurum Beneventanae municipes civitatis in contumeliam religionis acerba nimis et plectibili contumacia prosiluisse; qui confugientem ad ecclesiae septa curialem suum ne illic quidem tutum aut de injuria securum esse siverunt, ausi[1]) irruptione temerariae mentis admittere, quod nec potestatibus quidem vel principibus unquam licuit perpetrare[2]): ut hominem in sanctuariis constitutum, captata sacerdotis absentia, reluctantem reclamantemque violenter abstraherent. Quos, quantum nobis sua suggestione patefecit, merito indignos esse sacra communione judicavit. Et si revera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam auctoritas in hac parte consentit. Nec enim jure ad supplicandum debet admitti, ubi[3]) admittere sacrilegium non dubitavit[4]). Nullus enim intra

---

mos erat. Jam tunc autem aliis in regionibus consuetudo alia vigebat. Siquidem concilium Carthaginense IV c. 104 *sine Christianorum communione manere* ejusmodi viduas vult, *quae ad nuptias saeculares transierint*, quippe *crimine adulterii notabuntur*. Non longe post etiam Romae Symmachus idem expressis verbis prohibuit (epist. 15 c. 5).

[4]) c^8 *accessus ecclesiae et ministeriorum.* Orationis series *accessu* et *mysteriorum* evidenter postulat. Hinc et colligitur, Antistiam episcopi sui judicio a sacra communione et ingressu ecclesiae fuisse submotam, jamque quid sibi velit *processioni solitae reddi* plane intelligitur.

39 [1]) Nimirum in fragmenti sequentis inscriptione memoratos.

40 [1]) c^7 c^{10} *ausi temerariae menti*, per errorem librarii.

[2]) D^1 Π^1 *penetrare*. De iis, qui ad ecclesiam confugiunt, vide Theodosii et Valentiniani constitutiones l. 4 et 5 Cod. Theod. IX, 45, ut et concilium Arausicanum I c. 5, Aurelianense I c. 1, Arelatense II c. 30, Aurelianense IV c. 21.

[3]) Z *qui*, rectius alii *ubi*. Quod planum fiet, si ante exprimamus *eo*, quod subauditur, ac legerimus *debet eo admitti*. Hic locus in superiore fragmento notatur.

[4]) X^1 D^6 Π^1 *vetavit*, forte pro *vitavit*. Moxque Z *tantae ... existimet.*

Digitized by Google

limina tantum venerationi deputata utrumque sibi licere existimat pro suae voluntatis arbitrio, ut humilitatem sibi[5]) vindicet et furorem. Et[6]) ideo, fratres carissimi, supradictos, si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus paroeciarum vestrarum ecclesiis nostrae praeceptionis auctoritate prohibete, ut non solum ii, qui in injuriam sanctorum locorum prosiluisse probabuntur, merito consequantur pro facti sui qualitate vindictam, verum etiam ceteri a tali praesumptione ultionis istius timore revocentur.

Fragmentum 41.

p. 68. *Ut famulus, qui metu domini sui ad ecclesiam confugerat, post praestitum de impunitate sacramentum domino suo reddatur etiam invitus.*

Gelasius Bonifacio episcopo.

Metuentes dominos famuli si ad ecclesiae septa confugerint, intercessionem debent quaerere non latebras[1]), ne haec ipsa praesumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius enim noster vir spectabilis Petrus queritur, servum in ecclesia sancti Clementis diutius commorari, cui quum deputasset sacramenta praestari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideo directus[2]) supradicti homo de praesenti cum eo, quem elegeris esse mittendum, quum de impunitate ejus sacramenta praebuerint[3]), eum statim facies ad dominum

---

[5]) Quam scilicet prae se fert supplicans quaeque illum decet; *et furorem*, quem spirat, qui ad ecclesiam confugientem inde vi abstrahit.

[6]) Sequentia desunt in X^1. Ibidem Z *probantur*.

41 [1]) Nempe majores nostri sacrarum aedium asyla non ideo curarunt, ut flagitiorum patrocinarentur impunitati, sed ut innocentiam adversus violentiam tutarentur. Praeterea Augustinus epist. 115 (al. 230) docet, plures eo confugere solitos *exspectantes, quomodo per intercessionem episcoporum sua negotia terminarent;* hinc et epist. 113 rationem sibi Domino reddendam timet, si non ageret quod posset pro eo, qui se ipsi hoc pacto tuendum adjuvandumque credidisset. Necdum vero compertum habebat, quid de illis agendum esset, qui iniquitatis suae patrocinium in ecclesiis quaerebant. Quocirca in appendice epistolae 250 scribit: *utrum non etiam de ecclesia pellendi sunt, qui eo confugiunt, quo fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino et in concilio nostro agere cupio, et si opus fuerit, ad sedem apostolicam scribere.* Exstant tamen imperiales constitutiones annis 392 et 398 consignatae, quibus id non solum permittitur sed et jubetur (l. 1 et 3 Cod. Theod. IX, 45 cf. Socrat. h. e. VI, 5 Soz. h. e. VIII, 7). Anno autem 432 Theodosius junior ibidem lege 5 praecepit nominatim de servo, *ut non plus uno die* in ecclesia *dimittatur, quin domino ejus vel cujus metu poenam imminentem visus est declinasse, a clericis quorum interest nuntietur; isque eum impertita indulgentia, nullis residentibus iracundiae menti reliquiis, in honorem loci et ejus respectu, ad cujus auxilium convolavit, abducat.* Similiter mox eam rem moderatae sunt synodi Aurelianensis II ann. 511 c. 3, Epaonensis ann. 517 c. 39 et Aurelianensis V ann. 549 c. 22. [a³]

[2]) Z *directus supradictus*, male; pejus autem T c^{10} *directos supradicti hominis ... esse mittendos qui cum.*

[3]) Z *praebuerit*. D^6 Π^1 T c^{10} *praebuerint*, scilicet homo Petri et alter a Bo-

Digitized by Google

suum modis omnibus remeare; aut si in hac pervicacia[4]) forte perstiterit post sacramentum sibi praestitutum, reddatur invitus.

Fragmentum 42.

Felicem, qui ad ecclesiam confugerat et inde egressus rerum sibi objectarum convictus fuit, jure custodiae mancipatum teneri. p. 68

Gelasius Johanni episcopo Vibonensi[1]).

Uxor Felicis et filiae Romam, quia sic oportuit, venerunt[2]). Siquidem hunc ipsum primum se ad barbarorum basilicam conferentem seque bonas causas habere jactantem egredi sub hac conditione praecepimus, ut si actus suos fideliter et rationabiliter allegaret, nihil circa eum prorsus asperum fieri durumque pateremur; alioquin si contra fidem et utilitatem dominicam[3]) venisse probaretur, ipse sibimet imputaret, atque ordinationi congruae subjaceret. Qui superveniente filio nostro viro spectabili Heorthasio sic est ad singula quaeque convictus, ut os aperire non posset, et vera esse, quae huic objicerentur, propria voce fateretur; ideoque tenetur mancipatus custodiae.

Fragmentum 43.

De servo, qui Judaeo servire nolens ad ecclesiam confugit, obtenditque se ab infantia Christianum. p. 68

Gelasius Siracusio, Constantio et Laurentio episcopis.

Judas, qui Judaicae professionis exsistit[1]), mancipium juris sui, quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad ecclesiam

nifacio electus. Quamquam secundum concilii Aurelianensis II canonem 3 decreto huic concinentem solius domini erat sacramenta praestare. Sic enim habet: *servus, qui ad ecclesiam pro qualibet culpa confugerit, si a domino pro admissa culpa sacramenta susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur ... Sin vero servus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari* (Hard. II, 1009). At vero postea domini, *si ab ecclesia exeuntibus* poenale aliquid intulerint, ut Ecclesiae inimici habeantur excommunes, inquit Arelatense II concilium ann. 451 c. 30 (Hard. II, 775). Huc attinent etiam verba legis Theodosii junioris proxime allata nec non haec Caroli Magni in capitulari ann. 782 c. 2 sancientis, *ut reis, qui ad ecclesiam confugerint, propter honorem Dei sanctorumque ecclesiae ipsius concedatur vita et omnia membra.* Ab anno 630 Dagobertus in capitulari c. 7 jam edixerat: *nulla sit culpa tam gravis, ut vita non concedatur propter timorem Dei et reverentiam sanctorum.*

[4]) Z *pertinacia forte perstiterit.* Non displiceret verbum *perstiterit.*

42 [1]) T *Vivavensi*, Π^1 (prima manu) Z *Viennensi* et Z ad marg. *Vivavensi*, Π^1 (secunda sed aequali manu) D^6 *Vivonensi.*

[2]) Z *pervenerunt;* deinde T c^{10} *contra eum prorsus.*

[3]) H. e. domini sui. Mox Z *atque domini ordinationi ... Orthasio.*

43 [1]) c^{10} *exstitit.* Mox D^6 Π^1 *quem ante.*

Digitized by Google

Venefranam confugisse suggessit, sicut petitorii tenor annexus ostendit, eo, quod dicat[2]), sibi ab infantia Christiano nuper a praefato domino signaculum circumcisionis infixum. Quapropter diligenter vestra inter utrumque sollicitudo rerum fideliter examinet veritatem, quatenus nec religio temerata videatur, nec servus hac objectione mentitus competentis jura dominii[3]) declinare contendat.

Fragmentum 44.

p. 69. *Ut injuria illata, si remissa et condonata sit, non vindicetur; si non remissa, qua idonea satisfactione sit plectenda.*

Gelasius Gerontio, Johanni, Germano et Petro episcopis[1]).

Si illic, ubi haec acta sunt, praesentibus utrisque constiterit, et satisfecisse Stephanum et supplicatione suscepta eum qui male tractatus est ignovisse, semel in[2]) abolitione missa punitio recidivo dolore non debet iterari, divinae scilicet imitatione clementiae, quae dimissa peccata in ultionem redire non patitur. Sin vero nihil vel de satisfactione probabitur vel de remissione transactum, dilectionis vestrae sermone monstretur: quatenus, sive nunc saltem poterit competens satisfactio pervenire, illud potius exseratur[3]), ubi animum sanare possit afflicti; sive irremissibilis perstet acerbitas, ibidem nihilominus vindicetur, ubi plectibilis orta est praesumptio.

---

[2]) Scilicet praefatum Judae mancipium. Identidem et proxime ab imperatoribus Honorio et Theodosio anno 417 *sub capitali poena* interdictum erat, ne *Judaeus servos Christianos nec invitos nec volentes coeno propriae sectae confunderet*, et ejusmodi servus jam ex lege Constantini libertatem assecutus est (conf. l. 1, 2 et 4 Cod. Theod. XVI, 9). Hinc servi istius nisus et Gelasii praecautio.

[3]) Z *domini*. Etsi Judaei *mancipia Christiana comparare* legibus imperialibus vetiti erant, tamen si qua *hueréditatis seu fideicommissi nomine* erant *consecuti, possidere* permittebantur (conf. l. 2—5 Cod. Theod. XVI, 9). Similiter jura Judaeorum dominorum agnoscens concilium Aurelianense III anno 538 c. 13 constituit, ut *Judaeorum mancipia Christiana, si eis a dominis imponatur quod religio Christiana vetat, ... nullatenus a sacerdote reddantur* sed redimantur. Idem decernit concilium Aurelianense IV c. 30 de omnibus servis, Judaeorum servitiis mancipatis, qui ad ecclesiam vel fideles quosque confugerint. Pro arcenda autem in hac re fraudulentia jam Honorius imperator caverat, ut *Judaei, qui reatu aliquo vel debitis fatigati simulant se Christianae legi velle conjungi, ut ad ecclesias confugientes vitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur nec antea suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati* (l. 2 Cod. Theod. IX, 45). Ad normam hujusmodi legis compositum est hoc Gelasii judicium.

44 [1]) D^1 Π^1 omittunt *episcopis*.

[2]) Z *in ablatione remissa*, moxque ad marg. *redivivo*. Legendum forte *in abolitionem missa*, adeo ut librarius, quod saepe accidit, ex duabus litteris *m* sese sequentibus unam praetermiserit.

[3]) Z *exerceatur ... irremissibiliter perstet* (D^6 Π^1 *praestat*). Porro *irremissibilis* hic idem sonat quod *irremissa* seu *non remissa*.

Digitized by Google

Fragmentum 45.

Judaeorum quemdam conversum probatae fidei et integritatis episcopo commendat. p. 69

Gelasius Quinigesio episcopo.

Vir clarissimus Telesinus, quamvis Judaicae credulitatis esse videbatur[1]), talem se nobis approbare contendit, ut eum merito nostrum appellare debeamus. Qui pro Antonio parente suo specialiter postulavit, ut eum dilectioni tuae commendare debeamus. Et ideo, frater[2]), supradictum voluntatis nostrae mandatorumque respectu ita te habere convenit, ut non solum in nullo penitus opprimatur, verum etiam in quo ei opus fuerit, solatio tuae se gaudeat dilectio-in adjutum.

Fragmentum 46.

De re in litigio posita nullus sinatur exigere pensiones. p. 69.

Gelasius Quinigesio[1]) episcopo.

Quia res in litigio posita in nullam transferri potest omnino personam, donec legitimae cognitionis eventu, cui potius debeatur, judiciaria disceptatione possit agnosci: ex eadem re quisquam non sinatur exigere pensiones, sed in eodem statu re eadem posita, in quo videtur sicut dictum est ante constituta, quisquis sibi putat quippiam posse competere, juridico pulset examine, praejudiciis omnibus inde submotis.

Fragmentum 47.

Quo loco raptus commissus dicendus. p. 69

Gelasius papa.

Lex illa praeteritorum principum ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cujus ante nuptiis nihil actum fuerit, videatur abducta.

Fragmentum[1]) 48.

Qualis debeat esse pastor Ecclesiae.

Diligenter investigavimus et investigata cura rescripsimus, qua-

45 [1]) Ita F^2. c^{10} *videatur* moxque omittit *eum*, ac deinde ad marginem *Antio* [2]) c^{10} *fratrem* et postea omittit *solatio*. T^2 sequimur.

46 [1]) Gratiani editores et Berardus l. c. II 354 monent, aliis in mss. *Lucio*, in aliis *L*, in nonnullis *Quinquagesimo* circumferri. Ipsi praeferunt *Quingesio;* Berardus etiam illud ex crassa amanuensis imperitia profectum putat, qui litteram *L* pro numero quinquagesimo intellexerit, quum alias *Lucium* significaret. In nostris mss. habetur *Quinigesio*, quod nomen jam ex fragmentis 13 et 45 notum est.

48 [1]) Hoc fragmentum e codice latino Monacensi 5508 fol. 73^b hic profertur. Ibidem Gelasii epistolam 15 (*XLI. Constituta sči Gelasii papae quas epi in ordinatione sua accipiunt*) proxime excipit hac inscriptione: *XLII. Item ejusdem qualis debeat esse pastor ecclesiae*, et fine folii interrumpitur, quum duo sequen-

Digitized by Google

lis debeat esse pastor Ecclesiae: quomodo Ecclesiam sanctam regere debeat, quomodo se ipsum in bonis operibus exerceat, qualiter se considerare debeat et cotidie pensare omnia studia cordis sui; quomodo vel qualiter ad culmen regimis perveniat, vel qualiter doceat, et recte docens, infirmitatem suam cotidie quanta consideratione agnoscat, gaudeat de permissis bonis. De supra dictis verbis consideret, apostolo dicente: *qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Vigilanti animo adponat, quid hic verbis subsequens dixit: *Oportet eum esse inreprehensibilem, castum, pudicum, sanctum, sobrium, in omnibus scripturis sanctis doctum,* semet ipsum cotidie castigantem; ut in bonis operibus talem se studeat subditis ostendere, ut et exempla bona, quae de illo procedunt, plus subditos doceant quam verba. Et hoc studeat[2]), si bene vixerit, cotidie adimplere. Et quivis cum labore clerum sibi commissum amet, diligat, doceat, cum omni humilitate et cum summa caritate, presbyteros secundum eorum gradus, diaconos in ecclesia sua secundum possibilitatem vel loci ipsius paupertatem secundum dispositam traditionem apostolorum aut tres aut V aut VII ....

1 Tim. 3,1.

1 Tim. 3,2.

Fragmentum[1]) 49

seu

Dicta Gelasii papae.

Catechumeni (latine dicuntur instructi vel audientes) ii sunt, qui fidem Christi instructi, audiunt Christi praecepta et recte credunt, et etiam a sacerdote consignati sunt et per exorcisma purgati, et resipiscunt, sed necdum sacro baptismate sunt abluti. Poenitentes hi dicuntur in canone, qui de criminibus, de majoribus culpis agunt publice poenitentiam. Et sciendum est, quia secundum praeceptum canonis non licet fidelibus, id est jam baptizatis, missas in ecclesia cum audientibus, id est catechumenis, stare tempore orationis et canonicae laudis, et simul cum eis orare et psallere. Neque clericis aut aliis laicis licet cum poenitentibus simul

---

tia quaternionis folia cum Symmachi synodo I (usque ad hujus verba n. 6 *ut decreta nostra confirmes rogamus*) exciderunt. De ejus authentia nihil constituere ausim, satis habens, fragmentum produxisse, quod sub nomine Gelasii papae probatissimus saeculi IX codex praebet.

[2]) F[4] *studeant,* moxque demum sec. manu additum *adimplere.*

49 [1]) Simili ratione hoc fragmentum addidimus, quod ex ms. Lucano 490 (ol. 89) saec. IX protulit Mansius coll. conc. VIII, 124. Etsi de authentia ejus magis haesitantes (ut alia taceamus, jam propter peculiarem vocis *canonis* usum), noluimus tamen lectorem latere, quod sub nomine pontificis nostri probatissimi codices praebent. Si vera est archetypi inscriptio (*Incipiunt dicta Gelasii papae*), poterat fragmentum proxime antecedens ex eodem fonte emanasse, ex iisdem *dictis Gelasii papae* excerptum esse.

Digitized by Google

mixti orare aut psallere ....[2]) antiquitus proprius statutus locus aut extra ecclesiam aut in initio introitus ecclesiae, ubi ad orandum et audiendum divinum officium stabant catechumeni, id est instructi vel audientes. Et infra ecclesiam super istos erat similiter proprie locus statutus, ubi stabant poenitentes: ut omnes in ecclesiam introeuntes scirent eos de criminalibus culpis poenitere, et orarent pro eis, et illi per haec humiliati magis reciperent veniam delictorum suorum. Et super hos in alio ecclesiae spatio stabant ceteri fideles laici, segregati tamen a clericis. Quumque autem in aliquibus capitulis canonis dicatur, ut pro quacunque criminali id est graviori culpa ejiciatur ab ecclesia quicunque, non est intelligendum, ut funditus prohibeatur ab omni conventu et auditione divinae laudis et praeceptorum Domini; quod nimis absurdum est et contra praeceptum divinae clementiae, ut aeger a divina excludatur medicina Dei, qui pro salute peccatorum est incarnatus et passus, et abjectus ab omni conventu et consolatione fidelium diabolo tradatur. Sed praedictum rationabiliter intelligendum est, ut ejiciatur a communione id est consortio aliorum fidelium, qui intra ecclesiam stant tempore orationis et laudis Dei, et stet per statutos annos ad orandum et laudes Dei audiendum extra ecclesiam inter audientes id est catechumenos; et expletis his omnibus secundum judicium commissae culpae intret in ecclesiam in communionem, id est consortium orationis cum poenitentibus; inter quos expletis iterum annis secundum judicium culpae suae redeat plenius ad communionem, id est consortium ceterorum fidelium et perceptionis sacri corporis et sanguinis Christi.

GELASII PAPAE
TRACTATUS. p 69

Tractatus I

seu

Gesta de nomine Acacii[1])

vel

Breviculus historiae Eutychianistarum.

1. In causa fidei Christianae, cui ab exordio sui nunquam de- p 70
fuisse probantur inimici, nostro quidem saeculo sed intervallo tem-

---

[2]) Si adjicias *Poenitentibus enim*, jam nihil ad orationis integritatem desiderandum.

[1]) Ita B^1 F^d N^6 inscribunt; c^5 de suo addidit *Breviculus historiae Eutychianista-*

Digitized by Google

porum[2]) Nestorius et Eutyches non nova dogmata suae perversitatis sed nomina prodiderunt. Nam Nestorius ante quinquaginta et octo fere annos, Photini et Pauli Samosateni secutus errorem, Oasitano exsilio meruit relegari, dicendo, sicut ab auctoribus suis didicit, Christum Dominum nostrum hominem tantummodo de Virgine Maria esse progenitum. Contra quem Eutyches post annos non[3]) plurimos aestimans disputandum, rectum tramitem tenere nesciens offendit; et in Apollinaris est raptus insaniam, in haec verba prorumpens, quibus assereret, Christum verum hominem non fuisse nec in eo duas naturas esse credendas, sed unam tantummodo Dei Verbi verumtamen incarnatam. Quam quidem non esse hominis perhibuit sed humanam, ut similitudo magis humani corporis quam ipsa veritas suaderetur: quum catholica fides verum Deum verumque hominem Christum Dei Filium esse fateatur, non unius naturae, sed unius essentiae[4]) atque personae.

2. Quum ergo Eutychem istum, presbyterum et abbatem Constantinopolitanae civitatis, Eusebius Dorylitanus episcopus suadere talia reperisset, zelo fidei, quam etiam quum agens in rebus esset ostendit (ipse enim Nestorium quoque in tempore reprehendit in ecclesia res sacrilegas praedicantem), detulit ad Flavianum episcopum et ad judicium provocavit. Dicta causa est. Quum partes suas Eutyches iste[5]) presbyter videret urgeri, per Chrysaphium spatharium Theodosii praesidium principis expetivit. Cujus praecepto Florentius vir illustris ex consule discussioni Eutychis abesse non potuit; et jam in praesentia ipsius convincitur Eutyches atque damnatur. Offenditur imperator, et in Ephesina civitate mandat

---

rum. G[1] a[1] *Incipit. In causa fidei — probantur inimici* quasi pro inscriptione ponunt, et textum inchoant verbis *Nostro quidem etc.* Conferantur quae de hac re in monito praevio n. 3 et 4 dicta sunt. — F[d] *nostroq. saeculo.*

[2]) G[1] *temporis.* Mox B[1] F[d] *dogmata suadentes* (F[d] *suadentis*) *sed nomina prodierunt.* Deinde X[k] *Nestorius post centum quinquaginta et octo fere annos*, varia lectio summe memoranda. — F[d] *casetano exiliti meruit inlegari.*

[3]) B[1] F[d] *annos plurimos*, moxque omittunt *nesciens*, ubi G[1] *nescivit et in Apollinaris est lapsus.*

[4]) Ita B[1] F[d] N[e] c[5] seq.; G[1] a[1] *existentiae.* a[3] magis placeret *substantiae*, quatenus haec vox respondet Graecae ὑπόστασις, quam Augustinus et Hieronymus *substantiae* nomine reddunt. Quamvis autem hic ea uti sibi religioni duxerit, ille de catholico Graecorum intellectu certior factus eorum locutioni se accommodat de Trinit. VII, 8. *Quod enim*, inquit, *de personis secundum Graecorum consuetudinem ea, quae diximus, oportet intelligi. Si enim dicunt illi* (in deo) *tres substantias unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas unam essentiam vel substantiam.* Quoquo modo autem hic legitur *essentiae* sive *substantiae*, vocabula cum nomine *personae* synonyma sunt.

[5]) Ita B[1]. G[1] *iste presbyter videret urgueri spatarium theodosium principis expetivit.* Editi omittunt *iste presbyter.* Deinde F[d] *habuisse non potuit*, G[1] *apud Ephesum civitatem.* Mox F[d] *CCCLX epī Jovenati.*

Digitized by Google

synodum congregari. Adsunt fere trecenti sexaginta episcopi, principibus Dioscoro Alexandrino episcopo, Juvenali Hierosolymitano, Thalassio Caesariensi, Eustathio[6]) Berytensi, Eusebio Ancyritano, Basilio Isauro. Interfuerunt etiam vicarii ab apostolica sede directi, Julius Puteolanus episcopus, Hilarus archidiaconus urbis, quia presbyter Renatus in Delo insula morte praeventus est. Adfuit etiam Dulcitius notarius ecclesiae. In quo conventu repudiata[7]) est epistola papae Leonis dogmatica ad synodum Flavianumque directa, et penitus non permittitur recenseri. Tota die, id est VI Idus Augusti, nihil aliud nisi quaedam Nestorii damnati, id est prioris Ephesinae synodi gesta releguntur. Simul etiam discutitur lectis omnibus chartis judicium de Eutyche sanctae memoriae Flaviani. Interea quum Eutychis blasphemiae relegerentur, ab omnibus adclamatum est, hanc esse veram fidem, hanc orthodoxam. Dejicitur contradicentibus vicariis[8]) Romanis Flavianus, et recipitur Eutyches. Damnatur etiam Eusebius episcopus, accusator ejusdem presbyteri, tamquam Nestorianus, qui ante, dum adhuc esset laicus, Nestorii fuerat accusator. Ita[9]) enim nihil volunt isti Eutychianistae inter se esse atque Nestorium, ut quicunque apud eos Eutychianista non

---

[6]) B^1F^d *Eustasio,* G^1 *Eustachio Hisauro* (B^1F^d *Isauro* alii *Isauriae*). Deinde verba *urbis* et *ecclesiae* cum G^1 addidimus. F^d *Aledo,* X^k *Abedo* (pro *Delo*), et omittit *Adfuit etiam Dulcitius notarius ecclesiae.* Qui mox memoratur conventus, est illud *latrocinium Ephesinum* die VIII Augusti anni 449 habitum. Quamvis hic Renatus ante morte praeventus dicatur, quam Ephesum adveniret, ad ipsum tamen exstat Theodoreti epistola 116 post Ephesinum concilium scripta. Unde Quesnellus observat. in Leonis epist. 28 auctorem nostrum in hac re erroris arguit. Sed hujus veritatem jam Ballerinii in notis ad observat. citat. (Leonis Opera II, 1412 ss.) productis etiam aliorum testimoniis satis vindicarunt, et recte statuunt, Theodoretum *incerta fama ac aequivocatione aliqua deceptum, dum id Renato tribuit, quod Hilaro erat tribuendum*; ac quum tres legatos a sede apostolica directos et Ephesi gestis fortiter restitisse audiisset, de morte Renati nihil resciscentem ad singulos scripsisse, ex quibus epistolis solam ad Renatum superfuisse.

[7]) Ita $B^1F^dN^6c^5$ seq. G^1 *repudiatae sunt papae Leonis dogmaticae ad synodum Flavianumque directae litterae nec permittuntur aliquatenus recenseri.* X^k *repudiatae sunt epistolae Leonis quae fuerant ad synodum Flaviani eppi directae et penitus non permittuntur recenseri tota die ... nihilque aliud.* Mox F^d *quondam Nestorium.*

[8]) G^1 omitt. *vicariis.* Mox B^1F^d *Eusebius accusator.*

[9]) G^1 omittit *enim* et postea *quidem.* X^k autem hic pergit: *Dejicitur Dominus Antiochenus, sanctae memoriae praedictus Flavianus dirigitur in exilium, ubi et mortuus est. Mortuo itaque Theodosio imperatore Marcianus factus est princeps laesam fidem graviter ferens. Cujus religiosa jussione conveniunt Nice amplius quingenti eppi totius orientis et Aegypti. Quam synodum postea transtulit Calchedona propter palatii vicinitatem. Interfuit etiam ipse imperator conventui, interfuit senatus et omnes judices et aulicae potestates. Eusebius ille ante annum de exilio fugiens Romam venerat: etiam huic synodo interesse properavit. Accusat et ipse Dioscorum et alios Alexandrinos etc.*

Digitized by Google

fuerit, Nestorianus prorsus habeatur: quum doctrina catholica uniat duas naturas in Christo, non dividat sicut Nestorius fecit. Et isti quidem reperiuntur deteriora garrire. Nam fidentissime dicunt rem ineptam, rem etiam stolidis exsecrandam: ante unitionem, id est incarnationem, duas dici debere naturas, post vero unam Dei Verbi tantum incarnatam, ut si dicamus aliquid cereatum aut picatum aut stagnatum [10]) aut quolibet alio genere coloratum. Jam vero post diem tertium synodi, qua dejectus est sanctae memoriae Flavianus, dejicitur etiam et Domnus Antiochenus. Dioscorus repente discessit, solutusque conventus est. Ducitur in exsilium Flavianus, et apud Epipam, quae est civitas Lydiae, seu superveniente seu ingesta morte defunctus est.

3. Tunc [11]) temporis Anatolius quidam presbyter Alexandrinus apud Constantinopolim morabatur. Haec enim consuetudo praedictis est, ut ad comitatum vicibus clerici dirigantur, ne quid forte causae vel necessitatis emergat. Fit ergo iste Anatolius Constantinopoli episcopus, homo partium Dioscori. Exempto [12]) anno moritur Theodosius imperator, Chrysaphius punitur, Marcianus factus est princeps. Laesam fidem graviter ferens indicit synodum apud Nicaeam, in qua et ipse et Pulcheria resedit, et omnis [13]) cum eo senatus et potestates. Quam synodum postea transtulit Calchedona propter palatii vicinitatem. Conveniunt quingenti et ultra episcopi

[10]) Ita $B^1 F^4 G^1 a^1 c^5$ seq.; *stannatum* a^3. Mox G^1 omitt. *Jam vero*, et editi omitt. *et* (ante *apud Epipam*). Flavianus quidem a Theophane chronogr. pag. 155 (ed. Bonn.) triduo post synodum mortuus dicitur. Sed ipsum in exilium Epipam ductum, consentit Marcellinus comes; atque *inter manus eorum*, ait Prosper in chronico, *a quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transiit.* Immo eum demum die XVIII Februarii anni 450 vita functum esse suadet Henschenius act. sanctorum tom. III Februarii pag. 71 seq.

[11]) $B^1 F^4$ omitt. *Tunc temporis* et post *anno*. Mox G^1 *presbyter Alexandriae ... numquid forte*, et a^2 ex „ms. Vatic." *in vicibus*, ubi alii *vicibus*. Porro *in vicibus* aut *vicibus* id est, ut vices episcopi et cleri Alexandrini repraesentarent ac negotia ejus procurarent. — Perinde etiam est *presbyter Alexandrinus* atque *Alexandrinorum;* quod notandum, ut quo referatur vox *praedictis*, non ignoretur.

[12]) G^1 *excepto*, $B^1 N^6 c^5$ seq. *exempto*, F^4 *eximito*, a^{2c} ex „Vatic." *exacto*. Mortuus autem Theodosius imperator est anno 450 die XXVIII Julii.

[13]) G^1 *omnes cum senatu saeculi potestates.* At $B^1 c^5$ seq. a^3 *omnis cum eo senatus et potestates.* F^4 *omnes cum senatus et potestatis.* Concilium illud ad Calendas Septembres anni 451 litteris imperialibus die XXIII Maji emissis Nicaeam convocatum, die VIII Octobris Calchedone inchoatum est. Quamvis concilio Nicaeae habito Marcianus et Pulcheria interfuisse proxime dicantur, tamen ex litteris utriusque (in act. conc. Calched. p. I cap. 33 et 35 apud Hard. coll. conc. II, 47 et 49) utrumque abfuisse liquet. Fortasse error inde natus, quod Marcianus se in synodo adfuturum ipsis litteris convocantibus (Hard. l. c. II, 45) promiserat. Aut si forte pro *resedit* legerimus *resideret* (quasi ex sententia illarum litterarum dictum), jam nihil falsi supererit.

Digitized by Google

totius Orientis et Aegypti; Dioscorus exhibetur, ut facti sui causas in concilio possit asserere. Interfuit etiam[14]) imperator ipse conventui; interfuit et senatus et omnes judices et omnes aulicae potestates. Eusebius ille Dorylitanus episcopus, qui[15]) ante annum ferme de exsilio fugiens Romam venerat, etiam Calchedonensi synodo interesse properavit. Accusat et ipse Dioscorum et alii Alexandrini. Quid multa? Damnatur Dioscorus, sanctae memoriae Flaviani corpus officiosissime Constantinopolim reportatur[16]), apud Alexandriam Proterius catholicus fit sacerdos.

4. Quidam Timotheus presbyter, cui cognomen erat Aelurus, et Petrus diaconus, qui episcopatum nunc[17]) Alexandrinae occupavit ecclesiae, Dioscori sectatores, se ab ecclesia Alexandrina separarunt. Quos quum Proterius episcopus suis monitis ad[18]) ministeria sua revocare non posset, utrumque damnavit. Mortuo principe Marciano, collectis turbis haereticorum, Timotheus et Petrus veniunt Alexandriam, et ordinatur ab haereticis Timotheus episcopus. Duo igitur apud Alexandriam episcopi esse coeperunt. Ante triduum Paschae,

---

[14]) G[1] *item* moxque *interfuerunt omnes judices senatus et omnes aulicae potestates.* Huic concilio cum Marciano etiam Pulcheriam interfuisse, vulgata concilii Calchedonensis interpretatio latina act. VI (Hard. l. c. II, 463) diserte memorat Quod etsi teste Constantio in Corbejensi aliisque ejusdem concilii exemplaribus uti in omnibus graecis deest, tamen Anatolii ad Leonem epistola (Leon. epist. 101 c. 3) comprobatur.

[15]) B[1] F[d] omitt. *qui;* deinde F[d] c[4] seq. omitt. *ferme,* et scribunt *etiam et Calched. ... Accusat ipse.*

[16]) Hoc quidem ab Henschenio l. c. jam mense Augusto anni 450 factum ponitur. — Ab hoc loco incipit eorumdem gestorum epitome in collectione Quesnelliana c 43, ubi eorum, quae hactenus narrata sunt, loco praemittitur hoc breve exordium: *Posteaquam Dioscurus Alexandrinus episcopus pro facti sui qualitate id est quia consenserat Eutycheti haeretico et damnaverat Flavianum episcopum catholicum Constantinopolitanum, apud Calchedonam tam a principe sanctae memoriae Marciano quam ab aulicis potestatibus vel cuncta synodo damnatus est: Proterius catholicus fit sacerdos. Tunc Timotheus presbyter, cui cognomen erat Aelurus, et Petrus diaconus sectatores Dioscori ab Alexandrina ecclesia se separarunt. Quos etc.* Caute hoc loco utramque notam temporis, quo primus horum gestorum auctor scribere se indicarat, suppressit novus compilator ut in aetatem suam minus convenientem.

[17]) Novam illam Alexandrinae sedis occupationem Petri et legitimi Johannis Talajae expulsionem in annum 482 (circa finem pontificatus Simplicii) cadere, saepius memoravimus. Anno 490 autem, paulo post quam Euphemius episcopus Constantinopolitanus Flavitae subrogatus est, eumdem Petrum vita functum esse Evagrius h. e. III, 23 et Theophanes chronogr. pag. 206 tradunt. Ex quo conficitur, quod jam praemonuimus, ut hoc scriptum Felicis tempore concinnatum sit.

[18]) G[1] β *ad ministerium proprium* (et F[d] G[1] antea omitt. *monitis*), Liberato c. 15 suffragante. B[1] F[d] X[k] c[5] seq. *ad ministeria sua.* Mortuus est Marcianus d. 26 Januarii anni 457.

Digitized by Google

quo coena Domini celebratur, collecta[19]) multitudine perditorum occupatur ecclesia, ad quam se sanctae memoriae Proterius timore contulerat. Ibi supradicto die in baptisterio occiditur, laniatur, ejicitur, et funus ejus incenditur, cineresque ipsius sparguntur in ventos.

5. Leo sumit imperium, ad quem tanti facinoris catholicorum querela pervenit. Contra quos haeretici supplicarunt petentes, ut Calchedonensis synodus aboleretur; illi autem vindictam tanti sceleris expetebant[20]). Considerans imperator nimis esse grave, vexari tantos[21]) iterum sacerdotes, quorum plurimos aut aetas aut infirmitas aut etiam paupertas hunc laborem subire prohibebat, dirigit magistrianos per totum Orientem; dirigit etiam Anatolius episcopus Constantinopolitanus Asclepiadem diaconum suum. Per quos et omnes illi episcopi, qui Calchedona fuerant congregati, quid Alexandriae factum fuisset agnoscunt; interrogatique[22]) cum suis provincialibus episcopis rescribunt, Calchedonensem synodum usque ad sanguinem esse defendendam, quia non alteram fidem statuit quam synodus Nicaena; Timotheum non solum episcopum non haberi, sed etiam Christiani appellatione privari. Quo[23]) deposito, fit alter Timotheus catholicus episcopus Alexandriae. Vix Timotheus haereticus[24]) depellitur, fugit Petrus, mittitur in exsilium Timotheus Chersona, qui locus est in Ponto abditus.

6. Quamdiu vixit imperator Leo, vixit[25]) Timotheus episcopus Alexandriae cum quiete. Sed quum Basiliscus occupasset imperium, damnare coepit Calchedonensem synodum et catholicos persequi. Tunc denique Timotheus ille damnatus accepta libertate venit Constantinopolim, et damnatos haereticos locis suis reddidit. Vadit Alexandriam, fugit Timotheus catholicus et in monasterio latet. Petrus ille iterum se junxit Timotheo, cum quo fuerat ante damnatus.

[19]) G¹ β ac Liberatus *conductis perditis*, Γ addit *ab his*. B¹ F^d X^k c⁵ seq. *collecta multitudine perditorum occupatur ecclesia ... Proterius de more* (B¹ F^d *timore*) *contulerat*. Mox G¹ *funus incenditur cineresque ejus*.

[20]) Ita B¹ X^k. c⁵ seq. *spectabant*, G¹ β *postulantes* (et G¹ omitt. *tanti*), a³ cum Liberato *postulabant*. Utrarumque partium preces seu libelli habentur in concilii Calchedonensis part. III, cod. encycl. epist. n. 2 et 4 (Hard. l. c. II, 691 et 700).

[21]) G¹ β Γ *tanto itinere sacerdotes*, quod et Liberatus legit; alii *tantos iterum sacerdotes*. Mox omittunt B¹ F^d *Per quos*, G¹ ibidem *et*.

[22]) G¹ *consultique rescribunt ... statuisset*. β cum Lib. *qui rescribunt*, et infra β *quia non alteram fidem tenerent* (Lib. *teneret*).

[23]) G¹ D β Γ Lib. *Quo facto*; B¹ F^d c⁵ seq. *Quo deposito*. Est ille Timotheus cognomine Salophakiolus.

[24]) G¹ *ille* (omitt. *haereticus*) ... *Chersonense Timotheus*; β Γ *Cerson*, B¹ F^d X^k D *Cersonam*.

[25]) B¹ *vivit*, mox G¹ *synodum et fugare catholicos*. Deinde F^d *junxerat*.

Digitized by Google

7. Redit Zeno imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, ut pulso pervasore Timotheo[26]) Timotheus catholicus redderetur ecclesiae. Sed isto Timotheo damnato morte praevento, Petrus consors ipsius ab uno haeretico Alexandrinis episcopus ordinatur. Quem nihilominus dejici jussit Christianissimus imperator, et reduci Timotheum catholicum, sicut Acacii Constantinopolitani litteris continetur. Quum[27]) plurimi, seu clerici seu monachi seu saecularis vitae homines, ad communionem catholici episcopi Timothei nollent penitus convenire, diversis sacris terruit universos clementissimus imperator.

8. Scribit ad papam Simplicium Timotheus dicens[28]), Petrum olim in diaconio esse damnatum, nunc etiam Christiana societate semotum; mandans per Esaiam episcopum, rogans: ut scriberetur imperatori de Petro, quia latebat in Alexandrina civitate et insidiabatur Ecclesiae, ut ad longinquius deportaretur exsilium. Per[29]) triennium ferme vel amplius sanctae memoriae papa Simplicius nunquam destitit scribere ad Acacium episcopum, ut ageret cum imperatore, et fieret de Petro, quod Timotheus episcopus postulabat.

9. Scriptum[30]) est etiam principi sed nunquam inde rescriptum est. Post omnia Johannem presbyterum et oeconomum suum Timotheus ad principem misit rogans, ut si quid humanitus sibi forte contingeret, juberet pietas ejus catholicum a catholicis ordinari. Ad cujus petita responsum est, et tam ipsi quam clericis scriptum: atque iisdem sacris Johannes oeconomus multis laudibus praedicatur, ut jam pene omnibus Alexandriae[31]) episcopalis putaretur officii candidatus.

10. Defuncto isto Timotheo episcopo oeconomus ille Johannes[32]), quem clementissimus imperator pro Ecclesia et fide scripserat

---

[26]) Ita F^d G^1 X^k. Alii omittunt *Timotheo*. Deinde G^1 *reddatur ... Christianissimus princeps et reducit catholicum Timotheum.*

[27]) G^1 *cum quidam eppi clerici seu*, et omitt. *penitus*. In epitome verbum *continetur* excipit: *Interea scribit ad s. m. pap. Simpl.* Deinde F^d *Scripsit.*

[28]) In B^1 F^d deest *dicens — Esaiam* (G^1 *Isaium*) *episcopum*. Similiter G^1 contrahit orationem: *scriberetur imperatori de Petro longius in exilium dirigendo quia latebat.* Sequimur ibi B^1 F^d N^6 X^k c^5 seq.

[29]) Ita G^1 D et confirmat Gelasius epist. 1 n. 21. Alii *Per ferme triennium sanctae ... non desiit scribendo.* Earumdem Timothei litterarum meminit Simplicius epist. 10 et 13.

[30]) In D β Γ X^k desunt ea, quae hoc numero continentur. Legationis Johannis et petitionis Timothei meminit Evagrius III, 12, imperialis responsi etiam Felix epist. 1 n. 10, 2 n. 4.

[31]) Ita B^1 F^d G^1; a^3 *Alexandrinis*, editi *Alexandrinus*.

[32]) Ita G^1 consentientibus β Γ Lib. At B^1 F^d c^5 seq. *Johannes oeconomus catholicus a catholicis.* Mox B^1 F^d c^5 seq. *de consuetudine majorum*, ubi G^1 *de more*, et B^1 F^1 omittentes *per Isidorum diaconum* postea cum c^5 seq. addunt *jam*, et *in* (ante *iisdem*).

Digitized by Google

laborante, catholicus a catholicis ordinatur episcopus. Qui quum de consuetudine majorum ad apostolicam sedem synodica per Isidorum presbyterum et Petrum diaconum scripta misisset, superveniente Uranio subadjuva et contra Johannem jam episcopum sacra principis deferente, ab episcopatus illius confirmatione papa suspensus est. Et quia in iisdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnavit, fecerat mentionem, haec pars omnino est abnegata. Unde videtur clementissimus imperator offensus.

11. Quum ergo sanctae memoriae papae Simplicii nihil toties ad Acacium ante[33]) directa propter Alexandrinae ecclesiae quietem et catholicae fidei integritatem scripta proficerent, supervenit idem fugiens sanctus Johannes episcopus, qui, sicut decebat, ab apostolica sede susceptus est. Nam et priores ejus similiter Romanae ecclesiae tempore persecutionis suffugium poposcerunt. Hujus adventus plenius universa patefecit. Cui dum Acacii scripta legeremus, quae de Petro et Johanne Antiochenis[34]) miserat, excessus Acacii etiam in hac causa gravissimos deprehendit.

12. Illo enim tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulit[35]), etiam de Petro et Johanne Antiocheno scripserat: Petrum

---

[33]) Ita G¹. B¹ F^{d} c^{5} seq. omittunt *ante* (B¹ F^{d} etiam *directa*) et mox *fugiens*. Deinde nomine *priorum, qui Romanae ecclesiae suffugium poposcerunt*, maxime intelligitur Athanasius cum aliis, qui Romam ad Julium pariter confugerunt, nec non Athanasii successor Petrus, qui sub Damaso se Romam recepit.

[34]) G¹ omittens hic *Antiochenis*, postea iisdem nominibus addit *Antiocheno*. Mox B¹ F^{d} c^{5} seq. *gravissimos deprehendit* (X^{k} *deprehenditur*), ubi G¹ *gravissimi sunt retecti*. — Petrus Fullo et Johannes *Antiocheni* vocantur, prior quidem quia Johanne Talaja expulso in Antiochenam invaserat ecclesiam; alter vero, quia ab eodem Petro ordinatus Apamenis episcopus, sed ab eis rejectus Antiochiam regrediens ordinatoris sui locum occuparat.

[35]) B¹ F^{d} c^{5} seq. *retulerat non longe post etiam* (B¹ F^{d} *jam*) *de Petro et Johanne* (B¹ F^{d} addunt *sic*) *scripserat*. Historica veritas ethanc lectionem respuit, et eam postulat, quam ex G¹ restituimus. Ut enim ex ordine liquet epistolarum Simplicii ad Acacium, is episcopus de Petro et Johanne Antiochenis ante scripserat, quam de Petro Alexandrino damnato referret. — In exemplaribus D hic locus cum postremis superioris numeri verbis conjungitur in hunc modum: *Unde visus est imperator offensus. Addidit etiam Acacius illo tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulit, etiam de Petro et Johanne Antiocheno sic scripsit: Petrum et*, omissis intermediis, ex quorum omissione totius orationis nexus solvitur. Quomodo enim cum antecedente sermone de litteris synodicis Johannis Talajae, de Zenonis sacris restitutionem Petri efflagitantibus, de Simplicio hanc partem abnegante atque imperatore eam ob causam indignante cohaeret istud: *Addidit etiam Acacius:* quum nihil proxime sit de Acacio praemissum? Cui etiam verbum illud *addidit* non supervacaneum videatur atque huc ex abundantia adsutum, quo utcunque adsueret hujus epitomes scriptor narrationem, quam haud satis feliciter assecutus imprudens dissuerat? Ac vero quorsum eorum, quae de Petro et Johanne scripserat Acacius, hic mentio fiat, sibi incompertum fuisse prodit, quum antecedentia praetermittit. Neque minus ab auctoris sui sententia quam

Digitized by Google

apud Constantinopolim monasterium gubernasse, sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiam fugisse; ibi pulso Martyrio[36]) catholico episcopo, per vilissimum populum et haereticos sedem ipsius occupasse, continuoque damnatum ab episcopis atque a Leone tunc principe ad Oasitanum exsilium esse directum; de quo lapsum Constantinopolim rediisse, ac dedisse fidem, quod nullas ulterius turbas facere prorsus auderet; sed, sicut superius dictum est, Basilisci temporibus a Timotheo illo damnato, qui Constantinopolim venerat, ad Antiochiam remissum fuisse, ut iterum illic episcopatum teneret. Quo facto, idem Petrus Johannem quemdam presbyterum, de quo Acacium diximus retulisse, ordinat Apamenis episcopum: a quibus non receptus venit[37]) Antiochiam, et Petrum episcopatus sui pellit auctorem et invadit ejus ecclesiam. Quos simul damnatos iterum dicit Acacius, petens ab apostolica sede, ut si forte ad eam confugerent, nec visu dignos haberet, et si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum poenitentiam recipiendam esse. Quod quum praefatus sanctus Johannes Alexandrinus episcopus relegisset, tacere non potuit, quod illum Johannem, quem Acacius damnaverat cum Petro et sine remedio poenitentiae fecit ab apostolica sede damnari, post tot damnationes Tyriorum miserit ecclesiae praesidere.

13. Postquam[38]) ergo non solum nihil profecisse litteras praedecessoris[39]) sui sanctus Felix papa cognovit, et ludibria quaedam ab Acacio fieri in eversionem totius ecclesiasticae disciplinae: electis Vitale episcopo Troentinate ex Picena regione, et Miseno Cumanae

---

ab historica veritate aberrat, ubi ait, *Acacium illo tempore, quo de Petro et Johanne, scripsisse.* Ipsa enim Acacii epistola (Simplic. ep. 8), in qua ille de Petro damnato refert, testis est, illum tunc temporis de Petro et Johanne Antiochenis nihil scripsisse. Sed eum antea de his duobus pseudoepiscopis Antiochenis scripsisse, discimus ex epistolis, quibus Simplicius utrique illius scripto rescripsit. Quippe epistola 7 mense Octobri anni 477 hic Acacii de Petro et Johanne Antiochenis volumini, mense autem Martio anni 478 epistola 9 ejusdem relationi de Petro damnato respondit. Hunc locum paulo fusius tractandum duximus, quo manifestius fiat, primigenia ac sincera esse gesta quae exhibemus; quae autem Quesnellus edidit, adulterata; in quae Liberatum incidisse persuadet vel id, quod ex hoc loco inseruit breviario c. 18.

[36]) B^{1} F^{d} omittunt *Martyrio* et deinde cum c^{5} seq. *vilissimum populum et.* G^{1} D Lib. sequimur, qui tamen postea contrahunt *a Leone principe Oasam deportatum.*

[37]) G^{1} D *redit,* B^{1} F^{d} X^{k} c^{5} seq. *venit ... Quos iterum damnatos dicit ... si forte ad eam.* Deinde G^{1} *ne ipso quidem dignos haberet effectum,* D *ne ipso quidem digni haberentur aspectu;* mox B^{1} F^{d} *irrita esse deberet.* Deinde F^{d} omitt. *post tot d. Tyriorum.*

[38]) Qui hoc opusculum in epitomen contraxit, sequentibus omissis fragmentum quoddam aliud substituit, quo Acacii de correcto Petro objectio refellitur. Hanc quidem objectionem in contentione illa saepissime recurrisse, discimus ex Gelasii epist. 1 n. 5, 13—16. 26 n. 5. 27 n. 4 et 5.

[39]) B F^{d} c^{5} seq. *decessoris,* et post omitt. *ab.* G^{1} omittit *Felix.*

Digitized by Google

ecclesiae episcopo ex regione Campaniae, sub hac instructione direxit, ut Petrus de Alexandrina pelleretur ecclesia, et ut libello sancti Johannis episcopi Alexandrini responderet Acacius[40]), atque ipsi denuntiaretur Acacio, ut anathema Alexandrino diceret Petro. Sed legati supradicti quamvis in custodiam hostili more detrusi chartas amiserint, tamen perfidis haereticis atque damnatis accommodare non debuerant, quae sola negari potuit, voluntatem. Non solum ergo non egerunt, quae jussa sunt, aut quae poterant expedire fecerunt, sed etiam haereticis communicaverunt, confirmationem Petri episcopatus, ad quem pellendum missi fuerant, deferentes, atque contumelias in episcopum Johannem Acacio dirigente[41]) portantes. Quibus commotus papa beatissimus habita synodo Vitalem et Misenum ab officio et communione suspendit, ac deinde damnavit Acacium. Cujus postea audacia deteriora committens, etiam illum Petrum Antiochenum, ejecto catholico Calendione, quem ipse ordinaverat, ad Antiochenam misit ecclesiam.[42])

14. Postquam Johannes supervenit episcopus, quem Romana suscepit ecclesia, sanctus papa Felix legationem, ut dictum est, sicut oportuit ordinavit, quae apud praedictos[43]) omnes quidquid est hostilitatis experta est. Nam detrusa in custodiam perditis chartis, cum grandi vix remeavit opprobrio, episcopatum Petri, ad quem expellendum missa fuerat, firmatum reportans, quem Romana anathematizarat ecclesia.

15. Ita[44]) Felix papa episcopis per Aegyptum etc. [*vid. supra pag.* 250 *Felicis II epist.* 9.].

---

[40]) B^1 omitt. *Acacius — denuntiaretur*, moxque cum c^5 seq. *Alexandrino*. Deinde iidem et F^d *Petro. Qui quamvis hostili more detrusi in custodiam chartas*, et omittunt *fecerunt;* B^1 F^d autem paulo ante *debuerunt*. Sequimur G^1. X^k *Petro. Porro iidem legati profecti sunt. Qui licet hostili etc.*

[41]) G^1 *rescribente*. Deinde B^1 F^d c^5 seq. *Quibus rebus habita synodo commotus beatissimus papa Vit ... suspendit Acaciumque damnavit. Cujus audacia ... etiam Petrum ... Calendione quem ipse ordinaverat* (G^1 *a se ordinato*) *ad Antiocy. etc.* Ex G^1 textum restituimus.

[42]) Hic desinunt B^1 F^d c^5. G^1 prioribus nullo spatio distinctum sequens fragmentum addit, quod duabus partibus constat. Prior, in qua summatim repetuntur quae proxime de Felicis legatis dicta sunt, ad horum confirmationem ex aliquo forsan Gelasii opere huc adscita videtur. Altera merum exhibet fragmentum Felicis epistolae, qua Petri Alexandrini damnatio denuntiatur. Utramque vero ab aliquo scholiaste non satis considerato conjunctam fuisse, nota subsequente ut probabimus.

[43]) G^1 *praedicatos animos*, moxque *perditi chartis*, ubi editi *praedictis chartis*. Idem mox *confirmatum reportans*.

[44]) Non alia de causa scholiastes sequens Felicis epistolae fragmentum videtur adjunxisse, nisi ut legatos, quum Petri communionem susceperunt, *quem Romana anathematizarat ecclesia*, graviter deliquisse demonstraret. At ubi posterior eorum legatione ostenditur quae in illo Felicis fragmento denuntiatur Petri damnatio, probatio ex eo petita nihil ad istum scopum affert.

Digitized by Google

Tractatus I.

(Ex cod. Vallicellano XVIII.)

1. In causa fidei Christianae, cui ab exordio sui nunquam defuisse probantur inimici, nostro quidem saeculo sed intervallo temporum Nestorius et Eutyches non nova dogmata suae perversitatis sed nomina prodiderunt. Nam Nestorius post centum quinquaginta et octo fere annos Photini et Pauli Samosateni secutus errorem etc. (ut in longiore exemplari).

2. Quum ergo Eutychem istum etc. [ut in long. exemplari usque ad] Renatus in Abedo insula morte praeventus est. In hoc itaque conventu repudiatae sunt epistolae Leonis, quae fuerant ad synodum Flaviani episcopi directae, et penitus non permittuntur recenseri tota die, nihilquae aliud nisi quaedam Nestorii damnati, id est prioris Ephesinae synodi gesta, releguntur. Simul etiam relectis chartis discutitur judicium de Eutyche sanctae memoriae Flaviani. Interea quum Eutychis blasphemia legeretur, acclamatum est, hanc esse veram fidem, hanc orthodoxam. Contradicentibus itaque vicariis Romanis sanctus Flavianus dejicitur et recipitur Eutyches. Damnatur etiam Eusebius episcopus, accusator ejusdem presbyteri, qui dum esset laicus, fuerat accusator Nestorii. Dejicitur Domnus Antiochenus, sanctae memoriae praedictus Flavianus dirigitur in exilium, ubi et mortuus est.

3. Mortuo itaque Theodosio imperatore Marcianus factus est princeps, laesam fidem graviter ferens. Cujus religiosa jussione conveniunt Nice amplius quingenti episcopi totius Orientis et Aegypti. Quam synodum postea transtulit Calchedona propter palatii vicinitatem. Interfuit etiam ipse imperator conventui, interfuit senatus et omnes judices et aulicae potestates. Eusebius ille ante annum de exilio fugiens Romam venerat: etiam huic synodo interesse properavit. Accusat ipse Dioscorum et alios Alexandrinos. Quid multa? Damnatur etc. [u. i. l. e.].

4. Quidam Timotheus presbyter et Petrus diaconus Dioscori sectatores se ab ecclesia Alexandrina separarunt. Quos quum Proterius episcopus ad ministeria sua revocare non posset, utrumque damnavit. Mortuo igitur principe Marciano collectis turbis haereticorum Timotheus et Petrus veniunt Alexandriam, et ordinatur ab haereticis Timotheus episcopus. Occupatur ecclesia, ad quam se sanctae memoriae Proterius de more contulerat. Ibi etc. [u. i. l. e.].

5. Leo itaque sumit imperium, ad quem tanti facinoris catholicorum querela pervenit. Haeretici autem supplicarunt petentes, ut Calchedonensis synodus aboleretur; catholici e contra vindictam tanti sceleris expetebant. Considerans itaque imperator etc. [u. i. l. e.]. Dirigit etiam Anatolius episcopus Constantinopolitanus Ascle-

Digitized by Google

piadem diaconum suum ad episcopos, qui Calchedona fuerant congregati. Qui rescribunt, Calchedonensem synodum usque ad sanguinem esse defendendam, quia non alteram fidem statuit quam synodus Nicaena. Timotheum vero non solum episcopum non haberi, sed etiam Christiani appellatione privari. Fit ergo apud Alexandriam alter Timotheus catholicus, Timotheus haereticus mittitur in exilium Cersonam, qui locus est in Ponto. Petrus fugit.

6. Igitur quamdiu vixit imperator Leo, vixit Timotheus episcopus Alexandriae cum quiete. Quum autem Basiliscus occupasset imperium etc. [u. i. l. e. usque ad] locis suis reddidit. Et mox venit Alexandriam, tunc Timotheus catholicus fugit etc. [u. i. l. e.].

7. Imperator itaque Zeno redit ad regnum, Basiliscus opprimitur. Apud Alexandriam quoque pulso invasore Timotheo Timotheus catholicus redditur ecclesiae. Sed isto Timotheo haeretico morte damnato, Petrus consors ipsius ab haereticis episcopus est ordinatus. Quem nihilominus dejici jussit Christianissimus imperator et reduci Timotheum catholicum. Interea quum plurimi seu clerici seu monachi seu saecularis vitae homines ad communionem catholici episcopi Timothei nollent penitus convenire, diversis minis terruit universos clementissimus imperator.

8. Denique Timotheus episcopus scribit ad papam Simplicium, ut scriberet imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate et insidiabatur Ecclesiae, ut ad longinquius deportaretur exilium. Igitur per ferme triennium vel amplius sanctae memoriae papa Simplicius non destitit scribere ad Acacium episcopum, ut ageret cum imperatore, et fieret de Petro, quod Timotheus episcopus postulabat.

9. Sed nihil omnino perficere potuit.

10. Defuncto namque isto Timotheo, Johannes oeconomus officii candidatus, qui multis laudibus praedicabatur, catholicus episcopus a catholicis est ordinatus. Qui quum ad apostolicam sedem synodica scripta misisset, superveniente Uranio quodam ab Acacio destinato et contra Johannem jam episcopum quaedam falsa defente, qui etiam de restituendo Petro mentionem faciebat, tunc ab episcopatus ejusdem Johannis confirmatione papa suspensus est, eo quod scripta ejus, quae totiens ad Acacium propter Alexandrinae ecclesiae quietem direxerat, nihil omnino proficerent.

11. Dum haec agerentur, supervenit idem Johannes episcopus, qui sicut decebat ab apostolica sede susceptus est, cujus etiam adventus plenius universa patefecit. Quid multa? Dum Acacii scripta legeremus, quae de Petro et Johanne Antiochenis ad papam miserat, excessus Acacii etiam in hac causa gravissimus deprehenditur.

12. Denique memoratus Petrus Johannem quemdam ordinavit

Digitized by Google

Apamenis episcopum, a quibus non receptus venit Antiochiam et Petrum etc. [u. i. l. e.].

13. Postquam ergo sanctus Felix papa litteras praedecessoris sui nihil profecisse cognovit, et ludibria quaedam ab Acacio fieri in eversionem totius ecclesiasticae disciplinae, tunc Vitalem episcopum Troentinum ex regione Picena et Misenum Cumanae ecclesiae episcopum ex regione Campaniae direxit, ut Petrus de Alexandrina pelleretur ecclesia, et ut libello sancti Johannis episcopi Alexandrini responderet Acacius, atque ipsi denuntiaretur Acacio, ut anathema Alexandrino diceret Petro. Porro idem legati professi sunt. Qui licet hostili modo in custodiam detrusi chartas amiserint, tamen perfidis haereticis atque damnatis accommodare non debuerant, quae sola negari potuit, voluntatem. Non solum ergo non egerunt quae jussa sunt, sed etiam haereticis communicaverunt confirmatione Petri, ad quem pellendum missi fuerant. Acacius namque contumelias in episcopum Johannem direxit. Quibus omnibus patefactis beatissimus Felix papa commotus habita synodo Vitalem et Misenum ab officio et communione suspendit, Acacium vero damnavit. Cujus postea audacia deteriora committens etiam illum Petrum Antiochenum ejecto catholico Calendione, quem ipse ordinaverat, ad Antiochenam misit ecclesiam.

Tractatus I.

(Ex editione Ballerinlorum.)

1. (4.) Postea quam Dioscorus Alexandrinus episcopus pro facti sui qualitate, id est, quia consenserat Eutycheti haeretico et damnaverat Flavianum episcopum catholicum Constantinopolitanum, apud Calchedonam tam a principe sanctae memoriae Marciano, quam ab aulicis potestatibus vel cuncta synodo damnatus est, Proterius catholicus fit sacerdos. Tunc Timotheus presbyter, cui cognomen erat Aelurus et Petrus diaconus, sectatores Dioscori, ab Alexandrina ecclesia se separaverunt. Quos quum Proterius episcopus ad ministerium proprium revocare non posset, utrumque damnavit. Mortuo principe Marciano, collectis turbis haereticorum Timotheus et Petrus veniunt Alexandriam, et ordinatur ab haereticis Timotheus episcopus. Duo igitur apud Alexandriam episcopi coeperunt esse. Ante triduum Paschae, quo coena Domini celebratur, conductis ab his perditis occiditur in ecclesia sanctae memoriae Proterius, ad quam se timore contulerat; ibique sapradicto die in baptisterio occiditur, laniatur, ejicitur, et funus ejus incenditur, cineresque ipsius exsparguntur in ventos.

2. (5.) Interea Leo sumit imperium, ad quem tanti facinoris catholicorum querela pervenit: contra quos haeretici supplicaverunt,

Digitized by Google

petentes, ut Calchedonensis synodus aboleretur, e contra illi vindictam sceleris postulantes. Considerans imperator nimis esse grave, vexari tanto itinere sacerdotes, quorum aut aetas aut infirmitas aut paupertas hunc laborem subire prohibebat, dirigit per totum Orientem magistrianos, dirigit et Anatolius episcopus Asclepiadem diaconum suum, per quos omnes illi episcopi, qui Calchedone fuerant congregati, quid Alexandriae gestum sit, agnoscerent. Qui omnes rescripserunt Calchedonensem synodum usque ad sanguinem defendendam esse, quia non alteram fidem teneret, quam synodus Nicaena constituit; Timotheum vero non solum inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari. Quo facto fit alter Timotheus episcopus Alexandriae. Vix ille Timotheus pellitur et mittitur in exilium Chersonam, fugit et Petrus haereticus.

3. (6.) Quamdiu ergo vivit imperator Leo, Timotheus episcopus Alexandriae vixit quiete. Sed quum Basiliscus occupasset imperium, damnare coepit Calchedonensem synodum et fugare catholicos. Tunc ille Timotheus damnatus accepta libertate Constantinopolim venit, et damnatos haereticos locis suis reddidit. Vadit Alexandriam, fugit Timotheus catholicus, et in monasterio latuit, Petrus ille iterum se Timotheo junxit, cum quo fuerat ante damnatus.

4. (7.) Redit Zeno imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, ut pulso pervasore Timotheo Timotheus catholicus redderetur ecclesiae. Sed illo Timothéo damnato morte praevento, Petrus ab uno haeretico Alexandrinus episcopus ordinatur, quem nihilominus dejici jussit imperator et reduci Timotheum catholicum, sicut etiam Acacii litteris continetur.

5. (8.) Intera scribit ad sanctae memoriae papam Simplicium Timotheus catholicus, rogans et dicens, Petrum olim in diaconio esse damnatum, nunc etiam a Christiana societate remotum, ut scriberet imperatori, ut eumdem Petrum longius in exilium dirigeret: quia latebat in Alexandrina civitate et insidiabatur Ecclesiae. Per triennium ergo ferme et amplius sanctae memoriae papa Simplicius numquam destitit scribere Acacio episcopo, ut fieret de Petro quod Timotheus episcopus postulabat.

6. (10.) Defuncto ergo Timotheo episcopo, catholicis Johannes catholicus episcopus ordinatur. Mittit Johannes episcopus synodicam suam. Supervenit etiam Urbanius subadjuva contra Johannem episcopum sacra principis deferendo, ut ab episcopatus illius confirmatione se papa suspenderet. Et quia in iisdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnaverat, fecerat mentionem, haec pars est omnino abnegata: unde visus est imperator offensus.

7. (12.) Addidit etiam Acacius: illo tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulit, etiam de Petro et Johanne Antiocheno sic scripsit: Petrum apud Constantinopolim monasterium gubernasse,

Digitized by Google

sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiam fugisse; ibi pulso Martyrio catholico episcopo per vilissimum populum et haereticos sedem ipsius occupasse, continuoque damnatum ab episcopis atque a Leone imperatore Oasam deportatum: qui fugiens rediisse dicitur Constantinopolim et dedisse fidem, ut compulsis ulterius turbis nihil facere auderet. Sed, sicut superius dictum est, Basilisci temporibus a Timotheo illo damnato, qui Constantinopolim venerat, ad Antiochiam remissus est, ut iterum illic episcopatum teneret. Quo facto idem ipse Petrus Johannem, de quo diximus Acacium retulisse, ordinat Apamenis episcopum. A quibus non receptus redit Antiochiam, et Petrum episcopatus sui pellit auctorem et invadit ejus ecclesiam. Quos simul damnatos iterum dicit Acacius, petens apostolicam sedem, ut si ad eamdem forte confugerent, ne ipso quidem haberentur digni adspectu, et si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum poenitentiam recipiendam esse. Quid multa? Hunc ipsum Johannem, quem Acacius cum Petro damnaverat et sine poenitentiae remedio fecerat ab apostolica sede damnari, post tot damnationes Tyriorum misit ecclesiae praesidere.

8. Nam quod dicit Acacius Petrum illum Alexandrinum oblata petitione Eutychianam haeresim vel Nestorianam damnasse, hoc evidenter probatur esse falsissimum. Nam quae causa fecit, ut in episcopatu suo synodo Calchedonensi vel tomo sanctae memoriae papae Leonis diceret anathema? Quae causa fecit, ut sublato nomine Proterii vel Timothei catholici Dioscori et Timothei haeretici nomen adscriberet? Quae causa fecit, si catholicus erat, ut Timothei catholici corpus desub terra levaret, qui inter episcopos catholicos sepultus fuerat, et projiceret foras? Ipse non est Petrus, qui damnato Timotheo haeretico semper adhaesit? Quomodo postea Acacius miris eum laudibus prosequitur, de quo ante tanta se crimina meminerat retulisse?

Tractatus II.

De damnatione nominum Petri et Acacii.

Simplicii Felicisque ac ipsius Acacii scriptis demonstrat, Petri et Acacii nomina de Ecclesia esse auferenda (n. 1—5), ad quod faciendum jam propriae inducat conscientiae periculum (n. 6). Deinde nec Petrum antea purgatum nec ab Acacio absolutum ostendit (n. 7—8); unde denuo conscientias omnium constringit, ne quis hoc obtentu Ecclesiam et vinculum unitatis scindere praesumat (n. 9—10). p. 78

Simpl. epist. 18. 1. Ex epistola Simplicii papae ad Acacium: *Illud,* inquit, *me non mediocriter facit attonitum, quod iisdem litteris suis* et reliqua usque ad *haereticarum mentium crescit funesta damnatio et catholicorum miseranda captivitas.* [vide supra pag. 209—211 Simplicii epist. 18 n. 3].

Digitized by Google

2. Ex epistola Felicis papae ad Zenonem imperatorem: *Ubi esse*, inquit, *jam consequens procul dubio pervidetis, Alexandrinae ecclesiae pervasorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris praeceptionibus, quibus merito dudum probatur ejectus, esse nihilominus addicendum. An non ipse est, qui per triginta annos catholicae desertor Ecclesiae inimicorumque ejus sectator et doctor, et ad fundendum sanguinem semper velox fuit et promptus? Numquid adhuc et istam dissimulationem quadam sumus ex conhibentia recepturi? In quo revera non est opus discussione subtili, quia ejus aperta sunt crimina.* Fel. II ep. 1 n. 12.

3. Multa similia in diversis epistolis eorum diligens lector, si requirat, inveniet. Praetermitto jam scripta et admonitiones papae Simplicii, quae plerique vilia aestimant et judicant contemnenda. Illud consideremus attentius, quod de eodem Petro, tunc quum adhuc sanum forte saperet, judicarit Acacius, qualemque de eo sententiam ad apostolicam sedem dixerit.

Domino sancto, et beatissimo patri, archiepiscopo Simplicio Acacius. Sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes, et reliqua usque ad *multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum.* [vide Simplicii epist. 8]. Simpl. epist. 8.

4. Ecce testimonium Acacii validissimum, quid de Timotheo, quid de Petro senserit. Vere enim, sicut scriptum est in evangelio de Caipha illo pontifice, evenit Acacio. Dicitur enim de illo, quia quum esset princeps sacerdotum anni illius, de Domini dixerit passione: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, ut non tota gens pereat.* Et subjungit evangelista beatus Johannes: *hoc*, inquiens, *a semetipso non dixit, sed quum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit.* Ita et hic, quum in summi esset sacerdotii dignitate locatus, (utrum volens an invitus, dubitare quippe nos ejus varietas et inconstantia fecit,) verissimam de inimicis Dei tulit sententiam. Quam si servare voluisset, procellam, quam ab Ecclesia veraciter depulerat, rursus in Ecclesiam ipse non revocasset, et de quo dixerat, *tace et obmutesce*, rursus Petri[1]) personam loqui in Ecclesia minime permisisset: quem *similiter procellam a sancto Spiritu dissipatam* esse praedixerat, quemque *filium noctis* assseveraverat, et quem *ab opere luminis alienum amantemque tenebras latronum operibus* Joh. 11,50. Marc. 4,39.

[1]) Legendum videtur *in persona Petri.* Respicit enim Gelasius ad haec, quae Acacius ep. 8 ad Simplicium n. 1 de Timothei Aeluri morte scripserat: *Et Timotheum quidem de Chersone spirantem procellas et ecclesiasticam tranquillitatem sicut apparuit conturbantem* (Christus) *vitae subduxit humanae, dicens ei: „tace et obmutesce."* Timotheus autem loquente Petro, qui doctrinae ac facinorum ipsius socius et particeps semper fuerat, loqui censebatur. Hoc igitur sibi vult: *et Timotheum, de quo scripserat, dictum ei esse a Christo: „tace et obmutesce", rursus in persona Petri loqui etc.* [a³]

Digitized by Google

congruas esse narrabat, qui falsum sacerdotii nomen ab eo[2]), qui *paternos*, ut ipse ait, *canones subverterat*, artibus dolosis sibi ipse imposuerat. Hic Petrus, de quo beatae memoriae Timotheus catholicus, ut ipse dixit, *paternorum custos canonum*, Alexandrinae quondam ecclesiae pontifex, ad sedem apostolicam multa retulit deteriora quam superius continentur, asserens specialiter et affirmans inimicum fidei, inimicum Calchedonensis[3]) synodi per omnes exstitisse infelicitatis conatus.

5. Quid igitur nobis faciendum est? Non credimus tot et tantis tantarum sedium sacerdotibus[4]), qui omnes uno ore, uno consensu publicam et feralem humanae salutis bestiam Petrum esse dixerunt, in cujus se communione perniciosa conjunctione suadente daemonico spiritu infeliciter sociaverat Acacius, male rursus aedificans quod bene destruxerat? Nec opus plura hinc dicere, quum timentibus Deum et formidantibus diem judicii et Ecclesiae unitatem diligentibus satis aperteque causa sit clara. Haec enim sola ratio est, quae unitatem dividit et concordiam dissipat, quia quamdiu praevaricatorum nomina de Ecclesia non auferuntur, pacis vinculum nullatenus redintegrare permittunt. Si enim licet sectatorum vel communicatorum Eutychetis, ut fuit ejus sectator Petrus et communicator Acacius, in Ecclesia nomina recenseri, cur de sectatoribus et communicatoribus Arii vel ceterorum haereticorum simili sorte non liceat? An minoris impietatis et perfidiae Eutyches fuisse putatur quam Arius? Nemo hoc quidem sani capitis audebit dicere. Si ergo par est impietas, par sit et utrorumque detestatio: ne si semel talis fuerit intromissa licentia, omnibus exinde omnia liceant. fiatque, quod absit, tam passiva rerum confusio atque commixtio, ut nulla inter mundum et immundum sit secundum prophetam certa discretio.

Ezech. 22, 26.

6. Non est quidem nostrae humilitatis de totius orbis dissen-

[2]) Acacio ipso teste epist. 8 ad Simplicium, necdum tumulato Timotheo Aeluro Petrus in Alexandrinam invasit *sedem, uno et solo praesente et eo, qui consors illius insistebat insaniae.* Cui concinit non modo Gelasius tract. 1 n. 7, sed et Theophanes chronogr. pag. 194, ubi scribit: *Hic ab uno episcopo eoque pariter deposito consecratur:* Evagrius vero h. e. III, 20 Aegyptiorum ad Felicem memorat litteras, in quibus *Petrus a duobus solum episcopis eamdem cum illo haeresim profitentibus creatus dicebatur.*

[3]) Calchedonense concilium a Petro publice anathematizatum fuisse Evagrius h. e. III, 16 et Liberatus breviar. cap. 18 tradunt.

[4]) De Timotheo Aeluro, quocum Petrus Mongus semper conjunctissimus fuit, testimonium hujusmodi dederunt orbis episcopi in encycliis epistolis ad Leonem Augustum. Ambos conjungens, Symmachus papa epist. 13 n. 2 vocat eos Eutychis ac Dioscori *vernulas*, sed *auctores et magistros suos saevo errore vincentes.* Quo dicto subjicit: *Illum Timotheum loquimur parricidam*, ac proxime addit: *cujus Petrum sequacem notum fecerunt orthodoxorum plurimae passiones.*

Digitized by Google

sione ferre sententiam; est tamen nostrum de propria salute esse sollicitos quoniam unusquisque pro se rationem redditurus est ante illud tribunal judicis et regis aeterni, in quo etiam de verbo otioso minimoque quadrante sumus nostrorum rationem actuum praestituri. Unde et optamus, qualiacunque et quantacunque super nos importaverit inimicus, tolerare discrimina in saeculo praesenti, tantum ne causas incurramus mortis aeternae. 2 Cor. 5,10. Matth. 12,36 et 5,26.

7. Sed dicitur de Petro, quamquam sine approbatione dicatur, praesertim de homine *perspicacissimo, qui per triginta[5]) annos famosus expugnator fuerat veritatis, quod poenitentia acta susceptus sit in Ecclesia. Nunquam igitur per triginta annos agere potuit poenitentiam, nisi tunc quum episcopatus amore et ambitionis ardore fervebat? O rem monstro simillimam, ante illum potuisse locum suum sacerdotii obtinere, quam posset vel brevi pro tam immani crimine poenitens videri! *Sed solvit illum*, inquit, *auctoritate sua prius Acacius, et sic suscepit.* Utinam seipsum miserrimus omnium secumque quamplurimos non aeternae mortis compedibus alligaret! Qui quum superbissimo praeflatus spiritu thronum[6]) humilitatis altius efferre conatur quam decuit, et praesumptionibus suis aditum undecunque conquirit, simulque per fas et nefas calcat et transit inviolabilia statuta sanctorum: cum ipso, quem imitatus est, auctore superbiae in profundissimam ruinam dejectus, id dereliquit Ecclesiae, unde lugerent pacifici fidelesque et humiles flerent. Si enim ille modum temperata potestate servasset, nec Petrum haereticum, nullo regulari ordine absolutum, pro ejus audaci temeritate in sua societate hodie Ecclesia suspiraret assumptum, nec caritatis, quae omnium virtutum est perfectio, et sine qua secundum apostolum inania sunt universa quae facimus, tanta filii pacis dispendia paterentur, nec mordendo invicem consumerentur invicem. * f. *pervicacissimo.* 1 Cor. 13, 1 seq.

[5]) Ab anno 453, quo Proterius Alexandriae renuntiatus est episcopus, is Petrus adhuc diaconus una cum Timotheo Aeluro tunc presbytero sese ab Ecclesia separasse in Gelasii tract. I n. 5 dicitur. Anno autem 467 caedis Proterii et tumultuum in Alexandrina ecclesia excitatorum non infimus actor fuit. Quocirca etiam ante annos triginta ab eo tempore, quo istud scribebat Gelasius, veritatis impugnator exstitit.

[6]) Episcopalem quamcunque sedem *thronum humilitatis* intelligere possumus, quia quanto quis extollitur altius, tanto eum humilius demittere se decet. Sed ad litteram notare videtur Gelasius Constantinopolitanum thronum ut *thronum humilem*, qui Heracliensi subjiciebatur metropoli. Unde et ab ipso epist. 26 n. 4 *Heracliensis ecclesiae paroecia* nuncupatur. Ambitione autem elatus Acacius antencyclicis Basilisci litteris (apud Evagrium h. e. III, 7) inseri curaverat: *Provincias quoque, quarum ordinationem sedes hujus regiae et gloriosae urbis habuerat, reverendissimo ac sanctissimo patriarchae et archiepiscopo Acacio restitui jubemus.* Atque ambitioni suae Romanos praesules intercedere non desistere impatienter ferebat.

Digitized by Google

8. Sed quolibet modo dicatur Petrus esse susceptus, apparet tamen eum fuisse haereticum, qui poenituisse pro perversitate defenditur, et quod pravus et infidelis fuerit et de Ecclesia ecclesiastico jure projectus, ambigi dubitarique non potest. Sed concedamus paulisper poenituisse eum, quod nullatenus verum est; videndum ergo est, quomodo, id est utrum qui ordine competenti regulari severitate excisus et exstirpatus est, poenitens recte et consequenter receptus sit. Sed nunquam docebitur, nunquam monstrabitur, nunquam omnino probabitur ejus purgationem fuisse legitimam, quae non est competentibus regulis celebrata. Secundae enim sedis antistitem nec expellere quisquam nec revocare sine primae sedis assensu vel potuit vel debuit. Nisi forte confuso jam ordine rerum atque turbato, nec prima nec secunda nec tertia sedes debeat observari vel suscipi secundum antiqua statuta majorum[7]), et sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud, quod de populo scriptum est Israel: *In illo tempore non erat dux in Israel: unusquisque quod placitum erat in oculis suis faciebat.* Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum[8]) est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: *Tu es Petrus, et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris vel solveris in terra, erunt ligata vel soluta in coelo.* Et rursus ad eumdem: *Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando convertere, et confirma fratres tuos;* et illud: *Si amas me, pasce oves meas.* Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui[9]) sancti et beati apo-

Jud. 21,24.

Matth. 16,18 sq.

Luc. 22,32.

Joh. 21,17.

---

[7]) Nicaenorum videlicet patrum, qui Alexandrino antistiti, non Constantinopolitano, secundum in Ecclesia locum adjudicarunt.

[8]) Sirmondus *defendendum;* sed *deferendum* subnexa manifeste postulant. Respicit hic Gelasius ad Nicaenum canonem 6, quem Romani pontifices, ut etiam nunc in nonnullis veteribus libris exstat, legere sic solebant: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Aegyptus Libyae et Pentapolis primatum, ita ut episcopus Alexandriae horum omnium habeat potestatem, quoniam et episcopo Romano haec est consuetudo.*

[9]) Gelasius s. Cyprianum imitatur, qui lib. de unit. Ecclesiae aliquanto post initium ait: *Quamvis* (Christus) *apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una demonstretur.* Similiter s. Hieronymus adv. Jovinian. I, 14.

Digitized by Google

stoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? *Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio,* et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur. Qua ratione, sicut dixi, majores nostri, reverendi illi ecclesiarum magistri clarissimaque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam sedem, quam princeps apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia repleti Christi caritate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes? Ut per hanc speciem omnibus appareat, vere unam esse per omnia et indissolubilem Christi Ecclesiam, quae concordiae vinculo mirabilique caritatis textura composita, sola et indivisa per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi, qui Dominum crucifixerunt, dividere ausi fuissent.

1 Cor. 10, 17.

Joh. 19, 24

9. Quae nunc si propter perfidiam Petri, Acacii tyrannicam superbiam impiamque praesumptionem ejus violatur atque conscinditur, videte et sapienter expendite, in quam grave periculum nostra deducitur conscientia, dum tanta majorum solvitur observantia. Quis enim non agat quodcunque libuerit, si semel in consuetudinem corruptus ordo pervenerit? Si autem hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima observatione teneatur haec forma majorum, quum sit in hoc observationis tenore ineffabilis indubitataeque unitatis evidens et grande mysterium? An duae sunt Ecclesiae et duo pastores? Absit! Unus est enim, *qui fecit utraque unum,* tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri et Acacii nomina rursus inimica sepis intexitur, quam semel Christi crux, mors et sanguis destruxit, solvit et evertit? Non ergo dividat eos interpositum Petri et Acacii nomen, quos tanti mediatoris pretiosus sanguis univit!

Eph. 2, 14.

10. Postremo aequum est, ut qui alios libenter et competenter vultis habere subjectos, cedatis et ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti. Quumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et

Matth. 16, 19.

Digitized by Google

aeterna statione gaudebit, qui vero contempserit, ipse videbit, qualia genera excusationum in die obtendat judicii. Me enim credo,
Rom. spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate nec tribulatio nec
8, 35. angustia nec gladius nec persecutio nec vita nec mors unquam poterit separare. Incumbat persecutio, saeviant leges, miliți Christi gloriosius est mori quam vinci, fraudari praesentium commodis melius, quam carere futuris!

Tractatus III

seu

Golasii episcopi Romani de duabus naturis in Christo adversus Eutychem et Nestorium.

Contra Eutychem et Nestorium auctor perfectam plenamque utriusque naturae unitionem in ipso conceptu statuendam esse praemonet (n. 1—3). Illorum pravis placitis autem omnino incarnationis mysterium resolvi, tolli aut humanitatem aut divinitatem adeoque ipsam redemptionem, explicat (n. 4—6). In quo quidem Eutychem et Nestorium sibi invicem concinere pergit (n. 7), sed adversari prorsus Scripturas sacras (n. 8). Deinde pro catholico dogmate et locis scripturae sacrae recte intelligendis similitudinem humanae naturae ex anima et corpore adunatae (n. 9—13 sicut sanctissimi eucharistiae sacramenti (n. 14) adducit. Refellens denique quae haeretici ex apostoli Pauli verbis false concludebant (n. 15), syllogen locorum ex patribus sumptorum adnectit (n. 17—40).

1. Necessarium quoque fuit, ut, quia multos de incarnationis Dominicae sacramento recens altercatio vel causa perstringit, hoc est nostri deitate pariter et humanitate profitenda veraciter Salvatoris, in quantum clementer idem reserare dignatur, fidei rationique convenientia promerentur; praecipue quum repererit, quantum ad nos perlatum est, puerile commentum perniciosa calliditas, quo se velut necessarium providisse judicet argumentum, ut quolibet ingenio unam competenter existimet in Reparatore generis humani profiteri nos debere substantiam: pronuncians ridenda versutia contra Eutychianos, qui unam praedicant in nostro Redemptore naturam. duas a nobis merito proferendas, contra autem Nestorianos, qui dividunt naturas[1]), in eodem Domini sacramento unam nostra con-

[a³] [1]) Colonienses theologi e regione hujus loci notant, vel pro *naturas* legendum esse *personas*, vel *naturam* pro *persona* impropria locutione hic usurpari. Neutrum illis largiendum. Nam nisi naturae vocabulo usus esset Gelasius, nullus fuisset Eutychianorum sophisticae argumentationi locus; sed neque impropric loquitur. In hoc enim proprie Nestorii erat error, quod duas Christi naturas *divideret*, ex quo et id consequens erat, ut duas in eum induceret personas. Apposite Leo epist. 119 n. 2 utrumque explicat his verbis: *Catholica fides evidenter atque perspicue et Nestorium anathematizat, qui Verbi carnisque naturam* (non ait *personam*) *in beatae Virginis conceptione sejungens unumque Christum in duas dividens, aliam deitatis et aliam humanitatis voluit esse personam.* Uno verbo hoc invicem Nestoriani Eutychianique dissidebant, quod hi naturas Christi con-

Digitized by Google

fessione promendam. Quapropter nimis sollicite praecavenda est haec insidiosa perversitas, quae nec fidei veritate nec rerum ratione consistit, et noxia subtilitate molitur in Restauratore nostro quibuscunque modis unius intelligentiam definire naturae.

2. Nam quum pari blasphemia utraque pestis insaniat, in conceptu[2]) scilicet Virginis sacrae atque ipso primordiali vel initiali Domini Salvatoris exortu, qui in visceribus intactae matris cessante terreni patris officio divina sumpsit operatione principium, materiam conditionis humanae de substantia genitricis instituens, et unitionem divinae potentiae dignatione suae majestatis impertiens, ut utriusque naturae ineffabiliter unitio ab ipso suae conceptionis exortu mirabiliter ac potenter exsisteret: nec in sanctae Mariae prorsus internis istius sacramenti quicquam vel praecesserit vel post secutum fuerit institutum, sed hujus magis simul effectum mysterii conceptus ipse praevenerit, nec illic aliqua praeveniente substantia perfectio unitionis accesserit, sed ab unitione perfecta potius utriusque substantiae fuerit inchoatum. Sicut Angelus dicenti venerandae Virgini, quum de gloriosa sobole futura cognosceret: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et *ex te nascetur* ait, ut proprietatem de matre sumendam nostrae conditionis exprimeret; et *sanctum*, quoniam sine contagione carnalis concupiscentiae gigneretur; et *vocabitur Filius Dei*, ut simul humanae divinaeque naturae hac conceptione, sicut dictum est, mirabiliter uniendum proderet sacramentum, secundum quod scriptum: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Malens[3]) Spiritus Dei dicere, *Verbum carnem factum*, quum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum, dummodo principalis unitionis naturaliter in eodem divinitatis humanitatisque significaret pressius veritatem; quum scilicet appareret ipsum Ver-

Luc. 1, 34. 35.

Joh. 1, 14.

---

funderent, illi dividerent. Ex eo vero, quod Catholici duas divisas negarent, arguebant Eutychiani, eos igitur unam credere debere; quod non inde consequitur, quia fides inter utrosque media duas quidem, sed indivise unitas credit.

[2]) Quo nimirum beata Maria Salvatorem concepit, circa quem maxime Nestorius et Eutyches errabant. *Nam ille*, inquit Leo serm. 8 de nat. Dom. c. 5, *beatam Mariam virginem hominis tantummodo ausus est praedicare genitricem, ut in conceptu ejus et partu nulla Verbi et carnis facta unitio crederetur, quia Dei filius non ipse factus sit hominis, sed creato homini sola se dignatione sociaverit. Eutyches vero*, ut prosequitur ibidem Leo, *unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dicit effectum, ut ex duabus naturis una remaneret, nullatenus alterius exsistente substantia, quae ubique finiri, nisi aut consumtione aut separatione non posset.* Vide ejusdem Leonis epist. 35 n. 3 et epist. 102 n. 3, nec non Flaviani epistolam 26.

[3]) Grammaticae leges postulant *malente Spiritu;* sed alibi etiam Gelasius eas in similibus locis spernit.

Digitized by Google

bum, in utero matris Virginis operans, ex eadem susceptae sibimet tuendae substantiae foecunditatis illius excitasse conceptum[4]).

3. Quum, inquam, haec de Domini nostri conceptione, quae[5]) licet nullatenus valeat explicari, pie tamen hac professione credenda sit, Eutychiani dicunt, unam esse naturam, id est divinam, ac Nestorius nihilominus memorat singularem, id est humanam: si contra Eutychianos duae a nobis asserendae sunt, quia unam depromunt, consequens est, ut etiam contra Nestorium unam dicentem non unam, sed duas potius ab exordio sui unitas exstitisse procul dubio praedicemus: contra Eutychen, qui unam, id est solam divinam, conatur asserere, humanam competenter addentes, ut duas, ex quibus illud sacramentum singulare constat, illic permanere monstremus: contra Nestorium vero, qui similiter unam dicit, id est humanam, divinam nihilominus subrogantes: ut pari modo duas contra ejus *unam*[6]) in hujus mysterii plenitudine primordialibus suae unitionis effectibus exstitisse veraci finitione teneamus, atque utrosque diverso modo *singulas* garrientes, non eorum quemquam de una tantummodo, sed ambos de duarum naturarum, humanae scilicet et divinae, a sui principio sine confusione qualibet atque defectu unita proprietate permanente vincamus.

4. Quamvis enim unus atque idem sit Dominus Jesus Christus, et totus Deus homo et totus homo Deus, et quicquid est humanitatis, Deus homo suum faciat, et quicquid est Dei, homo Deus habet: tamen ut hoc permaneat sacramentum nec possit ex aliqua parte dissolvi, sic totus homo permanet esse quod Deus est, totus[7])

[4]) Forte *unitatem* vel *unitionem*, quam conjecturam, quae sub finem numeri 7 lecturi sumus, firmabunt. Certe obscurum non est, hoc ibi Gelasium docere, quod Leo epist. 28 cap. 2: *Aedificante sibi Sapientia domum Verbum caro factum est;* quod Hieronymus epist. 61 adversus errores Johannis Hierosol: *Ipse est Dei virtus et Dei sapientia, qui in utero Virginis aedificavit sibi domum;* quod Hilarius in psalm. 138 n. 15: *Et nescio, an quod formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, ut formatus ab ipso sit; Sapientia enim ipsa aedificavit sibi domum:* quodque alii patres tradunt, qui verba angeli „*Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*" de operatione Verbi corpus sibi e Virginis substantia aptantis interpretantur. Praeterea ibi confirmare videtur Gelasius, quod Leo epist. 35 cap. 3 ex Augustini libro contra sermon. Arian. c. 8 verba sua mutuatus tradit: *Natura quippe nostra non sic assumta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumtione crearetur.*

[5]) Nitidior esset hic locus, si ita legeretur: *Quum haec de Domini nostri conceptione, licet haec nullatenus valeat explicari, pia tamen hac explicatione credenda sint, Eutychiani dicunt.*

[6]) Id est: contra ejus assertionem, qua unam esse vult.

[7]) Particula *ut* hic desideratur. Unitatem personae in Christo simili loquendi ratione enunciant sancti patres, qui Nestorium et Eutychen praecesserunt. Hilarius de Trinit. X, 22: *Et quum ille ipse filius hominis sit, qui et filius Dei, quia totus hominis filius totus Dei filius sit.* Augustinus vero serm 293 n. 7: *Ipse Deus*

Digitized by Google

Deus permaneat esse quicquid homo est. Si aliquid, quod absit, vel divinitatis vel humanitatis inde decesserit, sequatur ineffabilis resolutio sacramenti, et quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas non etiam deitas perseverat, vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas non etiam humanitas unita permaneat. Nec glorificata videatur nostra conditio unitione deitatis sed potius esse consumpta, si non eadem subsistit in gloria, sed sola exsistente deitate humanitas illic esse jam destitit. Videbitur autem, quod abhorret animus dicere sed cogit necessitas non tacere, divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa conversa, vel sic est in deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietas ejus esse desierit. Si enim ex se ipsa ex toto jam non est, restat, ut accesserit adcreveritque deitati, sic in deitatis naturam scilicet transeundo, ut esse destiterit prorsus humanitas. Ubi modis omnibus divina substantia mutabilitatem recipere videtur: quae quum nec minui possit omnino nec crescere, transfusione humanitatis adjectae velut aucta videatur. Sin vero humana conditio nec in divinitatem transfusa subsistit, ne accessu sui hanc sentiatur hausisse[8]), nec in sui proprietate perdurat: nusquam prorsus resedisse cognoscitur, ac per hoc non sublimata sed abolita potius invenitur, atque ita indissolubile, quantum ad ipsos pertinet, resolvitur sacramentum.

5. Praeterea si in deitatem, ut putant, humanitate transfusa vel ex omni parte translata, desiit esse humana substantia, ergo humanitatis forma sine sui proprietate cessavit. Si dicunt, in nuda[9]) deitate humanae formae lineamenta constare, quid aliud quam Anthropomorphitas convincuntur inducere, quos dudum catholica talia somniantes damnavit Ecclesia? Nam si et substantia et forma hominis Jesu Christi hac transfusione consumpta est, quis est, quem vidit *ad dexteram virtutis stantem* sanctus Stephanus? Quis *hominis filius venturus est* ad judicandos *vivos et mortuos?* Quis erit, quem *videbunt, in quem compunxerunt?* Abolitum est omne mysterium, vacuatum est resolutumque, ut dictum est, quod absit, omne sacramentum, falsumque erit, quod ait ipse Salvator: *Palpate et videte,* Act. 7, 55. Matth. 16, 27. 2 Tim. 4, 1. Joh. 12, 37 et Zach. 12, 10. Luc. 24, 39.

Deus manet, accedit homo Deo, et fit una persona, ut non sit Semideus, quasi parte Dei Deus et parte hominis homo, sed totus Deus et totus homo. Vide Leonis epist. 124 imprimis n. 6.

8) Fortasse *taesisse* legendum. *Ed.*

9) Id moris est patribus, ut Dei filium *induisse* carnem dicant, quam assumsit. Quocirca et *nudam deitatem* vocant, quae carnem non habet sibi substantialiter conjunctam. Quo sensu Hilarius de Trinit. X, 51 ex placito quorumdam haereticorum, qui Christum Deum negabant, sequi dixit, *ut Verbum per exteriorem nudamque naturam hominem illum sola vita animae moventis animatum habitaverit.*

Digitized by Google

quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habentem. Et certe hoc post resurrectionem dixit: talis jam dixit, qualis cum discipulis *per quadraginta dies* conversatus est, *convescens* et cohabitans cum eis; talis dixit, qualis *ascendit in coelos*; talis dixit, qualis promissus est *inde esse venturus.* Aut legant ipsi, ubi posteaquam de illa professus est, fuerit immutatus, et aliter, quam se discipulis patefecit, ascenderit levatus in coelum; aut nos rectius ea sequimur, quae divinis voluminibus adstruuntur, non delirantium somnia et phantasmata vana sectamur.

Act. 1, 3,4.

6. Sed ajunt homines inepti, quo se putent vim manifestationis hujus effugere: *quomodo ipse voluit, sic humanam sublimavit magnificavitque naturam.* Plane *sicut ipse voluit*, sicut per prophetas suos ante praedixit, sicut per apostolos suos, per evangelistas Ecclesiae suae voluit intimari. Quapropter, ut dictum est, ab exordio istius sacramenti sacras paginas revolvamus, quid de conceptu ejus edixerint, quid de partu, quid de una eademque persona Domini nostri Jesu Christi, simul Dei hominis et hominis Dei. Quid ante passionem de eodem vox divina pronuntiet, vel de se ipse testetur. quidve post resurrectionem nihilominus ipse perdoceat, qualis cum discipulis fuerit conversatus in terris, qualis in coelos ascenderit. quid de eodem ad coelos ascendente promissum sit, quid de eo nunc in coelis etiam constituto, quid de ejus adventu cuncta coelestia dicta pronuncient, et qualiter se vel intelligi voluerit vel nostra confessione depromi: Scripturis attestantibus audiamus, et competenter ejus simus in omnibus, qua se nobis insinuare dignatus est, voluntate contenti.

7. Sed jam diligentius vestigemus, si Eutychiani, qui se Nestorium refutare praetendunt, et propter hunc catholicis sensibus unam conantur subintroducere velle naturam, (quamvis hoc jam manifesta sit ratione destructum), si non ipsi quodam circuitu et occultis ambagibus, nescientes utique, quid loquantur neque de quibus adfirment, ad eumdem Nestorium volentes nolentesque rediguntur. Dicunt enim: *ante adunationem duae naturae fuerunt, post adunationem una facta est.* Quaero ab iis, quando velint dicere *ante adunationem*: si ante, quam[10]) incarnationis Dominicae mysterium proveniret, quis nesciat diversas esse naturas et ineffabiliter differentes: illam summam omnium naturarum, istam, etsi imaginem deitatis gerentem, tamen terrenae conditionis et infirmam? Nos autem de incarnationis sacrae ratione tractamus, non de istarum, quae nota est omnibus, distantia naturarum. Si *ante* ergo, quam hoc mysterium in

[10]) Non temere addimus *quam;* hanc enim voculam sola librariorum oscitantia omissam esse persuadet eadem sententia mox repetita. *Si ante ergo, quam hoc mysterium etc.*

Digitized by Google

utero Virginis gigneretur, nulla quaestio, nulla contentio est, duas esse naturas divinitatis et humanitatis longeque diversas. Nos autem, sicut dictum est, de mysterio loquimur Christiano, quod utique in utero Virginis matris est inditum. Proinde si illinc velint accipi, ante adunationem duas fuisse, in utero scilicet materno; ergo fuit ibi aliquod interstitium, quod ante adunationem sui istae naturae putarentur fuisse discretae[11]) et in adunationem postea convenisse. Redolet hic Nestorius. Utique[12]) ille dixit *in partu,* nudumque hominem disseruit procreatum, et postmodum in Deum fuisse provectum. Hoc isti hujus mysterii deprehenduntur sentire conceptum, si illic interstitium quantumlibet intervenisse dicatur, quo aliquid ante praecesserit, et aliquid postea sit secutum, ac non potius et ipse fuerit conceptus unitio, et ipsa primordialiter exstiterit unitione conceptus, atque in hujus unitionis effectu prorsus omne quod dicitur *antea* et *postea* sit remotum: quia non velut duae substantiae primitus exstiterunt, id est, ipsius humanae formae quae suscepta est, et deitatis quae suscepit, ut earum postea adunatio sequeretur, sed hoc ineffabile magnumque mysterium adunatione sit potius inchoatum et ipsa inchoatione hujus conceptionis unitum.

8. Jam vero si, ut ipsi delirant, adunatione una facta natura est, aut unius abolitio est, aut utriusque confusio. Quod utrumque fides catholica et ipsius veritas sacramenti non recipit, testificantibus, ut dictum est, editis divinitus paginis. Quibus sicut a principio sui et duarum naturarum hac unitione conceptus est, et conceptio Virginis hac eadem divinitatis pariter et humanitatis unitione perfecta processit, ita et in hoc mysterio permanentibus utrisque[13]) naturis, et sacer partus evenit et omni tempore, quo in hoc mundo Redemptor noster esse dignatus est, Deus simul et homo proprie permanens, veraciter id exsistendo signis competentibus apparuit, dictis factisque conspicuus. Sic ad passionem, quam pro nobis est suscipere dignatus, accessit, sic post resurrectionem curiosis etiam se non est dedignatus declarare discipulis, talisque ascendit in coelum, atque ita inde promissus est esse venturus, et in utraque natura etiam nunc coelo positus apostolica praedicatione firmatur exsistere. Quis audeat non minus sacrilega mente, quam imperitis blasphemiis mortiferaque dementia unam dicere post adunationem factam fuisse naturam? Quum totius Scripturae salutaris eruditionibus instruamur, et duas unitas fuisse conceptu[14]), et sub una

[11]) Illud *discretae* perinde est atque *non unitae.*

[12]) Planior erit oratio in hunc modum: *Ubi quod ille dixit in partu (factum, quo merum) nudumque hominem asseruit procreatum, hoc isti de hujus mysterii* (sc. incarnati Verbi) *deprehenduntur sentire conceptu.*

[13]) Editi *utriusque.*

[14]) Editi *conceptum.*

Digitized by Google

eademque persona Domini nostri Jesu Christi totius Dei hominis, et totius hominis Dei duas in suis proprietatibus incontaminata generatione prolatas, et easdem proprie permanentes in conversatione mundana fuisse manifestas, et in omnibus, ut saepe jam dictum est, sine defectu alterius utramque persistere: in utraque unum eumdemque Dominum Jesum Christum, totum Deum hominem et totum hominem Deum, sine sui confusione, sine ulla divisione, quam conditio possit quaecunque perstringere, sine privatione vel defectione cujusquam, ex iis proprie vel in iis veraciter manere, ex quibus vel in quibus unus et perfectus et verus est Christus, et sine quibus vel sine qualibet ex iis, id est sine humanitate seu deitate, nec perfectus nec unus nec verus est Christus tempore conceptus.

Joh. 1, 14. Dictum est: *Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis.* Tempore vero partus legimus: *Emmanuel esse natum.* Sic angelos cecinisse gloriam Dei, sic nunciasse pastoribus Filium Dei natum, sic magos ab Oriente Bethlehem petiisse et[15]) quem novo sidere genitum cognoverant, adorare, ut tamen veraciter puerum pannis involutum, praesepio positum, veraciter materno gremio gestatum, quum eum magi oblatis muneribus adorarent, humanae substantiae et nostrae naturae conditionis exortum, sicut evangelica voce depromitur, sic Ecclesiae catholicae professione credatur. Ita deinceps pariter hunc eumdem Dominum Jesum Christum et Deum explesse quae humana sunt, et hominem gessisse quae divina sunt, ut in utroque hunc eumdem unum veraciter exsistentem omnis confessio Christiana concelebret. Sic ad passionem venisse, ut et Deus et homo verus sit crucifixus, et in cruce pendens latroni homo Deus verus patefecerit atria paradisi, atque elementa cuncta commoverit: ut Deum *hominem* verum mortuum, sepultum, ut hominem *Deum* verum se ipsum suscitasse post triduum; ut hominem *Deum* clausis januis coram discipulis constitisse, ut Deum *hominem* manus suas et pedes, carnem ossaque monstrasse discipulis; ut Deum *verum hominem* quadraginta diebus ita discipulis fuisse conspicuum, ut hominem *Deum verum* sic in coelo esse sublatum, sicque inde pro-missum esse venturum Deum. Sic hominis filium a dextris stantem Dei beato Stephano martyre testificante conspectum, sic in coelestibus constitutum beato Paulo praedicante monstrari, quum ait: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Sic inde veraciter Deum hominis filium sedentem in nubibus coeli venturum ad judicandos vivos et mortuos. Quibus omnibus testimoniis manifestissime declaratur, in utrisque naturis, ex quibus vel in quibus conceptus, editus, nutritus et conversatus in mundo est et elevatus ad coelum,

Luc. 23, 43.

Joh. 20, 19 et 20.

Act. 1, 3. 4.

Act. 1, 11.

Act. 7, 55.

Col. 2, 9.

Matth. 16, 27 et 24, 30.

[15]) Edit. Paris. *ut quem.* Praeferimus cum Colon. *et quem.* Legendumque videtur postea *adorasse* non *adorare.*

Digitized by Google

unum atque eumdem manere Dominum Jesum Christum; qui in utroque unus atque idem veraciter Deus homo et homo Deus manere non possit, nisi utraque natura, in qua id permanet, veraciter permaneret: ut iisdem naturis veraciter permanentibus, ex quibus vel in quibus unus atque idem verus homo Deus et Deus homo verus exsistit, idem semper homo Deus verus et Deus homo verus ipse permaneat.

9. Adhuc autem etiam illud adjiciunt, ut sicut ex duabus rebus constat homo, id est ex anima et corpore, quamvis utriusque rei sit diversa natura, sicut dubium non habetur, plenitudinem[16]) tamen usus loquendi singulariter pronunciet, simul utrumque complectens, ut *humanam* dicat *naturam* non *humanas naturas*; sic potentiam in Christi mysterio et unitionem divinitatis atque humanitatis unam dici vel debere vel posse naturam: non considerantes, quia quum una natura dicatur humana, quae tamen ex duabus constet, id est ex anima et corpore principaliter, illa causa est, qua nec initialiter anima alibi possit exsistere quam in corpore, nec corpus valeat constare sine anima, et merito quae alterutro sibi sit causa exsistendi, pariter unam abusive dici posse naturam, quae sibi invicem causam praebeat, ut ex alterutro natura subsistat humana, salva proprietate dumtaxat duarum. Licet autem more locutionis humanae etiam a parte saepe totum quodlibet possit intelligi, quemadmodum quum dicimus: *tot animae*, corpora pariter indicamus, vel quum dicimus: *omnis caro*, naturas animarum simili designatione complectimur[17]); nec habemus incognitum, sic nos unam rem pro duabus dicere ad utrasque significandas, ut tamen et duas esse nullatenus ignoremus, et propriis constare substantiis, quantavis unitione nectantur. Nam et deitas absque humanitate permanet esse quod deitas est, et humanitas etiam sine adsumptione divina in sua, qua divinitus instituta est, permanet esse natura; atque ita et sine sui adunatione possunt in suis proprietatibus permanere. Ex quo si earum facta processit unitio, propter servandam plenitudinem sacramenti perfectionemque mysterii has easdem necessarium est profiteri[18]) sub una eademque persona sic indiscretas atque inseparabiles illa unitione constare, ut permaneant esse quod sunt. Nam et in hoc mysterio quum nulla necessitas impugnationis emergit, simpliciter unam rem frequenter pro utraque proferimus, ut dicamus *filius hominis*, et: *Quid me quaeritis occidere hominem, qui veritatem locutus sum vobis?* et iterum apostolus: *Quum autem benignitas,* Joh. 8,40. Tit. 3,4.

[16]) Editi *plenitudine*.

[17]) Editi *complectitur*.

[18]) In vulgatis *proferri*, magis arridet cum Thuaneo codice in novissima Fulgentii editione laudato *profiteri*.

Digitized by Google

Rom. 9,5. inquit, *et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei;* et alibi: *Qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Numquid quum tantummodo Deus dicitur, homo[19]) denegatur, numquid quum humanitas dicitur, deitas inde removetur? Numquid quum filius hominis dicitur, non etiam Filius Dei consequenter advertitur? Numquid quum Verbum Dei dicitur, non simul intelligitur et caro quod factum est? Numquid quum caro corpusque depromitur, non etiam divinitas indubitanter ostenditur? Aliud est, quando[20]) usitato loquendi compendio saepe de qualibet rei parte dicimus, et totum quod est sine dubio profitemur; aliud, quum prorumpit humanae temeritatis audacia, quae sic aliquam partem nuncupare contendit, ut quod totum est negare moliatur, et necesse sit, pro veritate certantes illos, qui partem suscipiunt partemque contemnunt, etiam de toto convincere. Nam quomodo non vident etiam suis verbis admoniti, quia quum dicunt quolibet modo *humanam naturam,* salva corporis animaeqae distantia unam[21]) tamen quolibet modo humanam pronuncient esse naturam? Huic ergo se adunante divina, etiam secundum ipsos duae sunt, utique humana pariter et divina. Una igitur nec potest esse nec dici, quum duae sint; unitio est enim duarum, non cujuslibet alterius abolitio; nam nec dici potest unitio, nisi duarum; alioquin dualitate submota, non unitio[22]) potest vel dici vel esse, sed unio.

10. Quis jam ferat, dedignari eos vocabula promere *naturarum,* quum utique nulla res sit, quae non propriam possit habere substantiam, substantia vero nulla sit, quae non natura

[19]) Verba *homo denegatur,* quae hic deerant, revocamus ex Fulgentio, apud quem vicissim quaedam infra hinc supplenda sunt.

[20]) In prius vulgatis *aliud est quod*, vitio legentium, qui *quod* pro *quando* legerunt, ut patet ex membro mox opposito, *ubi aliud quum,* non *aliud quod* legitur.

[21]) Ita emendandum duximus, quod in vulgatis *unum;* et mox *huic ergo* pro *hinc ergo.* Sic porro ratiocinatur Gelasius: *humana natura etiam vobis praedicantibus unde est natura, nec vocare in dubium quisquam, quin divina pariter una sit natura; dum igitur humanae divina unitur, negare non debetis, tum duas esse naturas simul unitas.*

[22]) Vocabulorum *unitio* et *unio*, quae a recentibus theologis confundi solent, aperta est hic ut apud alios patres distinctio, adeo ut *unio* singularitatem, *unitio* duarum rerum conjunctionem sonet. Quocirca Vigilius Tapsensis contra Eutychen II, 5 dixit: *Quia est in Christo et naturarum proprietas et personae unio. Nestorius proprietatem attendendo naturarum a personae excidit unione.* Tum idem vocabulum cap. 6, 7 et 8 eodem intellectu identidem repetens, quid Christo *secundum naturarum proprietatem, quid secundum personae unionem congruat* definit. Eadem *unionis* voce haeresim Sabellii, qui divinarum personarum distinctionem respuebat inducebatque singularitatem, designant Hilarius passim, concilium Parisiense I, Hieronymus epist. 57 ad Damasum, Sulpicius Severus hist. II. auctor antiquus quaest. vet. et nov. test. apud August. appendic. tom. 3 quaest. 72, Maximus Taurin. hom. 1 de s. Eusebio, Fulgentius ad object. Arian. 4 et alii.

Digitized by Google

dicatur? Nam remove naturam cujuslibet substantiae, tolles etiam sine dubitatione substantiam: sublata substantia, pariter res quaelibet illa tollitur. Dedignantur, inquam, isti nomen *naturarum*, quum Deus ipse non dedignatus sit naturae suae vocabulo a suis praedicatoribus nuncupari, sicut beatus Petrus apostolus in epistola sua dixit, quum Christi Domini mysterium praedicaret: *Ut per haec,* 2 Petr. 1, 4. inquit, *efficiamini divinae consortes naturae.* Quid quod ipsi etiam *unam* dicendo *naturam* in Domino Jesu Christo, *naturae* tamen nomen convincuntur asserere? An unam liceat nominare *naturam,* et duas vel plures rerum ceterarum appellare fas non erit? Quis ista non rideat et tamquam puerilia deliramenta despiciat? Nam et quum dicunt, *unam* fuisse *naturam incarnatam,* volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum. Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit, quae incarnata est, altera, qua incarnata perhibetur. Quoniam non eadem erit natura deitatis, quae incarnata est, quae[23]) est natura carnis; quia *incarnata* affirmatur, neque se ipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur, sicut neque se ipsa natura carnis exstitit deitate sublimis; quia et non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit, et caro nonnisi in iisdem visceribus sancto Spiritu superveniente et Altissimi obumbrante virtute est unita deitati.

11. Certe quum dicimus de uno eodemque Domino nostro, quid secundum Deum, quid secundum hominem dixerit feceritque, vel etiam si dicamus: *hoc ut Deus homo dixit aut fecit, et hoc ut homo Deus dixit et fecit;* quaero, utrum vel quum *secundum hominem* dicimus dictum factumque aliquid, vel *Deus homo fecit aut dixit aliquid,* utrumne in eo homo sit verus an falsus? Si falsus, Manichaeus, Apollinaris, Marcionistae atque hujusmodi pestes consequenter exsultant, quae in Christo Domino veritatem corporis abnegaverunt, aut putativum esse dixerunt, ut alias interim perniciosiores, quae hoc dogmate continentur, haereses nunc omittam. Si autem, quum hominem Christum quoquo modo nuncupamus, verus illic intelligendus est homo, sicut fidem catholicam tenere manifestum est; vera illic ergo est humanae naturae substantia, et proprietas humanae veraciter conditionis exsistit, ut verus homo sine cunctatione subsistat: quia aliter esse verus homo non possit, nisi naturae suae substantialiter verus proprietate subsistens. Nihil ergo, cur vel esse

[23]) Ita corrigendum quum nobis constaret, quod in prius vulgatis sic efferebatur: *quae est naturae carnis, quia incarnata;* correctionem nostram consultus Fulgentius confirmavit. Apud hunc deinde legitur *firmatur* pro *affirmatur.* Locus iste notatu dignus, ex quo intelligitur, quo pacto hereticum effatum *una Christi natura,* modo adderetur *incarnata*, etiam orthodoxi quidam patres admiserunt.

Digitized by Google

verum videantur firmare, si non est, aut cur negare contendant verum non esse, quod verum est. Si autem non negant, manet ergo naturaliter in suae proprietate substantiae, quia verum aliter esse non poterit. Quaerant ergo isti, qua suae dementiae foveas quibus circumdantur evadant, et palam se aut in illorum esse numero fateantur, qui verum Christi corpus impugnant, aut negare non[24]) audeant, quum nisi hac ratione verum esse non possit, sicut et, quum eumdem *Deum* dicimus, vel *secundum Deum loqui aut facere* praedicamus, aliter verum esse non possit, nisi veram illic divinitatem et in sua proprietate substantiae permanentem deitatis fateamur esse naturam. Ergo haec utraque in uno Domino Jesu Christo vera esse manifestum est. Vera autem utraque aliter esse non posse, nisi in suarum proprietate permanentia naturarum, nullus humanae mentis sensus, si quantulaecunque rationis est, prorsus addubitat.

12. Haec, inquam, in uno eodemque Domino Jesu Christo atque in ejus una eademque persona, qua ex utrisque naturis unus atque idem est, utraque ineffabili atque insolubili unitione perpetua sunt, ut et totus homo Deus sit, et totus Deus homo sit, atque haec eadem, ex quibus vel in quibus unus atque idem, et Deus homo est et homo Deus est, confusa non sint, deficientia non sint, sed sic unum eumdemque Deum hominem et hominem Deum utraque unita perficiant, ut proprietatem suam penitus non amittant, qua ex utrisque unus atque idem Deus homo et homo Deus possit esse perficiunt. Si quaelibet earum, quod absit, proprietas exinde subtrahatur, aut Deus homo non erit, aut homo Deus esse non poterit. Ac sicut eo venimus, quo nos istorum cogit venire intentio: unius rei proprietate sublata, pro parte apud eos medius[25]) erit Christus, non unus, non integer, ideoque nec verus, sequitur ut falsus; quia modis omnibus in hoc tendit abruptum, si aliquid naturaliter inde removetur, ex quibus vel in quibus unus et integer Christus est, ob hoc obsequenter et verus. Nam[26]) ut verus sit, integer sit necesse est, ut integer sit, unus atque idem sit, utrisque in eo sine ambiguo permanentibus, ex quibus vel in quibus unus idemque persistit. Unde quod nos homines imperiti duos Christos adseverare delirant, quia dicamus proprietatem uniuscujusque substantiae vel naturae in

---

[24]) Edit biblioth. patrum *non audeant tum nisi hac ratione verum esse non possit*. Ex Fulgentii epist. 14 restaurantur.

[26]) Legendum videtur ut infra ad calcem num. 13: *dimidius, quasi Semi-Christus*. Ita Augustinus supra jam relatus ad num. 4 not. 7 docet, ex Deo et homine in Christo unam fieri personam, *ut non sit Semi-Deus quasi ex parte Dei Deus et ex parte hominis homo*.

[25]) Ita correximus, quod in editis hoc modo prolatum: *Ergo ut verus ... utroque in eo ... permanente, ex quibus etc.* Moxque *delirant* pro *dejerant* posuimus.

Digitized by Google

Christo manere perpetuam: dolenda potius eorum grandis est caecitas, qua non vident, non duos Christos per haec posse depromi, ex quibus integer Christus exsistit et sine quarum unaquaque substantia integer non possit ostendi, sed ipsi potius se non integrum Christum confitentur adstruere, quum in eodem sacramento aliquid de iis, quibus integer constat, conantur abstrahere. Itaque nos [27]) magis unum dicimus, qui integrum profitemur, et illi partem removendo de iis, ex quibus integer et unus exsistit, ita unum non habent, sicut nec integrum, et sicut integrum non habent, ita nec verum. Quapropter quum nobis objiciunt δυόφυσιν, sine quibus integer unus et verus Christus omnino non constat, aperiant oculos sui cordis et videant, quod ipsis potius μονόφυσις rectius imputetur, per quam non integer Christus, ergo nec unus nec verus apud eos esse doceatur.

13. Numquidnam quum homo ex anima constet et corpore, quorum duas naturas esse non dubium est, non adunatione naturali una persona et unus est homo? Amplius dicimus: certe et *interiorem hominem* et *exteriorem* scripturae divinae saepe testatur auctoritas, et tamen non ideo duo homines in uno, sed una persona et unus est homo. Unde *interior* et *exterior* ad significantiam dicitur qualitatum, non ad evidentiam personalem duorum. Quanto magis in illa ineffabili adunatione indivisibili nunquamque solvenda, sicut salva proprietate utriusque naturae, ex quibus hoc mysterium constare non dubium est, et sine quibus constare non posse manifestum est, sicut una eademque persona est Domini nostri Jesu Christi, sic integer, sic unus, sic verus Christus est. Et magis unus non est, si integer non est, quia sublata parte ex iis, quibus integer adprobatur, dimidius videbitur esse non integer. Et sic unus non est, sicut integer non est; et sicut integer non est, sic verus non est; si verus non est, falsus apud eos Christus esse convincitur.

14. Quod mysterium a beatae conceptionis exordio sic coepisse sacra Scriptura testatur dicendo: *Sapientia aedificavit sibi domum,* Prov. 9, 1. septiformis Spiritus soliditate subnixam, quae incarnationis Christi, per quam *efficimur divinae consortes naturae,* ministraret alimoniam. 2 Petr. 1, 4. Certe sacramenta, quae sumimus, corporis et sanguinis Christi divina res est, propter quod et per eadem *divinae efficimur consortes naturae;* et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini. Et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus et sumimus: ut sicut in hanc, sci-

---

[27]) Editi *non magis*, moxque *omnino non constant ... imputentur.*

Digitized by Google

licet in divinam, transeant[28]) sancto Spiritu perficiente substantiam, permanentes tamen in suae proprietate naturae; sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repraesentant, ex quibus constat proprie permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque, permanere demonstrant.

[28]) Legendum *transeant* (scil. panis et vinum) *in divinam substantiam*, hoc est in corpus et sanguinem Christi, qui quum Deus sit, personali unitione efficit ut et corporis et sanguinis ejus substantia merito *divina* appelletur. Subinde quod in editis sequitur *permanente tamen in suae proprietate naturae,* aut legendum *permanentes etc.*, aut *permanente tamen in sua proprietate natura;* cui alteri lectioni favet, quod sequitur *ex quibus constat* (h. e. natura) *proprie* (h. e. in sua proprietate) *permanentibus.* Coustantio magis placet *permanente tamen suae proprietate naturae*, non alio sensu, et infra *demonstrent* pro *demonstrant.* Quid porro est transitus panis et vini in substantiam divinam, nisi quod concilium Tridentinum *transubstantiationis* vocabulo nobis credendum proposuit? Quomodo autem cum hac fide non pugnet, quod ait Gelasius, in hoc mysterio *substantiam vel naturam* panis permanere, fuse ac dilucide explicuerunt multi eruditi, sed imprimis auctor libri Gallici de perpetuitate fidei tom. 3 lib. 5 cap. 10. Ex quo recolendum: primum hoc adversus Eutychianos dictum esse, qui in Christi incarnatione maxime vero post ejus glorificationem ita humanam naturam transiisse volebant in divinam, ut humanae naturae prorsus defecissent proprietates, quique ut suam assererent sententiam, eucharistiae utebantur exemplo, in quo panis et vinum ita in Christi corpus et sanguinem mutantur, ut panis ac vini nihil supersit. *Deinde* diligenter attendendum, hoc eorum argumentum a catholicis partim admissum, partim refutatum esse: admissum quidem, quatenus panem et vinum in corpus et sanguinem Christi converti cum tota Ecclesia profitebantur; refutatum vero, quatenus hinc nullum in Christo humanae naturae proprietatem permanere concludebant: quasi vero, inquiebant, post conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi non perseverent utriusque proprietates, neque eadem sit species panis eademque figura, eaedem uno verbo qualitates omnes. Porro Gelasius hanc qualitatum congeriem *substantiae* et *naturae* nomine donat, Graecos maximeque Theodoretum imitatus, apud quos vocabulorum φύσις et οὐσία idem usus est. Verum ex hoc, quod qualitates ac proprietates illas externasque panis species permanere nullo repugnante asserat, non sequitur, ut internam panis naturam una cum corpore Christi permanere crediderit; immo hanc in corpus Christi ideoque in divinam substantiam transire pro indubitato ponit. Quo transitu sane non tantum figura sed et re corpus Christi in actione mysteriorum perfici ac sumi, exque sumpto divinae naturae nos consortes fieri, diserte profitetur. Quare in actione mysteriorum corporis, quod crucifixum est, et sanguinis Christi, qui pro nobis fusus est, non mera celebratur et nuda imago, sed plena ea ipsa re, quam repraesentat, ut pote in quo res oblatae *in divinam transeant sancto Spiritu perficiente substantiam* Neque hinc habet Eutychianus, quod objiciat, saltem internam humanae naturae substantiam in Christo incarnato non perseverare. Siquidem in eucharistiae sacramento panem in corpus Christi profitemur conversum; in Christi autem incarnatione non humanam naturam in Verbum conversam, sed eam tantum a Verbo susceptam asseveramus. Itaque non ad explicandam hujusmodi conversionem a Gelasio instituta est comparatio. Qui plura volet, opus citatum de perpetuitate fidei a cap. 1 ad 11 lib. 5 percurrat.

Digitized by Google

15. Sed apostolus, inquiunt, dixit de Judaeis: *Si cognovissent,* 1 Cor. 2, 8.
nunquam Dominum majestatis crucifixissent. Ecce, inquiunt, *Dominus majestatis* est crucifixus. Plane hoc dicimus, hoc sentimus salva impassibilitate deitatis; deitas enim impassibilis semper sine ambiguitate persistit. Sicut enim legitur *Dominus majestatis* Christus, sic utique legitur etiam *hominis filius.* Itaque et Dominus majestatis filius hominis est et Deus[29]) homo est, et filius hominis Deus est majestatis et homo Deus est, et quicquid deitatis est, habet filius hominis, et quicquid humanitatis est, habet Dominus majestatis. Beatum Petrum audiamus dicentem: *Christo igitur carne passo omnes* 1 Petr. 4, 1.
eadem fide armamini. Carne passum dixit, non deitate, quum tamen ipsa deitas totum suum faciat, quicquid caro perpessa est, sicut et filius hominis suum habet totum, quicquid est Dei, et sub una persona merito unus atque idem dicitur pati, quicquid ut Deus homo patitur, non infirmitate et conditione passibili, sed dignitate suam faciens passionis injuriam, adunatione particeps, sed sine passibilitate compatiens, sicut unus idemque virtutes operatur, quicquid ut homo Deus operatur. Sic[30]) enim quamvis corporeis obnoxia passionibus anima sit humana, et eorum vel mulceatur blanditiis vel afficiatur adversis, et compatiendo sentiat ipsa quicquid conditioni carnis infertur; non tamen secundum se ipsa est, quae est animae substantia, quae ullo vulnere sauciatur, vel quibuslibet plagis vexationibusque contingitur. Unde dictum est: *Nolite timere eos, qui oc-* Matth. 10, 28.
cidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quomodo posset fieri, ut deitas iis subjaceret rebus, quibus anima non subjacere cognoscitur? quum tamen, ut dictum est, divinitas[31]) non passibilitate, non cruciatione, non afflictione, non vulneratione passibilis sit, sed ea dignatione, qua suscepit hominem sibique univit, suum facit quicquid hominis est, quia homini tribuit quicquid est Dei, ita tamen, ut ab omni passibilitate prorsus intemerata permaneat.

16. Quapropter hanc regulam catholicae fidei orthodoxaeque doctrinae, quam a cunctis patribus catholicaeque magistris Ecclesiae[32]), sicut eorum dicta testantur, quae recensere perlongum est, ex divinis manantia fontibus ad nos usque transmissa suscepimus, quaeque summatim perstricta libavimus, cum[33]) sede apostolica vestra

---

[29]) Ut *Deus* adderemus, sequens antithesis *et homo Deus est* persuasit.

[30]) [Editi *si.*] Mox ponitur vox *eorum*, quasi prius *corporum* (non *corporeis*) *passionibus* praecessisset; [nisi forte *earum* scil. passionum legendum. Deinde *quae* ante *ullo* ex nostris addidimus].

[31]) In vulgatis *divinitatis*, mendum quod censuimus castigandum.

[32]) Si huc referatur verbum *suscepimus*, quod infra subjicitur, planior fiet atque nitidior oratio.

[33]) In prius vulgatis *cum sedem apostolicam*, cujus loco Melchior Canus restituendum putat *fidem apostolicam*. Ac licet ejus sententiae subscribat, qui indi-

Digitized by Google

dilectio unanimiter teneat, constanter praedicet sapienterque defendat, cunctasque adversum hanc blasphemias procedentes exterminet,
1 Tim. 6,4. quae *pugnas* magis *verborum*, sicut ait apostolus, conantur ingerere, quam salutarem cunctis suscipere veritatem: ut idipsum dicentes uno corde unoque ore et credamus, quod a majoribus nostris accepimus et donante Domino tradamus posteris confitendum. Cum quibus nobis unitam fidem Deo propitio perdurare catholicorum subjecta testimonia magistorum recensita testantur.

Testimonia veterum de duabus naturis in Christo.

17. **Ignatii episcopi et martyris Antiocheni ex epistola ad Ephesios**: Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in[34]) morte vita aeterna, ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Dominus noster Jesus Christus.

Et post pauca: Singuli, *inquit*, viri communiter omnes ex gratia, ex nomine convenite in unam fidem et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, filio hominis et filio Dei.

18. **Eustathii episcopi Antiocheni confessoris contra**[35]) **Arianos**: Quapropter congruas virtutes et gubernationes gentium et populorum et mixtarum plebium et rerum universarum imperium homo
Luc. 2, 52. percipiebat Christi palam et qui *sapientia et aetate gratiaque proficit*, sicut evangelii litterae docent particulariter.

Joh. 13, 3. **Ejusdem contra eos**: Et iterum quum dicitur Jesus *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus:* atqui ut ita introducit, hominis potestatem declarat, quae quomodo aeterni sumens sceptrum imperii, omnium haberet commissum judicium.

Col. 2, 9. **Ejusdem contra eos**: Si enim in Christo, **inquit**, *plenitudo divinitatis inhabitat*, aliud vero, quod inhabitatur. Si vero naturaliter differunt ab alterutris, neque mortis passionem neque cibi appetitum neque desiderium poculorum, non somnum, non tristitiam, non fatigationem, non lacrymarum effusiones, non aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coëxsistere fas est; quum sit inconvertibilis per naturam. Homini vero haec applicanda sunt proprie, qui ex anima constat et corpore. Congruit enim ex ipsis humanis et

---

cem auctorum bibliothecae patrum anno 1589 Parisiis editae concinnavit, nihilo tamen minus Colonienses editores retinuerunt *sedem apostolicam*. Hinc sublatis duabus litteris *m*, quas in fine verborum hujusmodi de suo adjicere solent librarii veteres, sana ac gemina habetur Gelasii sententia.

[34]) Hinc apud Ignatium, non quomodo substituit Vossius *ἐν ἀθανάτῳ*, sed *ἐν θανάτῳ* Gelasium legisse liquet; cui concinit et Theodoretus idem testimonium laudans dialogo 1. Certe et hanc lectionem antithesis ab Ignatio instituta postulat. Sinceram Ignatii epistolam, non interpolatam, hic citari cuique obvium est.

[35]) Eustathii hujus plura testimonia Theodoretus in tribus dialogis profert, sed nullum *ex opere contra Arianos* laudat.

Digitized by Google

innoxiis motibus demonstrare, quia non phantastice et putative, sed ipsa veritate totum hominem indutus est Deus perfecte adsumens.

In eosdem: Quocirca aliud quidem erit mortale, aliud quidem praeter hoc immortale. Consequenter autem et Timotheo eamdem scribens epistolam, prospiciens deiferum hominem, proclamabat: *memor esto, Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum*. 2 Tim. 2,8.

Et post pauca: Homo autem Deum ferens, qui mortis passionem sponte censuit sustinere propter hominum utilitatem, palmam quidem et certaminis, ut ita dicendum sit, honorem et potestatem percepit, et ubi recipitur gloria, quam nequaquam prius habuerat.

19. **Hippolyti episcopi**[36]) **et martyris Arabum metropolis in memoria haeresum**: Hic procedens in mundum Deus et homo apparuit. Et hominem quidem eum facile est intelligere, quum esurit et fatigatur et laborat et sitit et formidat et fugit, orat, contristatur et super cervicali dormit, et calicem respuit passionis, et anxius sudat, et ab angelo confortatur[37]), et a Juda traditur, et contumeliam patitur, a Caipha et ab Herode despicitur, a Pilato flagellatur, eique a militibus illuditur, et a Judaeis ligno configitur, et ad Patrem clamans commendat spiritum, et inclinato capite spiritum tradit, latus lancea perforatur, involutus in syndone ponitur in sepulchro, et a Patre die tertia suscitatur. Divinitatem vero ejus videre rursus clarum est, quando laudatur ab angelis, et hoc a pastoribus inspicitur, et exspectatur a Simeone et ab Anna testimonium perhibetur, Luc. 22,43.

[36]) Cujus ecclesiae is episcopus fuerit, minime comperire se potuisse Hieronymus lib. de scriptor. eccl. declarat. Nonnulli tamen illum a Gelasio *metropolis Arabum episcopum* non alia ratione dictum suspicantur, nisi quod ab Hieronymo in citato opere de scriptor. eccl. Beryllo episcopo Bostrorum, quae Arabum metropolis est, proxime subjicitur. Quod quidem aegerrime concedamus. Ut enim taceamus, valde futilem esse hujusmodi rationem, certe si Gelasius episcopatus Hippolyti notitiam ex uno Hieronymi *de scriptoribus ecclesiasticis* sumpsisset, hunc cujus ecclesiae esset episcopus se non scire, cum eodem potius dixisset. Cotelerius monim. eccl. Graec. tom. II col. 639, eum ex male intellecto Eusebii H. E. VI, 20 loco falsum esse observat. Theodoretus in memoratis dialogis eum simpliciter episcopum et martyrem appellat; sed et quum diversa citat ejus opera, nullum *de memoria haeresum* laudat. Hoc ipsum probabiliter Hippolyti opus est, quod Eusebius H. E. VI, 22 et Hieronymus *contra omnes haereses* vocant. [Est Hippolyti *contra haeres. Noëti* locus; conf. Döllinger *Hippolytus und Kallistus*. Regensburg 1853. pag. 89 ss.]

[37]) Hippolytum id, quod Lucae 22, 42 de angelo Dominum confortante habetur, legisse hinc liquet, quamvis Hilarius de Trin. X. n. 41 et Hieronymus adv. Pelag. lib. II in graecis et latinis codicibus complurimis de hoc nihil reperiri testentur. Epiphanius in Ancorato n. 31 hunc locum quadam catholicorum formidine sublatum putat. Sed ibidem observat, Irenaeum lib. 3 c. 32 eo ad refellendos haereticos, qui Christum specie tenus hominem apparuisse volebant, efficaciter usum esse. Eumdem legit et Justinus in dialogo cum Tryphone Judaeo.

Digitized by Google

et quaeritur a magis et ab stella designatur, et aqua in nuptiis operatur vinum, et increpat mare violentia commotum ventorum, et ambulat super mare, et caecum ex nativitate videre facit, et mortuum Lazarum quatriduanum resuscitat, et varias facit virtutes, datque discipulis potestatem.

Rom. 1, 3 et 4. **Ejusdem**: Vidisti, quod secundum carnem quidem ejus *ex David* narrat, quod vero secundum spiritum *ex Deo*. Quapropter probatum est eumdem et Deum et hominem.

20. **Athanasii episcopi Alexandrini in libris**[38]) **contra Arianos**: Quia igitur aliqui, magis autem et plurimi, qui nondum discipuli
1 Tim. 1, 7. facti, ex qua petulantia ad docendum venerunt, *nescientes neque quae dicunt, neque de quibus adfirmant,* excaecatis oculis mentis non habentes intellectum videntem Deum, sicuti Jacob, neque mundum cor videns Deum, ea[39]) quae propter hominem Salvatoris nostri, quem propter nos indutus est, sunt scripta, et opera humilia et pauperes voces divinitati tribuentes Verbi, errant et errare faciunt minus doctos et infirmos, ut humiliter de Domino sapiant: necessitatem ha-
Jud. 3. bemus exponere, sicut Judas scribit per epistolam, quae congruant verba divinitati Verbi, et quae secundum Salvatorem intelligenda homini. Sicut enim in sacculo aurei solidi et argentum positum unius imperatoris imaginem et inscriptionem nominis utraque habent, sed novit numularius custos eorum auri excellentiam ultra honorem inferioris argenti, ita licet in una scriptura de divinitate filii et de corpore ex Maria, quod propter nos indutus est, sit scriptum, singula tamen eorum scimus, sicut discipuli sapientes unius et vere magistri. Quaecunque igitur humilia verba et opera sunt, in corpus Filii intellige scripta, quaecunque litterae gloriosae, in Verbi divinitatem.

Act. 2, 36. **Ejusdem contra eosdem**: *Certissime itaque sciat omnis domus Israel, quia Jesum Christum eum Deus fecit, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Et ipsum ergo crucifixum Domini hominem ostendentes, quasi per digitum apostoli dixerunt: *Hunc Jesum, quem vos crucifixistis, Christum et Dominum fecit eum Deus.* Certissime itaque Domini homo
Prov. 8, 22. et *principium*, inquit, *viarum* creatus est, praescriptorum[40]) ad beneficium operum, et *principium viarum,* principium omnium sanctorum, qui appellati sunt via, et Dominus et Christus est, qui factus est, et crucifixus est.

[38]) Quae hic velut ex libris *contra Arianos* et infra velut ex libris *adversus haereticos* Gelasius laudat, ejus sunt operis, cujus maximam partem Bernardus de Montfaucon nov. coll. patr. et script. graec. tom. II pag. 5 in lucem emisit, quodque secundum Theodoretum dial. 3 *sermonem majorem de fide* inscripsit.

[39]) Seu ad graecam litteram *et quae propter nos assumpto homini.*

[40]) Graece *τῶν προγεγραμμένων εἰς ἐνέργειαν*. Hinc mendosum esse liquet, quod hactenus hic obtinuerat *per scripturam ad beneficium.*

Digitized by Google

Ejusdem: Quod ergo ex ligno depositum est corpus mortuum Jesu, quodque in monumento positum est et sepulturae conditum a Joseph Arimmatiae, hoc suscitavit Verbum dicens: *solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud.* Qui et omnes mortuos vivificat, et ex Maria hominem Jesum Christum vivificabit, quem assumpsit. Si enim in cruce exsistens, praedicta[41]) sanctorum corpora mortua suscitavit, multo potius suscitare potuit, quod induit, corpus semper vivens Deus Verbum, sicut Paulus ait: *Vivum enim est Verbum Dei et efficax.* Joh. 2, 19. Hebr. 4, 12.

Ejusdem[42]): Sicut enim lumen non laeditur in tenebroso loco, neque pati potest aliquid vita mortalem visitando naturam: inconversibilis enim et immutabilis est Verbi divinitas, sicut ait in prophetia Dominus de semetipso: *Videte, videte, quia ego sum et non mutabor.* Mal. 3, 6.

Ejusdem ex epistola ad Epictetum. Sed enim non phantasia est salus nostra neque corporis solius[43]), sed totius hominis animae et corporis vere salus est facta. Humanum itaque naturaliter, quod ex Maria est secundum divinas scripturas, et verum fuit[44]), qui id fuit, quod nostrum est: soror enim nostra Maria, quoniam omnes ex Adam sumus.

21. **Eusebii episcopi Palaestinensis, cognomento Pamphili, ex expositione**[45]) **psalmi septimi decimi**: *Deus, qui inclinavit coelos et descendit.* Ascendens in hominem, quem assumpsit, quem nunc Cherubim sermo nominans, evolavit cum eo, ascensum faciens cum divinis spiritalibus obsequentibus sibi, *pennis ventorum* ipsis etiam appellatis. Psalm. 17, 10. Psalm. 17, 11.

Ejusdem ex evangelica praeparatione libro[46]) **septimo.** Non solum autem Judaeorum gens sed etiam omne genus humanum in omnem nequitiae speciem et in ipsam scelestam idololatriam descendens, non aliter subjugationem futuram insinuat, nisi per solum

[41]) Pro verbo διαλυθέντα, quod est *dissoluta*, Gelasius seu ejus interpres legisse videtur διαλεχθέντα.

[42]) Apud Theodoretum dial. 3 citatur hoc testimonium velut ex *eadem oratione*, hoc est ex *majore sermone de fide*, quamvis in prolixo ejus fragmento nuper, ut dixi, edito non exstet. Idem testimonium infra n. 33 minus integrum repetitur.

[43]) Prius vulgati *solutio* mendose, ut planum fit ex graeco μόνου.

[44]) Hic locus ex graeco sic resarciendus: *et verum corpus fuit; verum autem fuit, quia id ...*

[45]) In praedicta *collectione nova patr. et script. graec.* tom. I cum aliis edita est haec Eusebii expositio psalmi 17. In ea tamen hoc testimonium nonnisi summatim deprehenditur; hinc augetur suspicio, quam mihi prima hujus commentarii lectio injecerat, in iis expositionibus, quae ceteris jejuniores sunt, nonnulla ad integritatem desiderari.

[46]) Et hoc testimonium in lib. 7 praeparationis evangelicae frustra quaesivi.

Digitized by Google

sancitum in hominis adventum Dei Verbi ex virgine experte nuptiarum vas humanum assumeretur. Quae autem rei hujus utilitas, jam tempus est dicere. Quia *per hominem mors intravit in mundum,* sicut ait apostolus, oportebat quodammodo per eumdem hominem et contra eum exerceri victoriam, ut corpus mortis corpus vitae monstraret.

Rom. 5,12.

Psalm. 88,36.

Et rursus ejusdem[47]): Si vero jurantem eum audieris per *Sanctum et Patrem* suum, audi jurantem per Deum Verbum, quod omnibus saeculis praeexsistit, sanctum et unigenitum ejus Filium, quem Deum variae locutae sunt dudum a nobis propositae voces, per quem jurat Deus et Pater ejus tamquam dilectum eum, qui ex semine David est, in infinitum saeculum glorificaturus, quod etiam factum est, quando Verbum incarnatum eum, qui ex semine David est, assumpsit atque deificat. Unde et filium eum appellat, dicens: *Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium.* Et iterum: *Ego primogenitum ponam illum.*

2 Cor. 6,18.

Psalm. 88,28.

22. **Gregorii episcopi Nazianzeni in natali Domini**: Duplex erat Christus: homo quidem, quod videbatur, Deus vero, quod non videbatur; comedens quidem ut homo vere et sicut nos; habuit enim carnis similem passibilitatem sicuti nos.

Ejusdem ad Cledonium. Naturae quidem duae, Deus et homo; nam et anima et corpus; filii vero non duo, neque dii. Neque enim hic duo homines, licet ita Paulus et quod *intus est* hominis, et quod *foris est,* appellaverit. Et si oportet dicere compendiose, aliud quidem et aliud, ex quibus Salvator; siquidem non idem est invisibile et sine tempore, quod visibile[48]), quod sub tempore est. Non autem alter et alter, absit; ambo namque unum temperamento cognata.

2 Cor. 4,16.

Ejusdem. Non fallant homines, **inquit,** neque fallantur, hominem sine[49]) mente suscipientes dominicum, sicut ipsi dicunt, magis autem Dominum nostrum et Deum; neque hominem divinitate secernimus, sed unum eumdemque dogmatizamus: prius quidem non hominem, sed Deum et Filium unigenitum, et ante saecula non mixtum corpori et quaecunque sunt corporis, in fine vero et hominem assumptum.

---

[47]) Similia quidem sunt haec Eusebii in psalm. 88, 4, ubi explicans illud ejusdem psalmi v. 36 *semel juravi in sancto meo,* ait: *Per hunc itaque jurans Deus ut pater per unigenitum filium Davidi promissionem dabat.* Sed hunc locum ex hac expositione compendiose expressum dici, nec expositio ipsa, in qua non eadem occurrunt, nec scopus Gelasii, qui ipsismet scriptorum verbis sententiam catholicam confirmare sibi proponit, patiuntur.

[48]) Verba *quod visibile* supplentur ex graeco.

[49]) Hactenus *si mente,* quod emendatur inspecto textu graeco (ἄνουν), cujus interpretatio in plerisque litterae quam elegantiae est tenacior. Supremus iste locus in Ephesino concilio act. I (Hard. I, 1406) inter veterum testimonia refertur.

Digitized by Google

23. **Basilii episcopi Caesareae ex libro contra Eunomium.** Qui vel modice considerat sermonis apostolici voluntatem, quia non divinae ratiocinationis modum nobis tradit, sed dispensationis verba declarat: *Dominum* enim et *Christum eum Deus,* inquit, *fecit hunc* Act. 2, 36. *Jesum, quem vos crucifixistis:* ostensiva voce humanitatem ejus, et quod videtur palam universis insinuans.

Ejusdem ex sermone gratiarum actionis. Quapropter deflens super amicum, se ipsum communem humanae naturae monstravit, et[50]) nos ex utraque exaggeratione liberavit, ut neque passionibus debilitemur, neque tristitiam insensate feramus.

24. **Gregorii episcopi Nysseni contra Eunomium.** *Dextera itaque* Act. 2, 33. *Dei exaltatus.* Quis ergo exaltatus est, humilis an excelsus? Quid autem humile, nisi quod humanum? Quid vero aliud praeter divinitatem excelsum est? Sed Deus exaltari non indiget, quum sit excelsus. Humanitatem igitur apostolus exaltatam dicit; exaltata vero est, et quod Dominus et quod Christus est facta. Non ergo ante saecula essentiam Domini in eo, quod ait *fecit,* designat apostolus, sed humilis transitionem ad excellentiam, quae per dexteram Dei facta est; declarat enim et per hoc verbum pietatis sacramentum. Qui enim dixit, quia *dextera Dei exaltatus* est, certissime revelavit dispensationem ineffabilem sacramenti, quia dextera Dei creatrix omnium existentium, quae est Dominus, per quam *omnia facta sunt, et sine* Joh. 1, 3. *qua factorum constitit nihil,* ipsa unitum ad[51]) ipsam hominem evexit per unitatem ad propriam celsitudinem.

Ejusdem adversus eumdem. Neque vivificat, **inquit,** Lazarum humana natura, neque deflet sepultum impassibilis substantia, sed proprie quidem sunt hominis lacrymae, vita vero vere Vitae est. Non pascit millia humana paupertas, neque currit ad ficum omnipotens substantia. Quis est fatigatus ex itinere? Et quis sine labore totum mundum verbo constituit? Quid est splendor gloriae, et quid quod clavis transfixum est? Quae forma in passione caeditur palmis, et quae ex informitate[52]) glorificatur?

25. **Amphilochii episcopi Iconii ex libro[53]), ubi exponit:** *Pater* Joh. 14, 28. *meus major me est. Non conturbetur,* inquit, *cor vestrum, neque for-* Joh. 14, 23.

---

[50]) Graece καὶ ἡμᾶς ἐφ' ἑκάτερα ὑπερβολῶν ἐλευθέρωσε, μήτε καταμαλακίζεσθαι πρὸς τὰ πάθη, μήτε ἀναισθήτως ἔχειν τῶν λυπηρῶν ἐπιπρέπων, hoc est: *et nos a duplici vitio, in quod excedendo labimur, liberavit, non permittens nos vel ea quae patimur mollius sustinere vel tristia sine sensu ferre.*

[51]) In prius vulgatis *ad hominem.* Addimus *ipsam* ex graeco πρὸς αὐτήν. Elegantius converteretur *unitum sibi hominem.*

[52]) Ita legendum esse persuasit graecum ἐξ ἀϊδίου, non cum prius vulgatis *infirmitate.*

[53]) Non exstat hic liber, qui rursum inferius a Gelasio, ut et apud Theodoretum dial. 3 citatur. Primum hoc fragmentum Amphilochii operum ejus editores effugit.

Digitized by Google

midet, quia tradendus Judaeis sum; non enim invita res est, sed
Joh. 14,28. spontanea passio. *Vado et venio ad vos. Vado* et *venio,* utrumque sicut homo, sicut Deus autem inseparabiliter *sum vobiscum. Vado* per mortem homo, *venio* rursus per resurrectionem homo. *Si dili-*
Joh. 14,28. *geritis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem meum, et quia Pater meus major me est;* major enim est eo, qui vadit ad eum, non eo, qui est in eo. Sicut enim Deus, *in Patre sum,* sicut autem homo, *vado ad Patrem.* Illo ergo major est Pater, qui nunc vadit ad eum, non qui est in eo. Et ut compendiose dicam, major est et aequalis:
Marc. 6,38. major interrogante: *quantos panes habetis?* aequalis satianti populum
Joh. 11,34. totum ex quinque panibus; major interrogante: *ubi Lazarum posuistis?* aequalis Lazarum suscitanti sermone.

Joh. 5,24. **Ejusdem in alio sermone dum explanaret illud:** *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.* Haec ait: Cujus ergo sunt passiones carnis? Si das passionem carni, da ei et humilia verba, et cui adscribes miracula, supra[54]) nos commenda sermones. Miraculorum enim operator Deus merito sublimia loquitur et operum digna, passum vero templum bene humilia loquitur et similia passionum.

Ejusdem contra[55]) **Arianos.** Discerne igitur, **inquit,** jam naturas et Dei et hominis. Neque enim secundum[56]) excessum ex Deo factus est homo, neque secundum profectum ex homine Deus: Deum enim et hominem dico. Quum vero passiones carni et dederis Deo miracula, necessario etiam nolens dabis humilia quidem verba homini ex
Joh. 1,1. Maria, sublimia vero et Deo decibilia[57]) Verbo, quod *in principio erat.* Propterea enim alicubi quidem sublimes loquitur sermones, ut per sublimes quidem inhabitantis Verbi indicet majestatem, per[58]) humiles autem humilis insinuet carnis infirmitatem. Unde et alibi quidem aequalem se Patri dicens, alibi vero majorem Patrem, non sibi repugnat, sed ostendit, quia et Deus et homo est: Deus quidem

---

[54]) Graece *ἀνηγμένους ἀναθὲς λόγους,* hoc est *sublimes tribue sermones.* Ipse Gelasius has voces *ἀνηγμένους λόγους* infra in tertio Amphilochii fragmento primo quidem *sublimia verba* et subinde *sublimes sermones* latine convertit.

[55]) Theodoretus prima hujus testimonii verba velut *ex oratione in illud „Pater major me est"* citat. Leontius vero lib. 1 contra Nestor. et Eutych. Gelasio concinit. Uni et eidem orationi titulus uterque congruere potest.

[56]) Seu, ut apud Leontium latine convertitur, *facta jactura divinitatis factus est homo.*

[57]) Hoc est: *quae Deum deceant Verbum.*

[58]) Supplendum ex graeco *et alibi per humiles.* Apud Amphilochium autem totus hic locus sic latine redditur: *modo humili, nonnunquam sublimiori sermone utor: ut per sublimen Verbi inhabitantis cognationem ostendam, per humilem vero carnis infirmitatem aperiam;* et sic deinceps primae personae nomine praeter auctoramentem, quam interpres non satis assecutus est.

Digitized by Google

ex sublimibus, homo autem humilibus. Si autem vultis nosse, quomodo Pater major est, ex carne dixit, et non ex persona divinitatis.[59])

Ejusdem. Noli[60]), inquit, passiones carnis Verbo impassibili applicare. Deus enim sum et homo, haeretice: Deus, sicut profitentur miracula, homo, sicut testantur passiones. Quia ergo Deus sum et homo, dic, quis passus est? Si Deus passus, dixisti blasphemiam; si vero caro passa est, cur non passioni applicas, cui injicis quoque formidinem? Alio enim patiente alter non timet, et homine crucifixo non perturbatur Deus.

26. **Antiochi episcopi**[61]) **Ptolemaidis.** Agatur, inquit, et qui ex grege haereticorum est, cur confundis evangelium? Cur tentas Deum et hominem? Quando audies de Christo aliquid humile et pauper et mediocre et servile, deinde Deo dignum et sublime coelumque contingens, redde quae hujus sunt huic, et quae hujus, huic.

Ejusdem in festivitate Nativitatis. *Liber,* inquit, *generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Habes, qui ex Deo est, suscipe qui ex Maria, neque illum neges, neque hoc confundaris. Habes filium Dei, habes filium Mariae; habes Dominum, habes servum; habes creatorem, habes interpretem; habes aeternum, habes temporalem; habes de coelo, habes de Bethlehem; habes coelestem, habes terrenum. Quidquid gloriosum, jaculare sursum, quidquid humile, huic conjunge. Matth. 1, 1.

Ejusdem. *Peperit Maria infantem,* hoc erat hominis, *orta est desuper stella,* hoc erat Dei; *tacte nutriebatur infans,* hoc ejus qui secundum nos est, *obsecundant ei qui natus est magi,* hoc ejus qui ante saecula est; jactatur in spelunca, hoc clementiae est. Luc. 2, 7 et Matth. 1, 25. Matth. 2, 2.

Ejusdem. *Lucernam,* inquit, intelligo ex Maria hominem: *lucernam,* quia assumptus ex terra et ex mero luto fictus est, *lucernam* hominem ignem habentem Deum. Quando consideras Deum in ho- Psalm. 131, 17.

---

[59]) Hoc ea dictum est loquendi ratione, qua s. Hilarius in psalm. 138 n. 5 dixit: *non confundenda autem persona divinitatis et corporis est: omnis enim nunc in exordio ex persona ejus hominis, quem assumpsit, oratio est;* et in psalm. 56 n. 2 observat, quod Christus *loquatur interdum ex persona hominis, quia et homo et natus et passus et mortuus est, interdum autem omnis ei secundum Deum sermo est.* Quo ex loco et *secundum* et *ex persona* synonyma esse perspicuum est. Eadem loquendi ratione utitur tum in psalm. 53 n. 5, tum in psalm. 63 n. 3, ut et in psalm. 138 n. 3 et 5. Dicit et Ambrosius de fide II, 4: *Miraris, si ex persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis se vermem dixit esse non hominem.*

[60]) Videlicet, ut Theodoretus auctor est, ex oratione in illud Matth. 26, 36 *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.*

[61]) Is Antiochus anno 403 in synodo ad Quercum cum Theophilo aliisque, qui Johannem Chrysostomum damnarunt, sedit. Ex eodem Leontius lib. cont. Nestor. et Eutychen, Theodoretus dial. 2 citant haec verba: *Noli confundere naturas et non torpebis* (seu stupore non laborabis — graece *ναρκήσεις*) *circa dispensationem.*

Digitized by Google

minem, et vides hunc quidem de terra, hunc vero de coelis, quando vides hunc equidem ex Maria, hunc autem ex Patre, et utraque in se inseparabiliter copulata, illud intellige, quod *Deus noster ignis consumens est.*

Hebr. 12,29.

Ejusdem adversus Judaeos in Pascha loquens. Omnino autem cura tibi est vocum propheticarum: cur celas vocem Danielis, dicentem: *Lapis abscisus est sine manibus et factus est in montem magnum?* Putas, non tibi videtur *mons* Maria, *lapis sine manibus abscisus* Christus, *lapis abscisus sine manibus* homo natus sine amplexionibus? Sed ne te redarguens meis verbis dem suspicionem aliquam blasphemiae, non hominem purum dico, carissime, sed hominem, per quem salvus factus est, hominem, quem prophetae praedicaverunt, hominem ostendentem tibi coelestis vitae principium, hominem, de quo plenae sunt omnes prophetiae, hominem quippe, qui de se ipso dicebat: *Quid me quaeritis occidere, hominem qui veritatem dixi vobis?* **Et alibi**: Quum videris, inquit, qui ex Maria est, perscrutare, qui celatus est interius.

Dan. 2,34. Joh. 8,40.

27. **Severiani episcopi Gabalorum contra Novatum.** Unigenitum Deum Verbum pater genuit Deus, et nova et iis peregrina vulva Virginis germinavit. Audi evangelistam dicentem: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabunt nomen ejus Jesum,* qui ex tuo corpore pariendus est. Sed nullus reprehendat vocem, tamquam seorsim dicenti Deum, seorsim vero carnem: intellectum sequamur, adorationem non separemus

Luc. 1,31.

28. **Athanasii episcopi ex epistola ad Epictetum.** Dicere[62]) autem eum in carnem versum, ipsius Verbi nos mutationem sentire; et quis jam de cetero nos patietur haec solummodo dicentes? Omni enim haeresi ad impietatem amplius declinastis.

29. **Gregorii episcopi Nazianzeni ex epistola ad Cledonium.** *Verbum* itaque *caro factum est* aequaliter mihi videtur habere se ad id, quod dicitur, *peccatum eum factum:* non in eam Domino transmutato, (nam quomodo poterat?) sed in eo, quod hanc suscepit, peccata nostra assumpsit, et *languores nostros portavit.*

Joh. 1,14. 2 Cor. 5,21. Jes. 53,4.

Ejusdem ex eadem epistola. Si enim non dicitur, **inquit**, in maledictum eum peccatumque conversum, quum haec dicitur factus, neque in carnem dicatis eum conversum; haec namque magna est blasphemia.

30. **Ambrosii episcopi Mediolanensis**[63]). Sed ajunt quidam scriptum: quia *Verbum caro factum est.* Quod scriptum est, non nego,

Joh. 1,14.

[62]) Clarius ex graeco: *Quum autem dicitis in carnem versum, Verbi ipsius mutationem effingitis ... omnem quippe haeresim impietate superastis.*

[63]) Ipsa Ambrosii verba, uti jam observavi, in synonyma interdum mutantur. Unde suspicio non deest, ea non ex latino Ambrosii exemplari, sed e graeci scriptoris, qui iisdem usus jam fuerat, exemplo descripta esse.

Digitized by Google

sed videte, quod dictum est; intulit enim: *et habitavit in nobis*. Hoc est: illud Verbum, quod carnem assumpsit, hoc habitavit in nobis, hoc est in carne habitavit humana. Miraris itaque in hoc, quod scriptum est: *Verbum caro factum est*, carne assumpta a Deo Verbo, quando et de peccato, quod non habuit, dictum est: *qui factus est peccatum;* non natura et operatione peccatum factus est, sed ut nostrum peccatum in sua crucifigeret carne. Abstineant itaque dicere Verbi naturam in carnis naturam esse conversam; aliud est enim quod assumpsit, et aliud quod assumptum est. 2 Cor. 5,21.

31. **Johannis episcopi Constantinopolitani in evangelium secundum Johannem.** Quapropter quum audieris, quia *Verbum caro factum est*, non conturberis nec concidas. Non enim substantia in carnem transiit, hoc enim impietatis est ultimae, sed manens quod est, servi formam assumpsit.

Ejusdem post pauca. Audi, **inquit**, evangelistam; intulit enim: *et inhabitavit in nobis*, hoc solum nunc dicens, nihil incongruum suspiceris in eo, quod ait *factum est*. Non enim conversionem dixit illius inconvertibilis naturae, sed inhabitationem et permansionem. Quod autem inhabitat, non idem est quod habitaculum, sed alterum in altero inhabitat, alioquin[64]) non erit habitatio.

32. **Eustathii episcopi Antiocheni contra Arianos.** Deus, **inquit** Verbum eamdem quam genitor portat imaginem. Imago quippe existens divinae substantiae, verum autem ejus templum homo existens, non idem quod templi fabricator est, dissimili ortus ex genere.

Rursus ejusdem post pauca: Sed potestatis majestatem introducere volens, et ipsum corpus mortificatum hic Filium dixit, ipsum quidem sublimitatis nomen imponens, id est, habitantis in eo Dei decibiliter.

Et post pauca: Puto autem, **inquit**, nec insane quisquam et furiose debacchatus dixerit aliquando, quia divinitatis plenitudo mortis passa dispendium est. Ergo vesaniunt et bacchantur et furunt et insaniunt et suis mentibus excesserunt, qui Deo Verbo passionem applicare praesumunt.

Et post pauca[65]): Si enim *in Christo*, **inquit**, *plenitudo divinitatis inhabitat*, primum quidem aliud est quod inhabitat, aliud autem quod inhabitatur. Si autem naturae differunt ab alterutris, neque mortis passionem neque cibi appetitum neque poculorum desiderium, non somnum, non tristitiam, non fatigationem, non lacrymarum fluxus, Col. 2,9.

---

[64]) Ex graeco revocatur vox *alioquin* prius omissa.

[65]) Testimonium hoc, ut jam n. 18 praemissum, supprimere fas erat, sed advertentes in uno *lacrymarum fluxus* et in altero *lacrymarum effusiones*, in uno *homini haec applicanda seorsim sunt*, et in altero *homini vero haec applicanda sunt proprie* legi, ac praeterea istud paulo brevius esse altero, ut haec differentia appareat, retinendum duximus.

Digitized by Google

non aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coëxsistere fas est, quum sit inconvertibilis per naturam. Homini haec applicanda seorsim sunt, qui ex anima constat et corpore.

Ejusdem: Quoniam neque dicere fas est, quia Verbum mortuum est et Deus, qui suum templum triduanum sucitavit. Si autem ipse igitur iste natus est primogenitus ex mortuis, qui morte circumamictus est, ipse vero sit princeps in omnibus, qui virtutes acquisitas suscepit. Denique triduanum ex sepulchro resurgens Verbi templum ipso corpore quidem ad proprios venit apostolos, haec autem
Matth. 28, 18. verba dixit eis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Quia vero hanc potestatem accepit extrinsecus templum, et non qui aedificavit templum praecipua pulchritudine Deus.

33. **Athanasii episcopi Alexandrini in libris adversus haereticos**: Quaecunque igitur humilia verba et opera sunt, in corpore Jesu intellige scripta; quaecunque vero gloriosae sunt litterae, in Verbi
Matth. 4, 2. divinitate. Quando esurit post jejunium, corporis passio est, quum
14, 18 ss. vero ex quinque panibus quinque millia virorum praeter mulieres et infantes pascit, et duodecim sportae fragmentorum remanent, opus Verbi divinitatis. Quum vero super cervical dormit in navi, corporeae quietis est opus, quum ambulans supra mare increpat fluctibus et ven-
Marc. 4, 39. tis: *quiesce, obmutesce,* mox audit ab iis, qui in navi cum jurejurando
Joh. 11, 35. confessi sunt: *vere Dei filius es.* Quum stans ad sepulcrum Lazari
Matth. 26, 38 et 41. deflet, et venturus ad passionem dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* et anxiatur: *Spiritus*[66]) *quidem* divinitate *promptus* ad omnem dispensationem dicit, *carnem vero infirmam;* carnis vero infirmitas est contristari et moestum esse. Quando imperative dicit:
Joh. 11, 43. *Lazare veni foras,* et surrexit vivens mortuus quatriduanus, quod factum non est a principio mundi, signum divinitatis est.

Joh. 7, 39. **Ejusdem de incarnatione.**[67]) Dum dicit evangelista: *nondum erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus,* carnem ejus dicit nondum glorificatam. Non enim Dominus gloriae glorificatur, sed caro Domini hanc gloriam accepit coascendens ei in coelum, unde et Spiritus sanctus adoptionis nondum erat in hominibus, et quod assumptae ex nobis primitiae in coelum nondum ascenderant. Quaecunque ergo Scriptura dicit, quia *Filius accepit,* et *glori-*

---

[66]) Mallemus: *ac spiritum quidem divinitatis promptum ad omnem dispensationem dicit, carnem vero infirmam; carnis infirmitas est,* remota ab his postremis verbis particula *vero,* quae totius orationis seriem et contextum solvit, et abest a graeco.

[67]) Apud Theodoretum dial. 2 primum citatur testimonium sequens velut *ex tomo contra Arianos,* ac deinde hoc ipsum ut *ex eadem oratione.* In novissima operum Athanasii editione hic liber *de incarnatione contra Arianos* inscribitur.

Digitized by Google

ficatus est Filius, propter humanitatem ejus dicit, non propter divinitatem.

Ejusdem in eodem libro. *Unde,* **ait,** *et Deus cum superexaltavit,* Phil. 2, 9. *et donavit ei nomen quod est super omne nomen* etc. De templo haec dicit, quod est corpus ejus. Non enim excelsus exaltatur, sed caro exaltatur excelsi, et carni excelsi *donavit nomen, quod est super omne nomen;* et non Verbum Dei per gratiam accepit, ut vocaretur Deus, sed caro ejus cum eo deificata est.

Ejusdem[68]): Sicut enim lumen non laeditur in tenebroso loco, neque vita potest aliquid pati natura[69]), sicut ait prophetia Dominus Mal. 3, 6. de se: *Videte, quia ego sum, et non mutabor.*

34. **Basilii episcopi Caesareae de gratiarum actione.** Sicut ergo suscepit famem Dominus, forte cibo egesto ejus in corpore, et fatigatus est musculis et nervis ex itinere protensis, non divinitate labore domata, sed suscipiente corpore naturam sequentis passionis. Sic et lacrymas fudit, naturalem[70]) casum carni advenire permittens; quod evenit, quando concavitates cerebri ex fumigatione tristitiae completae fuerint, et veluti per quosdam rivos, id est foramina oculorum, humectationis onus egreditur

35. **Gregorii episcopi Nysiae contra Eunomium.** Accusat eos, qui passionem assignant humanae naturae; vult enim omnino ipsam divinitatem subdere passioni: duplici[71]) enim exsistente et sine dubitatione opinione, sive divinitas in passione sit facta . . ., unius accusatio in defensione fit modis omnibus ejus quod relinquitur. Si igitur accusant eos, qui passionem circa humanitatem respiciunt, laudabunt indubitanter eos, qui passibilem dicunt Filii divinitatem. Quae autem per haec struitur defensio dogmati eorum, absurditatis est; nam si patitur quidem secundum eorum sermonem divinitas Filii, Patris vero in omni impassibilitate servatur, impassibilis ergo natura ad[72]) eam, quae suscepit passionem. Aliter ergo habet, qui divinitatem passam dicit et non templum divinitatis.

36. **Gregorii episcopi Nazianzeni ex epistola ad Nectarium.** Et[73]) hoc non modo crudele est, sed omnium saevissimum illud est, quia

---

[68]) Hoc idem testimonium jam supra n. 20 integrius praemissum est.

[69]) Superius n. 20 *vita mortalem visitando naturam.*

[70]) Graece *τὰ ἐκ τῆς φύσεως ἐπακουλοθοῦντα συμπτώματα,* hoc est *ea quae ipsi secundum naturam accidunt.*

[71]) Interpretatio obscura et mutila sic restauranda: *Quum enim duplex sit et ambigua opinio, divinitasne an humanitas in passione fuerit* (seu *passioni subjacuerit*), *unius accusatio fit prorsus alterius defensio.* [Unde *in dubitatione* legendum videtur.]

[72]) Ex graeco *πρὸς τὴν παραδεχομένην ἀλλοτρίως ἔχει* convertendum erat: *ab ea, quae passionem suscepit, aliena est;* deinde expuncto *Aliter ergo habet* legendum *Qui divinitatem passam dicit.*

[73]) Hactenus *et homo non modo crudele est.* Pro voce *homo* legendum est *hoc,* quod liquet ex graeco *καὶ οὔπω τοῦτο δεῖνον,* hoc est *et hoc non adeo grave.*

Digitized by Google

ipsum Unigenitum, Deum judicem exsistentium, principium vitae, destructorem mortis, asserit esse mortalem et propria sua divinitate suscepisse passionem, et in triduana illa corporis morte etiam divinitatem commortuam corpori, et ita rursus per Patrem a mortuis resurrexisse.

37. **Ambrosii episcopi Mediolanensis**[74]). Cur, **inquit,** divinitati applicas carnis infirmitates, et infirmitatem humani corporis applicas divinae naturae? Nunc *anima mea tristis est* non Sapientia dicit; Sapientia enim perseveravit inconversibilis, licet indumento carnis circumamicta sit.

Matth. 26,38.

Et rursus alibi: Sunt vero quidam, qui in tantam processerunt impietatem, ut putent, quia divinitas Domini circumcisa sit, et quia in ligno non caro fuerit, sed illa divina substantia creatrix universorum.

38. **Damasi episcopi Romani contra**[75]) **Arianos cum anathematis interminatione.** Si quis dixerit, quia in passione crucis dolorem pertulit Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quia induta est servi formam, quam sibimet assumpsit, sicut Scriptura dixit, anathema sit.

Joh. 14,28.

39. **Amphilochii episcopi Iconii in libro, ubi exponit:** *Pater major me est.* Et ut non longum extendam sermonem, interrogo te compendiose, haeretice: qui ex Deo ante saecula natus est, passus est, an qui ex David in postremis temporibus natus est Jesus? Siquidem divinitas passa est, locutus es blasphemiam. Si vero homo, sicut veritas habet, qua gratia non applicas homini passionem?

Ejusdem in sermone de Filio Dei. Quum dixisset enim Petrus, quia

Act. 2,36.

et *Dominum et Christum Deus fecit,* addidit *hunc Jesum, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis.* Mortuum vero est templum, non divinitas, et qui suscitavit eum, Verbum virtus est, dicens

Joh. 2,19.

in evangelio: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud.* Si ergo dicit: *et Dominum eum et Christum fecit Deus;* mortuum et a mortuis suscitatam carnem dicit, non Filii deitatem.

40. **Severiani episcopi Gabalorum**: Similiter enim, **inquit,** secundum animam timuit, moestus fuit, contristatus est; *tristis est* enim, inquit, *anima mea usque ad mortem,* et *coepit contristari et moestus esse.* Haec non erant passiones peccati, sed passiones naturam cognoscentes. Denique Salvator, ut ostenderet, quia illa verba non erant decentia Veritatem sed congruentia carni, dicit discipulis circa

Matth. 26,37.38.

---

[74]) Scil. lib. de incarnationis Domini sacramento cap. 6 n. 50, cujus sententiam a Graecis excerptam Gelasius apud illos dumtaxat legisse videatur. Eandem quidem in medio ponit et Theodoretus dial. 2 p. 163; sed Gelasius aliunde, ut conferente palam fiet, eam conscripsit.

[75]) Vel potius *contra Apollinaristas,* certe in ea professione fidei, quam Damasus cum epist 5 ad Paulinum maxime propter hos haereticos misit n. 5. [Unde *quia* loco *quam* correximus.]

Digitized by Google

ipsum passionis tempus: *Tristis est anima mea usque ad mortem; vigilate, ut non intretis in tentationem!* Et interpretatus, cujus sint passiones, dicit: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* Ostendens igitur per omnia veracem et divinitatis dignitatem et carnis dispensationem. Matth. 26, 28.

41. **Antiochi episcopi Ptolemaidis in**[76]) **sermone contra haereticos.** Noli confundere naturas, et circa dispensationem non contremiscas: tene Deum, da Deo decentia, suscipe hominem, da homini decentia. Esuriit iste, qui secundum te, pavit ille, qui ultra te est; sitivit, qui hodie natus est, ambulavit supra mare, qui sine tempore splenduit.

42. **Johannis episcopi Constantinopolitani in crucem.** Christum quum audieris, non Deum cogites solum neque incarnatam dispensationem solam, sed utrumque: et Deum Verbum et incarnatam dispensationem. Novi Christum esurientem, et novi Christum ex quinque panibus et duobus piscibus pascentem quinque millia extra mulieres et infantes. Novi Christum sitientem, et novi Christum aquam in vinum mutantem. Novi Christum super aquas ambulantem, et novi Christum in navi dormientem. Novi Christum morientem, et novi Christum mortuos suscitantem. Novi Christum Pilato adstantem, et novi Christum Patri consistentem. Novi Christum a Judaeis lapidatum, et novi Christum ab angelis adoratum. Et aliud quidem infert deitati, aliud autem humanitati. Propterea namque utrumque dictum est, quoniam novi Christum ex Maria natum, et novi Christum ante saecula genitum. Matth. 4, 2. 14, 18 ss. Joh. 19, 28. 2, 1 ss.

Tractatus IV

seu

Gelasii papae Tomus de anathematis vinculo.

p. 77. *Acta synodi Calchedonensis ea tantum rata, quae sedes apostolica approbavit (n. 1 et 2). Sententiam autem quamvis praefixum manere, quamdiu ipsius causa non sublata fuerit, id quod etiam de Acacii damnatione dicendum (n. 3—10). Porro quia imperialis potestatis circa judicia ecclesiastica vis nulla, nec Petrum ullo modo absolutum esse dici posse (n. 11—13).*

Gelasii Tomus[1]).

1. Ne[2]) forte quod solent dicant, quod si synodus Calchedo-

[76]) Habetur apud Theodoretum ex *oratione adversus Arianos.*

[1]) Ita titulus in D^1 D^2 D^3 D^4 N^3 c d^2. (F^m *Inc. Tomus d. a. v. papae Gelasi*). D^3 D^4, qui eumdem in fronte praefixum, in indice generali istum prae se ferunt: *Gelasii papae de damnatione Acacii mirabilis disputatio atque definitio.* Is quem Quesn. exhibet, quamvis ex utroque conflatus, minus tamen congruit. Non enim in eo tam de *anathematis vinculo in Acacium et Petrum*, quam de anathematis vinculo, quo Acacius et Petrus ligati fuerant, disputatur.

[2]) d^1 *Sedis apostolicae cautela interest, ne forte quidam quod solent*, opera

Digitized by Google

nensis admittitur, omnia constare debeant, quae illic videntur esse deprompta: aut enim ex toto eam[3]) admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse: cognoscant igitur illud[4]) secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiae, pro[5]) fide, communione et veritate catholica et apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti. Alia autem, quae per incompetentem praesumptionem illic prolata sunt vel potius ventilata, quae sedes apostolica gerenda nullatenus delegavit, quae[6]) mox a vicariis sedis apostolicae contradicta manifestum est, quae sedes apostolica, etiam petente Marciano principe, nullatenus approbavit, quae praesul ecclesiae Constantinopolitanae tunc Anatolius nec se praesumpsisse professus est, et[7]) in apostolicae sedis antistitis non negavit posita potestate: quae ideo, sicut

interpolatoris, qui supplere conatus est quod deesse sibi videbatur. Sed abruptum illud exordium sapit, ut praedixi, commonitorium legatis arcanorum consiliorum consciis traditum. Hinc nec opus erat, ut eos, de quibus loquebatur, Gelasius exprimeret, quia quos ad Orientales destinabat, ipsum nec de aliis nec ad alios loqui non ignorabant.

[3]) Editi omitt. *eam.* Mox D^5 d^1 *recipi* (loco *admitti*), ac deinde D^3 repudianda.

[4]) $D^2F^mN^3$ *quoniam* (D^2 *quod*) *illud secundum*, D^1 *illud quod secundum*, d^1 d^2 *illud quod constituit secundum.* Similiter Gelasius epist. 26 n. 6 *male gestam synodum* definit, id est *contra scripturas sanctas, contra doctrinam patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota Ecclesia non recepit, et praecipue sedes apostolica non probavit*, ita et ibidem *bene gestam synodum* sic designat et exponit; *id est secundum scripturas sanctas secundum expositionem patrum secundum ecclesiasticas regulas pro fide catholica et communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia et maxime sedes apostolica.*

[5]) D^1 (sec. manu) D^9 a^1 cc *pro fide communi.* d^1 d^2 *pro fidei communione* ex analogia illorum Gelasii epist. 12 n. 8 *pro fidei catholicae atque apostolicae veritate communioneque.* Nostram lectionem mss. ($D^1F^mN^3a^3$) praebent, et confirmant tum verba epist. 26 n. 6 proxime allata, tum alia ejusdem epistolae n. 10, ubi Gelasius Leonem et Calchedonensem synodum firmasse et *quidquid ultra quam ab eodem pro fide atque communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem praeter Nicaenos canones videretur tentatum, vacuasse* docet.

[6]) a^1 cc omitt. *quae*, quod habent mss. et d^1 d^2. Non solum contradixerunt apostolicae sedis legati act. 16, sed et hoc Leonis mandato praestare se testati, ut *contradictio nostra*, inquiunt in fine ejusdem actionis, *his gestis inhaereat*, petierunt. Leo autem hanc legatorum suorum constantiam laudat et approbat epist. 106 n. 4, 5, 6, ac decretum in gratiam regiae sedis editum etiam petente Marciano firmare renuit epist. 104 n. 3 et 4. Anatolius vero se, ut conderetur auctorem non fuisse epist. 132 n. 4 ad Leonem profitetur. Vide superiorem Gelasii epistolam 26 n. 10.

[7]) d^1 *sed;* moxque *posita esse in potestate nullum robur habent*, glossema. Nihil hic deest, sed potius superfluit relativum *quae* ante *ideo.* Sic enim intelligendus hic locus, ac si legeretur: *Alia autem ideo sedes apostolica non recepit.* Ejusdem decreti occasione Leo epist. 106 n. 4 scripserat: *Si quid usquam aliter, quam illi* (Nicaeni patres) *statuere, praesumitur, sine cunctatione cassatur.*

Digitized by Google

dictum est, sedes apostolica non recepit, quia quae privilegiis universalis Ecclesiae contraria probantur, nulla ratione subsistunt[8]).

2. Quid enim? Quia in libris sanctis, quos utique veneramur et sequimur, quoniam quorumdam illic et profanitates esse feruntur, et scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter omnia aut veneranda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris et venerabilibus continentur? Sanctus Petrus primus apostolorum, sic existimans Novi Testamenti gratiam praedicandam, ut a legis veteris non recederet institutis, quaedam per simulationem legitur inter Judaeos gentilesque gessisse: numquid ideo aut illa ejus sequenda sunt, quae merito et coapostolus ejus[9]) facta redarguit et postea consequenter ipse vitavit, pariterque adsumenda sunt cum his, quae utpote primus apostolus salubria praedicavit? Numquidnam aut ejus recta doctrina cum his, quae humanitus acciderant, repudianda est, aut illa adhuc imbecillis inscitia cum perfecta ejus suscipienda doctrina est? Numquidnam in ipsorum[10]) haereticorum libris non multa, quae ad veritatem pertineant, posita releguntur? Numquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas[11]) interest, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quae illic inserta est, non negatur? Ait apostolus: *Omnia probate, quae bona sunt tenete.* Scimus apostolum etiam de paganorum libris aliqua posuisse: numquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quae cum his pariter sunt prolata[12])? Ipse apostolus ait multos praedicatores aliter atque aliter Christum praedicare: ubi[13]) tamen, licet quocunque modo, Christum praedicatum oportet admitti, tamen non ideo illum morem, quo non recte praedicatum est, non admonet evitare. Malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Haec et hujusmodi exempla nos edocent et testimonia divina confirmant, non omnia passim a quocunque dicta vel ubicunque scripta indifferenter accipere, sed retentis bonis, quae noceant refutare.

Gal. 2, 12 et 13.

1 Thess. 5, 21. Act. 17, 28. Phil. 1, 15 ss. 1 Cor. 3, 12 ss

3. Peccatori homini mors illata est, et tamen homini Jesu

---

[8]) Ita mss. et d[1] d[2]. Alii *sustinet*. Mox d[1] contra mss. *sequimur quorundam pravitates esse.*

[9]) d[1] addit *Paulus*, et postea *salubriter* (loco *salubria*). Ibidem a[1] cc *redarguit postea consequenter ipsa*, et d[1] d[2] *aut pariter*, D[9] *pariter*. Deinde D[2] *recta* (loco *perfecta*).

[10]) d[1] *ipsis*, moxque d[2] *pertinent*.

[11]) a[1] c[2] seq. *pravitas inest*, N[3] D F[m] d[1] d[2] *pravitatis interest* (D[4] *interesse*), O[2] c[1] a[3] *pravitas interest*, i. e. intermixta est veritati.

[12]) D[2] D[9] d[1] *relata;* melius alii *prolata* scilicet in iis libris, ex quibus apostolus quaedam in suis scriptis posuit.

[13]) Ita c[1] d[2] cum mss.; d[1] *ubi licet dicat quocunque modo Christum praedicatum oportere admitti, non ideo tamen ... vitari.* Ibidem c[1] sustulit particulam *non* ante verbum *admonet*, non mutato sensu, si sequatur punctum interrogantis.

Digitized by Google

Christo mors illata reum facit[14]) esse diabolum: quia ubi causa mortis non erat, puta peccatum, ibi peccati non debebatur et poena. Sententia praefigitur vel praefixa est semper errori: quae sententia huic[15]) errori praefixa, nunquam omnino resolvetur. Sicut enim, in quantum est ipse error, nunquam error esse desistit, sic a[16]) sententia praefixa nunquam resolvitur, quia error, qui agnoscitur esse damnatus, et eadem, quamdiu manet error, probatur adstrictus. Itaque qui in[17]) eo errore sunt, sententia erroris obstricti sunt; et quamdiu in eo manent, nullatenus absoluti sunt, sicut nec ipse in quo sunt error[18]) absolvitur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur, sed qui eo veraciter caruerit, atque ab ejus participatione discedit[19]). Quamdiu ergo in eis est, error damnationem suam tenet nunquamque resolvitur, quia error semper poenam meretur. Participes vero ejus aut semper sunt ejus poenae participes, si in eodem perstare non desinant; aut si ab eodem[20]) recesserint, quam alieni facti sunt ab errore et ab ejus participatione discreti, tam et poenae ejus erunt consequenter alieni. Quum erranti[21]) poena praefigitur, quamdiu manet errans, eadem poena constringitur; quia errans esse non potest sine poena errantis[22]), haec eadem poena perpetua est nunquamque solvenda, quamdiu errans esse perstiterit. Qui si errans esse destiterit, poena, quae erranti est praefixa perpetua, non erranti, id est alteri effecto quam cui praefixa est, non solum non potest esse perpetua, sed nec esse jam poena. Non est enim ipse, cui praefixa est: erranti enim praefixa est, non non erranti. Quae[23])

---

[14]) D^9 a^1 c^1 seq. *fecit*. Mox c^1 omittit *puta peccatum*, alii editi omittunt *ibi peccati*. D^1 D^2 D^6 D^7 D^9 F^m α β N^3 *ita* (α β *ibi*) *peccatum non*, d^1 *id est peccatum ibi*. Totam hanc periodum cum antecedentibus sequentibusque parum cohaerere palam est. Quod eo referendum monent cum Maffejo Ballerinii, quod hic tractatus imperfectus ex fragmentis concinnatus sit.

[15]) D^5 d^1 *errore manente numquam omnino resolveretur*, quod glossema sapit.

[16]) d^1 d^2 suppresserunt *a* cum N^3, et cum D^1 D^2 *et* (ante *eadem*). Hic ostenditur tum sententiae, quae plectit, tum erroris, qui punitur, mutuus et insolubilis nexus ita, ut ubi sit error, sit et sententia, ubi desinit error, cesset et sententia.

[17]) d^1 d^2 *in errore*. Rectius alii libri *in eo errore*, cui scilicet talis est praefixa sententia. Sic paulo ante dicitur *quae sententia* (non generaliter *errori* sed) *huic errori praefixa*.

[18]) D^1 D^3 N^3 *errores*, F^m *erroris*. Deinde D^2 *absolvetur ... resolvetur*, et d^1 *meretur* (loco *promeretur*).

[19]) d^1 *discesserit*. *Quamdiu ergo in aliquo est error*. Illud *in aliquo* ab eo additum est, qui nexum hujus sententiae cum superioribus non satis perpendit

[20]) d^2 *ab errore;* mox (loco *quam*) D^7 *quia*, α β *quo*, iidemque deinde *tum* (pro *tam*).

[21]) Ita mss. c^1 d^2. d^1 *Cum enim*, alii *Cui erranti* (vel *errati*). Moxque d^1 *per stringitur*.

[22]) Ita mss. c^1 a^1, nisi quod D^2 D^6 D^9 *erranti*. Alii cum F^m *errati*.

[23]) d^1 omitt. *Quae erranti enim*.

Digitized by Google

erranti enim praefixa perpetua est et perpetuo constringit errantem, non errantem non potest jam tenere. Sit erranti dicta fore perpetua, sit erranti dicta nunquam esse solvenda: manet omnino et[24]) vere, certumque est, quod in ea praefixum est, nec potest prorsus absolvi, quamdiu manenti praefixa debetur erranti. Non erranti autem nec poena potest esse, quae non erranti non debetur inferri. Nec mutatur illa omnino nec solvitur[25]), quae debetur erranti. In suo ergo tenore illa praefixa est, in suo jure non potest omnino resolvi; in non suo tenore quae esse non potest, jam docetur esse vacuata, et jus illic penitus non habere, ubi causam non habet exsistendi.

4. Plenae sunt sanctae Scripturae tali forma justitiae. Dicitur: *Pereant peccatores a terra, ita ut non sint: ut*[26]) *non sint peccatores, ut desistant esse peccatores, in hoc pereant, ut esse deficiant peccatores.* Ceterum si prorsus peccatores secundum prophetae sententiam usquequaque deperirent, ut[27]) substantialiter non subessent: qui salvari potuissent a Redemptore nostro, qui *venit non justos vocare, sed peccatores*; vel de quibus dicit apostolus: *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum;* et: *Quum peccatores essemus, misit Deus Filium suum,* et cetera hujusmodi? Hic revera plurimi etiam substantialiter perierunt peccatores, in peccatis suis utique permanentes, veraque in eis sententia dicta permansit, nunquamque resoluta est; et tamen eadem in talibus, quibus praefixa est, permanente perpetua, quodam genere factum est, ut in talibus non usquequaque manentibus, id est in peccatis suis non usquequaque durantibus, sententia tamen praefixa talibus permaneret. Nam etsi[28]) *pereunt,* sed *esse peccatores,* ut dictum est: non poenaliter, sed remedialiter quodam et ipsi genere perierunt; quodam genere et in ipsis mansit praefixa sententia, donec permanens eos efficeret non esse peccatores[29]). Completa est et in eis sententia, nec[30]) quo tenore peracto permanens illa sententia *pereuntibus* pec-

Psalm. 103, 35.

Luc. 5, 32. 1 Tim. 1, 15. Rom. 5, 8.

[24]) d[1] d[2] *et verum certumque est, quod in errante* (N[3] d[2] *in eo*) *praefixa est ... quamdiu in errore manenti*, corrupte.

[25]) D[2] *solvetur*. Mox d[1] *At in non suo jure quam esse non potest tam docetur*, *tam* etiam D[2]).

[26]) Ita mss. (etiam D[2]) c[1] a[3]. Alii omittunt *ut non sint*, d[1] etiam *ut desistant esse peccatores*.

[27]) D[7] *et*, subindeque D[5] d[1] *non essent*, d[2] omitt. *nostro*, et D[2] d[1] omitt. *de*.

[28]) Ita ex D[6] D[7] d[1] restituimus, quod in aliis *et ipsi*.

[29]) In editis et D[1] D[2] D[6] D[7] F[m] N[3] hic subjicitur *vel peccatores non esse perficeret*, scholion ut videtur in textum e margine translatum, quod abest a D[1] D[5] d[1].

[30]) Hoc est: quae eo tenore peracto, quod desinant esse peccatores, non permanet. Quare non cum d[1] *permanet*, sed cum aliis libris *permanens* retinendum. Nec tamen tacendum, aut aliquid hic deesse, aut mendum latere, cui manuscripti libri medelam non satis afferant.

Digitized by Google

catoribus, ita ut non essent utique *peccatores*. At[31]) ea jam in non peccatoribus manere non potuit, quia in eis, quibus inflicta non fuerat, jus manendi penitus non habebat; ita nec in suo jure vel
* f. *sed* tramite ullatenus sententia resoluta est, *et eadem in his, quibus inflicta est, permanente, ab his, qui ab ejus jure discreti sunt, aliena prorsus effecta est, nec in his, salva sui conditione, fas haberet[32]) manendi, quibus inflicta non esset.

Matth. 12, 32. 5. Dixit Dominus, quod in Spiritum sanctum peccantibus nec hic esset nec in futuro saeculo remittendum. Quantos autem cognoscimus in Spiritum sanctum delinquentes, sicut haereticos diversos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suae percepisse blasphemiae, et in futurum spem sumpsisse indulgentiae consequendae? Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse ullatenus resoluta, quum circa tales, si hoc esse permaneant, nunquam omnino solvenda persistat, effectis autem non talibus non[33]) irrogata. Sicut etiam
1 Joh. 5, 16. est consequenter et illud beati Johannis apostoli: *Est peccatum ad mortem: non dico, ut oretur pro eo; et est peccatum non ad mortem: dico, ut oretur pro eo.* Est peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus; est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo[34]), aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel poenitentibus relaxare,
Matth. 16, 18. cui dicitur: *Quaecunque dimiseritis super terram, dimissa erunt et in coelis; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* In *quibuscunque* omnia sunt, quantacunque sint et qualiacunque sint: veraci nihilominus earum manente sententia, qua[35]) nunquam solvendus esse denuntiatur in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens.

6. Quod etiam in Acacii sententia rationabiliter intuendum est,

[31]) d[1] *ita ea in non jam peccatoribus.* D[2] D[6] D[7] D[9] F[m] *ab ea*, α β *adeo*: non displiceret *ideo.* c[1] *Ea jam.*

[32]) d[1] *habet,* a[3] secundum suos codices *habere*, verbo hoc scilicet relato ad superius *potuit;* quare et periodum *Ita nec in suo prorsus effecta est* cancellis inclusit. Nos hic probatissimi viri vestigia deserenda duximus, auctoritatem D[1] D[2] N[3] d[2] cc secuti, nisi quod c[1] *ne in his*, ac deinde cum aliis conc. *non erat.*

[33]) D[1] D[2] D[6] F[m] N[3] d[2] omitt. *non.* d[1] *non irroganda* (β *non interroganda*). Alii *non irrogata*, sicut supra *non inflicta.*

[34]) D[2] F[m] N[3] *remittendum.* Pro sequentibus similiter Augustinus quaestionum evang. lib. 2 quaest. 6 scribit: *Septuagesies septies ignoscendum esse admonemur, ut intelligamus, nullum peccatum excipi, quod poenitenti et veniam deprecanti per Ecclesiam, cujus personam Petrus gestat, non dimittatur.* Vide ejusdem expositionem inchoatam epistolae ad Romanos n. 21 et 22.

[35]) d[1] *quia,* D[9] d[2] cc *quae,* alii (D[1] D[2] D[6] F[m] N[3] α a[3]) *qua.* Deinde α a[3] *solvendus,* ubi alii *solvenda;* et mox d[1] d[2] *in eodem tenore.*

Digitized by Google

in qua etiamsi ei dictum est *nunquamque*[36]) *solvendus*, non est adjectum tamen *etiamsi resipueris, etiamsi ab errore discesseris, etiamsi praevaricator esse destiteris.* Quapropter in aperto est ita dictum *nunquam*[37]) *solvendus*, sed talis scilicet, qualis est et ligatus. Non autem talis effectus, sicut ligandus non erat, sic absolutus esse docebatur. Sicut carebat obligatione, quum obligationis causa caruisset, sic utique absolutus exsisteret: quatenus et ipse non necessitate dictae sententiae videretur non posse quoquomodo[38]) jam solvi non talis effectus, et obligatione carens fieret absolutus, et circa tales praefixa sententia nullo modo solubilis[39]) redderetur. Numquid enim misit, quaesivit, expetiit, et abjectus est? Itaque ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non possit absolvi; et noluit talis effici, circa qualem, permanente sententia circa[40]) tales, effectum non talem insolubilis sententia non permaneret, quae circa effectum non talem non haberet licentiam permanendi. Quo magis, ut dictum est, exemplo atque periculo admoniti[41]), qui eodem tenore sunt constricti, festinare debent, ut non tales esse permaneant quibus sententia illa non solvenda praefixa est, et esse tales incipiant, qualibus non[42]) insolubilis praefixa sententia possit esse solubilis. Quoniam autem effecto non

---

[36]) Solus d[1] *nunquam solvendus es.* Eo pacto et Simplicius epist. 7 n. 3 in sententia adversus Antonium et Johannem prolata edixit: *Eos sub anathemate a Christianorum consortio vel ipsa appellatione removemus, nec unquam his satisfactionis patefactendus est locus.* Qua clausula non poenitentiae aut veniae, sed tantum dignitatis suae recuperandae spes atque aditus praecluditur. Qua autem mente Felix epist. 6 n. 2 adversus Acacium istud pronuntiavit *nunquamque anathematis vinculo exuendus*, ipse epistola 15 n. 4 patefacit his verbis: *Divino judicio nullatenus potuit, etiam quum id mallemus, absolvi.* Apertius autem epist. 17 n. 3 de eodem sic loquitur: *Quod non sine divini judicii terrore dicendum est: etiam nobis si requisisset optantibus, non est permissus absolvi.* Unde liquet tacitam esse conditionem: *nisi poenitentia praeeunte hoc vinculo meretur exui.*

[37]) d[1] *solus solvendus talis scilicet qualis et ligatus*, c[1] *si talis.* Mox c[10] add. *qui* (ante *sicut*); D[2] *sicut carebat obligationis causa caruisset utique absolutus.*

[38]) Ita D[2]N[3] et mss. a[3]; D[1]D[9]F[m]N[3] *quomodo*, a[1] cc *quodammodo*, et mox cum D[1] D[2] *nam talis* (c[1] *nisi talis*).

[39]) Ita D F[m] N[3] d[2]. Alii *insolubilis.* Est autem sensus: *et circa tales* (scilicet manentes peccatores, in quales inflicta sententia est) *praefixa sententia nullo modo solubilis appareret.*

[40]) c[1] c[2] *circa talem.* d *circa affectum non talem*, quod pugnat cum sequentibus. 2 mss. (a[3]) *circa tales effectos non tamen insolubilis sententia permaneret*, corrupte. Sinceram lectionem praebent D[1] D[2] D[7] D[9] F[m] N[3] a[1] a[3] d[2]. Porro *circa qualem ... effectum non talem* (haec enim jungenda sunt) hoc sibi vult: circa quem correctum adeoque alium jam effectum, et non talem, qualis erat quum damnaretur, *manente sententia circa tales* qui non coriguntur.

[41]) Ita a[3] cum vulgatis. d[1] *monente*, D[2] F[m] d[2] *moniti.*

[42]) F[m] d[1] *non solubilis*, eodem sensu, quo antea *non solvenda;* alii *non insolubilis.*

Digitized by Google

tali quali non solvenda praefixa sententia est, effecto, inquam, non tali potest solubilis esse sententia: quia jam Acacio non volenti non[43]) talis esse, sicut tali usque in finem permanenti permansit inabsoluta[44]) sententia, ita jam non tali effici[45]) non volenti solubilis non potest esse sententia. Nonne tantos habebat Acacius, quorum exemplum sequi potuisset, antistites, qui in Ephesino prolapsi latrocinio, quolibet modo in consensionem reciderant pravitatis? Utique[46]) tamen, etsi dictum non erat, et perpetuam damnationem ferre potuissent, nisi resipiscentes et non tales effecti, quales illic facti fuerant damnationemque perpetuam merebantur: resolvi circa se damnationem recedentes a perpetuae damnationis causa meruerunt, quam qui perstitere circa se insolubilem reddiderunt.

7. Nihil interest igitur, nihil differt, utrum dicatur *nunquam solvendus*, an non dicatur, quia ecclesiastica sententia reos et praevaricatores obligat: quia sicut ei non potest suffragari, quod non est dictus *nunquam solvendus*, sed, si in errore permanserit, insolubilis modis omnibus perseverat, nec potest inde nisi non talis effectus absolvi: sic cuiquam[47]) praejudicare non potest, tametsi dictum est *nunquam esse solvendum*, manifesta ratione monstrante, quia nunquam sit omnino solvendus, si talis qualis ligatus est esse persistat, vel talis utique nunquam solvendus, qualis est obligatus. Non adjecto autem, *etiamsi resipiscat et corrigat*, patere prorsus et liberum esse non dubium sit, ut non talis effectus qualis *nunquam* dictus est *esse solvendus*, sed talis qualis non est dictus *nunquam esse solvendus*, id est correctus et emendatus, consequenter correctus et possit[48]) solvi.

8. Notandum, quod quolibet genere blasphemantibus in Spiri-

---

[43]) a[1] cc d[2] *non talem*, d[1] d[2] cum mss. *non talis*. Restituendum *non tali* suasit subnexa sententia *jam non tali effici, non volenti*.

[44]) Mss. (a[3]) *absoluta*, d[1] *non absoluta*, c[1] c[9] *in absoluta*, c[2] d[2] cum mss. (etiam F[m]) *inabsoluta*.

[45]) d[1] *effici volenti solubilis potest esse sententia ... sequi posset*: depravate, quum haec de Acacio jam defuncto, qui voluntatem mutare non possit, dicantur.

[46]) D[2] *Qui utique*. Mox d[1] *resipiscentes non tales efficerentur, quales illic facti fuerant. A perpetua ergo damnatione meruerunt resolvi recedentes etc.* Integrior et sincerior visa est lectio, quam aliae editiones cum D[9] et 4 mss. a[3] D d[2] exhibent, nisi quod sine his *meruissent* legant. Actione 4 concilii Calchedonensis (ed. Hard. II, 383) edictum fuerat, ut eadem depositionis poena plecterentur Dioscorus, Juvenalis, Thalassius, Eusebius, Eustathius et Basilius, quod in Ephesino latrocinio *principes concilii* exstitissent. At postmodum in eadem actione (l. c. II 414) iisdem episcopis uno Dioscoro excepto in concilium intrandi potestas facta est. Eo maxime nunc spectat Gelasius.

[47]) d[1] *cuidam praejudicari*.

[48]) α *possit esse solutus*, D[2] *esse possit solutus*, D[6] *possit solutus*. Moxque d[2] *Notandumque*.

Digitized by Google

tum sanctum, si resipiscant et corrigant, et hic eis et in futuro saeculo remittatur; nec inde possit Domini nutare [49]) sententia, quae circa tales utique permanentes permanere dicta est, non circa non tales effectos. Quamdiu autem in hoc manent, tales sunt, qualibus non remittendum esse praefixum est. Quum autem ab hoc recesserint, non tales efficiuntur, qualibus non remittendum esse praedictum est, et ideo non talibus effectis potest et hic et in futuro saeculo [50]) jam remitti. Alioquin, quod absit, frustra videretur Ecclesia hujusmodi [51]) sua reconciliatione suscipere. Quia autem frustrari non potest, hoc intellectu modis omnibus, salva Domini sententia, praedicandum est, quantum ad nos pertinet, omnino non posse.

9. Talis igitur dictus est Acacius, qualis ligatus est, *nunquam esse solvendus.* Talis usque in finem esse permansit, talis esse non destitit; ita [52]) talis est hodie qualis est et dictus, non talis esse jam non potest. Nunquam igitur talis permanendo solvendus est; qui si talis esse desisteret [53]), nec in non tali permansisset *et nunquam esse solvendum*: quia non talis, qualis dictus est *nunquam esse solvendus,* posset absolvi, et non [54]) tali nunquam *solvi* recederet, et ideo *ut solvi posset* accederet. — Quod [55]) sedes apostolica non consensit, nec imperator imposuit, nec Anatolius usurpavit, totumque, ut dictum, est in sedis apostolicae positum potestate. Ita quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem: et [56]) sola rescindit, quod praeter ordinem

---

[49]) D^2 F^m d^1 *mutari,* D^1 *nutari.*

[50]) d^1 omitt. *saeculo jam;* a^1 c^2 seq. *saeculo non* contra mss. (etiam D^2 F^m N^3) c^1 a^3 d^2. Mox D^2 d^1 *videatur.*

[51]) d^1 addit *homines in.* Mox D^3 *frustra,* D^1 D^2 *frustrare.* Deinde a^1 c^2 seq. *omnino posse,* praeter fidem anteriorum edit. et mss. nec non sententiam Gelasii, qui quidem docet blasphemantibus in Spiritum sanctum peccatum omnino solvi non posse, *quantum ad nos* (hoc est quantum ad judices) *pertinet,* licet blasphemantes ipsi possint facere, ut dimittatur, si blasphemare desinant ac veniam rogent.

[52]) d^1 *Itaque talis ... sed non talis.* a^1 cc ibidem omitt. *et.*

[53]) D^3 d^1 *destitisset ... permansisset,* tum cum α *nunquam esset solvendus,* corrupte. Sic enim haec sententia intelligenda, quasi legeretur: *nec in non tali permansisset τὸ nunquam esse solvendum,* hoc est: si talis esse desineret in qualem dicta est sententia, desineret etiam et in eum non caderet clausula sententiae *nunquam eum esse solvendum.*

[54]) Clarius diceretur: et a non tali τὸ *nunquam solvi* recederet. Quocirca haec lectio d^1 *et non talis nunquam solutus abscederet* Gelasinae menti prorsus est contraria.

[55]) Totam hanc periodum usque ad finem 9 hic perperam insertam monent Maff. et Ball., aptiusque post illa n. 2 *quae noceant refutare* adjicienda esse.

[56]) d^1 *Solum ergo rescidit:* renitentibus aliis libris (D^2 tamen *rescidit*). Quorum lectionem illustrant haec epist. 26 n. 10: *ipsum beatum papam Leonem sedis apostolicae praesulem, cujus synodus Calchedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra, quam ab eodem pro fide et communione apostolica illic agendum constaret*

Digitized by Google

congregatio synodica putaverat usurpandum, non promulgatrix[57]) iteratae sententiae, sed cum apostolica sede veteris exsecutrix.

10. Hoc tamen, quod de uno eodemque homine dictum est, sive tali persistente, qualis sententiam competenter accepit, sive non tali effecto et ab[58]) illa sententia, quae non tali non dicta est, absoluto, et in unaquaque civitate legitur similiter esse praefixum, et in populo ac gente simul depromptum, potiusque in toto orbe portio est. Idem enim mundus est, qui et periturus est dictus, et sermo Dei non potest excidere, et in ipso mundo nihilominus a pravis intentionibus recedente non promitur[59]). Sic Tyrus et Berytos et Gaza et Aegyptus pronuntiatae sunt periturae, quas postea per evangelium novimus esse salvatas. Perierunt itaque duplici modo: aut permanentes in eo, quo talem sententiam susceperunt; aut deficientes ab eo, quo tales fuerant, et incipientes esse quo non tales fuerant, quibus est illa praefixa sententia: ut consequenter ad non tales non pertineret illa sententia, quae non talibus praefixa non fuerat. Sic etiam de gente Judaeorum a[60]) Deo etiam per Esaiam prophetam peremptorie veluti pronuntiatum est: *Claude oculos eorum et obtura aures eorum, ut videntes non videant et audientes non audiant, ne quando intelligant; et obdura cor populi hujus, ne unquam convertantur, et sanem illos.* Hic etiam correctio et emendatio interdicta monstratur, et resipiscendi quoque spes prorsus absciditur, de quo tamen populo apostolos et[61]) Ecclesiam primitivam novimus processisse, et tot millia hominum una die baptismate fuisse salvatos. Ecce et in persistentibus qualis est illa sententia promulgata permansit, nec ad correctionem prorsus venire sanitatis[62]) admissi

Jer. 47, 4 et 5. 44, 12.

Jes. 6, 10.

Act. 2, 41.

---

esse delegatum, per occasionem congregationis illius praeter Nicaenos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Vide et quae in eadem epistola n. 6 edisseruntur.

[57]) Si Gelasii mentem bene assequor, sic intelligendus hic locus, quasi dixisset: *congregatio synodi, quae ideo convenerat, non ut promulgatrix iteratae* (seu novae) *sententiae, sed cum apostolica sede veteris* (scil. Nicaenae) *exsecutrix fieret.*

[58]) a[1] c[2] seq. omitt. *ab* et *in* (ante *populo*), cernuntque *potius quae.* d[1] d[2] cum D[1] D[2] D[6] D[9] F[m] *esse* (2 mss. a[3] et d[1] *est*) *praefixa ... deprompta*, et cum D[4] (?) et 2 mss. a[1] *disseminata*, ubi D[1] D[2] *portionem*, N[3] *portione*, D[5] *portionem adepta.* a[1] conjectat *positum* vel *pronuntiatum.* Recte monet a[3], has varias lectiones esse hominum, qui dum locum vitiosum emendare tentarunt, eum a se nequaquam intelligi prodiderunt. Hoc enim sibi vult: quod de uno eodemque homine Acacio dictum est, hoc et adversus unamquamque civitatem (puta Tyrum, Niniven etc.) legitur esse praefixum, et adversus populum ac gentem simul depromptum, immo potius adversus totum mundum esse positum atque pronuntiatum.

[59]) F[m] *promittitur.* Mox D[2] *Beryton et Sydon Gaza.* In F[m] deinde excidit *et incipientes — fuerant.*

[60]) d[1] omitt. *a Deo etiam.* D[2] *Deus etiam.* Mox D[4] a[1] c[2] seq. *obtura*, ubi D[1] D[2] D[6] D[7] D[9] F[m] N[3] c[1] d[1] d[2] *obdura.* Deinde *α obdurabo.*

[61]) D[2] F[m] N[3] omitt. *et*, moxque c[9] omitt. *tot* et scribit *salvata.*

[62]) d[1] omitt. *sanitatis.*

Digitized by Google

sunt, sed adjudicati sunt in sua nequitia deperire; et, manente divina sententia, non per ipsorum propriam emendationem suoque intellectu vel motu suaque virtute vel possibilitate conversi sunt[63]), ut sanarentur, sed per gratiam Dei sanati sunt, ut converterentur. *Ne convertantur* inquit, *et sanem eos*: ne sua sponte, ne suis operibus, quibus utique confidebant, ne suam justitiam sectantes, justitiae Dei non[64]) debeant esse subjecti, de suis viribus confidentes, non divinae se misericordiae illuminationique subdentes. Et ideo inhibetur eis superbae praesumptionis effectus: *ne convertantur* suis intentionibus, suis nisibus, ut putarant; *et sanem eos,* ne eorum quasi meritis ex propria facultate venientibus salvatrix gratia daretur, atque ita gratia jam non esset gratia, si non gratis data esset immeritis, sed merces tamquam meritis restituta. Non ergo *ipsi convertantur, et sanem eos:* sed sanati per gratiam, qualiter ad humilitatem Christi convertantur, agnoscant. Ita in utrisque, hoc est, et in eo permanentibus in quo talem sententiam perceperunt, et in salvatis exinde sententia dominica fixa permansit. Et[65]) tamen illa permanente, sic eis miro genere sanitas introducta est, ut illa sententia non mutata videretur, sed eadem perdurante sanitas non illorum confidentia sed divino munere proveniret.

11. Quodsi haec tentare[66]) formidant, nec ad suae pertinere cognoscunt modulum potestatis, cui tantum de humanis rebus judicare permissum est, non etiam praeesse[67]) divinis: quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare praesumunt? Fuerint haec ante adventum Christi, ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter reges exsisterent et pariter sacerdotes, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia. Gen. 14, 18. Quod in suis quoque diabolus imitatus est, utpote qui semper quae divino cultui convenirent sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed quum ad verum ventum est eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale[68]) fastigium vindicavit: (quamvis enim membra ipsius, id est, 1 Petr. 2, 9.

---

[63]) d[1] addit *alii*. Potius supplendum *apostoli et primitiva Ecclesia* e Judaeo populo assumta.

[64]) Solus d[1] *non essent subjecti*.

[65]) c[10] *et tamen illa permanent*; *sic* etc. c[1] *et tamen cum permanente*. Mss. D d[1] d[2] sequimur.

[66]) d[1] addit *imperatores*. Porro pronomen *haec* aliquid indicat aliud, quam quod proxime dictum, adeoque quod hic desiderandum videatur. Alioquin integra haberetur lectio in hunc modum: *Quodsi divina ministeria tentare formidant, ... quibus tantum de humanis etc.*

[67]) D[2] addit *et eam;* moxque *Fuerunt*.

[68]) D[2]D[3]F[m] cum 2 mss. (a[3]) *regulae regiae fastigium*, alii item *regulare regiae fastigium*. Exinde d[1] suppressit *enim*. Idem de duplici potestate argumentum

Digitized by Google

veri regis atque pontificis, secundum participationem naturae[69]) magnificae utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul regale genus et sacerdotale subsistant:) quoniam[70]) Christus memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi: ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur; quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, et
2 Tim. 2, 4. *Deo*[71]) *militans minime se negotiis saecularibus implicaret*, ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus: ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.

12. Quibus omnibus rite collectis satis evidenter ostenditur, a saeculari potestate nec ligari prorsus nec solvi posse pontificem. Quo manifestius approbatur Alexandrinum Petrum per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus absolvi. Ubi si pontificum[72]) quoque sociatur assensus, quaerimus, utrum praecesserit an fuerit subsecutus. Si subsecutus est[73]), nihilominus ad id reditur, ut absolutio a saeculari potestate praecepta et principaliter inchoata valere non possit, pontificumque secutus assensus adulationis potius fuerit quam legitimae sanctionis. Si praecessit, doceatur, a quibus et ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiae regulam celebratus, si[74]) paterna traditione profectus, si majorum more prolatus,

---

tractat et Nicolaus I ep. 8 ad Michaelem imp. Sed longe antea Hosius, Athanasio in hist. Arian. ad monach. (vulgo epist. ad solitarios) n. 44 referente, ad Constantium imperatorem sic scribit: *ne te rebus misceas Ecclesiae nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metuo, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem.* Vide et superiorem Gelasii epistolam 10 n. 9 et epistolam 12 n. 2.

[69]) c[1] *magnifice*, c[9] c[10] *naturae magnifice*. Porro *naturae magnificae* nomine hic intelligitur divina, cujus nos participes effici item docet 2 Petrus 1, 4.

[70]) a[1] c[2] seq. *attamen Christus ... temperans;* subinde d[1] d[2] *sicque*.

[71]) F[m] d[2] cc add. *ideo*, contra mss. D.

[72]) d[1] add. *sibi*.

[73]) D[1] D[2] D[6] D[7] D[9] F[m] α N[3] add. *et imperiali* (vel *imperialis*) *sententiae qua*. Unde d[1] d[2] addunt *imperialem sententiam*, quae duo verba in aliis libris commode reticentur. Nunc aggreditur Gelasius id, quod Acacius obtenderat, se ut Petrum Alexandrinum in communionem admitteret, imperatoris auctoritate inductum fuisse. Qua de re recolenda epistola 26 n. 8 et 13.

[74]) d[1] d[2] add. *a;* moxque α d[1] d[2] *probatus*.

Digitized by Google

si competenti examinatione depromptus. Ubi procul dubio requirendum est, si synodali congregatione celebratus, (quod in receptione damnati et depulsione catholici, quia noviter[75]) causa, fieri debuisse certissimum est), si ad primam sedem, cujus intererat sententiae, qua Petrus tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiae regulas est relatum; si eadem quae ligavit absolvit; si[76]) illa quae ligaverat non resolvente, immo etiam nesciente, potuisset dissolvi. Si haec gesta non sunt, quo more, quo ritu Alexandrinus Petrus praetenditur absolutus, quum nec a pontificibus legitime et ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec a saeculari potestate potuerit praeter Ecclesiae tramitem prorsus absolvi?

13. Sed dicatur forsitan: non imperator absolvit, sed a pontificibus poposcit absolvi. Tanto magis poscenti imperatori a pontificibus fuerat suggerendum, ut si eum legitime vellet absolvi, legitima et ecclesiastici tenoris absolutio proveniret, et haec omnia, quae superius dicta sunt, secundum Ecclesiae tramitem servarentur: praecipue[77]) quum de secundae sedis ageretur antistite, nec ab inferiore qualibet sed a prima sede jure possit absolvi. Inferior[78]) quippe potiorem absolvere non potest: sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices, qui nullatenus se noverant potiorem sibi sine[79]) prima sede posse resolvere, praecipue quem ejus sententia noverant obligatum, praevaricatoria absolutione non illum penitus exuerunt, sed se praevaricatione potius nexuerunt. Ita Petri absolutio ex utroque non constat: quia nec

---

[75]) D[9] cum 4 antiquis mss. (a[3]) et D[1]D[4]F[m]N[3]d[2] *noviter causa*, D[2] *noviter fieri causa debuisse*, d[1] *noviter erat causa*. Magis placeret *quia nova erat causa*. Hanc causam, qua de expellendo Johanne catholico ab imperatore mendacii ac perjurii accusato et recipiendo Petro haeretico agebatur, novam esse et in legitima synodo excutiendam fuisse Gelasius pluribus epist. 26 n. 12 et ep. 27 n. 9 edisseruit.

[76]) Iidem mss. et d[2] *quod si illa, quae non ligaverat, resolvente* (et D[2] ante omittit *absolvit;* idem mox *potuisse*); eamque lectionem omisso *quod* veteres conciliorum edit. et Quesn. secuti sunt, quamvis illam non permittat adjunctum *immo etiam nesciente*. Unde d[2] *quasi* (loco *quod si*) legendum suadet, a[3] vulgatam conciliorum praefert. Nimirum Gelasius hic repetit, quod epist. 26 n. 5 asseruit, satis constare *Acacium nullum habuisse pontificium sententia sedis apostolicae damnatum* (vel *sententiam sedis apostolicae*) *sine ulla ejus notione solvendi*. Vide et epist. 27 n. 4 et 5. Propter auctoritatem tamen veterum codicum suspicio est, utramque lectionem ita copulandam esse: *si ea quae non ligaverat solvente, et illa quae ligaverat non resolvente, immo etc.*

[77]) Nicolaus I ep. 1 ad Mich. imp. hunc locum ita laudat: *Item idem in tomo ad Orientales episcopos. Praecipuae etc.* Vide Julii I epistolam 1 n. 22.

[78]) Avitus Viennensis episcopus epist. 31 cunctorum Gallicanorum episcoporum nomine scribens ait: *non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.*

[79]) D[1] d[2] *sine apostolica sede*. Moxque D[7] *solvere*, cc autem addunt *potius* (ante *non illum*).

Digitized by Google

praevaricatoria absolutione rei reum absolvere potuerunt, et depulsis undique pontificibus catholicis haereticisque suppositis vel his qui haereticorum tenebantur communione polluti, etiam[80]) sacrae religionis insinceritate polluti, participem suum tam absolvere nequiverunt, quam ipsi non erant absoluti; ac proinde tam ecclesiasticae regulae praevaricatores, quam sacrosanctae communionis integritatem maculantes consortio perfidorum, quod[81]) de reo simillimo potuerunt ferre judicium? De catholicis enim pontificibus per totum Orientem aut quicunque perstitit, est ejectus, aut ille restitit, qui consensit errori et se ab errantium contagio non retraxit. Quod igitur eorum potuit de cujusquam errore esse judicium, qui nusquam non errasse monstrantur, et haereticorum simul catholicorumque confessione permixta, cuncta[82]) religionis verae et sincerae turbasse, catholicamque apostolicamque confudisse puritatem? Ecce qui reum absolvere potuerunt, qui rei prae omnibus docebantur effecti! Ecce cum quibus de absolvendo reo synodus fuerat ineunda! Si fides et communio catholica retinebatur, cur catholici pellebantur antistites? Si catholici pellebantur antistites, quomodo non[83]) tantummodo haeretici servabantur[84])?

---

[80]) d^1 d^2 *et etiam* omisso deinde *polluti*, praeter sententiam Gelasii, qui superiore ac sequente verbo *polluti* non eosdem sed alios atque alios designat. Primum enim de iis episcopis, qui catholicis supposuerunt, alterum de iis, qui supposuerunt, enuntiat. Ac propterea *hi dicuntur insinceritate religionis polluti*, quia sinceram non prae se ferebant religionem, qui et catholicos episcopos expellere et haereticos aut haereticorum communione contaminatos eis sufficere non dubitarant. *Insinceritatis* vocem etiam tract. 5 n. 5 legimus. F^m *sinceritate.*

[81]) D^7 α d^1 *quod rei simili modo potuerunt*, D^5 *quod rei simillimo potuerunt referri judicio*, D^1 D^2 F^m N^3 β *quod dirui* (D^2 F^m *de sui*, β *diruti*) *simillimo*, unde cum cc nostra lectio. Hanc confirmat et illustrat illud epist. 26 n. 14: *simili conditione constricti complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque rei reum possunt competenter absolvere.* In quem locum annotata repete.

[82]) Ita omnes nostri mss., nisi quod voculam *se* ante *turbasse* praemittunt. Quam lectionem recepit d^2; d^1 *cuncta religionis verae et sincerae turbasse judicia*, cc *cunctas religionis verae et sincerae sedes turbasse judicia et catholicam.* Hoc nostra lectio, quae simplex est, sonat: *cuncta, quae religionis verae et sincerae sunt, turbasse.*

[83]) c^1 d^1 omitt. *non*, perperam. Non enim fatebantur Orientales, a se tantummodo haereticos servatos esse, sed ad id fatendum Gelasius illos eo argumento inducere conatur, quod epist. 27 n. 6 fusius prosecutus est in hunc modum: *Cur catholici sunt rejecti? Sed evidenter apparet, quia quum catholici sunt rejecti, non catholici fuerunt subrogati; restat, ut catholicis haeretici quicunque successerint* (conf. Gel. ep. 26 n. 7).

[84]) Finit F^m *Exp. tomus sci Gelasi papae contra eos qui dicunt Acacium injuste fuisse damnatum.*

Digitized by Google

Tractatus V

seu

Dicta beatissimi Gelasii papae adversus Pelagianam haeresim.

79. *Primum eos refutat, qui hominem in hac vita eo pervenire posse putant, ut nullis prorsus pulsetur humanae fragilitatis affectibus* (*n.* 1—13). *Tum virum infidelem per mulierem fidelem ac vice versa eorumque filios ita sanctificari ostendit, ut propria adhuc sanctificatione egeant* (*n.* 14—19). *Denique de resurrectionis qualitate maxime adversus eos disputat, qui feminas non in propriam sed in virilem formam resurrecturas esse sentiebant* (*n.* 20—26).

1. De Pelagianis quidem sensibus blasphemiisque sacrilegis et apud majores nostros tam divinis quam humanis legibus justa discussione damnatis, nimis est copiosa materia; quia et illorum est multiplex perniciosa perversitas, eoque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius humani generis principe pravo funestoque commento non rite conceptam rerum consequentium mendaciis texuerunt. Necesse est enim, ut qui a principio deviarit ab integro tramite, vagus ubique progrediens, quanto se currere fortius putet, tanto plus erret, et in his, ut competit, refutandis disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectae medicinae mos est, originem vel intelligere prius vel reserare morborum, eisque patefactis medelam conficere congruentem. Quae cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, in quantum coelesti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam movere perhibetur, sufficienter interim duximus explicandum; ut eodem convenienter inspecto, quod in ceteris cavere jam debebant, Domino Deo nostro praestante perpendant. Aestimant igitur quidam[1]), in hac vita posse quemquam hac perfectione consistere, ut nullius prorsus fragilitatis humanae pulsetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris. Quod quisque, si propriis viribus suaeque proposito voluntatis existimat[2]) adipisci, semetipsum seducit, 1 Joh. 1, 8. et veritas in eo non est. Nam si in ipsis primis hominibus, dum sua nimirum felicitate confidunt, et tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nusquam fecisse referuntur,

---

[1]) Quinam illi sint et ubi gentium degant, Gelasius tacet. Scripserat olim Hilarius ad Augustinum epist. 156, quosdam apud Syracusas esse Christianos, qui posse esse hominem sine peccato et mandata Dei facile custodire, si velit, affirmarent. Augustinus quoque lib. de perfectione justitiae c. 1 sibi de Sicilia allatas esse testatur quasdam definitiones, quibus idem placitum defenditur. Sed quos nunc refutat Gelasius, plus aliquid adstruebant, quum hominem non solum sine peccato sed et sine humanae fragilitatis affectibus atque illecebris esse posse, adeoque ἀπάθειαν, quam Augustinus de civ. Dei XIV, 9 non esse hujus vitae docet, propugnabant.

[2]) Ita G[1]. Editi *existimet*. Mox G[1] *nimium felicitate*, nescio an sola scriptionis incuria.

Digitized by Google

nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt: quanto magis post praevaricationis ruinam, in[3]) quam mala sui confidentia Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, absque divino munere suis viribus vel aegri perstare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt. Sin vero quisquam non possibilitate facultatis humanae, sed per divinam gratiam hoc asserat in hac[4]) vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, et sperare fideliter: sed utrum aliqui tales[5]) exstiterint, qui usque ad hanc perfectionem vitae praesentis accederent, sicut nusquam evidenter adstruitur, sic nos facile vel firmare vel impugnare non convenit; magisque sobrium est, ex ipsorum vocibus prophetarum apostolorumque sanctorum, quatenus hujus vitae profectum metiri debeamus, agnoscere, quibus utique in hoc mundo, quantum ad sanctae vitae pertinet institutum, nihil excellentius vel fuisse vel esse manifestum est. Qui etiamsi copiosiore Dei munere vel raris omnino vel minimis humanae conditionis passionibus impetiti sunt, et affluentiore Dei gratia mortalitatis vitia[6]) facile superarunt, non usque adeo

---

[3]) G[1] *quam* sine praepositione *in;* quod observamus, quia alibi in Gelasii aliorumve pontificum eadem constructio servetur. Mox a[3] *perstare* loco *vel stare* posuit.

[4]) G[1] *in hac vita de quibuslibet.* Moxque in Coust. „Vatic." deest *nam.* Tradit et Augustinus lib. de perfectione justitiae c. 7 n. 12, negandum non esse hominem *adjuvante Dei gratia* sine peccato esse posse; idemque cap. 7 repetit. *Nam qui*, inquit de peccator. merit. II, 6, *dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est illis continuo incauta temeritate resistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti vel misericordiae, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.*

[5]) Quamvis Augustinus epist. 157 n. 4 scribat: *Illi utcunque tolerandi sunt, quando dicunt, vel esse vel fuisse hic aliquem praeter unum Sanctum sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum*, nec aliter lib. de perfectione justitiae c. 63 loquatur: postmodum tamen contra duas epistolas Pelagian. lib. 4 c. 10 n. 27 dixit: *Illud jam tertium videamus, quod non minus istis omne Christi membrum et totum ejus corpus exhorret, quia contendunt esse in hac vita vel fuisse justos nullum habentes omnino peccatum.* Hoc quippe dogma ab universali Africae concilio anno 418 Carthagine habito can. 7, 8 et 9 tum damnatum fuerat. Vide et vulgatum Milevitanum II can. 6, 7 et 8. Posteriorem illam Augustini et Africanorum conciliorum sententiam Gelasius ignorasse jure videatur: ab ea tamen se non abesse satis indicat.

[6]) Aliter quidem ii, quos Gelasius impugnat, et aliter Stoici *vitia* intelligebant. Nam his omnis metus vel cupiditas vel laetitia aut dolor *vitium* erat, atque idcirco hujusmodi affectiones a suo sapiente removebant. Contra quos Augustinus de civit. Dei l. 14 c. 9 postquam de justis n. 1 dixit: *Metuunt poenam aeternam, cupiunt vitam aeternam, dolent in re, quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt adoptionem, exspectantes redemptionem corporis sui, gaudent in spe etc.*: n. 3 subjicit: *hi motus, hi affectus de amore boni et de sancta caritate venientes,*

Digitized by Google

tamen expertes eorum se fuisse testantur, ut scilicet illius immaculati Agni sit proprium, nullum prorsus habuisse peccatum, ne non soli videatur esse deputandum, si alius quilibet sanctus expers delicti fuisse credatur. Contenti simus ergo professione sanctorum, et quid de se ipsi magis pronuntient audiamus, quam quid vel temere cogitandum sit vel nostris opinionibus ventilandum, sine certa auctoritate sectemur.

2. Cur autem, quum Deus omnipotens post mysterium reparationis humanae etiam id homini conferre potuerit, ut ab omnibus omnino vitiis esset immunis, maluerit fideles suos salvos fieri, et exspectare perfectae beatitudinis firmitatem, ut quod sperando desideramus, rebus possimus adipisci; censueritque nunc *perficere in infirmitate virtutem*, quam remotis infirmitatibus humanam conditionem nulla sineret languoris exagitatione pulsari: quantum Dominus ministrarit, ut[7]) competit, disseretur Scripturarum testificationibus, contra quarum tenorem nihil est temere profitendum, super his sensibus erudiri. Constat in ipso primo homine Christum et Ecclesiam figuratam, beato Paulo apostolo nos docente, quum de foedere sancti conjugii loqueretur: *Sacramentum hoc,* inquiens, *magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Itaque jam inde ut[8]) sanctorum quisque processit, in hujus sacramenti figuratione censitus est; et hoc mysterium omnes sancti ab Abel suis sacrificiis actionibusque gesserunt. In Christo ergo et in Ecclesia, in qua utique generaliter praecondita est remissio peccatorum, fideles quique Deo sanctique vixerunt, et usque ad legis tempora per Moysen datae certis sunt sacrificiis in hujus mysterii virtute purgati. Quapropter si eguerunt omnes mysticis immolationibus incessabiliter expiari, non dubium est vitiis humanae conditionis fuisse pulsatos; a quibus eos per illa remedia futuri sacramenti necessarium esset incessanter absolvi. Jam vero legis tempore neminem fuisse sanctorum, qui non hostiam obtulerit pro peccato, lectio veneranda

2 Cor. 12,9.

Eph. 5,32.

---

ai vitia vocantur, sinamus, ut ea quae vere vitia sunt virtutes vocentur. Sed quum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas affectiones audeat dicere? Illi vero cum Augustino ibid. n. 4 *vitia* vocabant eas affectiones, *quae contra voluntatem accidunt, mentemque perturbant.* Sed cum eodem doctore profiteri nolebant, quod ἀπάθεια illa, qua fit, *ut sine his affectionibus vivatur, etsi bona plane et maxime optanda est,* sed *nec ipsa hujus est vitae.* Nec audiebant, quod subdit: *Nunc vero satis bene vivitur, si sine crimine; sine peccato autem qui se vivere existimat, non agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat.*

[7]) Sublata particula *ut* cum verbo sequenti *disseretur* integra erit oratio in hunc modum: *quantum Dominus dederit, competit scripturarum testificationibus.* G[1] tamen loco *scripturarum* habet *arum,* cui secunda manu *h* superscriptum, moxque *extremere.*

[8]) G[1] omitt. *ut.*

Digitized by Google

nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt: quanto magis post praevaricationis ruinam, in[3]) quam mala sui confidentia Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, absque divino munere suis viribus vel aegri perstare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt. Sin vero quisquam non possibilitate facultatis humanae, sed per divinam gratiam hoc asserat in hac[4]) vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, et sperare fideliter: sed utrum aliqui tales[5]) exstiterint, qui usque ad hanc perfectionem vitae praesentis accederent, sicut nusquam evidenter adstruitur, sic nos facile vel firmare vel impugnare non convenit; magisque sobrium est, ex ipsorum vocibus prophetarum apostolorumque sanctorum, quatenus hujus vitae profectum metiri debeamus, agnoscere, quibus utique in hoc mundo, quantum ad sanctae vitae pertinet institutum, nihil excellentius vel fuisse vel esse manifestum est. Qui etiamsi copiosiore Dei munere vel raris omnino vel minimis humanae conditionis passionibus impetiti sunt, et affluentiore Dei gratia mortalitatis vitia[6]) facile superarunt, non usque adeo

---

[3]) G[1] *quam* sine praepositione *in;* quod observamus, quia alibi in Gelasii aliorumve pontificum eadem constructio servetur. Mox a[3] *perstare* loco *vel stare* posuit.

[4]) G[1] *in hac vita de quibuslibet.* Moxque in Coust. „Vatic." deest *nam.* Tradit et Augustinus lib. de perfectione justitiae c. 7 n. 12, negandum non esse hominem *adjuvante Dei gratia* sine peccato esse posse; idemque cap. 7 repetit. *Nam qui*, inquit de peccator. merit. II, 6, *dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est illis continuo incauta temeritate resistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti vel misericordiae, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.*

[5]) Quamvis Augustinus epist. 157 n. 4 scribat: *Illi utcunque tolerandi sunt, quando dicunt, vel esse vel fuisse hic aliquem praeter unum Sanctum sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum*, nec aliter lib. de perfectione justitiae c. 63 loquatur: postmodum tamen contra duas epistolas Pelagian. lib. 4 c. 10 n. 27 dixit: *Illud jam tertium videamus, quod non minus istis omne Christi membrum et totum ejus corpus exhorret, quia contendunt esse in hac vita vel fuisse justos nullum habentes omnino peccatum.* Hoc quippe dogma ab universali Africae concilio anno 418 Carthagine habito can. 7, 8 et 9 tum damnatum fuerat. Vide et vulgatum Milevitanum II can. 6, 7 et 8. Posteriorem illam Augustini et Africanorum conciliorum sententiam Gelasius ignorasse jure videatur: ab ea tamen se non abesse satis indicat.

[6]) Aliter quidem ii, quos Gelasius impugnat, et aliter Stoici *vitia* intelligebant. Nam his omnis metus vel cupiditas vel laetitia aut dolor *vitium* erat, atque idcirco hujusmodi affectiones a suo sapiente removebant. Contra quos Augustinus de civit. Dei l. 14 c. 9 postquam de justis n. 1 dixit: *Metuunt poenam aeternam, cupiunt vitam aeternam, dolent in re, quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt adoptionem, exspectantes redemptionem corporis sui, gaudent in spe etc.*: n. 3 subjicit: *hi motus, hi affectus de amore boni et de sancta caritate venientes,*

Digitized by Google

tamen expertes eorum se fuisse testantur, ut scilicet illius immaculati Agni sit proprium, nullum prorsus habuisse peccatum, ne non soli videatur esse deputandum, si alius quilibet sanctus expers delicti fuisse credatur. Contenti simus ergo professione sanctorum, et quid de se ipsi magis pronuntient audiamus, quam quid vel temere cogitandum sit vel nostris opinionibus ventilandum, sine certa auctoritate sectemur.

2. Cur autem, quum Deus omnipotens post mysterium reparationis humanae etiam id homini conferre potuerit, ut ab omnibus omnino vitiis esset immunis, maluerit fideles suos salvos fieri, et exspectare perfectae beatitudinis firmitatem, ut quod sperando desideramus, rebus possimus adipisci; censueritque nunc *perficere in infirmitate virtutem*, quam remotis infirmitatibus humanam conditionem nulla sineret languoris exagitatione pulsari: quantum Dominus ministrarit, ut[7]) competit, disseretur Scripturarum testificationibus, contra quarum tenorem nihil est temere profitendum, super his sensibus erudiri. Constat in ipso primo homine Christum et Ecclesiam figuratam, beato Paulo apostolo nos docente, quum de foedere sancti conjugii loqueretur: *Sacramentum hoc,* inquiens, *magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Itaque jam inde ut[8]) sanctorum quisque processit, in hujus sacramenti figuratione censitus est; et hoc mysterium omnes sancti ab Abel suis sacrificiis actionibusque gesserunt. In Christo ergo et in Ecclesia, in qua utique generaliter praecondita est remissio peccatorum, fideles quique Deo sanctique vixerunt, et usque ad legis tempora per Moysen datae certis sunt sacrificiis in hujus mysterii virtute purgati. Quapropter si eguerunt omnes mysticis immolationibus incessabiliter expiari, non dubium est vitiis humanae conditionis fuisse pulsatos; a quibus eos per illa remedia futuri sacramenti necessarium esset incessanter absolvi. Jam vero legis tempore neminem fuisse sanctorum, qui non hostiam obtulerit pro peccato, lectio veneranda

2 Cor. 12,9.

Eph. 5,32.

---

si vitia vocantur, sinamus, ut ea quae vere vitia sunt virtutes vocentur. Sed quum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas affectiones audeat dicere? Illi vero cum Augustino ibid. n. 4 *vitia* vocabant eas affectiones, *quae contra voluntatem accidunt, mentemque perturbant.* Sed cum eodem doctore profiteri nolebant, quod ἀπάθεια illa, qua fit, *ut sine his affectionibus vivatur, etsi bona plane et maxime optanda est,* sed *nec ipsa hujus est vitae.* Nec audiebant, quod subdit: *Nunc vero satis bene vivitur, si sine crimine; sine peccato autem qui se vivere existimat, non agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat.*

[7]) Sublata particula *ut* cum verbo sequenti *disseretur* integra erit oratio in hunc modum: *quantum Dominus dederit, competit scripturarum testificationibus.* G[1] tamen loco *scripturarum* habet *arum*, cui secunda manu *h* superscriptum, moxque *extremere*.

[8]) G[1] omitt. *ut*.

Digitized by Google

testatur in tantum, ut etiam pontifices sic apud Deum causas age-
Hebr. 5,3. rent populi tunc fidelis, ut ipsi quoque pro suis delictis hostias im-
molarent, passimque universi prophetae proclament peccatis suis
Job. veniam postulantes. Inde est, quod sanctus Job[9]) dicit: *Nemo mun-*
14,4.5. *dus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram;* idem-
15,15. que alibi: *Astra non sunt munda in conspectu tuo.* Prophetae quoque
David de generalitate sanctorum certa definitio prolata cognoscitur,
Psalm. quae ait: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justifica-*
142,2. *bitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ubi utique neminem prorsus
hominum discrevisse perspicitur, sicut idem planius hoc ipsum lo-
Psalm. quens manifestiusque declarat: *Dixi: pronuntiabo adversum me in-*
31,5. *justitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem*[10]) *cordis mei. Pro*
hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno; qui utique non
solum sub lege sanctus esse, sed in futura Dei gratia eminentioris
propositi post futurus. Unde quod ait *In tempore opportuno,* non
sine rerum venturarum cognitione subjunxit et in oratione sua sa-
Eccl. pientissimus Salomon: *Non est homo, qui non peccavit;* et item ipse:
7,21. *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato?*

3. Sed ne putentur illorum temporum sancti ab hac impassi-
bilitate[11]) forsitan excipiendi, quoniam concessis a Deo conjugibus
utebantur, quamvis et beatus Elias passibilis fuisse memoretur,
quemadmodum consequentia declarabunt, et sanctus propheta Daniel
non solum pro populi sed etiam pro suis peccatis perhibeatur orasse.
Dan. sicut ipse dicit: *Quum orarem, et confiterer peccata mea et peccata*
9,20. *populi mei Domino Deo meo:* tandem veniamus ad beatos apostolos,
et dicat beatus ille Jacobus, qui, quum omnes utique justi essent
apostoli, proprie atque speciatim justi viri[12]) praerogativam legitur
Jac. 1,12. assecutus: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quia quum probatus fue-*
rit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Et
1,14 sq. item post paululum: *Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua*
abstractus et illectus. Deinde concupiscentia quum conceperit, parit pec-
catum; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem. Item
Jac. 3,2. idem: *In multis enim offendimus omnes.* Idemque secutus adjunxit:

---

[9]) Ipse Caelestius huic testimonio, quod sibi a catholicis objectabatur, re-
spondere aliter non valuit, nisi testimoniis aliis, atque eo nominatim, quo Job
alibi ait: *Justus enim et sine querela factus sum in derisum* (Job. 33, 9): non intelli-
gens, inquit Augustinus lib. de perfect. justit. c. 11, *posse dici hominem justum,*
qui perfectioni justitiae plurimum accedit, ita ut ei proximus fieret.

[10]) Editi addunt *peccati,* quod cum Vat. delevit a[3]. Mox G[1] *sanctos ... fu-*
turos. Deinde editi *subjunxit etiam et.*

[11]) Hoc est ab eo statu, quem Graeci verbo ἀπάθεια designant. Ut enim
observat Augustinus de civ. Dei l. 14 c. 9 n. 4 *quae ἀπάθεια graece dicitur,*
si latine posset, impassibilitas diceretur.

[12]) Quippe qui, ut Hegesippus apud Eusebium II, 25 loquitur, *jam inde a*
Christi temporibus ad nostram usque aetatem justus cognominatus est.

Digitized by Google

Et Elias homo erat similis nobis passibilis. Dicat beatus Petrus apostolus: *Carissimi, rogo, ut quasi incolae et advenae abstineatis vos a corporalibus voluptatibus, quae militant adversus animam;* et iterum: *Nolite mirari ad fervorem, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat.* Item postea: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus quasi leo fremens circuit quaerens, quem devoret; cui resistite in fide, scientes easdem passiones in omni, quae est in mundo, fraternitate vestra fieri:* a qua fraternitate nimirum se ipsi fidelium saepe cunctorum fratres annuntiant, nec suam probantur discrevisse personam. Dicat beatus Johannes apostolus et evangelista ille, qui in pectore discubuit Salvatoris: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, quia veritas in nobis non est; quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Item: *Quodsi dixerimus quia non peccavimus, mendacem faciemus eum, et Verbum ejus non erit in nobis.* Dicat idem: *Haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem justum, et ipse propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed et totius mundi.* Idem ipse: *Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus, qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in aeternum.* Veniat *minimus apostolorum* sed *vas electionis* Dei, veniat magister gentium Paulus, praedicator divinae gratiae singularis et mysterii coelestis copiosus expositor, ille qui verba ineffabilia, sive in corpore sive extra corpus nesciens, in tertium coelum levatus audivit, qui tanta gratia redundavit, ut quum omnium esset postremus, plus omnibus laboraret, et qui non solum fidelibus insinuet, quid super hac parte sentiret, sed etiam, quid de se ipso pronuntiet, libere veritatis doctor annuntiet. Et quoniam longum est cuncta, quae ad hanc causam pertinent, dicta revolvere, ponantur pauca de multis, ex quibus nobis sufficientissime demonstretur, magis nos cum Paulo debere infirmari, ut habitet Christus in nobis, quam cum quolibet aliter sentiente quam Paulus fortes videri, et velut, quod absit, Christi remediis non egere. Ait ergo: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo, hoc facio; non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Item: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, ac captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quare se igitur miserum hominem appellat, quare se gaudet per Christi gratiam de mortis corpore liberari, si nullis affectibus humanae mise-

Jac. 5, 17. 1 Petr. 2, 11. 4, 12. 5, 8 sq. 1 Joh. 1, 8 sq. 1, 10. 2, 1 sq. 2, 16 sq. 1 Cor. 15, 9 et Act. 9, 15. 2 Cor. 12, 3 sq. 2 Cor. 12, 9. Rom. 7, 18–20. Rom. 7, 22–25.

Digitized by Google

riae pulsabatur, si nullis infestabatur, ex quibus liberaretur incursi-
Gal. 5, 17. bus? Item idem: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; haec enim invicem adversantur sibi, ut non quae vultis illa faciatis. Non enim quae vult spiritus perficit, ne de perfectione*
Rom. 7, 15. *superbiat;* et[13]) item: *non perficit caro, quae vult:* ut sic humanae conditionis admoneat, ne tamen usquequaque propositum fidele demergat.

4. Ac ne forsitan, ut solent quidam vanis opinionibus arbitrari, quod haec beatus apostolus Paulus sub alterius nescio cujus persona pronuntiet, quam de seipso fateatur, quamvis nihil illic tale valeat
* f. *ita ut* prorsus ostendi; *tamen quum ait: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum,* tam gentilis, quam Judaei remota probetur esse persona: audiamus tamen hunc alibi, quasi sese manu propria designantem ac semetipsum specialiter
Rom. 7, 25. indicantem: *Ego ipse mente servio legi*[14]) *Dei, carne autem legi peccati;*
1 Cor. 9, 27. et item de seipso: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne qui aliis praedico, ipse reprobus efficiar.* Quis igitur non advertat: quid interesse potuerit, quod membra sua castigando refrenaret, ne reprobus exsisteret, si nullis talibus stimulis pulsaretur, quos negligendo et non corporis sui castigatione subigendo, reprobus esse potuisset? Quapropter quum haec et apostoli de semetipsis professi fuisse monstrentur, qui etiamsi ista minime prodidissent, procul dubio tamen omnes orationem dominicam et necessario[15]) praedicarent et veraci[16]) corde proferrent, qua quotidie supplicantes *dimitti sibi sua debita* postularent, et *ne in tentationem inducerentur* orasse, et ut *a malo liberarentur* suppliciter implorasse doceantur: propter[17]) quid etiam beatus Johannes apostolus, quod supra jam dictum est, intelligitur edidisse, dicens: *Si dixerimus nos peccatum non habere, mendacem faciemus eum,* Christum scilicet, qui hanc

---

[13]) In prius vulgatis *et idem*; et deinde valde perturbata interpunctionis vitio est Gelasii oratio. Mox pro *ne tamen* mallemus *nec tamen.*

[14]) Verba *Dei carne autem legi* ab editis omissa ex G[1] revocantur. Idem mox *quod negligendo.*

[15]) Vanas hujusmodi opiniones jam praedamnarat anno 416 concilium Carthaginense can. 7 statuens, *ut quicunque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos „dimitte nobis debita nostra", ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria haec petitio, sed pro aliis, anathema sit.*

[16]) Hoc addit propter eos, qui, ut notat generale Africae concilium mox citatum can. 8, *ipsa verba dominicae orationis, ubi dicimus: „Dimitte nobis debita nostra", ita volunt a sanctis dici, ut humiliter hoc, non veraciter dicatur;* quique, ut ibidem can. 6 memoratur, praedicabant, *propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia ita vere est.* Quibus refutatis, idem concilium eis anathema dicit. Hi canones vulgato codice canon eccl. Afr. c. 114, 115 et 116 inserti sunt.

[17]) In vulgatis *Propter quod.* Orationis series evidenter postulat *propter quid*

Digitized by Google

orandi formam suis discipulis condidisset, in qua vel quotidiani debiti relaxatio proveniret, et[18]) ne in tentationem inciderent implorarent, vel ut a malo liberarentur exposcerent; si nihil esset omnino, quod aut debitum praegravaret minime relaxatum, aut tentatio posset inferre[19]) peccati, aut nullum a quo liberarentur malum prorsus exsisteret?

5. Sic autem quosdam movet surripiens illusio dormientium, quasi non gravior aestimata sit concupiscentia vigilantium. Quamvis enim et insolentia corporalis frequentius refrenanda sit vel castigatione jejunii vel ciborum frugalitate sumptorum, ne materia praebeatur humanis sensibus phantasticae voluptatis imaginatione fallendis, vel magnis hoc de miseratione divina sit precibus implorandum, ut ab illecebrosis visionibus sopitae mentes reddantur immunes: tamen sive haec incontinenter agentibus sive viventibus continenter eveniant, certe si quis est, minor reatus est nescientium, quam carnalis operis appetitu palam aperteque cupientium. Denique licet non parvo Dei munere potiatur, quisquis aut nullis talibus, si fieri potest, aut perraris pulsatur insidiis, nusquam legimus in culpam vocari[20]) phantasmata somniorum. Sed plane ipsius Domini voce non ignoramus esse depromptum, quod *quisquis mulierem viderit ad concupiscendum, eamdem sit suo corde maechatus:* ubi consequenter reatum subesse non dubium est, ideoque tam jugi supplicatione, quam eleemosynis ceterisque bonis actionibus expiandum est. Non enim vacat[21]), quod dictum est, omnia per eleemosynam posse mundari, quum ait Dominus, dum de internis externisque figuraliter purificationibus loqueretur: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Sed etiam illud *, quod *caritas cooperiat multitudinem peccatorum:* ut scilicet quidquid insinceritate[22]) corporis et mentis attrahitur, rationalis pietatis opere deleatur. De beatis autem, sicut supra jam diximus, apostolis tantum debemus

Matth. 5,28.

Luc. 11,41.

* suppl. *non vacat* 1 Petr. 4,8.

[18]) G[1] *et in tentationem recideret*, moxque *quo aut debitum.*

[19]) Editi *inferri*, G[1] *inferre.* Clarior erit phrasis in hunc modum: *aut tentatio peccati posset inferre*, scilicet *debitum.*

[20]) Hoc pariter posito ac velut apud fideles confesso Augustinus de civit. Dei l. 1 c. 25 sic ratiocinatur: *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quae adhuc in membris moribundis habitat, praeter nostrae voluntatis legem quasi lege sua movetur, quanto magis absque culpa est in corpore dormientis.* Vide et ejusdem confess. l. 10 c. 30 et append. tom. V sermo 292 n. 5.

[21]) c[7] c[10] add. *mysterio*, refragante G[1].

[22]) Verbum hoc, quod prius in duo divisum fuerat, jam c[10] in unum contraxit, quod et a[1] diserte probavit. Non inusitatum vocabulum hujusmodi Gelasio esse, fidem facit tractatus IV n. 13, ubi Orientales *sacrae religionis insinceritate pollutos* audimus. Jam et supra epist. 27 audivimus *insincerum vitare contagium.* Legemus et infra n. 23 *de inspiritali spiritale.* Quod observasse juverit, ne quis verbis hujusmodi compositis offendatur.

Digitized by Google

nosse, quae ipsi de sua conversatione sentiri propriis vocibus ediderunt, quae vero tacita sunt ab eis, nulla nobis relinquetur licentia perscrutandi.

6. Sed jam diligentius vestigemus, cur post reparationem quoque generis humani renovationemque naturae, quae fit per baptismatis sacramentum, non solum haec vitia sublata non fuerint, sed ipsos etiam in magnae continentiae proposito constitutos sive minus sive amplius, prout quisquis gratia divina dispensante profecerit, tamen infestare non desinant, cur relicta sint, contra quae mens religiosa pugnaret; et licet jam *salvati per fidem* spem redemptionis acceperimus[23]), adhuc tamen *exspectetur*, sicut ait apostolus, *redemptio corporis nostri*, et quum mysteriis coelestibus jam renatis pignus sit adoptionis ingenitum, perficienda deinceps sustineatur adoptio: ut scilicet deficientibus iisdem vitiis, contra quae nobis in hoc tempore continua dimicatio est, ab hac necessitate liberati, quod fide suscepimus, quod spe proposita sustinuimus, ipsarum rerum desideratis affectibus assequamur: quatenus hac incursionum peste prorsus exuti, tranquilla semper sanctificatione vivamus: quod in illa futura beatitudine promittitur esse complendum, quum, sicut ait apostolus, *corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem*, atque animale corpus spiritualem sumpserit dignitatem.

Eph. 2, 8. Rom. 8, 23. 1 Cor. 15, 13.

7. Igitur dubium non est superbiam super omne esse peccatum; quippe de qua scriptum est: *Initium omnis peccati superbia*. Quod tantum malum est, ut singula prave facta in hoc ipso, quia prava sunt, censeantur esse damnanda, solaque sit superbia, quae et in bene[24]) factis periculosa doceatur. Haec est, quae non tantum animal rationale in terris positum constare non sinit, sed angelicam quoque dejecit infesta naturam. Nam quum Deus omnipotens, qui fecit omnia bona valde, cuncta suis modis et congruis ordinibus instituta condiderit, eaque propriis concesserit vel manere vel proficere posse mensuris: hic rationabili creaturae subrepsit affectus, qui per id, quod decentius facta consisteret, plus ei de propria dignitate confidere, quam sicut modus ejus poscebat, de ipso collatore dignitatis ingessit, atque ita aliter appetendo sui culminis firmitatem, quam competens ejus et[25]) decens norma requireret, fecit eam praeter ordinem naturalem cupiendo fastigium meriti potioris erumpere. Qui excessus utique sicut reatum intulit excedenti, sic justitiam

Eccli. 10, 15.

---

[23]) G[1] *acceperint*. Moxque editi *continua dimicatione ab*, contra G[1] et Vat. (a').

[24]) Eadem sententia, quae quidem Augustino familiaris est, sic ab eo de nat. et grat. c. 27 enuntiatur: *Cetera enim vitia tantum in male factis valent, sola autem superbia etiam in recte factis cavenda*. Unde liquet, non, ut prius vulgatis ferebatur, *benefactis* (uno verbo) hic legendum esse.

[25]) Editi omitt. *et* et postea *sic* (ante *facti essent*). Deinde scribunt *excusaretur*.

Digitized by Google

Conditoris, contra cujus ordinem tendebatur, offendit; et dum ab eo tenore cessatur, quo solo proficeretur ad summi boni perenne consortium, consequenter, qui ad ejus stabilem participationem pervenire non posset, defectus accessit, sicut creaturae rationalis usibus congruebat. Non angelos ad profectum conditos promerendae stabilitatis aeternae illa res indicat, quoniam si sic facti essent, ut ulterius nihil egerent, nulla pars eorum ullum potuisset habere defectum. Non enim in eis diversam naturam fuisse dicendum est, ne ille qui propria voluntate prolapsus est angelus excusetur, si hoc illi non suae protervitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditae conditionis imposuisse videatur. Unde ergo beati et sublimes angeli de perceptis grati, piae devotionis officio, et non seipsos sed potius ipsi praeferendo convenienter auctorem, ad ejus perpetuitatem proficere provehique meruerunt: inde isti qui reprobi sunt, de perceptis consequenter ingrati, debitumque dissimulantes obsequium, seque ipsos magis, quam qui tantae dignitatis substantiam condiderat, praeferre molientes, et delectatione suae creationis illecti a Creatoris honore cessando, quanto arroganter elati, tanto aeternitatis rectitudinem per irreverentiam non sequendo, ab ejus pariter et dignatione[26]) et participatione retracti sunt, et ab eo quod sempiternum est recedentes, in id quod semper deficit sunt reducti: quod praestante Deo nostro plenius alias confidimus exsequendum.

8. Nunc interim quantum praesenti negotio sufficit, haec illa causa est, hoc illud malum, per quod etiam sine vitio corporali quadam spirituali fornicatione motus angelus a divina qua illustrabatur gratia et participatione delapsus est: eoque modo degener factus, ac de coelesti sede pro hac sua decoloratione seclusus, secundae conditionis imaginem Dei per invidiam flammatus evertit, iisdem motibus aggrediens in securitate degentem, quibus de sum-

[26]) In vulgatis *indignatione*, quod Gelasii menti aperte adversatur. Et vero hanc *dignationis* vocem ipsi familiarem non negabit, qui num. 9 *per dignationis ejus augmenta*, n. 15 *particeps divinae dignationis effectus*, et n. 17 *cujus* (scil. *sanctitatis*) *dignatione perstricti* legerit. Quid vero sibi velit, intelligitur ex numero 8 sequenti, ubi dicitur *angelus a divina, qua illustrabatur, gratia et participatione delapsus est.* Quaedam enim ibi est hujus ipsius sententiae repetitio. Angelicum lapsum eidem quoque causae Augustinus attribuit. Quocirca Genes. ad litt. l. 11 c. 14 quaerit: *Utrum ab initio ipsius mundi sua potestate delectatus abstiterit* (scil. *diabolus*) *ab illa societate et caritate, qua beati sunt angeli, qui fruuntur Deo, an aliquo tempore in sancto coetu fuerit angelorum, etiam ipse pariter justus et pariter beatus?* Quaestionemque c. 23 absolvit his verbis: *Factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus et propriae potestatis delectatione corruptus; unde beatae atque angelicae vitae beatitudinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit et amisit ... Ille autem continuo impius consequenter et mente caecus, non ex eo quod acceperat cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi Deo voluisset ... Factumque in illo est pondere meritorum, ut nec justitiae possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari.*

Digitized by Google

mis ad ima male confisus ipse deciderat. Hinc illa felicitas paradisi primis hominibus constare non potuit; hinc illa primae conditionis integritas, dum ita de se fidit, tamquam ipso qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis quae sumpserat poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit et consulit, suaeque se credit inter[27]) prospera voluntati; facile sine praesidio Creatoris patuit deceptoris insidiis, et in praevaricationem tracta consequenter illiciti[28]), conditionem praefixae mortis invenit, meritoque est competenti subjecta vindictae: quoniam nec de bonis fuerat devota retinendis, nec malum praecaverat ante praedictum, dum per majoris ambitum potestatis, Deum se scilicet fore *praesumentis, foveas hostilis persuasionis incurrit. Et quae, si suo ordine mansisset grata factori, perpetuum summae commercium Deitatis potuisset apprehendere, competenter sine debito summae Divinitatis officio copiosa promissione frustrata[29]), ad Divinitatem non potuit pervenire. Sic ergo sine illius principalis ac summae rationis affectu, quae in bonis semper retinendis contrariisque refutandis intemerata persistit, (ad cujus utique similitudinem rationale[30]) fuerat animal institutum, ut ea pro suo modulo congruis actionibus imitando, ipsiusque servando reverentiam subsequendoque gratiam, ut vere similitudo ejus et imago permaneret obtinere potuisset, fieretque divinae rationis tamquam suae parentis et auctoris digna consortio, et per haec nihilominus utpote particeps aeternitatis aeterna constaret): dum sua *quae creata fuerat dignitate confidit, sibique se putat in eo quod erat facta subjacere, nec subdita veneratur devotione factorem; et ab illius participatione discessit, et in seipsa sine illo, in quo habebat subsistere posse, non constitit. Atque ita ordinem legitimae rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum per verisimilitudinem ratiocinationis, qua Deum se fieri credebat, abducta est; et illius privatione, quae sempiterna vita est, in istam recidit, quae sine fonte vitae vitam perpetuam retinere non posset.

*f. *praesumens*

*f. *in qua*

9. Quamvis ergo pro his transgressionibus digna fuerit ultione, justus tamen arbiter Deus sic istam creaturam propositae legis aequitate corripuit, et[31]) quae divinum sequi tramitem inter felicia fasti-

[27]) G[1] *inter prosperam voluntatis.*

[28]) Hoc est: in id tracta, ut quod illicitum ac vetitum erat committens in praevaricationem incurreret.

[29]) Editi *lustrata*, ubi G[1] *frustrata*, quod jam a[3] pro vero conjectarat.

[30]) Ita G[1]. Alii *ratione*. Deinde G[1] *subjicere*, ubi editi *subjacere*.

[31]) Ita G[1]. Alii *ut*, et postea *dimisit*. *Ut*. Haec potius particula *ut* demum praemissae *sic* respondet. In sequentibus autem haesito, num scilicet illa *et tamquam solatium — constare potuisset* ad subjectum *potioris creaturae* (*quae fre-*

Digitized by Google

divit, sibimet ipsam merita lance dimisit: ut tamen, quia et decepta fuerat creaturae potioris incursu, illius scilicet, quae fremebat, illo terrenam proficere posse substantiam, unde spiritalis ipsa deciderat, et tamquam solatium capere cupiebat de alterius ruina creaturae, velut non *solum se culpandam ex alterius quoque transgressione praetenderet, sed lapsum suum in Creatoris referret opificium, cujus et aliud opus constare veluti minime potuisset; ineffabili circumventae pietate consuleret, utramque vero creaturam recte conditam hac ratione monstraret, quia et degeneres angeli per sanctorum angelorum beatitudinem confutantur. Quod iisdem modis, quibus illi, hoc est debitae pietatis officio, Creatoremque suum debita praedicatione laudando, per dignationis ejus augmenta profectumque reverentiae competentis, participationem boni parentis stabilitatemque perpetuam sempiternae gloriae sunt adepti; sic isti quoque, si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides a sui laude factoris et competentem reverentiam non sequentes, ab ejus retracti participationis affectu, propriae nequivissent incrementa perfectionemque sumere dignitatis, dum suae institutionis claritate detenti[32]) ulterius se nihil egere, ac sibi se sufficere posse praesumunt, perque seipsos obtinere fidentes, quidquid per solam gratiam potuissent Conditoris adipisci, quod in suae prorsus conditione mutabilitatis habere non poterant. Homo quoque de seipso manifestis indiciis revincatur, in tantum rite factus, ut qui per divinam gratiam potest surgere post ruinam, multo amplius potuisse doceatur, si eamdem gratiam devota mente sequeretur, integer permanere, quantumque[33]) gratia ista praevaleat, magis inde cognosci, dum et incolumis absque eadem stare nequiverit, et valeat ad eamdem incolumitatem redire post lapsum. Bonus ergo artifex Deus, qui sempiternum et summum semper habet esse, quod bonus est, atque ideo nec unquam crescendi gerit amplius appetitum, quia nihil est super id, quod sempiternum bonum semper et summum est, nec ulla potest inclinatione diminui de hoc ipso, quod summum bonum sempiternumque consentit. Unde[34]) et Dominus etiam non per rapinam in forma Dei dictus est constitutus, qui hoc habebat utique per naturam, sicut ille spiritus, qui quod erat nec sempiternum habebat omnino nec summum, per rapinam maluit occupare, quam per au-

*f. solum

Philipp. 2, 6.

---

nebat et tamquam etc.) — ubi cum a[1] *non solum se non culpandum* legendum aut *solum* in *solam* mutandum foret —, an ad *istam creaturam* (scilicet *quia et decepta erat ... et tamquam solatium etc.*) referenda sint. Hoc alterum fere magis placeret, quia oratio inde minus salebrosa fieret; alterum autem sensui accommodatius est.

[32]) Editi contra G[1] *detentis* et infra *per quae se ipsos.*

[33]) Ita G[1]. Alii *quantumcumque.* Sequens *cognosci* ad *doceatur* referendum.

[34]) G[1] *unde et omnia etiam.* Unde indubie restituimus *unde et Dominus etiam,* ubi mox editi *unde etiam.* Iidem mox omittunt *erat.*

Digitized by Google

ctoris gratiam perpetem consequi dignitatem, a quo sumpserat angelicae substantiam claritatis, quemadmodum beati angeli in divina gratia permanentes consecuti sunt sempiternae beatitudinis firmitatem: pravus autem spiritus nec illud potuit obtinere, quod nisus[35]) est incompetenter invadere, et tenorem suae conditionis excedens, in hoc etiam non potuit perseverare quod factus est.

10. Auctor ergo bonus, ut bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret, inferioris creaturae suae miseratus offensam, quod[36]) spiritualis substantia, quae et sui et alterius processerat ipsa deceptrix, atque in sua nequitia perseverans omnino consequi digna non fuerat, terrenae conditionis et per fraudem deceptae substantiae naturam pariter clementer suscepit et causam. Sicque, ut nunc breviter explicemus, competenti lapsam dispensatione reparare proponens[37]), ut in seipso haec eadem natura, quae
*f. *mortua* per inobedientiam *mortis, rediret ad vitam, solus ipse peccati nescius in substantia, quam post peccatum restaurandam potenti
*add. *apparuit* benignitate susceperat, * ut indebitam mortem, quam sine peccato utique non debebat, pro his, qui per peccatum debitores mortis extiterant, imputaret; simulque diabolum hominis deceptorem, qui consentientem sibi subditum per divinam tenebat jure sententiam,
*add. *vinceret* per justitiam nihil ei reddere jam debentem *: *et quum occidisset
*f. *ut* eum, in quem sine peccato licentiam non habebat, merito ei vice mutua subjugaretur addictus, quique se humanae substantiae utpote captivae suae dominum deumque jactabat, huic et justo pariter et Deo vero mutuo subderetur. Intererat enim aequitatis immensae, ut non abrupte[38]) divina potentia diabolus, sed ipsius hominis etiam,

---

[35]) Ita G¹. Alii *visus ... permanere quod.*

[36]) G¹ corrupte *quod spiritualis substantiam quae et sui alterius.*

[37]) Totus hic locus ita intricatus est, ut sensus cujusdam magis frusta dijecta quam corpus integrum esse videatur. Aliis locis conjecturas nostras ad marginem apposuisse contenti, unam in textum ipsum referre non dubitavimus, scilicet *peccati nescius*, ubi G¹ *peccat in se scius*. Similiter a³, etsi totam periodum priori arctius conjunctam posuit (*suscepit et causam*: *sicque, ut ...*), marginales correctiones adjecit: *proposuit* (loco *proponens*), *mortua erat* (loco *mortis*), sublationem particulae *ut* (ante *indebitam*), additionem verbi *spoliaret* (post *per justitiam*), *ut cum* (loco *et cum*). Quamquam si periodus antecedenti arctius conjungatur, vel ferri possunt participia *proponens* et *nescius*, quasi subjecto priori (*Auctor ergo* etc.) pro appositione adjecta. — Denique G¹ ibidem *pro his qui peccatum* (omittens *per*).

[38]) Ita G¹. Editi *abruptae divinae potentiae.* — Huic Gelasii sententiae procinens Leo in serm. 22 de nativ. Domini c. 3 ait: *Verax namque misericordia Dei, quum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiae, sed ratione justitiae. Nam superbia hostis antiqui non inmerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suae voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret*

Digitized by Google

quem se prostravisse jactabat, justitia vinceretur. Quibus non satis habuit Reparator excelsus, ut ipse tantummodo in ea natura, quam sumpserat, gereret de hoste humani generis hunc triumphum. Quid enim praestaretur universae nostrae *creaturae, si victor diaboli solus Christus exsisteret? Tribuit ergo fidelibus suis dignanter immensa pietate consortium: tribuit per gratiam suam fidemque collatam, ut hominum millia ineffabilis compendio sacramenti participatum ejus acquirerent, renovataeque in suo Salvatore naturae facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. Itaque contra superbum spiritum permanentem hoc est provisum curatione salvandis, ut competentibus modis ad suae conditionis integritatem proficerent dignitatemque coelestem: quatenus elationis exitialis affectum, qui non solum humanam sed ipsam quoque, sicut dictum est, angelicam prostraverat ante naturam, humanitate[39]) necessaria medicinaliter declinaret ad integritatem reparandam, quippe post lapsum carere debuit illo malo, quo integra perstare nequiverat. Oportebat autem, ut ipsa quoque rationabilis humana creatura, quod propria voluntate perdiderat, etiam secundum Dei gratiam propria[40]) reciperet voluntate, et quae sine merito curabatur, tribueretur ei, ut etiam haec sequeretur ex merito. Propterea maluit singularis ille Salvator perfici potius in infirmitate virtutem, quam prorsus sine infirmitate vel de se confidentem vel auctoris negligentem fieri humanam substantiam sine infirmitate securam.

*f. naturae

11. Hinc est igitur, quod beatus Paulus, qui et ruinam conditionis humanae et restaurationem ceteris copiosius intimavit, etiam de seipso clamat: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: „sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur". Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabibet in me virtus Christi;* et iterum ipse: *Vanitati enim creatura subjecta est.* Adhuc utique *vanitati,* quantum adhuc mundanis sensibus implicatur, corruptibilique conditione deprimitur. Illa utique *creatura,* de qua idem dicit alibi: *Si qua igitur nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova;* et de qua idem alibi dicit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo, in operibus bonis.* Itemque ipse de eadem: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova crea-*

2 Cor. 12, 7—9. Rom. 8, 20. 2 Cor. 5, 17. Eph. 2, 10. Gal. 6, 15.

---

originalem humani generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Similiter idem in sermone 64 de pass. Domini c. 2.

39) a[3] ad marg. „fort. *humilitate*". Sed ipsa humanitas Filio Dei jam medicinalis humilitas est. Mox *malum,* quo *post lapsum carere debeat* homo, est superbia. Deinde indubie *perstare* correximus (ubi alii *praestare*), ex analogia verborum *persistere, permanere* in eadem causa antea n. 8, 9 et 10 usurpatorum.

40) In vulgatis *propriam reciperet voluntatem,* moxque *rursus,* ubi G[1] *prorsus.*

Digitized by Google

tura. Haec utique *creatura*, qua in Christo refecti sumus, non qua[41]) ab initio facti sumus; de qua etiam beatus Jacobus apostolus sic
Jac. 1, 18. ait: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus;* non illius creaturae, quae in Adam condita est, sed quae
Jac. 1, 17. *Patris luminum, a quo est omne datum optimum et donum perfectum,* voluntate genita verbo veritatis, initium sumpsit in Christo: et hoc ipsum ideo, ne quibuscunque suis bonis fideret humana substantia, sed quidquid recti in se esse cognosceret, desursum descendens esse perpenderet ab illa[42]) incommutabili et sine vicissitudinis obumbratione luce semper immensa, per quam sibi mutabili et vicissitudinum obumbratione fuscatae luminis veri munus sentiret impendi. Haec est igitur illa creatura, quae spiritualiter vivens non volens sustinet mortalis infestationis affectus, contra quos indesinenter pugnans, mallet non habere quos vinceret, quam cum infesto jugiter hoste confligere. Non volens ergo subjacet in tantum vanis desideriis, in quantum sine dubitatione perituris. Unde dicit apostolus:
Gal. 5, 17. Rom. 8, 20. *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quae vultis, illa faciatis. Sed propter eum,* inquit, *qui subjecit in spe,* ut nemo in hac scilicet vita rursus de plena felicitate sit arrogans. Ac ne rursus forsitan desperatione succumberet, sic eam subjecit his molestiis perferendis, ut tamen spe consoletur erecta.
Rom. 8, 21. Haec est igitur sine ambiguo creatura, de qua ait, *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Patefecit, de qua creatura vellet intelligi, *in libertatem,* inquiens, *filiorum Dei.* Quae in hoc mundo ex ea parte nunc servit, qua vitiis infestatur humanis, tunc ad libertatem filiorum Dei per-
1 Cor. 15, 54—57. fecta securitate ventura[43]), *quum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Ut fiat sermo qui scriptus est: „Absorpta est mors in victoria! Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?“ Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum!* Quapropter beatus apostolus manifestius volens, et de qua creatura ageret, et de qua ejus servitute quave libertate dissereret, utpote per quem Christus loquebatur,
Rom. 8, 22. ostendere, adhuc inculcat et dicit: *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit et parturit.* Non nisi rationabilis creatura est, et illa rationabilis, quae quid ingemiscat quidve parturiat, jam renata cognoscit, et infirmitatem suam deflens, promissionem perpetuae tranquillitatis exspectat.

---

[41]) G[1] a[1] *quia*, „Vat.“ (a[3]) c[10] *qua.*

[42]) Cum G[1] addimus *illa.* Deinde *sentiret* (loco *sentire*) correximus, et cum G[1] *subjacet* (loco *subjaceat*).

[43]) Ita G[1]. Editi *venturam.*

Digitized by Google

12. Quod doctor egregius quousque perducat, diligentius intuendum est. *Non solum*, inquiens, *illa*, hoc est creatura populi Christiani, *sed nos ipsi primitias Spiritus habentes:* ipsi utique apostoli, ipsi Ecclesiae principes et parentes, qui primordialiter sancti Spiritus dona sumpserunt, quae ecclesiasticis ministrarent spiritualiter incrementis. Ubi sine controversia semetipsos quoque in una eademque quamvis majore gratia praeditos (unde et ait *primitias Spiritus habentes,* quasi primates gratiae Dei) in una tamen eademque se cunctamque[44]) Ecclesiam generali conditione constituit. *Sed etiam nosmetipsi,* dicens, *primitias Spiritus habentes, intra nos gemimus,* aperuit, quorum ille gemitus, quem supra dixerat, esse noscatur, et quid gemeret, evidenter exposuit, *adoptionemque exspectantes.* Certe jam sacramento regenerationis pignus adoptionis accepit: quae est ergo ista adoptio, quae post adoptionum initia sustinetur, quaeve redemptio corporis nostri, quae ventura proponitur? Ergo non accepisti, quae exspectare te dicis? Accepi, inquit, sed mysteriis sum renovatus initiatusque coelestibus, quibus[45]) superstes et in hac adhuc mortalitate consistens, quae sua sunt in me competenter operantibus, ad eorum plenitudinem perfectionemque valeam, atque hic pugnantium ibi sit consummata victoria, ubi dicendum est: *Absorpta est mors in victoria: ubi est, mors, stimulus tuus? Nunc autem spe salvi facti sumus; spes autem quae videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Satis clara luce patefecit, qui sit status in hac vita fidelium, quid in fide teneant, quid in spe sustineant, quid tota caritate desiderent. Quod[46]) totum incunctanter ideo fit, sicut quidam magister[47]) Ecclesiae sapienter edocuit, dicens: *Ad magnam enim utilitatem fidelium materia est servata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas:* quo scilicet sua saltem fragilitate commonita post ruinam non in se fidat nostra conditio, sed ad illius incessabiliter recurrat misericordiam reformanda, cujus gra-

Rom. 8, 23.

1 Cor. 15, 54. 55. Rom. 8, 24. 25.

---

[44]) Ita G[1]. Alii *secum totamque.* Mox G[1] *post adoptionem initia.*

[45]) Ita G[1]. Alii omittunt *quibus.* Clarior sensus esset hoc modo: *ut iis quae sua sunt operantibus (ipse) superstes ... ad eorum plenitudinem perfectionemque (pervenire) valeam, atque (ut) hic pugnantium etc.*

[46]) G[1] *quidem totum.*

[47]) In margine a[1] annotatum est *Aug.*, quasi haec verba sint Augustini, eademque nota deinceps retenta est. Verba autem citata sunt libri I de vocat. gentium c. 8, quod opus Paschasius Quesnellus Leoni vindicandum censuit. Simul tamen fatetur, id Gelasio ignotum fuisse, nec enim taciturum fuisse Leonis nomen, si eum hujus operis auctorem resciisset; quod postremum largiendum videtur. At non inde sequitur, ut operis hujus parentem prorsus ignoraverit. Quomodo enim eum Gelasio ignotum ponemus, quem appellare non dubitat *Ecclesiae magistrum*, maxime quum epist. 41 eos libros in apocryphorum classem amandare soleat, quorum ignorantur auctores?

Digitized by Google

tiam non quaerendo nec in paradisi potuit intemerata felicitate constare, discatque sine tali praesidio inde lapsam, per quod instruitur post aerumnas ad gaudia redire perpetua, multoque se magis incolumem hoc subsidio durare potuisse, quo non solum ad creationis suae reducitur institutum, sed ad coeleste praeparatur habitaculum.

13. Huic autem disputationi nullatenus aestimetur esse contrarium, quod in epistola sua beatus Johannes apostolus et evange-
1 Joh. 3,9. lista disseruit: *Quia qui natus est ex Deo, non peccat,* ut ex hoc videlicet qui regenerati sunt, non peccare credantur. Quod utique si eo sensu, sicut quidam non recte judicantes arbitrantur, vir magnificus[48]) ille prompsisset, universaliter utique quisquis renatus esset, jam peccare non posset. Deinde contra hunc eumdem apostolum sentire convincitur, si quis hoc eum definisse praetendit; idem quippe
1 Joh. 1,8. dicit alibi: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seduci-*
1 Joh. 1,10. *mus, et veritas in nobis non est.* Et iterum: *Si dixerimus, quia non peccavimus*[49]), *mendacem faciemus eum, et verbum ejus non erit in nobis.* Et utique hoc tantus et talis dicebat apostolus, cujus si quis potiorem se meritis aestimare contendit, ipse videat caveatque, ne incidat in mortiferae praecipitationis abruptum. Certe enim ipse, qui haec dicebat, ex Deo utique natus erat; et tamen docebat atque praedicabat, dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus,* et cetera, quae superius comprehensa sunt. Sed qualiter peccare non possit, qui ex Deo nascitur, ipse potius vir
1 Joh. 1,10. Deo plenus exponat: *Si dixerimus,* inquit, *quia non peccavimus, men-*
1,9. *dacem faciemus eum: quodsi confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Patefecit, quomodo qui ex Deo nascitur, peccare non possit, ut scilicet unusquisque fidelium, postquam ex Deo natus est, sicut se non habere peccatum pronuntiare non debet, sic quod admittendo contraxerit, confitenti[50]) relaxatione submotum, peccatum inesse non
1 Joh. 2,1.2. possit, sicut ipse etiam secutus adjunxit: *Haec scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem justum, et ipse est propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum,*

[48]) Ita G[1], etsi deinde prima manu *promisisset.* Alii *magnus.*

[49]) Ita Vat. (a'). Editi hic *non peccamus,* sed infra ut supra n. 3 *non peccavimus.*

[50]) Ita G[1] et Vat. (a'). Editi *confidenti.* Augustinus quoque de peccat. merit. l. 2 c. 10 hoc testimonium *Qui natus est ex Deo, non peccat* isti alteri *Si dixerimus, quia peccatum non habemus* contrarium non esse ostendit, primum interpretatus de homine, qui adoptione seu regeneratione consummata jam potiatur, alterum de homine, in quo adoptionis seu regenerationis hujus tantum est initium, qui licet *totus spe jam, et jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus, quod corrumpitur et aggravat animam.* Cui distinctioni consentanea sunt, quae Gelasius n. 12 praemittit. Vide aliam ejusdem Augustini interpretationem lib. de gratia Christi c. 21.

Digitized by Google

sed totius mundi. Quod breviter indicatum, prudens lector per totum Scripturarum corpus copiosis poterit testificationibus invenire et manifestius approbare: sic temperatum nostrae salutis antidotum, ut omni protervitate deposita, *qui gloriatur, non in se sed in Domino glorietur.* 2 Cor. 10, 17.

14. Etiam illud praeterea diligentius[51]) intuendum est, quod quosdam movere perspeximus, idem, quod ait apostolus, quum conjugibus fidelibus infidelibusque loqueretur, sanctificari scilicet sive virum sive mulierem infidelem per cujuslibet sexus fidele consortium. Et imprimis non inconvenienter occurrit, quod dictum est de foedere conjugali: *erunt duo in carne una.* Per quod possit consequenter intelligi, ut quoniam cujuslibet conjugis fidelis corpus templum est Dei et regeneratione purgatum divinique sanctificatum per purificationem mysterii, secundum quemdam modum per conjugalis unitatem carnis etiam conjugis infidelis sanctificatio corpus attingat, longeque distet ista societas ab illo consortio, quod in utrisque conjugibus idolis mancipatum est et immundi spiritus habitatione pollutum: dum in illo genere nuptiarum per legem foedusque conjugii ad alterum, tametsi nescientem forsitan nec volentem, divina benedictio per alterius unitae sibi carnis * accedit; in isto vero et principalis illa fornicatio[52]), qua anima alienatur a Deo, et spiritus pravi contagium tam reddat utrumque conjugem detestanda coninquinatione maculatum, quam ab illa fide, quae corda purificat, summae Divinitatis externus[53]). 1 Cor. 7, 14. Gen. 2, 24. Matth. 19, 5. 1 Cor. 6, 16. (*scil. benedictionem)

15. Deinde non irrationabiliter, quantum arbitror, et illud concurrit, ut oratione fidelis cujusque conjugis etiam infideli misericordia quantacunque praestetur, vel ipsa certe, quae ad salutem pertineat temporalem: in qua misericordia non parum divinae pietatis acquirit, et per hoc secundum quemdam modum particeps divinae dignationis effectus edicitur. Si enim cibos[54]), qui per legem sacram describuntur immundi, *per verbum Dei sanctificari* testatur apostolus, unde etiam illud est: *Quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris;* non erit absurdum nec inconveniens, quod per fidelis con- 1 Tim. 4, 5. Act. 11, 9.

---

[51]) Ita G[1]. Alii *diligentibus ... id quod ... conjugibus fidelibusque loqueretur.* — De iisdem scribit Augustinus de peccat. merit. l. 2 c. 26: *Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque baptizari jam oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse.* Ipse vero Pelagius, ut Augustinus ibidem lib. 3 c. 12 observat, hoc ita interpretatur: *Exempla jam praecesserunt et virorum, quos uxores, et feminarum, quas mariti lucrifecerunt Christo.*

[52]) Scilicet *animae fornicatio*, qua *ab ipsius Dei conjunctione disceditur atque ad immundos spiritus spiritalis adulterii genere transitur*, ut habet tract. VI n. 1.

[53]) Aut *externum* (scilicet *utrumque conjugem*) legendum, aut supplendum *est* scilicet *spiritus pravus.*

[54]) Ita G[1]. Alii *cibi.* Mox cum a[3] *per* addimus.

Digitized by Google

jugis precem, quam fieri pro ipsa certum est affectione conjugii, aliquid etiam infidelis conjux sanctificationis per misericordiam divinam, quam fidelis conjugis implorat supplicatio, consequatur, longeque differat, sicut dictum est, ab illo connubio, in quo utrique conjuges a verae Divinitatis sunt puritate exteri et visitatione[55]) submoti, sed immundos utrique spiritus invocantes, pari immunditia sunt referti. Nam si comparatione levium vel gravium peccatorum *justificatus* dicitur ab eo, qui majoribus est vitiis involutus, ille quem minor reatus involvit, sicut dicitur ad Jerusalem, quae tunc criminum et praevaricationum immanitate fervebat: *Justificasti sororem tuam Sodomam;* quanto magis justificatio vel sanctificatio, etsi non plena atque perfecta, secundum tamen quemdam modum competenter accipitur, ubi non solum a fideli conjuge minus peccatur, sed ab eo etiam conjugi[56]) peccatori remedium summae Divinitatis exposcitur, quam ubi a conjugibus utrisque peccatur. Nam secundum quemdam modum hanc sanctificationem per fidelem conjugem etiam infideli conjugi *pervenire haec ipsa verba testantur apostoli; siquidem non jam infidelem[57]) conjugem legitimam sanctificationem sumpsisse confirmat, quia per fidelem conjugem quippiam sanctificationis acquirat. Denique qua sit conditione censendus[58]), secutus adjunxit: *Nam si infidelis discedat:* non jam inde tamquam fidelem suscipi designans, quia[59]) per haec quae dicta sunt aliquid ad eum pervenit fidelis conjugis, sive consortium seu precem divinae sanctificationis et gratiae; sed nisi ipse quoque fidelis exsistat, pro infideli sit procul dubio judicandus.

Ezech. 16,51.

* f. *provenire*

1 Cor. 7,15.

16. Est etiam ille modus infideli conjugi sanctificationis impertiendae per conjugem jam fidelem, si huic exhortationem conversionis ad Deum et credulitatem summae Divinitatis insinuet, majestatem virtutemque ejus inculcet, et per affectum conjugii eum facilius informet et inclinet ad fidem, adstruens, quae sit spes in unum Deum credentibus vel in hujus vitae cursu, vel post ejus transitum quae requies sit futura. Haec quum per fiduciam conjugii sanctis verbis cor ejus assidua voce pulsando conjux fidelis frequenter in-

---

[55]) Ita correximus, ubi G[1] *visitarie*, editi *voluntarie*. Si quis ejus loco *munditie* aut *sanctificatione*, aut *inhabitatione* legendum maluerit, non contradixerimus.

[56]) In vulgatis *conjuge peccatore*.

[57]) G[1] *fidelem conjugem ... quia per fidem conjugem*.

[58]) a' hic supplendum adscripsit *sanctificatus*, moxque *discedere vult*. Nobis utroque loco integra oratio esse videtur; nempe id sibi vult auctor: *qua conditione* (conjux infidelis) *censendus sit* (nimirum *infidelis*), *ex verbis apostoli sequitur inquientis: si infidelis discedat* (ubi ille igitur *infidelis* dicitur); conf. infra n. 18.

[59]) Clarior esset sensus in hunc modum: *quia per haec quae dicta sunt,* (puta) *sive consortium seu precem divinae sanctificationis, aliquid fidelis conjugis ad eum pervenit; sed nisi etc.*

Digitized by Google

sinuat, divinae sanctificationis eidem et menti ejus et corpori propinat effectum, sicut ait beatus Petrus apostolus: *Similiter mulieres subditae sint viris, ut si qui non credunt verbo, per mulieris conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram.* Quam si per familiaritatem suscipiat conjugalem, et Dei gratiam sibi per affectum conjugii ministratam non in vacuum recipiat et refutet, fit sanctificatio per fidelem conjugem conjugis infidelis, dum hisce modis ex infidelitate in consortium sanctificationis attrahitur. Alioquin si oblatam sibi gratiam nec per affectum suscipit conjugalem, quam[60]) in vacuum tam divinae dignationis quam etiam humanae singularis affectionis oblitus aestimat abnuendam, atque ob hoc ipsam quoque conjugis affectionem nititur abjurare et ab ipsius pii consortii lege discedere; digne permittitur eidem licentia discedendi, quia non est illo conjugio dignus, quo se ipse judicavit indignum. Patienterque ferat fidelis conjux illo se caruisse conjugio, quod fornicatur a Deo, cui idem conjux fidelis inhaerendo principalem[61]) Dei retinet castitatem. Itaque et adultero caret et eo, qui respuit una veraciter fieri caro cum conjuge jam fideli. Nec aestimet fuisse legitimum, quod divina[62]) sibi despexerit lege conjugii; ac potius libenter accipiat, eum, qui anima separatus a Deo est, et a se quoque corpore fuisse divisum. 1 Petr. 3, 1. 2.

17. Secundum hunc igitur modum etiam de talium filiis accipiendum est, quod illic consequenter asseritur, ubi ait[63]) apostolus: quod nisi haec sanctificatio inter hujusmodi conjuges proveniret, *filii eorum immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Sancti sunt enim secundum quemdam modum in comparatione illorum, qui ex utrisque parentibus immunditiae diabolicae mancipatis contaminatisque nascuntur. Isti enim ex ea parte, qua de sancta carne fidelis parentis, et templo Dei, et Deum unum in suo corde gestantis, exorti sunt, nonnihil divinae benedictionis hauserunt[64]); in qua utique benedictione sanctitas continetur, cujus dignatione perstricti sancti non immerito nuncupantur. Per hanc quidam etiam sanctificationem 1 Cor. 7, 13.

[60]) Ita correximus, ubi alii *quae*, a[3] substituendum in margine adscripsit *atque*.

[61]) Hoc est *spiritalem*, qua scilicet homo principali parte sua et prout spiritus est Deo adhaeret, vero illius cultui addictus. Eadem loquendi ratione num. 14 *principalis fornicatio* appellatur, qua anima pravi spiritus cultui est dedita, et apud prophetas idololatria saepissime *fornicatio* vel *adulterium* nuncupatur.

[62]) Infra n. 26 Ecclesia cum Christo una caro praedicatur *sacri lege conjugii*. Quocirca etiam hic *divini* non *divina* legendum existimamus, atque hunc locum ita intelligendum esse: *legitimum non aestimet carnis cum homine conjugium, quod lex spiritalis conjugii cum Deo respuat.*

[63]) Cum G[1] addimus *ait*.

[64]) G[1] *auxerunt*, auris error.

Digitized by Google

assumunt, et[65]) ut ad eam, sicut competit, perveniant consequendam, jam ejus per parentem fidelem rudimenta percipiunt, et odorem sanctae notionis agnoscunt: precibus Christiani parentis, quibus eis sine ambiguo imploratur divina misericordia, utique sanctificatio jam praebetur, et plerumque fidelis studio parentis vel ad venerabilia loca parvuli deferuntur, vel etiam nescientibus renatis fonte baptismatis sanctificatio plena confertur, aut ubi jam capaces rationis exstiterint, adhortatio[66]) et insinuatio pii parentis ingeritur. Quae omnia sanctificationis instrumenta esse manifestum est, quibus aut ad ejus veniunt firmitatem, aut si ista despiciunt, semetipsos sanctificatione dispoliant, et gratiam Dei, quae his per affectum parentis[67]) ingeritur, evidenter evacuant, atque ita de sanctis vel de eruditionibus sanctitatis abscissi, in non sanctorum consortia profana rediguntur: de quibus nihilominus sic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus praeceptum: *Si infidelis vult discedere, discedat.* Numquidnam haec genera sanctitatis vel sanctificationis de utroque profano parente progenitis filiis intimantur? Ecce quid interest inter sobolem ex illo vel isto conjugio procreatam; ecce quemadmodum isti familiares et propinqui sunt sanctificati[68]), atque ideo non immerito *sancti* sunt editi, et quibus divina misericordia consequenter ejus precibus imploratur, quique cum sanctis educationibus imbuuntur et sacrae religionis initiantur affectu, ad cujus si pervenerint firmitatem[69]), illius per sacramentum sanctificationis plenitudinem consequuntur, cujus per fidelem parentem etiam ante sacramentum rudimenta sumpserunt, per quae rudimenta jam sancti, qui sancta institutione praeparabantur, non incongrue sunt vocati.

1 Cor. 7, 15.

18. Numquid autem quia dictum est sanctificari infidelem conjugem per fidelem, ita dictum est, ut jam propriae credulitatis sanctificatione non egeat, ac non magis ideo, quia per illam familiaritatem fidelis conjugis percipiendae sanctificationi proximus sit et propinquus effectus? Nam si jam sanctificatus diceretur, ut sanctificatione penitus non egeret, non de eodem in consequentibus diceret: *Infidelis si vult discedere, discedat.* Sic ergo et filii eorum nuncupati sunt *sancti*, quia per sancti parentis affectum capiendae sint

---

[65]) Ita G[1]; alii omittunt *et*, unde a[3] interpunctionem mutare coactus fuit (*quemdam. Jam*). Mox cum G[1] *notionis*, ubi alii *adoptionis*.

[66]) Ita editi cum G[1]. Vat. (a[3]) *adhortatione et insinuatione*.

[67]) Vulgati *parentum*, melius mss. *parentis*. De pueris enim sermo est ex uno fideli et altero infideli parente progenitis.

[68]) a[3] *sanctificationi* mutavit propter sermonis, ut ait, integritatem et eorum, quae n. 18 proferuntur, similitudinem. Sed nescio an cum G[1] et editis *sanctificati* (scil. fidelis parentis) retinendum, ne desit prorsus, ad quod sequens *ejus* (*precibus*) referatur.

[69]) G[1] *infirmitatem*.

Digitized by Google

proximi sanctitati, non quod jam ipsi propria sanctificatione non egeant[70]); quae utique, sicut nullus Christianus addubitat, sine regenerationis sacrae mysterio nec sumitur nec habetur: sicut et parens eorum infidelis sic sanctificatus dicitur per fidelem, ut si tamen ingestae sibi per fidelem conjugem sanctificationis ipse legitimum non suscepit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergo eum, quem per fidelem conjugem sanctificatum dixit, postea nuncupat infidelem, quia proprie ipse vel ipsa non credidit, sic et filii, qui per fidelem parentem eo modo sanctificati, quo conjux, sancti appellati sunt, nisi ipsi quoque proprie credant, infideles consequenter exsistunt. Satis enim apparet, secundum quemdam modum sanctificationem hanc conjugis appellatam, qui postea *infidelis* asseritur; sic ergo et de filiis intelligendum est. Numquid igitur, quod saepe repetendum est, soboles profanorum hujuscemodi sanctitatis aliqua cujuslibet parentis portione contingitur[71]), vel aliquibus hujusmodi disciplinis, precibus, adhortationibus cujuspiam participationem vel notitiam vel auditum vel eruditionem sanctitatis assumit, quae est sub immundorum spirituum dominatione consistens, et diabolicis praevaricationibus et contagiis mancipata? Hoc modo semper immunda est, quo parentes, quamdiu in eadem perversitate consistit.

19. Plerumque autem et per anticipationem, quod in Scripturae sanctae textu frequentius invenitur, jam esse dicitur quod futurum est, sicut in evangelio legimus: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: filios Dei* certe jam nuncupans, qui adhuc essent diffusa gratiae evocatione per mundum sacris innovandi mysteriis in Dei filios adoptandi; vel quum dicitur: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, jam *beati* appellati sunt, qui adhuc tunc futuri fuerant beati, quum essent quae non viderant credituri; sicut et plerumque pro faciendis jam facta referuntur, ut: *foderunt manus meas et pedes meos*. Item tamquam profitendo definitur, quod non sit causa qualibet interveniente faciendum: sicut beatus apostolus pro devotione praedicationis injunctae ad Hispanias se profitetur iturum, quod tamen certa dispensatione Deitatis quod fieret non provenit. Aliter, quum appellatur aliquid esse, quod hoc ipsum esse cessavit, vel cessaturum est hoc ipsum esse quod dicitur: ut Judas apostolus, qui

Joh. 11, 51. 52.

Joh. 20, 29.

Psalm. 21, 17.

Rom. 15, 24.

---

[70]) Similiter ad eumdem apostoli locum Augustinus de pecc. mer. l. 3 c. 12 observat: *Illud tamen sine dubitatione tenendum est, quaecunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana et ecclesiastica institutione sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles quamlibet sanctis et justis conjugibus haereant, ab iniquitate mundantur.* Vide et lib. 2 c. 26.

[71]) Ita correximus, ubi G[1] *contigitur*, alii *contegitur*.

Digitized by Google

praevaricando, quod est appellatus, amisit, sicut idem et discipulus dictus est, quum quidem nec Christi discipulus esset sed potius diaboli, sicut de eo dictum est: *Unus ex vobis diabolus est,* quod diaboli esset operarius. Dictus est tamen discipulus, etiam quum nec verus esset et cessaturus hoc dici. Est et ille modus, quod saepe velut generaliter et absolute dicitur, quum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifestum est, ut quum dicitur Abrahae: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Omnes quidem gentes benedicentur, nec erit ulla natio sub coelo, cui non praedicetur evangelium, et tunc veniat finis; sed ipsae gentes non ex integro omnes benedicentur, quia non omnium est fides. Vel sicuti est: *Omnis lingua confiteatur Deo.* Cui locutioni sensus ille connectitur, quum ex parte totum saepius nuncupatur. Sicut et tunc homo *Juda,* quum totam gentem procul dubio nominaret, sic et illi fideles *sancti* videri possunt vocati, quia multi vel plurimi ex his per ea, quae dicta sunt, mysteriis imbuti coelestibus sancti efficientur. Et merito jam esse dicti sunt, quod futuri sunt. Vel ex ea portione, qua per religiosum parentem erant participes sanctitatis, tamquam jam ex integro id essent, sancti sunt nuncupati, vel quia ex talibus filiis multi futuri essent plenae sanctificationis haeredes. Jam et isti ex eo, quod futuri fuerant, nuncupati sunt, et licet hoc essent plurimi forsitan *nunc futuri, a parte sanctorum toti sancti generaliter sunt vocati.

Joh. 6, 71.
Gen. 22, 18.
Matth. 24, 14.
Rom. 14, 11.
* f. *non*

20. De resurrectionis vero qualitate vel de ea, quae post resurrectionem species sit futura, audiamus apostolum praedicantem, ubi ait: *Sed dicet aliquis: quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient?* Et humanae mentis diffidentiam redarguens, (quam merito stultam, quae Deo quidquam judicaret impossibile, nuncupat), competenter ex rerum etiam visibilium et humanis conversationibus usitatam similitudinem comparationemque magnificam praeclarus doctor inducit, dicens: *Insipiens,* (qui Deo haec impossibilia aestimas, vel ambigis esse facienda), *tu! quod seminas vivificatur, nisi prius moriatur?* Quam similitudinem ad resurrectionem corporis post mortem futuram convenienter aptavit. Deinde quod secutus adjecit: *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici et ceterorum. Deus autem dat illi corpus, prout voluit.* Ad qualitatem jam et speciem, quae post resurrectionem futura est, genus comparationis adhibere curavit: *prout voluit,* inquit. Quid adhuc quaeris? Prout voluerit Deus, sic dabit unicuique corpus ineffabili potentia suscitatum.

1 Cor. 15, 35.
1 Cor. 15, 36.
1 Cor. 15, 37. 38.

21. Sed forsitan arbitreris, ideo magis significari non unicuique suum reformandum proprie corpus, quum adstruatur *prout Deus voluerit* esse reparandum. Diligenter ergo sensum plenius haec tractantis intende, si scire conaris, cujusmodi corpus unicuique sit Deus hoc ipsum prout voluerit redditurus, et tamquam tibi jam tunc ad ista

Digitized by Google

respondentis apostoli verba perpende. Nosse desideras, quale[72]) resuscitatis hominibus corpus prout Deus voluerit sit daturus? Agnosce prudenter, *et unicuique seminum proprium corpus:* quod utique non sine causa vir Deo plenus adnectit, nisi ut futuras hominum hujusmodi dubitationes expelleret. Audi, inquam, quod sapienter adjecit, et ex similitudine rem ipsam, cui comparatur, agnosce: *et unicuique*, inquit, *seminum proprium corpus.* Si in similitudine *proprium corpus*[73]), ergo et in re, cujus similitudo est, proprium corpus certum est esse reddendum. Semina enim ista sine controversia hominibus comparavit, de quorum utique morte et resurrectione loquebatur: atque ideo singula singulis conferens, quantum ad vivificanda post mortem corpora pertineret, de grani non prius vivificati quam mortui comparatione singulari mirabiliter explicavit.

22. Dehinc quali post resurrectionem corpore censeretur esse quisque venturus, id est, utrum hac conditione, quam moriendo gestaverat[74]), an longe meliore, nihilominus illa similitudine patefecit, quam secutus exposuit: *Et tu qui seminas, nudum granum seminas, ut puta tritici aut alicujus ceterorum; et Deus dat illi corpus prout vult.* 1 Cor. 15,37. 38. In hac ergo forma corpus Deum dare decentius, quam obierat, evidenter expressit; sicut in subsequentibus dicitur: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem; seminatur in ignobilitate, surgit in gloriam; seminatur in infirmitate, surgit in virtutem; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* 1 Cor. 15, 42—44. Ecce quemadmodum hominis morientis non hoc seminatur, quod corpus est post futurum. Ecce *prout vult* Deus intelligitur resurrecturis corpus reformare post mortem cum inaestimabili suae misericordiae voluntate. Quod fuerat in corruptione seminatum, incorruptibili nobilitate restaurat: quod fuerat terrenae conditionis in ignobilitate sopitum, in gloria coelesti resuscitat; quod fuerat mortalitatis infirmitate resolutum, redintegrat immortalitatis decore vestitum; postremo quod fuerat animale defunctum, corpus spirituale restituit et reformat: quae cuncta ad statum meliorationis sublimationisque respiciunt. Illa vero, quae restat pars comparationis adnexae, specialiter ad proprietatem corporis unicuique redhibendam pertinere firmatur, qua consequenter dicitur: *Et unicuique seminum proprium corpus;* ubi satis apparet in quavis resurgentium claritate proprietatem corporis esse mansuram.

23. Nec otiosum est, quod beatus apostolus, *quum de solo humano genere, quod solum est utique suscitandum, nec alia quaecunque substantia hoc est munere decoranda, atque ideo sufficeret

*) f. *loqueretur*

---

[72]) Ita G[1], et confirmatur initio seq. n. 22. Alii *quare*.

[73]) In G[1] deest *corpus*, quod retinendum suadet textus Paulinus modo citatus.

[74]) Ita G[1], nisi quod mox *a longe*. a[3] in marg. notavit: „Codd. *gustaverat*."

Digitized by Google

ad unum genus hominum unam speciem seminis gratia comparationis adhibere, per quam et non prius vivificari quam mori, et honorabilius corpus quam seminaretur exsurgere perdoceret: sed ut diversi sexus proprium corpus assereret innovandum, quod in una specie seminis, quantum ad similitudinem respiceret, non habebat, ne per hoc et unam tantummodo speciem resuscitandorum corporum futuram[75]) significasse putaretur, proprietatum distinctione submota, discreta quaecunque seminum genera comparationis suae caute convenienterque duxit adhibenda: ut proprietatem corporum, sicut dictum est, quam una species discernere non valebat, seminum diversitas indicaret, suppeditaretque plenae comparationi facultas, per quam ad specialitatem corporum designandam convenientissime diceretur, *et unicuique seminum proprium corpus;* ut quod una species cujuslibet grani discreto sexu, qui[76]) ei nullus, aestimari non posset exprimendae corporum proprietati, sicut saepe jam dictum est, seminum diversitas intelligentiam ministraret.

24. Triplex igitur in hac comparatione propositio, disputatio, definitio est. Et quantum ad intelligendam resurrectionem pertinet corporalem, ex similitudine grani non prius vivificati quam mortui competens similitudo sufficiensque deprompta est. Quantum vero ad id attinet, quia *non id corpus seminatur quod futurum est, sed Deus dat illi corpus prout vult;* in ejusdem continentia lectionis necessario causa reseratur, quum corruptibile corpus seminatum perhibetur incorruptibile redditurum, et cetera, quae huic sensui probantur adhaerere. Quantum autem ad proprietatem corporum respicit edocendam, plenissime declaratur, quod beatus apostolus nequaquam seminis unius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non posset ostendere, quum id una species, ut supra memoratum est, seminis non haberet, studuit ex seminum diversitate monstrare unicuique surgentium, qui sunt utique seminibus comparati, proprium corpus esse reddendum. Et resurgent ergo homines vivificati post mortem, qui utique prius morientibus et postmodum vivificandis seminibus comparati sunt. Et non hoc, quod moriuntur, id est tamquam seminantur, resurgunt, *sed Deus eis dat corpus ut vult:* ut sit de corruptibili incorruptibile[77]), de mortali immortale, de animali spirituale, ut quod mortis fuerat conditione decoloratum, immortali[78])

1 Cor. 15, 37. 38.

---

[75]) Ita legendum, non *futurarum* ultro concedet, qui num. 20 initio propositam meminerit quaestionem: *Quae post resurrectionem species sit futura.*

[76]) Haec sententia nitida erit in hunc modum: *qui ei nullus est, aestimari non potest idonea exprimendae etc.*

[77]) In G[1] deest *incorruptibile*, quod sensus necessario postulat. Moxque G[1] *de animali*, ubi Vat. (a[3]) *de inanimali*, editi *de inspirituali*. Similiter 1 Cor. 15, 44 *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

[78]) c[10] *immortale et decorum.* G[1] et Vat. (a[3]) *immortali de quorum integritate:*

Digitized by Google

decorum integritate reddatur. Et proprium corpus, sicut unumquodque seminum, sine dubio recepturi sunt: quod quia diverso sexui in uno semine comparari non poterat, ex seminum diversitate collatum est, ut ex diversitate seminum corporum proprietas signaretur. Si vero proprium corpus resuscitatus quisque suscipiet, indubitanter est consequens, ut unicuique sexui corpus proprium reformetur; quia, sicut[79]) dictum est, et unicuique seminum proprium corpus restituitur attributum. Et si unicuique seminum proprium corpus restituitur, per quae utique semina in utroque sexu omne genus hominum designatum est, sequitur, ut omne genus humanum, quod in utroque sexu istis est seminibus designatum, proprium sit corpus[80]) habiturum.

25. Hoc nos ex verbis apostoli fas est sobria consideratione metiri, ultra quae cavendum est temeraria curiositate prorumpere. Propter quod etiam commonemur: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne fueris scrutatus;* et: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Postremo attendentes illud, quod apostolica quoque praedicatione firmatum est: *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus timentibus se,* quisquis superius memorati sensus apostoli non est intelligentia vel comparatione contentus, ad hoc certe, velit nolit, sine dubitatione constringitur, ut quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, qualibet audeat sibi mediatione componere. Quasi vero[81]) humani corporis aliqua membra culpabilia vel dedecora vel reprehensibilia sint creata, quum Deus fecerit omnia bona valde et unamquamque speciem in suo genere competenti decore subnixam, nisi quod haec, quae inhonesta nostra sunt dicta, concupiscentiae primordialis decolorasset excessus: quae utique sic fuerant instituta, ut ad nutum mentis humanae famulantia, tantummodo ex animae rationalis arbitrio ad procreandae sobolis causam suis officiis fungerentur, praeter hanc vero causam nihil contra mentis imperium, vel[82]) praeveniendo insolentius voluntatem, vel quum id voluntas ex-

Eccli. 3,22. Rom. 12,16. 1 Cor. 2,9. Gen. 1,31.

---

mendum vitio inductum librarii, qui verba ex ore dictantis accipiens vocem *decorum* in duas dividendam putavit.

[79]) Editi *quia sicut dictum.*

[80]) a[1] cum G[1] et Vat. (a[3]) *Corpus arbitrium hoc nos etc.;* editores autem conciliorum loco vocis *arbitrium* substituerunt *resumptorum.* Ab eadem voce proprius abest *habiturum,* quo verbo Gelasium usum esse non dubitamus. Mox G[1] *ultra quae praevaricandum est.*

[81]) Ita corrigendum duximus, quod prius sic efferebatur: *quasi verbo humani ... culpabilia vel decora.*

[82]) a[1] *quae praeveniendo voluntate.* Ab c[7] c[10] quidem restitutum erat *voluntatem,* sed retento *quae* pro *vel* adhuc claudicabat Gelasii oratio, quam nunc integritati suae redditam putamus. Certe quid sibi velit Gelasius, non latet. Eamdem sententiam Augustinus de civit. Dei l. 14 c. 23 pluribus adstruit: *hanc,*

Digitized by Google

peteret, quidquam rebellionis afferrent. Sed postquam anima summis suis subjecta non constitit, pari in seipsa naturae contumacis lege punita superbia est, ut huic quoque, id est animae dominio subjecta consequenter obsequia repugnarent, et quod vetiti praesumptione contraxerat[83]) humanae mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis indicaret, qua degeneris ac decoloratae superbaeque radicis procul dubio vitiosa fuerat generatio propaganda. Quae utique si hic, nisi essent hac exorbitatione foedata, potuerant decore tantum humano generi propagando tam honesta quam moderata persistere etiam in corpore sine dubitatione terreno, quanto magis credendum est, in spirituali corpore ineffabiliter decentius haec posse constare? Praecipue quum nihil jam genitalis officii in illa perpetua claritate gestura sint: sed ad hoc tantum suae speciei formaeque non deerunt, ut non aliqua alia forma quam humana, cui promissa resurrectio est, resucitata judicetur, nec aliquid sit, quod in carnis perspecta resurrectione non maneat, et videatur alia species suscitata. quam integrae carnis humanae lineamenta designant. Quae *quisque non vult fortasse moderata ratione librare, velit nolit, ut dictum est, aut ad illud superius revertetur, *ut quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit*, non aestimet perscrutandum, aut si ultra conatur erumpere, ipse videat suae temeritatis abruptum. Quam autem condita sunt honesta humanae membra substantiae, etiam res illa nos admonet, quod quum in paradiso nudi essent primi parentes, nihil in his confusionis[84]) habuerunt, unde post peccatum et concupiscentiae virus ingressum corporum suorum inordinata perturbatione confusi sunt. Atque ideo satis apparet, quod si in illa quavis felicitate paradisi positi, terreno tamen corpore constituti, conspici sine confusione potuerunt, multo magis in illo spirituali corpore atque in illa sublimi beatitudine, quae similitudinem gestura est angelorum. Et ut homini in carnis resurrectione nihil desit, integer reformetur: et ne aliquid deforme Conditor creasse videatur, si quid de resuscitato corpore subtrahatur, bonum potius ejus opus inde etiam comprobetur, ut ejus conditio in illius[85]) quoque claritatis decore permaneat. Nisi forsitan isti etiam

*i. e. *quisquis*

1 Cor. 2, 9.

---

inquit, *voluntatis et libidinis vixam ... proculdubio, nisi culpabilis inobedientia poenali inobedientia plecteretur, in paradiso nuptiae non haberent, sed voluntati membra illa ut cetera membra servirent.* Tum cap. 24 memorata potestate quorumdam, quibus etiam nunc corpus corruptibile ad voluntatem servit, infert: *Quid causae est, ut non credamus, ante inobedientiae peccatum corruptionisque supplicium ad propagandam prolem sine ulla libidine servire voluntati humanae humana membra potuisse?* Quod rursum confirmat cap. 26.

83) Ita G[1]. Editi *contradixerat.*

84) G[1] *confusionibus habuerint.* Idem mox *in illam quamvis felicitate paradisi positis ... constitutis.*

85) Ita correximus apertum errorem (*illis*), et mox cum G[1] *forsitan*, ubi alii *forte.*

Digitized by Google

illic adhuc existiment motus corporeos orituros, *ubi*, sicut ipse Dominus ait, *neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli.* Quod utique, si in unam speciem corporis unumque sexum omnes fuerant suscitandi, cur diceretur, causa penitus non fuisset. Quin potius quum femineo sexui magis competat nubere, non illic defuturum, sed cessaturum prorsus a nuptiis indicatur. Quum autem nihilominus scriptum sit, *ut capiat unusquisque propria corporis*[86]) *quae gessit, sive bona sive mala,* quomodo id fiet, nisi uterque sexus in sui corporis proprietate vel judicium subeat, vel praemium beatae resurrectionis accipiat?

Marc. 12, 25.

2 Cor. 5, 10.

26. Falluntur autem, qui putant illud apostoli testimonium sibimet suffragari, quo videantur[87]) asserere in virilem formam omnes homines resuscitandos, ubi ait: *Donec occuramus in unum virum perfectum.* Quid ergo facient, quum rursus idem dicat: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo?* Quod huic utique opinioni eorum erit sine dubitatione contrarium, nisi mysterio competenter inspecto modesta mente cognoscant, qualiter *utrum conveniat. Quid itaque velit sibi, quod in utroque sexu describatur[88]) Ecclesia, quantum Domino reserante sentimus, exponimus. Ab initio Christum et Ecclesiam in una[89]) carne similitudine conjugii designatam sancta Scriptura testatur. Proinde quum femineo sexu censetur Ecclesia, infirmitas quidem humanae conditionis ostenditur, quae tamquam in Ecclesia conjuge Christi convenienter exprimitur; sed nomine virginitatis vel continentiae ejus propositum vel integritas fidei, de qua et ipse beatus apostolus disserit, intimatur. Quum vero dicitur: *Donec occurramus omnes in virum perfectum,* nec diversum est nec divisum[90]). Quoniam quidquid in Ecclesiae corpore continetur, quae cum Christo una caro est, sacri lege conjugii etiam ipsius caro; modis omnibus in sexu fieri utroque[91]), quod dictum est sive illic *virginem castam,* sive hic *virum perfectum:* ut ita sint in Ecclesiae catholicae intemerata fide viventes et sancto proposito continentes, licet adhuc positi[92]) in infirmitate conditionis humanae,

Eph. 4, 13.

2 Cor. 11, 2.

*f. *utrumque*

Eph. 5, 32.

[86]) Sic Vat. Alii *corpora.*

[87]) Ita G[1], editi *videntur.* Si hoc verbum ad apostolum referatur, legendum est *videatur.* Haec autem apostolicorum verborum interpretatio nova non erat. Siquidem Augustinus de civ. Dei l. 22. c. 17 testatur, nonnullos iis maxime motos fuisse, ut omnes in virili sexu resurrecturos crederent.

[88]) Quum editi *describat Ecclesia,* aut *describatur* legendum est aut *Ecclesiam.*

[89]) Hactenus obtinebat *humana carne,* quod apertum mendum.

[90]) Ita G[1], quum editi *divinum* et ad marg. *divisum.*

[91]) Si hic addideris *docetur,* nihil orationis vel sensus integritati deerit. Mox *hic* (loco *huic*) et *Ecclesiae catholicae* (pro *Ecclesia catholica*) cum G[1] correximus.

[92]) Sic legendum esse evidens est, non cum prius vulgatis *adhuc possit in infirmitate.*

Digitized by Google

jugis precem, quam fieri pro ipsa certum est affectione conjugii, aliquid etiam infidelis conjux sanctificationis per misericordiam divinam, quam fidelis conjugis implorat supplicatio, consequatur, longeque differat, sicut dictum est, ab illo connubio, in quo utrique conjuges a verae Divinitatis sunt puritate exteri et visitatione[55]) submoti, sed immundos utrique spiritus invocantes, pari immunditia sunt referti. Nam si comparatione levium vel gravium peccatorum *justificatus* dicitur ab eo, qui majoribus est vitiis involutus, ille quem minor reatus involvit, sicut dicitur ad Jerusalem, quae tunc criminum et praevaricationum immanitate fervebat: *Justificasti sororem tuam Sodomam;* quanto magis justificatio vel sanctificatio, etsi non plena atque perfecta, secundum tamen quemdam modum competenter accipitur, ubi non solum a fideli conjuge minus peccatur, sed ab eo etiam conjugi[56]) peccatori remedium summae Divinitatis exposcitur, quam ubi a conjugibus utrisque peccatur. Nam secundum quemdam modum hanc sanctificationem per fidelem conjugem etiam infideli conjugi *pervenire haec ipsa verba testantur apostoli; siquidem non jam infidelem[57]) conjugem legitimam sanctificationem sumpsisse confirmat, quia per fidelem conjugem quippiam sanctificationis acquirat. Denique qua sit conditione censendus[58]), secutus adjunxit: *Nam si infidelis discedat:* non jam inde tamquam fidelem suscipi designans, quia[59]) per haec quae dicta sunt aliquid ad eum pervenit fidelis conjugis, sive consortium seu precem divinae sanctificationis et gratiae; sed nisi ipse quoque fidelis exsistat, pro infideli sit procul dubio judicandus.

Ezech. 16,51.

* f. *provenire*

1 Cor. 7,15.

16. Est etiam ille modus infideli conjugi sanctificationis impertiendae per conjugem jam fidelem, si huic exhortationem conversionis ad Deum et credulitatem summae Divinitatis insinuet, majestatem virtutemque ejus inculcet, et per affectum conjugii eum facilius informet et inclinet ad fidem, adstruens, quae sit spes in unum Deum credentibus vel in hujus vitae cursu, vel post ejus transitum quae requies sit futura. Haec quum per fiduciam conjugii sanctis verbis cor ejus assidua voce pulsando conjux fidelis frequenter in-

---

[55]) Ita correximus, ubi G[1] *visitarie*, editi *voluntarie*. Si quis ejus loco *munditie* aut *sanctificatione*, aut *inhabitatione* legendum maluerit, non contradixerimus.

[56]) In vulgatis *conjuge peccatore*.

[57]) G[1] *fidelem conjugem ... quia per fidem conjugem*.

[58]) a[1] hic supplendum adscripsit *sanctificatus*, moxque *discedere vult*. Nobis utroque loco integra oratio esse videtur; nempe id sibi vult auctor: *qua conditione* (conjux infidelis) *censendus sit* (nimirum *infidelis*), *ex verbis apostoli sequitur inquientis: si infidelis discedat* (ubi ille igitur *infidelis* dicitur); conf. infra n. 18.

[59]) Clarior esset sensus in hunc modum: *quia per haec quae dicta sunt,* (puta *sive consortium seu precem divinae sanctificationis, aliquid fidelis conjugis ad eum pervenit; sed nisi etc.*

Digitized by Google

sinuat, divinae sanctificationis eidem et menti ejus et corpori propinat effectum, sicut ait beatus Petrus apostolus: *Similiter mulieres subditae sint viris, ut si qui non credunt verbo, per mulieris conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram.* Quam si per familiaritatem suscipiat conjugalem, et Dei gratiam sibi per affectum conjugii ministratam non in vacuum recipiat et refutet, fit sanctificatio per fidelem conjugem conjugis infidelis, dum hisce modis ex infidelitate in consortium sanctificationis attrahitur. Alioquin si oblatam sibi gratiam nec per affectum suscipit conjugalem, quam[60]) in vacuum tam divinae dignationis quam etiam humanae singularis affectionis oblitus aestimat abnuendam, atque ob hoc ipsam quoque conjugis affectionem nititur abjurare et ab ipsius pii consortii lege discedere; digne permittitur eidem licentia discedendi, quia non est illo conjugio dignus, quo se ipse judicavit indignum. Patienterque ferat fidelis conjux illo se caruisse conjugio, quod fornicatur a Deo, cui idem conjux fidelis inhaerendo principalem[61]) Dei retinet castitatem. Itaque et adultero caret et eo, qui respuit una veraciter fieri caro cum conjuge jam fideli. Nec aestimet fuisse legitimum, quod divina[62]) sibi despexerit lege conjugii; ac potius libenter accipiat, eum, qui anima separatus a Deo est, et a se quoque corpore fuisse divisum. 1 Petr. 3, 1. 2.

17. Secundum hunc igitur modum etiam de talium filiis accipiendum est, quod illic consequenter asseritur, ubi ait[63]) apostolus: quod nisi haec sanctificatio inter hujusmodi conjuges proveniret, *filii eorum immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Sancti sunt enim secundum quemdam modum in comparatione illorum, qui ex utrisque parentibus immunditiae diabolicae mancipatis contaminatisque nascuntur. Isti enim ex ea parte, qua de sancta carne fidelis parentis, et templo Dei, et Deum unum in suo corde gestantis, exorti sunt, nonnihil divinae benedictionis hauserunt[64]); in qua utique benedictione sanctitas continetur, cujus dignatione perstricti sancti non immerito nuncupantur. Per hanc quidam etiam sanctificationem 1 Cor. 7, 13.

[60]) Ita correximus, ubi alii *quae*, a[3] substituendum in margine adscripsit *atque*.

[61]) Hoc est *spiritalem*, qua scilicet homo principali parte sua et prout spiritus est Deo adhaeret, vero illius cultui addictus. Eadem loquendi ratione num. 14 *principalis fornicatio* appellatur, qua anima pravi spiritus cultui est dedita, et apud prophetas idololatria saepissime *fornicatio* vel *adulterium* nuncupatur.

[62]) Infra n. 26 Ecclesia cum Christo una caro praedicatur *sacri lege conjugii*. Quocirca etiam hic *divini* non *divina* legendum existimamus, atque hunc locum ita intelligendum esse: *legitimum non aestimet carnis cum homine conjugium, quod lex spiritalis conjugii cum Deo respuat.*

[63]) Cum G[1] addimus *ait*.

[64]) G[1] *auxerunt*, auris error.

Digitized by Google

assumunt, et[65]) ut ad eam, sicut competit, perveniant consequendam, jam ejus per parentem fidelem rudimenta percipiunt, et odorem sanctae notionis agnoscunt: precibus Christiani parentis, quibus eis sine ambiguo imploratur divina misericordia, utique sanctificatio jam praebetur, et plerumque fidelis studio parentis vel ad venerabilia loca parvuli deferuntur, vel etiam nescientibus renatis fonte baptismatis sanctificatio plena confertur, aut ubi jam capaces rationis exstiterint, adhortatio[66]) et insinuatio pii parentis ingeritur. Quae omnia sanctificationis instrumenta esse manifestum est, quibus aut ad ejus veniunt firmitatem, aut si ista despiciunt, semetipsos sanctificatione dispoliant, et gratiam Dei, quae his per affectum parentis[67]) ingeritur, evidenter evacuant, atque ita de sanctis vel de eruditionibus sanctitatis abscissi, in non sanctorum consortia profana rediguntur: de quibus nihilominus sic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus praeceptum: *Si infidelis vult discedere, discedat.* Numquidnam haec genera sanctitatis vel sanctificationis de utroque profano parente progenitis filiis intimantur? Ecce quid interest inter sobolem ex illo vel isto conjugio procreatam; ecce quemadmodum isti familiares et propinqui sunt sanctificati[68]), atque ideo non immerito *sancti* sunt editi, et quibus divina misericordia consequenter ejus precibus imploratur, quique cum sanctis educationibus imbuuntnr et sacrae religionis initiantur affectu, ad cujus si pervenerint firmitatem[69]), illius per sacramentum sanctificationis plenitudinem consequuntur, cujus per fidelem parentem etiam ante sacramentum rudimenta sumpserunt, per quae rudimenta jam sancti, qui sancta institutione praeparabantur, non incongrue sunt vocati.

1 Cor. 7, 15.

18. Numquid autem quia dictum est sanctificari infidelem conjugem per fidelem, ita dictum est, ut jam propriae credulitatis sanctificatione non egeat, ac non magis ideo, quia per illam familiaritatem fidelis conjugis percipiendae sanctificationi proximus sit et propinquus effectus? Nam si jam sanctificatus diceretur, ut sanctificatione penitus non egeret, non de eodem in consequentibus diceret: *Infidelis si vult discedere, discedat.* Sic ergo et filii eorum nuncupati sunt *sancti*, quia per sancti parentis affectum capiendae sint

---

[65]) Ita G[1]; alii omittunt *et*, unde a[3] interpunctionem mutare coactus fuit (*quemdam. Jam*). Mox cum G[1] *notionis*, ubi alii *adoptionis*.

[66]) Ita editi cum G[1]. Vat. (a[3]) *adhortatione et insinuatione*.

[67]) Vulgati *parentum*, melius mss. *parentis*. De pueris enim sermo est ex uno fideli et altero infideli parente progenitis.

[68]) a[3] *sanctificationi* mutavit propter sermonis, ut ait, integritatem et eorum, quae n. 18 proferuntur, similitudinem. Sed nescio an cum G[1] et editis *sanctificati* (scil. fidelis parentis) retinendum, ne desit prorsus, ad quod sequens *ejus* (*precibus*) referatur.

[69]) G[1] *infirmitatem*.

Digitized by Google

proximi sanctitati, non quod jam ipsi propria sanctificatione non egeant[70]); quae utique, sicut nullus Christianus addubitat, sine regenerationis sacrae mysterio nec sumitur nec habetur: sicut et parens eorum infidelis sic sanctificatus dicitur per fidelem, ut si tamen ingestae sibi per fidelem conjugem sanctificationis ipse legitimum non suscepit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergo eum, quem per fidelem conjugem sanctificatum dixit, postea nuncupat infidelem, quia proprie ipse vel ipsa non credidit, sic et filii, qui per fidelem parentem eo modo sanctificati, quo conjux, sancti appellati sunt, nisi ipsi quoque proprie credant, infideles consequenter exsistunt. Satis enim apparet, secundum quemdam modum sanctificationem hanc conjugis appellatam, qui postea *infidelis* asseritur; sic ergo et de filiis intelligendum est. Numquid igitur, quod saepe repetendum est, soboles profanorum hujuscemodi sanctitatis aliqua cujuslibet parentis portione contingitur[71]), vel aliquibus hujusmodi disciplinis, precibus, adhortationibus cujuspiam participationem vel notitiam vel auditum vel eruditionem sanctitatis assumit, quae est sub immundorum spirituum dominatione consistens, et diabolicis praevaricationibus et contagiis mancipata? Hoc modo semper immunda est, quo parentes, quamdiu in eadem perversitate consistit.

19. Plerumque autem et per anticipationem, quod in Scripturae sanctae textu frequentius invenitur, jam esse dicitur quod futurum est, sicut in evangelio legimus: *Quia Jesus moriturus erat pro gente,* Joh. 11, 51. 52. *et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: filios Dei* certe jam nuncupans, qui adhuc essent diffusa gratiae evocatione per mundum sacris innovandi mysteriis in Dei filios adoptandi; vel quum dicitur: *Beati qui non viderunt et crediderunt,* Joh. 20, 29. jam *beati* appellati sunt, qui adhuc tunc futuri fuerant beati, quum essent quae non viderant credituri; sicut et plerumque pro faciendis jam facta referuntur, ut: *foderunt manus meas et pedes* Psalm. 21, 17. *meos.* Item tamquam profitendo definitur, quod non sit causa qualibet interveniente faciendum: sicut beatus apostolus pro devotione Rom. praedicationis injunctae ad Hispanias se profitetur iturum, quod 15, 24. tamen certa dispensatione Deitatis quod fieret non provenit. Aliter, quum appellatur aliquid esse, quod hoc ipsum esse cessavit, vel cessaturum est hoc ipsum esse quod dicitur: ut Judas apostolus, qui

---

[70]) Similiter ad eumdem apostoli locum Augustinus de pecc. mer. l. 3 c. 12 observat: *Illud tamen sine dubitatione tenendum est, quaecunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana et ecclesiastica institutione sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles quamlibet sanctis et justis conjugibus haereant, ab iniquitate mundantur.* Vide et lib. 2 c. 26.

[71]) Ita correximus, ubi G[1] *contigitur*, alii *contegitur*.

Digitized by Google

praevaricando, quod est appellatus, amisit, sicut idem et discipulus dictus est, quum quidem nec Christi discipulus esset sed potius diaboli, sicut de eo dictum est: *Unus ex vobis diabolus est,* quod diaboli esset operarius. Dictus est tamen discipulus, etiam quum nec verus esset et cessaturus hoc dici. Est et ille modus, quod saepe velut generaliter et absolute dicitur, quum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifestum est, ut quum dicitur Abrahae: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Omnes quidem gentes benedicentur, nec erit ulla natio sub coelo, cui non praedicetur evangelium, et tunc veniat finis; sed ipsae gentes non ex integro omnes benedicentur, quia non omnium est fides. Vel sicuti est: *Omnis lingua confiteatur Deo.* Cui locutioni sensus ille connectitur, quum ex parte totum saepius nuncupatur. Sicut et tunc homo *Juda,* quum totam gentem procul dubio nominaret, sic et illi fideles *sancti* videri possunt vocati, quia multi vel plurimi ex his per ea, quae dicta sunt, mysteriis imbuti coelestibus sancti efficientur. Et merito jam esse dicti sunt, quod futuri sunt. Vel ex ea portione, qua per religiosum parentem erant participes sanctitatis, tamquam jam ex integro id essent, sancti sunt nuncupati, vel quia ex talibus filiis multi futuri essent plenae sanctificationis haeredes. Jam et isti ex eo, quod futuri fuerant, nuncupati sunt, et licet hoc essent plurimi forsitan *nunc futuri, a parte sanctorum toti sancti generaliter sunt vocati.

Joh. 6, 71. Gen. 22, 18. Matth. 24, 14. Rom. 14, 11. * f. *non*

20. De resurrectionis vero qualitate vel de ea, quae post resurrectionem species sit futura, audiamus apostolum praedicantem, ubi ait: *Sed dicet aliquis: quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient?* Et humanae mentis diffidentiam redarguens, (quam merito stultam, quae Deo quidquam judicaret impossibile, nuncupat), competenter ex rerum etiam visibilium et humanis conversationibus usitatam similitudinem comparationemque magnificam praeclarus doctor inducit, dicens: *Insipiens,* (qui Deo haec impossibilia aestimas, vel ambigis esse facienda), *tu! quod seminas vivificatur, nisi prius moriatur?* Quam similitudinem ad resurrectionem corporis post mortem futuram convenienter aptavit. Deinde quod secutus adjecit: *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici et ceterorum. Deus autem dat illi corpus, prout voluit.* Ad qualitatem jam et speciem, quae post resurrectionem futura est, genus comparationis adhibere curavit: *prout voluit,* inquit. Quid adhuc quaeris? Prout voluerit Deus, sic dabit unicuique corpus ineffabili potentia suscitatum.

1 Cor. 15, 35. 1 Cor. 15, 36. 1 Cor. 15, 37. 38.

21. Sed forsitan arbitreris, ideo magis significari non unicuique suum reformandum proprie corpus, quum adstruatur *prout Deus voluerit* esse reparandum. Diligenter ergo sensum plenius haec tractantis intende, si scire conaris, cujusmodi corpus unicuique sit Deus hoc ipsum prout voluerit redditurus, et tamquam tibi jam tunc ad ista

Digitized by Google

respondentis apostoli verba perpende. Nosse desideras, quale[72]) resuscitatis hominibus corpus prout Deus voluerit sit daturus? Agnosce prudenter, *et unicuique seminum proprium corpus:* quod utique non sine causa vir Deo plenus adnectit, nisi ut futuras hominum hujusmodi dubitationes expelleret. Audi, inquam, quod sapienter adjecit, et ex similitudine rem ipsam, cui comparatur, agnosce: *et unicuique,* inquit, *seminum proprium corpus.* Si in similitudine *proprium corpus*[73]), ergo et in re, cujus similitudo est, proprium corpus certum est esse reddendum. Semina enim ista sine controversia hominibus comparavit, de quorum utique morte et resurrectione loquebatur: atque ideo singula singulis conferens, quantum ad vivificanda post mortem corpora pertineret, de grani non prius vivificati quam mortui comparatione singulari mirabiliter explicavit.

22. Dehinc quali post resurrectionem corpore censeretur esse quisque venturus, id est, utrum hac conditione, quam moriendo gestaverat[74]), an longe meliore, nihilominus illa similitudine patefecit, quam secutus exposuit: *Et tu qui seminas, nudum granum seminas, ut puta tritici aut alicujus ceterorum; et Deus dat illi corpus prout vult.* 1 Cor. 15, 37. 38. In hac ergo forma corpus Deum dare decentius, quam obierat, evidenter expressit; sicut in subsequentibus dicitur: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem; seminatur in ignobilitate, surgit in gloriam; seminatur in infirmitate, surgit in virtutem; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* 1 Cor. 15, 42—44. Ecce quemadmodum hominis morientis non hoc seminatur, quod corpus est post futurum. Ecce *prout vult* Deus intelligitur resurrecturis corpus reformare post mortem cum inaestimabili suae misericordiae voluntate. Quod fuerat in corruptione seminatum, incorruptibili nobilitate restaurat: quod fuerat terrenae conditionis in ignobilitate sopitum, in gloria coelesti resuscitat; quod fuerat mortalitatis infirmitate resolutum, redintegrat immortalitatis decore vestitum; postremo quod fuerat animale defunctum, corpus spirituale restituit et reformat: quae cuncta ad statum meliorationis sublimationisque respiciunt. Illa vero, quae restat pars comparationis adnexae, specialiter ad proprietatem corporis unicuique redhibendam pertinere firmatur, qua consequenter dicitur: *Et unicuique seminum proprium corpus;* ubi satis apparet in quavis resurgentium claritate proprietatem corporis esse mansuram.

23. Nec otiosum est, quod beatus apostolus, *quum de solo humano genere, quod solum est utique suscitandum, nec alia quaecunque substantia hoc est munere decoranda, atque ideo sufficeret

*f. *loqueretur*

---

[72]) Ita G[1], et confirmatur initio seq. n. 22. Alii *quare*.

[73]) In G[1] deest *corpus*, quod retinendum suadet textus Paulinus modo citatus.

[74]) Ita G[1], nisi quod mox *a longe*. a[3] in marg. notavit: „Codd. *gustaverat*."

Digitized by Google

ad unum genus hominum unam speciem seminis gratia comparationis adhibere, per quam et non prius vivificari quam mori, et honorabilius corpus quam seminaretur exsurgere perdoceret: sed ut diversi sexus proprium corpus assereret innovandum, quod in una specie seminis, quantum ad similitudinem respiceret, non habebat, ne per hoc et unam tantummodo speciem resuscitandorum corporum futuram[75]) significasse putaretur, proprietatum distinctione submota, discreta quaecunque seminum genera comparationis suae caute convenienterque duxit adhibenda: ut proprietatem corporum, sicut dictum est, quam una species discernere non valebat, seminum diversitas indicaret, suppeditaretque plenae comparationi facultas, per quam ad specialitatem corporum designandam convenientissime diceretur, *et unicuique seminum proprium corpus;* ut quod una species cujuslibet grani discreto sexu, qui[76]) ei nullus, aestimari non posset exprimendae corporum proprietati, sicut saepe jam dictum est, seminum diversitas intelligentiam ministraret.

24. Triplex igitur in hac comparatione propositio, disputatio, definitio est. Et quantum ad intelligendam resurrectionem pertinet corporalem, ex similitudine grani non prius vivificati quam mortui competens similitudo sufficiensque deprompta est. Quantum vero ad id attinet, quia *non id corpus seminatur quod futurum est, sed Deus dat illi corpus prout vult;* in ejusdem continentia lectionis necessario causa reseratur, quum corruptibile corpus seminatum perhibetur incorruptibile redditurum, et cetera, quae huic sensui probantur adhaerere. Quantum autem ad proprietatem corporum respicit edocendam, plenissime declaratur, quod beatus apostolus nequaquam seminis unius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non posset ostendere, quum id una species, ut supra memoratum est, seminis non haberet, studuit ex seminum diversitate monstrare unicuique surgentium, qui sunt utique seminibus comparati, proprium corpus esse reddendum. Et resurgent ergo homines vivificati post mortem, qui utique prius morientibus et postmodum vivificandis seminibus comparati sunt. Et non hoc, quod moriuntur, id est tamquam seminantur, resurgunt, *sed Deus eis dat corpus ut vult:* ut sit de corruptibili incorruptibile[77]), de mortali immortale, de animali spirituale, ut quod mortis fuerat conditione decoloratum, immortali[78])

1 Cor. 15, 37. 38.

---

[75]) Ita legendum, non *futurarum* ultro concedet, qui num. 20 initio propositam meminerit quaestionem: *Quae post resurrectionem species sit futura.*

[76]) Haec sententia nitida erit in hunc modum: *qui ei nullus est, aestimari non potest idonea exprimendae etc.*

[77]) In G[1] deest *incorruptibile*, quod sensus necessario postulat. Moxque G[1] *de animali*, ubi Vat. (a[3]) *de inanimali*, editi *de inspirituali*. Similiter 1 Cor. 15, 44 *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

[78]) c[10] *immortale et decorum.* G[1] et Vat. (a[3]) *immortali de quorum integritate:*

Digitized by Google

decorum integritate reddatur. Et proprium corpus, sicut unumquodque seminum, sine dubio recepturi sunt: quod quia diverso sexui in uno semine comparari non poterat, ex seminum diversitate collatum est, ut ex diversitate seminum corporum proprietas signaretur. Si vero proprium corpus resuscitatus quisque suscipiet, indubitanter est consequens, ut unicuique sexui corpus proprium reformetur; quia, sicut[79]) dictum est, et unicuique seminum proprium corpus restituitur attributum. Et si unicuique seminum proprium corpus restituitur, per quae utique semina in utroque sexu omne genus hominum designatum est, sequitur, ut omne genus humanum, quod in utroque sexu istis est seminibus designatum, proprium sit corpus[80]) habiturum.

25. Hoc nos ex verbis apostoli fas est sobria consideratione metiri, ultra quae cavendum est temeraria curiositate prorumpere. Propter quod etiam commonemur: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne fueris scrutatus;* et: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Postremo attendentes illud, quod apostolica quoque praedicatione firmatum est: *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus timentibus se,* quisquis superius memorati sensus apostoli non est intelligentia vel comparatione contentus, ad hoc certe, velit nolit, sine dubitatione constringitur, ut quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, qualibet audeat sibi mediatione componere. Quasi vero[81]) humani corporis aliqua membra culpabilia vel dedecora vel reprehensibilia sint creata, quum Deus fecerit omnia bona valde et unamquamque speciem in suo genere competenti decore subnixam, nisi quod haec, quae inhonesta nostra sunt dicta, concupiscentiae primordialis decolorasset excessus: quae utique sic fuerant instituta, ut ad nutum mentis humanae famulantia, tantummodo ex animae rationalis arbitrio ad procreandae sobolis causam suis officiis fungerentur, praeter hanc vero causam nihil contra mentis imperium, vel[82]) praeveniendo insolentius voluntatem, vel quum id voluntas ex-

Eccli. 3,22. Rom. 12,16. 1 Cor. 2,9. Gen. 1,31.

---

mendum vitio inductum librarii, qui verba ex ore dictantis accipiens vocem *decorum* in duas dividendam putavit.

[79]) Editi *quia sicut dictum.*

[80]) a[1] cum G[1] et Vat. (a[3]) *Corpus arbitrium hoc nos etc.;* editores autem conciliorum loco vocis *arbitrium* substituerunt *resumptorum.* Ab eadem voce proprius abest *habiturum,* quo verbo Gelasium usum esse non dubitamus. Mox G[1] *ultra quae praevaricandum est.*

[81]) Ita corrigendum duximus, quod prius sic efferebatur: *quasi verbo humani ... culpabilia vel decora.*

[82]) a[1] *quae praeveniendo voluntate.* Ab c[7] c[10] quidem restitutum erat *voluntatem,* sed retento *quae* pro *vel* adhuc claudicabat Gelasii oratio, quam nunc integritati suae redditam putamus. Certe quid sibi velit Gelasius, non latet. Eamdem sententiam Augustinus de civit. Dei l. 14 c. 23 pluribus adstruit: *hanc,*

Digitized by Google

peteret, quidquam rebellionis afferrent. Sed postquam anima summis suis subjecta non constitit, pari in seipsa naturae contumacis lege punita superbia est, ut huic quoque, id est animae dominio subjecta consequenter obsequia repugnarent, et quod vetiti praesumptione contraxerat[83]) humanae mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis indicaret, qua degeneris ac decoloratae superbaeque radicis procul dubio vitiosa fuerat generatio propaganda. Quae utique si hic, nisi essent hac exorbitatione foedata, potuerant decore tantum humano generi propagando tam honesta quam moderata persistere etiam in corpore sine dubitatione terreno, quanto magis credendum est, in spirituali corpore ineffabiliter decentius haec posse constare? Praecipue quum nihil jam genitalis officii in illa perpetua claritate gestura sint: sed ad hoc tantum suae speciei formaeque non deerunt, ut non aliqua alia forma quam humana, cui promissa resurrectio est, resucitata judicetur, nec aliquid sit, quod in carnis perspecta resurrectione non maneat, et videatur alia species suscitata, quam integrae carnis humanae lineamenta designant. Quae *quisque non vult fortasse moderata ratione librare, velit nolit, ut dictum est, aut ad illud superius revertetur, *ut quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit*, non aestimet perscrutandum, aut si ultra conatur erumpere, ipse videat suae temeritatis abruptum. Quam autem condita sunt honesta humanae membra substantiae, etiam res illa nos admonet, quod quum in paradiso nudi essent primi parentes, nihil in his confusionis[84]) habuerunt, unde post peccatum et concupiscentiae virus ingressum corporum suorum inordinata perturbatione confusi sunt. Atque ideo satis apparet, quod si in illa quavis felicitate paradisi positi, terreno tamen corpore constituti, conspici sine confusione potuerunt, multo magis in illo spirituali corpore atque in illa sublimi beatitudine, quae similitudinem gestura est angelorum. Et ut homini in carnis resurrectione nihil desit, integer reformetur: et ne aliquid deforme Conditor creasse videatur, si quid de resuscitato corpore subtrahatur, bonum potius ejus opus inde etiam comprobetur, ut ejus conditio in illius[85]) quoque claritatis decore permaneat. Nisi forsitan isti etiam

*i. e. *quisquis*

1 Cor. 2, 9.

---

inquit, *voluntatis et libidinis rixam ... proculdubio, nisi culpabilis inobedientia poenali inobedientia plecteretur, in paradiso nuptiae non haberent, sed voluntati membra illa ut cetera membra servirent.* Tum cap. 24 memorata potestate quorumdam, quibus etiam nunc corpus corruptibile ad voluntatem servit, infert: *Quid causae est, ut non credamus, ante inobedientiae peccatum corruptionisque supplicium ad propagandam prolem sine ulla libidine servire voluntati humanae humana membra potuisse?* Quod rursum confirmat cap. 26.

[83]) Ita G[1]. Editi *contradixerat.*

[84]) G[1] *confusionibus habuerint.* Idem mox *in illam quamvis felicitate paradisi positis ... constitutis.*

[85]) Ita correximus apertum errorem (*illis*), et mox cum G[1] *forsitan,* ubi alii *forte.*

Digitized by Google

illic adhuc existiment motus corporeos orituros, *ubi*, sicut ipse Dominus ait, *neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli.* Quod utique, si in unam speciem corporis unumque sexum omnes fuerant suscitandi, cur diceretur, causa penitus non fuisset. Quin potius quum femineo sexui magis competat nubere, non illic defuturum, sed cessaturum prorsus a nuptiis indicatur. Quum autem nihilominus scriptum sit, *ut capiat unusquisque propria corporis*[86]) *quae gessit, sive bona sive mala,* quomodo id fiet, nisi uterque sexus in sui corporis proprietate vel judicium subeat, vel praemium beatae resurrectionis accipiat? Marc. 12, 25. 2 Cor. 5, 10.

26. Falluntur autem, qui putant illud apostoli testimonium sibimet suffragari, quo videantur[87]) asserere in virilem formam omnes homines resuscitandos, ubi ait: *Donec occuramus in unum virum perfectum.* Quid ergo facient, quum rursus idem dicat: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo?* Quod huic utique opinioni eorum erit sine dubitatione contrarium, nisi mysterio competenter inspecto modesta mente cognoscant, qualiter *utrum conveniat. Quid itaque velit sibi, quod in utroque sexu describatur[88]) Ecclesia, quantum Domino reserante sentimus, exponimus. Ab initio Christum et Ecclesiam in una[89]) carne similitudine conjugii designatam sancta Scriptura testatur. Proinde quum femineo sexu censetur Ecclesia, infirmitas quidem humanae conditionis ostenditur, quae tamquam in Ecclesia conjuge Christi convenienter exprimitur; sed nomine virginitatis vel continentiae ejus propositum vel integritas fidei, de qua et ipse beatus apostolus disserit, intimatur. Quum vero dicitur: *Donec occurramus omnes in virum perfectum,* nec diversum est nec divisum[90]). Quoniam quidquid in Ecclesiae corpore continetur, quae cum Christo una caro est, sacri lege conjugii etiam ipsius caro; modis omnibus in sexu fieri utroque[91]), quod dictum est sive illic *virginem castam,* sive hic *virum perfectum:* ut ita sint in Ecclesiae catholicae intemerata fide viventes et sancto proposito continentes, licet adhuc positi[92]) in infirmitate conditionis humanae, Eph. 4, 13. 2 Cor. 11, 2. *f. utrumque* Eph. 5, 32.

[86]) Sic Vat. Alii *corpora.*

[87]) Ita G¹, editi *videntur.* Si hoc verbum ad apostolum referatur, legendum est *videatur.* Haec autem apostolicorum verborum interpretatio nova non erat. Siquidem Augustinus de civ. Dei l. 22. c. 17 testatur, nonnullos iis maxime motos fuisse, ut omnes in virili sexu resurrecturos crederent.

[88]) Quum editi *describat Ecclesia,* aut *describatur* legendum est aut *Ecclesiam.*

[89]) Hactenus obtinebat *humana carne,* quod apertum mendum.

[90]) Ita G¹, quum editi *divinum* et ad marg. *divisum.*

[91]) Si hic addideris *docetur,* nihil orationis vel sensus integritati deerit. Mox *hic* (loco *huic*) et *Ecclesiae catholicae* (pro *Ecclesia catholica*) cum G¹ correximus.

[92]) Sic legendum esse evidens est, non cum prius vulgatis *adhuc possit in infirmitate.*

Digitized by Google

ut tamen per unam carnem Ecclesiae et Christi, id est conjugis et viri, in ipso quoque viriliter[93]) accipiant firmitatem vigoremque perfectum, cujus per Ecclesiae virgineam fidei castitatem, qua[94]) cum eodem una caro, fiunt etiam viri membra perfecta. Ubi illa quoque
1 Cor. 12, 13. beati apostoli Pauli verba tractanda sunt, quibus ait: *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus in Christo.* Quantum ad unitatem utique pertinet sacramenti, unum corpus sumus in Christo; quantum ad
Gal. 3, 28. sexuum diversitatem, ipse alibi dicit: *Sive vir sive mulier, omnes unum sumus in Christo.* Cum suo enim toto corpore, quod ejus est plenitudo, perfectus est Christus; et ideo quia per unum idemque mysterium, licet diversi sexus, unum[95]) tamen ejus corpus accipitur, per cujus corporis plenitudinem perfectus est Christus. Quum ergo vir Christus Ecclesiae tamquam conjugis suae et caput sit et virtus atque perfectio, merito omnis Ecclesia in hunc unum virum perfectum, cujus est una caro, perhibetur occurrere.

Tractatus VI.

Adversus Andromachum senatorem ceterosque Romanos, qui Lupercalia secundum morem pristinum colenda constituebant.

Lupercaliorum ritum impium et sacrilegum esse ejusque abolitioni pestilentiam famem aliasque temporum calamitates nequidquam attribui Gelasius probat, illius vero patronos nunc exagitat acriter nunc facete ridet. Tandem hoc pernicioso ritu Christianis omnibus interdicit.

1. Sedent quidam in domibus suis nescientes, neque quae loquantur, neque de quibus affirment, de aliis judicare nitentes, quum se ipsi non judicent, et velint prius accusare quam nosse, ac docere quam discere, et indiscussis rebus nec investigatis causis nec rerum ratione quaesita, quod eis ad buccam venerit, inconsideranter effundere et praecipitanter evomere, non veritatis assertione prolata censentes, sed studio cacologiae quae nesciunt arguentes: eoque progressi sunt, ut etiam recte facta malevolentiae proposito lacerare contendant. Qui si saperent, non praecipitarent omnino sententiam, sed perscrutatis ante rebus loquenda depromerent. Verum quia nos arguunt segnes esse censores in vitiis Ecclesiae coercendis, et a nobis consequenter agnoscant, non tantum corporalis adulterii esse peccatum, quod et discuti debeat et jure puniri, sed esse longe majus fornicationis[1]) et adulterii genus, quod in quolibet Christiano, quia

---

[93]) Ita G[1], quod partim jam de suo correxit a[3]. Editi *virilem accipiat.*

[94]) Editi *quam*, moxque *caro fiunt, et viri.*

[95]) c[7] *unus tamen corpus*, editi alii *unum tamen corpus*, omisso *ejus*, quod ex Vat. (a[3]) revocatur.

[1]) Ita b[1] a[3]. G[1] a[1] *fornicariis et adulteriis.*

Digitized by Google

membrum omnis Christianus Ecclesiae est, competenter debeat vindicari. Tanto enim sacrilegii majus est crimen, quanto animae fornicatio pejor est corporis; nam per animae fornicationem ab ipsius Dei conjunctione disceditur, atque ad immundos spiritus spiritalis adulterii genere transitur.

2. Quomodo autem non in[2]) hanc partem recidit, qui quum se Christianum videri velit et profiteatur et dicat, palam tamen publiceque praedicare non horreat, non refugiat, non pavescat: ideo morbos gigni, quia daemonia non colantur, et deo Februario non litetur[3])? Video, ubi haec deliramenta conceperit[4]). Quomodo praevaricator non est, qui in has blasphemiae profanitates incurrit? Quomodo sacrilegus non aestimetur, qui abjurata unius Dei providentia et potestate, quam confessus est, ad prodigiosas superstitiones et vana figmenta seducitur? Secundum apostolum longe deterius reus jureque damnandus, confessam veritatem deserere, quam si in eam nullatenus credidisset. Quamvis enim ridiculosa sint figmenta quae proferat, tamen ipse affectus et voluntas in crimine est, et professio ac praedicatio jure damnanda; ac per hoc qui in alium sententiam damnationis vult sine dilatione[5]) proferri, in quo alium judicat, semetipsum se condemnare cognoscat.

3. Numquid enim pontifex vindicare debet in eos, qui adulterium corporale committunt, et in eos, qui sacrilegium, id est fornicationem et adulterium spirituale, gerunt, non debet vindicare? Nonne ipse Dominus, quum adultera ad eum esset adducta, accusantibus dixit: *Si quis vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*? Non ait: *si quis vestrum non similiter adulter est;* sed: *si quis sine peccato est.* Quolibet ergo obstrictus quisque peccato in alterius peccati reum lapidem non audeat mittere. Quibus tunc pro sua conscientia discedentibus mundi Salvator adjecit: *Mulier, ubi sunt accusatores tui? Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo; sed vade, ulterius jam noli peccare.* Tenes et teneris, urges et urgeris, obstringis et obstringeris; pontificis discussionem flagitas vindictam-

Joh. 8, 7.

Joh. 8, 10.

---

[2]) G[1] omitt. *in.* Mox G[1] *publiceque suppliceque praedicare*, corrupta ejusdem verbi repetitione.

[3]) b[1] *libetur*. Rectius a[1] *litetur:* quod verbum et infra n. 5 repetitum visuri sumus. Antea magis arrideret *deo Februo:* a quo scilicet Februarius mensis est nuncupatus. Ut enim Augustinus contra Faustum l. 18 c. 5 docet, a *Februis sacris Lupercorum* appellationem hic mensis sortitus est, quia nimirum, ut idem de civit. Dei l. 7 c. 7 auctor est, in eo *fit sacrum purgatorium, quod vocant Februum.* Februum illud purgamentum Varro lib. 5 de latina lingua pariter memorat, ex quo ritum illum a Sabinis ad Romanos advectum fuisse colligitur.

[4]) Ita b[1]. At G[1] a[1] *competerit*, c[7] c[10] *compererit*. Superius *Viden* quam *Video* mallemus.

[5]) Hoc dictum est contra eos, qui clericum accusatum nulla interposita mora nec legitimo judicio exspectato damnari volebant.

Digitized by Google

que deposcis: memento in adversum omne crimen esse proferendum. Numquid non etiam leges humanae dicunt, quod reus reum facere non possit? *Festucam vides in oculo fratris, et in tuo trabem non vides*? Qui moechos accusas, adulterium facis, et corporales adulteros spiritualis adulter incessis? Certe discussionem poscis; homo diligens, maturus, religiosus, non vis aliquem in Ecclesia peccare, peccantem cupis discuti et poenae consequenter addici; quaecunque in alium promis, et in te proferre cogeris; hoc enim facit, ne segnitia pontificis accusetur et maculetur Ecclesia. Debet ergo et pontificis in omnibus malefactis sollicitudo et severitas non deesse, et ab omnibus Ecclesiae fama purgari.

Matth. 7,3.

4. Sed dicas forsan te laicum, illum Ecclesiae ministrum; et[7]) ergo gravius crimen exaggeras. Verum dicis, nec ego diffiteor: tanto sollicitius examinandus est, quanto magis propinquus est; tanto magis reus est, quanto in illo ministerio constitutus, et haec facere minime debuisset. Ecce censura non deest: auditus[8]) si convictus fuerit, vindictae consequenter addicitur. Age modo quid vis de te? Numquid quia in ministerio sacro non es, in plebe sacra non es? An nescis, et te membrum esse summi pontificis? An ignoras totam Ecclesiam sacerdotium vocitatam? Postremo si ille reus est, qui accedens ad ministerium Ecclesiae delinquit, numquid et tu reus non es, qui post confessionem veritatis ad prava et perversa et profana et diabolica, quibus te renuntiare professus es, figmenta reduceris? Itaque etiam tu post blasphemias palam publiceque profusas a sacro corpore modis omnibus abstinendus es. Non potes enim mensae Domini participare et mensae daemoniorum, nec calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; nec potes templum Dei esse et templum diaboli: lux simul et tenebrae in te convenire non possunt. Viderim, utrum urgeas atque compellas in alio maleficium[9]) vindicari. Tu tamen sceleris tui pondus non potes declinare: et quanto in alio transire crimen non pateris impunitum, tanto quid etiam in te pro rerum ratione facere debeamus ostendis.

1 Petr. 2,9.

1 Cor. 10,21.

5. Verumtamen in ipsis blasphemiis tuis, quibus es jure plectibilis, imperitiam tuam evidenter agnosce, et sicut ait ille: *voluntа-*

---

[6]) Saltem de eo, qui se reum fassus est. Anianus in l. 19 cod. Theod. l. 9 asserit: *quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum confessus est.* Longe vero minus illi credendum est, qui negans culpae seu criminis reatus convictus fuerit.

[7]) Ita G[1]. Alii omittunt *et*, et postea *exaggerans*.

[8]) a[1] *auditu et si*, c[7] c[10] *audi tu* (duobus verbis) *et si*, b[1] *auditus et si*. Praeferendum videtur *auditus si*, ita ut librarii loco litterae *s* substituerint *et*, ac pro *auditus si*, legerint *auditu et si*. Pervulgatum est autem, inauditum quemquam damnari non licere.

[9]) b[1] *maleficia*. G[1] a[1] c[7] c[10] *maleficio* (et G[1] *vindicari*). Oratio postulat *maleficium*: atque hujusmodi mendum in mss. frequens est.

Digitized by Google

tem habere te mentiendi, artem fingendi non habere; quum sic te intelligas malum habere affectum perversumque apostatandi propositum, ut tibi materia prorsus vanitatis illius nulla suppeditet, nec possis adstruere quod corde concipis[10]) et ore depromis. Dic mihi, quum saepenumero in Romanis historiis legatur, Livio auctore, saepissime in hac urbe exorta pestilentia infinita hominum millia deperisse, atque eo frequenter ventum, ut vix esset, unde illis bellicosis temporibus exercitus potuisset ascribi: illo tempore deo tuo Februario minime litabatur, an etiam cultus hic omnino nil proderat illo tempore[11]), quo Lupercalia celebrabantur? Nec enim dicturus es haec sacra adhuc illo tempore non coepisse, quae ante Romulum ab Liv. 1,5. Evandro in Italiam perhibentur allata. Lupercalia autem propter quid instituta sunt, quantum ad ipsius superstitionis commenta respectant, Livius in secunda decade loquitur: nec propter morbos inhibendos instituta commemorat, sed propter sterilitatem, ut ei videtur, mulierum, quae tunc acciderat, exhibenda[12]). Proinde si vel ad hoc ipsum aliquid hoc valeret, hoc intermisso non[13]) morbus acciderit, contra quem Lupercalia reperta non sunt, sed feminae nequaquam generare debuerant, pro quarum fecunditate concinnantur inventa. Quid dicturi estis de peste, de sterilitate, de bellorum tempestate continua: numquid et haec propter sublata Lupercalia contigerunt? Si autem non propter ista vel vitanda vel curanda Lupercalia sunt provisa, quid inani turbatione jactamini? Quid Tuscia, quid Aemilia ceteraeque provinciae, in quibus hominum prope nullus exsistit, ut bellica necessitate consumerentur[14]), Luperciliorum fecit offensio, quae longe ante vastatae sunt, quam Lupercalia tollerentur? Quando Anthemius imperator Romam venit, Lu-

[10]) b[1] *concupiscis.*

[11]) G[1] *tempore Lupercalia non celebrantur*, quae mera repetitio antecedentis sententiae esset, et sequentibus minus adaptata.

[12]) Ita G[1]. c[7] c[10] *exhibendam* et ad marg. *forte exigendam*, b[1] substituit *exsolvendam* eoque jure etsi a syllabis, certe a Gelasii mente non discessit. Propius a litterae sono abest verbum *eximendam*. Infra lecturi sumus *propter sterilitatem auferendam* et n. 6 *removendam*. Quod autem hic auctore Livio in secunda decade, quae excidit, adstruitur, confirmant haec Plutarchi in Cajo Caesare: *Lupercalium sollemnitas aderat, de qua multi scriptores prodidere, eam antiquis temporibus fuisse pastorum: et profecto Lycaeis, quae in Arcadia celebrantur, persimilis est. In ea multi nobiles ac primarii adolescentes per urbem nudi transcurrunt densis loris obvium quemque per risum jocumque caedentes. Complures etiam uxores procerum eis sese obvias de industria offerentes manus tamquam sub praeceptore exhibent. Persuasum enim habent, praegnantibus mulieribus pariendi, steribus autem concipiendi facultatem offerre.* Pressius idem scriptor in vita Romuli eadem sic perstringit: *Mulieres adulta aetate ultro se ad verbera offerunt ratae, eam rem ad foecunditatem conducere.*

[13]) Integra erit oratio, si legamus: *non morbus accidere, contra quem.*

[14]) Ita G[1]. Alii *consumeretur.*

Digitized by Google

percalia utique gerebantur, et tamen pestilentia tanta subrepsit, ut toleranda vix fuerit. Numquid per Campaniam Lupercalia gerebantur, quae sublata morbos illic et pestilentiam procrearent?

6. Sed dicturi estis, ad Romam tamquam ad caput omnia pertinere, et quod hic factum non est, diversis provinciis ad eam pertinentibus obfuisse. Cur ergo antequam ad Romam istae provinciae pertinerent, praeter Lupercalia propriis opibus floruerunt? Ut sterilitas sit continuata, terrarum Lupercalia sublata fecerunt, an nostrorum merita peccatorum, de quibus olim dictum est: *et quidquid Romani meruerunt*[15]) *perdere mores*? Sterilitas certe feminarum debuit provenire, propter quam auferendam Lupercalia instituta jactantur, non sterilitas terrarum, propter quam Lupercalia non sunt instituta removendam[16]). Quid, in Africa unde sterilitas? Quid in Galliis? Lupercalia ista fecerunt, an nostri mores, furta, homicidia, adulteria, injustitiae, iniquitates, ambitiones, cupiditates, perjuria, falsa testimonia, oppressiones miserorum, bonarum causarum impugnatio, malarumque defensio, et in omnibus inaudita perversitas, postremo, quod supra omnia est, Deo fictae mentes et sacrilegia, artesque magicae[17]) etiam paganis horrendae? Ecce quae faciunt omnia adversa et inimica nobis, non Lupercalia, quae sunt pro vestra salute sublata!

7. Sed quid dicitis vos ipsi, qui Lupercalia defenditis et agenda proponitis? Vos ea[18]) depretiatis, vos eorum cultum celebritatemque vilem vulgaremque redditis. Si offensio[19]) Lupercaliorum nobis adversa procuravit, vestra culpa est, qui quod vobis singulariter prodesse putatis, negligentissime et[20]) cum longe impari cultu et

---

[15]) Versus ratio postulat *meruerunt* ubi alii *meruerant*. His poetae verbis cognata sunt, quae Cicero ab Augustino de civit. Dei l. 2 c. 21 n. 3 citatus ait: *Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero jampridem amisimus.*

[16]) a^1 c^7 c^{10} *removenda:* quod verbum suppressit Baronius; id nequaquam supprimi sed *removendam* restitui oratio postulat.

[17]) Haec a Gelasio non temere scribi fidem faciunt Theodorici regis apud Cassiodorum Var. epist. lib. IV 17 et 23 litterae, in quibus etiam senatorii ordinis viros Basilium et Praetextatum, quod magicis addicti essent artibus, accusatos legimus.

[18]) G^1 c^1 c^7 c^{10} *eadem pretiatis*, quod Gelasii menti adversum perspiciens Baronius particulam negantem adjecit legitque *eadem non pretiatis*, sed neque haec lectio latina. Sublata littera *m*, quam librarii veteres passim de suo addere solent, ac syllaba *de* suo loco reddita, genuinam nos restituisse confidimus.

[19]) (?^{1} a^1 c^7 c^{10} *ostensio*, quod recte a Baronio correctum probant haec sub finem num. 5: *Ut bellica necessitate consumerentur, Lupercaliorum fecit offensio.*

[20]) (?^{1} a^1 c^7 c^{10} *et non longe*, b^1 *et tam longe*. Restituendum duximus *et cum longe*. Antiqui Lupercaliorum ritus rursum Plutarchus in Marco Antonio testis est his verbis: *Currunt enim et nobilium juvenum et eorum, qui magistratum gerunt, complures nudi atque uncti, loris albis obvios ferientes.* At licet matronas etiam

Digitized by Google

devotione ea ducitis celebranda, quam profanitatis vestrae celebravere majores. Apud illos enim nobiles ipsi[21]) currebant, et matronae nudato publice corpore vapulabant. Vos ergo primi in Lupercalia commisistis: satius fuerat non agere, quam ea cum injuria celebrare; sed deduxistis venerandum vobis cultum salutiferumque, quem putatis, ad viles trivialesque personas, abjectos et infimos. Si vere ergo profitemini, hoc sacrum, ac potius exsecramentum, vobis esse salutare, ipsi celebrate more majorum, ipsi cum amiculo[22]) nudi discurrite, ut rite vestrae salutis ludibria peragatis. Si magna sunt, si divina, si salutifera, si in his vitae vestrae pendet integritas, cur vos pudet per vos ipsos talia celebrare? Si pudet et dedecus est, itane salutiferum est et divinum et profuturum, quod vos ipsi dedecus esse fateamini? Nemo religionem profitetur, quam per se exsequi prorsus erubescit et refugit; ipsa verecundia vestra vos doceat crimen esse publicum, non salutem et non Divinitatis cultum, de quo sapiens nullus erubescit, sed instrumenta pravitatum, quibus mens vestra contra semetipsam testimonium ferens, quod gerendum profitetur, erubescit implere.

8. Castores[23]) vestri certe, a quorum cultu desistere noluistis, cur vobis opportuna maria minime praebuerunt, ut hiemis tempore venirent huc navigia cum frumentis, et civitas inopia minime laboraret? An diebus sequentibus hoc futurum est aestatis? A Deo constitutum beneficium est, non Castorum vana persuasio. Dicite nobis, nec Christiani nec pagani, ubique perfidi, nusquam fideles, ubique corrupti, nusquam integri, qui tam utrumque tenere non potestis, quam sibi utrumque contrarium est: dicite, inquam, Lupercaliorum patroni, et revera Divinitatis[24]) ludibrii et cantilenarum turpium defensores, digni magistri vesaniae, et qui non sine causa sana capita non habetis, digni hac religione, quae obsoenitatum et flagitiorum vocibus celebratur: videritis ipsi, quid vobis salutis impendat, quae tantam moribus labem perniciemque

---

publice manus tamquam sub praeceptore eis praebuisse feriendas tradat, easdem tamen *nudato* corpore vapulasse nusquam meminit, sed hoc Gelasium ex Livii libris, qui interierunt, accepisse opinamur.

[21]) Adeo ut etiam consul Antonius currere et Lupercus ad senatum venire non erubuerit. Hoc tamen praeter decori rationem ab Antonio factum Cicero Philip. 2 n. 34 notat his verbis, quibus ipsum arguit: *Ad Lupercalia veniamus ... Sedebat in nostris collega tuus* (Caesar) *amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus. Ascendis, accedis ad sellam* (*ita eras Lupercus*), *ut te consulem esse meminisse deberes*) *diadema ostendis etc.*

[22]) G[1] *ridiculo*. Mox alii omitt. *et* (ante *profuturum*).

[23]) Et hic *Pastores* et infra *pastorum* loco *Castorum* legendum esse persuadent tum Plutarchus, quo teste, ut supra observavimus, *multi scriptores prodidere eam sollemnitatem antiquis temporibus fuisse pastorum*, tum Livius 1, 5.

[24]) G[1] *dignitati ludibrii*, corrupte.

Digitized by Google

proponit. Nec est quod dicatis, potius haec agendo et facinora uniuscujusque vulgando deterreri a talibus commissis animos, et pudore refrenari, ne de his publica voce cantetur, quando, sicut ille ait, non tam deterrere quam admonere[25]) animos haec ludibria videantur, et sicut ille dixit: *Iram atque animos a crimine sumunt*, eo impudentiores effecti, quo crimine publicato expositaque verecundia nil superest omnino, quod pudeat. Nec habet quod metuat publicari, sed jam se fiducialiter exserat, qualis in propatulo non per coercitionem, sed potius per quamdam laetitiam et celebritatem numinum[26]), decantata est quaelibet illa persona, immo et religione se praestare confidit: ut sint, unde numinum sollemnia celebrentur, quae nisi criminum decantationibus non coluntur.

9. Dicite nobis itaque, qui voluntatem profanitatis habetis, cujus causas asserere non potestis, qui tuendae habetis propositum falsitatis, quam defendere non potestis: quid dicturi estis de siccitate, de grandine, de turbine, de tempestatibus variisque cladibus, quae pro morum nostrorum qualitate proveniunt? Numquidnam haec omnia pro sublatis Lupercalibus contigerunt, an in malis moribus castigandis meritis retributionibus inferuntur? Sed non mirum est, homines non judicio divino velle ista contingere, sed vanae superstitionis incursu, qui[27]) ut sua crimina et malefacta cooperiant auctoritate coeli, sidera perhibent adhiberi et fatalem induci errorem necessitatemque peccandi, facinoraque sua non de cordis proprii perversitate procedere, sed coelo auctore pendere. Proponite igitur, pro quibus aut submovendis malis aut promerendis bonis Lupercalia vestra fuerint instituta, et videamus, quae illa bona provenerint, quum Lupercalia gererentur, et quae mala successerint, quum Lupercalia viderentur ablata. Figite gradum: ad quod vestrum excidium * dicatis haec prodigia fuisse reperta, digni, qui monstrum[28])

* suppl. *submovendum*

[25]) Ita G[1] a[1] c[7] c[10]. a[3] *admovere* corrigendum ratus ex similitudine Gel. ep. 14. c. 21, ubi et ipse *admovere* practulit. — Porro quos illi superstitionis patroni ludos sacros vocitabant, eadem Gelasius *ludibria* nuncupat, ad imitationem videlicet Augustini, a quo similiter de civ. Dei l. 2 c. 4 *ludibria sacrilegiorum appellantur.*

[26]) G[1] a[1] c[7] c[10] hic et infra *nominum*: Baronius idem verbum hic retinens tantum infra restituit *numinum*. Idem mox pro *illa persona* legendum conjectavit *illa profana quae;* conjectura nobis non probatur. Locus autem vitio interpunctionis ante obscurus, hac mutata planus jam fit et perspicuus. Quod hic Gelasius perstringit, Augustinus de civ. Dei l. 2 c. 4, 7, 8 ac pluribus explicat.

[27]) Ita corrigendum duximus hunc locum, qui corrupte sic efferebatur: *quibus sua crimina et malefacta cooperiant, auctoritatem coelis* (G[1] *auctoritate coeli*) *sidera perhibent adhibere et fatalem inducit* (G[1] c[7] c[10] *induci*) *errorem.* Baronius vero majorem constructionis grammaticae quam Gelasianae sententiae rationem habens *incursibus* pro *incursu* et infra *inducunt* pro *inducit* substituerat.

[28]) Scil. quod Panis nomine venerabantur. Nempe Titus Livius histor. lib. 1 c. 5 Lupercaliorum institutionem memorans scribit: *Evandrum, qui ex genere*

Digitized by Google

nescio quod pecudis hominisque mixtura compositum sive vere sive false editum celebretis? Si propter pestilentiam submovendam, ut antiquiora praeteream, ecce antequam meis temporibus tollerentur, pestilentiam gravem tam in Urbe quam in agris hominum pecudumque fuisse non dubium est; si pro sterilitate jactatis, cur in Africa vel Galliis ista contingunt, ubi nec fuerunt aliquando Lupercalia, nec constat fuisse sublata? Cur nunc Oriens omnium rerum copiis exuberat et abundat, qui nec celebravit unquam Lupercalia nec celebrat? An dicitis illic nocere, ubi per plurima saecula fuerant celebrata et repente sublata sunt? Videamus ergo, si his temporibus, quibus dicitis agitata et rite ac plena sui, sicut vobis videtur, devotione completa sunt, nunquam fames, nunquam pestilentia prorsus exstiterit. Si vero saepenumero his cladibus ad extremum periculi ventum est, apparet, his malis submovendis nihil Lupercalia profuisse etiam eo tempore, quo, sicut dictum est, ut putatis, competenti ordine gererentur. Sic de singulis quibusque necessitatibus, propter quam dixeritis fuisse provisum, si constiterit etiam illis non desiisse, vana hujus remedii convincitur esse praesumptio.

10. Verumtamen cur non hoc etiam nunc experiamini, utrum valeant aliquid etiam rite celebrata? Et vos per ludibria ista discurrite vestrorum more majorum, ut divinam rem et salutarem vobis, ut dicitis, devotius celebrando, saluti vestrae prospicere magis magisque valeatis. Numquid quum haec celebrarentur, a Gallis Roma non capta est, et saepenumero ad extrema quaeque pervenit? Numquid bellis civilibus sub hac celebritate non concidit? Numquid Lupercalia deerant, quando Urbem Alaricus evertit? Et nuper quum Anthemii et Ricimeris civili furore subversa est, ubi sunt Lupercalia? Cur istis minime profuerunt? Certe si divinum est, si salutare vobis, cur non per vos ipsi, ut majores vestri, ista faciatis? Cur causas vestrae salutis minuitis? Cur decoloratis, cur eliditis, cur ad vilia quaeque deducitis? Quid imputatis nobis, quum ipsi remedia vestra calcetis? Satius est et non tentare, quam contumeliose peragere. Majores certe vestri, si vitiose, uti illis videbatur, sacrum aliquod celebrassent, instaurandum esse ducebant. Cur non, quod ad vitiosum cultum redegistis per indignas quasque id exsequendo personas, competenti instauratione reparatis, ut causas vestrae salu-

---

Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerat loca, sollemne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi juvenes Lycaeum Pana venerantes per lusum atque lasciviam currerent. Atqui *talem*, teste Phornato lib. de nat. deor., *Pana esse perhibent. Et inferior ejus pars hispida est et hirta idque ob terrae asperitatem; at superior humana est figura, eo quod mundi imperium, quod ratione prorsus constat, aether obtineat. Illum* porro, ut idem auctor est, *pecudum ac armentorum speculatorem fecerunt.*

Digitized by Google

tis plenius perfectiusque tractetis? Cur vos pudeat agere, si salutare est? Si divinum, quod tractasse sit dedecus?

11. Sed inquis, vel imaginem ipsius rei non debere moveri. Si prodest, si salutare est, cur imago potius apud vos, et non ipsa sit veritas? Aut si certe nec tunc profuit, quando ritu integro, sicut dicitis[29]), tractabatur, quid quaeritis ejus imaginem, cujus nec ipsam profuisse cernitis veritatem?

12. Sed dicitis, tot saeculis rem gestam non oportere secludi. Nihilominus multis temporibus paganitatis superstitio ventilata est: sacrificetur in templis daemonum, et in Capitolio profana vanitas celebretur! Cur portionem defenditis, et quae majora sunt praeteritis? Si plurima genera vanitatum multis acta saeculis probantur esse sublata, cur portio quantovis tempore ventilata non possit auferri? Si temporibus praescribitur, imputate majoribus vestris, qui quum hac temporis praescriptione non usi sint, posse quod superfluum est et debere removeri, dum plura et majora submota sunt, indicarunt.

13. Sed dicis etiam Christianis temporibus haec fuisse. Sed etiam illa aliquamdiu Christianis quoque temporibus celebrata sunt. Numquidnam quia sub primis praesulibus Christianae religionis ablata non sunt, ideo sub eorum successoribus tolli minime debuerunt? Multa sunt, quae a singulis pontificibus diverso tempore sublata sunt noxia vel abjecta. Non enim simul omnes in corpore curat medicina languores, sed quod periculosius conspicit imminere: ne aut materia corporis non sufficiat medicinae, aut pro conditione mortali simul omnia non possit avertere. Quaere quale sit, unde agis: si bonum est, si divinum, si salubre, meritoque quandocunque tolli non debuit; si nec salubre nec divinum, causandum tibi magis est, cur tardius auferatur, quod superstitiosum constat et vanum, quod certe Christianae professioni non convenire manifestum est.

14. Postremo quod ad me pertinet, nullus baptizatus, nullus Christianus hoc celebret, et soli hoc pagani, quorum ritus est, exsequantur. Me pronuntiare convenit Christianis ista perniciosa et funesta indubitanter exsistere. Quid me incusas, si quod professis[30]) minime inimicum est, a consortibus professionis Christianae pronuntio submovendum? Ego certe absolvam conscientiam meam: ipsi videant, qui justis admonitionibus obedire neglexerint. Quod etiam praedecessores meos forsitan fecisse non ambigo, et apud imperiales

---

[29]) Ita G[1]. Alii *dicitur*.

[30]) G[1] *professi minime inimicum est a consortibus*, unde b[1] *professo nomini inimicum est*, alii *profitemini inimicum esse*. Archetypi lectio parva mutatione facta ferri potest, et est hic sensus: *quod professis* (h. e. gentilibus, qui id minime inimicum esse profitentur) *minime inimicum est, a consortibus professionis Christianae* (igitur aliter *professis, scilicet id inimicum* esse) *pronuncio submovendum*.

Digitized by Google

aures haec submovenda tentasse: et quia auditos esse non constat, dum haec mala hodieque perdurant, ideo haec ipsa imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanorum[31]), non remotis etiam Lupercalibus, usque ad extrema quaeque pervenit. Et ideo nunc ea removenda suadeo, quae quum nihil profuisse cognosco, tamquam contraria verae religioni noxia potius exstitisse pronuntio. Postremo si de meorum persona praescribendum aestimas praedecessorum, unusquisque nostrum[32]) administrationis suae redditurus est rationem, sicut etiam in publicis dignitatibus fieri providetis. Ego negligentiam accusare non audeo praedecessorum, quum magis credam, fortasse tentasse eos ut haec pravitas tolleretur, et quasdam exstitisse causas et contrarias voluntates, quae eorum intentionibus praepedirent, sicut ne nunc quidem vos ipsos absistere insanis conatibus velle perpenditis.

Notitia

scriptorum non exstantium, quae ad s. Gelasium papam attinent.

I.

anno 492 *mox post mens. Mart. Euphemii episcopi Constantinopolitani ad Gelasium de aucupato pontificatu et servanda pace gratulatoriae.*

1. Euphemius regiae civitatis episcopus, uti valde probabiliter conjectamus, Felicis II obtinere nequiverat communionem, sed haec manebat suspensa, quoad Flavitae Acaciique nomina e diptychis submovisset (Gel. ep. 3 n. 1). Statim autem ut audivit Gelasium in Felicis locum suffectum, speravit fore, ut et ipsum recens papa de ordinatione sua faceret certiorem. Quod quum tantillum exspectasset, amplioris impatiens morae illum litteris suis provocandum duxit, ut saltem *in secundis vicem impenderet salutationis.* Neque enim iis, quae de ipso audierat, contentus ejus etiam rei, quam aliis referentibus acceperat, litteras testes spectare cupiebat. Immo *tantum erga eum caritatis habere* se testabatur, ut non solum litteris eum alloqui, sed ipsius etiam *affatus audire* peroptaret (l. c. n. 3).

2. His adjiciebat, Deum manifeste ostendisse, *sanctarum ecclesiarum minime deserere se caritatem*; siquidem singulari providentia virum in pontificali sede locavit *non indigentem doceri, sed intendentem omnia necessaria ad ecclesiastici corporis unitatem* (l. c. n. 4). Tum consequenter adnectebat, Gelasium Salvatoris exemplo, qui de coelo descendit, *condescendibilem* praebere se debere, et optima dispositione revocare posse concordiam (l. c. n. 5).

3. Subinde vero id objiciebat: *Acacius nihil contra fidem sicut Eutyches et successor ejus* (Dioscorus) *legitur ubicunque dixisse* (l. s. n. 8). Hinc et quaerebat, *quando fuerit damnatus Acacius.* Immo *Petrum, cui communicavit Acacius, purgatum* fuisse cum aliis obtendebat (l. c. n. 9).

---

[31]) b[1] *Romanum.* Vere *ad extrema quaeque pervenit* illustre hoc nomen, quum imperium Romanum anno 476 deposito Augustulo, ad Odoacrem Herulorum regem atque hoc rege anno 493 interfecto ad Theodoricum Gothorum principem, qui tunc Italia potiebatur, defecit.

[32]) Ita G[1]. Alii *nostrorum*, et infra *vos istos absistere.*

Digitized by Google

4. Hinc redibat ad Gelasii laudes, memorabatque, Denm, *qui omnia secundum veritatem ac regulam suam gubernanda et praescius ante constituit et singula quibusque temporibus convenienter aptavit*, illum his ornasse dotibus ac talentis ditasse, quibus id velle se palam faceret, ut ipsius temporibus *pax et unitas custodiretur*. Hortabatur itaque Gelasium, ut morem gereret Dei voluntati, nec *talentum* sibi creditum fructu privari sineret. Amicitiam commendabat Christianam, unitatisque vinculum omnibus aliis rebus praeponendum praedicabat. *Pacem* deposcebat *solidam*, et id quod poscebat ut *divina protectio perficeret*, deprecabatur (l. c. n. 12 et 14).

5. Non dissimulabat, dolere se de *tristitia*, quam Gelasius *de prioribus ipsius litteris sumpserat* (l. c. n. 12). Quod de litteris a pontificatu Gelasii scriptis interpretari non licet. Restat igitur, ut hoc de litteris ab Euphemio Felicis pontificis aevo missis dictum sit. Hinc et sese, quominus Acacii ac Flavitae nomina e sacris tabulis removeret, quorumdam *necessitatibus constringi* atque prohiberi causabatur (l. c. n. 13), idque nominatim *populum Constantinopolitanum nunquam permissurum* esse asserebat (l. c. n. 15). Denique existimabat, *aliquem* a Gelasio Constantinopolim *dirigi debere*, qui mitigare populum illum valeret (l. c. n. 16). Ex hac autem summa omnibus manifestum esse reor, hanc Euphemii epistolam ad annum, quo pontifex creatus est Gelasius, pertinere, nec longe post pontificatus ejus initia esse differendam.

II.

anno 492 *(aut* 490*). Relatio ad Gelasium de Pelagiana haeresi in Dalmatiis grassante.*

Serius rejici nequit relatio Gelasio papae data, qua nuntiatum est, *quosdam in regionibus Dalmatiarum recidiva Pelagianae pestis zizania seminasse, tantumque illic eorum praevalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione deciperent* (Gelas. ep. 4 n. 1). Immo si vera est epistolae 4 Gelasii, qua ad hanc relationem respondetur, consularis nota, haec ipsa relatio ad annum 490, dum Felix superstes erat, referenda est. Hoc autem posito tum Gelasio tradita est, non ut pontifici, sed ut rerum ecclesiasticarum administro, qui Felici ab epistolis erat. Et eo quidem tempore videtur accepta, quo Italia bellis Odoacrem inter et Theodoricum concitatis perturbabatur.

III.

anno 492. *Honorii episcopi Salonitani ad Gelasium de falsa superiore relatione recusatio.*

Pacata nondum erat Italia, quum Gelasius Honorii Dalmatiarum seu Salonitani episcopi litteras accepit per legatos missas, quibus papam praeproperae credulitatis arguebat, quod Pelagianae haeresis commenta in Dalmatiis disseminata esse facilius credidisset; per quos autem hoc didicisset Gelasius, renuntiari sibi petebat (Gelas. epist. 5). At vero Italia anno 493 Odoacre interempto tranquillior esse coepit, adeoque et hanc epistolam anno 492 haud temere illigemus.

IV.

anno 492. *Gelasii ad Anastasium imperatorem salutatio.*

Ad eumdem annum haud dubie pertinent honorificae illae litterae, quibus Gelasius pontificatum iniens Anastasium imperatorem salutare properavit (Gelas. ep. 10 n. 2).

V.

anno 490 *exeunte. Fausti magistri ad Gelasium de obstinatione Graecorum relatio.*

Ex iis, quae Gelasius epistola 10 rescribit, colligimus, vigilantissimum illum

Digitized by Google

papam Fausto officiorum magistro Constantinopolim legationis causa proficiscenti injunxisse, ut quae esset quum Anastasii imperatoris tum Euphemii episcopi ceterorumque Graecorum erga fidem catholicam et apostolicam sedem affectio, diligenter exploraret, ac de omnibus quam primum certiorem ipsum faceret, Faustumque huic officio nequaquam defuisse. Istud quippe praedictae epistolae exordium *Ego quoque mente percepi, Graecos in sua obstinatione mansuros*, indicio est, Fausti ad Gelasium praecessisse litteras, quibus ille percepisse se significabat, Graecos obstinatione sua minime abstituros esse. Quo respiciens Gelasius sic rescribendi initium fecit: *Ego quoque mente percepi*, h. e. eadem mihi de illis sententia est. Hinc et cetera, quae velut ab imperatore aut Euphemio aliisve Graecis proposita Gelasius in eodem scripto memorat ac refellit, hoc eum ex iisdem Fausti litteris comperisse argumento est. Atqui legationem illam post pacatum Odoacris morte Italiam, h. e. post mensem Martium anni 493, Faustus suscepit, adeoque Constantinopoli ad Gelasium litteras illas eodem anno labente aut etiam exeunte scripsisse probabiliter credatur.

VI.

anno 494 *circ. init. Gelasii ad episcopos Dardaniae pro perseverantia communionis catholicae exhortatoria.*

De Graecorum contumacia per Fausti officiorum magistri litteras certior factus Gelasius operam dedit, ne illorum exemplum Dardaniae episcopi sequerentur. Quapropter epistolam ad eos per Tryphonem virum religiosum misit, qua eos et in apostolicae sedis communione contineret, et ad vitandum sectatorum Eutychis Acaciive consortium magis ac magis excitaret (Gelas. ep. 11). Tillemontius autem, quem sequitur Josephus Blanchinus, ut jam in nota 2 ad monitum praevium epistolae 7 diximus, hanc non aliam epistolam putandam ait, quam quae per Ursicinum episcopum delata (i. e. Gelasii epist. 7). Nec negandum est, satis ferri posse istam sententiam, quamquam propterea prorsus omittere notitiam illius epistolae *per Tryphonem* delatae noluimus.

VII.

anno 494 *ante mens. Mart. Johannis Ravennatis episcopi ad Gelasium de deficiente servitio sacerdotum et legitimorum interstitiorum remissione intercessio.*

Circa idem tempus Johannes Ravennas episcopus Gelasium repetitis relationibus commonuit, in variis Italiae provinciis *deficiente servitio ministrorum* non sine ipsius reatu sacris ordinibus funditus destituendas esse plures ecclesias, nisi *remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervalla praefixa* huic malo citius subveniret. Ei porro prospexit Gelasius epistola 14, quae die IX Martii anni 494 consignatur. Unde et tempus, quo relationes illae conscriptae sunt, nullo negotio collegeris.

VIII.

anno 494 *ante mens. Mart. Relatio ex Piceno ad Gelasium de inhonestis plurimorum clericorum negotiationibus missa.*

Eadem in epistola idem papa relationem aliam commemorat ad se de Piceni partibus missam, qua plurimos clericos negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere admonebatur (Gel. ep. 14 c. 15).

IX.

anno 494 *mense Aug. Gelasii ad episcopos Dalmatiarum de vitanda Acacianorum communione auctoritas.*

Scripserat Gelasius ineunte Augusto anni 494 ad episcopos Dalmatiarum de

Digitized by Google

vitanda eorum communione, qui a damnatorum recitandis nominibus absistere nolebant, eamque epistolam, quam *auctoritatem* vocat, subnexuerat alteri, quam simul ad episcopos Dardaniae de eadem re scribebat (Gel. ep. 18 n. 4). Sed haec una pervenit ad nos, et quae ad Dalmatas conscripta erat intercidit.

X.

anno 494 *vel* 495. *Petitoria Amandiani, Placidiae, Maximae, Silvestris et Faustiniani ad Gelasium de vindicandis clericis servilis conditionis: item episcopi cujusdam pro consecrandae ecclesiae licentia.*

Ad eumdem annum 494 aut ad sequentem referemus: 1^mo^ libellum Amandiani viri illustris, quo apud Gelasium expostulabat, quod homines juris sui alii clerici, alii diaconi essent ordinati (Gel. ep. 20); 2^do^ petitorium Placidiae illustris feminae oblatum Gelasio adversus Sabinum Marcellianensis seu Casilinatis ecclesiae episcopum, quod duos ipsius servos alterum presbyterum, clericum alterum ordinasset (Gel. ep. 21); 3^tio^ petitorium magnificae feminae Maximae adversus Lucerinum episcopum, a quo originarios suos etiam contradicente se diaconos ordinatos esse querebatur (Gel. ep. 22); 4^to^ libellum, quem obtulerunt Gelasio Silvester et Faustinianus Grumentinae ecclesiae clerici expostulantes, quod licet clericatus officio post libertatem domini sui benignitate concessam pene ab incunabulis mancipati, ab haeredibus ejus ad servilem conditionem cogerentur, simulque se oppressos esse suggerebant ab ejusdem ecclesiae archidiacono, qui eos contra leges divinas et publicas moderatoris judicium secuturos esse promiserat (Gel. ep. 23 et 24); 5^to^ relationem episcopi, qua ecclesiae in honorem martyrum, quos designabat, consecrandae licentiam sibi permitti a Gelasio postulabat (Gel. ep. 25).

XI.

anno 495 *aut* 496. *Petitoria Magetiae, Senilii et Trigetii ad Gelasium pro consecrandis ecclesiis.*

Ante mensem Aprilem anni 495 aut 496 oblatum est Gelasio Magetiae sive Megentiae petitorium, quo nobilis illa femina suggerebat, se suorum corpora in propriis possessionibus condidisse, atque ut in ipsis locis defunctorum divina celebrarentur officia obsecrabat (Gel. ep. 33).

Item ante Augustum mensem Senilii (vel *Julii*) cujusdam suscepit petitorium, quo rogabatur, ut ecclesiam, quam ille in re Viviana juris sui fundaverat, in honorem sancti Viti consecrari juberet (Gel. ep. 34).

Huic simile fuit petitorium Trigetii obtestantis, ut basilicam, quam in re sua *Sextiliano* dicta in honorem sancti Michaelis archangeli et Marci (vel *Martini*) confessoris construxerat, pariter consecrari praeciperet (Gel. ep. 35).

XII.

— — *Alia similia diversorum hominum ad Gelasium in rebus suis petitoria.*

Longe plura de diversis rebus petitoria, quae in fragmentis memorantur, mittimus, ne frustra repetere videamur, quae quisque fragmentorum ipsorum lectione de his percepit.

XIII.

— — *Honorati episcopi Massiliensis de fide sua ad Gelasium scriptura, et pontificis ad illum rescriptum.*

Gennadius de viris illustribus cap. ult. scripti meminit Honorati Massiliensis episcopi, quo ille integritatem fidei suae apud Gelasium probabat, nec non rescripti, quo idem papa Honorati fidem sibi re ipsa probari indicavit. Gennadii ea verba sunt: *Sanctus quoque papa Gelasius Romanae urbis pontifex, per scripturam agnoscens ejus fidei integritatem, rescripto suo probatam indicavit.*

Digitized by Google

XIV.

— — *Synodica Gelasii decreta de dioeceseon limitibus.*

Testatur ipse Gelasius, sese habita synodo et praelectis in ea Leonis papae gestis de dioeceseon limitibus decreta sanxisse, quae et ad ecclesias mittere studuit. Inter ea vero decreta unum notat, quo quicunque in loca invasissent ad se non pertinentia, ea restituere jubebantur (Gel. fragm. 17 et 19).

XV.

anno 495 *aut* 496. *Synodi episcoporum Syriae Cosmae, Severiani, Cyri, Zoili, Eusebii, Thomae, Silvani ad Gelasium de fide sua et statu illius ecclesiae legatio.*

Gelasius in epistola 43 nuper per clarissimum Angelum Majum in lucem producta innuit, ab episcopis Syriae Cosma, Severiano, Cyro, Zoilo, Eusebio Thoma, Silvano synodum habitam, ab eaque legationem *per religiosos monachos* cum *libello* ad sedem apostolicam missam esse. Ibi hanc quidem prae omnibus *sanctam* praedicabant, exposuerunt *haereticorum impudentiam*, *patientiae* suae fideique *constantiam* et *pessimorum saevitiam*, *quot quantasque malas pressuras perpessi* fuerint, *qualia ipsis Dei auxilia obvenerint* (conf. Gel. ep. 43 n. 2). Respondit Gelasius dicta epistola 43 vix ante ultimum ipsius annum scripta. Unde nec legationem illam ut multo ante missam statuamus, fas est.

XVI.

— — *Missale Gelasianum.*

Inter Gelasii scripta, quae desiderantur, recensendum esset missale Gelasianum, cujus mentionem in monumentis saeculo IX exaratis fieri Mabillonius Liturg. Gallic. pag. 17 observat, si hoc opus aliud esse constaret a sacramentorum libro, quem tandem e tenebris eruit Josephus Maria Thomasius, clericus regularis ac postmodum cardinalis, atque anno 1680 typis vulgavit. Hujus quidem authentiam contra inanes quorumdam cavillationes diserte tuetur et textum repetiit, qui postmodum liturgiam Romanam veterem edidit doctissimus Muratorius (Lit. Rom. vet. p. 51 seqq. et 493 seqq.). Sed juvat, auctorum primorum verba de ea re huc adduxisse. Liber pontificalis igitur ita eam notat: *Hic fecit tractatus et hymnos sicut beatus Ambrosius episcopus*, vel ut in pluribus antiquissimis codicibus ab Holstenio, Schelstratio et Blanchino laudatis legitur: *Hic fecit duos libros adversus Nestorium et Eutychem; fecit et hymnos in modum beati Ambrosii; fecit autem* (Flor. *etiam*) *et sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone.* Johannes diaconus autem in vita Gregorii M. idem opus hisce significat: (Gregorius) *Gelasianum codicem de missarum sollemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.*

XVII.

— — *Opus de morborum animae origine ac remediis a Gelasio meditatum.*

Incertum est, num Gelasius perfecerit opus quod meditabatur, in quo primum de peccati morborumque animi causa et origine, tum de remediis congruentibus tractandum sibi proponebat: *quoniam*, inquit, *perfectae medicinae mos est, originem vel intelligere prius vel reserare morborum eisque patefactis medicinam conficere congruentem.* Haec autem in tractatu V adv. Pelagianos n. 1 praefatus statim subdit: *Quae cuncta, si Dominus vitam facultatemque praebuerit, in quantum coelesti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare.* Ubi meditatum opus satis aperte declarat ac spondet. Eamdem sponsionem ibidem n. 7 iterat ac firmat, ubi disserens, quo pacto protoparentes nostri *ab eo quod sempi-*

Digitized by Google

ternum est recedentes, in id quod semper deficit sunt reducti, proxime addit: *Quod praestante Deo alias confidimus plenius exsequendum.* Sed valde verendum, ne, postquam hoc sibi proposuerat, ad totius Ecclesiae regimen assumptus, cogitatum opus aggredi per assiduas occupationes minime permissus sit.

XVIII.

— — *Johannis Alexandrini episcopi ad Gelasium apologia.*

1. Meminit ejusmodi *Johannis Alexandrini ad Gelasium apologiae* Photius biblioth. cod. 54, in eaque illum ait *non solum Pelagianam haeresim sed etiam Pelagium et Coelestium ac ipsum Julianum condemnare, qui etiam eorum successor cognitus est.* Lequien *Oriens Christian.* II, 426 eam *Johanni Niciotae* asserit, nescio qua innixus causa, quum ille quidem demum ab a. 507 usque ad a. 516 sedi Alexandrinae praepositus, adversus ecclesiam Occidentalem satis infenso animo esset. *Suscepit* enim, ait Liberatus, *unitivum Zenonis edictum, non autem Calchedonense concilium et epistolam papae Leonis.* Unde nec *communicavit* quidem *Flaviano Antiocheno et Eliae Hierosolymitano episcopis et Timotheo Constantinopolitano; dicebat enim imperfecte edictum se habere nec ad unitatem sufficere, quod non in anathemate synodi esset factum.* Unde vix veri simile est, istum virum ita fanaticum memoratam apologiam ad sedem apostolicam, cujus tunc jam secundus post Gelasius praesul erat Hormisda, direxisse. Ante pontificatum autem monachi reclusi vitam degerat, unde cognomentum *Habis* (i. e. ἔγκλειστος, *reclusus*) sortitus (Lequien l. c. 425).

2. Equidem apologiae illius auctorem neminem alium nisi *Johannem Talajam*, circa 482 *catholicum a catholicis ordinatum episcopum* Alexandrinum crediderim. Qui quum odiis Zenonis Acaciique et dolis Petri Mongi statim sede sua pulsus Romae exulare cogeretur, tandem postquam Simplicius et Felix II ejus restitutionem ab imperatore obtinere frustra tentarunt, ecclesiae Nolanae praefectus est (idque teste Theophane demum post initia imperii Anastasii), *ubi*, ait Liberatus, *complures annos residens in pace defunctus est.* Ita igitur et causae praeprimis in Occidentali ecclesia agitatae animum advertere, et ejusmodi apologiam *Gelasio*, ecclesiae Orientalis jam inde a Felice patrono, inscribere, et apud posteros orthodoxos nomen ab Alexandrina ecclesia usque ducere potuit.

XIX.

— — *Gelasii nomine Pelagii haeretici annotationes in epistolas Pauli passim circumferebantur.*

Quaedam Gelasii nomine non longe post ipsius obitum circumferebantur annotationes in epistolas Pauli, quas Cassiodorus tanto papa indignas merito judicavit. De his porro insignis ille senator mentem sic explicat suam (div. instit. c. 8): *In epistolis tredecim sancti Pauli annotationes conscriptas in ipso initio meae lectionis inveni. Quae in cunctorum manibus ita celebres habebantur, ut eas a sancto Gelasio papa urbis Romae doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas. Quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex praecedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse ac brevissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata.* Certe a Pelagianis placitis quantum abhorreat Gelasius, scriptis propriis constanter ostendit. Ibi vero Johannes Garnerius indicari monet Pelagii commentarios in Paulum, qui s. Hieronymi operum tomo VIII (editionis Victorianae) inserti, de quibus Marius Mercator commonit. c. 2 ita loquitur: *Ausus est memoratus* (Pelagius) *ante vastationem urbis Romae in apostolum Paulum commentarios condere . . .; quem librum ejus habemus. proferimus ad convincendum inimicum ejus errorem.* De quibus et Augustinus

Digitized by Google

de peccat. merit. et remiss. III, 1 haec habet: *Legi Pelagii quaedam scripta, viri, ut audio, sancti et non parvo profectu Christiani, quae in Pauli apostoli epistolas expositiones brevissimas continerent;* unde et idem doctor de gestis Pelagii c. 16 atque aliis locis nonnulla excerpsit.

XX.

Epistolae et decreta Gelasio falso adscripta.

1. **Gelasius ad Laurentium de Lignido.** „*In prolixitate etc.*“: fidei formulam transmittit. Ex Vat. 4961 f. 29^{b} editio Romana epist. pontific. I, 339 ac deinceps conciliorum collectores (Mansi conc. coll. VIII, 8) et Migne patr. lat. LIX col. 19 ss. produxerunt. Est Anastasii II epistola 3.

2. **Gelasius Petro episcopo Potentino.** „*Secundum quod etc.*“: ut in diaconum incesti diffamatum judicii ordine procedatur. Ex manuscripto codice universitatis Taurinensis notato fol. IV, 7 Mansi l. c. VIII, 142, Migne l. c. LIX, 156 ediderunt. Est Pelagii I fragmentum 17.

3. **Gelasius Cresconio illustri.** „*Illud te etc.*“: ne Siculi episcopi nomine cathedratici amplius duobus solidis exigant, utque prandiis modicis sint contenti. Ex Ivone III, 136 et Gratiano c. 4 C. X qu. 3 protulerunt Mansi l. c. VIII, 129, Migne l. c. LIX, 156 — est Pelagii I fragmentum 23.

4. **Gelasius papa.** „*Si quis perjuraverit etc*“: de perjurii poenitentia. Gratianus c. 4 C. XXII qu. 5 — est Pelagii I fragmentum 51.

5. **Gelasius Rufino episcopo Vivonensi.** „*Si evangelica admonitio etc.*“: de presbytero, qui diacono suo oculum eruerat, ut ab officio remotus in monasterium detrudatur; sed diaconum oculo privatum ejus in locum suffici non debere. Grat. c. 13 D. 55 — est Pelagii II.

6. **Gelasius reverentissimis fratribus.** „*Sanctorum patrum etc.*“: patrum invasores ut infames in accusationem episcoporum non admittendos esse. Anselmus III, 6 in cod. Vat. 1364 f. 57 (Grat. c. 13 C. III qu. 5 ex *Pelagii II epistola VIII c.* 4) — apocryphum.

7. **Gelasius papa.** „*Si quis secundum sceleratos etc.*“: quicunque terminos sanctorum patrum et synodi universalis transmutans, fidei Christianae alterius novitates expositiones aut typos temere adinvenerit, si usque in finem sine poenitentia manserit, ut in saecula saeculorum condemnatus sit. Anselmus XI, 38 in cod. Vat. 1364 f. 234^{b} — apocryphum.

8. **Gelasius:** „*Illud statuendum etc.*“: quae sacerdotes dederunt, subsequentes pontifices nullatenus auferre praesumant. Ex Gratiano c. 8 C. XVI qu. 6 Mansi l. c. VIII, 141, Migne l. c. LIX, 154 — apocryphum.

9. **Gelasius papa:** „*Si quis monachus etc.*“: de monacho ad presbyteratum promovendo. Grat. c. 28 C. XVI qu. 1 — apocryphum.

10. **Gelasius papa:** „*Placuit etc.*“: debere privilegia triginta annis possessa immobiliter observari. Grat. c. 8 C. XVI qu. 3 — est concilii Constantinopolitani IV c. 18.

Digitized by Google

S. ANASTASII II PAPAE EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

Anastasius hoc nomine secundus papa anno 496 Novembris 24 die, qui Domino consecratus erat, Gelasii loco suffectus est. Is pontifex ut quod maximum ineundae pacis impedimentum videbatur removeret, ordinatos ab Acacio in suis gradibus recipiendos proposuit. Quam ob rem eum a sacris canonibus nominatimque et ab Innocentii, Zosimi, Leonis atque Gelasii decretis dissidere, ac Romanam ecclesiam illius decreta repudiasse nonnulli [1]) divulgarunt. Si etiam libro de gestis pontificum fidem habeamus, illius presbyteri reliquique clerici ab ejus se communione ideo subtraxerunt, quia ipsis inconsultis et *communicasset cum Photino quodam Thessalonicensi communionis Acacii diacono*, et ipsum *Acacium occulte revocare voluisset*. Verum decreta illius cum decessorum statutis consentire, eaque ab ecclesia Romana minime repudiari sed debita cum reverentia suscipi, testis est Nicolaus I (respons. ad consulta Bulg. c. 14 et 15). Ejusdem rei testis est quum primaria Dionysii Exigui collectio, tum ea, quam Hadrianus I Carolo Magno tradidit, utpote in qua locum obtinet ea ipsa Anastasii epistola, qua ordinatis ab Acacio suos honores servandos esse decernitur. Et parem quidem epistolis ejus atque Gelasii, Felicis, Simplicii, Leonis Coelestinique honorem et auctoritatem Pelagius I tribuit. Quod autem de Acacio clam revocando liber pontificalis tradit, sic abhorret a vero, ut ceteris adjunctis hinc fides penitus abrogetur. Quis enim nesciat, Acacium etiam, antequam Ecclesiae regimen susciperet Anastasii decessor Gelasius, e vivis sublatum esse. Si autem illud solummodo *de nomine Acacii sacris diptychis restituendo* intelligatur [2]), ne id quidem verum est. Nam pontifex noster et, simulac sancti Petri cathedram occupavit, sollemni legatione Anastasium imperatorem obsecravit [3]), ut *specialiter nomen taceretur Acacii, ut quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiae concitasset*, et Photinum tunc tantum ab eodem ad communionem admissum esse, quum ecclesia Thessalonicensis Acacio, praelectis Gelasii de excessibus ejus decretis, anathema dixisset, ipsius Anastasii epist. 3 patefaciet. Quid, quod eumdem aliud quidquam de nomine Acacii fecisse, nec ipsi illi Justinus et Justinianus rescierunt, qui omnibus modis, ut Hormisdam in ista causa facilem sibi redderent, tentarunt, ideoque speciatim etiam ad praedecessorum ejus nominatimque Anastasii exemplum provocaverunt?

[1]) Ita secundum librum pontificalem Algerus de misericordia et just. c. 59, Gratianus c. 8 et 9 D. XIX, alii. Praeprimis Gratianus deinde aliis (in quibus cl. Dante divina Commedia inf. 11, 9) ejusdem erroris auctor exstitit. Conferatur Döllinger „Die Papstfabeln des Mittelalters" p. 124.

[2]) Ita cum Vignolio interpretatur Döllinger l. c. p. 126.

[3]) De hac epistola schismaticus ille fragmenti Blanchiniani auctor Symmacho coaevus *imperatorem Anastasium*, ait, *directas per Cresconium et Germanum auctoritate suffulta est, ut qui hanc intenta mente sub divino timore perlegerit, inniter hactenus inter ecclesias Orientis et Italiae tam schisma nefarium perdurare cognoscit* (Blanchin. notae variorum ad Anastas. tom. III, 209).

Digitized by Google

Qui nihil omnino de ejusmodi palinodia memorantes id contra obtendunt, pontificem illum id dumtaxat exegisse, ut unius Acacii, non etiam ceterorum ejus consortium nomina tacerentur (conf. Hormisdae epist. 120 n. 2, 129 n. 3, 132 n. 2). Quamquam ne hoc quidem verum esse, cuique epistolam Anastasii, quam illi appellant, legenti satis patebit.

2. Quapropter eum non divina ultione percussum, ut illi volunt, sed pravis artibus atque insidiis Festi patricii, qui Anastasio Augusto promiserat atque receperat, se illi ut Henotico subscriberet persuasurum, non sine Dei nutu subtractum arbitramur. Verumtamen patricii hujus pollicitatio, cujus Theodorus lector et Theophanes meminere, multa illius nomini contumeliosa comminiscendi locum et occasionem dedit. Nec abest suspicio, ipsos illos schismaticos, qui auctore eodem Festo contra Symmachum omnem lapidem movebant, mox commenta ista finxisse, quibus et justo pontifici detraherent, et aulae Byzantinae favorem sibi comparent. Certe similis generis illorum figmenta etiamnunc feruntur[4]), et ex ejusmodi fontibus vitarum pontificiarum compilator hauserit. Porro Festus Romam rediens Anastasium vita functum comperit. Mortem ejus anno 498 die 17 Novembris vetera monumenta consignant, in quibus et *annum* 1 *menses* 11 *dies* 24 Ecclesiam administrasse memoratur. In basilica beati Petri apostoli eum sepultum esse XIII Kalendas Decembres et cessasse episcopatum dies quatuor, liber pontificalis tradit.

Epistola 1.

Papae Anastasii II urbis Romae ad Anastasium imperatorem (a. 496.) pro pace ecclesiarum.

p. 82. **I. Quod pro Christo fungatur legatione, dum pro pace precatur Ecclesiae.**
II. Quod non sit temere judicandum de iis, qui[1]) jam ad Deum migraverunt.
III. Ut specialiter in Ecclesia nomen taceatur Acacii.
IV. Quod magnopere contentio sit cavenda.
V. Ut Alexandrinos imperator admoneat ad fidem sinceram et ad pacem redire catholicam.
VI. Admonetur imperator, ut constitutis apostolicae sedis obtemperet.
VII. Quod eos, quos post damnationem suam vel baptizavit vel ordinavit Acacius, nulla portio laesionis attingat.
VIII. Quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiae sacramenta commaculent.

Gloriosissimo et clementissimo[2]) filio Anastasio Augusto Anastasius episcopus.

1. Exordium pontificatus mei primitus oblata populis pace pro-

---

[4]) Fragmentum illud dico, quod ex pervetusto codice Veronensi de Anastasio et Symmacho vulgavit Blanchinus not. variorum ad Anastasium tom. III, 209, quodque judicio viri doctissimi ipsius Symmachi aetatem attingit.

[1]) Ita mss. H. Alii (etiam E^2 H^6) *qui ad Dominum migraverunt*. Quod observo, quia nonnulli patres nominatimque Hilarius *regnum Dei* a *regno Domini* distinguentes primum ad resurrectionem usque universam, alterum post spiritibus beatis concedunt. Sed Anastasii textus neque *ad Deum* neque *ad Dominum* postulat.

[2]) H^{10} *excellentissimo*.

Digitized by Google

nuntio. Consequenter[3]) pro fide catholica humilis pietati tuae precator occurro: in quo primum mihi divinum favorem propinquasse confido, quod consonantia in me augustissimi nominis tui non dubium praestat auxilium, ut sicut praecelsum vocabulum pietatis tuae per universas gentes toto orbe praefulget, ita per ministerium humilitatis meae, sicut semper est, sedes beatissimi Petri in universali Ecclesia assignatum sibi a domino Deo teneat principatum. Nec propter unum mortuum diutius tunica illa Salvatoris[4]), desuper contexta per totum, malae sortis patiatur incertum, quae sola in discissionem pro firmitate sui venire non potuit, serenitate[5]) tua praecipue rempublicam gubernante, cui etiam in privata vita tantum circa sincerae religionis studium fuit, ut, sicut fama certissima celebravit, nemo magis vel inter praecipuos sacerdotes praefixas a sanctis patribus regulas Ecclesiae custodisse dicatur. Quod sanctum studium cum majestate imperii crevisse confidimus.

Cap. I.

2. Legatione itaque fungimur pro Christo, ne[6]) eos propter offensionem vel scandalum patiamini publice nominari, quorum merita vel actus illum judicem latere non possunt, in cujus jam sunt judicio constituti. Nec illic se potest interserere in corpore mortali adhuc temeraria praesumptio, in quo non solum confessio facit aperta merita singulorum, sed etiam silentii[7]) ipsius non potest latere secretum. Namque et praedecessor noster papa Felix et etiam Acacius illic procul dubio sunt, ubi unusquisque sub tanto judice non potest perdere sui meriti qualitatem.

Cap. II.

3. Itaque monente nos beatissimo Paulo apostolo, ne quod sit in hoc offendiculum in Ecclesia, dum, quod facere non possumus, de his, qui jam transierunt, judicare conemur, observandum esse tranquillitas tua cognoscat. Ait enim de his, qui de rebus ad Deum solum pertinentibus judicare praesumunt: *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive enim*[8]) *vivimus sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus resurrexit a mortuis, ut et vivorum et*

Rom. 14, 7—13.

---

[3]) Ita E^2 H^6 H^8 H^{10} b h^1 i^2. *confidenter* c^1, a^3 secundum suos mss. *et confidenter*, c^9 c^{10} *et consequenter*. Mox H^8 *pietatis*, et cum E^2 h^1 *in quorum ... in mea* (h^1 *mei*). Deinde E^2 *prostat*, et a^3 *in universa Ecclesia.*

[4]) H^{10} h^1 *salutaris*. Mox H^{10} *incestum.*

[5]) Verba *serenitate* etc. usque ad *gubernante* desunt in E^2 H^8 h^1.

[6]) Ita E^2 H^8 H^{10} b h^1 i^2. Alii *nec.*

[7]) E^2 *silentiis* et mox cum H^8 *persedere.*

[8]) Ita mss. magno consensu.. At editi secundum Vulgatam *sive ergo vivimus*. In E^2 haec omnino desunt.

Digitized by Google

mortuorum dominetur. Tu autem quid[9]) *judicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: „Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectet*[10]) *omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.“ Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Monet igitur beatus apostolus, ne de his nobis praesumendo[11]) judicium, de quibus nemo potest melius vel verius judicare quam Deus, in hoc sibi quispiam temerarios ausus usurpet, et propter hoc pax atque unitas Ecclesiae dissipetur. Nam et in Regnorum[12]) libro dicitur: *Non quomodo videt homo, videt Deus: quia homo videt in facie,* 1 Reg. 16, 7. *Deus autem videt in corde.* Item in Paralipomenon libro I: *Et nunc* 1 Paral. 28, 9. *Salomon, scito Deum patrum tuorum, et servi illi in corde perfecto et in animo volente, quoniam omnia corda scrutatur Deus, et omnem cogitationem novit.* Item in Ezechiele: *Haec dicit dominus Deus: sic*[13]) Ezech. 11, 5. *dixistis domus Israel, et cogitationes spiritus vestri novi ego.* Unde et de Domino judice dicitur in evangelio: *Sciens autem Jesus cogitationes eorum dixit: „quid cogitatis mala in cordibus vestris?“*

Cap. III.

4. Precamur igitur clementiam vestram, ut specialiter nomen taceatur Acacii[14]), ut quod multis ex causis scandalum vel offendicu-

---

[9]) E[2] *quis es qui*, H[8] *qui ... aut qui spernis.*

[10]) c[2] seqq. *flectetur.* Mox E[2] *omnis genu*, H[8] *confitebitur Domino.*

[11]) Editi *praesumamus ... nec sibi in hoc quispiam;* castigantur ex mss. et h[1], nisi quod E[2] H[8] H[10] *quippiam temerarius ausus.*

[12]) E[2] *libro regum.* Deinde editi *videt et Deus.*

[13]) K[3] J[5] *sic dixisti* (J[5] *sic dices*) *domui Israel.*

[14]) Voces *taceatur Acacii ut*, quae in mss. E[2] H J h[1] c[1] desiderantur, ex mss. O c[2] seq. revocatae sunt. Sive autem supprimantur sive exprimantur, perinde est. Certe de Acacii nomine hic sermonem esse intellexit Justinus imperator, qui epist. 129 ad Hormisdam n. 3 eo alludens scribit: *Anastasius siquidem religiosissimae memoriae vestrae culmen ecclesiae palam aperteque constituit, quum ob hoc idem scriberet negotium decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii.* Eadem ratione et Justinianus tum comes epist. 120 n. 2 loquitur his verbis: *quia vestrae beatitudinis praedecessores saepissime voluerunt reipublicae nostrae antistites ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius ceterique praedicti.* Clarius autem in epistola sequenti 132 n. 2 *quia*, inquit, *vester quoque praedecessor beatae recordationis Anastasius ad memoriae principalis Anastasium scripsit, ut si nomen Acacii tantummodo tolleretur, una nobis esset communio.* Anastasii tamen nostri verba duo illi principes eatenus mutasse deprehenduntur, quatenus pro eo, quod dixerat *specialiter taceatur*, substituerunt *tantummodo taceatur.* Ex eo ansam arripuerunt nonnulli, qua Anastasium velut in tuenda decessorum sententia molliorem ac remissiorem insimularent. Sed ille rogans *specialiter* Acacium taceri, nequaquam permittit aliorum, quos decessores damnarant, nomina recitari. Immo precem superius n. 2 ab his verbis orsus: *ne eos propter offensionem vel scandalum patiamini publice nomi-*

Digitized by Google

(a. 496.) lum Ecclesiae concitavit, speciali appellatione taceatur, quum, sicut diximus, in generalitate sacerdotum uniuscujusque meritum illum judicem latere non possit, qui novit quid cuique tribuendum sit pro aestimata dispensatione meritorum, cui soli cogitationes quoque manifestae sunt. Quantos vero excessus atque praesumtiones habuerit Acacius, ne clementiae tuae per singula suggerere fortasse videatur onerosum, Cresconio[15]) vel etiam Germano, fratribus et coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam, de causis singulis Acacii, qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus, clementiae vestrae specialius recensendam, si hoc pietati tuae placuerit curiosius indagare, ne in aliquo suggestioni[16]) nostrae veritas defuisse videatur: ut pro divina sapientia vestra perspicue videre possitis, non superbia vel elatione sedis apostolicae in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis, quantum nos extra illud judicium, quod solum falli non potest, aestimamus, zelo magis divinitatis extortam[17]).

Cap. IV.

5. Nos vero humiliter supplicantes controversiam in Ecclesia remanere nolumus[18]), quum magis vitanda contentio sit, sicut dicitur in

---

nari, eosdem pariter tacendos diserte docet. Et vero Justino etiam ac Justiniano idipsum persuasum fuisse fidem faciunt allata epistolae 120 Justiniani verba, ubi postquam dixit: *si tantummodo taceretur Acacius*, proxime adjungit: *ceterique praedicti*. Hoc igitur Justinus ac Justinianus Hormisdam Anastasio severiorem significant, quod ille Acacii ac sociorum nomina taceri non contentus, alias etiam pacis conditiones exigeret.

[15]) H[6] *Qrismonio*. Gelasii fragmentum 25 vidimus Cresconio inscriptum. Item Romanis synodis, quae sub Symmacho annis 499, 501 et 502 habitae sunt, subscribit *Cresconius Tudertinus*. Hunc ipsum putat Baronius ab Anastasio hic memorari. Addit et *Germanum* ejus socium Capuanum episcopum exstitisse. Sed quum praedictae synodo Romanae anno 499 habitae subscribat *Constantius Capuanus*, stare non potest ejus sententia, maxime quum hunc Germanum ad Hormisdae papae tempora vixisse ponat. Hinc neque illud certum, quod ab eodem ad annum 519 aliisque vulgo creditur, Germanum illum, qui postea sub Hormisda ad Justinum legatione functus est, Capuanum fuisse episcopum. Probabile enim est, eum ipsum, qui Anastasio pontifice hoc munus obierat, a successore, si tum superstes fuerit, esse destinatum. In fronte Gelasiani fragmenti 44 Germani nomen legimus cum aliis episcopis notatum, et inter subscriptiones Romani concilii, quod Symmachus papa anno 499 habuit, lecturi sumus *Germanum* episcopum *Pisaurensem*.

[16]) Ita mss. a[3] i[2]; *suggestionis nostrae* E[2] h[1] c[1], *suggestionibus nostris* b c[2] seq. Invidiosum illud superbiae crimen, quod Anastasius apostolicae sedi ob damnatum Acacium inferebat, jam Gelasius epist. 12 n. 12 ad ipsummet imperatorem propulsarat.

[17]) H[3] H[5] H[6] H[1] (prima manu) h[1] *exortam*, E[2] *exorta, alter* H[5] *exhortamur*, tertius *exora*, alii H J[1] i[2] a[3] cc *extortam*. Hic Anastasius judicium, quo damnatus est Acacius, *extra illud judicium, quod solum falli non potest*, non obscure ponit; illudque certum, quatenus *certis facinoribus* nixum probat.

[18]) H[5] *non volumus*. E[2] *ne controversia ... volumus*.

Digitized by Google

Proverbiis: *Odium suscitat contentio*[19]*); omnes autem, qui non contendunt, protegit amicitia.* Nam et apostolus ad Corinthios: *Quum enim sint inter vos aemulationes et contentiones, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?* Item ad Philippenses: *Si qua ergo consolatio in Christo, si*[20]*) qua allocutio caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera et miserationes, implete gaudium meum, ut idipsum dicatis omnes, eamdem caritatem habentes, nihil per contentionem*[21]*) neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis invicem aestimantes semetipsis superiores, non sua singuli respicientes, sed aliorum.* (a. 496.) Prov. 10,12. 1 Cor. 3,3. Philipp. 2,1—4.

Cap. V.

6. Hoc tamen praecipue insinuo serenitati tuae, gloriosissime et clementissime fili Auguste, ut quum causae Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad sinceram et catholicam fidem eos auctoritate, sapientia divinisque vestris monitis redire faciatis. Nam quid tenendum sit in religione catholica, secundum definita patrum et praedicationem omnium sacerdotum, qui in Ecclesia floruerunt, si hoc quoque praeceperitis, scientibus in memoriam transmittendo renovabimus, ignorantibus ad discendum pro officio nostrae instructionis offeremus[22]), ut nulla extra haec ingeniorum jactantia vel pravitas[23]) audiatur.

Cap. VI.

7. Illud vero peculiarius pro amore imperii vestri et beatitudine, quae consequi[24]) poterit regnum, pro apostolico officio prae-

---

[19]) E^2 a^1 c^9 c^{10} *contentiones:* renitentibus aliis libris. In Vulgata quidem legitur *rixas;* sed graeco haesit Anastasius, in quo habetur: *μῖσος ἐγείρει νεῖκος, πάντας δὲ τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύπτει φιλία*; cujus versus postremam partem Vulgata reddit his verbis: *universa delicta operit caritas.* Ex quo illud obiter observandum venit, Petrum ad eumdem Proverbiorum locum alludere, ubi ait (1. Petr. 4, 8): *ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν* (*caritas operit multitudinem peccatorum*); adeoque apostolos a LXX interpretibus interdum discessisse. Hunc Anastasii locum ita imitatus est, qui Capitularia regum Francorum condidit, ut Proverbiorum verba velut ipsiusmet Anastasii dicta accepisse videatur. Nempe lib. 6 c. 342 habet: *Omnes ut non contendant protegat amicitia. Nam et apostolus ad Corinthios scripsit: Quum sint inter vos etc.;* et lib. 7 c. 247: *Omnis qui non contendit protegit amicitiam. Nam et apostolus ad Corinthios etc.* Atque is locus favet uni H^5, in quo offendimus *protegunt amicitiam,* ubi in aliis quindecim ut in editis exhibetur *protegit amicitia.*

[20]) a^1 *Si quod solatium caritatis.*

[21]) E^2 *contentiones* moxque cum pluribus *sibimetipsos,* ubi alii *sibimetipsis* (ita i^2), *semetipsum, semetipsos* (ita H^6).

[22]) H^5 J h^1 i^2 *offerimus.* Plura patrum testimonia de re, quae in controversiam vocabatur, Leo ad calcem epistolae 165 et Gelasius sub finem tractatus III subjecerunt.

[23]) a^1 b c^2 sq. *pravitatis.*

[24]) c^{10} addit *vestrum,* et mox E^2 omitt. *pro.* Ibidem O c^1 *regimen.*

Digitized by Google

(a. 496.) dicamus, ut, sicut decet[25]) et Spiritus sanctus dictat, monitis nostris obedientia praebeatur, ut bona omnia vestram rempublicam conse-
Exod. 15,26. quantur, sicut in Exodo promittitur: *Si audieris vocem domini Dei tui, et quae placent*[26]) *feceris coram ipso et obedieris praeceptis ejus et custodieris omnem justitiam ejus, omnem infirmitatem, quam importavi Aegyptiis, non importabo in te: ego enim sum dominus, qui salvum*
Deut. 10,12.13. *facio te.* Et illic iterum tuba potentissima canitur: *Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus postulat a te aliud, quam ut timeas dominum Deum tuum, et ambules in*[27]) *omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias domino Deo tuo ex toto corde tuo et ex tota anima tua, custodire praecepta domini Dei tui et justitias ejus, quas ego mando tibi?* Haec me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens
Luc. 10,16. Domini in evangelio verba: *Qui audit vos, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum, qui me misit.* Nam et apostolo-
1 Thess. 4,8. lus, concinens[28]) Salvatori nostro, ita loquitur: *Quapropter qui haec spernit, non hominem spernit sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Pectus clementiae vestrae sacrarium est publicae felicitatis, ut[29]) per instantiam vestram, quam velut vicarium Deus praesidere jussit in terris, evangelicis apostolicisque praeceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quae sunt salutifera, compleantur.

Cap. VII.

8. Nam secundum Ecclesiae catholicae consuetudinem[30]) sacratissimum serenitatis tuae pectus agnoscat, quod nullum de his, vel

---

[25]) E^2 H^5 *decet spiritus sci dicta* (H^5 *dictat*) *monitis* (H^5 *monitus*) *vris obedientia praedicatur*: corrupte. Loco *dictat* J^{13} i^2 *dicit*, alii J *dicat*.

[26]) c^1 b sq. *placent ei.*

[27]) H^4 2 H^5 E^2 (h^1 ad marg.) *omnes vias ejus*, H^6 *in omnes vias ejus.*

[28]) J^4 *accinens.* Mox E^2 H^5 omitt. *Deum.*

[29]) J O c^1 *ut praestantia vestra ... resistat;* c^2 seq. *ut per praestantiam vestram ... resistat.* Sinceriores mss. (etiam E^2 H^5 a^1 b h^1 i^2 c^{10}) sequimur.

[30]) Hincmarus epist. 20 ad episcopos concilii III Suessionensis (Op. ed. Sirmond. II, 278, Hard. coll. conc. V, 618) hunc locum primo ita citat: *Et Anastasius junior papa ad Anastasium imperatorem scribens de ordinatis a damnato Acacio recipiendos in suis ordinibus dicit;* tum subdit: *Quamquam eadem epistola sacris canonibus et decretis Innocentii, Zosimi, Leonis atque Gelasii a quibusdam non convenire dicatur: quia, ut ambigua sententia in eadem epistola idem Anastasius scribit, et baptizavit catholice, non canonice, nec secundum sacras regulas neque secundum Ecclesiae consuetudinem sacerdotes vel levitas damnatus ordinavit Acacius.* In praejudicatam hujusmodi opinionem abiit Gratianus, qui postquam c. 8 D. XIX praemisit: *Anastasius II favore Anastasii imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam sacerdotes vel levitas ordinaverat, rite fungi acceptis officiis debere decrevit;* deinde verbis Anastasii relatis adjungit: *Quia ergo illicite, et non canonice, sed contra decreta praedecessorum et successorum suorum haec rescripta dedit, ut probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicaverunt, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eumdem Acacium postea damnavit, ideo*

Digitized by Google

quos baptizavit Acacius vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum, quod procul sit[31]) ab Ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum: quia vox illa, quae per columbam sonuit, omnem maculam humanae pollutionis excludit, qua[23]) declaratur ac dicitur: *Hic est qui baptizat in*[33]) *Spiritu et igne.* Nam si visibilis solis istius radii, quum per loca foetidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius, qui istum visibilem fecit, vir- (a. 493.) Luc. 3, 16.

ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo percussus legitur. Hoc nimirum scribit Gratianus falsis atque absurdis libri pontificalis gestis deceptus. Verum hanc epistolam non modo, uti jam observavimus, non repudiavit ecclesia Romana, sed et Nicolaus I a Bulgaris de baptismo, quem quidam presbyterum se fingens contulerat, consultus, cap. 14 et 15 una nostri Anastasii auctoritate atque his ipsis verbis contentus fuit, quo omnem illis ea de re scrupulum eximeret. Neque vero Anastasius tradit, Acacium minime secundum Ecclesiae consuetudinem quemquam baptizasse aut ordinasse, sed hoc tantum docet, secundum Ecclesiae consuetudinem ac disciplinam eos minime laesos esse judicandos, qui ab illo baptizati, aut secundum canones ordinati fuerint, hoc est, integra eis praestita esse sacramenta; nec opus esse, ut iterato illis conferantur, quamvis ordinati Ecclesiae indulgentia egeant, ut in gradibus suis ministrent. Qua de re conferantur, quae Coustantius monito in Innocentii epist. 17 n. 8 disseruit. Simplicius quidem papa epist. 7 n. 2 censet interpellandum imperatorem, quo in exilium pellantur, *qui sibi crediderint sacerdotale ministerium damnati hominis* (Timothei Aeluri) *praesumptione conferri.* Sed hujus Timothei, qui in sedem Alexandrinam contra fas omne invaserat, et Acacii, qui rite ordinatus fuerat, longe dispar erat causa. Quocirca Gelasius epist. 12 n. 10 ubi approbat, quod ii, qui quondam a Macedonio et nuper a Nestorio *damnatis praesulibus baptizati fuerant, in fide catholica manentes, nulla sint exagitatione turbati*, ab Anastasii nostri sententia nil dissidere se ostendit. Immo Gelasii decessor Felix epist. 14 ad Flavitam n. 5 eidem aperte suffragatur, quum Petri et Acacii nomina e medio tolli praecipiens subdit: *Nobis Deo inspirante provisuris rationabiliter, ut scripsimus, si cuncta convenerint, ut eorum, quos ordinavit vel baptizavit Acacius, salva confessione catholica pro caritatis Ecclesiae redintegratione nihil pereat.* His praeierat Melchiadis in causa Caeciliani sententia ab Augustino epist. 43 (olim 162) n. 16 tantopere laudata, qua, ut Carthaginensi ecclesiae pacem redderet, Donato solo damnato, paratus fuerat communicatorias litteras iis etiam mittere, quos a Majoriano in locum Caeciliani viventis per summum nefas suffecto ordinatos esse constaret. Quapropter nihil ab Anastasio, quod majorum atque ecclesiasticae disciplinae regulis non apprime consentaneum sit, hic decerni liquet.

[31]) Hoc est: ab Ecclesia absit, ut ab adultero vel fure baptismus conferatur. In vulgatis autem *procul fit* mendose ferebatur.

[23]) E² *quia declaratur quod dicitur.*

[33]) Ita mss. et c¹ h¹. Alii vero editi *Spiritu sancto* vel *in Spiritu sancto.* Nemo non videt, hic firmari doctrinam, quam Augustinus adversus Donatistas passim adstruit. *Apud Christianos,* inquit nominatim contra epist. Parmen. lib. II c. 10, *sunt aliqui praepositi vel ministri, qui per impietatem et iniquitatem suam mortui sunt, vivit tamen ille, de quo dictum est in evangelio: hic est, qui baptizat.*

Digitized by Google

(a. 496.) tus nulla ministri[34]) indignitate constringitur. Nam et Judas, quum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta sense-
Matth. 23, 2. 3. runt, declarante hoc ipsum Domino manifestissima voce: *Scribae,* inquit, *et Pharisaei super cathedram Moysis sedent: quae dicunt facite, quae autem faciunt, nolite facere. Dicunt enim et non faciunt.* Quidquid ergo ad hominum profectum[35]) quilibet in Ecclesia minister[36]) pro officio suo videtur operari, hoc totum contineri implendo divinitatis effectu, ita
1 Cor. 3, 6. 7. ille per quem Christus loquitur Paulus affirmat: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Adeo[37]) autem non quaeritur, quis vel qualis praedicet, sed[38]) quem praedicet: ut invidos etiam bene praedicare Christum confirmet, quo malo diabolus ipse dejectus[39]) est, et hoc ipso praecipitare non desinit.

Cap. VIII.

9. Ideo ergo et[40]) hic, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suae virtutis

---

[34]) Mss. H *ministerii,* ac E^2 *ministerii indignitate contingitur ordinatis aut baptizatis ab indignis* (*contingitur* etiam H^8 J i^2). Huc spectat illud Augustini contra epist. Parmen. l. II. c. 11: *Spiritus sanctus in Ecclesiae praeposito vel ministro sic inest, ut si fictus ac malus non est, operetur simul mercedem ejus, qui consecrat, et salutem eorum, qui consecrantur; si autem fictus est, quamvis nullo ejus fructu, ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.* Tum cap. 13 de Donatistis ait: *nec ullo modo isti expedire se possunt, quum eis proponitur, cur sanctitas sacramenti et haberi et dari possit ab eo, quem intus sceleratum jam Deus damnavit, et tunc incipiat ab eo dari non posse, quum ab hominibus damnatus fuerit.* Idem s. doctor in psalm. 10 n. 6 exemplo Judae nobis a Christo demonstratum esse probat, *dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi tales sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit.*

[35]) E^2 H^8 *provectum.* Mox b c^1 sq. omittunt *pro.*

[36]) 2 H^3 H^6 H^{10} *continere.* Deinde a^1 c^2 sq. i^2 *implente divinitatis effectu.* At in omnibus mss. exstat *implendo;* ac subinde in uno *affectu,* in duobus (etiam E^2) *affectum,* in pluribus aliis (etiam H^9 H^{10}) *effectum,* in reliquis *effectu.* De hac re conferatur s. Augustinus contra Parmen. II, 24.

[37]) a^1 c^2 seq. i^2 *A Deo,* rectius c^1 cum mss. *Adeo* uno verbo, et mox cum aliquot mss. *queritur.* Legit tamen Nicolaus I et quidem rectius *quaeritur.* Huic loco affinis est iste Augustini lib. 4 de bapt. contra Donatum n. 115: *Jam claret et liquet, in ista quaestione baptismi non esse cogitandum, quis det, sed quid det; quis accipiat, sed quid accipiat, aut quis habeat, sed quid habeat.* Quae autem ibid. n. 10 et lib. II contra Parmen. n. 24 ex occasione verborum apostoli, *sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntietur,* edisserit, cum his Anastasii contulisse juverit.

[38]) *sed quem praedicet* cum E^2 H^{10} addimus.

[39]) 1 H^4 H^5 i^2 *deceptus,* mendose. Malum, quo diabolus dejectus est, intelligit Anastasius invidiam. Mox cum praedictis mss. magis placet *praecipitare,* quam cum aliis libris *praedicare.*

[40]) c^9 c^{10} *et ipse Acacius cujus,* nescio qua auctoritate.

Digitized by Google

obtinuit[41]). Quodsi[42]) est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio, ut imaginetur, prolato a papa Felice judicio postea ineffi- (a. 496.) caciter in sacramentis, quae Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia divina videantur: meminerint, in[43]) hac quoque parte similiter tractatum praevalere superiorem, quia non sine usurpatione sacerdotii adjudicatus hoc egit; in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur: *Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum,* Psalm. 67, 22. *verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Nam superbia semper sibi, non aliis, facit ruinam: quod universa Scripturarum coelestium testatur auctoritas, sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur a pro- pheta: *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam.* Unde Psalm. 100, 7. quum sibi sacerdotis nomen vendicaverit condemnatus, in ipsius ver- ticem superbiae tumor inflictus est: quia non populus, qui in my- steriis[44]) donum ipsius sitiebat, exclusus est, sed anima sola illa, quae peccaverat, justo judicio propriae culpae erat obnoxia; quod ubique numerosa Scripturarum testatur instructio. Unde remotis hominum studiis sive versutiis in hac adhuc praesenti fragilitate positorum, secundum preces nostras annisu et auctoritate imperiali offerte[45]) Deo nostro unam Ecclesiam catholicam et apostolicam: quia hoc solum est, in quo non solum in terris, sed etiam in coelo triumphare sine fine possitis. **Subscriptio**: Omnipotens Deus regnum et salutem tuam perpetua protectione custodiat, gloriosissime et cle- mentissime semper Auguste!

Epistola 2.

Anastasii II papae ad Clodoveum Francorum regem. (a. 497.)

p. 82. *Regis conversionem cum exordio pontificatus sui contigisse gratulatur: non posse non laetari sedem apostolicam, quod refrigescente caritate multorum et Petri*

[41]) c^2 seq. addunt *ei autem obfuit*, quod abest a h^1 c^1 i^2 et mss. et proxime satis expressum est. Concinit et hic Anastasius Augustino contra Parmen. II n. 22 praedicanti: *Omnia sacramenta quum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, sicut et verbum Dei.*

[42]) Editi cum H^6 *Quod cum ita sit* (H^6 *ē*) *aliquorum in tantum se extendit ... ut imaginentur:* castigantur ex mss. et h^1 a^3 i^2, nisi quod h^1 *si eo aliquorum*, i^2 *imaginentur.* Praeferremus cum K^{11} *quod si et aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginentur*, nisi et hic recentior esset, et ceteri magno consensu *extendens* et *imaginetur* exhiberent. E^2 *Quod qui est aliquorum in tantum extendens ... neque irrita.*

[43]) E^2 H^{10} *in hancque partem.* Mox c^1 seq. *usurpatione nominis sacerdotii*, i^2 *usurpato nomine sacerdotii.* In mss. (etiam E^2 H^5 H^{10}) et h^1 deest *nomine.* 1 H^4 *sine usurpatione nomine.* Deinde H^6 *continentibus.*

[44]) H^3 J^4 J^6 J^{10} J^{13} J^{15} c^1 seq. *ministeriis*, H^6 *omnibus.* Mox E^2 *sentiebat*, H^5 *proprie erat.*

[45]) E^2 *offerenti*, h^1 *offerente.* Mox ed. omitt. *sine fine*, H^5 omitt. *fine.*

Digitized by Google

(a. 497.) *navicula tot tempestatibus acta Deus in tanto principe Ecclesiae suae providerit, qui possit eam tueri.*

Cludoeco[1]) Anastasius episcopus.

Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in pontificatu contigisse[2]) gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non laetari, quum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, et per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem piscator hominum et coelestis Jerusalem beatus claviger. Quod serenitati tuae insinuare voluimus per Eumerium presbyterum, ut quum audiveris laetitiam patris, crescas in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, et sis corona nostra, gaudeatque mater Ecclesia de tanti regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Laetifica ergo, gloriose et illustris fili, matrem tuam, et esto illi in columnam ferream! Nam refrigescit caritas multorum, et malorum hominum versutia navicula nostra feris fluctibus agitatur, et despumantibus undis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem, et Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum et in tanto principe providit Ecclesiae, qui possit eam tueri et contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte et gloriose fili, ut Deus omnipotens serenitatem tuam et regnum protectione coelesti prosequatur, et angelis suis mandet, ut custodiant te in omnibus viis tuis, et det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam!

Epistola 3.

(a. 497.) **Anastasii II papae ad Laurentium de Lignido[1]).**

Ad pontificatum recens assumptus pro medicina orthodoxiae et de more decessorum suorum formulam fidei ad ecclesias mittit. p. 42

1. In prolixitate epistolae dilectionis tuae magno nos gaudio

---

[1]) Sic vulgati. At Petrus de Lalande et Cointius ad a. 497 n. 4 praemittunt *glorioso et illustri.* Ceterum hujus regis nomen varie apud antiquos scriptum reperitur: *Clodoveus, Chlodoveus, Chlotovecus, Chlodovecus, Cludovecus, Ludin, Hludovicus, Ludovicus.*

[2]) Subauditur *exordium*, quo scil. Clodoveus Christianam fidem baptismi perceptione profiteri coepit. Atqui anno 496 jam labente (d. 24 Nov.) Anastasius pontificatum suscepit; igitur cum ejusdem anni exitu baptismus Clodovei componendus est. Cui aperte suffragatur s. Avitus Viennensis, epistola 41 *natalem Domini* diem regenerationis regis significans, ita ut baptismus ille die 25 Dec. a. 496 susceptus esse dicendus sit. Hinc perspicuum est, et Fredegarium hist. c. 21 et Hincmarum ep. 4 c. 17 (ad Ludov. reg. Germ.) et ep. 14 c. 14 (ad proceres regni Franc.) falli, quum Clodoveum in vigilia *sancti Paschae* baptizatum scribunt.

[1]) In G^1 G^2 hic deest vox *episcopum:* sed in praevio indice generali exstat. Utrobique autem inscribitur Gelasii nomine.

Digitized by Google

replesti in ea parte, in qua dictum est, quod in Thessalonicensi (a. 497.)
ecclesia vel in aliis similiter recitata epistola praedecessoris nostri de excessibus Acacii cuncti eidem anathema dixerint, nec quisquam communioni praevaricatoris sese miscuerit. Unde quia nos admones dilectione fraterna, ut velut medicinam quamdam fidei episcopis per Illyricum vel aliis ministrare debeamus, quamquam hoc copiosissime factum sit a beatae recordationis praedecessore nostro; et quia mos est Romanae ecclesiae sacerdoti noviter constituto formam fidei suae ad sanctas ecclesias praerogare, haec eadem compendiosa nimis brevitate studui renovare, ut sub qua fide vivendum sit, secundum statuta patrum in[2]) hac nostra epistola propter brevitatem sine fastidio lector agnoscat.

2. Confitemur ergo, Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum ante omnia quidem saecula sine principio ex Patre natum secundum deitatem, novissimis[3]) autem diebus de sancta virgine Maria eumdem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum eumdem Filium Dei et hominis unigenitum a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes, quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, quum dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat* Luc. 1,38.
mihi secundum verbum tuum, ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare[4]) templum, et statim sibi univit, quod non coaeternum de sua substantia e coelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae, hoc est ex virgine. Hoc accipiens et sibi uniens, non Deus Verbum in carnem versus est, neque ut phantasma apparens, sed inconvertibiliter et incommutabiliter suam conservavit essentiam, primitias naturae nostrae suscipiens sibi univit. Nam principium Deus Verbum has nostrae naturae primitias per[5]) multam sibi bonitatem unire dignatus est, quia non permixtus, sed in utrisque sub-

[2]) Ita correximus, quod antea per errorem librariis usitatum *in hanc nostram epistolam*.

[3]) Sic mss. Editi vero *in novissimis ... de sanctissima*, et infra, *sanctissimae virginis*.

[4]) K[1] et editi *aedificavit;* magis placet cum K[3] *aedificare* scil. dignatus est. Deinde particulam *statim*, ante *sibi univit*, ejusdem codicis auctoritate adjicimus, favente K[1] *stat sibi univit*. Eo pacto confirmat Anastasius, quod Gelasius tract. III n. 2 vocat, sic nimirum Verbum hominī unitum, *ut utriusque naturae ineffabiliter unitio ab ipso conceptionis suae exortu mirabiliter ac potenter exsisteret*.

[5]) Ita mss. Editi *multa sibi bonitate ... qui non permixtus, sed in utriusque substantia*.

Digitized by Google

(a. 497). stantiis unus et ipse visus, secundum quod scriptum est: *Solvite templum istud, et in tribus diebus resuscitabo illud.* Joh. 2, 19. Solvitur enim Christus Jesus secundum eam[6]) substantiam, quam suscepit, et solutam suscitat proprium templum: hoc ipse secundum divinam substantiam, secundum quam et omnium artifex est. Nunquam autem per[7]) resurrectionem unitionis nostrae discessit a proprio templo, nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem. Sed est ipse Dominus Jesus Christus et passibilis et impassibilis: passibilis secundum humanitatem, impassibilis secundum divinitatem. Suscitavit igitur suum templum Deus Verbum, et in se naturae nostrae resurrectionem et renovationem operatus est. Et hanc Dominus Christus noster Deus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis ostende- Luc. 24, 39. bat dicens: *Palpate me et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, quemadmodum me videtis habere.* Non dixit, *quemadmodum me dicitis esse*, sed *habere:* ut et qui habet et qui habetur considerans, non permixtionem, non convèrsionem, non mutationem, sed unitatem factam respicias. Propterea et fixuras clavorum et fixionem lanceae demonstravit, et cum discipulis manducavit, ut per omnia resurrectionem nostrae naturae in se renovatam doceret: et quia secundum beatam divinitatis substantiam inconvertibilis, incommutabilis, impassibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens[8]) omnes, passiones ipse permisit proprio inferri templo, quod virtute propria suscitavit, et per propriam perfectionem templi sui renovationem nostrae naturae operatus est. Qui autem dicunt subtilem hominem Christum, aut passibilem Deum, aut in carne versum, aut non counitum[9]) habuisse corpus, aut de coelo hoc detulisse, aut phantasma esse, aut mortalem dicentes Deum Verbum indiguisse, ut a Patre suscitaretur, aut sine anima corpus, aut sine sensu hominem suscepisse, aut duas substantias Christi, secundum permixtionem confusas, unam factam fuisse substantiam, et non confitentes Dominum nostrum Jesum Christum duas esse naturas inconfusas, unam autem personam, secundum quod unus Christus, unus idem Filius: istos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

3. Haec ergo sunt, frater dilectissime, quae pro antidoto nos

---

[6]) cc *meram*, a[1] *meam*, littera *m*, qua antecedens vox desinit, perperam quod antiquariis saepe accidit repetita. Certe Anastasius humanam Christi naturam *nostram* non *meam* appellare solet.

[7]) Ita mss. Editi *post resurrectionem unitionis nostrae naturae. Unitio* autem pro *re unita* hic accipitur. Mox K[3] *dignitatem* (loco *benignitatem*).

[8]) Ita corrigendum duximus, quod prius mendose ac vitiosa interpunctione sic vulgatum erat: *perficiens omnes passiones, se permisit.* Nunc porro Deus Verbum eo modo *perficiens omnes*, quo superius *omnium artifex* praedicatur.

[9]) cc *cognitum*. Retinendum cum a[1] *counitum:* quo verbo simul excluditur naturarum confusio, et corporis Verbo uniti perseverantia apte adstruitur.

Digitized by Google

debere mittere flagitasti, quod nullum amarum neque dulce noxium (a. 497.)
videndum[10]) refugit te. Nam et de nostro conventu disposueramus
quosdam dirigere, si ratio id temporis fieri permisisset: quod facere
credimus opportune, quum illarum partium correctio ad nos, juvante
Domino, legatione[11]) plenissima, sicut confidimus fuerit nuntiata.
Sperantes etiam de Dei nostri misericordia, ut huic praedicationi
nostrae clementissimus et Christianissimus imperator unanimitatem
suam auxiliumque conjungat: quatenus pro fide, qua pollet, in illis
regionibus coerceat[12]), qui suis quaestiunculis et secundum elementa
mundi, sicut vas electionis ante praedixit, superflua vanaque concin-
nant, nolentes contineri salutaribus disciplinis. *Sed vos*, sicut ait Eph. 4, 20.
idem apostolus, *non ita didicistis Christum*, si tamen illum audistis
et in illo docti estis, sicut est veritas in Jesum, quam utique ille
apprehendere poterit, qui orthodoxorum patrum, sicut jam saepe
dictum est, observaverit instituta. Deus te incolumen custodiat,
frater carissime!

Epistola 4. (a. 497.)

p. 84.

Anastasii II papae ad Ursicinum fragmenta.

1. ... Nam principium Deus Verbum has nostrae naturae pri-
mitias per multam sibi bonitatem unire dignatus est, quia non per-
mixtus, sed in utrisque substantiis unus et ipse visus, secundum
quod scriptum est: *Solvite templum istud, et in tribus diebus resuscitabo* Joh. 2, 19.
illud. Solvitur enim Christus Jesus secundum eam substantiam,
quam suscepit, et solutum suscitat proprium templum.

Iterum Anastasii papae ad Ursicinum.

2. Confitemur ergo, Dominum nostrum Jesum Christum Filium
Dei unigenitum ante omnia quidem saecula sine principio ex Patre
natum secundum deitatem, novissimis autem diebus de sancta vir-
gine Maria eumdem incarnatum et perfectum hominem ex anima
rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deita-
tem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim
naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod

---

[10]) G[1] *refugite*, quod correximus. Baronius ad ann. 492 substituit *bibere ne refugite*: ex quo id effici videtur, ut Anastasius *noxium dulce* bibendum suadeat. Magis placeret *bibendum te non fugit*. Alludit quippe Anastasius ad Laurentii verba, quibus *medicinam* his regionibus ministrandam flagitarat; ac forte auctor ipsi fuerat, ut ab asperioribus verbis temperaret.

[11]) Augurari hinc licet, Laurentium in epistola sua de legatione, quam Thessalonicensis antistes tum parabat, quamque brevi postea destinatam esse mox visuri sumus, nonnihil significasse.

[12]) Seu *eos coerceat, qui suis ... concinnant*. Editi *quin ... concinant*.

Digitized by Google

(a. 497.) unum Christum, eumdem Filium Dei et hominis unigenitum a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes, quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, quum dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare templum, et statim sibi univit, quod non coaeternum de sua substantia e coelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae, hoc est ex virgine. Hoc accipiens et sibi uniens, non Deus Verbum in carnem versus est, neque ut phantasma apparens, sed inconvertibiliter et incommutabiliter suam conservavit essentiam, primitias naturae nostrae suscipiens sibi univit.

Luc. 1, 38.

Iterum ejusdem papae ad eumdem.

3. Nunquam autem per resurrectionem unitionis nostrae discessit a proprio templo, nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem.

Epistola 5

p. 84.

seu

(a. 497.) **Libellus, quem dederunt apocrisiarii Alexandrinae ecclesiae legatis ab urbe Roma[1]) Constantinopolim destinatis.**

Gloriosissimo atque excellentissimo patricio Festo[2]) et venerabilibus episcopis Cresconio et Germano simul cum ejus potestate directis in legatione ab urbe Roma ad clementissimum et Christo amabilem imperatorem Anastasium Alexandrinae venerabilis ecclesiae Dioscorus presbyter et Chaeremon lector, responsis ejusdem ecclesiae servientes[3]).

[1]) Scilicet ab Anastasio papa, ut superiorem epistolam 1 ad Anastasium Augustum deferrent. Hunc autem libellum graece scriptum dederant Alexandrinae ecclesiae legati, sed ubi Romam perlatus fuit, a Dionysio Exiguo latine conversum esse, nota ad calcem codicum, ex quibus prodiit, adjecta nos docet.

[2]) Qui nimirum a Theodorico ad Anastasium Augustum eodem tempore, quo Cresconius et Germanus, ab Anastasio papa missus fuerat. Festum senatorem urbis Romae *ob civilia quaedam negotia* tunc ad Anastasium imperatorem destinatum esse Theodorus lector lib. II, Theophanes pag. 220 ac Nicephorus lib. XVI c. 35 tradunt, hoc est ut Theodoricum inter et Anastasium pacem iniret. Hinc anonymus a Valesio editus *facta pace cum Anastasio imperatore per Festum de praesumptione regni, omnia ornamenta regni, quae Odoacher Constantinopolim miserat, palatio remissa* dicit. Idem Festus post mortem Anastasii papae quum et apud Theodoricum regem et apud Anastasium imperatorem gratia polleret, gravissimi in Ecclesia schismatis auctor ac fautor praecipuus fuit.

[3]) h. e. qui ejusdem ecclesiae Alexandrinae negotia in regia urbe procurabant, apocrisariorum munere fungentes.

Digitized by Google

1. Venerabiles sanctae ecclesiae Romanae urbis atque Alexan- (a. 497.)
drinae non solum fidem rectam atque immaculatam, ex quo salutaris in eis praedicatus est sermo, sed etiam divino in ministerio semper concordiam servaverunt. Quippe quum ab uno fuerit in utrisque jactum fidei fundamentum, (Petrum memoramus beatum apostolum, cujus per omnia sanctus evangelista Marcus exstitit imitator), ita ut si quando contingeret[4]) in rebus ambiguis quaedam episcoporum concilia celebrari, sanctissimus is, qui Romanae praesidebat ecclesiae, reverendissimum Alexandrinae civitatis archiepiscopum deligeret, ut sui curam loci susciperet.

2. Sed hoste humani generis, cui bona perosa sunt, qui in perniciem nostram impio semper furore grassatur, non piguit per satellites proprios zizania inter utrasque conserere, ut tantae unitatis discordiam perpetraret. Nam Eutychete impiissimo contra fidem, quae in beatissimis apostolis praedicata est, sentiente et docere tentante, contigit per idem tempus sedis apostolicae praesulem tunc Leonem litteras ad Calchedonense concilium destinare. Quarum litterarum fuere interpretes hi, qui cum Theodoreto[5]) Cyrorum civitatis episcopo tunc fuerant Nestorianae haeresis sectatores: contraque eam fidem, quae a venerabilibus trecentis decem et octo patribus est edita, supra memoratae litterae probantur exsistere; et non parvas[6]) occasiones his, qui ejusdem nefandissimi Nestorii blasphemias vindicant, praestiterunt, ita ut licentius adstruerent eumdem Nestorium minime perversa sensisse. His igitur causis Deo amabilis populus noster offensus est, et de Graeca translatione arbitratus est in Latino quoque sermone sensum similem contineri, ac sese ab unitate Romanae divisit ecclesiae. Nec non etiam Romanus antistes, existimans nos contra eam fidem, quae tradita est a beatissimis apostolis, conspirasse, a nostra se communione suspendit.

3. Verumtamen[7]) ejus volentes satisfacere sanctitati, nos eam fidem tenere, quam princeps apostolorum Petrus ejusque discipulus

[4]) Ita G¹. Editi *contigerit ... praesideret.* Hoc maxime propter Cyrillum Alexandrinum antistitem scribunt, qui quidem in Ephesino concilio *Coelestini quoque sanctissimi sacratissimique Romae ecclesiae archiepiscopi locum* obtinere statim ab ejusdem concilii principio memoratur. Ipse Coelestinus jam antea epistola 11 n. 4 eidem Cyrillo vicem commiserat suam, ut sententiam a se adversus Nestorium prolatam exsequeretur.

[5]) Laudes, quibus epistola 120 Theodoretum exornat, atque nominatim illum commendat, quod *praefatae* ad Flavianum *litterae sedis apostolicae* illius *studio defensae sint*, valde suspectam faciunt hanc schismaticorum illorum excusationem, nisi forte in graecam interpretationem quaedam ab haereticis postmodum immissa sint, quae velut tanti viri auctoritate fulta jactare affectarint.

[6]) Ita G¹. Alii *pravas*, et deinde omittunt *similem*.

[7]) Clarius iste locus sic verteretur: *quum vellemus ejus satisfacere sanctitati ac probare nos eam fidem tenere.*

Digitized by Google

(a. 497.) Marcus beatissimi crediderunt, et postmodum trecenti decem et octo venerabiles edidere pontifices, legatos ad urbem Romam nostra dirigere curavit ecclesia. Sed ibi quidam[8]) civitatis nostrae repertus est a recta fide dissentiens atque ab ea ex causis quoque diversis alienus exsistens, qui hoc visus est perpetrare, ne ulla in suscipiendis legatis copia praeberetur: qui nec ad faciem usque salutationis admissi, sine aliquo effectu reversi sunt.

4. Quia vero ante non multum temporis Photinus religiosus diaconus sanctae Thessalonicensis ecclesiae nobiscum de pace ecclesiarum verba conseruit dixitque, se ante spatium parvi temporis destinatum[9]) a sanctissimo archiepiscopo Andrea[10]) Thessalonicensis ecclesiae ad Romanum pontificem Anastasium, et affirmabat de his,

---

[8]) Non alius ille *quidam* nisi Johannes cognomento Talaja, qui Alexandria pulsus Romam confugit: quem dum haereticum vocant, se ipsi contrariam catholicae fidei doctrinam tueri produnt. Neque alii legati proxime memorati, nisi qui aliquanto post, ut in notitia epistolarum non exstantium Felicis II n. 11 observavimus, a Petro Mongo in locum Johannis suffecto missi Romam venerunt, ut ipsius Mongi usurpationem apostolicae sedis auctoritate firmari peterent. Minime autem mirum est haeretici jam toties damnati legatos neque ad salutationis officium admissos esse. Felix epist. 6 n. 1 inter justas damnandi Acacii causas hanc recenset, quod ei hujus ipsius *Petri grata persona et ministri ejus accepti sint, et apocrisiarios ejus confovere* deprehendatur. Quocirca idem papa epist. 14 n. 5 hoc Flavitae nominatim praecipit: *Nec apocrisiariis damnati Petri misceamur aut litteris.* Qua in re Felix morem gessit monitis ipsius Acacii, qui, ut apud Gelasium tract. I n. 12 et apud Liberatum c. 18 narratur, de altero Petro, qui in Antiochenam sedem invaserat, et de quodam Johanne Apamenis ordinato ad Simplicium scribens, eosque iterum damnatos nuntians, petit *ab apostolica sede, ut si forte ad eam confugerent, nec visu dignos haberet.*

[9]) Haec Photini legatio absurdis illis commentis occasionem dedit, quae in libro de gestis pontificum ita leguntur: *multi clerici et presbyteri se a communione ipsius Anastasii retraxerunt, eo quod communicasset sine consilio episcoporum vel presbyterorum vel cleri cunctae Ecclesiae catholicae diacono Thessalonicensi nomine Photino* (mss. *Photio*), *qui communionis erat Acacii, et quia occulte voluit revocare Acacium et non potuit.* Qua autem fide *communionis Acacii* dicatur diaconus ab Andrea ad apostolicam sedem missus, postquam idem Andreas Gelasii *de excessibus Acacii* comprobasset litteras, easque in ecclesia sua recitari praecepisset? Neque minus absurdum esse jam observavi hoc aliud commentum, quo Acacium, qui Felicis II temporibus jam obierat, Anastasius revocare voluisse fingitur. Ex hoc autem loco tempus colligitur, quo libellus iste datus fuit. Nondum enim Romam advenerat Photinus, quum Anastasius superiorem epistolam 3 ad Laurentium scripsit, sed hunc tamen, ut num. 3 innuit, brevi venturum sperabat. Huic igitur tempori, quo Romam ingressus est, adjiciendum est intervallum, quo delegata negotia ibi peragere, Thessalonicam redire, indeque ad regiam urbem se conferre valuerit.

[10]) Jam observavimus, ad hunc Andream scriptam esse Felicis II epist. 18, adeoque eum ipsum esse, quem Gelasius epist. 18 n. 4 reprehendit ut in Acacii ceterorumque perfidorum communione pertinacem. Hunc autem a prava illa communione tandem discessisse, Laurentii Lignidensis episcopi litteris Anastasius noster, uti superior ipsius epistola 3 n. 1 testis est, gratulabundus accepit.

Digitized by Google

quae nos vehementer offendunt, in translatione epistolae sibi satis- (a. 497.)
factum fuisse a supradicto praesule Romanae ecclesiae, quod scilicet in epistolae translatione comprobarentur errores, ipsam vero Latinam epistolam juxta fidem trecentorum decem et octo sanctorum patrum editam constitisse: insuper quaedam retulit ex persona ejusdem antistitis fuisse narrata, quae ad vituperationem eorum, quae in translatione sunt indita, pertinerent, et ad illos * et[11]) qui ea confringere tentaverunt, ad satisfactionem vero eorum, qui rectam fidem immaculatamque custodire non negligunt. *f. erigendos

5. Quibus abunde sanati[12]), cupientesque pristinam redintegrari concordiam, maluimus etiam a vobis, si vera sunt illa, quae Photinus religiosus diaconus nobis retulerat, edoceri, vestraeque desideravimus occurrere sanctitati et de his omnibus habere colloquium. Verum sanctitas vestra non semel sed crebro nos docere dignata est, in epistolae interpretatione errores intersitos non in Latino textu fuisse conceptos. Quapropter supplicavimus vobis, ut confessionem nostrae fidei sumeretis, pro qua venerabilis ecclesiae nostrae legatione perfungimur: quam fidem etiam ubique sanctissimus archiepiscopus[13]) intimavit, et approbantium accepit rescripta cunctorum. Quod si etiam vestram huic fidei sanctam ecclesiam videritis congruere, nobis satisfieri jubeatis, ut sublatis e medio scandalis, ad pristinam tam Romana quam Alexandrina venerabiles ecclesiae redeant unitatem.

6. Hanc autem fidei confessionem[14]) vobis obtulimus taliter continentem ex evangelicis apostolicisque praeconiis inspiratione divina solam veram rectamque fidem, quam trecenti decem et octo venerabiles patres, qui in Nicaena synodo congregati sunt, ediderunt: quam et secuti sunt centum quinquaginta, qui ad urbem regiam convenerunt aeque venerandi pontifices. Hanc etiam exsequentes, qui Ephesi collecti sunt patres, annuente[15]) quoque sedis apostolicae papa sanctissimo Coelestino, sacrilegum damnavere Nestorium, poenam in eos, qui tentaverint fidem aliam statuere, praefigentes: quem Nestorium nos quoque simul cum Eutychete contraria his quae

---

[11]) Ita textum G[1] reddidimus, ubi si loco *et* legatur *erigendos* vel quid simile, nihil ad integritatem deest. Editi omittunt *et* et *vero*, ac *confingere* scribunt.

[12]) Ita G[1]. Editi *sanatis*.

[13]) Puta Athanasius, ut Theophanes pag. 207 notat, cognomento Celites. Hunc Petri Mongi successorem, ut eos qui inter se dissidebant reconciliaret, diu multumque sed in cassum laborasse, ac decessoris sui instar Calchedonensi concilio anathema dixisse Evagrius libr. III cap. 23 docet.

[14]) Eam videlicet, quae in Zenonis henotico explicatur, ut ipsummet henoticum ab Evagrio lib. III c. 14 et Liberato c. 18 relatum cum eadem conferenti patebit.

[15]) Illud *annuente* usque *Coelestino*, quod in henotico non exstat, haud dubie gad ratiam sedis apostolicae captandam additum est.

Digitized by Google

(a. 497.) superius dicta sunt sentientes anathematis ultione damnamus, suscipientes duodecim illa capitula, quae venerandae memoriae Cyrillus Alexandrinae ecclesiae quondam archiepiscopus scripsit. Confitemur autem unigenitum Dei Filium et Deum, qui secundum veritatem factus est homo, dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eumdem ipsum secundum humanitatem: qui descendit et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine theotoco, hoc est, Dei genitrice, unum Filium non duos exsistere. Unius namque dicimus unigeniti Filii Dei sive miracula sive etiam passiones, quas sponte pro nobis carne sustinuit. Eos autem, qui dividunt vel confundunt aut phantasiam aliquam introducunt, nequaquam omnino recipimus: quia incarnatio illa, quam Dei genitrix secundum veritatem ex se edidit, augmentum Filii non effecit[16]): mansit enim Trinitas, etiam incarnato, quod unum ex Trinitate est, Verbo Dei. Haec itaque scripsimus, non fidem novantes, sed vobis causa concordiae satisfacere cupientes. Omnem autem, qui aliter sentit senseritve seu nunc seu aliquando in quocunque loco vel in quolibet concilio, anathematis poena percellimus, praecipue vero Nestorium et Eutychetem universosque, qui illis assentiunt.

7. Vestra igitur reverentia suscipiens fidem nostram, hanc se praesuli Romanae ecclesiae Anastasio asseruit relaturam: quem et paratum exsistere memorabat satisfacturum illis, qui[17]) fuissent a nobis pro hac causa transmissi. Illud etiam asserebat, contra hanc fidem Dioscorum, Timotheum Petrumque sensisse, nostrae quondam

[16]) h. e., non effecit, ut essent duo filii. Ad tollendam autem ambiguitatem Valesius apud Evagrium latine convertit, *accessionem alterius filii non effecit*, licet vox *alterius* neque in graeco exstat, neque apud Liberatum in latina interpretione. Hanc unius personae in Christo fidem Augustinus epist. 140 (ol. 120) n. 12 ita illustrat: *Sicut enim nunc non augetur numerus personarum, quum accedit caro animae, sic non augetur numerus personarum, quum accedit homo Verbo, ut sit unus Christus.* Eaque rursum ratione probat unam Christi confitendam esse personam, *ne non trinitas, sed quaternitas inducatur.*

[17]) Ita locum ex G^1 G^2 b restituimus, nisi quod G^2 *qui si fuissent.* c^{10} omittit *pro* et *contra,* moxque scribit *nostrae quidem civitatis.* Valde autem captiosa est haec apocrisiariorum assertio. Sic enim loquuntur, quasi fidem ipsorum probarent apostolicae sedis legati, atque id tantum exigerent ab eis, ut siquidem ab illa fide discordabant Dioscorus, Timotheus ac Petrus, eorum etiam nomina e sacris diptychis dispungere non dubitarent. At fidem, in qua non modo Leonis tomus sed Calchedonensis etiam synodus siletur, et, ut verbo dicam, henotici saepius a catholicis reprobati apertam ac meram professionem a prudentibus apostolicae sedis legatis admissam esse, quis sibi persuadeat? Sed et hanc qualemcunque fidei formulam, quae Dioscoro atque Timotheo vita functis concinnata est, horum haereticorum fidei consentaneam fuisse nemo facile probaverit. Nunquam enim Dioscorus ab Eutychetis defensione, nedum ei anathema diceret, abstitit.

Digitized by Google

civitatis archiepiscopos, nec deberi in diptychis eorum nomina re- (a. 497.)
censeri. Nos contra poposcimus, aut produci[18]) adversus eos, qui adstruant talesque demonstrent, aut si non reperirentur, qui eos convincere potuissent, nobis pro eorum persona satisfacientibus acquiescat: demonstrantibus et approbantibus, quod hanc fidem tenuerint, docuerint, cunctisque quos informaverunt tradiderint praefati parentes nostri et archiepiscopi Timotheus, Dioscorus et Petrus. Vestra autem sanctitas renuit[19]) dicens, non sibi fuisse praeceptum ab apostolicae sedis antistite de his facere quaestionem.

8. Hujus rei gratia obtestamur vos coram magno Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, qui de sancta et Dei genitrice Maria virgine incarnatus et natus est, quique concordem glorificationem servitutemque fidelium probat libenter et suscipit, et sanctis angelis ejus, et[20]) hanc eamdem immaculatam quae de illo est fidem: ut ad urbem Romam favente Domino venientes hanc chartulam offeratis apostolicae sedis antistiti Anastasio, quae ex persona sanctae ecclesiae Alexandrinae vobis oblata est: ut ejus sanctitas relegens, quae sibi fuerint placita, seu litteris ad sanctissimum nostrum archiepiscopum datis, seu per aliquem internuntium manifestare dignetur. Nam quum a sanctitate ejus fidei rectae fuerit servata confessio, quae est a beatis patribus constituta, nos paratos exsistere profitemur ad urbem Romam legatos, qui pro unitate sanctarum Dei ecclesiarum agere debeant, destinare.

9. Confidimus autem in Domino nostro Jesu Christo, quod huic fidei ejus beatitudo consentiens, juxta illa, quae in responsione sunt posita, velut proprios etiam nostros populos arbitretur, et pro eorum regimine sollicitudinem gerat, cupiens secundum Deum omnibus utilis approbari. Exemplar[21]) autem hujus chartulae penes nos detinuimus, necesse habentes, si qua mora provenerit, quominus sanctarum ecclesiarum unitas fiat, in illo glorioso de coelis adventu Domini nostri Jesu Christi, quum venerit judicare vivos et mortuos, ante tribunal ejus, ubi nulla est acceptio personarum, cum hoc assistere ad refellendum eos, qui sanctarum ecclesiarum neglexerunt unitatem[22]).

---

[18]) Ita G^1 G^2. Editi *perduci ... reperientur acquiescant.* Ante *acquiescat*, sicut in antecedentibus, *reverentia vestra* subauditur.

[19]) Ita G^1. Editi *tenuit.*

[20]) Ita G^1. Editi *per hanc.*

[21]) Ita G^1 G^2. Editi *Exemplum ... apud nos.*

[22]) In G^1 G^2 additur: *Explicit. Dionysius Exiguus Romae de Graeco converti.* Quod perperam, ut monuimus, Binius et qui eum secuti ad sequens documentum traduxerunt.

Digitized by Google

Epistola[1]) 6.

a. 498 d. 23 Aug.

Anastasii II papae ad universos episcopos per Gallias constitutos.

Dilectissimis fratribus universis per Gallias constitutis Anastasius papa.

Cap. I.

Psalm. 132, 1. 1. *Bonum atque jocundum* Davidicus sermo designat *habitare fratres in unum.* Nam nos licet terrarum spatia loginqua discernant, spiritu tamen, qui unus esse debet in omnibus catholicis, oportet esse conjunctos.

2. Laudavimus fratris et coepiscopi nostri Arelatensis sollicitudinem, qua nobis ut arbitramur necessariam materiam praedicationis ingessit contra haeresim, quam intra Gallias adfirmat exortam, qua putant hoc rationabili se adsertione suadere, quod humano generi parentes, ut ex materiali faece tradunt corpora, ita etiam vitalis animae spiritum tribuant. Quos debet fraternitas vestra monitis praedicationibusque suis a vana falsaque persuasione revocare.

3. Nam in utroque quid Deus benefaciendo usque in praesens tempus operetur, Scripturarum sacrarum non ambigua testatur ad-
Gen. 1, 28. sertio. Siquidem ipse qui dixit: *crescite et multiplicamini et replete terram,* in hac benedictione opus exercet; et rursus, si a mandatis
*suppl. deflecteret suis et lege proposita *, quid ei pro malo usu et temeritate arbitrii sui eveniret, certa praecepti auctoritate distinxit.

4. Quomodo ergo contra divinam sententiam carnali nimis intellectu animam ad Dei imaginem factam putant hominum permixtione diffundi adque insinuari, cum ab illo, qui ab initio hoc
Joh. 5, 17. fecit, actio ipsa hodieque non desinat, sicut ipse dixit: *Pater meus*

---

[1]) Ex codice Darmstadiensi 2326 saeculi VII hanc epistolam exscripsit clar. Fridericus Maassen, a quo eam revv. Josephus Tosius accepit et notis instructam in Wiedemanni annalibus (Oesterreichische Vierteljahrschrift für katholische Theologie V. Jahrg.) a. 1866 p. 556 ss. publici juris fecit. *Anastasii papae* inscribitur et *Paulino consule* consignatur. Etsi jam Anastasii I aetate causa de animarum generatione, quae huic ipsi scripto ansam dedit, multum agitata est (conf. Rufini apol. ad Anast. c. 6), tamen nomen *Paulini consulis*, qui anno 498 cum Johanne Scytha fasces gessit et in Occidente solus notus erat (cf. Rossi Inscript. Christ. urb. Romae I, 410 sq.), tempus *Anastasii II* sibi postulat. Ad relationem episcopi Arelatensis directa est contra quosdam Gallos, qui ad instar Tertulliani animas humanas materialiter ex generatione humana factas vel conflatas docebant, quique hac ratione optime contra Pelagianos, ni fallor, peccatum originale vindicasse sibi videbantur. Recte monet eruditus editor, fortasse hac ipsa epistola factum esse, ut postea Galli doctores quaestionem istam de animarum origine usque prae aliis cautius et accuratius tractaverint.

Digitized by Google

adhuc operatur, et ego operor? Non ergo ad illius[2]) temporis solius a. 498.
haec pertinet operatio, sed per omnia spatia quae currunt, per volumina saeculorum. Cum et illud debeant intelligere quod scriptum est: *qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Si igitur antequam Eccli. 18,1.
Scriptura per species singulas in singulis quibusque creaturis ordinem rationemque disponeret, potentialiter quod negari non potest et causaliter in opere pertinente ad creanda omnia simul, a quibus consummatis in die septimo requievit, nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum usque nunc operatur: sanae igitur doctrinae adquiescant, quod ille indat animas, qui *vocat ea* Rom. 4,17.
quae non sunt tamquam sint.

Cap. II.

5. Nam dicant, quis ad mundum miserit Jacob vel Esau, sicut Malachias propheta testatur: nonne ille qui, antequam nascerentur, unum *odio habuit, alterum dilexit?* Qui etiam intraturos hominem[3]) Mal. 1,3.
hanc mortalitatem jam in utero matris agnoscit, sicut de Hieremia Jer. 1,5.
dicitur: *priusquam te formarem in utero, novi te, et priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te.* Nisi forte ad gentilium se conferant suspiciones, qui dicunt animam vitalem alteram rationalem, cum non quibusdam somniis incertis sed divinarum Scripturarum debent exemplo et veritate respicere. Nam cum quatuor menses in utero conceptum certissimum sit spiritum sortiri, ubi jam parentum desivit officium, a quo putant illum limum materialis faecis animatum, cum, sicut dictum est, nulla hic delectatio vel opus patris vel matris existat? Post quantum temporis dicatur ab ipsis mulieribus conceptus in utero vivificari? Non credimus latere prudentiam vestram, cum satis in hoc certissimi fieri debeant, qui hujusmodi persuasionibus laborant, quod illius operatio sit adque judicium in electione bonorum malorumque, qui pro praescientia sua alios per gratiam deducit ad praemium, alios per justum judicium debitum permittit sustinere supplicium.

Cap. III.

6. Itaque, dilectissimi, ego absens corpore spiritu vero praesens vobiscum, ita redargui volo, qui in novam haeresim prorupisse dicuntur, ut a parentibus animas tradi generi humano adserant, quemadmodum ex faece materiali corpus infunditur: ut sciant secundum apostolicam praedicationem se quidem jam mortuos. Nam ita ab eo dicitur: *qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sa-* Rom. 8,5—8.
piunt, qui vero secundum spiritum, quae sunt spiritus sapiunt; nam

[2]) Referendum ad *spatia*, quod hic supplendum; quare mutatio Tosii (*illud tempus solum*) haud necessaria. Mox ms. *pertinentem*.

[3]) Tosius correx. *homines*. Mox ms. *etiam ... cibalem*, quae verba cum Tosio correximus (*jam ... vitalem*).

Digitized by Google

a. 498. *prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax; quoniam sapientia carnis inimica est in Deo, legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Intellegant igitur cum tali prudentia sua, qua carne, quae secundum condemnationem peccati[4]) in Adam primo semel mortua est, putant vitam hominum contineri: se non tamquam viventes hoc loqui; siquidem ipse apostolus eos doceat, quod in praevaricatione adque in delicto suo ab initio non solum ipse mortuus sit, sed omnis quae ab eo descendit futura progenies, quam putant isti vitam proli suae ministrare, ut quam ipsi in Adam perdiderunt, vitam possint praestare quam non habent. Audiant igitur hoc eundem beatum apo-
Rom. 5, 12. stolum dicentem: *sicut per unum hominem in hoc mundo peccatum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid ad hoc mortui homines loqui possunt, ut rationabiliter dicere videantur transisse de parentibus vitam, quam magister gentium docet amissam?

Cap. IV.

7. Restat itaque, ut mortem solam proli ex se venienti, antequam renascatur in Christo, progenies omnis ministrare videatur; et idcirco Adam secundus a nobis in renascendo suscipitur, ut mors, quae per culpam in primo Adam suscepta fuerat, excludatur. Intellegant igitur mortui homines, si quis sensus vel modicus inest, oportere se renasci per baptismum, ut vitam, quam perdidit per Adam primum, recuperet per secundum. Nam et ab initio ex Geneseos lectione cognoscant, quam bene et quam clementer Deus universa condiderit, ut et[5]) vivente semper nascentibus vita donaretur. Et qua putant fortasse pie ac bene se dicere, ut animas merito dicant a parentibus tradi, cum sint peccatis implicitae, hac ab ipsis sapienti debent separatione discerni: quod ab illis nihil aliud potest tradi, quam quod ab ipsorum mala praesumptione commissum est, id est, culpa poenaque peccati, quam per traducem secuta progenies evidenter ostendit, ut pravi homines distortique nascantur. In quo solo utique Deus nullam communionem habere perspicue cernitur, qui ne[6]) in hanc necessitatem calamitatis inciderent, gemito mortis terrore prohibuit adque praedixit. Itaque per traducem quod a parentibus traditur evidenter apparet, et quid ab initio usque ad finem vel operatus sit Deus vel operetur ostenditur.

---

[4]) Ms. add. *quae*, ex vitiosa iteratione.

[5]) Tosius correxit *de*, quum etiam *nasci aliquo* dicatur. Mox id. *quia putant ... haec ab ipsis.*

[6]) Ms. *nec*. Mox Tos. correx. *gemino* (ms. *gemito*) *mortis* et *parce* (ms. *per*) *vobis*.

Digitized by Google

CAP. V. a. 498.

8. Et ne parum vobis, quae strictim diximus, Scripturarum documenta videantur, scriptum legimus: *nonne omnem flatum ego feci?* Jes. 57,16. Quomado isti novi haeretici a parentibus dicunt factum et non a Deo, sicut ipse testatur? An sibi volunt potius credi quam Deo omnipotenti? Et ipse Adam profitetur dicens hominem fieri non a se sed a Deo, dum dicit: *posuit mihi Deus semen, hoc est filium, nomine Seth pro Abel, quem occidit Chain.* Gen. 4,25. Non ergo dixit: *posui mihi,* sed: *posuit Deus.* Quomodo isti e contrario a parentibus dicunt, quod divina Scriptura confutat? An illic, fratres carissimi, aliquid dubitationis existit, in quo possint aliquem saltem colorem adferre perfidiae suae, cum dicit Deus ad Moysem: *quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? Nonne ego?* Exod. 4,11.

9. Innumera quidem sunt exempla divinarum Scripturarum, quae sive in prophetis sive in diversis libris Job, Ruth aliisque auctoribus, qui in Ecclesia canonicam obtinent auctoritatem, invenire poteritis, quibus his fortasse praedicationi vestrae reluctantibus vincenter possitis obniti. Nos vero inter multas diversasque occupationes haec interim per indicem titulum significasse sufficiat, ut vos velut conministri vocem sequentes meam in hoc pugnare debeatis, ne quid catholicae Ecclesiae per miseras adque inventicias superstitiones reprehendendae maculae aut foeditas ulla nascatur, regali et Davidica voce clamantes: *scitote, quod Dominus ipse est Deus, quoniam ipse fecit nos et non ipsi nos.* Psalm. 99,3. Credimus, quia in hac clarissima tuba omnis improbitas conquiescet. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data X Kal. Septembris ... fil.[7]) Paulino v. css.

Notitia

epistolarum non exstantium, quae ad s. Anastasium II papam attinent.

I.

anno 497 *circ. init. Laurentii Lignidensis ad Anastasium de statu ecclesiae Illyricae relatio.*

Prima se offert Laurentii Lignidensis episcopi ad Anastasium papam epistola, qua debitae salutationis officio perfunctus, eum de rebus Illyricis certiorem faciebat. Nominatimque nuntiabat, *epistola decessoris illius de excessibus Acacii quum in ecclesia Thessalonicensi tum in aliis recitata, cunctos eidem Acacio anathema dixisse;* simul et Anastasium, ut *episcopis Illyrici aliisve quamdam fidei medicinam ministraret*, admonebat. Scripta est haec epistola statim, ut ordinationis Anastasii nuntius in Illyricum pervenit, et ante ab Anastasio fuit accepta, quam legatio ab Andrea Thessalonicensi episcopo destinata in urbem pervenisset.

---

[7]) Suspicio mihi est, in ms. litteras *fl* positas fuisse, quae et pro *filio* et pro *Flavio* abbreviatio sunt.

Digitized by Google

II.

anno 497. *Andreae episcopi Thessalonicensis ad Anastasium legatio.*

Non longe post secuta est legatio ab Andrea Thessalonicensi episcopo ad Anastasium papam destinata. Hanc sperare et exspectare se Anastasius epistola 3 n. 3 significat, ubi et in Illyricum *quosdam de conventu suo directurum* se rescribit, *quum illarum partium correctio legatione plenissima fuerit nuntiata.* Spem autem ejus falsam non fuisse docet nos epistola 5 n. 4, in qua Photinus diaconus ab Andrea Thessalonicensi Romam legatus inde proxime rediisse memoratur. Qui huic diacono adjuncti fuerint ejusdem legationis socii, tacetur. Tunc vero Anastasium id, quod sibi faciendum post hujus legationis adventum decreverat, praestitisse, h. e. viros in Illyricum, qui partes illas reconciliarent, de conventu suo direxisse credendum est, nisi morte cito interveniente prohibitus fuerit. Hoc saltem ab Hormisda impletum visuri sumus, quod ab illo fuerat praestitutum.

III.

anno 498 *c. mens. Jun. Aeonii episcopi Arelatensis ad Anastasium de quibusdam traducianismi adsertoribus relatio.*

Memorat Anastasius epist. 6 n. 2, episcopum Arelatensem, qui tunc Aeonius fuit, sibi ingessisse, *haeresim quamdam intra Gallias exortam, quae putaret hoc rationabili adsertione suadere, quod humano generi parentes, ut ex materiali faece corpora, ita etiam vitalis animae spiritum tribuant.* Cui longiore refutatione pontifex respondit X Kal. Sept. a. 498. Quare illa relatio ante mensem Julium ejusdem anni missa esse videtur.

IV.

(*anno* 497.) *Anastasii pro Avito Viennensi privilegium.*

Anastasii papae scriptum memorat ejus successor Symmachus ab Avito Viennensi episcopo subreptum, quo ille papa contra decessorum suorum ordinationem quaedam concessisse dicitur, quae novam in provincias rerum confusionem induxerunt. Huic scripto intercessit Arelatensis antistes. Sed brevi interveniens Anastasii mors eum apud successorem illius Symmachum causam suam dicere ac jus suum tueri coëgit (conf. Symmachi epist. 2, 3 et 4).

V.

(*anno* 497.) *Macedonii episcopi Constantinopolitani ad Anastasium litterae synodicae decretae sed non missae.*

Tacendum hic non videtur, quod Theodorus lector l. II (ed. Vales. p. 560), Theophanes (ed. Bonn. pag. 220), Nicephorus Kallisti XVI, 35 aliique memorant, nempe Macedonium regiae urbis episcopum ad Anastasium Romanae civitatis antistitem synodicas litteras per Festum patricium Theodorici regis legatum mittere decrevisse, sed ne id faceret ab imperatore fuisse prohibitum.

VI.

Decreta Anastasio falso adscripta.

1. *Sane Thessalonicensis episcopi* etc. vid. Grat. c. 15 C. XVI qu. 7. In prioribus conciliorum editionibus Anastasii II litteris hoc decretum subjicitur velut hujus papae nomine a Gratiano descriptum. Sed mero librarii errore id factum puto, quum revera Gratianus l. c. pro fonte suo *Chronicon Anastasii bibliothecarii* laudet.

2. *Qui potest obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est, quam favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare.* Grat. c. 8 C. XXIII qu. 3.

Digitized by Google

Similiter hoc decretum in omnibus conciliorum editionibus ut ex Gratiano desumptum Anastasii nostri nomine additur. Apud Gratianum autem l. c. *Anastasii et Damasi papae* nominibus insignitur, et habetur quidem in Pseudo-Damasi epistola ad Stephanum c. 8, sed ex meris Felicis II verbis (epist. 2 n. 8) conflatum est.

3. **Privilegium Anastasii P. II de exceptione Compostellani, ne Toletano teneatur, et ut crucem deferat ante.** „*Anastasius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Compostellano ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Et justitiae ratio exigit et consueta sedis apostolicae benignitas et mansuetudo deposcit etc. Tuas igitur et commissae tibi a Deo* (gregis) *preces cu* (cura?) *venerandae in Christo fratri p. a. debita B. Su.* (benigne suscipientes) *et ob Rm* (reverentiam) *beati Jacobi apostoli majoris* (cujus) *venerandum corpus in eadem ecclesia requiescere creditur, integrum jus libertatis auctoritate apostolica ipsi ecclesiae indulgemus, constituimusque et mansuro in perpetuum decreto firmamus* (et) *sancimus, ut tam tu quam tui deinceps successores nulli metropolitano seu primati praeter Romanum pontificem subjecti sitis vel obedientiam exhibere cogamini. Ad majorem quoque ecclesiae ipsius venustatem et personae tuae decorem, quum per tuam provinciam de loco ad locum te ire contigerit, et pertransire alias provincias seu loca necesse habueris, crucem, quam ex apostolicae sedis permissione ante te bajulans, tibi tuisque successoribus continue deferendi licentiam indulgemus. Nullique hominum fas sit etc. Ad indicium autem perceptae hujus a sede apostolica libertatis unam auri marcam nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis. Si qua igitur etc.*

Ita Vallicellanus C. 23, codex saeculi XVI chartaceus, collectionem synodorum et decretalium continens. Totus primo visu contextus ostendit, Anastasii II quidem nomen ibi falso praefigi, quum vix verbum ullum ejus aetati conveniat.

S. SYMMACHI PAPAE EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

1. Symmachus papa, unus ex diaconis Romanae ecclesiae, a majore parte cleri episcopus cooptatus atque anni 498 die XXII Novembris ordinatus est. Narrat Theodorus lector H. E. lib. II pag. 560, Festum patricium atque senatorem urbis Romae Anastasio imperatori clam pollicitum esse, Anastasio papae se persuasurum, ut Zenonis henotico subscriberet; sed quum Romam rediens hunc defunctum reperisset, multis pecunia corruptis operam dedisse, ut per schisma eligeretur, qui praedictum henoticum subscriptione sua ratum faceret. Quocirca ut Laurentius eodem die, quo Symmachus, ordinaretur effecit. — Quumque inde summa discordia ecclesia Romana distraheretur, tandem partes convenerunt, ut uterque electus Ravennam ad judicium Theodorici regis pergeret. Qui re aeque considerata hanc

Digitized by Google

sententiam tulit[1]), ut *qui primo ordinatus esset vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede apostolica.* Itaque Symmachus juri suo restitutus, mox synodum Romae in basilica s. Petri congregavit (die 1 Martii ann. 499), ut similis in eligendo pontifice ambitio et tumultus prorsus praecideretur (Symm. epist. 1). Laurentius autem, qui regis sententiae cessisse videtur[2]), eodem tempore episcopus Nucerinus constitutus est.

2. Verum non similiter alii Symmachi adversarii ducibus Festo et Probino senatoribus acquievere. Circa finem anni 500 aut initium anni 501 illum iterum multis criminationibus[3]) apud Theodoricum regem petierunt. Qui eorum votis eatenus obsecutus est, ut Petrum Altinatem *pro diebus paschalibus* visitatorem ecclesiae Romanae mitteret, simul autem ad causam legitime terminandam synodum *mox post sanctam festivitatem* anni 501 Romam congregaret[4]). Quae quidem, in causa Symmachi *secunda* Romana, in basilica Julii habita, quum nihil profecisset, episcopi nova synodo ad Calendas Septembres ejusdem anni renovare judicium a rege jussi sunt, ut tandem causa terminum sortiretur. Nec felicior haec synodus in basilica Sessoriana habita erat (Symmachi synodus Romana *tertia*); ad quam quum pontifex comparere properaret, in via ab adversariis *truculenter vulneratus*[5]) *est.* Quarto igitur rex causam ad synodum remisit (append. epist. 5 n. 13 et 14). Quae deinde X Cal. Novembres ejusdem anni 501 in regione *ad palmaria* dicta conveniens (synodus Romana *quarta* vel *Palmaris*), causam ipsam soli Dei judicio reservans, Symmachum ab omnibus incriminationibus liberum et immunem declaravit, quidquid juris ecclesiastici intra urbem vel foris esset, ei restituit, atque clericos et laicos omnes sub poena competenti ad ejus communionem condixit (Symmachi epist. 5 n. 9—11; Anastasius l. c., anonym. Blanch. l. c., Theodor. lect. l. c.).

3. Nec tamen destiterunt infensis animis adversarii, immo et Anastasio et saepe dicto anonymo Blanchiniano testibus tunc tumultus et caedes in urbe fere multiplicati sunt. Quin et vetus schisma renovatum est, revocato per factiosos homines Laurentio Nucerino tum Ravennae degente[6]), ac per quatuor etiam annos

---

[1]) Ita Anastasius vit. Symmachi, cui concordat anonymus Blanchinianus (ap. Muratori script. rer. Ital. t. III p. 2 col. 45). Theodorus lector l. c. autem hoc prius Theodorici judicium et alterum per synodum Palmarem latum confudit.

[2]) Etsi fortasse alter *Laurentius*, qui *archipresbyter tituli Praxidae* dictae synodo Romanae subscribitur, at fontes omnes (Anastas., anonym. Blanch. Theod. lect.) eum pacifice episcopatum Nucerinum accepisse memorant.

[3]) Criminationes istas anonymus Blanchinianus, qui et ipse acerrimus schismatis fautor Symmachique adversarius, recenset, partimque Ennodius libello apologetico et Symmachus ipse synodo quinta (epist. 6 n. 3 et 12) significant. Nec tamen synodus propterea congregata dignas duxit, quas vel una voce notaret; solum duo in iis, quae aut mendacium aut injustitiam saperent, extulit (conf. synod. Palmar. in Symmachi epist. 5 n. 5).

[4]) De tota hac synodorum Symmachi historia consulantur, quae monito praevio in appendicem epistolae 5 n. 4 et 5 attulimus.

[5]) Gesta hujus synodi in Symmachi epist. 5 n. 5—7 et appendice ad eand. epist. n. 8—12 recensentur; conf. etiam Symmachi epist. 10 n. 7, et Ennod. libell. apologet. ed. Sirmond. Op. I. 981.

[6]) Ita anonymus Blanch. rem narrat, ut demum post synodum Palmarem de revocando Laurentio tum Ravennae degente agitatum sit; et suffragantur ipsae synodi Symmachi annorum 501 et 502 nomen Laurentii prorsus tacentes. At Anastasius seriem rerum aperte confundens, et simulac contra Symmachum denuo agitari coeptum, Laurentium occulte revocatum jamque una cum Petro Altinate (ergo in synodo Rom. IV) damnatum esse refert, et hoc *post annos quatuor* (i. e. anno 502) factum praemittit. Nescio an ibidem inter causas turbinum duplex Laurentii memoria distinguenda: primo statim initio anni 501, quum variae criminationes contra Symmachum moverentur, schisma illius nomine ab actoribus renovatum ansam praebuisse, ut ipse Nuceria Ravennam

Digitized by Google

Romae inde jura divina humanaque confusa sunt. Demum anno 506 Theodoricus rex nova Symmachi legatione per Dioscorum diaconum Alexandrinum petitus, ut omnes in urbe ecclesiae tituli eidem restituerentur effecit[7]). Tum in praedium quoddam Festi patroni sui cessit Laurentius, alii ut Johannes diaconus (Symm. ep. 8) justo pontifici satisfacientes indulgentiam meruerunt. Neque interea omiserat Symmachus, quin omni modo et disciplinae ecclesiasticae et statui Romanae ecclesiae consuleret. Etsi synodi illae *quinta* et *sexta* Pseudo-Isidori mera figmenta sunt, tamen vere quinta synodus in basilica s. Petri Romae d. VI Novembris a. 502 *de rebus ecclesiae conservandis* habita est, quamquam a collectoribus canonum confuso ordine nobis servata (Symm. epist. 6).

4. Eodem fere tempore imperator Anastasius non contentus ecclesiae Romanae perturbatione, quam excitaverat, adversus Symmachum ipse libellum vulgavit contumeliis et querelis refertum. Cui strenuus pontifex apologetico tractatu respondere festinavit, quo quam iniquae essent illius tum contumeliae tum querimoniae demonstrabat (epist. 10). Quumque idem Anastasius in Oriente orthodoxos, qui Calchedonensem synodum propugnabant, vexare non desisteret, hi apud eumdem summum papam solatium quaesierunt, enixe rogantes, ne communionem suam negaret orthodoxam fidem profitentibus, quos sola Ecclesiae universalis utilitas cum iis communicare cogerent, qui se ab Acacii societate divelli non paterentur (epist. 12). Litteris eorum a justa constantia dimoveri non valuit, sed responsione eis facta constanter asseruit, sedis apostolicae communionem nemini sperandam, nisi qui a damnatorum communione prorsus secederet (epist. 13). — Afris in alia terrae parte pro fidei integritate luctantibus solamen et levamen ferre pie properavit pius pontifex (epist. 11; conf. Anastas. l. c.), qui *sola putavit lucra, quae ipsi de liberalitate nascerentur* (epist. 20; conf. epist. 17—24). Nec minore cum constantia et pietate Gallicanae ecclesiae consuluit, in qua et ordo hierarchicus antiquitus constitutus et disciplina ecclesiastica periclitari videbatur. Utrique periculo medelam attulit Symmachus (epist. 14—16), qui tandem XIV Cal. Augustas anni 514 ad superos translatus est, laborum et certaminum suorum praemia accepturus.

Epistola 1

a. 499 d. 1 Mart.

seu

Decretum synodale s. Symmachi papae.

)85. **I. Suggestio Fulgentii archidiaconi ecclesiae Romanae de congregata synodo ex praecepto papae Symmachi.**

II. Interlocutio Symmachi, ut episcopalis ambitus radicitus amputetur.

III. Sententia synodi, ut si quis papa superstite pro Romano pontificatu cuiquam quolibet modo favorem praestare convincitur, loci sui ordine vel communione privetur.

IV. Ut si papa morte praeventus non potuerit ante de sui successoris electione decernere, is ordinetur antistes, quem cunctus clerus aut certe pars major elegerit.

V. Ut si quis ambientes vel fautores ambientium conjuratoresque prodiderit, non

---

vocaretur ibique custodia quadam retineretur; deinde post synodum anni 502 ipsum inde dilapsum Romamque reversum vere episcopum schismaticum egisse.

7) Ita anonymus Blanch., et apprime consentit Symmachi epist. 8 et append. ep. 6.

Digitized by Google

a. 499. **solum purgatus videatur esse, si[1]) fuerit particeps, verum etiam remuneratione dignissimus aestimetur.**

I.

1. Post consulatum Paulini viri[2]) clarissimi sub die Kalendarum Martiarum in basilica beati Petri apostoli residente viro venerabili papa Symmacho una cum Rustico[3]) Menturnensi[4]), Bonifacio Veliterno, Miseno[5]) Cumano, Rufino Canusino, Cresconio Tudertino, Basilio[6]) Tolentinati, Decio Trium Tabernarum, Innocentio Mivaniae, Valentino Amiternino, Basso Ferentiniensi, Vitali Fanestri, Vitaliano Rosellano, Maximo Blerano, Constantino Capuano, Benigno Aquaevivensi, Fortunato Suessano, Palladio Sulmontino, Vindemio Anteatino, Constantio Utriculano[7]), Johanne Ariminensi, Germano Pisaurensi, Martyrio[8]) Terracinensi, Candido Tiburtino[9]), Vitaliano

---

[1]) Ipse synodi textus ex omnium mss. fide restitutus pro his *si fuerit particeps* postulat *qui hujusmodi participes convicerit.*

[2]) B[1] *Paulini aũg.* K[12] *Incipiunt canones Symmachi papae temporibus Teudorici regis Paulino v. c. sub die Kalendarum Martiarum in basilica beati Petri apostoli.* F[2] inscribit *Synodus in qua constitutum est, ut vivo papa de episcopatu Romano nullus loqui praesumat.* Moxque H O *synodo praesidente beatissimo papa.*

[3]) In sequentibus sequimur B[1]. K[12] in recensendis quidem nominibus haud levem induxit confusionem, dum modo episcoporum modo ecclesiarum, quibus praeerant, nomina per oscitantiam librarius omisit. Quam discrepantiam ne identidem monere opus sit, totum locum hic exscribere placuit. Sic igitur post supra datam inscriptionem inchoat: *Residente venerabile papa Symmacho una cum Rustico Meturnensi, Bonifacio Veliterno, (Innocentio) Forosempronienſi, Miseno Cumano, Colonico Foroclodiensi, Rufino Canosino, (Vitaliano) Rosellano, Epiphanio (Beneventano), Crisconio Tudertino, Adeodato Cerrensi, Basilio Tollentinati, Stephano Nursino, Decio Trium Tabernarum, Dulcitio Sabiniensi, Innocentio Mevaniae, Fortunato Anagnino, Valentino Amiternino, Paschasio Vulturnensi, Basso Ferentinienſi, Santolo Signino, Valerio Calenio, Felicissimo Cautino, Innocentio, Vitali Fanestri, Vitaliano Venentano, Maximo Nomentano, Constantino Nepesino, Benigno Nolano, Fortunato Puteolano, Palladio Avellenate, Vindimio Fermati, Constantio Sorrentino, Johanne Reatino, Germano Neapolitano, residentibus etiam Laurentio, Januario, Marciano, Gordiano, Maxentio, Petro, Justino, Urbico, Redimito, Paulino, Projectitio, Valente, Juvino, Sorano, Petro, Bono, Paschasio Fulgentius archidiaconus dixit: Beatitudo* etc.

[4]) B[1] hic et infra *Menturensi*, K[12] *Meturnensi. Minturna* seu *Mentyrna* (*Μεντυρνα*) est urbs Latii in confinio Campaniae.

[5]) B[1] *Mesino.* Hinc liquet episcopo huic a Gelasio non tantum veniam cum communione indultam sed et honorem redditum esse.

[6]) In subscriptionibus hic additur *Clarus Allifanae* et mox *Vitalis Fundanae.* Porro quae memoratur *Mevania* (B[1] *Mivania*, alii *Mibania*) est urbs Umbriae ad Clitumnum sita et Propertii natalitiis clara.

[7]) B[1] hic *Vericulano*, infra *Utriculanae*, alii *Otriculano. Utriculum* (*Otricoli*) est urbs Umbriae. Mox B[1] *Pinsaurensi* et infra *Apisaurensi.*

[8]) Ita B[1] H h[1]. *Martino* F[d] O c[10].

[9]) In subscriptionibus hic additur *Laurentius Trebensis* seu *Trebiensis* (B[1] *Trebeatis*). Moxque B[1] *Vitalio Arneati*, infra autem *Vitalianus Arniensis*, alii *Narniensis.*

Digitized by Google

Narniensi, Sereno Nomentano[10]), Adeodato Cerrensi, Stephano Nur- a. 499.
sino, Dulcitio Sabinensi, Fortunato Anagnino, Paschasio Vulturnensi, Sanctulo[11]) Signino, Valerio Caleno[12]), Felicissimo Caudino, Innocentio Forosemproniensi[13]), Colonico Foroclodiensi, Epiphanio Beneventano, Johanne Spoletino[14]), Constantio Venafrano, Maximiano Perusino, Sallustio Amerino, Luciano[15]) Tarquiniensi, Molensi Centumcellensi, Basilio[16]) Matellicati, Florentio Plestano, Justo[17]) Acherontino, Maximiano Subaugustano[18]), Fortunato Fulginati, Johanne Vibonensi[19]), Gaudentio Tadinati[19]), Felice Nepesino, Sereno Nolano, Aucupio Puteolano, Timotheo Abellinati, Marioti[20]) Fernati, Rosario Surrentino, Urso Reatino[21]), Stephano Neapolitano, Gaudentio Vulsinensi, Projecticio Foronovano, Gaudentio Salernitano, Quinto Teanensi, Bellatore Ostiensi[22]), Lampadio Urbissalviensi[23]), Adeodato Formiano, Urso[23]) Stabiano, Saturnino Herdonitano[24]); Gordiano,

---

[10]) *Justus Acherontinus*, qui in subscriptionibus hoc loco ponitur, demum multo inferius sequitur. Porro loco *Cerrensi* B[1] hic *Lorensi*, qui tamen infra cum E[2] F[2] H O h[1] h[2] cc *Cerrensis*. *Acerrae* urbs Campaniae est.

[11]) Hic episcopus et ceteri, pro quibus alii subscribunt, hoc tamen loco simpliciter sicut alii recensentur. Post *Sanctulum* in subscriptionibus sequitur *Innocentius Forosensis* hic omissus.

[12]) K[12] *Calenio* et infra *Calenotanae*. *Cale* vel *Cales* urbs Campaniae a veteribus saepe memorata.

[13]) Infra hoc loco *Valentinus — Amiterninae pro Romano episcopo ecclesiae Pitinatium*.

[14]) B[1] *Spolitino ... Benefrano Maximiliano* (infra cum 3β *Maximianus*); alii infra *Spoletanus ... Constantinus ... Maximus*.

[15]) Ita B[1] et favent β[1] β[2] β[3]. Alii infra *Licinianus*.

[16]) Deest infra in subscriptionibus, et ibidem *Justus Acherontinus* (B[1] *Acerontinus*) post *Serenum Nomentanum* positus. O c[10] *Florentinus*.

[17]) B[1] *Subaugustranus* et infra *Subaugestriae*, c[10] *Subaugestanus*. *Subaugusta* urbs Latii in confinio Sabinorum erat, ubi teste Holstenio condita fuit Helena Augusta mater Constantini.

[18]) B[1] *Vivonensi*. Vibo urbs Brutiorum episcopalis sub archiepiscopo Rhegino.

[19]) In subscriptionibus hic inseritur *Mercurius e. e. Sutrinae*.

[20]) Hic quidem episcopus in subscriptis deest. Porro *Fernae* urbs episcopalis Hiberniae insulae sub archiepiscopo Cassiliensi erat. Sed potius hic aliquam urbem Africae similiter sonantem (ut *Furnos*, *Formen* al.) substituerim.

[21]) Pro hoc quidem infra Rosarius Surrentinus subscribit, sed deest *Reatini* significatio.

[22]) B[1] *Hostiensi*. Deinde in subscriptis sequitur *Marius ep. eccl. Tifernatis* hic omissus.

[23]) Ita B[1] (F[d]). Infra H[6] *urbis Albiensis*, H[6] *urbis Albinensis*, editi *urbis Albensis*. Porro *Urbs Salvia* oppidum Piceni erat. Mox B[1] *Urro Staviano*, infra autem *Ursus Stabianae*, ubi H[3] β E[2] similiter *Stabianus*, K[12] c[5] c[10] *Astalinae*, F[d] infra *Statine*. Porro Stabiae urbs episcopalis Campaniae sub archiepiscopo Surrentino erat.

[24]) B[1] hic ad marg., K[12] in textu notat: *Et subscripserunt episcopi numero LXV et Papa, presbyteri numero LXXIII diacones numero VII* (K[12] *diaconi VII*).

Digitized by Google

a. 499. Maxentio, Petro, Justino, Urbico, Redempto, Paulino, Projectitio, Valente, Jovino, Petro, Bono, Sorano, Paschasio, Asterio, Johanne, Smaragdo, Valentino, Sebastiano, Marcello, Martino, Asello, Epiphanio, Lutorio, Andrea, Agathone, Servodei, Sebastiano, Opilione, Valentino, Petro, Anastasio, Romano, Genesio, Marcellino, Dionysio, Domnino, Epiphanio, Agapito, Acontio, Abundantio, Paulino, Agapito, Petro, Adeodato, Timotheo, Dominico, Hilaro, Benedicto, Victorino, Redempto, Vincemalo, Severo, Johanne, Juliano, Paulino, Stephano, Laurentio, Crescentio, Eutyche, Septimino, Juliano, Cypriano, Maximino, Epiphanio, Marco, Bonifacio, Vincemalo, Abundio, Venantio et Stephano presbyteris; adstantibus quoque Fulgentio, Cypriano, Anastasio, Tarrensi, Citonato, Tertullo et Johanne diaconibus, Fulgentius archidiaconus dixit:

2. „Beatitudo vestra directis antehac per provincias auctoritatibus frequentem[25]) Italiae sacerdotum synodum convocavit, quorum praesentia in vestris videtur oculis constituta. Nunc beatitudo vestra, quae ad ecclesiasticas indemnitates vel ad pacem totius Ecclesiae pertinent sive concordiam, dignetur tractabiliter ordinare".

Nominantur autem revera praesentes LXXI (in K^{12} XVII), subscripti LXVI (in K^{12} LXIX) presbyteri. Nec facile extricari potest haec diversitas. Ut autem aliis prospectum ejusdem praebeamus, his nominibus decem auctior est prior recensio quam in subscriptionibus: *Maxentii, Smaragdi, Valentini, Epiphanii, Lutorii, Domnini, Agapeti, Johannis, Maximini, Vincemali;* mancior autem his quinque: *Laurentii, Januarii, Martiani, Felicis, Dominici.* Subscriptiones in K^{12} c^{19} autem abundant his novem nominibus: *Laurentii, Januarii, Martiani, Felicis, Paulini, Dominici, Juliani, Abundantii, Paulini;* deficiunt his undecim: *Maxentii, Smaragdi, Lutorii, Andreae, Agathonis, Valentini, Agapiti, Johannis, Maximini, Vincemali, Abundii.* In recensendis nominibus B^1 secuti sumus, nisi quod ibi scriptum: *Urbio* (infra cum al. *Urbicus*), *Crescentione, Eutyce, Habundio.* Cui fere in omnibus concordant $H^8h^1h^2$, quum alii editi multum discrepant. — De episcoporum numero jam in monito praevio n. 2 notavimus.

[25]) H^{10} h^1 h^2 *frequenter* et in acclamationibus *dictum est. Cujus sedem c. a. d. est VIII,* ubi alii editi *d. e. IX.* Sequimur B^1 E^2 F^2 H^8. — Theodorus lector II pag. 569, quem Theophanes (ed. Bonn.) pag. 221 et Nicephorus XVI, 34 sequuntur, scribit: *Theodoricus Ater, qui tum Romae regnabat, quamvis secta esset Arianus, collecta tamen episcoporum synodo, Symmacho quidem episcopatum urbis Romae confirmavit, Laurentium vero cujusdam urbis, quae Nuceria dicitur, episcopum* constituit. Quod Baronius ad annum 499 n. 1 de hac synodo, uti narrationis ordo postulat, interpretatus merito falsi arguit. Ipsa enim synodus *auctoritatibus* seu epistolis Symmachi papae, non Theodorici litteris. convenisse se testatur. Extricanda sunt igitur, quae praedicti scriptores confuderunt. Quum de Romano pontificatu Symmachum inter et Laurentium disceptaretur, eum Symmacho Theodoricus adjudicavit. Statimque novus pontifex hanc congregavit synodum, cui Laurentius ut presbyter subscripsit. Paulo post a Symmacho cum regis Theodorici consensu ac voluntate Nucerinus episcopus constitutus est. Quum autem anno 501 Symmachus a nonnullis esset accusatus, tum demum Theodorici praecepto ex consensu Symmachi nova congregata est synodus, in qua episcopatus eidem papae confirmatus est.

Digitized by Google

Acclamatum est ab omnibus episcopis et presbyteris: *Exaudi* a. 499.
Christe, Symmacho vita! dictum est decies. *Cujus sedem, et annos!* dictum octies. *Ut facias rogamus!* dictum est decies.

II.

3. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: „Concilium dilectionis vestrae neglecta hiemis asperitate sollicitudo nostra pro ecclesiastica indemnitate specialiter congregavit, ut episcopalem ambitum et confusionis incertum vel popularem tumultum, quem per subreptionem diaboli[26]) usurpatione aliquorum tempore ordinationis meae constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus robuste ac vivaciter amputare. Atque ideo caveamus in posterum, ne subversio disciplinae aut audacia praesumentium[27]) gestiat tentare similia, et pari adunatione tractemus, expressis scilicet sententiis sancientes, quid circa Romani episcopi ordinationem debeat custodiri".

Universi episcopi vel presbyteri dixerunt: *Ut fiat, rogamus!* dictum est decies. *Ut scandala amputentur, rogamus!* dictum est novies[28]). *Ut ambitus extinguatur, rogamus!* dictum est duodecies. *Exaudi Christe, Symmacho v[illegible]!* dictum est sexies. *Cujus sedem, et annos!* dictum est quinquies. *Ut de praesenti fiat!* dictum est decies.

Symmachus episcopus dixit: „Quoniam fraternitas vestra curam provisionis nostrae suis exhortationibus incitavit, et parilem circa Ecclesiae tranquillitatem Dei nostri contemplatione animum praestat, sicut praefati sumus, deliberatione in praesenti habita, quid placeat, ex omnibus vestris informate sententiis, quae in hoc venerabili concilio per ecclesiastica recitentur officia".

4. Quumque surrexissent et paulo post iterum consedissent, Aemilianus notarius synodi decreta vulgavit.[29])

III.

„Propter frequentes ambitus quorumdam[30]) et Ecclesiae nudita-

---

[26]) Verba *diaboli — ordinationis meae* in editis et mss. E^2 H O h^1 h^2 omissa supplemus auctoritate B^1 K^{12} cc.

[27]) H^8 *praesumendum gesta*, E^2 *gesta adtemptare;* moxque E^2 h^1 h^2 *donatione*, c^1 *adjuvatione*, K^{12} *adnuntiatione*, ceteri *adunatione*.

[28]) H^9 *VIII*. Mox quidam mss. *XV*, et h^1 h^2 *de praesentia*.

[29]) H^{12} c^7 c^9 c^{10} hic inserunt: *Sententia synodi. Ut si quis Papa superstite pro Romano pontificatu cuique quolibet modo favorem praestare convincitur, loci sui ordine (vel communione) privetur.* Idem miniatis litteris K^{11} Γ hoc loco, E^2 jam supra post *dictum X* indiderunt. Nihil vero aliud sunt, nisi subjecti decreti summa, jam in fronte cum ceteris praemissa ac denuo hic repetita.

[30]) Ita c^8 c^9 c^{10}. h^1 h^2 *atque ecclesiae*, B^1 E^2 *quorum et ecclesiae*, al. mss. *quorum ecclesiae*. Mox c^9 c^{10} *molesta et iniqua incompetenter*, c^1 *molesta et incompetenter*.

Digitized by Google

a. 499. tem vel populi collisionem, quae molesta incompetenter episcopatum desiderantium generavit aviditas, ut extinguatur futuris praesumptio tam perniciosa temporibus, constituit sancta synodus: ut si quis presbyter aut diaconus aut clericus, papa incolumi et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut pittacio[31]) promittere aut sacramentum praebere tentaverit aut aliquod certe suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate vel[32]) communione privetur;" — Universa synodus surgens acclamavit: *Exaudi Christe, Symmacho vita!* dictum decies. *Hic pax cum Symmacho!* dictum quindecies[33]). *Cujus sedem, et annos!* dictum octies. — „pari severitate feriendo[34]) eo, qui hoc vivo, sicuti dictum est, pontifice quolibet modo fuerit ambisse convictus aut certe tentasse, omnibus pariter hujus culpae reis anathematis poena plectendis." —

Symmachus episcopus dixit: *Ergo universitati placet et ab omnibus recognoscitur vel probatur ista sententia?* Universa synodus dixit: *Placet, et quod omnibus placet, fiat!*

IV.

5. „Si, quod absit, transitus papae inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non[35]) possit ante decernere, siquidem in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si autem, ut fieri solet, studia coeperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum, sic tamen, ut sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto judicio de electione decreverit."

Synodus dixit: *Placet!* dictum est decies.

---

[31]) c^1 *pretia promittere*, h^1 h^2 *pitatio committere*, O *pittatia*, K^{12} a^3 *pittacium*. Retinemus cum B^1 E^2 H (H^6 H^9 H^{13}) *pittacio promittere*. *Pittacium* autem idem est, quod charta seu tabula parva, qua quid conscribitur (conc. Carth I c. 12. Aug. serm. 178 c. 7). Praeprimis *obligationi chirographi* est synonymum (l. 11 Cod. Theod. VII, 4. Cassiod. var. lib. XII epist. 20).

[32]) In vulgatis *atque communione*. Verius in mss. (etiam B^1), ut prae se fert etiam hujus capituli summa, *vel communione*. Illud enim propter laicos dictum est, sicut prius propter clericos est decretum, eos loci sui dignitate privandos; adeo ut neutros duplex illa poena simul afficiat, sed alterutra. Deinde c^9 c^{10} *surgens privetur acclamavit*, contra mss. (etiam B^1 E^2 F^2 H^6).

[33]) H^6 *decies cujus sedem ... novies*. c^9 c^{10} *quinquies*. *Cujus sedem* etc.

[34]) c^2 seq. *feriendo eum*. Concinnius mss. et c^1 h^1 *feriendo eo*, passive, quomodo mox *plectendis reis*, non *plectendo reos*, subjicitur.

[35]) Non satis liquet, quomodo haec componi cum iis queant, quae Hilarus papa epist. 15 ex alterius synodi Romanae sententia decrevit adversus eos, qui sibi successores deligere se posse putant. Nisi forte synodo huic ea dumtaxat placuerit successoris electio, quae cum cleri populique consensu facta fuerit, quo pacto Augustinus Eraclium successorem instituit: quum synodo sub Hilaro celebratae electionem privato decessoris studio factam displicuisse constet.

Digitized by Google

V. a. 499.

6. „Propter occultas autem fraudes et[36]) conjurationum secretas insidias, quas hujus sententia districtionis consequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum, qui contra hanc synodum de pontificali egerint ambitu, et rationabili probatione convicerit participes[37]) actionis hujusmodi, non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, quae non indigna sit, sublevetur.“

Universa synodus surgens acclamavit: *Placent*[38]) *omnia!* Et adjecit: *Exaudi Christe, Theodorico vita!* dictum XXX. *Ut ita servetur, rogamus!* dictum XX. *Exaudi Christe, Symmacho vita!* dictum X. *Ut circa Romanum pontificem semper haec ordinatio servetur, rogamus!* dictum X. *Ut nullus aliter ad episcopatum Romanum deinceps veniat, precamur!* dictum X. *Ut decreta nostra confirmes, rogamus!* dictum X.

7. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: *Adclamationes vestras synodique judicium praesentia gesta suscipient.* Et adjecit: *Ea, quae ad sopiendos veternosae praesumptionis errores vel infensae*[39]) *rebus ecclesiasticis aegritudinis morbos, quibus universalis afficiebatur Ecclesia, deliberatio religioni congrua pacique constituit, firmitatem perpetem sortientur, ut praestante Deo, quem custodem rerum omnium constat bonarum, synodalis ordinatio vigeat, atque omnes sine personae alicujus distinctione constringat. Contra quam si quis sub qualibet occasione venire praesumpserit, indicta superius districtione plectetur*[40]).

---

[36]) K^{12} *et conjuratas insidias.*

[37]) H^5 (secunda manu) H^6 et editi *particeps.* Ille etiam, qui titulos in fronte praefixos composuit, quintum sic expressit, quasi hic *si particeps fuerit* legisset. Potior tamen est lectio omnium mss., qua quidem synodus non participem actionis ambitiosae 'ab omni culpa liberum et purgatum, sed eum, qui ejusmodi culpa obnoxios detulerit et convicerit, etiam remuneratione sublevandum declarat. Ipsam mercedem decernit et Athalaricus rex apud Johannem II epist. 1 n. 4, unde et huic lux comparatur.

[38]) H^6 h^1 h^2 *placet et adjecit.* Moxque ex B^1 textum restituimus, quum alii mss. et editi: *Exaudi Christe Symmacho* (K^{12} a^3 *Theodorico*) *vita! dictum est XXX. Ut ita serventur rogamus, dictum X. Ut nullus* etc. Hac quidem acclamatione, qua primum Theodoricum salutat, synodus quodammodo sollemniter approbat et confirmat sententiam, qua ille novissime pontificatum Symmacho adjudicarat. — Mox sequentia a verbis *ut decreta nostra confirmes* usque ad finem etiam F^d (fol. 74) praebet.

[39]) F^d *inpense,* h^1 h^2 *infensos ... perpetim,* moxque cum H^6 H^5 *distinctione* (H^6 *districtione*) *venire praesumpserit, indita* etc. Correximus cum B^1 E^2 F^d c^3 seqq., nisi quod B^1 *districtione,* F^d *distrinctione* (loco *distinctione*).

[40]) H O h^1 c^1 hic addunt *Et subscripserunt,* cui verbo in aliis editis adjungitur *episcopi numero LXXIII.* Utrumque abest a B^1 K^{12}, quum B^1 solum ad marg. notat *Subscriptiones episcoporum.* Hi autem codices, ut supra monuimus, gestorum initio prae se ferunt *episcopos LXV* et *presbyteros numero LXXIII* sub-

Digitized by Google

a. 499. 8. Coelius Symmachus episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae his constitutis synodalibus a me probatis atque firmatis consentiens[41]) subscripsi.

Coelius Rusticus episcopus civitatis Menturnensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor[42]) manere sententia.

Coelius Bonifacius episcopus ecclesiae Veliternensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Coelius[43]) Misenus episcopus civitatis Cumanae subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Rufinus episcopus ecclesiae Canusinae subscripsi.

Cresconius episcopus ecclesiae Tudertinae subscripsi.

Clarus episcopus ecclesiae Allifanae subscripsi.

Basilius episcopus ecclesiae Tolentinatis subscripsi.

Vitalis episcopus ecclesiae Fundanae subscripsi.

Decius episcopus ecclesiae Trium Tabernarum subscripsi.

Innocentius episcopus ecclesiae Mivanatis subscripsi.

Valentinus episcopus ecclesiae Amiterninae subscripsi.

Bassus episcopus ecclesiae Ferentini[44]) Novi subscripsi.

Vitalis episcopus ecclesiae Fanestris subscripsi.

Vitalianus episcopus ecclesiae Rosellanae subscripsi.

Maximus episcopus ecclesiae Bleranae subscripsi.

Constantinus episcopus ecclesiae Capuanae subscripsi.

Benignus episcopus ecclesiae Aquaevivensis subscripsi.

Fortunatus episcopus ecclesiae Suessanae subscripsi.

Palladius episcopus ecclesiae Sulmontinae[45]) subscripsi.

---

scripsisse. Neutrobique vero, ut ibidem jam observavimus, accurata est episcoporum vel presbyterorum recensio.

[41]) F^d H^6 a^3 *consensi et subscripsi.* B^1 H^6 et editos sequimur.

[42]) H^6 hic et in sequ. *fateor.*

[43]) H h^1 h^2 omittunt *Coelius.* Deinde B^1 F^d *Mesinus,* c^1 *Mesenius,* K^{12} *Mosenus,* al. *Mensenus* vel *Mensenius,* h^1 h^2 c^2 seqq. *Misenus.* Ille ipse est Misenus, quem Felix a legatione revertentem deposuit et Gelasius pristinum in statum restituit. Hujus autem ac sequentium episcoporum subscriptiones Crabbius secundum alphabeticum nominum ordinem disposuit, atque is ordo exinde in edit. concil. usque ad Harduinum servatus est. Commodus quidem est ad deprehendendum citius cujusque episcopi nomen, sed praestat, gesta ipsa, ut conscripta sunt, repraesentare. Ideoque et subscriptiones integras authentici exemplaris codicum B^1 F^d K^{12} detruncationibus E^2 H O h^1 h^2 c^1 c^4 anteponimus. In his quippe ita efferuntur: *Mensenus Cumanus, Rufinus Canusinus, Cresconius Tudertinus, Clarus Allifanus* etc. Mox F^d *Rufinus eps eccle Todernensis subs,* et omittit *Cresconius* etc.

[44]) Ita B^1 F^d h^1 h^2. Alii *Ferentinae, Ferentininus,* aut *Ferentinus.*

[45]) Ita B^1 h^1 h^2 c^1 c^9. *Solominitane* F^d, *Sulmonitanae* c^6 c^{10}. In H^6 deinde sta-

Digitized by Google

Vindemius episcopus ecclesiae Anteatinae subscripsi. a. 499.
Constantius episcopus ecclesiae Utriculanae subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Ariminensis subscripsi.
Germanus episcopus ecclesiae Pisaurensis subscripsi.
Martyrius episcopus ecclesiae Terracinensis subscripsi.
Candidus episcopus ecclesiae Tiburtinae subscripsi.
Laurentius episcopus ecclesiae Trebeatis[46]) subscripsi.
Vitalianus episcopus ecclesiae Narniensis subscripsi.
Serenus episcopus ecclesiae Nomentanae subscripsi.
Justus episcopus ecclesiae Acherontinae subscripsi.
Adeodatus episcopus ecclesiae Cerrensis[47]) subscripsi.
Stephanus episcopus ecclesiae Nursinae[48]) subscripsi.
Dulcitius episcopus ecclesiae Sabinensium subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Anagninae subscripsi.
Paschasius episcopus ecclesiae Vulturnensis subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Anagninae pro Sanctulo episcopo civitatis Signinae, quia subscribere non potuit, pro eodem subscripsi.
Innocentius[49]) episcopus ecclesiae Forosensis subscripsi.
Valerius episcopus ecclesiae Calenae subscripsi.
Felicissimus episcopus ecclesiae Caudinae subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Forosemproniensis subscripsi.
Valentinus episcopus ecclesiae Amiterninae subscripsi[50]); pro Romano episcopo ecclesiae Pitinatium subscripsi.
Colonicus[51]) episcopus ecclesiae Foroclodiensis subscripsi.

---

tim sequitur *Laurentius* missis intermediis. Mox B¹ *Anteatinae*, F^d *Anciatine ... Martinus*. De aliis sequentibus cf. not. 7 et 8.

[46]) Ita B¹. K¹² *Tebeatrix*, F^d *Tebeatris*, ceteri *Tribensis* vel *Trebensis* vel *Trevensis* (H⁶), H⁶ *Terbensis*. Aliis duobus conciliis ann. 501 et 502 habitis non *Laurentius* sed *Propinquus Trebientis* subscripsit. — Mox F^d *Vitalianus ... Nomentis, Serenus ... Ariniensis*.

[47]) Ita B¹ E² F² H O h¹ c¹ seqq. Alii corrupte *Cerensis* vel *Cerninsis*, F^d *Cersensis*. B¹ supra *Lorensis*. a³ praeferre videtur *Cerviensis*.

[48]) Ita B¹. Alii *Nursiensis ... Sabinensis*. Mox H⁶ omittit subscriptionem pro Sanctulo. F^d autem *Fortunatus epṡ eccle Signine* etc., omissis intermediis.

[49]) Ita B¹ K¹²; F^d *Forosinforininsis sūbi Valentinus* etc. Alii (H O h¹ c¹ c⁹) omittunt hunc *Innocentium Forosensem;* nec scio, an revera sola librarii incuria pro *Innocentio Forosemproniensi* repetitus sit. — Mox H O *Calenitanus* vel *Calenotanus ... Caudinensis*. In K¹² *Valerii* et *Felicissimi* subscriptiones librarii oscitantia omissae. In H h¹ h² autem falso *Felicissimus ep. Forosemproniensis* scribitur, omissis verbis *Caudinensis Innocentius ep.*

[50]) B¹ F^d *subscripsi. Pro Romano epō ecclesiae Pitinatium* (F^d *Pitanensium*) *ss̄*. Porro loco *Pitinatium* (H¹ H⁶), c¹ *Pitanicium*, h¹ h² *Pitinanatium*, c³ seq. *Pinnanatium*, K¹² c¹⁰ *Picinansium*, H⁵ *Pinnatium*, E² *Pinatatium*, β² *Pinatiatium*, β¹ *Bitinanatium*, β³ *Bitananatium*. Pitinum autem olim urbs episcopalis fuit non longe ab Amiterno sita, sed subinde diruta.

[51]) Ita B¹. Alii editi *Colonius*. Deinde β³ *Foroclaudiensis*, c¹ *Foroliviensis*.

Digitized by Google

a. 499. Epiphanius episcopus ecclesiae Beneventanae subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Spoletinae subscripsi.
Constantius episcopus ecclesiae Venafranae subscripsi.
Maximianus episcopus ecclesiae Perusinae subscripsi.
Sallustius episcopus ecclesiae Amerinae subscripsi.
Lucianus episcopus ecclesiae Tarquiniensis subscripsi.
Molensis episcopus ecclesiae Centumcellensis subscripsi.
Florentius[52]) episcopus ecclesiae Plestanae subscripsi.
Maximianus episcopus ecclesiae Subaugestriae[53]) subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Fulginatium subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Vibonensis subscripsi.
Gaudentius episcopus ecclesiae Tadinatis[54]) subscripsi.
Mercurius episcopus ecclesiae Sutrinae subscripsi.
Felix episcopus ecclesiae Faliscae[55]) et Nepesinae subscripsi.
Serenus episcopus ecclesiae Nolanae subscripsi.
Aucupius[56]) episcopus civitatis Puteolanae subscripsi.
Timotheus episcopus ecclesiae Abellinatis subscripsi.
Rosarius episcopus ecclesiae Surrentinae subscripsi[57]).
Stephanus episcopus ecclesiae Neapolitanae subscripsi.
Rosarius episcopus pro fratre meo Urso episcopo subscripsi.
Gaudentius episcopus ecclesiae Vulsinensis subscripsi.
Item Gaudentius episcopus Vulsinensis pro Projecticio episcopo ecclesiae Foronovanae subscripsi.
Quintus episcopus ecclesiae Teanensis[58]) subscripsi.
Gaudentius episcopus ecclesiae Salernitanae subscripsi.
Bellator episcopus ecclesiae Ostiensis subscripsi.
Marius episcopus ecclesiae Tifernatium subscripsi.
Lampadius episcopus ecclesiae Urbissalviensis[59]) subscripsi.

Mox c^{10} *Constantinus ... Maximus ... Licinianus* et c^{9} *Mollentius*, c^{3} *Molensius*, H^{10} *Solensius*, E^{2} *Molenius*.

[52]) H^{10} O c^{10} *Florentinus*, moxque plures mss. et c^{1} *Plestinensis*, h^{1} c^{1} c^{7} c^{9} *Pestanus*, 1 H^{3} H^{6} *Plenstinus*, alt. H^{3} *Clestinus*, E^{2} *Palestinus*, 2 H^{1} H^{8} c^{1} *Plestanus*. B^{1} K^{12} c^{10} *Plestanae*. Porro *Plestinam* Marsorum oppidum Livius 10, 3 agnovit.

[53]) Ita B^{1}, F^{d} *Subaugestrae*. h^{1} seq. *Subaugustanus* (c^{10} *Subaugestanae*) ... *Fulgentanus* (c^{9} *Fulginas*, c^{10} *Fulgentinae*). H^{8} *Vibobensis*, B^{1} F^{d} *Vivonensis*, E^{2} *Vibinis*.

[54]) Ita B^{1} c^{1} c^{10}; H^{10} *Gabinatis*, quod et c^{10} praeferendum dicit. Mss. H O h^{1} c^{1} *Tudinas*, c^{2} seqq. *Tyndariensis*. Fuit autem *Tudinum* seu *Tadinum* urbs Umbriae, cujus episcopalis sedes Nucerinae postmodum conjuncta est.

[55]) Ita B^{1} F^{d}. K^{12} *Faliciscae* omittens *et Nepesinae*. Alii solum *Nepesinae*, sicut in subscriptionibus concilii a. 502 habiti *Felix Nepesinus* vocatur.

[56]) Ita B^{1} cc. F^{d} *Aucupitus*, H^{6} *Aupictus*. Mox alii *ecclesiae Puteolanae*.

[57]) In quibusdam mss. ut c^{9} hic statim additur: *et pro fratre meo Urso episcopo*. Sequimur B^{1} H h^{1} c^{10}.

[58]) Ita mss. H B F^{d} O et h^{1} c^{1} c^{10}. Alii *Theatinus*. Mox editi *Tifernatis* vel *Tiferninus*.

[59]) Alii *urbis Albensis ... Astallinae* (cf. not. 23).

Digitized by Google

Adeodatus episcopus ecclesiae Formiensis subscripsi. a. 499.

Ursus episcopus ecclesiae Stabianae subscripsi.

Saturninus episcopus ecclesiae Herdonitanae[60]) subscripsi.

9. Coelius[61]) Laurentius[62]) archipresbyter tituli Praxidae his subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Coelius Januarius presbyter tituli Vestinae his consensi et subscripsi synodalibus constitutis, atque in hac me manere profiteor sententia.

Martianus presbyter tituli s. Caeciliae subscripsi ut supra.

Gordianus presbyter tituli Pammachi subscripsi.

Petrus presbyter tituli s. Clementis subscripsi.

Urbicus presbyter tituli s. Clementis subscripsi.

Paulinus presbyter tituli Julii subscripsi ut supra.

Valens presbyter tituli s. Sabinae subscripsi.

Petrus presbyter tituli Chrysogoni subscripsi.

---

[60]) Ita B^1 F^d K^{12} H^6 h^1 c^1 c^9 c^{10}. Alii *Erdonitanus*, c^2 seq. *Terdonitanae*. Porro *Erdonia* seu *Herdonia* (utroque enim modo in nostris mss. scribitur) urbs Apuliae fuit, olim episcopali sede insignita. — Post hunc additur in H O h^1 c^1 seq. *Subscripserunt episcopi numero LXXIII* (E^2 *LXXIIII*).

[61]) E regione horum B^1 ad marg. *Subscriptio presbyterorum*, c^9 *Subscripserunt presbyteri numero LXVII* (idem h^1 h^2 in fine harum subscriptionum, c^{10} eodem loco sed *numero LXVIII* habet). In nullo eorum tamen est stricta recensio (cf. not. 24).

[62]) Is est Laurentius, quem Festus senator pluribus pecunia corruptis Romanae ecclesiae praeficiendum curaverat. Sed hanc dignitatem post Theodorici judicium quam sincero animo abdicarit, testis est haec ejus simplex subscriptio. Eum a Symmacho statim Nucerinae civitatis episcopum institutum fuisse, sonant haec libri pontificalis verba: *Eodem tempore* (quo Romanus episcopatus Symmacho a Theodorico adjudicatus est) *papa congregavit synodum et constituit Laurentium in Nucerina civitate episcopum intuitu misericordiae*. Huc spectant et ista Theodori lectoris pag. 560, quae Theophanes et Nicephorus Callisti exscribunt: *Theodoricus collecta synodo Symmacho quidem episcopatum urbis Romae confirmavit, Laurentium vero cujusdam urbis, quae Nuceria dicitur, episcopum constituit*. Sentit quidem Antonius Pagius, hoc Symmachum in altera synodo anno 500 habita praestitisse. Sed ejus sententia nulla vel auctoritate nititur vel etiam ratione. Longe enim magis rationi consentaneum est, Symmachum Laurentio, ut levius ferret Theodorici judicium, nulla mora interposita, forte etiam ex ipsius Theodorici consilio et consensu, Nucerinam sedem attribuisse (quam tum vacasse Nucerini episcopi in subscriptionibus silentium indicio est), maxime postquam Romanum pontificatum et episcoporum Italiae et cleri Romani nominatimque ipsius Laurentii subscriptionibus sibi assertum cerneret. Ea autem facilitas, qua episcopatus Laurentio concessus est, nullum ei suspicioni, quam Theodori lectoris verba injiciunt, relinquit locum. Aut certe si operam dedit Festus senator, ut Laurentius Zenonis henotico subscriberet, eique morem gessit Laurentius, tum istud latebat. Eum ante synodi Romanae anno 502 celebrationem depositum fuisse, ex *Aprilis Nucerini* episcopi subscriptione, quae in illa synodo legitur, perspicuum fiet.

Digitized by Google

a. 499. Soranus presbyter tituli Vestinae subscripsi.
Asterius presbyter tituli Pudentis subscripsi.
Justinus presbyter tituli Pudentis subscripsi.
Felix presbyter tituli[63]) Aequitii subscripsi.
Redemptus presbyter tituli Chrysogoni subscripsi.
Projecticius presbyter tituli Damasi subscripsi.
Jovinus[64]) presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Bonus presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Paschasius presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Johannes presbyter tituli Pammachi subscripsi.
Sebastianus presbyter tituli Nicomedis subscripsi.
Martinus presbyter tituli Cyriaci subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli Cyriaci subscripsi.
Andreas presbyter tituli s. Matthaei subscripsi.
Servusdei presbyter tituli s. Clementis subscripsi.
Opilio presbyter tituli Vestinae subscripsi.
Petrus presbyter tituli Chrysogoni subscripsi.
Romanus presbyter tituli Tigridae subscripsi.
Marcellinus presbyter tituli Julii subscripsi.
Dominicus[65]) presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Abundantius presbyter tituli Sabinae subscripsi.
Marcellus presbyter tituli Romani subscripsi.
Asellus presbyter tituli Vizantis[66]) subscripsi.
Agatho presbyter tituli Vizantis subscripsi.
Sebastianus presbyter tituli Aequitii subscripsi.
Valentinus presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Anastasius presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Genesius presbyter tituli Nicomedis subscripsi.
Dionysius presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli apostolorum subscripsi.
Acontius presbyter tituli Fasciolae subscripsi.
Paulinus presbyter tituli Fasciolae subscripsi.

---

[63]) c^2 c^3 *sancti Martini tit. Equitii*, c^7 *sancti Martini tituli Equitis* refragantibus mss.

[64]) K^{12} c^{10} *Johannes* et mox *Matthaei* loco *Crescentianae*, *Sepicianus* loco *Sebastianus*. In F^d *Sebastianus p. t. Pamachi*, *Martinus p. t. Nicomedis*, *Epiphanius p. t. Quiriaci*, *Andreas p. t. Quiriaci*, *Servusdei p. t. Mathei*, *Opilio p. t. sci Clementis*, *Petrus p. t. Vestine*, *Romanus p. t. Crisogoni*, *Marcellinus p. t. Trigede*, *Dominus p. t. Juli*, *Abundantius p. t. Criscentiani*, *Marcellus* etc.

[65]) K^{12} c^{10} *Dominus*, E^2 *Domnus;* moxque B^1 librarii oscitantia *Marcellus presbyter Romanus*, E^2 *Romanae.*

[66]) Ita B^1 h^1 h^2 c^9 H^1 (sec. cur.) et c^1 seq. loco. *Bizantis* E^2 F^4 H^5, *Vitantii* c^1, *Vizantii* c^{10}, *Vitantus* H^1 (prim. man.), *Vizandis* H^6, *s. Susannae* c^3. *Aselli* autem et *Agathonis* nec non aliquot aliorum presbyterorum subscriptiones in K^{12} desiderantur. — Deinde F^d *Dionysius p. t. Ebemane.*

Digitized by Google

Agapetus presbyter tituli apostolorum subscripsi. a 499.
Adeodatus presbyter tituli Aequitii subscripsi.
Benedictus presbyter tituli Gaji[67]) subscripsi.
Dominicus presbyter tituli Priscae subscripsi.
Redemptus presbyter tituli Tigridae subscripsi.
Severus presbyter tituli Gaji subscripsi.
Stephanus presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Crescentius presbyter tituli apostolorum subscripsi.
Julianus[68]) presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Septiminus[69]) presbyter tituli Julii subscripsi.
Cyprianus presbyter tituli Marci subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli Fasciolae subscripsi.
Bonifacius presbyter tituli Caeciliae subscripsi.
Petrus presbyter tituli Praxidae subscripsi.
Timotheus presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Hilarus presbyter tituli Lucinae subscripsi.
Victorinus presbyter tituli Sabinae subscripsi.
Laurentius presbyter tituli s. Laurentii subscripsi.
Eutyches presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Julianus presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Marcus presbyter tituli Lucinae subscripsi.
Vincemalus[70]) presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Abundius presbyter tituli Marci subscripsi.
Venantius presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Stephanus presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Paulinus presbyter tituli s. Laurentii subscripsi[71]).

10. Cyprianus diaconus sanctae ecclesiae Romanae regionis VII his subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Anastasius diaconus regionis primae subscripsi[72]).

---

[67]) Hic et in sequentibus usque ad *Eutychem tit. Aemilianae* β^2 errore librarii proximum titulum loco proprii adscripsit, ita ut *Benedictus tit. Priscae*, *Dominicus tit. Tigridae* etc. compareat. F^d autem *Dominicus p. t. Marcelli*, *Criscentius p. t. apostolorum*, omissis intermediis.

[68]) Est sane idem, cujus piis excitatus studiis Dionysius Exiguus collectionem suam decretorum Romanorum pontificum confecit, ad quem etiam exstat ejusdem epistola dedicatoria (Hard. I, 3).

[69]) Ita B^1 E^2 F^d H^8 h^1 c^9. c^1 *Septimus*, c^2 seq. *Septimius*. Moxque H^5 *Crispianus*. F^d *Helarus p. t. Laurenti, Eutices p. t. Emeliane.*

[70]) h^1 *Unicemalus* moxque *Aburidius*, ubi F^d H^8 K^{12} c^{10} *Abundantius*, alii cum B^1 E^2 *Abundius.*

[71]) B^1 ad marg. *Subscriptio diaconorum.* F^d K^{12} *Item diacones.* Seriem B^1 secuti sumus, cui K^{12} concordare videtur. Alii *Tarrensem* penultimo, *Tertullum* ultimo loco ponunt. Mox numerum *VII* omittit B^1, addunt E^2 H O h^1 cc. F^d *Anastasius etc.* omittit.

[72]) B^1 hic ita pergit: *Tarrensis diaconus regionis a. Citonatus diaconus regio-*

Digitized by Google

a. 499. Tarrensis diaconus regionis primae subscripsi.
Citonatus diaconus regionis quintae subscripsi.
Tertullus diaconus regionis quartae subscripsi.
Johannes diaconus regionis secundae subscripsi.

Epistola 2.

a. 499 d 21 Oct.

Symmachi papae ad Aeonium Arelatensem episcopum.

Ut ipse et episcopus Viennensis Romam certos homines mittant, qui de ipsorum controversiis instructi, sedi apostolicae alleganda suggerant. p. 86.

Dilectissimo fratri Aeonio Symmachus.

Movit equidem nos, quod dilectionis tuae relatio declaravit: namque contra regulas ecclesiastici constituti et adversus reverendum[1]) canonum tractatum per subreptionem Viennensis ecclesiae pontificem[2]) de apostolica, dudum praesidente decessore nostro, sede culpabiter aliqua meruisse; quum, si sit vera conquestio, effectum non possint impetrata frivole possidere, nec a nobis aliquid novi poterit ordinari, nisi quae a patribus praedecessoribusque nostris in hac causa statuta clarueriut. Tamen ne facile alterius partis absentia praejudicabiliter videremur aliqua decrevisse, id magis duximus ordinandum, ut fraternitas tua competenti tempore de ecclesiastico ordine instructum non moretur ex[3]) omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causae competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sanciatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere praecipimus, ut fratrem et coepiscopum nostrum Viennensis urbis antistitem misso nuntio et scriptura commoneat, ut constitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter insinuet, ut depromptis ab utraque suggestionibus, securius quae in perpetuum servanda sint disponantur; quia semper suspectus judicat, qui sub unius quod[4]) videtur eligit deploratione sancire. Dominus te in-

---

nis e. Tertullus diaconus regionis a. Johannes diaconus regionis B. Item libellus Johannis diaconi quem obtulit etc. Ex his ultimis factum putamus, ut c[5] *Item Johannes diaconus ... subscripsi* loco quinto posuerit. — H[6] *Citodatus.*

[1]) Ita L[1] L[3], b *reverentiam,* c[5] c[11] *reverendorum.* Mox L[1] L[3] *canonum tractum.*

[2]) L[2] L[4] *pontificis sede apostolica* (L[4] *sedi apostolicae*) *dudum praesidente decessore ñro se inculpabiliter aliqua ... conquisitio* (L[4] *conquestio*). L[1] et editos sequimur, nisi quod hi omisso *dudum* scripserunt *praedecessore* (c[11] *decessore*) moxque *nostris hac causa,* Non alium hic Symmachus decessorem notat, ut ex sequenti epistola apertum fiet, nisi Anastasium.

[3]) L[1] *ex omni,* L[3] L[4] *et omni,* c[5] seq. *de omni.* Petit Symmachus, ut aliquis in urbem destinetur clericus de tota causa probe instructus.

[4]) L[1] *quae videtur.*

Digitized by Google

columem custodiat, frater carissime! Data sub[5]) die XII Calendas Novembris, post consulatum Paulini viri clarissimi. a. 499.

Epistola 3.

Symmachi papae ad Aeonium Arelatensem episcopum.

a. 500 d. 28 Sept. ?

p. 86. *Rescissis iis, quae Anastasius papa in Viennensi controversia innovarat, antiqua sedis apostolicae decreta observari jubet.*

Dilectissimo fratri Aeonio Symmachus.

Dilectionis tuae litteras mandataque filio nostro Crescentino[1]) presbytero internuntio deferente suscepimus, quibus constat inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam aliquod de ordinandis episcopis in vicinis civitatibus oriri luctamen: illa re videlicet faciente, quod decessor noster sanctae recordationis Anastasius, tractans confusionem provinciae, aliqua contra veterem[2]) consuetudinem jusserit observari, decessorum suorum videlicet ordinationem, quod non oportebat sub qualibet necessitate, transgrediens. Nam dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta a sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod[3]) haec si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere: cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quae[4]) a Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod[5]) alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quae gesta sunt, faciat rata esse quae gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reve-

---

[5]) Ita L[1] a[3] c[11]. L[3] c[5] *sub die III*, L[2] *sub die VI*.

[1]) b *Crescentio ... innuntio.* Etiam L[1] L[3] *in nuntio*, sicut mox L[1] *in Arelatensem.*

[2]) L[1] L[2] *veterum*, moxque L[1] *quam non oportebat.* In ea ipsa Viennensis ecclesiae causa jam sibi obreptum Hilarus papa epist. 12 declaravit, moxque quod per subreptionem a se impetratum fuerat, irritum esse voluit: *ut nihil*, inquit, *adversum venerandos canones, nihil contra sanctae memoriae decessoris mei judicium valeat, quidquid nobis obreptum esse constiterit. Nolumus namque, fratres carissimi, ecclesiarum privilegia, quae semper sunt servanda, confundi.* Quod igitur tum fecit Hilarus, fecisset postea haud dubie Anastasius instructior factus, nisi morte praeventus fuisset. Hic autem commendatur quum postrema illa Hilari constitutio, tum quae praecesserat decessoris ejus Leonis.

[3]) c[5] c[7] seq. *quod ne sit*, nullo ms. suffragante. L[3] L[4] b *quod haec sit*, L[2] *quod haec si valeat.* L[1] et antiquiores *quod haec si eveniat.* Notat similiter Gregorius lib. III Ind. XI epist. 18, quod *et verecundum sit a decessoribus bene gesta resolvere, et verendum sit* (eo usu) *docere ceteros in sua quandoque resolutoriam proferre largitate sententiam.*

[4]) L[1] *quae ad harum sacerdotibus*, inepte.

[5]) L[2] *Quod aliis, Γ Quod ita.*

Digitized by Google

a. 500. rentia, si quae in[6]) sacerdotio praecipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur? Relegentes ergo veterum antistitum super hac causa ordinationes, quibus ecclesiasticum gravatur scrinium, dilectionem tuam enixissime commonemus, ut in ordinandis per singulas urbes sacerdotibus cana[7]) ac reverenda servetur antiquitas, nec novella constitutio vetustae sanctionis robur imminuat, quia non aliter inter vos poterit servari concordia, nisi novis cupiditatibus antiquitatis reverentia modus prudentiori adhibeatur consilio. Dominus te incolumem custodiat, frater[8]) carissime! Data III Calendas Octobris, iterum post consulatum Paulini *junioris* viri clarissimi. — Dominicum[9]) Pascha VIII Calendas Aprilis.

Epistola 4.

a. 501 d. 13 Oct.

Symmachi papae ad Avitum episcopum Viennensem.

Cur inauditam causam ipsius judicare noluerit, quodque leges sint aliquando solvendae. p. 86.

Dilectissimo fratri Avito Symmachus.

Non debuit caritatem tuam offendere[1]), quod ad fratrem et

---

[6]) b *in sacerdotibus praecipiat.* In aliis autem libris *in sacerdotio*: quod perinde est, atque: *dum sacerdotes in vivis agunt.*

[7]) L^1 recent. manu *canonum* (antiq. *causa*) moxque *vetustate sanctionis.*

[8]) L^2 L^3 L^4 b *fili et frater carissime.* Mox vocem *junioris* expungendam et ab aliquo sciolo intrusam monet Pagius ad ann. 499 n. 13, quum Paulinus anno 498 consul ordinarius dici non possit *junior*, cui nullus ejusdem nominis praecesserit. Immo *junioris* nomine alter Paulinus anni 530 consul in monumentis denotatur.

[9]) Verba subnexa, in quibus diei paschalis metropolitanis significandi habetur formula, Baronius et Labatus omiserunt. Sed ex L^1 L^2 c^5 a^3 revocantur, nisi quod L^1 *VIIII Cal. Aprilis*, a^3 nescio unde *VIIII Kalendas Majas.* Unde hoc anno Pascha in Occidentali ecclesia secundum veterem supputationem Romanam celebratum esse cognoscimus, quum secundum Alexandrinam (et canonem Victorianum) illo anno X Kal. Majas celebraretur. Quod idem confirmatur tabula illa Neapolitana indiculum paschalem ab a. 464 usque ad a. 614 praebente (ed. Roncalli Vet. lat. chron. I, 722—735), qua ad a. 501 notatur: *Pascha X Kal. Maji luna XVIII Romani VIII Kal. April. luna XXI.* Simul hoc tempore canonem Victorianum, qui hac in parte cum Alexandrinis consensit, Romae neglectum esse (etsi vix credendum putat Rossius Inscr. christ. I p. XCV et 253), hisce palam fit. Denique ad illam differentiam referendum puto, quod Symmachus vel apud Theodoricum regem accusatus narratur, *quod non cum universis Pascha celebrasset*, atque ad rationem de ejusmodi dissonantia reddendam ad curiam regiam evocatus innuitur; (conf. anonymus Blanchinianus ap. Muratori script. rer. Ital. t. III p. 2 col. 45). Nec forte temere judicaverimus, hac ipsa differentia tunc denuo vere hiante novis curis pontificum Romanorum et Dionysii Exigui justam ansam datam esse. De causis autem ejusmodi differentiae conferatur supra s. Hilari epist. 3 n. 4.

[1]) Quam non iniquo animo Avitus tulerit Symmachi judicium, et quanta erga eum reverentia affectus fuerit, testis est ipsius ad Faustum et Symmachum senatores epistola 31.

Digitized by Google

coepiscopum nostrum Aeonium nuper rescripsimus. Non enim juri a. 501.
tuo, dilectissime frater, praejudicatum fuit, quum nos inaudita parte et absque competenti instructione non posse judicare respondimus. Unde fraternitati tuae salvum est[2]) allegare, quod putaverit allegandum, et proponere quod viderit proponendum. Nam licet confusionem provinciae a praedecessore nostro sanctae memoriae Anastasio episcopo praeter Ecclesiae consuetudinem et antiqua praedecessorum nostrorum statuta factam esse dixerimus et non esse tolerandam, attamen si ea, quae fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum; quia quod fit praeter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus laedit. Nam quamvis a patribus statuta diligenti observatione et observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si praevidisset. Et saepe crudele esset insistere legi, quum observantia ejus esse praejudiciabilis Ecclesiae videtur; quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant. Quamobrem pergat dilectio tua, rationes quae praedecessorem nostrum ad tractandam praedictam confusionem impulerunt, ad nos dirigere, ut et sciamus quid fuerit statuendum, et in Domino laetemur beatae memoriae Anastasium nihil fecisse retractandum. Deus te incolumem servet, frater dilectissime! Data III Idus Octobres, Avieno et Pompejo consulibus.

Epistola 5

seu

Quarta[1]) synodus habita Romae Palmaris, a. 501 d. 23 Oct.

vel

Constitutum synodale de papae Symmachi absolutione.

p. 86. 1. Rufio[2]) Magno Fausto Avieno viro clarissimo consule sub die

[2]) HincAvitum, quum haec epistola scriberetur, nondum in causa sua auditum esse liquet.

[1]) Inscribit hanc synodum B^1 in textu: *Incipit constitutiones episcoporum Rufio Magno ... Novembris. Sancta synodus etc.*, et ad marg. *Quarta synodus habita Romae Palmaris.* H^5 *Incipit synodus in qua P. Symmachus accusatus est et innocens est repertus. Quarta synodus ... Palmaris. Sancta synodus etc.* F^2 autem *Constitutum synodale de papae Symmachi absolutione. Rufino Magno ... Novembris sancta synodus.* 2 mss. H collegii Paris. soc. Jes. (teste Hard.) H^{10} H^{12} et h^1: *Rufio Magno ... Novembrium quarta synodus habita Romae Palmaris. Sancta synodus.* c^7 c^9 *Synodus Romana III* et assentiunt Pagio eam ad annum 503 postulanti. F^4 denique post illa *acta IV*, quae infra pro appendice hujus epistolae edemus, quaeque illic n. *XLIV—XLVII* synodum *Avien. jun. v. c. cons.* (Symm. epist. 6) et annexum *Zosimi commonitorium prbris et diac qui Ravennae sunt* excipiunt, hac inscriptione addit: *XLVIII Incipit Constitutio episcoporum. Refio Magno etc.*

[2]) B^1 1 H^3 2 H^4 H^{10} *Rufio* vel *Ruffio*, F^4 *Refio*, F^2 *Rufino*, 1 H^5 *Ritio*, ac subinde cum 1 H^4 H^{14} F^4 *sub die Kal.*

Digitized by Google

a. 501. X Kalendas Novembris sancta synodus apud urbem Romam ex praecepto gloriosissimi regis Theodorici ex diversis regionibus[3]) congregata in Christi nomine dixit:

Quum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepisset auctoritas, ut de his, quae venerabili papae Symmacho apostolicae sedis praesuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum concilium judicaret[3]): Liguriae, Aemiliae vel Venetiarum episcopi, quos ad praesentiam principis ipse[5]) itineris ductus attraxit, consuluimus regem (incubuit necessitas consulendi), qua nos voluisset aetate fractos, debilitate corporis invalidos, causa congregari. Respondit praefatus rex piissimus bonae conversationis affectu: plura ad se de papae Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodi[6]) oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione constare.

2. Memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare: scientes, quia ejus sedi[7]) primum Petri apostoli meritum vel principatus, deinde[8]) secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas[9]) singularem in ecclesiis tradidit potestatem,

---

[3]) B[1] *provinciis*, moxque B[1] E[2] *convenirent*, deinde h[1] *quae de venerabili ... praesule.*

[4]) c[7] addit *legitime;* moxque quidam *episcopis*, F[d] *epos ad praesentia principis constitutio eporum spe itineris ductus adtraxit.*

[5]) Ita cum F[2] H[8] b c[2] seqq. At a[3] cum 1 H[3] *pii*, alii (etiam B[1] E[2]) *spei*, H[10] *spes* (ut putat a[3] ex *pii* corruptum, perperam repetita proximi verbi postrema littera *s* et *i* in *e* mutata). Unde B[1] E[2] h[1] *spei ... ductos*, c[1] *spe ... inductos.* Deinde editi *consulendi regem incubuit necessitas, qua* (h[1] *quae*) *hos solvisset ... invalidos* (H[10] h[1] add. *causa*) *congregari.* F[2] H[8] *consuluimus regem qua nos ... causa congregari*, B[1] E[2] F[d] *consulimus* (ita plerique mss.) *regem incubuit necessitas consulendi, quae hos* (F[d] *quatenus*) *... causa.*

[6]) F[2] b c[4] seqq. *synodo.* Melius al. mss. c[1] c[2] c[3] *synodi* scil. *judicatione.* h[1] autem *in synodo oportere tractari, si vera esse ... constaret.*

[7]) b *sedes*, plures mss. et h[1] *sedis*, retinendum cum aliis *sedi;* F[d] prorsus omittit.

[8]) b ad marg. *proinde secura*, in textu autem *secuta jussione ... conciliorum convocandorum*, ubi alii cum mss. *jussione ... conc. venerandorum.* Nos cum B[1] E[2] F[d] c[9] c[10] *jussionem* scripsimus, quod et a[3] maluit. Huc spectat illud Gelasii tractatus II n. 8: *Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non deferatur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: Tu es Petrus* etc.; nec non istud ejusdem papae epist. 26 n. 3: *Quae* (prima sedes) *et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce praeceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.*

[9]) Al. add. *ei*, quod omisimus cum B[1] E[2] F[d] H[10] h[1]. Paulo post h[1] *antedictum ... judicium ... testaretur* et ad marg. *singulorum, antedictae, judicio.* Porro mss.

Digitized by Google

nec antedictae sedis antistitem minimorum subjacuisse judicio, in a. 501.
propositione simili facile forma aliqua testatur. Sed potissimus [10]) princeps ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. A [11]) mansuetudine ejus paginae postulatae sunt, quas ab eo directas constabat. Has dari sacerdotibus sine tarditate constituit, vel quidquid in eodem negotio actum [12]), scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus Dei prosecutione perventum est.

3. Et dum [13]) venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio, prout poscebat causa, tractatus, sanctus papa Symmachus basilicam Julii, in qua pontificum erat congregatio, prout habuit cura coelestis [14]), ingressus est, et de evocatione synodali clementissimo regi gratias retulit, et rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis, quae de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscisa est: auctoritatem ordini [15]) colligendo, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, episcoporum praesentia se dare professus est, sperans, ut visitator, qui contra religionem contra statuta veterum vel contra regulas majorum a parte cleri vel ab aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum, sicut decebat sanctum propositum, prima fronte recederet [16]), et omnia quae per suggestiones inimicorum

---

O o^1 *inimicorum*, mss. B^1 E^2 F^2 H O^{12} h^1 *minimorum*, in H^2 huic superscriptum *vel minorum*, quod deinde c^2 seqq. praetulerunt. Eidem suffragatur illud adversariorum Symmachi apud Ennodium: *Si vera est episcoporum assertio, sedis apostolicae praesulem nunquam minorum subjacuisse sententiae, cur ad judicium distracta conventione productus est?* Hoc sedis suae jus, quod illi impugnant, Gelasius epist. 10 n. 5 tuetur his verbis: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium.* Quocirca haec ipsa synodus, Aviti Viennensis epist. 31 Gallicanorum episcoporum nomine scribentis judicio, Symmachi *causam pene temere susceperat inquirendam.*

[10]) F^d h^1 c^2 (ad marg.) *potentissimus*, quod deinde alii arripuerunt. Mallemus *protinus*, sicut mox habetur *sine tarditate.*

[11]) Ita nostri mss. et h^1. Alii *Unde a mans.*, moxque *hasque dari ... et quidquid.*

[12]) Ita mss. b c^1 h^1. Alii cum F^d addunt *est*, moxque b c^4 seqq. *praeventum.*

[13]) b c^4 seqq. *in venerabili collectione sermo de incipiendo haberetur concilio prout poscebat* (seq. etiam F^2) *causae tractatus:* castigantur ex mss. ac priscis edit. In E^2 deest *Et dum — tractatus.* F^d *venerabilis collectio ... in causa tractatus.*

[14]) h^1 *celeriter*, moxque E^2 F^d b *de vocatione.* Mox F^d *ministravit.*

[15]) Sic h^1 c^1 cum mss. (etiam B^1 E^2 H^2). F^d *de ordine collegendo*, c^2 seqq. *ordinis corrigendi*, b *ordinis colligendi.* Ad idem Symmachi factum respiciens Ennodius apologet. ait: *Judicia iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est; et quod posset fideli* (seu *fidelia*) *corda justi doloris aculeis excitare, venerando concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit.* — Mox cum F^d *ab aliquibus laicis*, ubi al. *aliquibus.*

[16]) Ita F^2 H^2. Editi cum B^1 E^2 *cederet*, F^d *crederet.* Moxque c^7 seq. *legaliter*

Digitized by Google

a. 501. suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio redderentur, et tanti loci praesul legaliter prius statui pristino redderetur, et tunc veniret ad causam et, si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet.

4. Digna[17]) res visa est maximo sacerdotum numero, quae et mereretur effectum; decernere tamen aliquid synodus sine[18]) regia notitia non praesumpsit. Sed suggestio justa per legatorum negligentiam non meruit secundum vota responsum. Jussus est regis[19]) praeceptionibus papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum, quas amiserat, receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere. Qui potestatis suae privilegia, quae[20]) pro conscientiae, quantum juste aestimamus, emendatione[21]) submiserat, nec hac voluit vice resumere.

5. Sed dum esset synodus in Hierusalem basilica Sessoriani palatii constituta, aliquibus sacerdotibus visum est, ut libellus, quem accusatores paraverant, qui quotidie seditionibus appellabant, susciperetur a synodo. In quo suscepto duo erant, quae vel veritati inimica essent, vel ipsi, quantum ostenditur, conventus[22]) ecclesia-

ab h. c. redintegrarentur ... regulariter prius ... et tunc non ante veniret, contra mss. — Inter ea, quae ablata fuerant, nominatim aream vel domum Lateranensem censendam esse, colligitur ex verbis Theodorici in subnexa appendice n. 16. Vide et Liberii dialogum cum Constantio n. 3. Si Isidorum Mercatorem audiamus in duplici synodo, quam confinxit, de eadem re disserentem, id quod nunc postulat Symmachus, in antiquis Ecclesiae statutis decretum est. Idque re ipsa in ejus compilatione constituere leguntur Zephyrinus epist. 28, Fabianus epist. 36, Stephanus I ep. 41, Cajus papa epist. 52, Marcellus epist. 56, Eusebius epist. 58, Julius epist. 69, Athanasius et Alexandrina synodus ad Felicem, et Felix ad eosdem epist. 72 et 73, item Stephanus et alii episcopi Africanae ecclesiae ad Damasum et Damasus ad eosdem epist. 80 et 81. Sed antiqua illa decreta quum non tantum Symmacho sed et nostrae synodo incomperta essent, haec audita illius petitione respondere satis habuit: *digna res visa est maximo sacerdotum numero*, nec addidit: *et antiquis Ecclesiae statutis consentanea*. Et vero si tot decretis firmata fuisset, a Theodorico, qui legum servandarum sese studiosum profitebatur, Symmachus repulsam minime passus esset.

[17]) Ita B^1 E^2 F^d h^1 b cc, nisi quod h^1 *atque ut mereretur effectum optabant* c^7 seq. *quae mereretur*, B^1 E^2 c^1 *atque mereretur*, F^d *atque meretur effectum ducere. tamen.* F^2 H^3 *respondere dignaretur. Visa est maximo sacerdotum numero, ut allegatio mereretur effectum decernere. Tamen* etc.

[18]) H h^1 *sine rege*, B^1 E^2 F^2 b cc *sine regia notitia.* Mox B^1 *subjectio justa.* b cc ad marg. *ista.*

[19]) O *regiis.* Tres habemus Theodorici regis ad synodum praeceptiones, sed hae quidem desiderantur.

[20]) Ita F^2 F^d H^8. Alii *et quae.* Mox F^d *juxta ē*, F^2 *amiserat.*

[21]) Sic mss. et h^1 b. At editi alii *emundatione.* Innuit hic synodus, Symmachum si jure suo uti voluisset, cogi non potuisse, ut ipsius judicio se submitteret. — Mox B^1 F^d *Sessuriani*, h^1 *Sessoria.*

[22]) c^1 seqq. *ecclesiastico proposito* omissa voce *conventus.* O H^{10} b c^2 *conventus vel* (O omitt. *vel*) *ecclesiastico proposito.* F^d H h^1 *conventus ecclesiastico* (h^1 ad

Digitized by Google

stico proposito repugnarent. Unum, quia dicebant crimina memorati a. 501.
superius Symmachi papae apud regiam constitisse notitiam. Quod falsum esse declaravit[23]); non enim quasi novam causam audientiae commisisset, si ejus conscientiam convictam de errore solam sciret exspectare sententiam. Aliud, quod per servos de[24]) his, quae objiciebant, se eum loquebantur posse convincere, addentes, ut ipse mancipia traderet, quibus, quantum illi asserebant, posset judicatione superari. Quae res canonibus et ipsis publicis erat legibus inimica, quum patrum statuta sanxissent, ut quos ad accusationem leges saeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione vel adsequendi[25]) aliquid neganda esset licentia.

---

marg. *ecclesiastici*) *proposito* (h¹ *repugnare*). F² H⁸ *conventui ecclesiastico proposita.* Quam a³ ex K¹² praefert lectionem, enucleari non potuimus, sed secuti sumus B¹ E² F⁴ H.

[23]) F² H⁸ *praeclaravit;* b seq. ad marg. *perclaruit,* moxque *conscientia convictum,* ubi c¹ *conscientia convicta de errore solam se sciret;* editi alii cum B¹ E² F⁴ *conscientiam convictam* (B¹ E² *convinctum,* F⁴ *se sciret*). Verbum *sciret* autem ad Theodoricum, non ad Symmachum refertur. Huc attinet, quod Avitus Vien. epist. 31 scribit, perstrinxisse synodum, *prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo Theodorico regi de his, quae papae dicebantur objecta, patuisse.*

[24]) B¹ *dei qui objiciebant,* F² H⁸ *de his qui objiciebant secum loquebantur,* et deinde h¹ *loquebatur.* — De his quidem in conc. Carth. VII c. 2 et 4 (qui apud Dionysium Exiguum inter Africanos 96 et 98, et in vulgato codice can. eccl. Afr. 129 et 131 recensentur) sancitum est: *Ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicae non admittunt. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti praecepti sunt.* Horum canonum verba Ennodius in apologetico sic paulo aliter profert: *Clamat alio loco Carthaginense concilium: Quascumque ad accusationem personas leges publicae non admittunt, his impugnandi alterum et nos licentiam submovemus; et nullae accusationes a judicibus audiantur ecclesiastici, quae legibus saeculi prohibentur.* Neque ab re fuerit huc revocare, quae Ennodius his proxime praemittit. Nam quum multa in eamdem rem scripturarum testimonia protulisset, subdit: *Redeo tamen post vetusta exemplorum suffragia ad novellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginense concilium.* Hinc quippe mendacii manifesti convincitur, quod Isidorus Mercator Stephanum I epist. 41 n. 5 fingit scripsisse: *Accusatores vero et accusationes, quas saeculi leges non recipiunt, et antecessores nostri prohibuerunt et nos submovemus.* Si enim antecessores Stephani I (hoc est Telesphorus epist. 16 n. 5) id jam prohibuerant, hae Ennodii aevo novellae non erant definitiones. Alterum moneo, Faustinum apostolicae sedis legatum mox dicto concilio Carthaginensi VII interfuisse, adeoque Ennodium non aliud ab hoc concilio laudare his verbis: *Scriptum est in Carthaginensi concilio, quod apostolicae sedis per Faustinum episcopum, qui huic ab ea missus interfuit, approbavit auctoritas, accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum.* Habet codex Justinianus lib. 4 tit. 20 leg. 3 istud Valeriani et Gallieni imp.: *Etiam jure civili domestici testimonii fides improbatur;* nec non leg. 8 istud Diocletiani: *servum pro domino quemadmodum adversus eum interrogari non posse*; item ibidem leg. 11 Honorius et Theodosius Augusti pro certo ponunt: *Quoniam liberi testes ad causas postulantur alienas.*

[25]) h¹ b c² seqq. *accusandi,* rejecto ad marginem *adsequendi,* quod omnes mss.

Digitized by Google

a. 499. Soranus presbyter tituli Vestinae subscripsi.
Asterius presbyter tituli Pudentis subscripsi.
Justinus presbyter tituli Pudentis subscripsi.
Felix presbyter tituli[63]) Aequitii subscripsi.
Redemptus presbyter tituli Chrysogoni subscripsi.
Projecticius presbyter tituli Damasi subscripsi.
Jovinus[64]) presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Bonus presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Paschasius presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Johannes presbyter tituli Pammachi subscripsi.
Sebastianus presbyter tituli Nicomedis subscripsi.
Martinus presbyter tituli Cyriaci subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli Cyriaci subscripsi.
Andreas presbyter tituli s. Matthaei subscripsi.
Servusdei presbyter tituli s. Clementis subscripsi.
Opilio presbyter tituli Vestinae subscripsi.
Petrus presbyter tituli Chrysogoni subscripsi.
Romanus presbyter tituli Tigridae subscripsi.
Marcellinus presbyter tituli Julii subscripsi.
Dominicus[65]) presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Abundantius presbyter tituli Sabinae subscripsi.
Marcellus presbyter tituli Romani subscripsi.
Asellus presbyter tituli Vizantis[66]) subscripsi.
Agatho presbyter tituli Vizantis subscripsi.
Sebastianus presbyter tituli Aequitii subscripsi.
Valentinus presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Anastasius presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Genesius presbyter tituli Nicomedis subscripsi.
Dionysius presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli apostolorum subscripsi.
Acontius presbyter tituli Fasciolae subscripsi.
Paulinus presbyter tituli Fasciolae subscripsi.

---

[63]) c^2 c^3 *sancti Martini tit. Equitii*, c^7 *sancti Martini tituli Equitis* refragantibus mss.

[64]) K^{12} c^{10} *Johannes* et mox *Matthaei* loco *Crescentianae*, *Sepicianus* loco *Sebastianus*. In F^d *Sebastianus p. t. Pamachi*, *Martinus p. t. Nicomedis*, *Epiphanius p. t. Quiriaci*, *Andreas p. t. Quiriaci*, *Servusdei p. t. Mathei*, *Opilio p. t. sci Clementis*, *Petrus p. t. Vestine*, *Romanus p. t. Crisogoni*, *Marcellinus p. t. Trigede*, *Dominus p. t. Juli*, *Abundantius p. t. Criscentiani*, *Marcellus* etc.

[65]) K^{12} c^{10} *Dominus*, E^2 *Domnus;* moxque B^1 librarii oscitantia *Marcellus presbyter Romanus*, E^2 *Romanae*.

[66]) Ita B^1 h^1 h^2 c^9 H^1 (sec. cur.) et c^1 seq. loco. *Bizantis* E^2 F^d H^5, *Vitantii* c^1, *Vizantii* c^{10}, *Vitantus* H^1 (prim. man.), *Vizandis* H^6, *s. Susannae* c^3. *Aselli* autem et *Agathonis* nec non aliquot aliorum presbyterorum subscriptiones in K^{12} desiderantur. — Deinde F^d *Dionysius p. t. Ebemane*.

Digitized by Google

Agapetus presbyter tituli apostolorum subscripsi. a. 499.
Adeodatus presbyter tituli Aequitii subscripsi.
Benedictus presbyter tituli Gaji[67]) subscripsi.
Dominicus presbyter tituli Priscae subscripsi.
Redemptus presbyter tituli Tigridae subscripsi.
Severus presbyter tituli Gaji subscripsi.
Stephanus presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Crescentius presbyter tituli apostolorum subscripsi.
Julianus[68]) presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Septiminus[69]) presbyter tituli Julii subscripsi.
Cyprianus presbyter tituli Marci subscripsi.
Epiphanius presbyter tituli Fasciolae subscripsi.
Bonifacius presbyter tituli Caeciliae subscripsi.
Petrus presbyter tituli Praxidae subscripsi.
Timotheus presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Hilarus presbyter tituli Lucinae subscripsi.
Victorinus presbyter tituli Sabinae subscripsi.
Laurentius presbyter tituli s. Laurentii subscripsi.
Eutyches presbyter tituli Aemilianae subscripsi.
Julianus presbyter tituli Anastasiae subscripsi.
Marcus presbyter tituli Lucinae subscripsi.
Vincemalus[70]) presbyter tituli Crescentianae subscripsi.
Abundius presbyter tituli Marci subscripsi.
Venantius presbyter tituli Marcelli subscripsi.
Stephanus presbyter tituli Eusebii subscripsi.
Paulinus presbyter tituli s. Laurentii subscripsi[71]).

10. Cyprianus diaconus sanctae ecclesiae Romanae regionis VII his subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Anastasius diaconus regionis primae subscripsi[72]).

---

[67]) Hic et in sequentibus usque ad *Eutychem tit. Aemilianae* β^2 errore librarii proximum titulum loco proprii adscripsit, ita ut *Benedictus tit. Priscae, Dominicus tit. Tigridae* etc. compareat. F^d autem *Dominicus p. t. Marcelli, Criscentius p. t. apostolorum,* omissis intermediis.

[68]) Est sane idem, cujus piis excitatus studiis Dionysius Exiguus collectionem suam decretorum Romanorum pontificum confecit, ad quem etiam exstat ejusdem epistola dedicatoria (Hard. I, 3).

[69]) Ita B^1 E^2 F^d H^6 h^1 c^9. c^1 *Septimus*, c^2 seq. *Septimius*. Moxque H^5 *Crispianus*. F^d *Helarus p. t. Laurenti, Eutices p. t. Emeliane.*

[70]) h^1 *Unicemalus* moxque *Aburidius*, ubi F^d H^6 K^{12} c^{10} *Abundantius*, alii cum B^1 E^2 *Abundius.*

[71]) B^1 ad marg. *Subscriptio diaconorum.* F^d K^{12} *Item diacones.* Seriem B^1 secuti sumus, cui K^{12} concordare videtur. Alii *Tarrensem* penultimo, *Tertullum* ultimo loco ponunt. Mox numerum *VII* omittit B^1, addunt E^2 H O h^1 cc. F^d *Anastasius etc.* omittit.

[72]) B^1 hic ita pergit: *Tarrensis diaconus regionis a. Citonatus diaconus regio-*

Digitized by Google

a. 499. Tarrensis diaconus regionis primae subscripsi.
Citonatus diaconus regionis quintae subscripsi.
Tertullus diaconus regionis quartae subscripsi.
Johannes diaconus regionis secundae subscripsi.

Epistola 2.

a. 499 d 21 Oct. **Symmachi papae ad Aeonium Arelatensem episcopum.**

Ut ipse et episcopus Viennensis Romam certos homines mittant, qui de ipsorum controversiis instructi, sedi apostolicae alleganda suggerant. p. 86.

Dilectissimo fratri Aeonio Symmachus.

Movit equidem nos, quod dilectionis tuae relatio declaravit: namque contra regulas ecclesiastici constituti et adversus reverendum[1]) canonum tractatum per subreptionem Viennensis ecclesiae pontificem[2]) de apostolica, dudum praesidente decessore nostro, sede culpabiter aliqua meruisse; quum, si sit vera conquestio, effectum non possint impetrata frivole possidere, nec a nobis aliquid novi poterit ordinari, nisi quae a patribus praedecessoribusque nostris in hac causa statuta claruerint. Tamen ne facile alterius partis absentia praejudicabiliter videremur aliqua decrevisse, id magis duximus ordinandum, ut fraternitas tua competenti tempore de ecclesiastico ordine instructum non moretur ex[3]) omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causae competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sanciatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere praecipimus, ut fratrem et coepiscopum nostrum Viennensis urbis antistitem misso nuntio et scriptura commoneat, ut constitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter insinuet, ut depromptis ab utraque suggestionibus, securius quae in perpetuum servanda sint disponantur; quia semper suspectus judicat, qui sub unius quod[4]) videtur eligit deploratione sancire. Dominus te in-

---

nis e. Tertullus diaconus regionis a. Johannes diaconus regionis B. Item libellus Johannis diaconi quem obtulit etc. Ex his ultimis factum putamus, ut c[9] *Item Johannes diaconus ... subscripsi* loco quinto posuerit. — H[6] *Citodatus.*

[1]) Ita L[1] L[3], b *reverentiam,* c[5] c[11] *reverendorum.* Mox L[1] L[3] *canonum tractum.*

[2]) L[2] L[4] *pontificis sede apostolica* (L[4] *sedi apostolicae*) *dudum praesidente decessore ñro se inculpabiliter aliqua ... conquisitio* (L[4] *conquestio*). L[1] et editos sequimur, nisi quod hi omisso *dudum* scripserunt *praedecessore* (c[11] *decessore*) moxque *nostris hac causa,* Non alium hic Symmachus decessorem notat, ut ex sequenti epistola apertum fiet, nisi Anastasium.

[3]) L[1] *ex omni,* L[3] L[4] *et omni,* c[5] seq. *de omni.* Petit Symmachus, ut aliquis in urbem destinetur clericus de tota causa probe instructus.

[4]) L[1] *quae videtur.*

Digitized by Google

columem custodiat, frater carissime! Data sub[5]) die XII Calendas Novembris, post consulatum Paulini viri clarissimi. a. 499.

Epistola 3.

Symmachi papae ad Aeonium Arelatensem episcopum.

a. 500 d. 28 Sept.

p. 86. *Rescissis iis, quae Anastasius papa in Viennensi controversia innovarat, antiqua sedis apostolicae decreta observari jubet.*

Dilectissimo fratri Aeonio Symmachus.

Dilectionis tuae litteras mandataque filio nostro Crescentino[1]) presbytero internuntio deferente suscepimus, quibus constat inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam aliquod de ordinandis episcopis in vicinis civitatibus oriri luctamen: illa re videlicet faciente, quod decessor noster sanctae recordationis Anastasius, tractans confusionem provinciae, aliqua contra veterem[2]) consuetudinem jusserit observari, decessorum suorum videlicet ordinationem, quod non oportebat sub qualibet necessitate, transgrediens. Nam dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta a sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod[3]) haec si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere: cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quae[4]) a Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod[5]) alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quae gesta sunt, faciat rata esse quae gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reve-

---

[5]) Ita L^1 a^3 c^{11}. L^3 c^5 *sub die III*, L^2 *sub die VI*.

[1]) b *Crescentio ... innuntio*. Etiam L^1 L^3 *in nuntio*, sicut mox L^1 *in Arelatensem*.

[2]) L^1 L^2 *veterum*, moxque L^1 *quam non oportebat*. In ea ipsa Viennensis ecclesiae causa jam sibi obreptum Hilarus papa epist. 12 declaravit, moxque quod per subreptionem a se impetratum fuerat, irritum esse voluit: *ut nihil*, inquit, *adversum venerandos canones, nihil contra sanctae memoriae decessoris mei judicium valeat, quidquid nobis obreptum esse constiterit. Nolumus namque, fratres carissimi, ecclesiarum privilegia, quae semper sunt servanda, confundi.* Quod igitur tum fecit Hilarus, fecisset postea haud dubie Anastasius instructior factus, nisi morte praeventus fuisset. Hic autem commendatur quum postrema illa Hilari constitutio, tum quae praecesserat decessoris ejus Leonis.

[3]) c^5 c^7 seq. *quod ne sit*, nullo ms. suffragante. L^3 L^4 b *quod haec sit*, L^2 *quod haec si valeat*. L^1 et antiquiores *quod haec si eveniat*. Notat similiter Gregorius lib. III Ind. XI epist. 18, quod *et verecundum sit a decessoribus bene gesta resolvere, et verendum sit* (eo usu) *docere ceteros in sua quandoque resolutoriam proferre largitate sententiam.*

[4]) L^1 *quae ad harum sacerdotibus*, inepte.

[5]) L^2 *Quod aliis*, Γ *Quod ita*.

Digitized by Google

a. 500. rentia, si quae in[6]) sacerdotio praecipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur? Relegentes ergo veterum antistitum super hac causa ordinationes, quibus ecclesiasticum gravatur scrinium, dilectionem tuam enixissime commonemus, ut in ordinandis per singulas urbes sacerdotibus cana[7]) ac reverenda servetur antiquitas, nec novella constitutio vetustae sanctionis robur imminuat, quia non aliter inter vos poterit servari concordia, nisi novis cupiditatibus antiquitatis reverentia modus prudentiori adhibeatur consilio. Dominus te incolumem custodiat, frater[8]) carissime! Data III Calendas Octobris, iterum post consulatum Paulini *junioris* viri clarissimi. — Dominicum[9]) Pascha VIII Calendas Aprilis.

Epistola 4.

a. 501 d. 13 Oct.

Symmachi papae ad Avitum episcopum Viennensem.

Cur inauditam causam ipsius judicare noluerit, quodque leges sint aliquando solvendae. p. 86.

Dilectissimo fratri Avito Symmachus.

Non debuit caritatem tuam offendere[1]), quod ad fratrem et

---

[6]) b *in sacerdotibus praecipiat.* In aliis autem libris *in sacerdotio*: quod perinde est, atque: *dum sacerdotes in vivis agunt.*

[7]) L^1 recent. manu *canonum* (antiq. *causa*) moxque *vetustate sanctionis.*

[8]) L^2 L^3 L^4 b *fili et frater carissime.* Mox vocem *junioris* expungendam et ab aliquo sciolo intrusam monet Pagius ad ann. 499 n. 13, quum Paulinus anno 498 consul ordinarius dici non possit *junior*, cui nullus ejusdem nominis praecesserit. Immo *junioris* nomine alter Paulinus anni 530 consul in monumentis denotatur.

[9]) Verba subnexa, in quibus diei paschalis metropolitanis significandi habetur formula, Baronius et Labatus omiserunt. Sed ex L^1 L^2 c^5 a^3 revocantur, nisi quod L^1 *VIIII Cal. Aprilis*, a^2 nescio unde *VIIII Kalendas Majas.* Unde hoc anno Pascha in Occidentali ecclesia secundum veterem supputationem Romanam celebratum esse cognoscimus, quum secundum Alexandrinam (et canonem Victorianum) illo anno X Kal. Majas celebraretur. Quod idem confirmatur tabula illa Neapolitana indiculum paschalem ab a. 464 usque ad a. 614 praebente (ed. Roncalli Vet. lat. chron. I, 722—735), qua ad a. 501 notatur: *Pascha X Kal. Maji luna XVIII Romani VIII Kal. April. luna XXI.* Simul hoc tempore canonem Victorianum, qui hac in parte cum Alexandrinis consensit, Romae neglectum esse (etsi vix credendum putat Rossius Inscr. christ. I p. XCV et 253), hisce palam fit. Denique ad illam differentiam referendum puto, quod Symmachus vel apud Theodoricum regem accusatus narratur, *quod non cum universis Pascha celebrasset*, atque ad rationem de ejusmodi dissonantia reddendam ad curiam regiam evocatus innuitur; (conf. anonymus Blanchinianus ap. Muratori script. rer. Ital. t. III p. 2 col. 45). Nec forte temere judicaverimus, hac ipsa differentia tunc denuo vere hiante novis curis pontificum Romanorum et Dionysii Exigui justam ansam datam esse. De causis autem ejusmodi differentiae conferatur supra s. Hilari epist. 3 n. 4.

[1]) Quam non iniquo animo Avitus tulerit Symmachi judicium, et quanta erga eum reverentia affectus fuerit, testis est ipsius ad Faustum et Symmachum senatores epistola 31.

Digitized by Google

coepiscopum nostrum Aeonium nuper rescripsimus. Non enim juri a. 501.
tuo, dilectissime frater, praejudicatum fuit, quum nos inaudita parte et absque competenti instructione non posse judicare respondimus. Unde fraternitati tuae salvum est[2]) allegare, quod putaverit allegandum, et proponere quod viderit proponendum. Nam licet confusionem provinciae a praedecessore nostro sanctae memoriae Anastasio episcopo praeter Ecclesiae consuetudinem et antiqua praedecessorum nostrorum statuta factam esse dixerimus et non esse tolerandam, attamen si ea, quae fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum; quia quod fit praeter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus laedit. Nam quamvis a patribus statuta diligenti observatione et observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si praevidisset. Et saepe crudele esset insistere legi, quum observantia ejus esse praejudiciabilis Ecclesiae videtur; quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant. Quamobrem pergat dilectio tua, rationes quae praedecessorem nostrum ad tractandam praedictam confusionem impulerunt, ad nos dirigere, ut et sciamus quid fuerit statuendum, et in Domino laetemur beatae memoriae Anastasium nihil fecisse retractandum. Deus te incolumem servet, frater dilectissime! Data III Idus Octobres, Avieno et Pompejo consulibus.

Epistola 5

seu

Quarta[1]) synodus habita Romae Palmaris, a. 501 d. 23 Oct.

vel

Constitutum synodale de papae Symmachi absolutione.

p. 86. 1. Rufio[2]) Magno Fausto Avieno viro clarissimo consule sub die

[2]) HincAvitum, quum haec epistola scriberetur, nondum in causa sua auditum esse liquet.

[1]) Inscribit hanc synodum B^1 in textu: *Incipit constitutiones episcoporum Rufio Magno ... Novembris. Sancta synodus etc.*, et ad marg. *Quarta synodus habita Romae Palmaris.* H^5 *Incipit synodus in qua P. Symmachus accusatus est et innocens est repertus. Quarta synodus ... Palmaris. Sancta synodus etc.* F^2 autem *Constitutum synodale de papae Symmachi absolutione. Rufino Magno ... Novembris sancta synodus.* 2 mss. H collegii Paris. soc. Jes. (teste Hard.) H^{10} H^{12} et h^1: *Rufio Magno ... Novembrium quarta synodus habita Romae Palmaris. Sancta synodus.* c^7 c^8 *Synodus Romana III* et assentiunt Pagio eam ad annum 503 postulanti. F^4 denique post illa *acta IV*, quae infra pro appendice hujus epistolae edemus, quaeque illic n. *XLIV—XLVII* synodum *Avien. jun. v. c. cons.* (Symm. epist. 6) et annexum *Zosimi commonitorium prbris et diac qui Ravennae sunt* excipiunt, hac inscriptione addit: *XLVIII Incipit Constitutio episcoporum. Refio Magno etc.*

[2]) B^1 1 H^3 2 H^4 H^{10} *Rufio* vel *Ruffio*, F^4 *Refio*, F^2 *Rufino*, 1 H^5 *Ritio*, ac subinde cum 1 H^4 H^{14} F^4 *sub die Kal.*

Digitized by Google

a. 501. X Kalendas Novembris sancta synodus apud urbem Romam ex praecepto gloriosissimi regis Theodorici ex diversis regionibus[2]) congregata in Christi nomine dixit:

Quum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepisset auctoritas, ut de his, quae venerabili papae Symmacho apostolicae sedis praesuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum concilium judicaret[3]): Liguriae, Aemiliae vel Venetiarum episcopi, quos ad praesentiam principis ipse[5]) itineris ductus attraxit, consuluimus regem (incubuit necessitas consulendi), qua nos voluisset aetate fractos, debilitate corporis invalidos, causa congregari. Respondit praefatus rex piissimus bonae conversationis affectu: plura ad se de papae Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodi[6]) oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione constare.

2. Memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare: scientes, quia ejus sedi[7]) primum Petri apostoli meritum vel principatus, deinde[8]) secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas[9]) singularem in ecclesiis tradidit potestatem,

---

[2]) B[1] *provinciis*, moxque B[1] E[2] *convenirent*, deinde h[1] *quae de venerabili ... praesule.*

[4]) c[7] addit *legitime;* moxque quidam *episcopis*, F[d] *epos ad praesentia principis constitutio eporum spe itineris ductus adtraxit.*

[5]) Ita cum F[2] H[6] b c[2] seqq. At a[3] cum 1 H[3] *pii*, alii (etiam B[1] E[2]) *spei*, H[10] *spes* (ut putat a[3] ex *pii* corruptum, perperam repetita proximi verbi postrema littera *s* et *i* in *e* mutata). Unde B[1] E[2] h[1] *spei ... ductos*, c[1] *spe ... inductos.* Deinde editi *consulendi regem incubuit necessitas, qua* (h[1] *quae*) *hos vobisset ... invalidos* (H[10] h[1] add. *causa*) *congregari.* F[2] H[8] *consuluimus regem qua nos ... causa congregari*, B[1] E[2] F[d] *consulimus* (ita plerique mss.) *regem incubuit necessitas consulendi, quae hos* (F[d] *quatenus*) *... causa.*

[6]) F[2] b c[4] seqq. *synodo.* Melius al. mss. c[1] c[2] c[3] *synodi* scil. *judicatione.* h[1] autem *in synodo oportere tractari, si vera esse ... constaret.*

[7]) b *sedes*, plures mss. et h[1] *sedis*, retinendum cum aliis *sedi;* F[d] prorsus omittit.

[8]) b ad marg. *proinde secura*, in textu autem *secuta jussione ... conciliorum convocandorum*, ubi alii cum mss. *jussione ... conc. venerandorum.* Nos cum B[1] E[2] F[d] c[9] c[10] *jussionem* scripsimus, quod et a[3] maluit. Huc spectat illud Gelasii tractatus II n. 8: *Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non deferatur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: Tu es Petrus* etc.; nec non istud ejusdem papae epist. 26 n. 3: *Quae* (prima sedes) *et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce praeceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.*

[9]) Al. add. *ei*, quod omisimus cum B[1] E[2] F[d] H[10] h[1]. Paulo post h[1] *antedictum ... judicium ... testaretur* et ad marg. *singulorum, antedictae, judicio.* Porro mss.

Digitized by Google

nec antedictae sedis antistitem minimorum subjacuisse judicio, in a. 501.
propositione simili facile forma aliqua testatur. Sed potissimus[10]) princeps ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. A[11]) mansuetudine ejus paginae postulatae sunt, quas ab eo directas constabat. Has dari sacerdotibus sine tarditate constituit, vel quidquid in eodem negotio actum[12]), scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus Dei prosecutione perventum est.

3. Et dum[13]) venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio, prout poscebat causa, tractatus, sanctus papa Symmachus basilicam Julii, in qua pontificum erat congregatio, prout habuit cura coelestis[14]), ingressus est, et de evocatione synodali clementissimo regi gratias retulit, et rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis, quae de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscisa est: auctoritatem ordini[15]) colligendo, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, episcoporum praesentia se dare professus est, sperans, ut visitator, qui contra religionem contra statuta veterum vel contra regulas majorum a parte cleri vel ab aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum, sicut decebat sanctum propositum, prima fronte recederet[16]), et omnia quae per suggestiones inimicorum

---

0 o¹ *inimicorum*, mss. B¹ E² F² H O¹² h¹ *minimorum*, in H³ huic superscriptum *vel minorum*, quod deinde c² seqq. praetulerunt. Eidem suffragatur illud adversariorum Symmachi apud Ennodium: *Si vera est episcoporum assertio, sedis apostolicae praesulem nunquam minorum subjacuisse sententiae, cur ad judicium distracta conventione productus est?* Hoc sedis suae jus, quod illi impugnant, Gelasius epist. 10 n. 5 tuetur his verbis: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium.* Quocirca haec ipsa synodus, Aviti Viennensis epist. 31 Gallicanorum episcoporum nomine scribentis judicio, Symmachi *causam pene temere susceperat inquirendam.*

10) F⁴ h¹ c² (ad marg.) *potentissimus*, quod deinde alii arripuerunt. Mallemus *protinus*, sicut mox habetur *sine tarditate.*

11) Ita nostri mss. et h¹. Alii *Unde a mans.*, moxque *hasque dari ... et quidquid.*

12) Ita mss. b c¹ h¹. Alii cum F⁴ addunt *est*, moxque b c⁴ seqq. *praeventum.*

13) b c⁴ seqq. *in venerabili collectione sermo de incipiendo haberetur concilio prout poscebat* (seq. etiam F²) *causae tractatus:* castigantur ex mss. ac priscis edit. In E² deest *Et dum — tractatus.* F⁴ *venerabilis collectio ... in causa tractatus.*

14) h¹ *celeriter*, moxque E² F⁴ b *de vocatione.* Mox F⁴ *ministravit.*

15) Sic h¹ c¹ cum mss. (etiam B¹ E² H⁸). F⁴ *de ordine collegendo*, c² seqq. *ordinis corrigendi*, b *ordinis colligendi.* Ad idem Symmachi factum respiciens Ennodius apologet. ait: *Judicia iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est; et quod posset fideli* (seu *fidelia*) *corda justi doloris aculeis excitare, venerando concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit.* — Mox cum F⁴ *ab aliquibus laicis*, ubi al. *aliquibus.*

16) Ita F² H⁸. Editi cum B¹ E² *cederet*, F⁴ *crederet.* Moxque c⁷ seq. *legaliter*

Digitized by Google

a. 501. suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio redderentur, et tanti loci praesul legaliter prius statui pristino redderetur, et tunc veniret ad causam et, si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet.

4. Digna[17]) res visa est maximo sacerdotum numero, quae et mereretur effectum; decernere tamen aliquid synodus sine[18]) regia notitia non praesumpsit. Sed suggestio justa per legatorum negligentiam non meruit secundum vota responsum. Jussus est regis[19]) praeceptionibus papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum, quas amiserat, receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere. Qui potestatis suae privilegia, quae[20]) pro conscientiae, quantum juste aestimamus, emendatione[21]) submiserat, nec hac voluit vice resumere.

5. Sed dum esset synodus in Hierusalem basilica Sessoriani palatii constituta, aliquibus sacerdotibus visum est, ut libellus, quem accusatores paraverant, qui quotidie seditionibus appellabant, susciperetur a synodo. In quo suscepto duo erant, quae vel veritati inimica essent, vel ipsi, quantum ostenditur, conventus[22]) ecclesia-

---

ab h. c. redintegrarentur ... regulariter prius ... et tunc non ante veniret, contra mss. — Inter ea, quae ablata fuerant, nominatim aream vel domum Lateranensem censendam esse, colligitur ex verbis Theodorici in subnexa appendice n. 16. Vide et Liberii dialogum cum Constantio n. 3. Si Isidorum Mercatorem audiamus in duplici synodo, quam confinxit, de eadem re disserentem, id quod nunc postulat Symmachus, in antiquis Ecclesiae statutis decretum est. Idque re ipsa in ejus compilatione constituere leguntur Zephyrinus epist. 28, Fabianus epist. 36, Stephanus I ep. 41, Cajus papa epist. 52, Marcellus epist. 56, Eusebius epist. 58, Julius epist. 69, Athanasius et Alexandrina synodus ad Felicem, et Felix ad eosdem epist. 72 et 73, item Stephanus et alii episcopi Africanae ecclesiae ad Damasum et Damasus ad eosdem epist. 80 et 81. Sed antiqua illa decreta quum non tantum Symmacho sed et nostrae synodo incomperta essent, haec audita illius petitione respondere satis habuit: *digna res visa est maximo sacerdotum numero*, nec addidit: *et antiquis Ecclesiae statutis consentanea*. Et vero si tot decretis firmata fuisset, a Theodorico, qui legum servandarum sese studiosum profitebatur, Symmachus repulsam minime passus esset.

[17]) Ita B[1] E[2] F[d] h[1] b cc, nisi quod h[1] *atque ut mereretur effectum optabant* c[7] seq. *quae mereretur*, B[1] E[2] c[1] *atque mereretur*, F[d] *atque meretur effectum ducere. tamen*. F[2] H[9] *respondere dignaretur. Visa est maximo sacerdotum numero, ut allegatio mereretur effectum decernere. Tamen* etc.

[18]) H h[1] *sine rege*, B[1] E[2] F[2] b cc *sine regia notitia*. Mox B[1] *subjectio juste*. b cc ad marg. *ista*.

[19]) O *regiis*. Tres habemus Theodorici regis ad synodum praeceptiones, sed hae quidem desiderantur.

[20]) Ita F[2] F[d] H[9]. Alii *et quae*. Mox F[d] *juxta ē*, F[2] *amiserat*.

[21]) Sic mss. et h[1] b. At editi alii *emundatione*. Innuit hic synodus, Symmachum si jure suo uti voluisset, cogi non potuisse, ut ipsius judicio se submitteret. — Mox B[1] F[d] *Sessuriani*, h[1] *Sessoria*.

[22]) c[1] seqq. *ecclesiastico proposito* omissa voce *conventus*. O H[10] b c[2] *conventus vel* (O omitt. *vel*) *ecclesiastico proposito*. F[d] H h[1] *conventus ecclesiastico* (h[1] *ad*

Digitized by Google

stico proposito repugnarent. Unum, quia dicebant crimina memorati a. 501.
superius Symmachi papae apud regiam constitisse notitiam. Quod falsum esse declaravit[23]); non enim quasi novam causam audientiae commisisset, si ejus conscientiam convictam de errore solam sciret exspectare sententiam. Aliud, quod per servos de[24]) his, quae objiciebant, se eum loquebantur posse convincere, addentes, ut ipse mancipia traderet, quibus, quantum illi asserebant, posset judicatione superari. Quae res canonibus et ipsis publicis erat legibus inimica, quum patrum statuta sanxissent, ut quos ad accusationem leges saeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione vel adsequendi[25]) aliquid neganda esset licentia.

---

marg. *ecclesiastici*) *proposito* (h¹ *repugnare*). F² H⁸ *conventui ecclesiastico proposita.* Quam a³ ex K¹² praefert lectionem, enucleari non potuimus, sed secuti sumus B¹ E² F⁴ H.

[23]) F² H⁸ *praeclaravit;* b seq. ad marg. *perclaruit,* moxque *conscientia convictum,* ubi c¹ *conscientia convicta de errore solam se sciret;* editi alii cum B¹ E² F⁴ *conscientiam convictam* (B¹ E² *convinctum,* F⁴ *se sciret*). Verbum *sciret* autem ad Theodoricum, non ad Symmachum refertur. Huc attinet, quod Avitus Vien. epist. 31 scribit, perstrinxisse synodum, *prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo Theodorico regi de his, quae papae dicebantur objecta, patuisse.*

[24]) B¹ *dei qui objiciebant*, F² H⁸ *de his qui objiciebant secum loquebantur*, et deinde h¹ *loquebatur.* — De his quidem in conc. Carth. VII c. 2 et 4 (qui apud Dionysium Exiguum inter Africanos 96 et 98, et in vulgato codice can. eccl. Afr. 129 et 131 recensentur) sancitum est: *Ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicae non admittunt. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti praecepti sunt.* Horum canonum verba Ennodius in apologetico sic paulo aliter profert: *Clamat alio loco Carthaginense concilium: Quascumque ad accusationem personas leges publicae non admittunt, his impugnandi alterum et nos licentiam submovemus; et nullae accusationes a judicibus audiantur ecclesiasticis, quae legibus saeculi prohibentur.* Neque ab re fuerit huc revocare, quae Ennodius his proxime praemittit. Nam quum multa in eamdem rem scripturarum testimonia protulisset, subdit: *Redeo tamen post vetusta exemplorum suffragia ad novellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginense concilium.* Hinc quippe mendacii manifesti convincitur, quod Isidorus Mercator Stephanum I epist. 41 n. 5 fingit scripsisse: *Accusatores vero et accusationes, quas saeculi leges non recipiunt, et antecessores nostri prohibuerunt et nos submovemus.* Si enim antecessores Stephani I (hoc est Telesphorus epist. 16 n. 5) id jam prohibuerant, hae Ennodii aevo novellae non erant definitiones. Alterum moneo, Faustinum apostolicae sedis legatum mox dicto concilio Carthaginensi VII interfuisse, adeoque Ennodium non aliud ab hoc concilio laudare his verbis: *Scriptum est in Carthaginensi concilio, quod apostolicae sedis per Faustinum episcopum, qui huic ab ea missus interfuit, approbavit auctoritas, accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum.* Habet codex Justinianus lib. 4 tit. 20 leg. 3 istud Valeriani et Gallieni imp.: *Etiam jure civili domestici testimonii fides improbatur;* nec non leg. 8 istud Diocletiani: *servum pro domino quemadmodum adversus eum interrogari non posse;* item ibidem leg. 11 Honorius et Theodosius Augusti pro certo ponunt: *Quoniam liberi testes ad causas postulantur alienas.*

[25]) h¹ b c² seqq. *accusandi,* rejecto ad marginem *adsequendi,* quod omnes mss.

Digitized by Google

a. 501. 6. Et dum inter ista, quae essent facienda tractantur[26]), praefatus papa, ut causam diceret, occurrebat. Qui veniens ab irruentibus turbis aemulorum suorum ita tractatus est, ut multis presbyteris, qui cum ipso ierant[27]), per caedem ipsam mortis fuisset occasio, et recentium adhuc vestigia vulnerum illustris vir comes Arigernus[28]) et sublimes viri Gudila et Bedeulfus, majores domus regiae, perspexissent, quod se[29]), unde egressus fuerat, ad beati Petri apostoli septa convexerat.

7. His ita actis et rebus varia confusione turbatis, iterum nos ad justitiam contulimus principalem[30]), scientes, divinitate[31]) propria regere dominum, quem ad Italiae gubernacula ipsa providerit. Cujus mansuetudini omnia per relationis seriem, sicut res poscebat, ingessimus, intimantes etiam, saepe nominatum papam post[32]) eadem, cui subjacuerat cum suis, si voluntatem rursus haberet exeundi

---

(etiam B^1 E^2 F^d H^6) et c^1 praeferunt. Non displiceret *adserendi* seu *adtestandi*. Deinde editi cum F^d *deneganda*, h^1 *deleganda non*, ubi B^1 E^2 *deleganda*, F^2 H^6 *neganda* (F^2 *his dicendi aliquid neganda*).

[26]) Ita B^1 E^2 F^2; h^1 *tractatur*, alii *tractabatur*.

[27]) B^1 F^d (sec. manu) h^1 b *ierant*, alii *erant*. Deinde c^2 b seqq. *quod probant recentium adhuc vestigia vulnerum, nisi illustris vir comes Aligernus et sublimes viri Judila* (seu *Gudila*) *et Vedeulfus majores domus regiae perspexissent* (b seqq. cum paucis mss. *prospexissent*). Quae lectio vel ex eo nemini probanda, quod ibi Crabbius verba *quod probant* et *nisi* de suo addidisse convincitur. Neque vero asserere certo licet, illustres illos viros Romam tum missos fuisse. Vox *recentium* rem aliquanto ante actam sonat. Et eo quidem acta videtur intervallo, quod inter praeceptionem Theodorici supra n. 4 memoratam, et alteram ejusdem regis in appendice scripti hujus subjiciendam n. 7, ubi Theodoricus Gudilam et Bedeulfum a se in urbem mitti significat, intercessit. Quapropter lectionem retinemus, quam fere omnes mss. exhibent. Nitidior esset lectio in hunc modum: *adeo ut recentium adhuc vestigia vulnerum ... perspexerint*. Idem facinus Ennodius apolog. perstringens, Symmachi aemulos sic adloquitur: *Vos morum, quam habebant examina, non ferentes venientem jaculis repulistis, et taedium vobis de sententia praeparatum armorum ultricium assumtione commutastis.*

[28]) Ita nomina haec plerique mss. proferunt, quidam *Aligernus* (*Aliernus, Ariernus, Aligenus*), *Judila* (*Godila, Gudela*), *Vedeulphus* (F^2 *Bereulphus*, F^d *Bidelfus*, H^6 *Verdulfus*). Ibidem F^d *sublimis vir ... major domus*.

[29]) Ita mss. H O B^1 h^1; F^2 H^6 *quo se;* E^2 *quod unde*, b c^1 seqq. *quos secum*, F^d *sic unde ... septa reversus est*. Mox B^1 E^2 c^2 seqq. *convexerat*, h^1 c^1 *convexerit*, F^2 H^6 b *convexit* (b ad marg. *conduxit*).

[30]) h. e. nos contulimus ad principem ejusque justitiam imploravimus. Jam semel ad eum adierant ejusque aequitatem probaverant. Subinde *regere* id est, quod *regnum administrare*.

[31]) h^1 *divinitatem propriam ... quae ad ... praevideret;* b c c *divinitate propitia regere* (b *regem*) *... ipse providerat* (*vel praeviderat*), ubi B^1 E^2 F^d H O *divinitatem* (F^d *deunitate*) *propria ... ipsa* (scil. *divinitas*, B^1 F^d *ipse*) *provideret* (F^d K^{18} *providerit*). F^2 H^6 *divinitate propria curam gerere dñm, qui Italiae gubernacula ipse provideret*. Mox F^d *per legationis seriem*.

[32]) h^1 et quidam mss. omittunt *post caedem*.

Digitized by Google

ad judicium, fuisse commonitum; sed allegasse eum per directos episcopos, mandantem[33]): *canonibus sibi cessum esse, sed dum affectu purgationis suae culmen humiliat, quantis periculis pene fuisset oppressus! Dominum regem habere potestatem*[34]) *autem quod vellet faciendi; se interim, justitia renitente, statutis canonicis non posse compelli.* a. 501.

8. Ad haec serenissimus rex taliter, Deo adspirante, respondit: *in synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere; committens etiam potestati pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent: dummodo venerandi provisione concilii pax in*[35]) *civitate Romana Christianis omnibus redderetur, quae quum juste offertur, Dei mandata complentur, Italiae suae dare rectorem.*

9. Agnoscentes[36]) itaque, nullum nobis laborem alium remansisse, nisi ut dissidentes cum humilitate propositi nostri ad concordiam hortaremur, quia unum tantae rei restabat, unde Deo pareremus[37]) et sanctae principis voluntati, invitavimus senatum amplissimum, quali oportuit, legatione destinata monentes et instruentes: *causas Dei ipsius esse*[38]) *judicio committendas, qui valet corpus occidere et* Luc. 12,5.

---

[33]) Ex relatione synodi, quae huic constitutioni subjicietur, hic *mandantem* (loco *mandatis*), hoc est *respondentem*, legendum esse colligitur. Ibidem B^1 E^2 F^d H O h^1 c^1 c^2 c^3 *mandatis canonibus sibi concessisse affectu purgationis suae culmen humiliat* (in 2 H^3 *humiliet*), et in eorum uno deinde *quae tantis*, in altero *qui tantis*, in ceteris) *quantis periculis fuisset oppressus*, in quibusdam et h^1 *fuisse oppressos*. b c^7 seq. *nominatis canonibus se cessisse affectu purgationis suae culmen humilians, qui tantis periculis pene fuisset oppressus*. Nos H^5 sequimur, nisi quod habet *mandatis ... affatu*. K^{12} lectionem, quam a^3 praefert, expiscari non potuimus, nisi quod ejus *culminum ibat* a^3 mutare se ait in *culmen dum humiliat*.

[34]) Verba *potestatem autem* addimus cum F^2 H^5. Mox b c^2 seq. *jus faciendi, sed interim ... justitiae renitentes* (vel *renitentem*) *statutis canonibus*. Ibidem mss. et h^1 c^1 omittunt *jus*, et deinde pergunt *se interim;* H^5 F^2 K^{12} *justitia renitente*, E^2 *canonicis*. Deinde F^d *propter reverentiam*.

[35]) Ita mss. et b cc. h^1 *esset in*, omittens postea cum B^1 E^2 *redderetur*. Deinde cum mss. omnibus et h^1 c^1 *quae cum etc.* (F^d *quicunque offertur*, et cum K^{12} *suadere rectorem*, E^2 *auctorem*). At b c^2 seqq. synodi sententiam immutarunt in hunc modum: *Quae cum juste offerrentur, Dei mandata complentes Italiae suum dedimus rectorem.*

[36]) B^1 *agnoscentem*, quasi cum *rectorem* conjungens. Deinde *itaque* cum H^5 addidimus. Mox E^2 *Quia nostrum tantae.*

[37]) b c^2 seq. *placeremus*. Mox B^1 E^2 F^d K^{12} *ut sancti* (et F^d *voluntate ... invitaremus*), alii *ut sanctae*, b c^2 seq. (propter mutationem supra temere factam *Quae cum juste etc. dedimus*) *scilicet ut sancti* (b *tanti* et ad marg. *sancti*), c^9 ad marg. notante: „*Dionys. ante principis voluntatem*“. Nos cum F^2 H^5 *et sanctae ... invitavimus*, ubi alii *invitaremus*, c^1 *invitemus*, B^1 E^2 h^1 *invitamus*.

[38]) h^1 omittit *esse*. Mox 2 H^4 *judicii*, F^d 2 H^3 H^5 F^2 B^1 et editi *judicio* (a^3 *judici* praetulisse videtur). Huc attinent illa Ennodii apolog.: *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare; sedis istius suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores coelo tantum debere innocentiam et subtilis-*

Digitized by Google

a. 501. *animam mittere in gehennam, qui dicit: Mihi vindictam et ego*
Rom. 12,19. *retribuam; apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur*
Hebr. 10,30. *occulta. Cogitare prudentes viros oportere, quanta inconvenienter et praejudicialiter in hujus negotii principiis*[39]) *contigissent. Et nos viam per hanc, quam ipsi vocabant, remissionem peccatis non aperire sed claudere, qui quod dicebatur majori judicio servamus, instruentes eos, quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias praevidere, sed pastoris, maxime quia in causa praefata multi*[40]) *dedignabantur cognoscere et Deo satisfacere, quos error involverat. Et quia non poterant*[41]) *plura sub hac occasione Ecclesiae membra dispergi, sed magis per mansuetudinem sustineri, sicut boni nos operis Paulus*
2 Tim. 4,2. *instruxerat, dicens sanandos esse plurimos per patientiam et doctrinam.*
Et[42]) *quicunque putantur rei et gravibus peccatis involuti, quamvis nul-*
1 Joh. 1,8. *lus est qui delicto careat, sicut Johannes testatur apostolus: Si dicam, quod peccatum non habeo, mendax sum; hos tamen magis pressuris hominum sustentari*[43]) *et perterreri, has passiones judicio divino*

---

simi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Deinde adversariis occurrens adjicit: *Nolite aestimare, eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus prae ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice.* Nec dissimulans, quod hic in omnium mentem venit, *quia omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio: replicabo,* inquit, *uni dictum: „Tu es Petrus etc."; et rursus, sanctorum voce pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.*

[39]) lta H^3 (B^1 E^2 F^d *principis,* et E^2 *negotiis*), alii *principio.* Mox b *et eos per hanc, quam,* c^7 c^{10} *et nos viam per quam.* Deinde F^d H^5 *remissionem peccati ... majori judici* (B^1 *judicii*) *servabamus*; postea F^d *innotuit nostro esse ovium,* H^{10} *a pastoribus.*

[40]) F^d H O h^1 *multos se* (F^d *si,* 1 H^3 superscripsit *sed*) *dignabantur agnoscere* (F^d h^1 *cognoscere*) *ut* (F^d *et*) *Deo satisfacere error involvere* (F^d *involverat*). Editi vero *multos, qui se dedignabantur ... involverat,* quibus concinunt B^1 E^2, nisi quod *multos se dignabantur* habent. Sequimur F^2 H^8, nisi quod et hi *se dignabantur.* K^{12}, quem a^3 praefert, legisse videtur: *multi dedignabantur agnoscere et deo satisfacere errorem noluerant.* Nam a^3 in hunc modum planiorem fore lectionem advertit: *multi dedignabantur agnoscere errorem, et Deo satisfacere noluerant.*

[41]) K^{11} *potuerant,* magis placeret *oportuerat* seu *oportebat.* Mox F^d *sustinere.*

[42]) b *sed.* Deinde c^9 ad marg.: „Isid. *qui impugnantur rei*", c^{10} ad marg. *qui computantur rei.* B^1 *putabantur.*

[43]) b *funestari,* ac deinde aliorum editorum e mss. O descriptam servat lectionem. Hanc et ipse a^3 servavit, licet a synodi mente censuit alienam et in hunc modum mutandam maluerit: *hos tamen prae ceteris hominum sustentari et perferri debere, quam prolatione judicii a divinis suspendi.* Quamquam, pergit, hanc locutionem *a divinis suspendi* prioribus saeculis inauditam fatemur, hic porro praemittere videntur patres causam, cur cum iis Symmachi clericis, qui ab illo contra regulas discesserant, mitius agant. Nos retinendam duximus lectionem H B^1 E^2 F^2 F^d h^1 *sustentari et perterreri* (1 H^1 *praeterire,* E^2 *sustentare et perterrere ri,* K^{12} *praeterreri*) *has passiones* (F^d *passionis*) *judicia divina* (B^1 *judicio di-*

Digitized by Google

suspendi, maxime quum illa, quae praemisimus, inter alia de auctori- a. 501.
tate sedis obstarent[44]): *quia quod possessor ejus quondam beatus Petrus meruit, in nobilitate possessionis accessit, et claritatem veterem nobis*[45]) *dat de Christi dote rectoribus; clamantes, scriptum esse per prophetam ex persona Dei: Numquid non valet manus mea ad consumendum eos, qui erraverunt?* 2 Petr. 3, 9. Jes. 50, 2. Haec eadem saepissime, sicut oportuit, commonentes, ut habita[46]) intentione discederent, et factum nostrum, quod Deus inspiraverat, juxta mandatum principis non discuterent sed sequerentur, sicut decebat Ecclesiae filios, nec sub hac intermissione causa penderet, et crescerent Ecclesiae detrimenta. Quae[47]) res poscebat cum festinatione succurri, et nobis hujus celeritatis et illis obedientiae necessitas imminebat, maxime quum omnem plene plebem cernamus ejus communioni indissociabiliter adhaesisse, cujus nos[48]) non modica cura stimulabat, ne in aliquo laboretur errore.

10. Quibus allegatis cum Dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum vel religionum consideratione adstricti et coelestis[49]) perpensis omnibus, quae in causa erant, inspiratione secreti: *Symmachus papa sedis apostolicae praesul, ab hujusmodi propositioni-*

---

vino) *suspendi* (H[5] E[2] *suspensi*, K[12] *hac passione judicii ad divina suspendi*). Lectio vulgata haec est: *perterreri, hasque passiones judicio divino suspendi.*

[44]) h[1] *optarent*, moxque b c c ad marg. *praecessor* (loco *possessor*), conjectura jam propter additam vocem *ejus* (scil. *sedis*) non ferenda.

[45]) Ita B[1] F[2] F[d] H[5] (K[12] *nobis* ex *novis* correxit, quum contra *novis* corrigendum Sirmondus Op. I, 977 suadet), alii *vobis*. Moxque F[2] H[5] *nobis det Christi*, h[1] *vobis dat det Christi*, ubi alii et B[1] E[2] *dat* (E[2] *datur*) *de Christi*. Deinde B[1] E[2] h[1] *clamantes* scil. *nos*, alii editi *clamans* scil. *Petrus*. Fortasse ad 2 Petr. 3, 9 et Jes. 50, 2 patres respiciunt.

[46]) Ita B[1] E[2] F[d] K[12], nisi quod F[d] *ne sub hac*. At alii libri *ab ista intentione* et deinde *contenderent* (F[2] *conderent*) *et crescerent*.

[47]) K[12] F[d] (prima manu) *cui*, ubi supplendum foret *ecclesiae*. Mox B[1] E[2] F[d] *cernimus*.

[48]) Ita mss. et h[1] c[9]; b c c *vos*. Mox in F[d] (sec. manu) et editis *laberetur*, F[2] *liberetur*, B[1] *laboretur*. K[12] F[d] (prima manu) *ne in haberetur errore*, unde a[3] mutavit *ne inhiberetur errore*, h. e. ne quis errans plebem illam a communione inhiberet Symmachi. Huic autem quanto studio cohaereret, testis est illa pia multitudo, quae sacerdotem suum ad concilium in basilica Sessoriani palatii procedentem non cum telis sed cum lacrimis prosequebatur, adeo ut Ennodio in apologetico dicere licuerit: *Pene absolutus ad judicia venit, pro quo orbis illacrimat.* Sed et objicientibus, *Laurentium Mediolanensem et Petrum Ravennatem episcopos a communione se suspendisse*, respondet idem Ennodius: horum episcoporum cautionem, qua se *corporis tantum conventione* ad tempus separarunt, ad impetiti seu accusati pontificis crimen inique converti, siquidem *nullo tempore, dum celebrarentur ab his sacra missarum, a nominis ejus commemoratione cessatum est.*

[49]) Editi cum F[d] *coelesti*, et infra cum B[1] E[2] F[d] *secretis* (b *decretis*), addunt-que *ut* (*Symmachus*); corriguntur ex mss. Minus intricata esset lectio in hunc modum: *et coelestis inspiratione secreti po[tt]quam perpendimus omnia quae in causa erant.*

Digitized by Google

a. 501. *bus impetitus, quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus superius designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum, sit immunis et liber, et*[50]) *Christianae plebi sine aliqua de objectis obligatione in omnibus ecclesiis suis ad jus sedis suae pertinentibus et tradat divina mysteria, quia eum ab*[51]) *impugnatorum suorum petitione propter superius designatas causas obligari non potuisse cognovimus. Unde secundum principalia praecepta, quae nostrae hoc tribuunt potestati, ei quicquid ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris juris est, reformamus, totamque*[52]) *causam Dei judicio reservantes universos hortamur, ut sacram communionem, sicut res postulat, ab eo percipiant, et Dei et animarum suarum meminerint, quia ipse et amator pacis est et* Joh. 14,27. *ipse pax est, qui monet: Pacem meam do vobis, pacem meam* Matth. 10, 11 ss. 5,9. *relinquo vobis, et in quacunque civitate pacem*[53]) *esse confirmandam adfirmans, beatos esse dicit pacificos. Haec quicunque ex institutione nostra, quod non aestimamus, vel non admittit vel retractari posse crediderit, videat, quia in divino judicio contemptus sui rationem est, sicut de Deo confidimus, redditurus.*

11. *De clericis memorati papae, qui ab episcopo suo ante tempus aliquod*[54]) *contra regulas discesserunt et schisma fecerunt, hoc fieri decrevimus, ut eos satisfacientes episcopo suo misericordia subsequatur, et officiis ecclesiasticis se gaudeant restitui, quia Dominus et Redemptor noster oves perditas ab errore laetatur inventas et super prodigum*[55]) *filium paternam liberalitatem coelestis medicator accommodat. Quisquis vero clericorum post hanc formam a nobis prolatam*[56]) *quocunque sacrati Deo loci in ecclesia Romana missas celebrare praesumpserit praeter conscientiam papae Symmachi, dum vivit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur. Ista nos*[57]) *sufficiant cum Dei notitia sincere praetulisse.*

---

[50]) H[s] hic, b cc ante *tradat* omittunt *et*. Mox cum B[1] K[12] praetulimus *obligatione*, quod et confirmat subnexum verbum *obligari*. Mss. H O h[1] b cc *oblatione*, et c[7] seq. ad marg. *de objectis oblatione*.

[51]) Ita omnes mss. et c[1]. At h[1] c[2] seq. *ob impugnatorum impetitionem*. Non displiceret *impetitione*, loco vocis *petitione* (B[1] *petitione*).

[52]) h[1] *totam*, F[d] *et totam*. Mox H[s] *ab eo perficiant* (H[6] sec. cur. addit *vel perficiam*).

[53]) H[s] omittit *pacem*. Mox c[7] seq. ad marg. *admitti*. In E[2] autem desunt verba *confirmandam* usque ad *dicit*, in B[1] F[d] *dicit*.

[54]) Ita F[d] H[s] h[1] c[2] seq. B[1] E[2] et mss. a[3] *alicujus*, quod a[3] mutandum suadet in *decreti hujus*. Mox F[d] *se congaudeant restitutus:* ideo scilicet addita hac clausula, ut ab eadem indulgentia exclusos se nossent, qui post discederent aut in schismate perseverarent; quem intellectum subnexa confirmant.

[55]) Mss. H O b cc *profugum*. B[1] F[d] K[12] a[3] (c[7] seq. ad marg.) *prodigum*. Mox E[2] K[12] h[1] b c[2] *libertatem*, ubi B[1] F[2] H h[1] c[7] seq. *liberalitatem;* b cc *mediator*, ubi potiores mss. et h[1] *medicator* (quod et c[7] seq. ad marg.).

[56]) H[s] (c[7] ad marg.) *probatam*, E[2] *provatam*, h[1] *propalatam*, moxque O h[1] b cc *sacrato Deo loco*.

[57]) *nos* addimus cum B[1] E[2] F[d] H[s], qui simul *sufficiant*, al. *sufficiat*.

Digitized by Google

Subscriptiones episcoporum. a. 501.

Laurentius episcopus ecclesiae Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.

Petrus episcopus ecclesiae Ravennatis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.

Felix episcopus ecclesiae Interamnensis subscripsi.

Benignus[58]) episcopus ecclesiae Aquaevivensis subscripsi.

Maximus episcopus ecclesiae Bleranae subscripsi.

Aemilianus[59]) episcopus ecclesiae Vercellensis subscripsi.

Maximus episcopus ecclesiae Ticinensis subscripsi.

Cassianus episcopus ecclesiae Mutinensis subscripsi.

Gerontius episcopus ecclesiae Ficuclensis[60]) subscripsi.

Stephanus episcopus ecclesiae Venusinae subscripsi.

Laurentius episcopus ecclesiae Boensis[61]) subscripsi.

Fortunatus episcoqus ecclesiae Fulginensis subscripsi.

Mercurius episcopus ecclesiae Sutrinae subscripsi.

Stephanus episcopus ecclesiae Neapolitanae subscripsi.

Hilarus episcopus ecclesiae Tempsanae subscripsi.

Maximilianus episcopus ecclesiae Perusinae subscripsi.

Innocentius episcopus ecclesiae Ferentinatis subscripsi.

Concordius episcopus ecclesiae Misenatis[62]) subscripsi.

Vitalis episcopus ecclesiae Fundanae subscripsi.

Castus episcopus ecclesiae Portuensis[63]) subscripsi.

Aristus episcopus ecclesiae Ostiensis subscripsi.

---

[58]) Mss. H O et editi *Bonifacius*. Melius B^1 F^d K^{12} *Benignus*, qui et anno 499 primae synodo subscripsit ut Aquaevivensis civitatis episcopus. Praeterea ad horum codicum fidem exhibemus subsequentes subscriptiones, quae quidem in aliis ita contrahuntur: *Felix Interamnensis*, *Bonifacius Aquaevivensis*, *Maximus Bleranus* etc. Denique in F^2 post *Fortunatum Fulginensem* ordo noster relinquitur.

[59]) B^1 F^d K^{12} *Aemilius* (al. *Aemilianus*) et deinde K^{12} *Suranensis*, F^d *Surane*, quamvis infra etiam in K^{12} (nam in F^d excidit) recenseatur *Sebastianus Suranensis*, qui et in subscriptionibus sequentis concilii invenitur. F^2 H^s *Syranus*, B^1 *Surane*, h^1 *Soranus*, c^1 *Furanus*, alii mss. et E^2 c^2 seq. *Vercellensis*, cui favet sequens concilium.

[60]) B^1 E^2 β^1 β^2 *Ficuclensis*, F^2 H^s *Ficulclensis*, h^1 a^2 (ex *cod. eccl. Rom.* vel *Vatic.*) *Fundensis*, F^d β^3 *Ficulnensis*, K^{12} *Ficolnensis*, c^1 *Fidudensis*, c^3 *Fidenensis*, c^7 seq. *Fidenas*. Moxque K^{12} *Vinosensis*.

[61]) Ita mss. nostri et h^1 c^1; F^d K^{12} *Bonensis*, c^7 seq. *Bojanensis* (et ad marg. *Boënsis*), moxque *Hilarius* (K^{12} *Clarus*) ... *Maximianus*. Deinde F^2 *Innocentius Tifernatis*, K^{12} *Festinagensis*.

[62]) B^1 *Misantium*, al. *Mesenatis* vel *Mesinatis*, F^d *Misenantium*.

[63]) Ita B^1 E^2 F^2 H^s c^1 a^2. Alii *Pratensis*, in F^d prorsus excidit (*Castus e. e. Ortuensis*). Moxque ubi iidem et editi *Ostiensis* (H^s β^1 β^2 β^3 *Ostensis*), K^{12} *Hortensis* (sec. c^9 *Hortinsis*), sicut in subnexae synodi subscriptionibus *Martinianus Ortensis*. Deinde F^d K^{12} *Marcianus* ... *Terrac.*, F^d *Crisconius* ... *Alb.*

Digitized by Google

a. 501. Martyrius episcopus ecclesiae Terracinensis subscripsi.
Victor episcopus ecclesiae Lunensis subscripsi.
Asterius episcopus ecclesiae Aquinatis subscripsi.
Chrysogonus episcopus ecclesiae Albanensis subscripsi.
Amantius episcopus ecclesiae Potentinae subscripsi.
Romanus episcopus ecclesiae Nomentanae[64]) subscripsi.
Ursus episcopus ecclesiae Reatinae subscripsi.
Cresconius episcopus ecclesiae Tudertinae subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Mevanatium subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Spoletanae subscripsi.
Eustasius[65]) episcopus ecclesiae Cremonensis subscripsi.
Laurentius episcopus ecclesiae Bergomatis subscripsi.
Eucarpus episcopus ecclesiae Meresape[66]) subscripsi.
Rufentius episcopus ecclesiae Egnatinae[67]) subscripsi.
Serenus episcopus ecclesiae Nolanae subscripsi.
Marcianus episcopus ecclesiae Aecanae[68]) subscripsi.
Eutychius episcopus ecclesiae Tranensis subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Anagninae[69]) subscripsi.
Paschasius episcopus ecclesiae Vulturnensis subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Forosemproniensis subscripsi.
Felix episcopus ecclesiae Nepesinae subscripsi.
Hilarus episcopus ecclesiae Tempsanensis[70]) subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Tifernatium[71]) Tiberinorum subscripsi.

---

[64]) B^1 H^3 (c^7 seq. ad marg.) *Numentanae* vel *Numentanus*. Moxque iidem et E^2 *Mivanatis*, K^{12} *Maunatinensis*, F^d *Maunacius*. Mevania autem (hodie Bevagna dicta) urbs episcopalis Umbriae ad fluvium Clitumnum sita, ut patria Propertii nota est. Deinde H^3 *Spolitinus*, F^d *Spolitane*.

[65]) F^d *Eustadius ... Crimonensis*, H^3 *Eustathius Cremanensis*, moxque B^1 H^3 h^1 *Vergomatis*, c^1 *Verginatis*.

[66]) Ita B^1 E^2 F^2 F^d H^3 h^1 c^1, K^{12} *Meresapaninsis*, c^7 seq. *Messanensis* et ad marg. *Meresape*.

[67]) Ita F^2 c^7 seq. B^1 *Eugnatinae*, K^{12} *Eunatinensis*, F^d *Eunatine*, E^2 H^3 β^1 β^2 β^3 h^1 c^1 *Agnatinus*.

[68]) Ita mss. B^1 E^2 F^2 H^3 β^1 β^3 h^1 c^1. β^2 *Aecanus*, K^{12} *Eoaunensis*, F^d *Aecaunie*. a^2 *Aecaniensis*, et *Aecas* sive *Aecanam* urbem esse ait inter Samnium et Apuliam in ipso Apennino, postea *Trojam* dictam. c^7 seq. *Aesinus* et ad marg. *Aesnus*. *Aesis* quidem urbs Umbriae est (hodie *Jesi*).

[69]) Nostri mss. sicut β^1 β^2 β^3 et h^1 *Agninus*, K^{12} *Agninensis;* moxque E^2 *Beliternis*, H^3 c^7 seq. *Vulternensis* (ad marg. *Vulturnensis*). F^d ibidem *Tranesinsis ... Agnenine ... Ulturnensis* et deinde omitt. *Innocentius — Temps. subscr.*

[70]) In K^{12} deest. In aliis *Tempsanae* (B^1) vel *Tempranensis* (E^2 H^3 h^1) vel *Tempsanensis* (Coust. mss.) vocatur. c^7 seq. *Cupersanensis* vel *Cupersinensis* et c^{10} ad marg. *Jeptanensis*.

[71]) Ita F^2 a^2 a^1; B^1 *Diffenatium Tiberinorum*, E^2 H^3 h^1 *Direntium Tib.*, β^1 β^2 β^3 *Derentium Tib.*, F^d *Defenantium*, K^{12} *Desenanciunsensis*, c^2 *Tiferninus*, c^5 seq. *Triferninus*. Moxque E^2 *Toderitanus*, deinde H^3 *Siranus*, β^1 β^2 β^3 *Suranus*, E^2 *Syranus*.

Digitized by Google

Severinus episcopus ecclesiae Tyndaritanae subscripsi. a. 501.
Silvanus episcopus ecclesiae Veliternae subscripsi.
Sebastianus episcopus ecclesiae Soranae subscripsi.
Mercurius episcopus ecclesiae Gabinatis subscripsi.
Felix episcopus ecclesiae Atellanae subscripsi.
Rusticus episcopus ecclesiae Buxentinae subscripsi.
Propinquus episcopus ecclesiae Trebiensis[72]) subscripsi.
Adeodatus episcopus ecclesiae Formianae subscripsi.
Bonifacius episcopus ecclesiae Cameritanae[73]) subscripsi.
Justus episcopus ecclesiae Signinae[74]) subscripsi.
Vindemius episcopus ecclesiae Anteatinae subscripsi.
Augustus episcopus ecclesiae Liparitanae subscripsi.
Valentinus episcopus ecclesiae Amiterninae subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Suessanae subscripsi.
Jocundus episcopus ecclesiae Augustanae subscripsi.
Tigridius[75]) episcopus ecclesiae Tauritanae subscripsi.
Vaticanus[76]) episcopus ecclesiae Celeniensis subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Ariminensis subscripsi.
Proculejanus[77]) episcopus ecclesiae Sepinatis subscripsi.
Candidus episcopus ecclesiae Tiburtinae subscripsi.
Aprilis episcopus ecclesiae Lateranae subscripsi.
Asellus episcopus ecclesiae Populoniensis subscripsi.
Memor episcopus ecclesiae Canusinae subscripsi.
Colonicus episcopus ecclesiae Foroclodiensis subscripsi.
Elpidius episcopus ecclesiae Volaterranae subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Turitanae[78]) subscripsi.

In F^d *Silvanus etc.* et *Sebastianus etc.* exciderunt; ac deinde *Gabinnantensium, Vitelline, Busentine.*

[72]) F^d *Trivennensis*, K^{12} *Trivenninsis*, alii (E^2 β^1 β^3) *Tribensis*, β^2 *Trivensis*, B^1 *Tridensis*, F^2 *Trevensis.*

[73]) h^1 *Camentanae.* Deinde B^1 F^d omittentes *Justum, Vindemium, Augustum, Valentinum,* quos deinde sub finem immittunt, pergunt cum F^2 *Fortunatus ... Suessanae etc.*

[74]) E^2 H^5 *Signatinus*, F^2 *Egnatinus*, alii *Signanus.*

[75]) c^7 seq. *Trigidius*, H^{10} *Nigridus.* Deinde B^1 *Tauritanae*, K^{12} *Taurininsis*, F^2 *Taurianus*, H^5 *Taurizanus*, E^2 H^{12} β^1 β^2 β^3 h^1 *Tauriganus*, editi *Taurinas*, F^d *Taurine.*

[76]) B^1 *Vaticanus*, F^2 *Utticanus*, H^6 *Vaticanis*, E^2 F^d *Vatiganus*, H^1 *Batiganus*, K^{12} *Vagitanus* (sec. c^6 *Vatiganus*), 1 H^3 *Vitiganus*, alii *Viticanus.* Deinde in omnibus *Celeniensis* (E^2 F^2 H^6 H^{10} h^1), *Caeleniensis, Celiniensis* (F^d) aut *Ceneliensis* (B^1), ubi c^2 seq. *Calliensis.* Porro *Celena* urbs Campaniae erat.

[77]) H^{10} *Proclejanus*, moxque cum B^1 E^2 F^d H^5 a^2 et priore synodo *Colonicus*, ubi alii *Callonicus.* Deinde B^1 *Laterianae*, H^5 β^1 β^2 *Laterianensis*, β^3 *Laterinensis*, K^{12} *Latininsis*, F^d *Latine*, a^2 *Liternensis.* Deinde B^1 *Helpidius ... Voliterranae*, β^1 β^2 β^3 *Voloternanus*, H^5 *Voluternanus*, K^{12} *Volotermnsis*, E^2 *Bulternanus.*

[78]) Mss. H O B^1 h^1 *Turritanus*, E^2 H^5 *Turnitanus*, F^d *Tarretanie*, K^{12} *Tarita-*

Digitized by Google

a. 501. Adeodatus episcopus ecclesiae Silvae Candidae subscripsi.
Venerius[79]) episcopus ecclesiae Pallensis subscripsi.
Rogatus episcopus ecclesiae Tauromenitanae[80]) subscripsi.
Servusdei episcopus ecclesiae Ferenensis[81]) subscripsi.
Probus episcopus ecclesiae Carmejanensis[82]) subscripsi.
Dulcitius episcopus ecclesiae sancti Antimi subscripsi.

Appendix epistolae 5,

seu

Acta quaedam ad synodos Romanas II, III et IV in causa Symmachi habitas pertinentia.

p. 92.

I. Praeceptio[1]) regis III missa ad synodum.

Praeceptio, quae missa est per Germanum et Carosum episcopos.

Dominis sanctis et venerabilibus patribus, Laurentio, Marcellino et Petro et cunctis episcopis in Urbe residentibus, Theodericus rex.

1. Vos quidem rem fecistis proposito congruentem, nos potius de reditu vestro secundo consulere, quam indictum concilium[2]) alienae facilitatis imitatione deserere; ne discedentibus universis sub manifesta deserti dispositione judicii major urbem regiam seditiosis[3])

---

ninsis (vel *Taretaninsis*), c[7] seq. *Thuritanus*. Porro *Thurium* vel *Thuriae* (post excidium etiam *Copiae* vocatae) urbs Lucaniae erat.

[79]) c[7] seq. *Venerus*. Mox F[2] H[8] β^1 β^3 h[1] c[1] *Pallensis*, 1 H[3] H[6] *Palensis*, E[2] *Pellensis*, B[1] β^2 *Pellensium*, F[d] *Pellenensium*, K[12] *Pelleninsium*, c[7] seq. *Polensis*. a[2] *Spellensis*, et *Hispellum* urbem ait esse in Umbria. *Palla* autem urbs Corsicae erat. Vide subscriptiones sequenti synodo epistolae 6 subnexas.

[80]) B[1] F[2] H[8] *Tauromenitanus*, F[d] *Tauromenitane*. Postque in B[1] F[d] sequuntur *Vendimius ... Servus dei ..., Augustus* (F[d] *Augustinus*) ..., *Probus ..., Valentius ... Dulcitius*.

[81]) c[2] seq. *Veronensis*, reluctantibus mss., qui prae se ferunt *Ferenensis* (E[2] H[6]), B[1] *Ferenat*, forte loco *Ferentinensis* vel *Ferentinatis*. F[2] *Fetensis*, O[12] *Ferensis*, F[d] *Ferene*.

[82]) Mss. et h[1] *Carmeganensis* vel *Carmesanensis* (B[1] E[2] H[6]), F[d] *Carmeianensis*. F[2] *Cartolanensis*, editi alii *Camerinensis*. In H[6] omittitur, et post *Venerium* sequitur *Dulcius*. Denique F[2] *sci Antinei*, β^1 β^2 *Antimi*, β^3 (h[1] ad marg.) *Antini*, K[12] *Antininsis*, alii (B[1] E[2]) *scti Antimi* vel *scti Anthimi*.

[1]) Ita inscriptionem ex B[1] restituimus. Mox loco *secundo* F[d] K[12] a[3] *secunda* scil. decreta seu consilia.

[2]) F[d] K[12] *Consilium a bene* (F[d] *bona*) *facultatis emitane* (F[d] *imitatione*), B[1] *facultatis ... disserere* (*disserere* etiam F[d]); editi *facilitatis*. Hic notantur, qui a concilio facilius discesserant.

[3]) B[1] *seditiosis motus turba*. Mox F[d] K[12] *Obtabimus commisisse* (F[d] *optavimus commissum*) *sanctae congregationis examinationis sub hac protrahi dilatione negotium* (F[d] *negotium*) *nec universitas animum gravius praejudicia pandere suspensum*. Ex B[1] nostram lectionem restituimus; edit *commisisse ... examinis*.

Digitized by Google

motibus turba concuteret. Sed non optavimus commissum sanctae a. 501.
congregationis examini sub hac protrahi dilatione negotium, nec universitatis animos gravius praejudicio pendere suspensos: quia nec tranquillitati urbis definitionis mora, nec sacerdotali proposito sententia potest convenire discordiae.

2. Moleste[4]) igitur accepta confusione, quae nata est, ceterorumque[5]) discessu, quia propter turbam, quae aut casu aut vitio aliquorum contigit, iterata quae coeperunt reliquere judicia, (qui tamen, si quid deceret[6]) potius cogitassent, exemplo vestro in Urbe residerent, exspectantes de his, quae illic facta, de nostra providentia ordinare remedium): quum in multas se vias cogitatio nostra dispergeret[7]), ad hunc se tramitem consilii cura convertit, ut rursum ad Kalendarum Septembrium diem eumdem censuerimus sacerdotum numerum convenire, qui dudum fuerat vocatus. Ergo[8]) ingravanter sanctitatem vestram reliquorum praesentiam convenit operiri, ut compresso tumultu et dissensione submota, quae ab omnibus orta est ab omnibus causa peragatur.

3. Nam Ravennam, quemadmodum speratis, non putavimus revocandum esse concilium, dum aliorum labore, aliorum[9]) permovemur aetate, parati, ut nisi secundo conventu causae finem judicium synodale posuerit, juxta desiderium vestrum, quo nos poscitis esse praesentes, occupationibus nostris Romae quietis amori postpositis, nos potius Romam Deo auctore veniamus: ut praesentibus saltem nobis citra confusionem atque discordiam secundum Dei timorem tanta causa terminum sortiatur, ut non diutius urbs regia turbarum tempestate fatigetur, sed vestri aequitate judicii redeat ad quietem. Ne mora vobis videatur onerosa, fas est vestrae aestimare providentiae, si commodum[10]) sit aut sub nostrorum temporum tranquillitate tolerandum, soluto sine aliqua definitione concilio sub

---

[4]) Editi *Molesta*, F^d K^{12} *moleste*, B^1 *molestae. Igitur.*

[5]) F^d K^{12} *ceterumque discessum, quia propter turbam, quae aut casu* (F^d add. *aut*) *vitio aliquorum comtegit* (F^d *contingit*) *iterata quae coeperunt relinquere judicia; similiter* B^1 *quia propter ... aut casu aut vitio ... interruta quae coeperunt relinquere.* Editi *qui propter ... aut ausu etc.*

[6]) Ita locum corruptum ex vestigiis B^1 F^d K^{12} restituimus, qui in editis: *Qui tamen si quid dixerit* (F^d *dixerint*, B^1 *diceret*), *potius ... residere exspectantes de nostrae providentiae ordinatione* (B^1 F^d K^{12} *ordinare*) *remedium.*

[7]) K^{12} *dispergerit adhuc si tramitem*, B^1 *dispergeret*, c^9 *disperserit ... Kalendas Septembris.* F^d *cura constituerit ... censeremus.*

[8]) K^{12} *Ergo ingrabantis sanctitatem reliquorum praesentia convenit operire: ut cum praeso tumultu ... certa est.* B^1 F^d c^9 *ingravanter* (c^9 *ingravatis*) *... orta est.* Mox F^d *ab omnibus coepta est.*

[9]) Sic mss. et c^9; b seq. *dierum*, mero librarii, quo Faber usus est, lapsu. Mox F^d *finem ponere judicium synodali potuerit.*

[10]) Ita B^1 F^d. K^{12} b seq. *commodo*, et cum F^d *solutus ne in aliqua* (c^9 *solitumoe in aliqua*).

Digitized by Google

a. 501. incerto Ecclesiam sub hoc certamine Romanam perdere civitatem. **Alia manu.** Orate pro nobis, domini ac venerabiles patres! Datum sub die VI.[11]) Idus Augusti regnante[12]) supra dicto feliciter, Rufio Magno Fausto Avieno v. c. cons.[13])

II. Praeceptio[1]) regis quarta[2]), missa ad synodum per majorem domus regis.

Fl.[3]) Theodericus rex universis episcopis ad synodum convocatis.

4. Romanae ecclesiae pacem, episcopo Symmacho criminosis propositionibus impetito, sub ea quam cernitis confusione turbae, quomodo[4]) magis potuit providentia nostra consulere, quam ut juxta petitionem senatus et cleri ad congregandos ex diversis provinciis causam revocaret[5]) antistites, et de religiosae actione personae sanctum faceret judicare concilium? In oculis sunt dudum ad universam synodum destinata, et conscientiae nostrae adstipulantur oracula, quibus solius integritatis affectu hoc jus pontificibus commisimus evocatis, ut sub synodalis aequitate sententiae aut[6]) propter

[11]) b seq. *V Idus*, B[1] F[d] K[12] c[9] *VI Idus*.

[12]) Ita reddendum putavimus, quod in F[d] K[12] corrupte sic effertur: *sed Ecclesiae* (F[d] *eccl.*), in B[1] *Rēg. Sed. Eccl.* Haec autem verba in edit. omissa sunt.

[13]) Sequitur immediate in B[1] F[d]: *Rēg. Rēłt.* (F[d] *req. recte*) *Senatus. Val.* (F[d] *vel*) *Marcellini ep̄sc.* (F[d] *epi*) *cum ceteris*, quod ita interpretor: *Regia relatio senatui, vel Marcellino episcopo cum ceteris*, quasi indiculum quemdam chartulae praemissae. Quae ibidem haec excipiunt verba *Et alia ...* ad proxime sequentia referimus.

[1]) His quidem in B[1] F[d] L[12] praecedunt: *Et alia praeceptio quaedam* (F[d] *praeceptum quae datum est*) *per majorem domus regis. Preces* (F[d] K[12] *praeceptio*) *regis etc.* (F[d] *regis missa ad synodum*).

[2]) Ita mss. nec male. Nam prima censetur, qua episcopi ad synodum vocati sunt; secunda, *qua jussus est papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere* (Symm. epist. 5 n. 4); tertia, quam proxime exhibuimus.

[3]) Sic mss. (K[12] *Fil.*, F[d] *Frs dictui*), quam notam Nic. Faber ac post eum Baronius aliique voce *Flavius* reddiderunt. Nusquam tamen Theodoricus apud Cassiodorum lib. Var. *Flavii* praenomen assumit. Et ea quidem nota *filius* potius indicari solet: quo nomine suam erga synodi patres reverentiam Theodoricus testari voluisse opinaremur, nisi vox illa praenomen *vester* postularet.

[4]) b seq. *quoniam non magis*, K[12] *quoniam magis:* imperiti ut videtur librarii, qui vocem *quomodo*, quam habent B[1] F[d] c[9] seq., nota breviori depictam (*qō*) male legit.

[5]) K[12] *revocare et antestites et de religione accione personae sanctum facere judicare concilium. In oculis sunt dudum ad universis synodum destinatam et conscientiae nostrae adstipulatur oracula.* Quod aeque corrupte reddiderunt b c[3] seq. *revocare et antistites et de religiosae actione personae sanctum facere. Indicare concilium in oculis sunt dudum ab universis synodum destinatum etc.* B[1] F[d] c[9] reddimus, nisi quod c[9] *revocare ... sanctione* (etiam B[1]) ... *facere*.

[6]) Verba *aut — gauderet* oscitantia librarii in aliis omissa restituimus ex B[1].

Digitized by Google

innocentiam absolutione gauderet, aut propter objecta convictus, a. 501.
reatui subjaceret.

5. Post hujusmodi constituta quis finem tanto datum[7]) dubitaret esse negotio? Quis de tam numeroso concilio sacerdotum magis nasci crederet confusionis ambiguum? Quid[8]) profuit, seni vitae de prolixo itineris ultra ad nos imposuisse negotium, quid[9]) tantarum ecclesiarum absentibus sacerdotibus fuisse suspensum? Quid spei erit reliquum, si de tanto exitu non datur impetrare conventum? Sed transacta sufficiant, quae ad hoc tantum in memoriam satis est revocare, quo[10]) desinant. Bona est praeteritorum recordatio, si quae displicent, secuta cura correptionis emendet. Non saltem discedentibus aliquibus dilatoque[11]) negotio ad secundae congregationis venientis repetita judicia, pro fide, pro innocentia, pro aequitate concordis, remotis studiis aliquibus dissentiat integritas! Hoc[12]) petitionis nostrae, hoc religionis affectus: hoc quieti Romanae conferre civitatis, ut sacerdotali consideratione proposito delegato terminum detis sine contentione negotio, scientes examen vestrum Dei secuturum esse judicium.

6. Cogitate, matrem confusionis esse discordiam, et quemadmodum consensu dubia solidantur, ita etiam firma dissensione dissolvi. Numquid laboriosa, numquid conscientiae vestrae gravia, numquid inimica proposito, ab antistitibus suis pacem poscit Ecclesia,

---

[7]) Ita B^1, cui sensus aperte adstipulatur. Alii *dandum dubitarit ... crediderit.*

[8]) F^d K^{12} b c^3 seq. lectio, quae vere Oedipum quaerit, haec est: *Quid profuit sine vita* (F^d *vitam*) *de prolixo itineris citra* (F^d *itinere scitra*) *ad nos imposuistis negotio?* Nec felicior est c^9: *quid profuit sine vi tam de prolixo itinere cetera ad nos imposuisse negotia?* Noster codex ita habet: *quid profuit seni vita de prolixo itineris ultra ad nos imposuisse negotio. Qui tantarum etc.*, quod aliquatenus mutatis mutandis ferri potest. Coustantius etiam K^{12} verba reddidisse contentus, hoc tamen modo a Theodorici mente non alieno extricandum proponit: *Quid profuit, si in evitanda prolixi itineris cura ad nos imposuistis negotium, quod tantarum ecclesiarum sacerdotibus absentibus fuisset suspensum? Quid suppeteret reliquum, si etc.*

[9]) Nec felicior in sequentibus est mss. lectio. K^{12} b c^9 *quid tantarum ... suspensum? quid supererit* (b *peteret*) *reliquum ... imperare conventum?* (b *si tanto exitum non datur impetrare conventu*). B^1 F^d lectionem reddimus aliquatenus tolerabiliorem, nisi quod *Qui tantarum ... quidquid spei erit* (F^d *quid peterit*).

[10]) b c^3 seq. *quid desinat*, K^{12} B^1 F^d *quod desinat*, c^9 *quod desinant.* Librario familiare est primam vocis sequentis litteram geminare, eamque adjungere antecedenti.

[11]) K^{12} *Delatoque negotio ad secundae concordationis venientis repetita ... pro aequitate concordis remotis studiis aliquibus dissentit.* B^1 cum c^9 concordat, nisi quod *dissentit* loco *dissentiat.*

[12]) Etiam hic B^1 sequimur, nisi quod *quiete ... civitati.* Alii *Hoc petitione nostra Romanae confertur* (F^d *petitioni nostrae R. conferre*) *civitati, ut ...* (F^d *detis sane contentiosum*) *... examen vestrum de his securum esse judicium.*

Digitized by Google

a. 501. et ab his, quibus per religionis[13]) professionem justitiae cura debeat esse propensior, fides tumultuosam exspectat intentionem? Est vobis servandae justitiae in cognitione libertas; remotis omnibus occasionibus integrum sit[14]) vestrae voluntatis, objectorum criminum causam examinate judicio, dummodo studiosa certamina disserendi amore omne confusionis amputetur ambiguum, maxime quum hanc vobis pro religionis reverentia et[15]) consideratione justitiae nostra oracula tribuant facultatem: ut sicut vobis est inquirendae in hoc negotio voluntas et cura veritatis, personis illic omnibus constitutis, per quas potest fides rerum quaesita constare, vos noveritis et Deus, quid in ipsa causa judicare debeatis: pacem modis omnibus clero, senatui et Romano populo post judicium reddituri, ne qua turba, nulla discordia in civitate remaneat. Si vero vultis, ut quod propositum est, transeat sine discussione judicium, vos sciatis et Deus, qualiter ordinetis; dummodo pax clero, senatui populoque Romano sub vestra ordinatione reddatur. Ecce coram Deo et hominibus arbitrio vestro committentes universa, conscientiam nostram, sicut decebat, absolvimus. Tantum est, sub justa ordinatione rem fuisse finitam, et unitatem[16]) redditam dissidentibus indicetis. Neque enim tolerabile est, neque[17]) hanc negligentiam regiae civitatis amor quo tenemur admittit, ut rebus omnibus Deo auctore pacatis sola tran-

---

[13]) F^d K^{12} *per regionis professionis* (F^d *professione*) *justitiae cura,* ac deinde F^d *fidem tumultuosam expectat intentio.* b c^3 c^9 *per regiones* (c^9 *rationem*) *professionis vestrae cura ... fidem tumultuosam exspectat? Intentio est vobis servandae justitiae in cognitione: libertas remotis ... integra sit etc.* Ad correctionem nostram induxit lectio B^1 *religionis ... fide tumultuosā exspectat intentio. Est vobis ... libertas ... integro si vestrae voluntatis.*

[14]) Ita correximus, quod in mss. in hunc modum prolatum: *si* (F^d c^9 *sit*) *vestrae voluntatis objectorum criminum causa* (F^d *causae*) *examinate judicium, dummodo sindiosa* (B^1 F^d b c^3 c^9 *studiosa*) *certamina defendi* (F^d *defende*) *amore* (b *certamine,* B^1 *disserendi amore omni*).

[15]) Ita B^1 F^d, nisi quod F^d *inquirendi,* B^1 *praestare.* Alii, omisso *et,* mox *nostrae,* deinde cum B^1 *praestare* et cum F^d *turbatio.* Mox F^d *sine discuss. negotium ... Deo et omnibus ... conscientiam vestram.*

[16]) K^{12} b c^9 *unitatem* (b *civitatem*) *redditam discedentibus indicet* (a^3 *ut docet*). Sequimur B^1 F^d, nisi quod F^d *dissidentibus constet.*

[17]) Ita ex B^1 locum insanabilem restituimus, nisi quod *neque* loco *ob,* et *tranquillitatem ... habeat* loco *tranquillitate ... habeant* scripsimus. F^d K^{12} b c^9 *ob* (F^d *ad*) *hanc ... amorem, quo ... admemitti, aut* (F^d *admitti ut*) *rebus ... sola tranquillitate erigi* (F^d *eregi*) *et in media ... ut desideratur civilitas in archilatiora* (mss. Hard *archelatiore,* F^d *archelatiori*) *... vicinitatis cura* (F^d *sub ustium civitate secura*). Locum antea mancum sic emendandum Coust. proposuit: *ad hanc negligentiam regiae civitatis amorem, quo tenemur ad eam, remitti, et rebus omnibus Deo auctore pacatis solam a tranquillitate excipi, et in media urbe confundi* (hoc est confusionem grassari), *ut desideretur civitas in archilatii aula,* (quasi *in primaria Latii aula quae est sub hostium vicinitatis cura* (id est, quam erga vicinos etiam hostes curamus ac fovemus).

Digitized by Google

quillitatem Roma non habeat, qua ab externis propugnante coelesti a. 501.
favore utamur. Et quidem pudenda cum stupore diversitas, Romanum statum in confinio gentium sub tranquillitate erigi, et in media Urbe confundi: ut desideretur civilitas in archelatiori, quae est sub hostium vicinitate secura.

7. Et[18]) ne quid omisisse videamur, quum necessariam credideritis episcopi Symmachi in cognitione praesentiam, Gudilam et Bedeulphum sublimes viros, majores domus nostrae, quos de praesente misimus cum[19]) illustri comite Arigerno. Ne quid dubitationis habeat jussio nostra, sacramenta praestabunt satisfacturi designato[20]) episcopo, quemadmodum aestimaverit ordinatio vestra: suffecerit, ut vocatus ad concilium, citra Urbem sine molestiae metu securus occurrat. Orate pro me, domini sancti et venerabiles patres! Datum est sub die VI. Kalendas Septembris Ravennae, regnante[21]) supradicto feliciter, Rufio Avieno Fausto v. c. consule.

III. Relatio[1]) episcoporum ad regem.

Tertia synodus habita Romae.

8. Agimus Deo gratias, qui regum corda pietatis suae manu et gubernat et temperat, quoniam[2]) ab ipso venit, quod clementia vestra ex amore suo praeceptis ad nos moderatissimis per majores domus Gudilam et Bedeulphum sublimes viros missis ostendit. Sic enim mansuetos principes coeli Dominus fecit esse, quos diligit; et quibus est propitia Divinitas, eos in causis omnibus mandatis suis ordinat obedire, quia scriptum est dicente Deo: *Sine me nihil potestis* Joh. 15, 5.
facere, quod utique[3]) *boni* intelligendum est.

9. Ideoque nos[4]) toto affectu et obsequio jussioni vestrae parere

---

[18]) K[12] *Et neque omisisse videamur cum necessaria crederitis.*

[19]) Mox K[12] b c[9] *cum Conzatrierno,* mss. Hard. *cum illum Com. Arterno,* F[d] *cum illo cum atrierno,* B[1] *cum Intu Com. Arigerno,* quae lectio etiam superiori constituto synodali n. 6 probatur.

[20]) F[d] K[12] *designatio ... suffecerit* (F[d] *sufficere*) *ut vocatus ad concilium citra urbe* (editi *Urbem*) *et* (F[d] *urbem sine*) *molestiae metu.* Deinde F[d] *Item alia manu. Orate pro nobis etc.*

[21]) Sequentia b c[3] omittunt, restituuntur ex B[1] F[d] K[12] c[9] a[3].

III [1]) Quae scilicet in synodali constituto n. 7 memoratur. Ex hujus regione B[1] ad marg. notat: *Tertia synodus habita Romae.*

[2]) Ita B[1] F[d]. Alii *quando,* moxque K[12] b *extra more,* F[d] *ex morem suum,* ubi B[1] c[9] (b ad marg.) *ex amore.* Deinde K[12] B[1] F[d] *sublimes viros* (F[d] *viris*), ubi alii *sublimes vestros.* Iidem cum F[d] *propitiata ... quod scriptum.*

[3]) K[12] addit *ut.* Hoc autem sibi vult: quod utique ita intelligendum est, ut boni nihil sine Christo facere possimus; nam quisque per se ad malum valet. Integrior et planior esset sententia in hunc modum: *quod utique „ut boni nihil" intelligendum est:* ita ut ubi Christus dicit *nihil,* supplendum sit *boni.*

[4]) Ita B[1]; alii *nostro.* Moxque K[12] *quater cum sacerdotes* (F[d] *consacerdotes*) *nostros ex secunsanda synodi direximus ad judicium convenerit.* Loco vocis *secun-*

Digitized by Google

a. 501. voluimus, et ad papam, qui impetebatur, quater consacerdotes nostros ex secunda synodo direximus, ut ad judicium conveniret; sed occurrere se audientiae nostrae penitus non posse[5]) testatus est mandans: *Primum ad conventum vestrum, quando Romae venistis, sine aliqua dubitatione properavi, et privilegia mea voluntati regiae submisi, et auctoritatem*[6]) *synodo dedi; sicut habet ecclesiastica disciplina, restaurationem ecclesiarum regulariter poposci: sed nullus mihi a vobis effectus est. Deinde quum convenirem*[7]) *cum clero meo, crudeliter demactatus sum. Ulterius me vestro examini non committo: in potestate Dei est et domini regis, quid de me deliberet ordinare.* — Nos[8]) tamen episcopos cum majore domus vestrae illustri viro Arigerno direximus. Quibus[9]) quid responsi dederit, sua suggestione renuntiet.

10. Intimamus tamen serenissimo domno, quia nobis quod possimus facere non remansit, nec invitum ad disceptationem nostram adducere possumus. Quoniam[10]) ipsi per canones appellationes

sanda, pro qua librarius primo scripserat *sesanda* addiditque postmodum *cun*, conjectavit Baronius ac deinceps editores alii, restituendum esse *sacrosancta*. Sed *secunda* cum B¹ anteponendum esse non ambiget, qui recoluerit, quod supra Theodoricus n. 2 praecipit: *rursum ad Kal. Septembr. diem eumdem sacerdotum numerum convenire, qui dudum fuerat convocatus*, et quo pacto iteratum illud concilium n. 3 *secundum conventum*, et num. 6 *secundae congregationis repetitia judicia* vocet. Ex hoc enim secundo conventu missa est haec relatio. Quod autem Symmachum quater monitum ajunt, firmat illud adversariorum ejus apud Ennodium: *Quare conventionem praeveniens cum populorum coetibus examen intravit, et postea judicia, quum evocatus fuisset, sprevit.*

[5]) Ita B¹ F^{d}; K^{12} b c^{3} *possit statutus*, c^{9} (b ad marg.) *posse statuit.*

[6]) K^{12} *auctoritate synodo*, unde b *auctoritati synodi.* Sed cum B¹ c^{9} a^{1} *auctoritatem synodo* legendum, liquet ex his superioris constituti synodalis n. 3: *auctoritatem ordini colligendo, sicut poscebant ecclesiastica statuta, ... se dare professus est.* Et vero quaedam est in his pugna, ut *auctoritatem dederit, sicut habet ecclesiastica disciplina.* Episcopi enim congregati non semel repetunt ac docent, hoc ecclesiasticam disciplinam habere, ut in Symmachum propter privilegia sedis nulla sibi ex se sit auctoritas.

[7]) Ita B¹, alii *venirem ... mactatus sum* (a^{3} ex sup. constit. synod. n. 6 *tractatus* emendandum putavit). Mox b c^{3} seq. *committi in potestate Dei est;* sequimur B¹ K^{12} c^{9}.

[8]) Ita F^{d}. B¹ *Post episcopos tamen quos majores*, K^{12} *qui majoris domus vestrae inlustris vero Argenno direximus: quibus qui responsi ... renuntiat et intemanus tamen.* c^{9} *ei majorem domus v. illustrem virum Arigernum*, nescio qua auctoritate.

[9]) Ita B¹. Alii *cui quid ... renuntiat, et intimamus ... quid possimus.*

[10]) Ita B¹. Alii omittunt *Quoniam*, et mox K^{12} *ipsi appellat, quid egerit faciendum*, c^{9} *ipse appellat, ecquid faciendum?* Episcopi hic confirmant, quod Gelasius epist. 26 n. 5 scribit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* His suffragatur Sardicensis synodi canon 3 ab Ennodio citatus. — „Cave autem lector, porro Constantius advertit.

Digitized by Google

omnium episcoporum commissae sunt; et quum ipse appellat, quid a. 501.
erit faciendum? Nec[11]) in absentem valeamus ferre sententiam, nec
contumacis loco deputare, qui se judicibus bis occurrisse proclamat;
maxime quia[12]) res nova est, et pontificem sedis istius apud nos
audiri, nullo constat exemplo.

11. Voluimus[13]) quod restabat pacem juxta praeceptum et voluntatem vestram reddere civitati; quae res et proposito nostro amica est, et beatitudini vestrorum temporum congruebat. Quia confusionem tantae civitatis et gemimus et horrescimus, ad amplissimum senatum collegas nostros secundo direximus, hortantes ex verbis apostoli, qui monet: *Quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes:* Rom. 12, 18 et 19.
non vosmetipsos vindicantes, carissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim: „Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.“ Nec admonitioni clericorum defuimus[14]), quibus regulariter voluimus subvenire; qui etiam salutare monitum contempserunt. Et ideo vestri erit imperii, nutu Dei prospicere Ecclesiae redintegrationi, Romanae civitatis et provinciarum quieti.

---

ne sic haec intelligas verba, ac veluti universalis Ecclesiae summi pontificis judicio sit subdita, ipse vero summus pontifex sit sui juris, adeo ut a tota Ecclesia ad ipsum appellatio sit, minime autem ab ipso ad totam Ecclesiam. Haud ita sane. Sed summa et suprema auctoritas penes universalem est Ecclesiam. Hanc namque potestatem sive, ut cum Augustino loquar serm. 295 in nat. ss. apost. Petri et Pauli, *has enim claves non unus homo sed unitas accepit Ecclesiae. Equidem propterea unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Hinc lib. 1 contra Jovinianum: ad quem a singulis ecclesiis seu *de qualibet mundi parte* sit appellatio; nec ab illo est ad aliquam privatam ecclesiam appellatio. At nihilominus ad universalem Ecclesiam, nempe ad irrefractabilem concilii generalis definitionem, a summi pontificis judicio appellare fas esse, non tantum Scriptura sacra, ss. patres, sed et ipsi quoque summi pontifices totaque traditio constanti nixa praxi lapsorum retro saeculorum docent“.

[11]) c^9 *cum nec ... valeamus.* Mox alii *locum deputare ... judicibus* (K^{12} addit *his*) *occurrisse praeclamat*; B^1 *judicibus* (*s*) *vis* (eraso *s*). Sed loco hujus *his* (K^{12}) vel *vis* (B^1) legendum est *bis*. Notatur enim duplex Symmachi ad synodum accessus, primus dum haec in basilica Julii, alter dum in basilica palatii Sessoriani convenisset.

[12]) F^d K^{12} *Quia cum nova est et apud nos addire* (F^d *audire*). Sequimur B^1 c^9, nisi quod c^9 cum F^d K^{12} b deinde *nullum constat exemplum.* Hoc loco luculentissime evincitur, gesta Marcellini papae et synodi in ejus causa congregatae spuria esse, quippe patribus illis prorsus incognita.

[13]) B^1 F^d *Volumus*, infra tamen praeterita retinent. Moxque K^{12} b c^3 *qua confessione*, ubi B^1 c^9 *quia confusione*, F^d *quam confusionem.* Deinde B^1 *et timemus et orrescimus*, et paulo post K^{12} b c^3 c^9 *collegasque nostros secundum* (c^9 *secundo*) *direximus orantes.* B^1 F^d sequimur.

[14]) B^1 *adfuimus*, apertus error. In sequentibus autem B^1 K^{12} b reddimus, ubi c^9 *volumus subvenire.* Quia etiam *salutare monitum* (F^d *salutaria monita*, K^{12} *salutare munita*) *contempserunt ideo.* Sed sequentia b c^3 seq. *temperii mutuo* (K^{12} *muto*) *Dei respicere* solo librarii errore, quo extrema littera geminata est et *i* in *e* mutata. B^1 F^d reddimus.

Digitized by Google

a. 501. 12. Nunc rogamus, ut infirmitatibus[15]) et redintegrationi debilitatis nostrae sicut[16]) pii domini succurratis: quoniam calliditati saeculari sacerdotum simplicitas non sufficit, et jam diutius nostrorum mortes et pericula propria[17]) Romae pati non possumus. Sed concedite nobis optatissimo praecepto vestro, ut ad ecclesias nostras liceat nos reverti, quia post haec quae suggessimus nihil est, quod a nobis possit ordinari. **Et alia manu**: Optamus vobis salutem domine[18]) princeps.

IV. Praeceptio[1]) regis quinta missa ad synodum.

Fl. Theudericus rex universis episcopis ad synodum convocatis.

13. Decuerat quidem beatitudinem vestram divinae considerationis reverentia exortum[2]) jam finire negotium: ut vobis ordinantibus submoveri potuisset de tanta civitate confusio, maxime quum praeteritis affatibus jusserimus, quemadmodum vestro[3]) visum fuisset arbitrio, memoratum vos terminare debere certamen, dummodo res sub justa ordinatione finita, dissentientes unitati et concordiae rederentur. Postquam[4]) miramur denuo fuisse consultos, quum si nos de praesenti ante voluissemus judicare negotio, habito cum proceribus nostris de inquirenda veritate tractatu[5]), viam Deo auspice potuissemus invenire justitiae, quae nec praesenti saeculo nec futurae forsitan displicere potuisset aetati. Sed quia non nostrum judicavimus de ecclesiasticis aliquid censere negotiis, ideoque[6]) vos de

---

[15]) K^{12} B^1 F^d c^9 *infirmitatibus et* (c^9 add. *et*, B^1 *redintegrationi*) *de unitatis* (F^d *debilitatis*) *nostrae:* Baronius vero loco *deunitatis*, ad marginem adscripsit *indemnitati*. Liquet errorem esse notarii, qui litteram *b* in *u* et syllabam *il* in *s* haud inusitato more contraxit.

[16]) Editi *quod* (c^9 *quemadmodum*) *pii domini succurratis, quomodo* (c^9 *quoniam*) *calliditati*. B^1 sequimur. F^d *caletate saecularia ... nos sufficit.*

[17]) c^9 *propriarum pati.* Concinnius B^1 F^d K^{12} b *propria Romae.*

[18]) Ita B^1 F^d c^9; K^{12} b *domine pri ceb.*

[1]) B^1 ad marg. notat: *Praeceptio regis quinta missa ad synodum.* Eam ipsam episcopi in superiori synodali constituto n. 8 commemorant. Mox nota *Fl.* (etiam in F^d) idem quod supra n. 4 nota *Fil.* (vel *Fl.*) significari, probabile est. Editi utrumque *Flavius* reddiderunt.

[2]) b c^3 seq. *excitum*, moxque B^1 F^d *finire*, ubi alii *finiisse*. Deinde editi cum mss. *praetentis* (B^1 *praeteritis*) *affectibus*. Nemo in veterum principum litteris tantisper versatus restituendum fuisse negarit *affatibus*, hoc est quod infra *oraculis*.

[3]) Ita B^1, nisi quod cum K^{12} scribit *rem;* alii *vestrum ... arbitrium ... dummodo sub justa ... finitum.*

[4]) Ita B^1 F^d; alii *Quam miramur ... consultum.*

[5]) F^d *tractatum viam do ospice,* B^1 *et tractubiã deo,* moxque K^{12} *justitiae,* unde nostra lectio. Alii *tractatu, Deo ... justitiam.*

[6]) Ita B^1 F^d K^{12} b; c^9 *ideo*. Moxque alii praeter B^1 *evocare*, b *transieri* et ad marg. *transigeretur.*

Digitized by Google

diversis provinciis fecimus evocari, ut sub divini timore judicii a. 501.
totius certaminis vobis disponentibus causa transiret, et urbi nostrae Deo favente optata per vos concordia redderetur. Nunc vero eadem, quae dudum, praesentibus intimamus oraculis, nos coram Deo et hominibus absolventes: ut causam Dei, quam vestrae[7]) congregationis amplissimo senatui, et pacem cleri sperantes, commisimus, quemadmodum visum vobis fuerit, ordinetis[8]); nec a nobis vestri exspectetur forma judicii, sed vos qualiter vultis ordinate. Sive discussa sive indiscussa causa, proferte sententiam, de qua estis rationem divino judicio reddituri, dummodo, sicuti saepe diximus, hoc deliberatio vestra provideat, ut pax senatui populoque Romano submota omni confusione reddatur: ne qua, quod absit, post judicium turba aut aliqua remaneat in civitate discordia. Sin autem secundum mandata nostra concordia sacratissimae urbi a vobis fuerit restituta, hinc[9]) universitas agnoscere poterit justum sacri ordinis vestri exstitisse judicium. Orate pro nobis, domini sancti ac venerabiles patres! Datum sub die Kalendarum Octobris, regnante[10]) supra dicto feliciter.

---

[7]) K[12] *vestram congregationem amplissimam senatu et pace clerici sperante;* F[d] *vestrae congregatione amplissimo senato pace clericis operante commisemus.* B[1] *vestrae congregationis amplissimo senatu et pace cleri sperante,* quibus maxime concordat c[9] *v. c. a. senatui et pacem clericis sperantes,* unde nostra lectio. Alii editi *vestrae congregationi amplissimam* (vel *amplissimum*) *senatus* (c[7] add. *et*) *pace clerici sperantes;* et ad marg. *amplissimi senatus et cleri pacem sperantes.* Coustantius legendum praefert *senatu et parte cleri petente.* Nempe idem Theodoricus superius n. 4 ait se causae hujus cognitionem ad sacerdotale concilium *juxta senatus et cleri petitionem revocasse;* et infra n. 14 audiemus: *ad petitionem senatus vel cleri fecisse ex diversis civitatibus convenire sacerdotes.* Notum est autem, cleri partem alteram Laurentio, alteram Symmacho adhaesisse: adeoque accuratum esset, quod hic diceretur *parte cleri.* Sed codicis nostri lectio mutationem arbitrariam non postulat.

[8]) K[12] b *nec a nobis ordinetis* (b *ordinis*) *vestri exspectetur.* B[1] F[d] c[9] primogenium ordinem verborum retinuerunt, quem reddimus (F[d] *a vobis*).

[9]) Ita B[1], F[d] *hunc,* alii *tunc ... potuerit.*

[10]) Horum loco F[d] *regnum sinod ecc̄t ūs anaguscīc regis;* b *Regum synodi ecclesiastici vos an* (ad marg. *vocem*) *agnoscite* (K[12] *vos anagnuscite*) *regis.* Pro quo ultimo *anagnosticon regis* (i. e. commonitorium seu indiculum, quod rex legendum dedit) reponendum, eaque duo verba subnexo scripto tituli instar praeponenda esse, jam Labbeus conjectavit, et consensit Coustantius, et haec codicis nostri B[1] marginalis nota apposita persuasit: *Anagrosticum regis Teuderici ad synodum missum in urbem Romam.* Sunt autem notae ipsae, quas textu nostro reddidimus, hoc modo scriptae: *Reg. Snd.* (Ball. leg. *Ind.*) *ecc̄t. q̄s. agnostīc. regis.* Quarum tres priores ut nostro modo interpretaremur, induxit nos similitudo sup. praecept. n. 3 et 7, ubi loco *Rēg. Sed. Eccl.* aut *Rēg. Subd. et lctr*, quod in B[1] scriptum, aperte cum c[9] legendum est *Regnante supradicto feliciter.* Deinde *q̄s* fortasse interpretandum *quod sequitur.* Ballerinii eidem loco operam suam advertentes hanc interpretationem priorum signorum proponunt: *Regius Indiculus,* alia peritioribus interpretanda relinquentes. Harduinus, nescio quibus siglis K[12]

Digitized by Google

a. 501. **V. Anagnosticum regis Theuderici ad synodum, missum in urbem Romam.**

Primum salutandi episcopi, et dicendum eis:

14. Causam, quae agitur, si mihi visum fuisset aut justitiam habuisset, ut ego debuissem audire cum proceribus palatii mei, potueram tractare et[11]) judicare, quomodo et Deo placuisset et posteritati ingratum non fuisset. Sed quia causa est Dei et clericorum, ideoque modo ad petitionem senatus vel cleri feci ex diversis civitatibus convenire antistites: velut Deo medio, secundum quod legitis in evangelio et apostolo ad Corinthios, hoc sequamini. Nam[12]) si meum animum requiritis, ut superius dixi, quae praecipit Deus in evangelio, hoc sequamini. Si vero vobis visum fuerit sine discussione causam finire, aut[13]) discussa aut indiscussa, quemadmodum visum vobis fuerit, judicate. Meam personam nolite metuere, reddituri rationem ante conspectum Dei: tantum ut senatum, clerum et populum pacificum dimittatis, et quod judicaveritis scribatis[14]). Nos enim hoc probabimus vos bene ordinare, si populo, senatui, clero pacem integram reddatis. Quod si minime feceritis, ostendetis vos uni parti favisse. Nullius ergo personam ante oculos habeatis; quamvis, si vobis aliquis violenter vellet quae injusta sunt imponere, remissis[15]) rebus vestris justitiam custodire debeatis. Nam multi et vestrae et nostrae religionis episcopi propter Dei causas et de ecclesiis et de rebus suis jactati sunt, et tamen vivunt. Ego non solum impono, sed etiam rogo, ut faciatis, quae Deus praecepit et quae legistis in evangelio et apostolo. Si autem discutitis causam, vel sub aliquo colore[16]) melius causam judicatis. Si autem

---

fultus, totum pro inscriptione subnexi scripti ponit hoc modo: *Synodo ecclesiastico vir spectabilis Anagnosticus regis.* Deinde F^d reddimus. Al. *dicendum eis causa quae agitur. Si mihi etc.*

[11]) Ed. omittunt *et judicare* et mox *feci* (quare c^9 a^3 postea mutarunt *convenere*), F^d *et*, b *ut et* (loco *velut*).

[12]) F^d b omittunt *Nam si — sequamini.* c^9 *requiretis.*

[13]) Ita B^1 K^{12}, et concordat supra n. 13 *sive discussa sive indiscussa causa proferte sententiam.* Alii *aut discussam aut indiscussam*, et omittunt mox *vobis.* Deinde F^d sequimur (*tantum et*), ubi al. *tantum est ut.*

[14]) Scil. ut ipsummet de judicio suo certiorem faciant. Mox editi *autem* loco *enim.*

[15]) B^1 F^d *remissis*, al. *missis.* Moxque alii simili librarii errore *regionis* loco *religionis* (B^1). Certe Theodorici et episcoporum Romae congregatorum adversa non erat *regio* sed *religio.* Sicque ille religionem seu sectam Arianam, quam profitebatur, a catholica distinguere videtur, fortasse persecutiones Constantinopolitanam et Vandalicam innuens.

[16]) Ita B^1 F^d b c^9, nisi quod F^d *meam*, al. *melius.* K^{12} *calorem.* Satis aperte docet Theodoricus, concilium melius facturum, si discussa causa judicium proferat; aut si secus agat, non prohibiturum, quominus objiciant adversarii.

Digitized by Google

indiscussam dimiseritis, datis exemplum sacerdotibus omnino male a. 501.
conversandi. Haec quum diceret, ita proposuit similitudinem. Aliquando[17]) Aspari a senatu dicebatur, ut ipse fieret imperator. Qui tale refertur dedisse responsum: *Timeo, ne per me*[18]) *consuetudo in regno nascatur.* Ita dico et modo, ne irascantur sancti patres nostri: ne per eos, quum non discusserint et ita judicaverint, consuetudo peccandi omnibus sacerdotibus generaliter[19]) fiat. Item si voluerint[20]) discutere causam, ut securus egrediatur, Arigernus, Gudila et Bedeulphus sacramenta ei praestabunt. De[21]) area vero vel de domo Lateranensi, prout judicatum fuerit, eidem synodus reddat[22]). De vindicta, quae sperant post discussionem, si eis placuerit, aut ipsi vindicent, aut nos deputemus, qui legibus exsequantur culpas.

---

quod et ab iis re ipsa objectum esse Ennodius notat, ex hujusmodi judicio confici, *beatum Petrum a Domino cum sedis privilegiis vel successores ejus peccandi licentiam suscepisse.* Quod Petrum apostolum cum aliis discipulis minime obtendisse Petrus Damiani lib. 1 epist. 12 ubi observavit, ad episcopos conversus, *Quae,* inquit, *tanta superbia, ut liceat episcopum per fas et nefas ad propriae voluntatis arbitrium vivere, et quod insolenter excessum est, a subditis suis dedignetur audire!* Ubi sanctus ille vir ab eo procul fuisse se ostendit, quod Isidorus Mercator passim recantat, *ut pastorem suum oves, quae sibi commissae fuerant, reprehendere non audeant.*

[17]) c^9 transverso ordine *aliquando ut ipse fieret imperator, Aspari a senatu dicebatur.* K^{12} b *Asparia* vocant, eodem mendo librariis familiari litteram primam sequentis vocis geminante et antecedenti addente. Idem Aspar a Marcellino comite *primus patriciorum* appellatur. Idem anno 471 cum Ardabure et Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Caesare generoque Leonis Augusti nuncupato, Arianus cum Ariana prole spadonum ensibus in palatio vulneratus, ipsius Leonis imperatoris jussu interiit, ut idem Marcellinus ac Victor Tunonensis tradunt.

[18]) Ita B^1 F^d b. At c^9 add. *peccandi.* Mox b *ut modo,* et deinde K^{12} a^3 *ne transeantur,* ubi B^1 b c^9 *ne irascantur.*

[19]) K^{12} b *generaliter* omisso *fiat* (B^1 c^9), unde b ad marg. cum F^d *generetur.*

[20]) c^9 *voluerit,* moxque b c^3 seq. *Arigerisus,* ubi B^1 K^{12} c^9 *Arigernus* (F^d *Arierus,* al. *Aligernus*). Antea ubi dicitur *ut securus egrediatur,* subaudiendum *Symmachus,* cui rex legatos opem et auxilium conferre, quo ad concilium iret ac rediret securus, ad idque sese sacramento obligare voluit. Nec alia causa, ob quam legati illi missi fuerint, superius num. 7 memoratur.

[21]) B^1 *De arcam vero vel domum,* F^d *de arca vero vel de domo,* moxque b c^3 seq. *eadem,* ubi B^1 K^{12} c^9 *eidem* scil. Symmacho, de quo Theodoricus ita identidem loquitur, ut eum sceleris purum a se existimari non obscure significet.

[22]) Locum antea obscurum ex B^1 restituimus. F^d K^{12} b c^9 *reddat. De vindicta,* (b *reddat de vindictam,*) *quae* (F^d *quia*) *sperant discussionem ... aut nos* (c^9 *quos*) *deputemus* (F^d add. *qui*) *legibus.*

Digitized by Google

Epistola 6

seu

a. 502 d. 6. Nov. **Exemplar[1]) constituti facti a domino Symmacho papa de rebus Ecclesiae conservandis,** vel **Quinta[2]) synodus s. Symmachi papae habita Romae.**

I. De[3]) praelocutione papae Symmachi, qui synodi statuta collaudans clericorum p. 94
suorum culpat excessus, quod inter alia etiam propter constitutum illustris memoriae Basilii a sua communione desciverint.

II. Exemplar ipsius constituti synodo recensetur.

III. Sententia ipsius synodi, qua praefatum constitutum nullius esse momenti decernitur.

IV. Ut nulli apostolicae sedis praesuli possessionem ecclesiae magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare vel commutationis obtentu ad cujuslibet jura transvertere.

V. De domibus ecclesiasticis, quae sunt in urbibus, commutandis.

VI. Ut non liceat presbyteris urbis Romae titulorum suorum praedia, seu quidquid juris eorum fuerit, quolibet alienare commento; qui vero hoc agere tentaverit, ordinis sui ammissione plectatur.

VII. Ut qui petierit praedium ecclesiae et acceperit, aut si quis presbyterorum aut diaconorum nec non defensorum danti subscripserit, anathemate feriatur.

VIII. Ut si quis anathematis poenam parvi duxerit, etiam documento, quo se putat ecclesiae praedium possidere, frustretur, liceatque cuilibet ecclesiasticae personae vocem contradictionis afferre et cum fructibus praeteriti temporis praedia alienata reposcere.

1. Flavio[4]) Avieno juniore viro clarissimo consule sub die VIII Iduum Novembrium in basilica beati Petri apostoli residente[5]) venerabili viro papa Symmacho una cum venerabilibus viris Laurentio[6]),

---

[1]) Ita inscribunt B^1 E^2 H h^1; F^2 *Incipit constitutio s. memoriae papae Symmachi de non alienandis praediis ecclesiasticis,* F^d *Constitutio facta a domno Symmacho papa de etc.,* c^7 seq. *Exemplar constituti facti a Domino Symmacho papa de abroganda lege Odoacris regis repugnante libertati ecclesiasticae in electione pontificis, et de rebus ecclesiae conservandis.*

[2]) De hac quidem synodorum sub Symmacho habitarum supputatione recole, quae in monitis praeviis hujus et proxime antecedentis epistolae, nec non a Mansio coll. conc. VIII, 304 et Hefele Konziliengeschichte II, 623 ss. allata sunt. Pseudo-Isidorus autem pro *quinta synodo* figmentum suum *actionis CCXVIII episcoporum ... post consulatum Avieni* (i. e. anno 503) ponit.

[3]) Tituli sequentes, qui desunt in B^1 F^2 F^d K^{12}, suis locis ipsi textui inseruntur in E^2, repetuntur ex exemplaribus H, ubi tamen in fine post subscriptiones subjiciuntur hac nota: *Item tituli ejusdem concilii.*

[4]) Ita B^1 (*Flaviaeno*), F^2 (*Flavieno*) E^2 H^5 H^{10} H^{13}. At h^1 h^2 *Flavio Avienio,* c^1 *Flavio,* c^7 seq. *Flaviano Avieno,* F^d *Albieno,* K^{12} a^3 *Avieno,* cui favent inscriptiones a cl. Rossio productae et Cassiodori chronicon, in quo ad hunc annum ponitur *Avienus junior et Probus,* sine *Flavii* aut *Flaviani* praenomine.

[5]) h^1 h^2 *praesidente,* moxque c^2 seq. *viris et episcopis,* H^6 *viris suis* (pro *scilicet?*).

[6]) Ordo episcoporum in diversis codicibus diversus. In K^{12} ipsi confusi inter presbyteros intermixti recensentur. Nec melius in codicibus optimae notae B^1 E^2 F^2 F^d H^5, in quibus ne extricari quidem singulorum ordinum series termi-

Digitized by Google

Maximo, Petro, Laurentio, Aemiliano, Tigridio[7]), Felice, Bassiano[8]), a. 502.
Cresconio, Pacationo, Benigno, Rufentio[9]), Innocentio, Johanne,

---

nique possunt. Quumque nec subscriptiones ad calcem appositae strictim concinant, huic loco lucem afferre post multos labores supersedendum rati, ordinem codicum Hadriani, quem cum Isidoro etiam conciliorum editiones secutae, in textu reddidisse satis habuimus, praecipuorum quorumdam exemplarium seriem in notis adjicientes.

Hic ergo est ordo B[1], saltem in initio indubie melior: *Laurentio, Petro, Eulalio, Aemiliano, Fortunato, Felice, Eustasio, Cresconio, Jocundo, Benigno, Maximo, Innocentio, Laurentio, Maximo, Tegridio, Johanne, Bassiano, Pacatiano, Candido, Rufentio, Fortunato, Johanne, Euticio, Stephano, Aprile, Sereno, Mercurio, Proculejano, Fortunato,* (incipit nova columna, ubi jam non prorsus patet, quo ordine nomina legenda), *Laurentio, Asello, Marciano, Stephano, Pascasio, Memore, Hilaro, Felice, Innocentio, Augusto, Colonico, Chrysogono, Maximiliano, Rustico, Felice, Sallustio, Helpidio, Probo, Innocentio, Amando, Hilaro, Basilio, Concordio, Florentio, Innocentio, Propinquo, Gerontio, Valentino, Vitale, Romano, Severo, Dulcitio, Venerioso, Urso, Casto, Asello, Silvino, Adeodato, Arestone, Martiniano, Severino, Eusebio, Martyrio, Projecticio, Sebastiano, et Venantio eps. Vindemio, Residentibus, Viatore, etiam Mercurio, Projecticio, Servodei, Martino, Asterio, Epiphanio* (hic finis columnae, quare fortasse omnia hactenus nomina inter episcoporum numeranda et ante *et Venantio eps* inserenda), *Sebastiano, Paulino, Servodei, Johanne, Epiphanio, Laurentio, Abundantio, Adeodato, Paulino, Stephano, Marcello, Petro, Benedicto, Chrysogono, Pascasio et Chrysogono* (hinc per seriem rectam non per lineas verba lego), *Adeodato, Timotheo, Hilaro, Marco, Venantio, Petro, Litorio, Tinulo, Fortunato, Octaviano, Anastasio, Vincemalo, Juliano, Agatone, Crescentio, Juliano* (haec quidem est infima columnae hujus linea, unde ad superiorem, quam post voces *et Chrysogono* reliqui, redeo), *Severo vel Maximo pbr. Adstantibus quoque diaconibus Anastasio, Johanne, Hormisda et Agapito, Symmachus etc.*

E^2 H^9 hunc ordinem praebent: *Laurentio, Maximo etc. — Chrysogono et Venantio eps. Rustico, Residentibus etiam* (E^2 add. *venerabilibus sacerdotibus*) *Sallustio, Projecticio, Probo, Martino, Amando, Epiphanio, Basilio, Sebastiano, Florentino* (E^2 *Lorentio*), *Optaviano, Servodei, Anastasio, Epiphanio, Vincomalo, Abundantio* (H^9 add. *item*) *Vincomalo, Paulino, Juliano, Marcello* (deinde H^9 persequitur ordinem nostrum usque ad verba *Tinulo vel Maximo pp. bb. Fortunato. Adstantibus etiam etc.* E^2 autem aic pergit:) *Severo, Paulino, Johanne, Adeodate, Timotheo, Laurentio, Hilaro, Adeodato, Marco, Stephano, Venantio, Petro, Litorio, Petro, Chrysogono, Tinvilo, Chrysogono, Maximino, Fortunato. Adstantibus etc.* Denique F^3 F^4 H^{10} hunc ordinem servant: *Laurentio, Petro, Aemiliano, Felice, Cresconio,* (H^{10} *Acresconio*), *Benigno, Innocentio, Maximo, Johanne,* (F^4 sequentes usque ad *Sereno* omittit), *Eulalio, Fortunato, Eustathio, Jocundo,* (H^{10} solus addit: *Fortunato, Euticio, Aprile, Mercurio, Fortunato, Asello, Stephano*), *Maximo, Laurentio, Tigrino* (H^{10} *Frigido*), *Bassiano* (H^{10} *Cassiano*), *Pacatiano, Rufentio* (H^{10} *Rurifino*), *Johanne, Stephano, Sereno, Proculejano, Laurentio, Marciano* (H^{10} *Martiano*), *Candido, Fortunato, Eutychio, Aprile, Merentio* (F^4 H^{10} *Mercurio*), *Fortunato,* (F^4 sequ. usque ad *Concordio* omittit), *Asello, Stephano, Pascasio, Memore, Hilaro* (H^{10} *Hylaro*), *Innocentio, Colonico* (H^{10} *Colonio*), *Maximiliano* (H^{10} *Maximiniano*), *Felice, Helpidio* (H^{10} *Elpidio*), *Innocentio, Hilaro, Concordio, Innocentio, Gerontio, Vitale, Severino* (H^{10} *Seretino*), *Venerioso* (H^{10} *Regenerioso*), *Casto, Silvino, Arestone, Severino,* (hinc in F^4 alia nomina: *Fortunato, Eustadio, Jocundo, Maximo, Laurentio, Tegricio, Bassiano, Pacatiano, Rofentio, Iohanne, Stephano, Sereno, Amando, Basilio etc.* ut

Digitized by Google

a. 502. Maximo, Stephano, Johanne, Sereno, Eulalio, Proculejano[10]), Fortunato, Laurentio, Eustathio, Marciano, Jocundo, Candido, Fortunato, Felice, Eutychio, Elpidio, Aprile, Innocentio, Mercurio, Hilaro, Fortunato, Concordio[11]), Asello, Innocentio, Stephano, Gerontio, Paschasio, Vitale, Memore, Severino, Hilaro, Venerioso, Innocentio, Casto, Colonico[12]), Silvino, Maximiliano, Arestone, Severino, Propinquo, Martyrio, Valentino, Sebastiano, Romano, Vindemio, Victore[13]), Dulcitio, Urso, Mercurio, Asello, Servodei, Adeodato, Asterio, Martiniano, Felice, Eusebio, Augusto, Projecticio, Chrysogono, Venantio[14]), Rustico, Sallustio, Probo, Amando[15]), Basilio et Florentio episcopis; residentibus etiam Projecticio, Martino, Epiphanio, Sebastiano, Servodei, Epiphanio, Octaviano[16]), Anastasio, Abundantio, Vincemalo[17]), Paulino, Juliano, Marcello, Agathone, Benedicto, Crescentiano, Paschasio, Juliano, Severo, Paulino, Adeodato, Johanne, Timotheo, Laurentio, Hilaro, Adeodato, Marco, Stephano, Venantio, Petro, Petro, Chrysogono, Litorio et Chrysogono, Tinulo vel Maximo, Fortunato presbyteris; adstantibus quoque diaconibus Anastasio, Hormisda, Johanne et Agapeto, Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit:

---

infra). *Martyrio, Sebastiano, Vindemio, Victore, Mercurio, Servodei, Asterio, Felice, Augusto, Chrysogono* (H[10] *Crisogono*), *Rustico, Salustio, Probo, Amando, Basilio* (H[10] *Brobo, Cando, Bassalio*), *Florentio* (H[10] addit *Venantio*), *Propinquo, Valentino, Rortacio* (F[d] H[10] *Romano*), (F[d] H[10] addunt *Dulcitio, Urso, Asello, Adeodato, Martiniano,* F[d] *Marciano et Petro, Resedentibus etiam etc.*), *Eusebio, Projecticio et Venantio* (F[e] pergit: *eps. Residentibus etiam Projecticio etc.* ut in textu nostro; H[1b] autem in hunc modum:) *Projectio, Martiniano, Epifanio, Sebastiano, Servodei, Epiphanio, Abundantio, Paulino, Marcello, Benedicto, Pascasio, Severo, Adeodato, Timotheo, Hylaro, Marco, Venantio, Petro, Victorio, Tinulo, Fortunato, Octaviano, Anastasio, Vincomalo, Juliano, Agatone, Acrescentiano, Juliano, Paulino, Johanne, Laurentio, Adeodato, Stephano, Petro, Crisogono et Crisogono et Maximino presbyteris, adstantibus etc.* In F[d] etiam hoc loco ordo prorsus alius.

[7]) B[1] *Tegridio,* F[2] *Tigrino,* H[10] *Frigido.*

[8]) E[2] H[10] *Cassiano.* In subscriptionibus dicitur *Bassus.* Mox h[1] h[2] *Crescone,* H[10] *Acresconio.*

[9]) H[10] *Rurifino,* h[1] h[2] *Refentio.*

[10]) H[8] *Preuleiano,* moxque h[1] h[2] *Eustachio.*

[11]) h[1] h[2] *Conandio.*

[12]) E[2] H[10] *Colonio ... Maximiano* (H[10] *Maximiniano*), h[1] h[2] *Siluno ... Aristone.*

[13]) E[2] H[8] *Dulcitio* (H[8] *Dulcio*) *Victore,* B[1] *Viatore,* H[1] *Victuri.*

[14]) E[2] H[8] *et Venantio eps. Rustico. Residentibus etiam* (E[3] addit *venerabilibus*) *presbyteris Salustio etc.* (cf. not. 6), interpositis sequentibus episcoporum inter presbyterorum nomina.

[15]) H[10] *Cando, Bassalio.*

[16]) E[2] H[8] cum multis aliis mss. *Optaviano,* alii *Obtaviano,* H[4] *Obtabiano.*

[17]) H[8] H[10] *Vincomalo,* h[1] h[2] *Vicomalo.* Mox H[5] *Crescentione,* B[1] *Crescentio,* H[10] *Acrescentiano.*

Digitized by Google

I. a. 502.

2. *Bene quidem fraternitas vestra, ecclesiasticis legibus obsecuta, sub divini timore judicii, quae erant statuenda, definivit, et ad justitiae cumulum*[18]) *pervenit, dum sufficienter universa complectitur. Nec adjectione indiget plenitudo, maxime de clericis, quos amor dominationis invasit et jugum disciplinae ecclesiasticae fecit respuere, quos propterea schisma fecisse apud vos constitit. Quibus misericordiam tamen, quam Deus mandat universis impendi, sicut oportuit, non negastis*[19]), *si duritia cordis eorum non sibi acquirat poenam, dum contemnit oblata remedia. Quorum excessus enarrare difficile est; unum tamen, quod occurrit, venerando ordini vestro intimare non differo.*

3. *Dixerunt inter alia, scripturam quamdam illustris memoriae Basilium quasi pro ecclesiasticae amore substantiae conscripsisse, in qua nullus Romanae ecclesiae nec interfuit nec subscripsit antistes, per quem potuisset sortiri legitimam firmitatem. Tamen*[20]) *ne ego inde disputem, unde potest vestrum judicare concilium: requiratur et deferatur in medium, ut lectione agnoscatis, cujusmodi possit habere substantiam.*

Sancta synodus respondit: *Deferatur in medium, ut cujusmodi sit, possit agnosci.* Et dum diceret, Hormisda diaconus recitavit.

II.

Exemplar[21]) **scripturae.**

4. Quum in Mausoleo[22]), quod est apud beatissimum Petrum

---

[18]) F[d] *culmen.* Mox E[2] *maxime cum de,* ac deinde H[3] *quod amor* et omittit *fecit respuere.* F[d] omitt. *apud vos.*

[19]) Uti fidem facit superius constitutum seu epist. 5 n. 11, unde et conficitur, quod aliunde constat, nempe hoc alterum constitutum illo esse posterius.

[20]) Ita B[1] F[d] (K[12]?). E[2] F[2] H c[1] h[1] *Ne ego* (h[1] *ergo*) *inde,* c[2] seq. *Ne vero ego inde disputem, sed ut possit ... referatur,* ac mox c[1] *constantiam.*

[21]) Titulus hic, in vulgatis praetermissus, revocatur ex mss. In E[2] idem minio sic profertur: *Exemplar ipsius constitutionis synodi recensetur.* Subnexa scriptura post obitum Simplicii, quum jam clerus utens jure suo successorem ejus eligere tentasset ac forte circa facultates ecclesiae quidpiam ordinasset, adeoque anno 483 circa initium Martii proposita fuit. Sed Odoacris petitioni Basilii opera propositae clerum Romanum, nominatimque Gelasium, qui Felici successit, intercessisse jam alibi observavi. Neque enim alio referri queunt haec illius verba epist. 26 n. 11: *nos quoque Odoacri barbaro haeretico regnum Italiae tunc tenenti, quum aliqua non facienda praeciperet, Deo praestante nullatenus paruisse manifestum est.* Sane in ipsius Gelasii et Anastasii Symmachive electionibus nihil hujusmodi rex sibi vindicavit. Sed quum Festus ejusque factionis socii nec ordinatione Laurentii nec Symmachi accusatione quidquam profecissent, quo eum a pontificatu dejicerent, novam hanc moverunt machinam, ut saltem invidiam ei apud regem, cui tantum debebat, facerent.

[22]) Ita B[1] F[2] F[d] K[12]; alii vero *Cum in unum apud* ac mox F[d] c[1] *resedisset.* Mox K[12] *temporibus Vandalorum* inserit, nescio quo loco. F[d] *Odobacris,* H[3] *Odagris.*

Digitized by Google

a. 502. apostolum resedissent, sublimis et eminentissimus vir, praefectus praetorio atque patricius, agens etiam vices praecellentissimi regis Odoacris, Basilius[23]) dixit: „Quamquam studii nostri et religionis intersit, ut in episcopatus electione concordia principaliter servetur Ecclesiae, nec[24]) per occasionem seditionis status civilitatis vocetur in dubium, tamen admonitione beatissimi viri papae nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut praeter ullum strepitum et venerabilis Ecclesiae detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio."

5. Et quum legeret, Cresconius episcopus civitatis Tudertinae ecclesiae surgens e consessu[25]) dixit: *Hic perpendat sancta synodus, ut praetermissas personas religiosas, quibus maxime cura est de tanto pontifice, in suam redegerint potestatem; quod contra canones esse manifestum est.*

Item Hormisda diaconus legit: „Ne[26]) quid confusionis atque dispendii venerabilis Ecclesia sustineret, miramur, praetermissis nobis quidquam fuisse tentatum; quum[27]) sacerdote nostro superstite nihil debuisset assumere. Quare, si amplitudini vestrae vel sanctitati placet, incolumia omnia, quae ad futuri antistitis electionem respiciunt, religiosa moderatione[28]) servemus, hanc legem specialiter praeferentes, quam nobis haeredibusque nostris Christianae mentis devotione sancimus: *Ne unquam praedium seu rusticum sive urbanum, vel ornamenta aut ministeria ecclesiarum, quae nunc sunt vel*

---

[23]) Basilium hunc, monet Severinus Binius, non alium existimandum esse ab illo Caecina Basilio, consulari Romae spectatissimo, in cujus laudem plura habet Sidonius Apollinaris epist. I, 9.

[24]) Ita B^1 F^d c^1 et mss. a^3; alii *ne per*. Mox K^{12} c^2 seq. ad marg. *civitatis*. et K^{12} *vocetur in divinam* (fortasse *ruinam*), F^d *divium ... p. n. Symmachi;* deinde H^{10} omittit *viri*. Paulo post B^1 F^2 c^1 a^3 *praeter* (F^2 *propter*) *ullum*, E^2 F^d H^8 *praeter illum*, alii editi *propter illum*. Odoacrem nullo ei novo jure attributo potuit obtestari Simplicius, ut post obitum ipsius omnem tumultum compescere nec ullum sineret Ecclesiae rebus damnum inferri. Sed hoc, ut *non sine regis consultatione celebraretur electio*, Simplicii preci videtur adjectum ex regiorum videlicet administrorum prava interpretatione, istud velut ex praedicta prece consequens vindicantium.

[25]) B^1 E^2 F^d H^8 *consensu*. Mox B^1 E^2 F^2 F^d H^8 H^{10} h^1 *praetermissas personas religiosas*, ubi c^2 seq. *praetermissis personis religiosis ... pontifice electionem laici in suam*, sine auctoritate mss. F^d ibidem *redigeret*.

[26]) B^1 E^2 F^2 H^8 *Neque* (F^2 F^d *Ne quid*) *confusionis atque dispendii* (E^2 *stipendiis venerabilis ecclesiae sustinere*, unde cum h^1 h^2 c^1 a^3 nostra lectio. Alii *Nam et cum quid* (ad marg. *Cui nequicquam*) et pro *tentatum* ad marg. notant *testatum*.

[27]) Ita B^1 E^2 F^2 F^d H^8 h^1 c^1; editi alii *cum etiam sacerdote ... nihil sine nobis debuisset assumi*.

[28]) E^2 et 2 mss. Coust. *honoratione* et in horum uno superscriptum est *rei veneratione*. In pluribus aliis *honeratione* aut *oneratione*. Praeferendum cum B^1 F^2 F^d K^{12} a^3 *moderatione*. Mox F^d *sanximus*.

Digitized by Google

quae[29]) *ex quibuslibet titulis ad ecclesiarum jura pervenerint, ab eo,* a. 502.
qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus, et illis, qui futuris saeculis sequentur, quocunque titulo atque commento alienentur[30]). *Si quis vero aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur; sitque facienti vel consentienti accipientique anathema".*

6. Maximus episcopus Bleranae[31]) ecclesiae dixit: *Modo sancta synodus dignetur edicere, si licuit laico homini anathema in ordine ecclesiastico dictare, aut si potuit laicus sacerdoti anathema dicere, et contra canones, quod ei non competebat, constituere. Dicite, vobis quid videtur? De me licuit laico legem dare?* Sancta synodus dixit: *Non licuit.* Et adjecit: *Lege sequentia.*

Hormisda diaconus legit: *„Et is, qui praedium rusticum vel urbanum juris ecclesiastici fuerit consecutus, noverit se nulla lege vel praescriptione munitum: sed sive is*[32]), *qui alienaverit, sive qui eum sequentur, voluntate contraria praedium hujusmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consecutus".*

Et quum legeret, Stephanus episcopus Venusinae ecclesiae surgens e consessu dixit: *Nec*[33]) *loci illius erat ista praesumere.* Sancta synodus dixit: *Perlegatur!* Hormisda diaconus legit:

III.

7. *„Quam etiam poenam placuit accipientis*[34]) *haeredes prohaeredesque respicere. In qua re cuilibet clericorum contradicendi libera sit facultas. Iniquum est enim et sacrilegii instar, ut quae vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit aut certe reliquerit, ab his, quos haec maxime servare convenerat, in*[35]) *alterum transferantur. Plane quaecunque in*

---

[29]) E² omittit *quae.* Mox K¹² *sub electione fuerit ordinatus.*

[30]) Ita cum c² seq. scripsimus. c¹ h¹ h² cum mss. B¹ E² F² Fᵈ H O omittunt *alienentur. Si quis vero aliquid eorum.* a¹ praefert lectionem K¹² ut *nitidiorem et puriorem ac magis sibi cohaerentem,* quam expiscari non potui.

[31]) Ita B¹ E² F², ut et in subscriptionibus. K¹² *Pleranae,* alii *Pledanae* vel *Bledanae.*

[32]) E² *de his quae alienaverit sive qui eum sequentur* (*sive qui eum sequentur* etiam B¹ F² Fᵈ h¹), c¹ *sive eum qui frequenter,* c² seq. *sive is, qui consequenter.*

[33]) Verba sequentia, usque ad hoc num. 9. *Perlegatur,* quae hactenus defuerunt, ex B¹ F² Fᵈ K¹² supplentur. In B¹ autem desunt paulo antecedentia *Stephanus* usque ad *surgens.* — Ibi vero *loci hujus* perinde est atque *conditionis hujus.*

[34]) E² F² Fᵈ (sec. manu) Hᶜ h¹ *accipientes.*

[35]) E² H *in altitudine,* H¹⁰ *in alterantudine,* O cc *in alienitatem.* Concinnius B¹ F² K¹² Z *in alterum,* Fᵈ *in alteram.* Ab haeretico etiam et barbaro aperte hic commendatur mos antiquus praedia aliave Ecclesiae conferendi, non modo ut habeat, unde pauperibus subveniat, sed ut ejus etiam precibus animae post mortem subleventur. Item ab eodem sacrilegii damnantur, qui ea in alterum usum convertere non timent.

Digitized by Google

a. 502. *gemmis vel auro atque argento nec non et vestibus minus apta usibus vel ornatui videbuntur ecclesiae, quae servari ac diu manere non possunt, sub justa aestimatione vendantur, et erogationi*[36]) *religiosae proficiant*".

8. Quumque lecta fuisset, Laurentius, episcopus Mediolanensis ecclesiae, dixit: *Ista scriptura nullum Romanae civitatis potuit obligare pontificem, quia non licuit laico, statuendi in Ecclesia praeter papam Romanum habere aliquam potestatem. Quos*[37]) *obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, maxime quum nec papa Romanus subscripserit, nec alicujus secundum canones metropolitani legatur assensus.*

9. Petrus episcopus Ravennatis ecclesiae dixit: *Scriptura*[38]), *quae in nostra congregatione vulgata est, nullis eam viribus sustinere manifestum est; quia nec canonibus convenit, et*[39]) *a laica concepta persona videtur, maxime quia in ea nullus praesul sedis apostolicae interfuisse vel propria subscriptione firmasse monstratur.*

10. Eulalius episcopus Syracusanae ecclesiae dixit: *Scriptura, quae*[40]) *in sacerdotali concilio recitata est, evidentissimis documentis constat invalida. Primum, quod contra patrum regulas a laicis, quamvis religiosis, quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, facta videtur. Deinde, quod nullius praesulis apostolicae sedis subscriptione firmata docetur. Quodsi, cujuslibet provinciae sacerdotes*[41]), *intra terminos suos concilio habito, quidquid sine metropolitani sui antistitis vel auctoritate tentaverint,*

---

[36]) F^d H^s h^1 *erogatione* (h^1 *erogatio*) *religiose.* Moxque E^2 *ista scriptus nullus.* B^1 F^2 *juxta scriptura.*

[37]) Ita B^1 F^d h^1 a^3. Alii mss. *quo subsequendi*, O^{12} cc *cui obsequendi.* — *Quos* idem ac *cujusmodi viros* sonat.

[38]) Ita B^1 E^2 F^2 F^d H^s K^{12}, nisi quod H^s sec. manu *nullas eam vires*, K^{12} *nullis enim viribus.* Sed mss. a^3 (excepto O^{12}) *scripturae*, ubi supplendum foret *nulla est auctoritas.* Editi *nullis eam viribus subsistere* (ad marg. *sustineri*).

[39]) Ita B^1 F^2 F^d; H^s *a laicali concepta*, E^2 *laica non coepta*, H^{10} c^7 ad marg. *a laica nunc persona concepta*, c^7 *laica persona concepta*, h^1 *a laica pers. conc.*

[40]) F^d omitt. *quae* et *est.* Mox B^1 *instat*, et E^2 *religiosis viris.*

[41]) Ita B^1 E^2 F^2 F^d H^s h^1, nisi quod B^1 *testatum erit*, E^2 H^s *testaverint*, F^d *instituerit*, et h^1 omittit *vel.* O^{12} c^1 *sacerdos ... suive antistitis autoritate ... testatus fuerit*, alii O *testatum fuerit*, alii H *testaverit.* c^2 seq. *sacerdotes ... quidquam sine metropolitani suive antistitis auctoritate tentaverint.* Lectionem K^{12}, quam a^3 praefert, explorare non potui. Contra lectionem H O repugnat usus Ecclesiae; nam episcopis testandi facultatem negatam nisi metropolitani auctoritas accederet, nusquam legimus. Hispani ad Hilarum papam epist. 14 n. 2 de Barcinonensi episcopo recens defuncto duo renuntiant, primum eum Irenaeo cuidam, quod potuit habere, supremae voluntatis arbitrio dereliquisse; alterum, ut idem Irenaeus in suum ipsius locum substitueretur, eum optasse. Hilarus vero epist. 16 n. 4 et epist. 17 n. 2 rescribens, hoc postremum vehementer improbare contentus, de primo prorsus tacet. Id tantum circa episcoporum testamentum concilia Agathense c. 51 et Epaonense c. 17 cavent, ut *si episcopus condito testamento*

Digitized by Google

irritum esse debere patres sancti sanxerunt: quanto magis, quod in a. 502. *apostolica sede, non exsistente praesule, qui praerogativa*[42]) *meritis beati apostoli Petri per universum orbem primatum obtinens sacerdotii, statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, a laicis, licet consentientibus aliquantis episcopis (qui tamen pontifici, a quo consecrari probantur, praejudicium inferre non potuerunt), praesumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri!*

11. Sancta synodus dixit: *Liquet*[43]) *secundum prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum Laurentii, Petri, Eulalii, Cresconii, Maximi vel Stephani, nec apud nos incertum habetur, hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, quae, etiamsi aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus in synodali conventu provida beatitudinis vestrae sententia enervari conveniebat et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret praesumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacunque civitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus; quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur.*

12. Symmachus episcopus dixit: *Modo quia Deus praesentiam vestram votivam mihi sub qualibet occasione concessit, volo, si placet, rem fieri firmam, quam credo ecclesiasticis facultatibus convenire, ut*[44]) *agnoscant omnes, quos in me vanus furor excitavit, nihil me magis studere, quam ut salvum esse possit, quod mihi est a Deo sub dispensatione commissum; sed etiam quibuslibet successoribus Deum timentibus gratum esse debeat et ad ecclesiastici custodiam patrimonii pertinere.*

---

aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valeat, nisi tantumdem de juris proprii facultate suppleverit. At vero circa vendendi facultatem, de qua hic maxime agitur, idem Epaonense concilium c. 12 praecipit: *Nullus episcopus de rebus ecclesiae suae sine conscientia metropolitani sui vendendi aliquid habeat potestatem.* Sic et Afris in concilio Carthaginensi V c. 4 *placuit, ut rem Ecclesiae nemo vendat: quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati ipsius provinciae.* Permittunt tamen, *ut si tanta necessitas urget Ecclesiae, ut non possit ante primatem consulere, habito vicinorum episcoporum concilio necessitati huic prospiciatur:* quod in Italia non satis fuisse ex verbis Eulalii, quae expendimus, conficitur.

[42]) Ita B^1 F^2 F^d (K^{12}?), nisi quod B^1 *praerogativam*, F^d *praerogativam meriti;* H c^1 *beati meritis*, O c^2 seq. *beati meritis.* — Sequens n. 11 in E^2 ita minio inscribitur: *Sententia ipsius synodi qua praefatum constituit nullius esse momenti decernitur.*

[43]) Mss. nostri cum h^1 c^1 *licet*, quod indubie cum c^2 seq. *liquet* mutavimus. Tum B^1 *Chrysogoni*, deinde E^2 *apud vos* et omittit *nullius.* Mox c^7 seq. *quam etiamsi.* F^d corrupte *providebat b. v. sententiae servare c. e. in rectum deduci ve in exemplo.*

[44]) E^2 H^6 *et.* Mox E^2 *omnes in me non vanus furor ... salvus esse possim.* Mox vocem *successoribus*, quam c^7 seq. ad marg. posuerunt, cum B^1 F^2 F^2 H^6 h^1 suo loco restituimus.

Digitized by Google

a. 502. Sancta synodus dixit: *Scimus provisionem vestram necessariis*[45]) *studere, et ideo in vestra est potestate sequenda disponere.*

13. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: *Magna quidem venerando et sacerdotali debetur cultura proposito, cui imminet de studio quae recta sunt, non de necessitate, disponere. Sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus vitiorum mater avaritia, repudiatis honestatis repagulis, totum putat expedire quod licet*[46]): *et ita, dum praedae inhiat, patientia supernae pietatis abutitur, ut*[47]) *exspectantibus correctionem coelo moderante judiciis se existiment non teneri, et clarum sit, quod apud certos in occasionem rapiendi procedat divinae mora sententiae. Sed nos*[48]), *quos pastoralis cura et ecclesiasticae adstringit pro dispensatione credita ratio reddenda substantiae, opus est, ut sollicitudinem nostram non solum ad praesentia sed etiam ad secutura saecula porrigamus: ne ad animae nostrae detrimenta contingat, si hi, qui possunt statutis debere innocentiam*[49]), *praesumentes de libertate, deliquerint, quum religiosa possint et nos et successores nostri potestate fulciri, legibus ecclesiasticis servientes.*

IV.

14. *His ergo perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus:* ut nulli apostolicae sedis praesuli a praesenti die, donec disponente Domino catholicae fidei manserit doctrina salutaris[50]), liceat praedium rusticum, quantaecunque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre. Nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu, quippe quum non sit personale, quod loquimur: nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Sed nec in[51]) usumfructum rura aliquibus dari liceat, nec data retineri,

---

[45]) K[12] *necessaria custodire: in vestra est potestate disponere.* O[12] *necessario studere et ideo in vestra etc.* Mox E[2] H[9] *sacerdoti.*

[46]) In vulgatis *libet*, magis placet cum mss. *licet*. Alludit quippe ad illud Pauli 1 Cor. 10, 22 *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, nec non ad istud ibid. 10, 23: *Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant*, ubi licentia ac libertas notatur externis quidem non repressa legibus, sed interna et naturali lege reprehensa.

[47]) K[11] c[1] seq. omisso *ut* postea *existimant n. t. cum clarum.* Sequimur B[1] F[d] K[12], qui deinde cum E[2] F[2] H *et clarum* (ed. *cum clarum*).

[48]) Ita B[1] E[2] F[2] H[8]. Editi *nobis*, et mox c[2] seq. *ecclesiastica.* F[d] omitt. *nos.*

[49]) Ita mss. At F[d] *et nossent successoris*, h[1] h[2] *innocentia praesumentis ... deliquerit*, O[12] cc *et nostra et successoris nostri.*

[50]) F[d] K[12] O[12] c[1] *salvatoris.* Mox F[d] *excusante ... nec aliquid.*

[51]) Ita omnes mss. etiam B[1] F[2] F[d] H[8] H[10], nisi quod F[d] *dare liceat nec dare nec retinere.* O[12] c[1] seq. *in usufructuario jure ... dare retinere*, h[1] h[2] *in usufructum jura.* De clericis nominatim Agathense concilium can. 22 hoc statuit: *ut salvo jure ecclesiae rem ecclesiae, sicut permiserint episcopi, teneant, vendere autem aut donare penitus non praesumant;* idque ea in re statuere se praefatur, quod omnes canones jubent.

Digitized by Google

praeter clericos et captivos atque peregrinos: ne malae tractationis a. 502.
ministretur occasio, quum liberalitati[52]) mille alia itinera reserventur.

V.

15. Sane tantum[53]) domus in quibuslibet urbibus constitutae, quarum statum necesse est expensa non modica sustentari, acceptis, si offerri contigerit, sub justa aestimatione reditibus, et divini timore judicii commutentur.

VI.

16. Pari etiam ecclesiarum per omnes Romanae civitatis titulos, qui sunt presbyteri vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes: quia nefas dictu est, obligatione, qua se per caritatem Christi connectit summus pontifex, ea hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri. Quicunque tamen oblitus[54]) Dei et decreti hujus immemor, cujus Romanae civitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum praesens committens, quidquam de jure titulorum vel ecclesiae superius praefatae quolibet modo, praeter aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque, si sunt, vel si accesserint aliqua[55]) mobilia ad ornamenta divina minime pertinentia, perpetuo jure, exceptis dumtaxat sub praefata conditione domibus, alienare tentaverit: donator, alienator ac venditor honoris sui amissione mulctetur.

VII.

17. Praeterea, qui petierit aut acceperit, vel[56]) qui presbyterorum aut diaconorum seu defensorum danti subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. Sitque accipienti vel subscribenti de personis superius comprehensis, id est quas anathemate feriri censuimus, in[57]) statuta poena contubernium, servata,

---

[52]) Ita B^1; E^2 *liberalitati ille alia*, F^d c^1 *liberalitate ille alia* (F^d *alie temere*), vulgati alii cum mss. H *liberalitati illi alia*. Sed jam antiquo scholiasti, advertit Constantius, non placuit haec lectio; siquidem in uno H^3 superscripsit, *vel illa ad itinera*. Ita vero mendosa est in K^{12}, ut nihil ex ea certum dicere liceat; sic enim habet: *cum libertate ille alie timere reserventur*. In uno etiam Coislin. legimus *cum liberalitati illae aliae temere reserventur*. Quamquam integra videbitur lectio, si pro *aliae temere* legatur *aliae terrae*. Vide infra epist. 15 n. 2.

[53]) B^1 F^d *tantummodo in* (F^d *ex*). Mox c^1 *cujuslibet in*, deinde h^1 *auferri*, E^2 F^d H^9 H^{10} *aestimatione* (al. *existimatione*), H^{10} *committentur*, alii *commodentur*. — Porro hic titulus in H^9 H^{13} sine distinctione priori adjectus est, ita ut deinceps titulorum numerus uno minor sit.

[54]) Ita B^1 E^2 F^2 F^d H^9 H^{10} K^4 h^1 c^1, ut et Agapetus in epist. 2 n. 2. At c^7 seq. *obligatus*. Paulo ante F^d *eam homines ... non tinere*.

[55]) B^1 *aliaque*.

[56]) F^d omitt. *qui*. Mallemus *vel cui* seu *vel alicui*. Mox K^{12} *datis*, B^1 F^d (prima manu) *dantis*, deinde B^1 E^2 *quod iratus*.

[57]) Editi *instituta poena contubernalium servata*, h^1 *in statuta plena* (ad marg. *poena*) *contubernium*; emendantur ex scriptis, quibus favet quamvis mendosum Agapeti epistolae 2 exemplar.

Digitized by Google

a. 502. quam praemisimus, in alienatore vindicta, nisi forte et alienator sibi, dum repetit, et qui acceperit, celeri restitutione prospexerit.

VIII.

18. Quodsi minore animae suae cura quisquam remedium oblatum forte neglexerit, supra ea poenarum genera, quae superius tenentur adscripta, contra fas si quod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, effetetur[58]). Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre[59]), et ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere: nec[60]) aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Hujus autem constitutionis legem in apostolica tantum volumus sede servari, universis[61]) ecclesiis per provincias secundum animarum considerationem, quam proposito religionis convenire rectores earum viderint, more servato.

Subscriptio.

19. Coelius[62]) Symmachus episcopus ecclesiae Romanae huic constituto a nobis facto subscripsi.

Laurentius[63]) episcopus sanctae Mediolanensis ecclesiae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi.

Petrus episcopus catholicae Ravennatis ecclesiae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi.

Eulalius episcopus ecclesiae Syracusanae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi.

---

[58]) h[1] *effectetur*, c[1] *efferetur*, H[10] *effecetur*, F[d] *nullum habuerit effectum*.

[59]) E[2] *efferre;* H O K[4] c[1] *offerre*. Ceteri vero editi cum B[1] F[2] F[d] K[12] Q *afferre:* quomodo legitur et in *titulo*, qui in coll. Hadr. capitulo praefigitur. Mox F[1] H[8] h[1] *aliena*.

[60]) Ita cum K[7] H O nostri mss. et editi. a[3] ex K[12] aliam lectionem praefert, mutans tamen ejus *muniat* in *inveniat*. — F[d] deinde omitt. *tantum*.

[61]) Ita B[1] E[2] F[2] F[d] H[8] K[12] h[1]; editi alii addunt *in*. Mox B[1] *more servans*, E[2] *more servatum*, F[d] *more servantibus*. Permittit igitur Symmachus Afris uti lege sua, qua concilium Carthaginiense V can. 4 alienationem necessitate interveniente non prohibet. Neque etiam vetat Gallis, quominus commutationes, quas ipse videtur excludere, in Epaonensi concilio can. 12 omnibus permittant, atque in Agathensi c. 45 episcopo etiam sine consilio fratrum terrulas aut vineolas, si necessitas fuerit, distrahendi potestatem faciant.

[62]) In ordine et forma subscriptionum praecipuum nostrum B[1] sequimur. A quo mss. H O ita differunt, ut et seriem paulo aliam retineant, et verba *episcopus ecclesiae ... subscripsi* omittant. In K[12] etiam primae subscriptiones in hunc modum proferuntur: *Symmachus episcopus ecclesiae Romanae subscripsi. Laurentius episcopus ecclesiae Mediolanensis subs. Petrus episcopus ecclesiae Ravennatis subs. Eulalius episcopus ecclesiae Syracusanae subs.*

[63]) Ita B[1] K[12], et favet subscriptio superioris synodi Romanae IV. Alii addunt *Coelius*. In F[d] verba *eccl. Rom. — Laur. ep.* exciderunt.

Digitized by Google

Felix episcopus ecclesiae Interamnensis[64]) subscripsi. a. 502.
Cresconius episcopus ecclesiae Tudertinae subscripsi.
Aemilianus episcopus ecclesiae Vercellensis subscripsi.
Jocundus episcopus ecclesiae Augustanae[65]) subscripsi.
Tigridius episcopus ecclesiae Taurinatis subscripsi.
Vitalis episcopus ecclesiae Fundanae subscripsi.
Bassus episcopus ecclesiae Mutinensis subscripsi.
Pacatianus episcopus ecclesiae Corneliensis[66]) subscripsi.
Maximus episcopus ecclesiae Bleranae subscripsi.
Martyrius[67]) episcopus ecclesiae Terracinensis subscripsi.
Rufentius episcopus ecclesiae Egnatinae subscripsi.
Basilius episcopus ecclesiae Tolentinae subscripsi.
Martinianus episcopus ecclesiae Ortensis subscripsi.
Benignus episcopus ecclesiae Aquaevivensis subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Suessanae[68]) subscripsi.
Severinus episcopus ecclesiae Tyndarinensis subscripsi.
Eucarpus episcopus ecclesiae Messanensis subscripsi.
Johannes episcopus ecclesiae Spoletinae subscripsi.
Stephanus episcopus ecclesiae Venusinae subscripsi.
Valentinus episcopus ecclesiae Amiterninae subscripsi.
Romulus episcopus ecclesiae Praenestinae[69]) subscripsi.
Probus episcopus ecclesiae Carmejanensis[70]) subscripsi.
Vindemius episcopus ecclesiae Anteatinae subscripsi.
Candidus episcopus ecclesiae Tiburtinae subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Fulgenatis subscripsi.
Paschasius[71]) episcopus ecclesiae Vulterninae[72]) subscripsi.

---

[64]) H^8 *Terramnensis*, E^2 *Theramnensis*, moxque iidem *Vetellensis*, ubi B^1 *Betellensis*, F^d *Vitellensis*, h^1 *Tetelensis* (ad marg. *Vetellensis*), alii *Vercellensis*. Hujus *Aemiliani* memoria inter sanctos Vercellis III Id. Sept. agitur (conf. Ughelli Ital. sacr. ed. II. t. IV, 762).

[65]) Ita nostri mss. (B^1 *Agustinus*, E^2 h^1 *Augustinus*), ubi alii *Subaugustanus*, F^d *Tagutudine*. Mox h^1 *Passus*, F^d autem verba *Taurin. s. Vit. ep. eccl.* praetermisit.

[66]) Ita B^1 K^{12} F^2. — E^2 F^d H^5 *Corniliensis*, H^4 H^6 h^1 *Coaniliensis*, alii *Coaliamensis*, c^1 *Colaminensis*, c^2 seq. *Comaclensis*. Notum est *Forum Cornelii* hodie *Imola* vocatum.

[67]) F^d K^{12} *Martinus*, moxque cum nonnullis aliis *Tarracinensis*, ubi F^2 F^3 *Taraconensis*, H^4 H^6 *Terracinensis Taraconensis*. Deinde F^d K^{12} *Rufinus ... Marcianus* (F^d *Nasiane*) ... *Ostranesas* (F^d *Ostrane*, alii *Ortensis*).

[68]) B^1 h^1 *Vessanae*, F^d *Bissane*. Deinde H^5 *Tondarinensis*, F^d *Tundarine*.

[69]) K^{12} *Pinistrinae*, F^d *Penestine*, alii H O *Penestrinus*. Deinde F^d omittit *Probus Carm. subscr.*

[70]) Ita B^1 E^2 F^2 H^4 H^5; K^{12} *Carmeiagnensis*, H^4 H^6 *Carmeanensis*. Forte *Camerinensis* legendum, nam Camerinum seu Camarinum urbs est Umbriae episcopalis.

[71]) Ab hoc usque ad *Concordium* in exemplaribus H O h^1 c^1 seq. ordo paulo alius; B^1 secuti sumus. F^d omitt. *Chrysog.* -- *Fel. c. e. Nepes. s.*

[72]) Plerique mss. *Vulterninae*, *Volterninae* (B^1), *Vulturnine* (F^d), *Volterniensis*

Digitized by Google

a. 502. Marcianus episcopus ecclesiae Aecanae subscripsi.
Maximianus episcopus ecclesiae Perusinae subscripsi.
Chrysogonus[73]) episcopus ecclesiae Albinensis subscripsi.
Eutychius episcopus ecclesiae Tranensis subscripsi.
Laurentius episcopus ecclesiae Bovianensis[74]) subscripsi.
Marcus episcopus ecclesiae Samninae subscripsi.
Aprilis episcopus ecclesiae Nucerinae subscripsi.
Memor episcopus ecclesiae Canusinae subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Forosemproniensis subscripsi.
Florentius episcopus ecclesiae Plestinae[75]) subscripsi.
Felix episcopus ecclesiae Nepesinae subscripsi.
Proculejanus episcopus ecclesiae Sepinatis[76]) subscripsi.
Fortunatus episcopus ecclesiae Anagninae subscripsi.
Concordius episcopus ecclesiae Mesenatis subscripti.
Amandus episcopus ecclesiae Potentinae subscripsi.
Asellus episcopus ecclesiae Populoniensis subscripsi.
Colonicus episcopus ecclesiae Foroclodiensis subscripsi.
Elpidius[77]) episcopus ecclesiae Voloterninae subscripsi.
Projectus episcopus ecclesiae Forinovi subscripsi.
Veneriosus episcopus ecclesiae Pellensis[78]) subscripsi.
Bonifacius episcopus ecclesiae Foroflaminiensis subscripsi.
Sebastianus episcopus ecclesiae Soranae[79]) subscripsi.

(H^6); alii cum editis *Vulturnensis*. Mox c^2 seq. *Aesinus*, ubi alii *Ecane* (B^1 K^{12}, *Egane* (F^d), *Ecaniensis* (E^2), *Aeccaniensis* (H^5), *Acaniensis* (H^6). Mox F^d *Maximilianus*

[73]) F^d K^{12} *Crisconius*, ac deinde cum ceteris *Albinensis*. Mox F^d *Tranensis*.

[74]) B^1 *Vovianensis*, E^2 H^8 *Bobianensis*, F^d K^{12} *Vivianensis*, alii cum h^1 c^1 *Vebianensis*; ceteri editi *Bojanensis*. Eam urbem, quae nunc *Bojanum* vocatur, a Livio *Bovianum* appellatam Baudrandus observat. Antiquariis autem familiaris est litterae *b* in *v* ac vicissim mutatio. — Deinde F^d *Forosinforinensis*.

[75]) Apud c^2 seq. idem Florentius hic *Vestinensis*, supra epist. 1 *Pestanus* episcopus appellatur. Utrobique autem Merlinus ac mss. sibi magis constant, nisi quod priori loco *Plestanus* vel *Plestanensis*, hic *Plestinae* vel *Plestinensis* (E^2 *Palestinus*).

[76]) B^1 *Sepenatis* ... *Mesenantium*. Moxque B^1 K^{12} H^6 *Populiensis*, alii *Populiniensis* (H^5); deinde H^6 h^1 *Colonius*. F^d post *Fortunatum* immittit *Paschasium*, *Marcianum*, *Maximilianum*, *Crisconium* et reliquos supra omissos.

[77]) B^1 F^d *Helpidius* (F^d *Ilpidius*) ... *Voloternine* (H^8 *Voliterninus*, E^2 *Helvidius* ... *Voloterninus*), alii *Elpidius* ... *Volaterranus* (h^1 *Veliterninus*).

[78]) 2 H^3 c^2 seq. *Polensis*, E^2 H^8 *Pollensis*, B^1 K^1 K^{11} h^1 c^1 ut supra in syn. IV Symmachi *Pellensis*, F^d *Spellinensis*, K^{12} *Pelleninsis*. Non displiceret quod Vatic codex ab Holstenio citatus praefert *Spellensis*, eo more, quo *Spania* pro *Hispania*, ab antiquariis pingi solet. Hispellum enim Umbriae oppidum est. *Polensis* quidem episcopus circa idem fere tempus *Antonius* memoratur (Cassiod. var. epist. IV, 44).

[79]) h^1 c^1 cum B^1 H^8 et al. mss. *Syranus*, alii *Siranus* (F^d *Sirane*) vel *Suranus*, ubi E^2 c^2 seq. *Soranus*. Similiter mox illi iidem *Bursentine*, K^{11} *Buxentinae*, K^{12} *Bursitanae*, F^d *Barsitane*, loco *Buxentinae*.

Digitized by Google

Rusticus episcopus ecclesiae Buxentinae subscripsi. a. 502.
Venantius episcopus ecclesiae Senogalliensis[80]) subscripsi.
Victor episcopus ecclesiae Lunensis subscripsi.
Innocentius episcopus ecclesiae Tifernatium[81]) Tiberinorum subscripsi.
Silvinus episcopus ecclesiae Veliterninae subscripsi.
Justus episcopus ecclesiae Signinae subscripsi.
Areston[82]) episcopus ecclesiae Ostensis subscripsi.
Augustus episcopus ecclesiae Liparitanae subscripsi.
Felix episcopus ecclesiae Nepesinae pro Urso episcopo ecclesiae ... subscripsi.
Asterius episcopus ecclesiae Aquinatis subscripsi.
Propinquus episcopus ecclesiae Trebeatis subscripsi.
Eusebius episcopus ecclesiae Fanestris subscripsi et
Romanus episcopus ecclesiae Nomentinae subscripsi.
Item[83]) subscriptio presbyterorum.

Appendix ad epistolam 6
seu
synodum V Symmachi.

a. 507 d. 11 Nov.

Praeceptum[84])
sive
Lex data a gloriosissimo rege Theodorico contra illos sacerdotes, qui substantiam Ecclesiae jure directo aut vendere aut donare praesumunt.

Domitori orbis, praesuli et repararatori libertatis, senatui urbis Romae Flavius Theodoricus rex.

Pervenit ad nos, patres conscripti, de Ecclesiae missa utilitate

---

[80]) B^1 *Synogalliensis*, H^5 *Synogalli*, F^d *Senogalliniensis*, moxque B^1 F^d *Dunensis*, E^2 H^8 *Donensis*, al. *Lunensis*.

[81]) Ita mss. (etiam B^1 E^2 F^d); H^8 *Typernantius*, h^1 *Tiphernus*, c^1 *Tifernantius*, al. ed. *Triferninus*.

[82]) B^1 2 H^4 H^8 *Areston*, K^{12} *Arestone*, sane idem, qui in synodo Palmari *Aristus Ostiensis* subscribitur. Deinde omnes mss. *Ostensis* vel *Hostensis* (H^8). Quum tamen in illa synodo K^{12} *Hortensis* legat, Coustantius etiam hoc loco idem praeferre videtur et *Aristum* episcopis *Hortensibus* adnumerandum suadet. Pro supra memorato *Marciano* vel *Martiniano* codices suos dissidere ait, quum aliqui tantum ibi *Ostensis* legant. *Bellator* autem ille synodi I Symmachi ab omnibus *Ostensem* vocari addit. Lectionibus codicum Romanorum bene pensatis nos alium in modum rem dijudicandam duximus.

[83]) Verba haec, quae in B^1 et (sine *Item*) in extrema pagina folii versi K^{12} asservantur (F^d *Similiter subscripserunt*, addens eadem linea *Zosimus communitorium prbris etc. Ravenn.*), indicio sunt, etiam subjectas fuisse saltem presbyterorum subscriptiones, sed injuria temporum excidisse.

[84]) Ex editione Lucae Holstenii produxit Harduinus coll. conc. II, 963. In

Digitized by Google

a. 507. suggestio, et nostrae mansuetudinis grata sacri coetus vestri ordinatio corda pulsavit. Et licet post venerabilem synodum ad hujusmodi decreta vestri sufficiat ordinatio sola judicii, tamen pro vestra hujusmodi praesentibus oraculis dedimus consultatione[85]) responsum, ut nulli fas sit ecclesiae cujuslibet antistiti sub qualibet alienatione de[86]) proprietate contractus; usumfructum plane suum cui salva voverint aequitate praestabunt. Neque enim frustrari sola pontificis voluntate vel cleri peregrinis debita omnibus vel statui ecclesiae res delata. Quid enim tam profanum, quam ut[87]) hac largientis parte violetur arbitrium, dum quod ad Ecclesiam quisque voluerit pertinere, prave sibi vindicent per usufructuariae personae contractus? Ergo si quis scelestis ausibus interdicta praesumpserit, et ultra usumfructum retinere cupit, episcopo vel clero largiente, alienata res protinus cum fructibus a venerando praesule vindicetur. **Et cetera.** Data V Idus Martias Ravennae, Venantio viro clarissimo consule.

Epistola 7.

Ennodii episcopi Ticinensis ad Symmachum papam.

Ut boni imperatoris instar certamen contra schismaticos sustineat, hortatur. p. 95

Ennodius Symmacho papae.

1. Boni imperatoris est, probatam in acie militis animare virtutem, ut fortitudo laudis pabulis invitata in secundis congressibus dediscat lucis affectum. Cujus robur ducis praeconio non nutritur? Quibus se denegent etiam minus valida tironis membra conflictibus, quando rectoris testimonio videt sibi non perire quod gesserit? Sola via est, qua ad praeliandum crescat intentio, quotiens bene gesta non delet oblivio. Utinam Divinitas vestris mota precibus diabolicum

---

veteri canonum collectione, quam Morbacense monasterium asservat, laudatis quibusdam verbis, superioris synodi capitulo VIII proxime subjicitur hoc decretum. Unde colligitur, et Symmachum dedisse operam, ut quod de rebus Ecclesiae non alienandis decreverat, senatus Romani consulto firmaretur, et senatum illum apud Theodoricum egisse, ut suum ipsius ea de re scitum rex ille approbaret. Hinc negaverit nemo, subnexam legem ad praemissam synodum maxime attinere, adeoque minime hic fuisse omittendam. Optandum erat, ut integrior ad nos pervenisset.

[85]) Mss. *consolatione;* sed nihil antiquariis est familiarius, quam ut *consolatione* pro *consultatione* scribant.

[86]) Integra erit lectio, si legatur: *dare proprietate contractus. Usumfructum plane suum cui salva voluerint etc.*

[87]) Nitidior foret ista verborum dispositio: *ut in hac parte violetur largientium voluntas et arbitrium.* Sive igitur barbarus Herulorum rex Odoacer, sive simul cum Symmacho papa synodus, sive Arianus princeps Theodoricus senatusque Romanus, summo consensu nefas esse ducunt et *sacrilegii instar,* rebus Ecclesiae collatis praeter largientium voluntatem abuti, hoc est, eos ad usus transferre alios ab eis, propter quos collatae sunt.

Digitized by Google

certamen interimat! Utinam devotionem meam in pace manifestet, a. 507.
ut cujus studium resignavit adversitas, illius concordia commendet obsequium!

2. Ad Marcellianum episcopum directa est a fratre[1]) vestro instructa legatio; sed quid promoverit, ipse rescripsit. Quod restat, porrectis salutationis precor officiis, ut quidquid aegrum est, medica oratione curetis, et inter latentium secreta morborum, qui in generalem necem salvatur, ferro spiritali resecetis errorem. Vale.

Epistola 8.

seu

p. 95. **Libellus[1]) Johannis diaconi, quem obtulit sancto papae Symmacho.** a. 506 d. 18 Sept.

Coelius Johannes diaconus ecclesiae Romanae, qui me ad tempus ab Ecclesia separavi, agnoscens errorem meum spero misericordiam beatitudinis vestrae et redintegrari me unitati: consentiens, quae veneranda synodus judicavit[2]) atque constituit, anathematizans Petrum Altinatem et Laurentium Romanae ecclesiae pervasorem et schismaticum. Quodsi aliquando similia adtemptavero in ea causa, de qua veniam ab[3]) apostolatu vestro merui, tunc ecclesiasticae subjaceam ultioni. Quod manu mea perscriptum obtuli sub die XIV Kalendarum Octobrium Fl. Messala viro clarissimo consule.

---

7 [1]) Hic designari putat Jac. Sirmondus Laurentium Mediolanensem episcopum, quem ad Marcellianum Aquilejensem pro Symmacho scripsisse observat. Rursum Ennodius lib. 6 epist. 31 (Symm. ep. 19) ad ipsummet Symmachum de legatione eadem ita loquitur: *Domine mi, famulatus mei humilitatem exhibens parca in maximis elocutione contentus, quid domnus episcopus frater vester super directa legatione senserit, patefaciendum praefati litteris derelinquo.* Si quis autem legationis hujus causam quaerat, illam expiscari ei licet ex his ejusdem Ennodii lib. 4 epist. 29 (Symm. epist. 18): *Inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non praesumit. Agnoverunt adversarii sedis vestrae, quo propugnante vincantur: quod proxime de Aquilejensi Redemptor noster reseravit.* Destinata est igitur ista legatio, ut Aquilejensem episcopum ad unitatem reducere niteretur, atque hunc fructum feliciter praeter spem consecuta est.

8 [1]) Ita inscripserunt B^1 F^d. At c^9 *Professio Johannis diaconi. Coelius Johannes diac. eccl. Romanae. Quia me etc.*

[2]) Ita F^d c^9. B^1 K^{12} *indicavit.* Quamvis in synodali constituto, quod superior epist. 5 repraesentat, de Petri Altinatis damnatione nihil legatur, eum tamen tunc damnatum fuisse eo est probabilius, quod ipsa synodus in laudata epist. 5 n. 3 Symmachi approbet petitionem, qua flagitabat, ut iste *visitator, qui contra religionem, contra regulas majorum fuerat postulatus*, discederet. Neque vero Symmachus in locum suum nisi ejecto visitatore illo restitui poterat. Hinc vero non Laurentium modo, sed Altinatem etiam episcopum saltem ad annum 506 jam provectum in schismate perstitisse compertum habetur.

[3]) c^9 *apud apostolatum vestrum*, moxque *manu mea scriptum*, et omittit cum F^d *Fl.* (ante *Messala*).

Digitized by Google

Epistola 9.

(post a. 506.)

Ennodii episcopi Ticinensis ad Symmachum papam.

De exstincto schismate pontifici gratulatur, in quo prae ceteris Theodorici regis merita extollit. p. 96

In[1]) Christi signo.

1. Natura rerum est, ut etiam idoneus ore vel pectore possit de praesumptione culpari, quia omnis verborum commoditas humilitatis terminos egressa calcatur, et sicut habenda sunt, quae exiguntur, in pretio, ita ingesta vilescunt. Importunitas quum facundos opinionis nobilitate dispoliet, dedecore vestit indoctos. Sed hac me ratiocinatione sustento, quia est quidem audax sed amabile, praevium praestitisse sermonem; et sicut vicinum temeritatis, ita proximum diligentiae, ad caritatem pertinens iter aperire. Inter ecclesiarum homines numquid reatus est, si pari amore contenderint dispares dignitate? Aut excedunt modici honoris angustiam, qui desiderant suffragio gratiae summatibus comparari? Non habet superbi conscientiam, qui se tantum in affectionis muniis non metitur. Praesumo dicere, directus subditorum error est, qui in hac re praecedentes antevenit. Ecce sic partes meas quasi voluntariae allocutionis fuscatas nube purgavi. Sed dico, quod ad defensionem spectat uberrimam. Filius vester domnus Rhodanius coegit a me in usum styli praesentis erumpere. Fateor tamen in studio meo fuisse quod jussit: quia qui volentem coegerit, non laborat.

2. Deo gratias principe loco et tota epistolae concinnatione referamus, quia in societatem capitis sui aliquando Romana membra coïerunt. Justum erat, ut et beatus Petrus apostolus sedi suae ecclesias et senatui liberiori per dominum partes debitas reformaret. Dignus regnator dignus, in quo cum aetate votorum summa contigerit. Nam etsi itura ad posteros felicitas perseveret, litandum illis est laudatione praecipua, a quibus sumpsit exordium. Deo efficaciter supplicastis, ut illius vos virtus erueret, cujus potest servare clementia. Didicistis ejus evèntus prosperos, quem videtis, dum mandat secutam bella victoriam. Parum superest, ut mansuetudinem mentis illius ita profundam teneatis, quasi sit ignara procinctuum. Deo tribuente nec pax ejus turbari dubiis potest, nec fortitudo qualibet objectatione confringi. Nihil apud illum tutius supplicante: solus evasit praeliares acies, qui rogavit; vicit armorum impetus, qui obtulit devotus obsequium. Quod vix veteres principes praesentiae suae sudore potiti sunt, hoc semper regis nostri brevis procuravit epistola. Per excursus dirigitur felix exercitus ad trium-

[1]) Ita Ms. Cujus loco Sirm. *Symmacho papae.*

Digitized by Google

phum. Quis credat militem ejus in labore et perfectione habere quidem superantis gloriam, sed continentiam subjugati? Consummatis congressionibus de irae haereditate nil remanet: uno tempore, quos perniciosos adversarii viderint, blandos sentiunt tributa pendentes. Et haec quidem coelesti praeparantur pro hae repensione suffragio, quia fides nostra apud eum, quum aliud ipse sectetur, in portu est. Mirabilis patientia, quando tenax propositi sui, claritatem non obumbrat alieni; nam et ecclesiarum nostrarum patrimonia relabi, nisi aucta fuerint, ingemiscit. Sic factum est, ut et statum suum locupletes pauperum substantiae[2]) teneant, et mediocres ad supremam opulentiam convalescant. In sacerdotibus virtutes et innatas colit[3]), et non repertas inspirat. Sed cur beatitudinem vestram praejudicio diffusi sermonis anticipem? Continuo experientia vestra et spiritalis illa perfectio jejunum me fuisse in filii[4]) vestri laudibus accusabit, et quum soleant amplificari facta colloquiis, sterilem me relatorem de virtutum ejus messe causabitur. Jam saeculares apices, curules et trabeas, patricias etiam dignitates qualiter aut naturae reddat aut moribus, domestici perlatoris adstipulatione vulgetur. Nam et veteres in antiqua generis luce durare facit, et novos splendore inopinati fulgoris irradiat. Facilius respublica ejus bono dispensationis in privatam migrat opulentiam, quam famulantium census in palatina lucra commutetur. (post a. 506.)

3. Nunc quod superest, meae servitiis salutationis acceptis, prospicite, ut Christus redemptor noster quae in praefato clementissimo[5]) rege servientibus sibi contulit, longa aetate conservet. Det etiam regni de ejus germine successorem: ne bona tanti hominis in una aetate veterescant, et antiquata temporibus pro sola aurei saeculi commemoratione nominentur!

---

[2]) Quod Ennodius paulo ante *patrimonia ecclesiarum*, nunc *pauperum substantias* vocat, quia ecclesiarum facultatibus pauperes sustentantur. Theodoricum autem laudat, quod effecit, ut et locupletes ecclesiae nihil in facultatibus suis detrimenti paterentur, et augmenti plurimum perciperent mediocres.

[3]) Hujus etiam rei testis est Cyprianus in vita Caesarii Arelatensis, ubi sanctum illum antistitem commentitia criminatione ad se delatum quanta observantia et veneratione coluerit Theodoricus insigni ejus virtute permotus, memoriae commendavit.

[4]) Notatu dignum est, regem in haeresi natum, adeoque ab ortu Ecclesiae exsortem, Romani pontificis *filium* vocari.

[5]) Aequitatis ac moderationis laudem, quam regni principia Theodorico pepererant, posteriores ejus anni obfuscarunt.

Digitized by Google

Epistola 10

seu

(post a. 506.) **Apologeticus Symmachi episcopi Romani adversus Anastasium imperatorem.**

Libellum famosum refutat, quo ipsum imperator Manichaeum vocitabat et non p. 9
legitime consecratum, querebaturque se ab eo excommunicatum esse. Ad quod respondet, eum non ab alio nisi a se ipso excommunicatum: penes ipsum esse ab excommunicatione discedere (n. 6, 7, 10). Antea conferens pontificiam cum imperatoris potestate, quantum illum dedeceat accusatoris personam agere monet: at siquidem tale quid malit, pari ratione utrique standum esse postulat: ita ut quemadmodum ipse summo caritarus sit honore si convictus fuerit, ita ille regiam amissurus sit auctoritatem si non convicerit.

1. Ad augustae memoriae[1]) Gratiani imperatoris epistolam octo libris beatus respondit Ambrosius, quia pro fide catholica et illum non piguit prolixius praedicare, et hic non fastidivit gratanter accipere. Haec dixerim, ne[2]), si modum in libelli promenda collegerim, existimer quae non oportuit locutus. Si mihi, imperator, apud exteros reges, eosque totius Divinitatis ignaros, pro fide catholica dicendum foret, quidquid ejus veritati rationique congrueret, etiam praetenta morte perorarem. *Vae mihi erit, si non evangelizavero*, meliusque est jacturam vitae praesentis incidere, quam sempiterna damnatione puniri. Verum tu si Romanus imperator es, etiam gentium barbararum legationes debes clementer admittere; si Christianus princeps es, qualiscunque praesulis apostolici vocem debes patienter audire.

1 Cor. 9, 16.

2. Contumelias tuas, imperator, quas sub divino judicio ipse perpendis, utrumne in me religiosa mente profuderis, fateor vel mei causa vel tui dissimulare me non posse. Mei causa, promissionem Domini recolendo dicentis: *Quum vos persecuti fuerint, et dixerint omne malum adversum vos propter justitiam, gaudete.* Tui autem, quia nollem sic meam gloriam provenire, ut te possit non mediocriter onerare. Et ego quidem dominicis et apostolicis eruditionibus institutus, benedictionem studeo tuis, imperator, referre maledictis, contumeliis honorificentiam reddere, et odiis redhibere caritatem. Sed vide, quaeso, ne ab eo qui ait: *Mihi vindictam, et ego retribuam;*

Matth. 5, 11.

Rom. 12, 19.

---

[1]) Ita Grim. At ed. *majestatis*. Hic notantur libri Ambrosii quinque de fide aliique tres de Spiritu sancto, quos omnes sanctus ille doctor Gratiani rogatu vel hortatu elucubravit. Et in prologo quidem libri V de fide n. 7 libros de Spiritu sancto pollicetur his verbis: *Quinto igitur libro de Patris et Filii et Spiritus sancti inseparabili divinitate digerimus, sequestrata interim pleniore disputatione de Spiritu sancto;* quam scilicet postmodum tribus libris absolvit.

[2]) Ed. *ut si modum libelli promendo collegerim, non existimer*; Grim. *nisi modum in libelli promenda colligere ne existimer quam non*, unde nostram lectionem eruimus. Apertius diceretur: *si in modum libelli promenda etc.*

Digitized by Google

quantum a me remittitur, tantum a te cumulatius exigatur. Quid enim Christus dicat de his, qui vel minimum in eum credentem scandalizaverint, evangelium referat, non mea voce promatur. (post a. 509.) Matth. 18, 6.

3. Sed fortasse dicas, imperator, potius te esse minimum, qui credas in Christo, et de te hoc rectius accipi, et me esse scandalizantem tuam fidem. Christus itaque Deus veraciter totus, et totus homo est: sic conceptus, sic conversatus in saeculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis apparens, sic elevatus in coelum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in coeli regione persistit, dicente apostolo: *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* et certe de eo dicit, quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus, qui sic credit in[3]) Christum, qui in hujusmodi Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in Semi-Christum, et ideo non Christum, quia Christus non nisi integer, integer autem non nisi hujusmodi. De tali ergo in se credente dicit: ipse est[4]) ergo *minimus* ejus et *parvus*; pro quo scandalizato quid promserit, ipsius, ut dictum est, melius verbis ostenditur. Col. 2, 9.

4. Fortasse dicas, imperator: „Sed ego quoque talem Christum credo, et ideo inter ejus minimos jure connumeror". Hoc gravius, si et talem credis, et talem non credentibus communione misceris. *Non solum enim,* inquit apostolus, *qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.* An communicare non est consentire cum talibus? Proinde aut doce tales[5]) non esse, aut longe gravius, ut dictum est, contra notam sibi erit tendere veritatem. Rom. 1, 32.

5. Contumelias igitur, imperator, quas in meam proferendas putas esse personam, utinam quam mihi gloriosae sunt, ita te gravare non possent! Domino meo dictum est a quibusdam: *Daemonium habes, vorator, de fornicatione natus;* et putas, quia ego debeam mihi dolere? Quam talia proferenti cautum est et divinis legibus et humanis! *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Quid, quum et humano et[6]) cum humano examinata judicio falsa Joh. 8, 48. Matth. 11, 19. Matth. 18, 16.

---

[3]) Ita Griman., quomodo et Agobardus legit. At editi *in Christum. Sed hujusmodi in Christum credit.*

[4]) Editi *ipse etenim minimus ejus et parvus est, pro quo scandalizato quid promiserit:* corriguntur ex Grim., nisi quod in eo etiam exstat *promiserit;* sed ut *promserit* restitueremus, postrema superioris numeri 2 verba persuaserunt.

[5]) In vulgatis *alios.* Concinnius in nostro ms. *tales,* hoc est: doce eos Christum integrum, non Semichristum credere.

[6]) Baron. non repetit *et cum humano,* ac deinde cum edit. aliis habet *te examinante judicio;* moxque post verba *quid imperator* omittit *facies,* pro quo Grim., quem in ceteris sequimur, una cum editione Basiliensi praefert *facis.* Crimina, de quibus Symmachus ab adversariis ejus apud Theodoricum accusatus fuerat, quaeque rex ille synodali judicio examinanda delegarat, ab Anastasio eidem objecta fuisse hic innuitur. Et illa quidem apud regiam notitiam constitisse praedicti adversarii divulgarant; sed ut vidimus epist. 5 n. 5, synodus

Digitized by Google

(post a. 506.) fuerint approbata? Quid facies, imperator, in divino judicio? An quia imperator es, nullum Dei putas esse judicium? Taceo, quod imperatorem accusatorem esse non conveniat[7]). Postremo iisdem divinis humanisque legibus nemo possit esse accusator et judex. Numquidnam sub alieno judicio dicturus es causam, vel accusator adstabis?

6. Dicis esse me Manichaeum. Numquid ego Eutychianus sum vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichaeorum suffragatur[8]) errori? Roma mihi testis est et scrinia testimonium perhibent, utrum a fide catholica, quam in sede beati apostoli Petri veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis, et qualibet ratione convincat: alioquin convicia sunt ista, non crimina[9]), nescio utrum quibus objicitur falsum, an falsis objectoribus inimica.

7. Dicitis me non ordine consecratum. Inter imbres lapidum tutus[10]) evasi: judicavit Deus. An quia imperator es, et divinum putas contemnendum esse judicium? Sed fortasse dicas, etiam indignantem Deum noxia quaeque[11]) plerumque permittere. Scriptum Matth. 7, 16. est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ostende ergo, quid existimes

---

Theodorici jussu congregata hoc *falsum* esse ipso rege declarante pronuntiavit. Quocirca et Avitus Viennensis epist. 31 scribit, mox dictam synodum, *prout breviter potuit, testificari, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro regi de his quae papae dicebantur objecta patuisse.*

[7]) Utpote qui ex proprio munere et officio judex. Nemo autem, ut mox dicitur, accusator simul potest esse et judex: alioquin propria in causa judex foret, quod Cod. Theod. lib. 2 tit. 2 prohibetur.

[8]) Quatenus scilicet carnis a Verbo susceptae veritatem negare censebantur.

[9]) Editi *criminum probamenta*, et mox *objectoribus inimica dicentibus non:* castigantur ex ms.

[10]) In vulgatis *totus*, rectius in ms. *tutus*. Baronius ac Pagius, uti praemonuimus, hic notari putant, quod anno 501 ad synodum procedenti Symmacho accidisse supra epist. 5 n. 6 et apud Ennodium libell. apologetic. memoratur. Si autem ferri utcunque potuit eorum opinio, dum perturbatis erat hic Symmachi locus, eo jam sanato admitti prorsus nequit. Inde enim planum est, et imperatorem objicere Symmacho consecrationem praeter ordinem ac receptas leges factam, et a Symmacho rem enarrari, quae ordinationis suae tempore contigit, et qua Deus ordinationem ipsius sibi probatam esse declaravit. Ac vero Symmachus anno 501 ad synodum progrediens, non inter imbres lapidum tutus evasit, sed, ut Ennodius l. c. loquitur, jaculis ac telis et armorum ultricium assumtione repulsus, eo unde processerat regredi coactus est. Si quis vero miretur, unde ille populi furor, quo Symmachum lapidum imbre voluit conficere, tum reos lapidandi morem necdum antiquatum esse recolat. Quippe non longe post, uti Cyprianus Tolonensis in vita s. Caesarii Arelat. lib. I n. 13 testis est, Theodoricus rex, sancti hujus praesulis comperta innocentia, *accusatorem ejus praecepit lapidari. Jamque,* inquit Cyprianus, *cum lapidibus concurrebant populi, quam* etc.

[11]) Apud Baron. *quoque*.

Digitized by Google

arguendum, ut iratum maxime Deum, quae non convenerant, permisisse demonstres. An quia Eutychianis nullatenus acquiesco? Me quidem ista non sauciant, sed te palam aperteque demonstrant[12]). Meum cogitasti honorem repellere, quem interventu suo beatus Petrus imposuit. An quia imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum apostolum Petrum in suo qualicunque vicario calcare contendis? An bene factus essem *, si Eutychianis faverem, si Acacii nomini communicarem? Latere non potest, cur ista praetendis. (post a. 506.) * sc. *episcopus*

8. Conferamus autem honorem imperatoris cum honore pontificis: inter quos tantum distat[13]), quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu imperator a pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certe aequalis honor est. Nec te putes mundi pompa praecellere: *Quia quod infirmum Dei, fortius est hominibus.* Itaque videris, quid te deceat. Tamen quum in accusationem proruperis, tam divinis legibus quam humanis pari mecum sorte consistis; in qua cariturus honore summo, si fuero, quia id mavis, te accusante convictus, amissurus pari[14]) ratione, si non conviceris, dignitatem. Sit istud in mundo judicium, exspectante[15]) Deo et angelis ejus, spectaculum omni saeculo simus, quo aut sacerdos bonae vitae, aut imperator religiosae modestiae consequantur exemplum: quia his praecipue duobus officiis regitur humanum genus, et[16]) non debeat aliquid eorum exsistere, quo valeat offendi Divinitas, maxime quum uterque honor videatur esse perpetuus, atque ita humano generi ex alterutro consulatur. 1 Cor. 1,25. 1 Cor. 4,9.

9. Precor, imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, ut possis uti concessa tibi divinitus potestate: quia etiamsi haec sub humano praevenere judicio, sub divino necesse est ut discutiantur

---

[12]) Editi *demonstrant meum cogitasse honorem repellere:* corriguntur ex ms. Et quidem convicia, quibus proscindebat Anastasius Symmachum, quia is papa Eutychianos recipere nolebat, imperatorem illum Eutychianis favere palam aperteque demonstrabant, nec opus erat istud judiciis comprobari. At haec eumdem imperatorem Symmachi honorem repellere cogitasse non ita demonstrabant. Sane Symmachus in eis, quae ab hujus numeri initio ad finem usque edisserit, eo unice spectat, ut ordinationem suam, quam Anastasius illegitimam fuisse obtendebat, legitimam probet.

[13]) Eadem prorsus argumentatio apud Gelas. ep. 12 n. 2.

[14]) Quippe *quum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii*, inquit Honorius imperator l. 19 Cod. Theod. IX. 1, ac talionis poena frequens in scripturis decernatur.

[15]) Ita in ms. more veterum pingitur, quamvis hoc verbum nihil aliud sonet, quam in vulgatis *spectante*.

[16]) In vulgatis *ut non*.

Digitized by Google

(post a. 506.) Rom. 13,1. examine. Fortasse dicturus es, scriptum esse, *omni potestati nos subditos esse debere.* Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non[17]) exigunt voluntates. Ceterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quae rebus est praestituta divinis. Defer Deo in[18]) nobis, et nos deferimus Deo in te. Ceterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.

10. Dicis, quod mecum conspirans[19]) senatus excommunicaverit te. Istud quidem ego non feci, sed rationabiliter factum a decesso-

---

[17]) Ita b cum Grim. Alii omittunt *non.* Plura in eam sententiam, quam Symmachus hic adstruit, veterum testimonia leguntur apud Gratianum c. 93—101 C. XI qu. 3.

[18]) b *in nobis, senatu, et collegio clericorum Romae:* merum glossema, et a Symmachi mente absonum.

[19]) Editio Basil. *conspirans senatus excommunicaverim te*, et ad marg. *conspirante*. Ex quo deinceps obtinuit *conspirante senatu excommunicaverim te.* Sincerior visa est lectio ms. Grim., maxime quum ei primaria editio Basil. suffragetur. Sic porro illud *excommunicaverit te* est intelligendum, quasi te velut excommunicatum habuerit, nolens tecum ullum habere consortium. Deinde editi prosequuntur: *Ista quidem ego sed*, ommisso verbo *non feci.* Restaurantur ex eodem ms. Ex hoc loco Baronius ad annum 499 merito infert Symmachum cum Anastasio nullam iniisse concordiam; alioquin minime dicturum fuisse, se id quod a decessoribus suis factum sit subsequi. Eadem ratione et inferre debuerat, eum minime lata sententia Anastasium excommunicasse; siquidem hoc decessorum illius nullus praestiterat. Contra ille ad annum 502 hisce unis Symmachi litteris nixus, ac vulgata hactenus lectione deceptus, pro certo ponit, Symmachum in synodo, quam anno 502 habuit, summa auctoritate excommunicationis sententiam adversus eum dixisse. *Constat enim*, inquit, *licet synodalia acta desiderentur, in tanta corona patrum proposita in medium causa imperatoris haeretici, rogata sententia singulorum, communi omnium consensu a Symmacho excommunicatum impium Anastasium Augustum.* Cui Baronii opinioni subscribentes conciliorum editores, in epistolae hujus synopsi notant, eam scriptam esse *adversus Anastasii imperatoris famosum libellum, quo pontificem ob latam in se excommunicationis sententiam proscindebat.* Verum si quis synodi anni 502 gesta, quae superior epistola 5 exhibet, recolat, nihil offendet, unde quidquam hujusmodi desiderari vel levis suspicio fit. Sed neque propria Symmachi negotia, quibus vixdum expeditus erat, quum valde hactenus nutasset illius sedes, rem eum tantam aggredi patiebantur: maxime quum canonica non posset ferri hujusmodi sententia, nisi tres saltem monitiones praecessissent. Et vero satis indicat, non aliam in Anastasium dictam esse excommunicationis sententiam, nisi quae in Acacium ejusque fautores et consortes a Felice II prolata et a Gelasio deinde propugnata fuerat: adeo ut Anastasius ipse excommunicationis vel absolutionis suae auctor et arbiter jure dicatur, quippe qui prout sponte adhaeserit Acacio vel ab eo recesserit, excommunicationis consors vel liber censendus sit. Demum nova non erat haec Anastasii expostulatio sed ea ipsa, quam Gelasius epist. 10 n. 2 jam refutarat his verbis: *Quid sibi vult autem, quod dixerit imperator, a nobis se irreligiose damnatum: quum super hac parte et decessor meus non solum minime nomen ejus attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiae potestatis exseruit, in ejus se rescripsit imperii promotione gaudere: et ego etc.*

Digitized by Google

ribus meis sine dubio subsequor. Dicis, quod male te Romanus tractet senatus. Si nos te male tractamus, suadentes ut discedas ab haereticis, tu nos bene tractas, quos vis sociare praecipitanter haereticis? Quid ad me, inquies, quod egit Acacius? Recede ergo, et nihil ad te! Nam si non recedis ab eo, pertinet ad te. Relinquamus utrique mortuum! Et nos hoc petimus, ut nihil ad te pertineat quod egit Acacius. Tu nos facis objicere tibi Acacium[20]), qui vis ad te pertinere quod egit Acacius. Nos vitamus quod egit Acacius; vita et tu: et ad utrosque non pertinet quod egit Acacius, ut possis sine iis quae egit Acacius ea, quae ad nos pertinet, causa conjungi, ut possis sine Acacio nostrae communioni sociari. Nos[21]) non te excommunicavimus, imperator, sed Acacium: tu discede ab Acacio, et ab illius excommunicatione discedis. Tu te noli miscere excommunicationi ejus, et non es excommunicatus a nobis. Si te misces, non a nobis sed a teipso excommunicatus es. Ita fit, ut in utroque, sive discedas, non sis excommunicatus a nobis, sive non discedas, non sis excommunicatus a nobis. (post a. 506.)

11. Catholici principes quidem semper apostolicos praesules institutos suis litteris praevenerunt, et illam confessionem sedemque[22]) praecipuam tamquam boni filii quaesierunt debitae pietatis affectu, cui noscis ipsius Domini Salvatoris ore curam totius Ecclesiae delegatam. Quod quia per[23]) occupationes fortasse publicas tua creditur praeteriisse tranquillitas, ne magis honorem meum quam sollicitudinem dominici gregis appetere judicarer, appellare non destiti meis vos sponte colloquiis, vulgatum[24]) fuisse designans, quod tua serenitas directa militari manu compelleret[25]) eos, qui se a contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, vi et armis in praevaricatae communionis consortia detestanda. Joh. 21, 15 ss.

12. Ubi te, rerum humanarum princeps, qualiscunque sedis apostolicae vicarius contestari mea voce non desino, ut te memineris hominem, quantalibet sis mundi potestate subnixus, circumspiciasque cunctos, qui ab initio dogmatis Christiani catholicam fidem diverso proposito persequi vel affligere sunt conati: quemadmodum

---

[20]) Ed. omitt. *Acacium.*

[21]) Illud *nos* non ideo dixit Symmachus, quia novam sententiam tulerit, sed quia prolatam a Felice decessorum suorum instar constanter propugnabat et ab eo divelli se non patiebatur.

[22]) In vulgatis *fidemque;* magis placet cum ms. *sedemque.* Antea *confessionem* intelligimus eum locum, in quo Petrus Christum confessus mortem ea confessione meruit.

[23]) Editi *per occasiones judicaret ... meis te sponte*, corriguntur ex ms.

[24]) In vulgatis puncto hic praemisso sequitur *Vulgatum fuisse designas*: quod incommodam et ineptam efficit sententiam. Concinnior est lectio ms.

[25]) Aptius legeretur *contenderet.* In mox sequentibus vestigia Gelasii ep. 12 n. 1 recurrunt.

Digitized by Google

(post a. 506.) vastitatis insectatione, cujus placuit contritionis illatae, ipsi, qui intulerint ista praevalendo, defecerint, et orthodoxa veritas hoc praevaluerit magis, quo putaretur oppressa, quae sicut sub insectatoribus suis crevisse monstratur, sic obtrivisse cognoscitur insequentes. Miror, si non humanus sensus intendit, praecipue qui se Christiano vult vocabulo nuncupari, inter illos sine dubio deputandum, qui rectam confessionem communionemque Christianam variis superstitionibus impugnare sunt nisi, dum hanc et ipsi quocunque modo percellere moliuntur. Quid interest enim, utrum paganus, an, quod est deterius, sub nomine Christiano veram sinceramque traditionis[26]) apostolicae regulam conetur infringere, atque in hanc prorumpere caecitatem, ut quum in illis regionibus cunctae prorsus haereseos opiniones suas habeant publice licentiam profitendi, sola catholicae communionis libertas putetur ab iis qui se religiosos aestimant subruenda? Quae si putatur error, cur[27]) non licite cum ceteris, quibus illic facultas est agere, sinatur erroribus? Sin integritas aestimatur, sequenda potius fuerat quam violenta persecutione vastanda: nec eam probantur insequi potuisse, nisi prava sectantes. At ne ipsi convincerentur errare, repellere cogitarunt, quo notabantur[28]) errantes, malentes non affectare[29]) quod justum est, sed potius submovere, quo docerentur injusti.

13. Sic inde recessit ab humanis mentibus Deus, ut obstinatae[30]) contra ejus ordinem voluntates non adspiciant, et in isto saeculo divinum non deesse posse judicium, et post hujus vitae cursum illi se[31]) tremendo non defuturos examini, sub quo perniciosarum studia modis omnibus actionum discussa patefiant, et patefacta puniantur: nisi[32]) quia haec omnino non credunt, qui illa se perpetrasse impune confidunt. Nos autem humani generis conscientiam contestari qua possumus nullatenus voce cessamus, omnipotentem

---

[26]) Sic ms. At editi *traditionem apostolicae regulae.*

[27]) Edit. Basil. *cum non licet*, (aliae *quod non licet,*) *cum ceteris.* Haec attendant velim heterodoxi, qui quum ceteras apud se tolerent haereses, unam pati non possunt catholicam religionem. Vel ex hac nota dignoscere queunt, se et pravam sectari, et eam quae una vera est insectari.

[28]) Ita ms. cum Baron. At a' cc *nutabantur.* Hoc autem ideo dicitur, quia Anastasius Zenonis adhaerebat henotico, ex quo unius *naturae* non secus atque *duarum naturarum* professio sublata erat, hac autem arte id submotum erat, quo catholici ab Eutychianis secernebantur.

[29]) Grim. cum edit. Basil. *affectare*, alii *assectari* et mox omittunt *inde.*

[30]) Edit Basil. et Rom. *obstinante.* b c c *obstinate.* Deinde item Bar. post edit. Basil. *contra ejus ordinis voluntatem*, editi vero alii *contra jus voluntatem:* resarciuntur ex Grim.

[31]) Ita Baron. emendavit, quod in aliis libris circumfertur *illi sit tremendo non defuturus.* Grim. *se ... futuros.*

[32]) In vulgatis *nisi qui haec omnino non credunt, quive.* Tantum Baron. illud *quive* in marg. rejecit, ejusque loco restituit *qui.*

Digitized by Google

Deum suis causis[33]) minime defuturum, et quantacunque sit humana praesumptio, quantacunque potentia, sub divino nutu hujus atrocitatis censuram sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neque hic confidimus evasurum, et in illo magno Dei judicio recepturum, quod iis temeritatibus divina retributione debetur. Haec nos nequaquam tacuisse sufficiat, ut quum superna fuerit ultio subsecuta, et vera nos protulisse consideratio humana cognoscat, et poenam non inaniter pronuntiasse venturam, et praeposuisse praemonitionis formam, qua hujusmodi praecipitiis de cetero temperetur. (post a. 506.)

14. Certe si hujusmodi propterea relinquendos proprio definitis arbitrio, quia nec a Christianis vexari deceat Christum quocunque titulo confitentes, nec viventes in jure Romano lacerare conveniat Romanis: consequenter ostenditur, Romanos homines et qualescunque Christianae professionis impetere, nec Christianum dici posse modis omnibus nec Romanum. Proinde aut tibi repellendi omnes fuerant, aut nullus penitus impetendus, et quod in uno genere judicas amovendum, in omnibus repelle, si praevales. Si omnia sunt sinenda, nullus penitus excludendus. Alioquin dum parcendo cunctis erroribus sis amicus, non nisi solum tibi probatur displicuisse quod verum est. Omnes catholici principes, sive quum imperiis gubernacula susceperunt, sive quum apostolicae sedi novos agnoverunt praesules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem se ipsos profitentur alienos, quod chartis quoque vestris[34]) apud vos etiam possimus adstruere, nisi vos aemulos et reos et inimicos vitaremus et judices. Non mirum, si catholicos persequuntur Manichaeorum[35]) patroni, quum falsitas non possit non persequi veritatem. Non mirum, si in orthodoxos saeviant, quibus potest cum cunctis haeresibus convenire, et universis erroribus amici non possint nisi solis esse non errantibus inimici. Si error est, convincendus[36]) vero:

[33]) cc omittunt *causis*.

[34]) Editi *tuis apud te etiam possumus adstruere, nisi te aemulum et reum et inimicum vitaremus et judicem*. Minus dure sonat lectio, quam ex fide ms. Griman. exprimimus. Ibi vero Symmachus non ait vitare se Anastasii communionem, sed stare se nolle judicio ejus, quem non modo reum, sed etiam aemulum atque inimicum reperitur.

[35]) Duplici titulo *Manichaeorum patroni* nomen Anastasio congruebat: *primo*, quia fovebat Eutychianos, quos ut veritatem corporis Christi cum Manichaeis negantes etiam Manichaeos vocare insolens non erat; *secundo*, quia ex Manichaea seu Manichaeorum fautrice matre ortum ducebat. Hinc a Theodoro lectore lib. 2 scriptum legimus: *Manichaei et Ariani laetati sunt propter inaugurationem imperatoris Anastasii: Manichaei, quod mater illius summo erga ipsos studio affecta erat.*

[36]) Excusi *convincendus est. Verum.* Rectius Grim. *convincendus est vero*, id est veritate.

Digitized by Google

(post a. 506.) si error non est, tibi verum deesse cognosce, qui persequeris, quo[37]) profiteris errare. Sed pravitatis complex non potest nisi eum persequi, qui est pravitatis immunis[38]).

Epistola 11.

(a. 507—512.) **Symmachi papae (vel saltem ipsius nomine scripta) ad episcopos Afros.**

In confessionis exilio constitutos consolatur eisque petentibus reliquias beatorum p. 97. *Nazarii et Romani transmittit.*

Dilectissimis fratribus episcopis Afris Symmachus.

1. Lucrum forsitan putaret inimicus, si inter pericula, quae Christianis induxit, credentium animos subegisset, et per diversa Domini grege disperso, non superesset vel inter paucos, a quibus possit fide perseverante calcari. Regnat adhuc ille in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine quam in devotione complacuit. Luc. 22,31. Scriptum est enim datam Satanae potestatem, ut servos Christi cribraret: ut quod de tritico inveniri posset, horreis jungeretur, quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. Ad vos specialiter dictum Luc. 12,32. est: *Nolite timere, pusillus grex, complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida Ecclesiae membra resecaret, et ad coelestem gloriam sana perduceret. Quos[1]) habeat Christus milites, certamen ostendit: qui triumphum mereatur, per bella cognoscitur. Nolite metuere, quod pontificalis a vobis apicis infulas abstulerunt. Vobiscum est sacerdos ille vel hostia, qui non tam honoribus consuevit gaudere quam mentibus. Majora sunt confessionis praemia, quam nominatae munera dignitatis: ad illa plerumque etiam minoris meriti personas favor humanus adducit, ista nisi gratia superna non tribuit. Ipse enim in vobis et pugnavit et vicit, quem fides meretur et inter hominum tormenta sociari.

2. Prolixis non est opus ad fervorem in vobis coelestem animare colloquiis. Habet incrementa sua divinae virtutis incendium. Non est opus eos in tropaeo jam positos attolli laudibus, qui sine monitore vicerunt: gravant[2]) conscientiam Christiani, quidquid afferunt blandimenta praeconii. Res quidem virtutis est quam fecistis, sed summi praemii restitutione superanda. Quod tamen directis ad

---

[37]) Hoc est: *eo quod profiteris errorem.* Baronius loco verbi *profiteris* substituit *convinceris.* In aliis edit. retentum est *quo profiteris*, sed his verbis praeponitur stellula, ut fieri solet in locis vitiosis vel mancis, quae medica manu egeant.

[38]) Ita Grim. — b c c substituerunt *inimicus*, quum ed. Bas. et Rom. prorsus omisissent.

[1]) Sirm. *quod habeat.*

[2]) Sirm. *gravat.*

Digitized by Google

filium nostrum H.[3]) diaconum litteris sperastis, beatorum Nazarii et Romani benedictionem poscentes, fidelibus non negamus. Accipite veneranda patrocinia invictorum militum, et[4]) quia vestram jam piam fidem in praeliis imperator agnovit, feliciter confessionis munera consummate[5]). Dabit Deus, quum ipsi placuerit, reducem ecclesiis quietem, et ut moerorem, quem induxit adversitas, pacis dulcedine consoletur. (a. 507—508.)

Epistola 12.

Orientalium episcoporum ad Symmachum.

a. 512.

p. 97. *Enixe petunt, ut Orientalibus ecclesiis schismate laborantibus quam primum subveniat, sibique communionem impertiat, ut qui fidem catholicam profiteantur ac nominatim Nestorii et Eutychetis haereses damnent, quamvis ab iis, qui in quorumdam addictorum damnatione non acquiescant, necdum sibi discedendum propter utilitatem Ecclesiae putent.*

Ecclesia Orientalis ad Symmachum episcopum Romanum.

1. Bonus ille et amator hominum Dominus noster Jesus Christus, qui propter bonitatem suam in nos inclinans coelos et descendens ad terras, immaculatis evangeliis quotidie illud clamat: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.* Matth. 9, 12 et 13. Plus autem volens aperire opera suae clementiae, adjecit in sequentibus dicens: *Quis autem vestrum habens centum oves, si perdiderit ovem unam ex iis, nonne relinquit nonaginta novem in deserto, et vadit ad perditam, quamdiu inveniat illam? Et inveniens imponit illam gaudens in humeris suis, et veniens domum suam, convocat amicos suos et vicinos, dicens: „congaudete mihi, quia inveni ovem meam perditam“.* Luc. 14, 4 ss. Et ut clarius fieret quod dicitur, mox adjecit parabolam mulieris, quae perditam invenerat drachmam, utrisque adjungens et dicens: *Amen dico vobis, quia sic fiet gaudium in coelis de uno peccatore poenitentiam agente.*

Haec dixi[1]), sanctissime, audens supplicare non pro perditione unius ovis neque pro perditione unius drachmae, sed pro amica

[3]) Pro littera *H* Baronius substituit *N*, eoque monogrammate Ennodium intelligendum arbitratur. Verum is veterum mos erat, qui nonnisi longe post Symmachi tempora mutari coepit, ut quum vagum aliquod nomen exprimere volebant, illud non sola littera *N* sed nota *ill.* designarent. Quapropter magis cum Sirmondo retinere placet litteram *H*, eaque Hormisdam tunc diaconum ac postea Symmachi successorem designatum interpretari.

[4]) c[7] *quia et jam.* Tum Sirm. *vestram fidem* omisso *piam.*

[5]) c[7] *consummare;* et mox *reducere* pro *reducem.* Subinde Sirm. *indixit* pro *induxit.*

[1]) a[1] *dixi ... sanctissime ... audens* (scilicet ecclesia Orientalis, quae quasi loquens inducitur); b c[2] seq. *diximus ... sanctissime ... ausi.*

Digitized by Google

a. 512. nobis salute, non Orientalium partium tantum, sed trium[2]) prope plagarum habitabilis mundi, *non corruptibili argento aut auro redemptarum de vana conversatione a parentibus tradita, sed pretioso sanguine*
1 Petr. 1, 18. *Agni Dei*, sicut docuit beatus gloriosorum apostolorum princeps, cujus cathedram beatitudini tuae credidit Christus optimus pastor,
Matth. 18, 11. qui venit quaerens et liberans quod perierat, et ponens animam
20, 28. suam in redemptionem pro multis.

2. Quem imitantes[3]), sanctissimi beatissimique, festinate ad adjuvandum nos, sicut beatus Paulus doctor vester ad auxilium quandoque Macedonum festinavit. Et quidem ille in visione cognoscens periclitari Macedones, in veritate adjuvare eos properavit[4]); tu autem affectuosus in filios pater, non in visione sed in veritate spiritualibus cernens oculis pereuntes in praevaricatione patris nostri Acacii, noli remorari, magis autem, ut ita dicam sicuti propheta,
Psalm. 120, 4. *non dormites, sed festina ad liberandum nos:* quia non in ligando tantum potestas est tibi data, sed in solvendo quoque diu vinctos ad imitationem magistri; neque in eradicando vel diruendo, sed in plan-
Jer. 1, 10. tando et aedificando, secundum beatum Jeremiam, magis secundum salvatorem mundi Christum, in cujus ille exstitit typo; neque in
1 Cor. 5, 5. tradendo tantum Satanae in interitum carnis, sed et in caritate formando longa adversione[5]) dejectos: ne, quod absit, majori tristitia
2 Cor. 2, 7. absorptis nobis a Satana videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras ejus ingenium, qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere, non vi sed sponte coactas, qui cum doctissimo Paulo clamas
2 Cor. 1, 23. nobis subjectis et dicis: *Non enim dominamur vobis in fide, sed*

[2]) Alludere videtur ad tres Orientis patriarchas, quos Xenajas in sedibus suis quietos non sinebat, Macedonium Constantinopolitanum, Flavianum Antiochenum et Eliam Jerosolymitanum.

[3]) b c[1] seq. *imitatus sanctissime beatissimeque*, mutata primaeva lectione. Et ista quidem locutione majoris reverentiae significationem affectari arbitramur. Neque enim iis, qui hanc epistolam non ad unum Symmachum, sed et alios Occidentis episcopos missam esse hinc conjectant, assentiri nos subnexa patiuntur.

[4]) *Haec*, inquit Baronius, *quum dicunt, eleganter videntur alludere ad Macedonium jam expulsum ab imperatore, indigentem auxilio Romani pontificis.* At haec interpretatio subtilitor videtur quam verior. Hoc quippe Pauli exemplo Orientales Symmacho persuadere nituntur, ut si apostolum illum aliquando Macedonia sola ad se pertrahere valuerit, quanto magis et Macedonia ipsa, quae pars est Illyrici, et totum Illyricum aliaeque Orientis provinciae paternam ipsius commiserationem commovere debeant, nec apparet, apud quem Symmachus, cui imperator quidem infensissimus erat, juvare Macedonium potuisset.

[5]) Hoc est: animadversione, qua jam dudum a vestra communione propter Acacium dejecti sumus. Quamvis *animadversio* minus latinum sit, elegans tamen est *advertere in aliquem* pro *puntre*. Quare minime cum b c[2] seq. praeferendum est *aversione*.

Digitized by Google

cooperamur in gaudio. Quare deprecamur disrumpi novum chirographum nostrum, sicut salvator et dux noster Christus vetus illud in cruce disrupit: ne ultra post lavacrum regenerationis malorum nostrorum subjaceamus delictis, sed ut ejus, qui comedit, uva[6]) acerba ligaverit dentes, secundum beati Ezechielis prophetiam. Quum ergo in veritate parabolam istam salutari adventu suo Salvator impleverit, cur, sanctissime ac beatissime, Acacii inobedientia uvam acerbam comedentis, nostri, id est filiorum ipsius, in tam longo annorum cursu ligati sunt dentes? Si unus homo peccavit, quare toti synagogae aut magis toti habitabili mundo per[7]) anathema divinus furor incumbit? Ubi ergo Dei promissio, quae dicit: *Non percipient filii parentum peccata, neque parentes filiorum suorum, sed unusquisque morietur in suo peccato*?

a. 512. Col. 2, 14. Ezech. 18, 2. Ezech. 18, 20 et Deut. 24, 16.

3. Si propter Alexandrinorum[8]) aut magis Eutychianorum amicitiam, qui aversantur et anathematizant sanctissimum et beatissimum papam Leonem vel in Calchedone synodum habitam, anathematizatus est Acacius, quare nos a vobis aestimamur haeretici et in anathemate sumus nos, qui amplectimur solam[9]) illam epistolam et quae dicta sunt in sancta synodo, qui propter praedicationem recti dogmatis vestri quotidie oppugnamur, et ut haeretici anathematizamur ab iis, qui Eutycheti consentiunt? Noli facere judicium per illum, qui cunctam judicat terram, ne perdas justum cum impio, nec fiat apud te justus ut impius, nec aequaliter judicentur a te orthodoxi et haeretici, vel qui anathematizant praedictam sanctam epistolam sanctamque synodum vestram rectam, et ii qui vobiscum ab eis anathematizantur, et qui orant mori quotidie pro recta fide quae a vobis praedicatur.

4. Et Jesus quidem Nave incircumcisos et idolorum servitores Gabaonitas cum mendacio fugientes ad se, dum oppugnarentur ab Abimelech vel ceteris quatuor cum eo principibus, pro eo quod ad eum confugerant, Deo cooperante strenue vindicavit, ne blasphemaretur nomen Dei ejus tamquam non eos adjuvare praevalentis. Vos autem, sanctissimi viri, Jesu magni Dei et Salvatoris spei nostrae

Jos. 10, 6.

---

[6]) b c^2 seq. *uva acerba ligaverit.* Secundum illud Domini apud Ezechielem 18, 3: *Vivo ego dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium,* quo vulgo dicebatur: *patres comederunt uvam, et dentes filiorum obstupescunt,* petunt, ut ejus unius, qui comedit, dentes ligentur et obstupescant, hoc est solus ille poenam experiatur, qui deliquit.

[7]) Nulli anathema dictum est propter unius Acacii peccatum, nisi iis, qui ab ejus consortio recedere nolentes, peccati ejus participes facti sunt.

[8]) Hoc ideo dicunt, quia Acacius propter hoc maxime damnatus fuerat, quod Petri pseudoepiscopi Alexandrini saepius damnati amicitiam communionemque suscepisset.

[9]) Legendum videtur *totam* vel *sanctam;* quod postremum eo magis placet, quod mox eamdem epistolam *sanctam* vocent.

Digitized by Google

a. 512. discipuli imitatoresque ejus, qui figuram servi assumpsit, ut nos liberos redderet a peccato quod regnabat in nobis, videntes oppugnari nos et mortificari, non sicut Gabaonitas incircumcisos, sed vobiscum circumcisos in Christi cicumcisione, neque idolorum servitores et aemulos, etsi peccatores, tamen Christianos et vobiscum omnia in Christo sapientes, non despiciatis neque contemnatis ultra, pii patres:
Jos. 6, 22. sed sicut beatissimus praedictus Jesus Nave non illos tantum, sed et Raab meretricem illis anteposuit propter duorum exploratorum susceptionem, ita et vos nos vigilanter assumite cum Dei juvamine propter duarum naturarum traditionem, quae a vobis per epistolam inter sanctos constituti papae Leonis contra Eutychetis deliramenta
Jos. 2, 6. directa est. Et illa quidem suscipiens explorantes, in stuppam lini suae domus abscondit; nos autem rectae fidei vestrae suscipientes confessionem, in corde nostro non abscondimus, sed in ecclesiarum domatibus[10]) Dei misericordia eam cum auctoritate praedicamus. Et illa quidem rogata per metum eos se habere negavit: nos autem oramus, ne unquam humano metu negemus rectae doctrinae nostrae veritatem; et usque ad sanguinem pro ea stabimus, si ita contingat.

5. Unde non taedeat nos adjuvare, neque odio habeatis propter adversantium communionem[11]): quum se ab hac plurimi facultatibus impediti et non habentes sollicitudinem multarum animarum suspenderint, quibus vero multarum animarum cura commissa est, in creditis sibi communicent ecclesiis, nullum contrarium habentes communicantem sibi, et metuentes relinquere lupis oves propter vocem
Joh. 10, 12. Domini dicentem: *Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et relinquit oves et fugit, et lupus rapit eas atque dispergit, quia mercenarius est et non habet ovium curam.* Quia ergo non amore vitae capti, sed ovium salutem curantes plurimi sacerdotum hoc faciunt, de[12]) insequentibus miserante Deo cognoscere poterit tua paternitas.

Quidam enim de iis, qui in sacerdotio constituti sunt, spectantes[13]) in exsilio mitti presbyteros orthodoxos et sanctos viros, volen-

[10]) In prius vulgatis *dogmatibus*. Restituendum duximus *domatibus*. Apertum enim est, eos respicere tum ad factum Raab, *quae fecit adscendere viros ad solarium domus suae*, tum maxime ad praeceptum Domini, qui Matth. 10, 27, quod in tenebris docuerat, praedicari jussit *super tecta* (graece ἐπὶ τῶν δωμάτων.

[11]) Hoc est: propterea quod non omnino abjiciamus communionem eorum, qui Acacii damnationi adversantur eique nolunt subscribere. Deinde forte legendum *quum se ab hac plurimi sacerdotiis expediti.*

[12]) Hoc est *ex consequentibus.* b substituit *deinceps.*

[13]) Edit. Basil. et Rom. *sperantes;* ac subinde *sub arbitro*, pro *suo arbitrio.* Praeferenda visa est Baronii correctio. Hoc enim sibi vult: *eos, qui quum viderent in exilium mitti presbyteros orthodoxos et sanctos viros, volebant se praeter necessitatem ab ecclesiis suo arbitrio subducere eosque sequi, non siverunt hoc facere.*

Digitized by Google

tes se praeter necessitatem ab ecclesiis suo arbitrio subducere ipsos- a. 512.
que sequi, non cesserunt eis hoc facere, adjurantes eos, ut manerent in creditis sibi sanctis ecclesiis ad populi munimen orthodoxi, in se suscipiendo quae putantur discretionis illorum. Sicut Rebecca quondam dicens Jacob: *In me peccatum tuum, fili;* ita illi ab ecclesiis sibi creditis discedere sponte volentibus dixerunt: *In nos veniat peccatum discretionis vestrae, tantummodo oves Christi praeter necessitatem lupis non relinquatis, ne in loca vestra haeretici ingredientes, lupi discerpant oves.* Aut certe ab ipsis ovibus suis propter rectam fidem fugati et his, qui non fugantur sed sponte discedere cupiunt, ne cui adversantium communicent, tali fide dicentes[14]): putas isti amore vitae hoc faciunt, an amore animarum, ad imitationem Domini sui primi pastoris nostri Jesu Christi magni Dei et Salvatoris spei nostrae, qui animam suam posuit pro ovibus suis? Gen. 27,13.

6. Omnimodo autem et qui videntur communicare orthodoxi, et qui se a communione abstinent, omnes post Deum tuae lumen visitationis et assumptionis operimur. Quare festina juvare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum et Paulum ad illuminationem totius mundi Salvator direxit. Reddite ergo ei bonam retributionem, quam ipse vobis dedit: illuminate eum rectae fidei lumine, sicut per ipsum vos quondam divinae cognitionis lumine idem illuminavit. Sicut enim quando toto mundo in peccatis aegrotante, unius hominis delicto lassati, in aegritudinis curatione boni illius medici discipuli, ipsum coelestem medicum et principem pastorem magistrum suum ad curam vocantes aegritudinis ipsius, aliquando dicebant: *Domine, inclina coelos tuos, et descende;* aliquando rursum: *Qui regis Israel, intende, qui sedes super Cherubim, appare, excita potentiam tuam et veni, ut liberes nos:* sic nos modo, qui infirmitate[15]) novae praevaricationis patris nostri dejicimur, ad tuam clamamus beatitudinem, ut et tu imitator exsistens Filii Dei ad[16]) dilectionem deprecatione venias. Imitatione ipsius coelestis Patris tui, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos,* festina in auxilium nostrum, sciens, sanctissime, Psalm. 143,5. 79,2. Matth. 5,45.

---

[14]) Hoc est: *talia eo studio ac fide persuadentes putandine sunt, seu qui persuadent, seu quibus hoc persuadetur, ne gregem suum deserant, amore vitae hoc facere?*

[15]) Ed. Bas. et Rom. *infirmati novae praevaricationis*, b c c *infirmitati novae praevaricationis*. Abbreviationem primariam ex ingenio linguae latinae supplevimus. Coust. mallet *infirmati noxa praevaricationis*. Jam se superius n. 2 dixerunt *pereuntes in praevaricatione patris nostri Acacii*. Utrobique Acacium ita praevaricatorem fatentur, ut profiteantur et patrem, quia nimirum quod regiae urbis antistiti Calchedonensis synodus attribuerat ratum habebant.

[16]) b c c ad marg. *ad dejectionem;* quae conjectura non arridet. Ipsi enim, qui initio num. 5 rogabant: *Neque odio habeatis propter adversantium communionem,* nunc ut *ad dilectionem veniat* precantur.

Digitized by Google

a. 512. sicut in principiis dictum est, quia *non opus habent sani medico, sed*
Matth. 9,12. *male habentes.*

7. Quodsi parva exsisteret aegritudo, nos forsitan ad spiritualem nostrum medicum curreremus, quatenus et passiones bonorum medicorum, id est gloriosorum Christi discipulorum vestrorumque doctorum, et sancta adoraremus[17]) tua vestigia, ut et praevaricationis medicinam et solutionem vinculorum et delicti remissionem de tuo sancto ore susciperemus. Sed quia *non est ulcus aut macula*
Jes. 1,6. *neque plaga tumens, sed totum ulcus est a pedibus usque ad caput*, sicut beatus Isaias antiquam praevaricationem deflens dixit: vos jam boni medici, et illius veri medici vel bonorum discipulorum ipsius certissimi plantatores, festinate ad curam resolutorum ecclesiastici
Jes. 35,3. corporis membrorum, ut dissolutas manus nostras dissolutaque genua erigatis, et cursus rectos faciatis pedibus nostris: ne quod claudum est, amplius distorqueatur, sed curetur magis per strenuitatem et optimam diligentiam vestram.

8. Sicut enim magistro nostro domino Paulo glorioso apostolo propter infideles aliquos, dum eum pigeret sermonem Domini in
Act. 18,9. Corintho loqui, adstans Dominus dixit: *Loquere et non taceas, quia multus est mihi populus in hac civitate;* et nunc tuae dicit beatitudini ejus benignitas: „festina, et noli tardare ad Orientis auxilium", magis autem ad majores partes habitabilis mundi, quia non tantum pro
Jon. 4,11. centum viginti millibus in magna quandoque constitutis civitate Ninive, sed a multo pluribus spera exspectari tuam post Deum medicinam. Si enim qui praecessit beatitudinem tuam inter sanctos constitutus Leo archiepiscopus ad Attilam tunc erronem barbarum per se currere non duxit indignum, ut captivitatem corrigeret corporalem, nec tantum Christianorum, sed et Judaeorum, ut credibile est, atque paganorum: quanto magis festinare ad tuam attinet sanctitatem, non ad corporeae, quae bello fit, captivitatis correctionem atque conversionem, sed animarum, quae captivatae sunt vel quotidie captivantur! Et inter duas diabolici vias erroris, Eutychetis atque Nestorii, tertiam immo mediam nobis ostendas expressius veri rectique dogmatis viam.

9. Dubiam eam fecerunt nostra peccata, aestimantibus quibusdam non posse inter Nestorii et Eutychetis salutis viam mediam reperiri, sed quod omnino necesse sit, aut illius esse quemquam,

---

[17]) Notandum *adorandi* verbum pro religiosa observantia, adeo ut Nicaenum II concilium nihil insuitatum protulisse constet, quum act. 7 sacris reliquiis *honorariam adorationem tribuendam definivit.* Notanda et illius observantiae, qua summorum pontificum vestigia adorantur, antiquitas. Paulo ante *passiones bonorum medicorum* nuncupant apostolorum Petri et Pauli tumulos, quibus post passiones conditi fuerant, qua loquendi ratione etiam nunc Petri confessio appellatur ea Vaticanae ecclesiae pars, in qua corpus ejus jacet.

Digitized by Google

aut illius. Propter hoc festina post Deum nos adjuvare: et sicut a. 512.
inter Arii dividentis atque separantis unam Deitatis naturam atque substantiam et Sabellii quoque confundentis personas et minuentis numerum Trinitatis ostenderunt sanctissimi patres viam mediam veritatis, in confessione Divinitatis unam substantiam, naturam virtutemque demonstrantes, propter * Sabellium tres personas et aequae potentiae unam veritatem: sic et vos nunc, sanctissimi atque beatissimi, illuminate nos spiritualis scientiae vestrae lumine, quae est inter[18]) * Eutychetis ad imitationem Sabellii naturas atque substantias confundentis, et inter Nestorii ad imitationem Arii personas atque substantias dividentis vera rectae fidei confessio, tradita nobis a papa Leone inter sanctos constituto, et[19]) discipulorum (in Calchedone sanctorum patrum, duarum substantiarum aut naturarum unitas in una eademque persona et una[20]) substantia magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ipsi enim docuerunt nos divinis scripturis alteram esse visibilem et palpabilem et passibilem carnis naturam, et alteram invisibilem impassibilem et incomprehensibilem naturam in una persona et substantia magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: alteram de matris substantia et natura venientem de semine David, Abrahae et Adae, secundum carnem natam, alteram vero ex utero ante Luciferum genitam de substantia et natura Patris. Sed ne rursus propter immaculati partus duas naturas et substantias occasionem apprehendentes, qui secundum Nestorium sapiunt, duas personas aut duos filios vel duos Christos male introducant, docuerunt sancti illi et beati patres unam scire personam et substantiarum inseparabilem unitatem ex duabus substantiis et naturis et in duabus substantiis et naturis magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

* add. *Arium et*

* suppl. *confessionem*

10. Nos enim, o sanctissime et beatissime Symmache, eumdem esse existimamus et *ex duabus naturis* et *in duabus naturis,* et non, sicut illi dicunt, ex duabus naturis unam naturam post adunatio-

---

[18]) b c c addunt *sententiam*, glossema. Magis supplendum *confessionem.*

[19]) Orationis series postulat *et discipulis in Calchedone sanctis potribus*, nec obscurum est interpretem litterae graecae constructione fuisse deceptum. An Calchedonenses patres ideo Leonis discipuli vocantur, quia hujus doctrina seu epistola ad Flavianum ipsis praelecta eorum definitioni praeivit? Suspicio non deest *discipulorum* loco legendum esse *DCXXX.*

[20]) Edit. Basil. et Rom. *et unius substantiae*, quamvis paulo inferius *in una persona et una substantia* retineant. Recte et hic Baronius restituit *una substantia*, ita ut vox *substantia* non graecae οὐσία sed ὑπόστασις respondeat, quae quidem vox, ut observavit Augustinus de Trinit. VII n. 8, licet latine *substantia* reddatur, nihil apud Graecos aliud, quam quod apud nos *persona*, sonat. Quamquam interpres accuratior hic et infra *in una persona et una hypostasi* graecum ἐν ἑνὶ προσώπῳ καὶ μιᾷ ὑποστάσει latine convertisset, maxime quum etiam eodem *substantiae* vocabulo graecum οὐσία reddat.

Digitized by Google

a. 512. nem, in duabus autem subsistentibus[21]) naturis cum unitate non pati confiteri; ut se doceant Arianorum esse imitatores, dicentium per Filium glorificari[22]) Patrem, cum Filio autem non pati se eum glorificari. Sed sicut contra illos docuerunt fratres tui sanctissimi patres, *„per quem"* et *„cum quo"* aequaliter pati dicere nos, quia, *„per quem"* humanitatem, *„cum quo"*, divinitatem significant magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: sic et nunc illis, *„ex duabus* quidem *naturis"* dicentibus, *„in duabus"* autem non confitentibus, nos *„ex duabus"* et *„in duabus"* pariter dicimus. *Ex duabus* enim dicentes, ex quibus subsistit unitas, *in duabus* autem, in quibus visus est et palpatus est et assumptus post passionem et resurrectionem, confitemur, et in quibus veniet judicaturus vivos et mortuos. Neque enim nuda Divinitas poterat aut palpari aut crucifigi pro vita mundi, nec simplex humanitas morti subjacens per mortem confundere eum, qui obtinebat mortem, hoc est diabolum. Unde et post resurrectionem in immaculata carne sua visum Verbum Dei et Deus noster
Luc. 24, 39. omnibus discipulis suis dicebat: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habentem. Habentem* dixit, ut non is in illa mutatus putaretur, sed in veritate assumpsisse crederetur. Beato
Joh. 20, 27. quoque Thomae diffidenti clamat: *Infer digitum tuum et vide manus meas, et da manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis.* Unde dum assumeretur, duo viri visi discipulis in
Act. 1, 11. albis vestibus clamabant et dicebant: *Viri Galilaei, quid statis adspicientes in coelum? Hic Jesus, qui ablatus est a vobis in coelum, ita veniet, sicut vidistis euntem in coelum:* ut dum venerit omnimodo in gloria Patris cum sanctis angelis in die terribili justi judicii, sic infideles Judaei videant in quem compunxerunt, compeccatores[23]) autem mei eum, qui eorum misertus est et liberavit eos, neglectus autem ab eis est. Secundum vos autem sancti et justi videbunt, quem dilexit anima eorum, et laetabuntur laetitia ineffabili et

---

[21]) Hoc est: *persistentibus post carnis nostrae susceptionem;* quam doctrinam Eutychiani, naturam humanam in Christo vel consumtam vel confusam sentientes, pati non possunt. In hoc porro imitantur Arianos, quod cum iis unam in Christo naturam velint, illi quidem solam humanam, ipsi vero solam divinam, ambo tamen unam. Hic autem *subsistentibus* minime sic dicitur quasi *propriam subsistentiam habentibus.*

[22]) Ita correxerunt c c; ed. Bas. a^1 b *gloriari.* Mox b c c *significantes.*

[23]) Baronius hunc locum ita resarcire conatus est: *et cum eis peccatores etiam nostri, eum qui eorum.* Praestat lectionem primaevam quamvis corruptam retinere, quam sic de suo mutare. Ab hac minus propius recederet, qui legeret *quomodo peccatores adspiciant in eum, qui eorum etc.* Certe non obscure hic docent, veritatem carnis, in qua et per quam Christus passus est, etiam post gloriae perceptionem perseverasse, eamque tum Judaeis tum peccatoribus in die judicii conspicuam fore.

Digitized by Google

gloriosa, accipientes consummationem fidei suae in salutem animarum suarum et audientes suavissimam vocem ejus dicentis: *Venite, benedicti Patris mei, haereditate paratum vobis regnum ab initio mundi.* Cujus beatae vocis cum tua beatitudine et nos indignos dignetur Christus Dominus noster, per omnia sanctissime pater! a. 512. Matth. 25, 34.

Epistola 13.

Symmachi papae ad Orientales.

a. 512 d. 8 Oct.

p. 97. *Eos communionis suae nunquam participes fore rescribit, qui quovis colore a damnatorum, h. e. Eutychetis, Dioscori, Timothei, Petri et Acacii societate divelli noluerint.*

Dilectissimis[1]) fratribus universis episcopis, presbyteris, diaconis, archimandritis et cuncto ordini et plebi per Illyricum, Dardaniam et[2]) utramque Daciam Symmachus.

1. Quod[3]) plene fieri cupimus, si quae scribimus impleantur, nullus stupeat servatum hactenus nos nunc solvisse silentium, quum prudentissimi Salomonis ista vox personet: *Tempus loquendi, et tempus tacendi.* Quia taciturnitatem praesens tempus expugnat: nam inter[4]) ea, quae accidunt nunc, silere nec fidei stimulis excitari, magni constat esse fastidii. Quippe ubi religionis reverentia et summa concutitur, aptum juxta divinam Scripturam dicere, eos qui sunt mites, debere esse pugnaces. Est[5]) siquidem et spiritualis quaedam Eccles. 3, 7. Luc. 22, 36.

[1]) In edit. Basil. desideratur *Dilectissimis fratribus universis episcopis*, sed inscriptio ab his verbis incipit: *Presbyteris, diaconis etc.* Superior epistola, ut ex num. 5 liquet, non tantum eorum, quibus nullarum animarum erat sollicitudo, sed et eorum, *quibus multarum animarum cura commissa erat*, adeoque et episcoporum nomine scripta fuit. Sic et Symmachus ad episcopos rescribere se ab ipso exordio satis indicat, et num. 5 confirmat.

[2]) Ita G[1] a[1]. At Basil. *et Daciam constitutis Symmachus Romanus episcopus*, Baronius autem *et utramque Thraciam consistentibus Symmachus episcopus.* Cui quodam modo favet, quod in Hormisdae epist. 22 ad Avitum n. 3 et 4 cum Illyricis et Dardanis Thraces conjunguntur et a schismate simul discessisse narrantur. Sed hujusmodi mutatio praeter mss. fidem fieri non debet.

[3]) Ita G[1] b; ed. Basil. omittit *Quod — compleantur*, immediate incipiens *Nullus stupeat.* Simili sententia incipiunt tres Gelasii epistolae, scilicet Felicis II epist. 17 et 18 et Gelasii epist. 3.

[4]) Editi *inter cetera*, et omittunt *nunc.*

[5]) Ita G[1], nisi quod *et siquidem et ... inde et.* Edit. Basil. *siquidem spiritalis quae est et Deo accepta congressio universa laudabiliter tolerat ... separetur. Sed congruum est illis.* b c[2] seq. *Siquidem et ... inde et ... tolerat, ne ... necessarium et utile tales admonere: nec enim.* Quod hic suadet Symmachus, Constantio imperatore Arianis favente praestiterunt viri sanae et orthodoxae fidei studiosi, *qui tametsi*, Gregorius Nazianzenus orat. 21 inquit, *alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes et faciles esse non sustinent, quum per silentium et quietem Dei causa proditur: verum admodum bellaces sunt atque in confligendo acres et*

Digitized by Google

a. 512. Deo accepta congressio, unde et laudabiliter universa tolerantur, ne quisquam a divina caritate separetur; et vos quidem docere quod doceatis, grave onus pudoris, sed necessarium de utilitatibus. Neque enim congruum, illis religiosae afferre dogmata disciplinae, a quibus institutionis ipsius exspectatur plena perfectio. Sed breviter clara perstringemus.

2. Cui incognitum, Constantinopolitana ecclesia qua[6]) Nestorii contagione laboraverit? Nestorii, inquam, qui quasi putre corporis membrum a societate catholicae communionis excisus est. Ubi terrarum non praedicatur congregatio Calchedonensis sancti concilii, quae Eutychetem et Dioscorum, duo nomina famosa et magnae perfidiae, unius sententiae integritate damnavit, iniquitatis complices uno spiritu divinis dogmatibus adversa[7]) luctantes? Quis Petrum et Timotheum praefatorum vernulas ignoravit, propugnatores intentionis addictae, auctores ac magistros suos crebro[8]) errore vincentes? Illum Timotheum loquimur patricidam, qui sanctae recordationis Proterio superstite, non solum ecclesiam non religiosis auctoribus occupavit, verum etiam effusionem pii sanguinis ad crimen pervasionis[9]) adjecit. Ipsius nempe damnationem universalis est Ecclesiae vox locuta[10]), dum cum nomine quoque Christiani honoris exueret. Cujus Petrum sequacem notum fecerunt orthodoxorum plurimae passiones, in quibus ille virtutem animi sui exsultavit ostendere. Novit[11]) hunc Ephesus cum tota societate Dioscori, ubi cum praedicto

feroces. Sic quaedam Hilarii Pictaviensis scripta ferocem spirare videntur animum, quem tamen *natura mitem* et placidum fuisse Rufinus H. E. I, 31 praedicat.

[6]) G[1] *quae Nestorii inquam*, ed. Bas. et sequ. *qua Nestorii contagione laboraverit* (c[7] seq. *laboravit*)? *Nestorii inquam*. Mox G[1] *magnopere fidei unius sententiae*.

[7]) G[1] a[1] *adversa luctantes*, b *adversa sectantes*, ed. Bas. *adversarias pestes*.

[8]) G[1] *crebro errore*, a[1] *crebro ferro*, b *scevo errore*, ed. Bas. et sequ. *saevo errore*, nescio an melius. Hoc enim sibi vult, Timotheum Aelurum et Petrum Eutychetis et Dioscori discipulos, ipsis quidem errore pares, sed saevitia, qua proprium episcopum Proterium interfecerunt et interfectum indigne tractarunt, fuisse superiores.

[9]) Edit. Basil. et Baron. *persuasionis*. Hoc facinus in tractatu I n. 4 Gelasius ita perstringit: *Mortuo principe Marciano collectis turbis haereticorum Timotheus et Petrus veniunt Alexandriam, et ordinatur ab haereticis Timotheus episcopus. Duo igitur apud Alexandriam episcopi esse coeperunt*, is scilicet pervasor cum Proterio; cui crimini Timotheus postea ipsummet Proterium occidendo alterum adjecit.

[10]) Iis scilicet in litteris, quas Leo imperator ab universis metropolitanis, ut universalis Ecclesiae ea de re sententiam comperiret, ad se mitti jussit. Haec litterae habentur in actis concil. Calchedonen. p. III (Hard. II, 691 ss.).

[11]) In edit. Basil. *Novit Ephesus* omisso *hunc* (pro quo mendose a[1] *hinc*) mox que subditur *cum proprii amore peccati*. Is auctor peccati, quo Flavianus occisus est quodque Petri proprium dicitur, intelligendus est Dioscorus. Atque ex

Digitized by Google

auctore peccati finem sancti Flaviani operatus innotuit. Tacenda a. 512.
sunt Antiochiae mala, ubi per alterius Petri nefanda ludibria reverendum[12]) sacerdotii nomen irrisum est. Quis Apameae et Tyri gemitus, tragicis criminibus comparandos, vel si solis vacet, digna possit lamentatione deflere? Quid[13]) Acacium? Qui quasi boni sui fascino gravatus, quae Basilisco imperante praemiserat, novo exemplo poenae deprehensus est adversus seipsum dicens sententiam: illos mutata voluntate defendens, quos prius gloriosum putavit addicere[14]), et laborans sociare fidelibus, quos dudum haereticos manifestae praevaricationis ostenderat; propter[15]) quos maxime fugiendus et designato superius damnatorum agmini coaequandus, illa, propter quae fidelis probatus est esse, dissolvens, et permixtus his, per quae laesio Ecclesiae generalis evenit.

3. Adversus hos si patrum dogmata ratio suadet esse servanda, cogitate, si possunt ea majori transgressione calcari, quam nunc per eos, qui in partibus vestris Eutychetis dogmata recidiva[16]) resuscitant. Si vero tamquam infirme constitutae[17]) sententiae sine periculo negliguntur, citra ullum robur credulitatis nostrae[18]) summa

---

hoc loco sequitur: 1° ut Petrum Mongum adhuc diaconum Dioscorus, qui eum teste Liberato c. 15 ordinarat, secum ad Ephesinum latrocinium perduxerit; 2° ut ibi Petrus Flaviani necis praecipuus minister fuerit; 3° ut Flavianus Ephesi, adeoque non in exsilio, finem vivendi fecerit. Nisi forte Petrus ideo Ephesi Flaviani finem operatus dicatur, quia ille ob ea, quae ipso operante Ephesi passus est, brevi post in exsilio vitam finierit.

[12]) G[1] *perferendum*, a[1] *praeferendum*, et infra *vel si soli subjacet*, pro *solis vacet*. Hic perstringitur, quo pacto Petrus Fullo quum in Antiochenam sedem invaserit, Johannem quemdam Apamenis ordinavit, qui ab ipsis non receptus, Antiochia ipsum Petrum episcopatus sui auctorem expulit, ac demum ab Acacio Tyriis praefectus fuit, ut apud Gelasium tract. I n. 12 memoriae proditum est.

[13]) In edit. Basil. *Quid de Acacio?* Quaevis lectio arridet, supplendum est *loquar*. Deinde ed. Bas. et Rom. *Quae de bonis suis fascino quodam gravatis basilicis coimperante praemiserat, novo exemplo poenae.* G[1] b[1] seq. sequimur, nisi quod *pene* in *poenae* mutavimus.

[14]) b ad marg. *abjicere*, quasi hoc mallet, quam *addicere*, quod tamen Symmacho pro *damnare* familiare est. Sic Timotheum et Petrum supra vocat *propugnatores intentionis addictae*, id est, *causae damnatae*. Acacius epist. 8 ad Simplicium non modo Timotheum Aelurum sed Petrum etiam Mongum damnandos censuit.

[15]) G[1] a[1] *propter quos maxime fugiendos et designato ... coaequandos illa ... est esse dissolvens et permixtus ... per quae;* ed. Basil. cum b[1] *propter quos* (b[1] *quod*) *... fugiendus ... coaequandus ille* (b[1] *illa*) *... est dissolvens, permixtus ... per quos.*

[16]) Ita G[1] a[1] ed. Basil. At b *redtiviva*, rejecto ad oram *recidiva*.

[17]) G[1] b[1] c[7] sq. *infirme* (G[1] *infirmę*) *constituta sententia sine piaculo* (G[1] *periculo*). Sanior est lectio edit. Basil. et Rom.

[18]) a[1] *vestrae*, ac subinde etiam Basil. *nobis* pro *novis*. Idem in gratiam eorum, quae a majoribus instituta sunt, argumentum jam fuse prosecutus Symmachus epist. 3 n. 1.

Digitized by Google

a. 512. subsistit, semper succedentibus novis vetera constituta solventibus. Quando enim paternarum regularum despiciuntur inventa, nec eorum quae bene instituta sunt firmitas vindicatur, hujusmodi impietatem[19]) necesse est fidei semper venire. Nam ubi facilis dissolutio est rationabilis constituti, ibi omnis sanctitatis forma corrumpitur, Christus impetitur, et (quis hoc fidelium patienter accipiat?) instituta patrum reverenda calcantur.

4. Et quis non vitae mortem justa electione praeponat? Ubi catholicae fidei adoranda reverentia? Ubi multo[20]) cruore sanctorum dogmata constituta? Ubi doctorum veterum fidelis auctoritas? Ubi illa religiosarum mentium stupenda patientia, propriis bonis contenta nudari, ne de spe aeternae haereditatis excideret, quasvis ambiens passiones, ne incorruptibilis illius boni judicaretur indigna? Nam nulla majora documenta sunt fidei, quam ubi temporis ratio suadet vitam subdere passioni: et ideo qui pro ea periculum persecutionis subire meruerit, dignum se coelestis ostendit esse militiae. Christus nos pio sanguinis pretio comparavit gratiae libertate concessa, nihil invenientibus humanis operibus, quod dignum tanta mercede tribuerent[21]). Atque ideo ubi religionis injuria est, amorem fidei omnem transcendere oportet affectum.

Unusquisque ergo exsilia et peregrinationes tamquam domum patriamque respiciat, ne desideriis retentus humanis, Christi societate privetur. Ecce tempus, quo repetit fides milites suos et inclamat ad defensionem sui fervorem gratiae consecutos! Fidem ipsam dicere judicemus: *Ecce tempus optabile, ecce fructuum congregatio desiderata fidelium, parvis passionibus munera magna compenset!*

5. Pluribus caritatem vestram pro dispensatione nobis credita cuperemus hortari: sed quid opus est vocis stimulis, ubi ad tolerandas pro Christo magnanimiter passiones apostolicis et patrum docemur exemplis, qui per damna humanarum rerum, coelestium nobis ostenderunt augmenta[22]) virtutum? Ergo pronuntiemus intrepidi claras Ecclesiae cum magna fiducia disciplinas. Longe sit a nobis
Thren. 2, 10. prophetae sermo dicentis: *Et sacerdotes vera celaverunt.* Quem enim latet, discipulorum scientiam a doctoribus exigendam, et quod non

[19]) b c^7 seq. *impietates ... supervenire.* Concinnius G^1 a^1 ed. Bas. *impietatem* (G^1 *impietate*) ... *semper venire* (i. e. *evenire*), scil. *semper succedentibus, qui vetera constituta solvant,* ut proxime dictum est.

[20]) Ed. Basil. *multorum ore sanctorum.* Moxque G^1 corrupte *Jam nulla malorum documenta.*

[21]) Ita G^1 b c^7 c^{10}. Ed. Bas. et Rom. *tribueret.*

[22]) Ita G^1 a^1 ed. Bas. At Bar. *argumenta*, rejecto ad marg. *augmenta*, quae vox apte opponitur superiori *damna*. In Basil. edit. post duas illas voces *augmenta virtutum* proxime subjicitur: *Ergo pronuntiemus inter alia et dicamus cum sancto David: Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum etc.* ut infra, multis praetermissis.

Digitized by Google

pronuntiatum laedit[23]) sequaces, hoc periculosum esse tacentibus? a. 512.
Necesse est enim apud eos laborare veritatem, apud quos non manifestatum latet sub veritatis colore mendacium; magnum robur ad impugnantium fidem, quamdiu adversus eos prolatae sententiae non viriliter asseruntur.

6. Sed de vobis dicere opto meliora: ut ea, quae per improbos confusa sunt, per vos correptionis[24]) remedium consequantur. Non est tam durum decipi quem, quam deceptum in errore persistere. Malum hoc et malis omnibus gravius, quum a corpore suo membra dissentiunt. Nam etsi non singillatim occupet omnia lineamenta debilitas, necesse est tamen juxta apostolicam vocem totum corpus 1 Cor. 12, 26.
ex parte praegravari. Unde addictorum[25]) fugienda communio juxta beatum apostolum: *Pronuntiationem fidei nullus erubescat; virtus est* Rom. 1, 16.
enim omni credenti. Declinemus sacrilegum Eutychetis errorem cum Manichaea malitia congruentem; communionem quoque eorum, qui sunt a talibus educati, pari intentione vitemus, quae[26]) nunc quasi morbo a contagio ecclesiis partium vestrarum tentat irrepere. Nemo[27]) enim separari cum praedictis, ferre tempestatem dissimulet, donec portum verae fidei ab eorum communione separatus introeat.

7. Quae quidem amans moneo, non odio persequens[28]) accuso. Nam qui culpanda vituperat nec utilia subministrat, exprobrantis habet potius studium, quam amantis affectum: et qui cohortatur ad profutura, vehementius boni propositi designat imaginem, ut ferventius utilia expetantur invitans. Propter quod, fratres, illius bonam Ecclesiae desiderantes unitatem, et beatum decorem sanctae concordiae praesumentes, dicamus cum sancto David: *Quam bonum* Psalm. 132, 1.
et quam jucundum habitare fratres in unum: et ut de vobis apostolus Paulus dixerit: *Vos autem omnes fratres in Christo uno estis.* Gal. 3, 28.
Donec enim unitas non redeat, nullus ambigat eadem[29]) nihilominus

---

[23]) Ita G[1] b. At a[1] *dedit sequaces,* moxque b c[7] c[10] *hoc constat periculosum.*

[24]) G[1] *correptionis,* editi *correctionis.* Mox b *quemquam quam.*

[25]) a[1] *dictorum,* G[1] b *addictorum* i. e. *damnatorum.*

[26]) Ita G[1] a[1]. At b c[7] c[10] *Qui nunc quasi morbus et contagium ... tentant.*

[27]) Quod restituit Bar. *Nemo se separet cum praedictis et ferre,* ac Lab. retinuit, abesse videtur a mente Symmachi. Mutatione leviori opportunior efficeretur sententia in hunc modum: *nemo timens separari cum praedictis* (haereticis a communione catholica remotis) *ferre tempestatem* (in Oriente grassantem) *dissimulet,* ita ut eorum dissimulet errorem, et ab eorum communione non recedat.

[28]) Ita G[1] b; a[1] *persequentis.* Mox pro *et qui cohortatur* magis placeret *sed qui.*

[29]) Ita G[1] a[1] ed. Basil. At b c[7] *tandem* et ad marg. *eadem.* Quae Constantinopoli contigerunt in Macedonii expulsione, de qua Evagrius H. E. III, 32 et Theodorus lector pag. 563 consulendi, Symmachus hic notat. Illa autem expulsio a Marcellino comite ad Felicis consulatum, hoc est ad annum 511, refertur. Eadem re ipsa hoc ipso anno 512 Antiochiae ejecto Flaviano aliisque ecclesiis accidisse idem Marcellinus tradit.

Digitized by Google

a. 512. esse ventura, quae in Constantinopolitana nuper ecclesia contigerunt; de quibus mihi pariter ingemiscere necesse est et tacere. Nam qui apostolicae sedis admonitionem negligendam esse crediderunt, merito inciderunt in ea, quae evenire solent solatio destitutis.

8. Si quis ergo salutem propriam cogitans servare cupit apostolica judicia, quum a praefatorum se labe sejunxerit, nostrae communionis se noverit sine dubitatione participem: quia si ab eorum, quos apostolica sedes damnavit, non se societate removerit, sciat nullo colore, nullo figmento nullaque calliditate ecclesiasticae se custodiae posse subrepere: quia sicut illos, qui se a suprascriptorum hoc est Eutychetis, Dioscori, Timothei, Petri et Acacii venenis dissociant, libenter amplectimur, ita circa istorum sectatores cura et sollicitudo nostra, ne subrepere possint, semper invigilat. **Et alia manu**: Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data octavo Idus Octobris post consulatum Felicis viri clarissimi.

Epistola 14.

a. 513 d. 6 Nov.

Symmachi papae ad epicospos Galliae.

Confirmat divisionem provinciae inter Viennensem et Arelatensem ecclesias a p. 99
Leone papa constitutam.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Gallias consistentibus Symmachus[1]).

1. Sedis apostolicae nos[2]) instituta praedicanda sollicitant, ut de concordia universalis Ecclesiae, quae toto orbe diffusa est, pervigili cura tractemus: quae tunc praecipue efficacius adolescit, si ea quae a patribus statuta sunt, aetas subsequens reverenter observet. Caesarius siquidem frater et coepiscopus noster, metropolitanae Arelatensis civitatis sacerdos, ecclesiae beati apostoli Petri liminibus praesentatus, ea quae pridem de privilegiis ecclesiarum constituta sunt, nostris postulavit innovari sermonibus. Cuncta igitur inter ecclesias Arelatensem et Viennensem a decessore nostro beatae recordationis Leone papa quae super hac parte ordinata sunt, ecclesiae Romanae fidelis declarat instructio. Atque ideo ne ea, quae semper veritatis est aemula, sibi aliquid vindicare queat oblivio, et

---

[1]) In Floriacensi Bibliotheca praemissa inscriptione *Omnibus episcopis per Gallias constitutis* subjicitur hoc exordium: *Cunctas inter ecclesias Galliarum et praecipuas Viennensem et Arelatensem exstitit controversia. Quae vero a praedecessore nostro beatae recordationis etc.*, et deinceps ad haec n. 2 verba *usurpationem transcendi*, quibus addito *Valete* fragmentum clauditur. Hinc confirmatur quod alibi observavimus, plerasque epistolas, quae in illa Bibliotheca veterum pontificum nominibus insigniuntur, ut plurimum verarum epistolarum quaedam duntaxat fragmenta esse non sincera.

[2]) Ita L[1]. Editi omitt. *nos* moxque *Arelate*.

Digitized by Google

prioris decreti vigor temporis diuturnitate vergatur[3]) in senium, ne- a. 513.
cessarium duximus olim promulgatis lucem reddere nostris affatibus.

2. Idcirco quemadmodum decessor noster Leo papa dudum cognitis allegationibus partium definivit, parochiarum numerum vel quantitatem Arelatensi et Viennensi sacerdotibus deputandum[4]), et nos praecipimus nullius usurpatione transcendi: sed ut ante praediximus, juxta indulgentiam supradicti pontificis Valentiam, Tarantasiam, Genevam atque Gratianopolim oppida Viennensis antistes juri suo vindicet; nec quidquam amplius ab his, quae semel ab apostolica sibi sede concessa sunt, aestimet praesumendum. Alias vero parochias vel dioeceses cunctas privilegio et honori[5]) suo Arelatensis episcopus sub temporum continuatione defendat. Hac[6]) enim observatione et vetustatis reverentia custoditur, et amplius de humilitate gloria sacerdotalis attollitur.

3. Proinde, fratres carissimi, singuli honoris sui sint distributione contenti, nec per saecularia patrocinia nec per cujuslibet excusationis obtentum illicita praesumptione terminos concessae potestatis excedant. Studere siquidem unusquisque debet[7]), ut de devotionis officio magis gratiam, quam de ambitione Domini nostri offensam et humanam in se lacessat invidiam. Tacere nos ista commissae dispensationis jura minime patiuntur: ut et de his, qui ecclesiasticis regulis obsecundant, perseverantibus in concordia sedis apostolicae gratulemur, et illi, qui catholicis disciplinis obtemperare destiterint, ab Ecclesiae gratia et caritate se alienos ostendant. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data VIII[8]) Idus Novembris, Probo viro clarissimo consule.

Epistola 15.

Symmachi papae ad Caesarium episcopum Arelatensem.

a. 513 d. 6 Nov.

p. 99. *Caesarii consultationibus respondet. Eidem concessum esse usum pallii memorat, ac libellum, quo ipsum consuluerat, subjicit.*

I. Ut[1]) res Ecclesiae non alienentur.
II. Ut nullus honorem praemiis accipiat.
III. Ut laici per gradus ad sacerdotium provehantur.

---

[3]) Ita L^3 L^4. Alii *vergat.* c^5 seq. *promulgata in*; mss. et c^{11} sequimur.

[4]) Ed. *deputandam.* Mox L^3 *transgredi* et deinde L^1 *Tarentasiam.*

[5]) Item L^1 L^4. Alii *honore ... episcopatus.*

[6]) Ita L^1. Alii vero *Nec enim observatio et vetustatis reverentia custoditur si amplius.* Iidem mox omitt. *sint.*

[7]) In vulgatis (etiam c^{11}) *debet devotionis officium magis gratia, quam de ambitione, ne et Domini nostri offensam*: quae lectio resarcitur ex L^1.

[8]) Ita L^1 c^{11}. Alii omitt. *VIII.*

[1]) Tituli sequentes a collectore Hispano confecti a Sirmondo et Labato paucis mutati sunt. Sirmondus enim adjecit caput tertium, Labatus quarti se-

Digitized by Google

a. 513. **IV. Ut raptores viduarum vel virginum detestationi sint, ii autem, qui sacratas virgines sibi matrimonio copulent, ab Ecclesiae communione pellantur.**
V. Ut viduae vel virgines continentiam professae non nubant.
VI. Ut nullus per ambitum ad episcopatum accedat.

Dilectissimo fratri Caesario Symmachus.

1. Hortatur nos aequitas postulationis, desiderio fraternitatis tuae gratanter annuere[2]), quia de singulis id ab apostolica sede concedi supplicas, quod a patrum cautela et provisione non discrepat. Et quamvis ecclesiasticae regulae paene omnia comprehendant, tamen superfluum esse non credimus, denuo quae sunt saepius interdicta repetere.

Cap. I.

2. Possessiones, quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque contractibus[3]) vel sub quocunque argumento non patimur: nisi forsitan aut clericis horum[4]) meritis, aut monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis necessitas[5]) largiri suaserit: sic tamen, ut haec ipsa non perpetuo sed temporaliter, donec vixerint, perfruantur.

Cap. II.

3. Illud magnopere commonentes, ut hi qui non Dei gratia sed promissione rerum ecclesiasticarum[6]) praemiis ad sacerdotium conantur accedere, desideriorum talium[7]) priventur effectu: qui aut ab hujusmodi se intentione cohibeant, aut vindictis canonum sciant se sine dubitatione subdendos[8]).

---

cundam partem addidit, quum antea ita teneret: *Ut raptores viduarum vel virginum ab Ecclesiae communione pellantur.*

[2]) Ita F^d L^1 L^3 L^4 K^{13} c^1, nisi quod L^3 L^4 c^1 omitt. *id.* Alii *annuere de singulis quae ab* (*quae ab* etiam c^1).

[3]) Ita A^1 F^d K^{13} L^1 L^2 L^3 L^4 c^7 seq. Alii *distractionibus.*

[4]) In vulgatis *honorum meritis.* Praeferimus cum A^1 F^d L^1 L^2 L^3 *horum meritis*, hoc est propter eorum (scil. clericorum) merita. Eas autem exceptiones, quas nunc Symmachus recenset, etiam superius epist. 6 n. 15 admittit.

[5]) c^1 c^2 a^1 *si necessitas*, subinde suppresso *donec vixerint:* ex c^5 c^{11} ac potioribus mss. corriguntur. Hinc *beneficiorum ecclesiasticorum originem* intelligi posse, Baronius ad ann. 502 monet. Quod probabilius videretur, si unorum clericorum hic mentio fieret.

[6]) A^1 L^2 L^3 *ecclesiae*, hoc est: quae ad ecclesias pertinent, quod minus ambiguum. Inusitatum tamen non esse, ut res ecclesiarum *res ecclesiasticae* nuncupentur, ex concilii Turonensis II canone 25 liquet. Deinde c^1 c^2 a^1 et aliquot inferioris notae mss. *praemissa* pro *praemiis.* Vide concilium Calchedonense can. 2, Aurelianense II c. 4, et Turonense II c. 27. Hoc autem Simonis infame vitium quominus in Galliis propagaretur, prohiberi non potuisse, plures Gregorii Magni epistolae fidem faciunt.

[7]) J O c^1 c^2 a^1 *talium reprimantur effectus. Qui autem ab hujusmodi se intentione non cohibent, vindictis.* F^d *Qui autem nisi ab ... cohibuerint auctoritate canonum sciant etc.*

[8]) Iidem libri *subjiciendos, nec facile ad sacerdotium permittantur accedere.*

Digitized by Google

CAP. III. a. 513.

4. De laicis personis decernimus, ne facile ad sacerdotium permittantur accedere, de[9]) quibus et tempora et gradus constituti sunt, per quos ad hanc dignitatem debeant adspirare: quia quicunque sine[10]) instituto promovetur, non facile caret offensa, et sine experimento non potest quis electionis obtinere sententiam.

CAP. IV.

5. Raptores igitur viduarum vel[11]) virginum pro immanitate tanti facinoris detestamur, illos vehementius persequendo, qui Deo sacratas virgines vel volentes vel invitas matrimonio suo[12]) sociare tentaverint: quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate a communione suspendi praecipimus.

CAP. V.

6. Neque[13]) viduas ad nuptias transire patimur, quae in reli-

quibus et gradus et tempora constituta sunt, per quae; resarciuntur ex iisdem mss. Ex quibus manifestum est, duo diversa decreta seu capitula, quae Sirmondus primus recte distinxit, unum scilicet de Simoniaca ordinatione, et alterum de laicis ad clerum non facile promovendis, ab Hispanae collectionis compilatore et ab his, qui illum secuti sunt, sic fuisse confusa. — Mox F^d *De reclausis personis.*

[9]) Addimus *de* cum F^d L^1 L^3 K^{13}. Mox L^3 β *adspicere.* De temporibus gradibusque praedictis decreta habentur Siricii epist. 1 n. 14 et epist. 5 n. 4, Innocentii epist. 37 n. 6, Zosimi epist. 4 n. 2, Coelestini epist. 4 n. 4, aliorumque pontificum, quos mitto.

[10]) Ita castigatiores libri (A^1 F^d K^{13} L^1 L^2 L^3 L^4). Alii vero *sine statuto,* praeter sententiam Symmachi, cui *sine instituto* id est, quod institutionis debitae expertes. — Mox L^3 L^4 *provehitur.*

[11]) F^d K^{13} *et,* moxque c^1 c^2 a^1 *qui sacras,* J *quod sacras,* ubi illud *quod* ex verbis *qui Deo* conflatum. In melioribus autem mss. *qui Deo sacratas.* Notandum, quo pacto Symmachus in hoc decreto progrediatur. Primo viduarum simul et virginum raptores detestari se declarat. Tum eos *vehementius persequendos* hoc est severiori poena plectendos censet, qui virgines Deo sacratas vel volentes vel invitas matrimonio sibi socient. Ac demum hos a communione suspendendos decernit. Non igitur haec poena in viduarum raptores pariter cadit. Qua in re Symmachus cum Gelasii decretis epist. 14 c. 20 et 21 concordat. Quocirca Hispanae collectionis compilator praeter Symmachi mentem capitulo huic praefixit hanc summam: *Ut raptores viduarum vel virginum a communione pellantur.* Eamdem tamen non modo Isidorus sed et editores omnes ne Sirmondo quidem excepto retinuerunt.

[12]) In c^1 c^2 a^1 desideratur *suo.* Mox A^1 L^2 *tam nefandi seminis,* ubi in aliis *tam* (F^d *tanti*) *nefandissimi criminis.* Ex prioribus autem c^5 revocavit *nefandi,* licet vox *seminis* quae in his sequitur, aliorum lectionem confirmet. Hanc quippe vocem ex vocabulo *nefandissimi* perperam diviso ortam esse apparet.

[13]) Ivonem part. 7 c. 64 secutus Gratianus c. 3 C. 27 qu. 1 haec verba velut *ex decretis Gelasii papae ad Siculienses episcopos c.* 9 citat. Sed nec sibi constans Ivo in eadem parte 7 c. 144 hoc ipsum decretum ut *Gelasii papae Caesario c.* 4 profert. Porro Gelasius erga hujusmodi viduas indulgentior fuit: quippe qui

Digitized by Google

a. 513. gioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse constiterit[14]).

Cap. VI.

7. Nullus itaque per ambitum ad episcopatus honorem permittatur accedere. Nam quum hic excessus in laica conversatione culpetur, quis dubitat, quod religiosis et Deo servientibus inurat[15]) opprobrium? Episcopatum[16]) desiderans data pecunia potentes personas minime suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos vel cives subscribere, adhibito cujuslibet generis timore, compellat, vel praemiis aliquibus hortetur. Decretum sine visitatoris praesentia nemo conficiat, cujus[17]) testimonio clericorum ac civium potest unanimitas declarari.

---

epist. 14 c. 21 nuptias earum ita reprehendit, ut illas nihilo minus Dei judicio dimittat. Immo fragm. 38 ad Stephanum uni ex his viduis communionem reddi praecipit, quia *maritum potius incontinentiae suae, quod nullis prohibetur legibus, exquisivit.* Hanc erga illas indulgentiam nescierunt Gallicani episcopi, qui quidem tum in concilio Aurelianensi V can. 19 tum in Parisiensi V c. 13 viduas illas cum iis, quibus nupserint, communione privant.

[14]) Ita L^1 L^3 L^4. Alii *contigerit.*

[15]) F^d *inorationibus*, c^1 *incurrat*, c^2 a^1 *incutiat.*

[16]) Ita F^d K^{13} L^1 L^3 L^4 a^3. Alii *Si quis episcopat. . desiderat.*

[17]) L^1 L^3 addunt *ut.* In sequentibus A^1 K^{13} L^1 L^3 L^4 *potest,* alii *possit,* F^4 *testimonium ... potest ... declarare.* Is autem nuncupatur *visitator,* cui munus aliquod obeundum ex delegata potestate committebatur, ac praeprimis ille episcopus, qui vacanti ecclesiae praeficiebatur, donec ipsa proprium episcopum habuisset. Ita Gelasius fragm. 5 Coelestino episcopo in mandatis dat, ut cuidam ecclesiae presbyterum ac diaconum creet *visitatoris nomine non cardinalis pontificis.* Item Johannes II epist. 5 n. 1 in *Contumeliosi damnati locum visitatorem constitui* praecipit, donec illius ecclesia proprium episcopum habere mereatur. Ecclesiae quoque Romanae, quum accusatus esset Symmachus sed non damnatus neque convictus, a parte cleri et aliquibus laicis postulatus visitator concessus fuit. Verum hoc *contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas majorum* tentatum esse affirmanti Symmacho (supra epist. 5 n. 3 et 4) Romana synodus assentit. Cur tamen hac in re violata dicatur religio, num quia episcopo non convicto visitatorem ipsius ecclesiae dari regulae non permitterent, an quia quum circa ceteros episcopos hoc liceret, summus pontifex ab hac lege excipiretur, ex verbis praedictae synodi certo definiri nequit. Si tamen adversariorum synodi, qua absolutus est Symmachus, verbis atque Ennodii ad eos responsioni haereamus, hoc spirant, ut aliis quidem episcopis accusatis visitatores dari consueverint, sed Romanus antistes huic legi minime subjaceat. Ajunt quippe Symmachi aemuli apud Ennodium: *Visitatores et aliis episcopis ipse* (Symmachus) *dedit, et justum est, ut facti sui lege teneatur.* Quibus statim Ennodius respondet: *Non vos in hoc titulo falsitatis incesso et diu mendaciis adhaerentia verba non urgeo. Dico tamen latorem juris diffinitionis suae, nisi velit, terminis non includi.* Nil autem subinde usitatius fuit, quam ut Romanus pontifex ecclesiis viduatis visitatorem destinaret, ut ex Gregorii Magni epistolis notum est. Nunc vero Symmachus decretum electionis episcopi nonnisi coram visitatore confici vult.

Digitized by Google

8. Hortamur itaque, ut pro catholicae religionis intuitu et ec- a. 513.
clesiarum pace haec universi fideli ac devota mente custodiant: quia non est dubium praevaricatores interdictorum[18]) talium juxta venerandos canones propriae communionis subire jacturam. Haec tamen ad omnium episcoporum volumus perferri notitiam. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VIII Idus Novembris, Probo viro clarissimo consule.

9. Caritati[19]) tuae tantummodo per omnes Gallicanas regiones utendi pallio concessimus facultatem.

10. **Exemplum**[20]) **libelli P.** Sicut a persona beati Petri apostoli episcopatus sumpsit[21]) initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat. In Gallia siquidem provincia ab aliquibus personis ecclesiastica praedia diversis titulis alienantur. Ita fit, ut pro suo quis arbitrio devota mente relinquentium et egentium necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus, ut fieri prohibeat apostolicae[22]) sedis auctoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu monasteriis fuerit largiendum.

11. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, ut de laica conversatione, qui in singulis judicum officiis meruerint aut certe rexerint sub aliqua potestate provincias, nisi multo ante tempore praemissa conversatione legitima[23]) et vita examinata, nullus aut clericus aut episcopus ordinetur. Viduas etiam jam diu religioso habitu assumpto, et sanctimoniales longo jam tempore in monasteriis consistentes, poscimus, ut unicuique conjugii causa nec volentes sibi jungere nec invitas rapiendi libera sit facultas.

12. Illud etiam humili prece suggerimus, ut nulli per ambitum ad episcopatum concedatur accedere, nec data pecunia sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et ut haec facilius possint custodiri, clerici[24]) vel cives decretum facere vel subscribere sine metropolitani notitia vel consensu penitus non praesumant. Haec omnia

---

[18]) L^3 *indictorum*. Deinde L^2 L^3 L^4 II *Idus Nov.*

[19]) L^2 L^3 L^4 hic praemittunt: *Dilectissimo fratri Caesario Symmachus*, unde ut in monito praevio dictum, Baronii error. Mox L^2 L^3 L^4 b omitt. *tantummodo.* Sirmondus autem, uti superius diximus, totam hanc formulam, qua pallii usus Caesario conceditur, praetermisit.

[20]) Ita L^1. At L^3 L^4 *Exemplum libelli*, L^2 *Exemplum libelli Symmacho papae oblati* (cui c^5 addit *a Caesario episcopo*).

[21]) Ita mss. At excusi *sumit*. Hinc perstringit Caesarius, quod in Innocentii epistola 2 n. 2 de apostolo eodem legerat dictum: *per quem apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.*

[22]) L^1 *apostolica*, moxque cum L^3 *judicium ... meruerunt ... rexerunt.*

[23]) L^1 add. *ecce* (fortasse pro *ex se*). Mox editi *nullus clericus.*

[24]) L^3 ad marg. notat: *Electionem sine consensu metropolitani non faciendam.* Mox L^1 *ultionem* et cum L^3 *quae nos* (pro *quatenus*).

Digitized by Google

a. 513. ultione districtionis vestrae fieri prohibete: quatenus et in ecclesia vestra et in supradicta provincia disciplina bonis actibus amica servetur.

Epistola 16.

a. 514 d. 11 Jan.

Symmachi papae ad Caesarium episcopum Arelatensem.

De privilegiis Arelatensis ecclesiae. Libellum petitorium Caesarii oblatum ab Aegidio abbate et Messiano notario subjicit. p. 102.

Dilectissimo fratri Caesario Symmachus[1]).

1. Qui veneranda patrum statuta custodit, amicum se absolutae religionis ostendit, et qui providet ut locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratiae cogitare. Rationabile est, ut sancta Arelatensis ecclesia propriis privilegiis perfruatur; et quod vetustas praestitit et patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare praesumptio. Sic tamen, ut ceterarum ecclesiarum privilegia temporibus acquisita non titubent: quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus siquidem his quae patrum constituta singulis ecclesiis concesserunt, decernimus, ut circa ea, quae tam[2]) in Gallia quam in Hispania provinciis de causa religionis emerserint, sollertia tuae fraternitatis invigilet; et si ratio poposcerit praesentiam sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuae dilectionis admonitus auctoritate conveniat; et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin exsistentis negotii qualitas ad sedem apostolicam te referente perveniat, ut cunctis ordine suo peractis, unde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum invenire non possit.

---

[1]) Reg. *Symmachi* (c^{11}).

[2]) c^5 c^7 seq. *tam in Galliae quam Hispaniae.* Quibus ut praeferremus cum mss. *tam in Gallia quam in Hispania*, suasit tum illud epistolae 15 n. 10 *In Gallia siquidem provincia ab aliquibus*, tum maxime istud ejusdem epistolae n. 12 *quatenus et in vestra ecclesia et supradicta provincia*, scil. Gallia, quae rursum *provinciae* nomine designatur. Hoc autem nomine Visigothi Hispani eam Galliae partem, quae ipsis subjecta, designare postea consueverunt, ut ex plurimis documentis conciliorum Toletanorum palam fit. Porro vicaria Caesarii potestas non omnes ut antea Gallias comprehendit, tum quia, ut advertit Labatus, reliquae provinciae Francis et Burgundionibus parebant, tum quia ibidem vicaria potestas Remigio Remensi concessa: quae quidem, si verum est privilegium, per id omne quod regni Chlodovaei fuerat extendebatur. Longe magis adversantur praedicti mss. Baronio, *quae in Galliae provinciis*, omissa voce *Hispaniae*, legenti. Non temere tamen illic Galliae adjuncta est Hispania. Ea enim tempestate, ut observavit Petrus de Marca de concord. sacerd. l. VI c. 19 n. 6, Arelatensis provincia, tametsi intra Gallias, imperio parebat Theodorici regis, penes quem regni Visigothorum in Hispania tunc erat administratio. Quapropter subinde mutato regnorum statu Vigilius ejusque successores Arelatensibus episcopis nullam hujusmodi potestatem in Hispanias demandant.

Digitized by Google

2. Igitur, quemadmodum supra diximus, per singulas ecclesias a. 514.
beneficia quae sunt diu custodita serventur. Et si tam ecclesiae Aquensis antistes vel alius quilibet, metropolitano pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticae disciplinae. Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, ut si[3]) quis de Gallicana vel Hispana regionibus ecclesiastici ordinis atque officii ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuae notitia iter peregrinationis arripiat: ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, et ambiguitate depulsa a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data III Idus Junias, Flavio[4]) Senatore viro clarissimo consule.

3. **Exemplum libelli P.** Quantum in omnibus ecclesiarum pontificibus, quae in toto orbe diffusae sunt, apostolica sedes sibimet vindicat principatum, et synodalibus decretis firmior ejus praecellit auctoritas, tantum potestatis suae provisione dudum a sese concessa debent[5]) inconcussa servari. Quatenus Arelatensis ecclesia fruatur privilegiis suis, quae nunc per antistitem Caesarium seriem suae petitionis insinuat, et quam hactenus habuit potestatem, vestra deposcit auctoritate firmari: ut quod veneranda sedes quondam perenni sanctione custodiri praecepit, et pragmaticis specialiter decreta sunt constitutis, beatitudinis vestrae praeceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquensis etiam civitatis episcopum sanctitatis vestrae moneri praecipite constitutis, ut dum a metropolitano antistite ecclesiae Arelatensis ad synodale concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur: quatenus ea quae longaevis saeculis priscorum sanxit auctoritas, vobis praesulibus praesenti futuraeque aetati inviolata serventur. Data p.[6]) ab Aegidio abbate et Messiano notario[7]).

---

[3]) Cod. Reg. *si quem ... compulerit*, vitiose, nisi suppleatur *necessitas*, aut quid simile (c[11]). Ibidem deinde et supra Bar. removit *vel Hispana*, refragantibus mss. Hunc ipsum Symmachi locum memorare videtur Vigilius epist. 6 n. 2. Jam antea Zosimus epist. 1 n. 1 praeceperat, nulli ecclesiastici ordinis sine formata praesulis Arelatensis peregrinari quoquam licere.

[4]) b omitt. *Flavio*, quae duabus litteris *Fl.* in mss. exprimitur. *Senatoris* (L[3] L[4] *Renatore*) autem nomine designatur Cassiodorus.

[5]) Ita L[2] L[3]. c[5] seq. *debet servare.*

[6]) b c[5] seq. *Data ab Aegidio*, omissa notula *p*, qua *petitio* nostra sententia designatur. Certe vocem ipsam supra n. 3 expressam habemus in hunc modum: *Arelatensis ecclesia ... seriem suae petitionis insinuat.* Is Aegidius abbas fuisse videtur, cujus festivitas Kalendis Septembris agitur. Nec alium opinemur ejus socium (quem L[3] *Omissionoro*, L[1] *Omissionario* exprimunt, omittentes *notario*), nisi *Messianum* illum presbyterum, qui una cum Stephano diacono secundum vitae s. Caesarii librum conscripsisse dicitur.

[7]) Ad calcem hujus libelli cod. Reg. habet: *Dilectissimo fratri Caesario Hor-*

Digitized by Google

Epistola 17.

Sigismundi regis ad Symmachum papam

seu

Ab Avito episcopo dictata sub nomine domni Sigismundi regis ad Symmachum papam Urbis.

Per Julianum diaconum sacras reliquias Sigismundus rex a Symmacho papa petit, a quo alias jam pridem acceperat. p. 10[illegible]

1. Dum sacra reliquiarum pignora, quibus per me Galliam vestram spiritali remuneratione ditastis, negare petentibus non praesumo, me quoque sanctorum patrocinia postulare ab irriguo vestri apostolatus fonte necesse est. Quamquam etsi est adhuc apud nos de dono vestro, quod catholicae religionis debeat studio celebrari, etiam illud tamen convenit justae devotionis intelligi, ut directis litterarii sermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me pontificatus vester vel praesentem monitis docuit vel absentem intercessionibus acquisivit. Nec nunc paginae praesentis obsequium reperta opportunitas complectitur; sed destinato ad vos diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad universalis[1]) Ecclesiae praesulem spiritu repraesentante concurrimus. Crescit quippe beneficiorum recordatione desiderium: nec unquam meis elui sensibus possunt, quae nobis apud Italiam vestram vel pontificalis benignitas vel civilitas[2]) regalis impendit, quum post familiaritatem totius munificentiae commodis praeferendam, quia istic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum.

2. Attentior pro vestris[3]), quod superest, incumbat oratio. In augmento namque ovium crescit custodia pastoralis. Sacris nos apostolorum liminibus commemoratione assidua praesentantes, speciali dum vixero praedicatori[4]) vestro, ubi obtinuistis initium, impetrate profectum. Litteris nos, in quantum possibilitas patitur aut

---

misda. Quamvis ratio exigat ut fraternitati tuae nostri sacerdotii primitias mittamus, tamen Dei beneficia tacere. Deinde sequitur epistola Felicis ad Caesarium (c[11]).

[1]) Variis in libellis actioni 3 concilii Calchedonensis insertis Leo *universalis archiepiscopus* nuncupatur. Sed licet illi apostolicae sedis praesuli datum sit honorificum illud nomen, obtestatur tamen Gregorius lib. al. 8 Ind. 1 epist. 30, ne sibi tribuatur, ac lib. al. 5. Ind. 13 epist. 20, decessores suos ea modestia fuisse testatur, *ut nullus eorum unquam hoc singularitatis nomine uti consenserit.*

[2]) Hic laudatur comitas Theodorici regis.

[3]) Id est, pro nobis, qui jam vestri sumus. Quippe Sigismundus novissime ad Christi fidem conversus, sese cum suis, qui exemplum ipsius secuti erant, summi pastoris precibus, ut ad illius curam pertinens commendat.

[4]) Prima fronte placuit *precatori vestro.* Retinemus tamen *praedicatori,* adeo ut ubi Sigismundus, quoad vixerit, Symmachi se laudatorem profiteatur.

Digitized by Google

libertas, quibus nobis doctrina et incolumitas vestra floreat, frequentate. Et ut supra speravimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte praesidia: quorum cultu et beatissimum Petrum in virtute, et vos semper habere mereamur in munere.

Epistola 18.

Ennodii ad Symmachum papam.

p 102. *Victo schismate pontifici se recommendat.*

Ennodius papae.

Coelestis utilitatem sequacium cura disponit, inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non praesumit. Agnoverunt adversarii sedis vestrae, quo propugnante vincantur; quod proxime de Aquilejensi[1]) Redemptor noster persona reseravit. Et ideo inter excellentia munerum divinorum peto, ut mei corona vestra meminisse non abnuat. Invitat enim ad famulandum plurimos, qui quamvis longe positum diligit obsequentem. Vale.

Epistola 19.

Ennodii ad Symmachum papam.

) 102. *Famulatus sui obsequium exhibens de quadam legatione litteras ipsas episcopi referentis indicat.*

Ennodius domno papae.

Pervigil beatitudinis vestrae cura quasi coram positos, in quocunque loci sint, obsequentes attendit, et sine ullis feriis dum gratiae suffragium praestat expertis, invitat extraneos. Etenim plures de spectaculo fructus capiuntur laboris alieni: quia discit operam navare, in cujus oculis redduntur praemia sudoris et fidei. Atque utinam par votis esset effectus, et quod didici pro religione, cuperem, daretur implere! Domine mi, famulatus mei humilitatem exhibens, parca in maximis elocutione contentus, quid domnus episcopus frater vester super directa legatione[1]) senserit, patefaciendum praefati litteris derelinquo.

Epistola 20.

Ennodii ad Symmachum papam.

) 102. *Pontificis liberalitatem multum laudans, haeredes Marii cujusdam defuncti commendat.*

Ennodius Symmacho papae.

Usque ad temeritatem me apostolica dignatione promovistis:

18 [1]) Nescio, an eadem Laurentii Mediolanensis legatio hic notetur, quae in Symmachi epist. 7 et 19 memoratur.

19 [1]) Sane eadem est legatio, quae supra epist. 7 notata.

Digitized by Google

fiducia concessa exstitit mater audaciae. Sed qui me humilitatis putat ignarum, obedientem probabit, si jussa consideret. Praesumptio est, si dominorum beneficia famuli non sequantur: obsequium aestimandum puto, quod pariturus impendo. Ecce causam scriptionis asserui, quia veritus sum, ne post imperatam styli curam tacens praecepta respuerem. Huc accessit, quod in causa venerabilis memoriae Marii, dum apud Urbem essem, spem meis precibus vos dedistis. Cujus negotium cum sancta ecclesia vestra legitima pactione decisum est; sed haeredes ejus per annos plurimos debitos sibi fructus deflent fuisse subtractos. Pro quibus vestri conscius precator accedo; quia cui mos est pia jugiter facere, justa non despiciet, et qui largitur proprium, aliena non subtrahet. Errat, qui Deo proximam conscientiam credit commodis invitari: detrimentum est sanctae voluntati, non exhibere beneficium. Sola putatis lucra, quae vobis de liberalitate nascuntur; qui divitias dum tribuitis, accipitis. Avara est dispensatio sanctorum, quae nil reservando, universa proprium reducit ad meritum. Nulla sunt potiora, quam quae vobis eveniunt de largitate compendia. Ergo securus comprehensi superius, haeredibus laboris promisi vestra contemplatione jacturam: vos pollicitationem meam benigna dispositione complete, et illos effectu, me relevate colloquio.

Epistola 21.

Ennodii ad Symmachum papam.

Filios Laurentii viri sublimis papae commendat. p 102

Ennodius Symmacho papae.

Quamvis sublimi viro Laurentio[1]) assistat pro pignorum commendatione probitas sua, et patris prudentia causas sobolis exsequatur, attamen sollicitudine genitali ad ampliora procedit, et vix credit pro filiis sufficere quod meretur. Adjutricem in adstipulatione germinis paginam quaerit, et trepidante diligentia patrum ardorem nititur cum universitate partiri. Cogitate, si viro optimo negari effectus potuit et pia et justa poscenti. Tribuat Divinitas effectum precibus ejus, et hunc beatitudinis vestrae nominatis conciliare dignetur affectum, ut erigat parvulos implorata coronae vestrae miseratio: quatenus anxii circa ipsos genitoris vota superentur. Domine mi, spero, ut promissa dudum benignitas in ea parte testimonium ferat, si comprehensis superius geminatam impendi gratiam, qui per me precatur, intelligat.

[1]) De eodem hujus viri negotio Ennodius agere videtur epist. IV, 11.

Digitized by Google

Epistola 22.

Ennodii ad Symmachum papam.

p. 102. *Officiorum suorum memoriam revocans, Parthenium germanae filium studiorum litterarum causa Romam petentem pontifici commendat.*

Symmacho papae Ennodius.

1. Dum sedem apostolicam coronae vestrae cura moderatur et coelestis imperii apicem regitis, blanditur profectibus parentum, quod meis promissum tenetur officiis[1]). Spem sine labore obtinet apud constantem virum fideliter obsecutus; grandis est pompa praestantis, quotiens quod unus meruit, pluribus repensatur: superiorum instituta sectantur, per quos generatio recipit, quod persona condiderit. Sic Israelitici delicta populi propter David poena non tetigit, dum genti opitulata est praecessoris integritas, et fides hominis aut eripuit de errore populum aut juvit in gratia. Jes. 37,36.

2. Parthenius igitur praesentium portitor, germanae filius, hac ad coronam vestram fiducia animante directus est, quem sollicitudo liberalis Romam coegit expetere. Sancta sunt studia litterarum, in quibus ante incrementa peritiae vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia, dum quod aetas refugit, norunt instituta praestare. Fovete ergo; veniendi[2]) causas patefacta consanguinitate didicistis. Habetis obsidem, in quo dilucide meritorum apud vos meorum qualitas innotescat. Domine, ut supra, salutationis reverentiam obsequiorum devotione restituens precor, ut perlator praesentium famulus vester felici sorte peregrini apud vos nomen excipiat: quia quod attributum fuerit precibus meis, vestrum supra dotes suas ornat officium.

Epistola 23.

Ennodii ad Symmachum papam.

p. 102. *Juvenem nobilem studia Romana requirentem pontifici commendat.*

Ennodius Symmacho.

Rem necessariam providet, qui parenti[1]) omnium orbatos et peregrinos insinuat. Unica via est apostolatus vestri solatium, quae

---

22 [1]) Officia illa sua dicit, quae in causa Symmachi praestiterat sive factis legationum variarum expensis (conf. Ennod. epist. III, 10. V, 13. VI, 16 et 33) sive conscripta synodi V apologia.

[2]) Schotti ed. addit *cujus*.

23 [1]) Hoc nomine pontificem universalem honorat, jam tunc inter temporum turbines fere unicum fluctuantium populorum et studiorum liberalium refugium. Simul ex hisce litteris discimus, Romam tum praecipuam ejusmodi studiorum sedem reputatam esse, quam undique juvenes nobiles earum rerum sollertes petebant.

Digitized by Google

medetur externis. Absit afflictos dicere, quos ad vos contigerit pervenisse: creatoris patriam, opes alibi non requirunt, quos coronae vestrae cura susceperit. Praesentum bajulus, ortus nobiliter, profutura ad testimonium ingenuitatis studia Romana requirit. Nunc beatitudini vestrae mea supplicis vestri commendat assertio, ut salutationis servitiis dignanter acceptis, quod usu facitis, pro mei consideratione geminetur.

Epistola 24.

Ennodii ad Symmachum papam.

Beatum sublimem adolescentem pontifici parenti omnium insinuat. p. 102.

Ennodius Symmacho.

Non inefficaciter poscit, qui parenti omnium peregrinos insinuat. Nobilibus generalis debetur assertio, maxime apud eos, qui beneficia tribuunt non rogati. Beatum sublimem adolescentem, praesentium bajulum, si corona vestra dignanter accipiat, praeclarum juxta morem pontificis ornat officium. Est enim, qui gratiam vestram et natalibus et moribus mereatur. Sufficit dignis stricta laudatio. Nunc servitiis salutationis exhibitis rogo, ut me amantem vestri crebri relevetis promulgatione colloquii.

Notitia

epistolarum non exstantium, quae ad s. Symmachum papam attinent.

I.

a. 498—506. *Symmachi ad Ennodium de expensis in aula Theodorici regis faciendis cautio.*

[Ed.] In tristi certamine, quod Symmachus initio pontificatus cum adversariis sustinuit, saepe ad aulam Theodorici regis recurrendum, ibique ut moris variae expensae faciendae erant. Eo modo episcopus ut videtur Mediolanensis plus quadringentos auri solidos *certis potentibus* erogavit, fidem dicente Ennodio diacono. Qui ad id *litteras sancti papae* se habuisse testatur (epist. III, 10), *quibus ille jussit, quidquid opus esset fieri, cum (Ennodii) debere securitate compleri.* Quapropter hic quidem, quum repeteretur aurum, Luminosum virum sublimem tunc Romae degentem et Hormisdam Dioscorumque diaconos, ut pro restitutione apud pontificem agerent, rogavit (epist. III, 10, VI, 16 et 33). Quo autem potissimum tempore sponsio ista pontificis facta sit, num statim in initio pontificatus an postea schismate renovato, ubi non minus *regale praesidium saepe deposcebatur* (anon. Blanch.), definiri non potest. Utique inter annos 498 et 506 ponenda est.

II.

a. 499—500. *Symmachi ad Anastasium imperatorem pro catholicis Orientalibus intercessio.*

Frequenti fama de catholicorum in Oriente persecutionibus motus Symmachus apud Anastasium imperatorem intercessit, *vulgatum fuisse, quod* hic *directa militari manu compelleret eos, qui se a contagione perfidorum multis temporibus*

Digitized by Google

abstinere delegerint, vi et armis in praevaricatae communionis consortia detestanda (Symm. epist. 10 n. 11). Quod quidem mox post initia pontificatus sui factum esse ipse Symmachus innuit.

III.

anno 500 *aest. temp. Aeonii Arelatensis ad Symmachum de differentia quadam inter ecclesias Arelatensem et Viennensem oborta relatio.*

Mox post sedatum primum schisma per Crescentium presbyterum litterae ab Aeonio Arelatensi episcopo Romam delatae sunt, quibus *luctamen inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam aliquod de ordinandis episcopis in vicinis oriri* nuntiabatur: *illa re videlicet faciente, quod sanctae recordationis Anastasius* papa *tractans confusionem provinciae aliqua contra veterem consuetudinem jusserit observari.* Rescripsit Symmachus antiqui juris strenuus assertor III Cal. Octobris anni 500 (epist. 3). Quare quum proprius internuntius litteras illas Aeonii transtulisset, ipsas vix prius aestivo tempore ejusdem anni scriptas esse constabit.

IV.

anni 501 *initio. Symmachi ad Theodoricum regem de congreganda synodo litterae assentientes.*

Quum initio anni 501 adversarii Symmachi denuo conspirare coepissent et apud Theodoricum regem omnem lapidem moverent hicque de colligenda synodo cogitaret quae rem cognosceret, *ipse quoque papa in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrare* properavit. Quae quum praefatus rex in congregata *mox post festivitatem* paschalem anni 501 synodo episcopis jam proponeret (Symm. epist. 5 n. 2), litteras illas circa initia anni 501 scriptas esse apparet.

V.

anno 501 *circ. init. Aviti Viennensis episcopi ad Symmachum papam contra sedis suae deminutionem exceptio.*

Anno 501 a. d. III Idus Octobres Symmachus papa ad Avitum Viennensem hoc modo scripsit: *Non debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem et coepiscopum nostrum Aeonium nuper rescripsimus. Non enim juri tuo praejudicatum fuit* etc. (Symm. epist. 5). Unde Avitus generatim certior factus de papae epistola ad Aeonium directa (Symm. epist. 3), quae Anastasii decessoris concessum privilegium in quaestionem vocare videretur, apud illum contra monuisse videtur, ne sedis suae jura minuerentur.

VI.

anno 502. *Libellus schismaticorum adversus synodum Palmarem, sub titulo: adversus synodum absolutionis incongruae.*

1. Quum synodus Palmaris Symmachum ab illatis criminationibus prorsus immunem et unum legitimum pontificem declarasset, adversarii libellum *adversus synodum absolutionis incongruae* vulgarunt. Quem Ennodius tunc diaconus Ticinensis, vir vitae integritate non minus quam eloquentiae laude conspicuus et Symmacho in primis carus, *libello apologetico* minutatim gradatimque insistendo refutavit, unde ejusdem incriminationes satis plane colligere licet.

Primum igitur obtrudebant: *non omnes sacerdotes regis ad concilium adscivit auctoritas, nec omnes in judicatione senserunt* (ed. Sirmond. Opera varia I, 974). *Adversarios* enim *papae Romani dici non debuisse* volebant, *qui praedictum prolatis petitionibus accusabant*, quum tamen *eos isto nomine praecepta regia non vocassent* ad synodum. *Testis est Romana civitas*, emphatice addebant, *si omnes episcopi senes et debiles convenerunt.* Deinde iteratas con-

Digitized by Google

a. 513. gioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse constiterit[14]).

Cap. VI.

7. Nullus itaque per ambitum ad episcopatus honorem permittatur accedere. Nam quum hic excessus in laica conversatione culpetur, quis dubitat, quod religiosis et Deo servientibus inurat[15]) opprobrium? Episcopatum[16]) desiderans data pecunia potentes personas minime suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos vel cives subscribere, adhibito cujuslibet generis timore, compellat, vel praemiis aliquibus hortetur. Decretum sine visitatoris praesentia nemo conficiat, cujus[17]) testimonio clericorum ac civium potest unanimitas declarari.

---

epist. 14 c. 21 nuptias earum ita reprehendit, ut illas nihilo minus Dei judicio dimittat. Immo fragm. 38 ad Stephanum uni ex his viduis communionem reddi praecipit, quia *maritum potius incontinentiae suae, quod nullis prohibetur legibus, exquisivit.* Hanc erga illas indulgentiam nescierunt Gallicani episcopi, qui quidem tum in concilio Aurelianensi V can. 19 tum in Parisiensi V c. 13 viduas illas cum iis, quibus nupserint, communione privant.

[14]) Ita L^1 L^3 L^4. Alii *contigerit.*

[15]) F^d *inorationibus*, c^1 *incurrat*, c^2 a^1 *incutiat.*

[16]) Ita F^d K^{13} L^1 L^3 L^4 a^3. Alii *Si quis episcopat. . desiderat.*

[17]) L^1 L^3 addunt *ut.* In sequentibus A^1 K^{13} L^1 L^3 L^4 *potest*, alii *possit*, F^d *testimonium ... potest ... declarare.* Is autem nuncupatur *visitator*, cui munus aliquod obeundum ex delegata potestate committebatur, ac praeprimis ille episcopus, qui vacanti ecclesiae praeficiebatur, donec ipsa proprium episcopum habuisset. Ita Gelasius fragm. 5 Coelestino episcopo in mandatis dat, ut cuidam ecclesiae presbyterum ac diaconum creet *visitatoris nomine non cardinalis pontificis.* Item Johannes II epist. 5 n. 1 in *Contumeliosi damnati locum visitatorem constitui* praecipit, donec illius ecclesia proprium episcopum habere mereatur. Ecclesiae quoque Romanae, quum accusatus esset Symmachus sed non damnatus neque convictus, a parte cleri et aliquibus laicis postulatus visitator concessus fuit. Verum hoc *contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas majorum* tentatum esse affirmanti Symmacho (supra epist. 5 n. 3 et 4) Romana synodus assentit. Cur tamen hac in re violata dicatur religio, num quia episcopo non convicto visitatorem ipsius ecclesiae dari regulae non permitterent, an quia quum circa ceteros episcopos hoc liceret, summus pontifex ab hac lege excipere retur, ex verbis praedictae synodi certo definiri nequit. Si tamen adversariorum synodi, qua absolutus est Symmachus, verbis atque Ennodii ad eos responsum haereamus, hoc spirant, ut aliis quidem episcopis accusatis visitatores dari consueverint, sed Romanus antistes huic legi minime subjaceat. Ajunt quippe Symmachi aemuli apud Ennodium: *Visitatores et aliis episcopis ipse* (Symmachus) *dedit, et justum est, ut facti sui lege teneatur.* Quibus statim Ennodius respondet: *Non vos in hoc titulo falsitatis incesso et diu mendaciis adhaerentia verba non urgeo. Dico tamen latorem juris diffinitionis suae, nisi velit, terminis non includi.* Nil autem subinde usitatius fuit, quam ut Romanus pontifex ecclesiis viduatis visitatorem destinaret, ut ex Gregorii Magni epistolis notum est. Nunc vero Symmachus decretum electionis episcopi nonnisi coram visitatore confici vult.

Digitized by Google

8. Hortamur itaque, ut pro catholicae religionis intuitu et ec- a. 513.
clesiarum pace haec universi fideli ac devota mente custodiant: quia non est dubium praevaricatores interdictorum[18]) talium juxta venerandos canones propriae communionis subire jacturam. Haec tamen ad omnium episcoporum volumus perferri notitiam. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data VIII Idus Novembris, Probo viro clarissimo consule.

9. Caritati[19]) tuae tantummodo per omnes Gallicanas regiones utendi pallio concessimus facultatem.

10. **Exemplum**[20]) **libelli P.** Sicut a persona beati Petri apostoli episcopatus sumpsit[21]) initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat. In Gallia siquidem provincia ab aliquibus personis ecclesiastica praedia diversis titulis alienantur. Ita fit, ut pro suo quis arbitrio devota mente relinquentium et egentium necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus, ut fieri prohibeat apostolicae[22]) sedis auctoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu monasteriis fuerit largiendum.

11. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, ut de laica conversatione, qui in singulis judicum officiis meruerint aut certe rexerint sub aliqua potestate provincias, nisi multo ante tempore praemissa conversatione legitima[23]) et vita examinata, nullus aut clericus aut episcopus ordinetur. Viduas etiam jam diu religioso habitu assumpto, et sanctimoniales longo jam tempore in monasteriis consistentes, poscimus, ut unicuique conjugii causa nec volentes sibi jungere nec invitas rapiendi libera sit facultas.

12. Illud etiam humili prece suggerimus, ut nulli per ambitum ad episcopatum concedatur accedere, nec data pecunia sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et ut haec facilius possint custodiri, clerici[24]) vel cives decretum facere vel subscribere sine metropolitani notitia vel consensu penitus non praesumant. Haec omnia

---

[18]) L^3 *indictorum*. Deinde L^2 L^3 L^4 II *Idus Nov.*

[19]) L^2 L^3 L^4 hic praemittunt: *Dilectissimo fratri Caesario Symmachus*, unde ut in monito praevio dictum, Baronii error. Mox L^2 L^3 L^4 b omitt. *tantummodo.* Sirmondus autem, uti superius diximus, totam hanc formulam, qua pallii usus Caesario conceditur, praetermisit.

[20]) Ita L^1. At L^3 L^4 *Exemplum libelli*, L^2 *Exemplum libelli Symmacho papae oblati* (cui c^5 addit *a Caesario episcopo*).

[21]) Ita mss. At excusi *sumit*. Hinc perstringit Caesarius, quod in Innocentii epistola 2 n. 2 de apostolo eodem legerat dictum: *per quem apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.*

[22]) L^1 *apostolica*, moxque cum L^3 *judicium ... meruerunt ... rexerunt.*

[23]) L^1 add. *ecce* (fortasse pro *ex se*). Mox editi *nullus clericus.*

[24]) L^3 ad marg. notat: *Electionem sine consensu metropolitani non faciendam.* Mox L^1 *ultionem* et cum L^3 *quae nos* (pro *quatenus*).

Digitized by Google

a. 513. ultione districtionis vestrae fieri prohibete: quatenus et in ecclesia vestra et in supradicta provincia disciplina bonis actibus amica servetur.

Epistola 16.

a. 514 d. 11 Jan.

Symmachi papae ad Caesarium episcopum Arelatensem.

De privilegiis Arelatensis ecclesiae. Libellum petitorium Caesarii oblatum ab Aegidio abbate et Messiano notario subjicit. p. 102

Dilectissimo fratri Caesario Symmachus[1]).

1. Qui veneranda patrum statuta custodit, amicum se absolutae religionis ostendit, et qui providet ut locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratiae cogitare. Rationabile est, ut sancta Arelatensis ecclesia propriis privilegiis perfruatur; et quod vetustas praestitit et patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare praesumptio. Sic tamen, ut ceterarum ecclesiarum privilegia temporibus acquisita non titubent: quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus siquidem his quae patrum constituta singulis ecclesiis concesserunt, decernimus, ut circa ea, quae tam[2]) in Gallia quam in Hispania provinciis de causa religionis emerserint, sollertia tuae fraternitatis invigilet; et si ratio poposcerit praesentiam sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuae dilectionis admonitus auctoritate conveniat; et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin exsistentis negotii qualitas ad sedem apostolicam te referente perveniat, ut cunctis ordine suo peractis, unde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum invenire non possit.

---

[1]) Reg. *Symmachi* (c^{11}).

[2]) c^5 c^7 seq. *tam in Galliae quam Hispaniae.* Quibus ut praeferremus cum mss. *tam in Gallia quam in Hispania*, suasit tum illud epistolae 15 n. 10 *In Gallia siquidem provincia ab aliquibus*, tum maxime istud ejusdem epistolae n. 12 *quatenus et in vestra ecclesia et supradicta provincia*, scil. Gallia, quae rursum *provinciae* nomine designatur. Hoc autem nomine Visigothi Hispani eam Galliae partem, quae ipsis subjecta, designare postea consueverunt, ut ex plurimis documentis conciliorum Toletanorum palam fit. Porro vicaria Caesarii potestas non omnes ut antea Gallias comprehendit, tum quia, ut advertit Labatus, reliquae provinciae Francis et Burgundionibus parebant, tum quia ibidem vicaria potestas Remigio Remensi concessa: quae quidem, si verum est privilegium, per id omne quod regni Chlodovaei fuerat extendebatur. Longe magis adversantur praedicti mss. Baronio, *quae in Galliae provinciis*, omissa voce *Hispaniae*, legenti. Non temere tamen illic Galliae adjuncta est Hispania. Ea enim tempestate, ut observavit Petrus de Marca de concord. sacerd. l. VI c. 19 n. 6, Arelatensis provincia, tametsi intra Gallias, imperio parebat Theodorici regis, penes quem regni Visigothorum in Hispania tunc erat administratio. Quapropter subinde mutato regnorum statu Vigilius ejusque successores Arelatensibus episcopis nullam hujusmodi potestatem in Hispanias demandant.

Digitized by Google

2. Igitur, quemadmodum supra diximus, per singulas ecclesias a. 514.
beneficia quae sunt diu custodita serventur. Et si tam ecclesiae Aquensis antistes vel alius quilibet, metropolitano pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticae disciplinae. Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, ut si[3]) quis de Gallicana vel Hispana regionibus ecclesiastici ordinis atque officii ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuae notitia iter peregrinationis arripiat: ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, et ambiguitate depulsa a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! Data III Idus Junias, Flavio[4]) Senatore viro clarissimo consule.

3. **Exemplum libelli P.** Quantum in omnibus ecclesiarum pontificibus, quae in toto orbe diffusae sunt, apostolica sedes sibimet vindicat principatum, et synodalibus decretis firmior ejus praecellit auctoritas, tantum potestatis suae provisione dudum a sese concessa debent[5]) inconcussa servari. Quatenus Arelatensis ecclesia fruatur privilegiis suis, quae nunc per antistitem Caesarium seriem suae petitionis insinuat, et quam hactenus habuit potestatem, vestra deposcit auctoritate firmari: ut quod veneranda sedes quondam perenni sanctione custodiri praecepit, et pragmaticis specialiter decreta sunt constitutis, beatitudinis vestrae praeceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquensis etiam civitatis episcopum sanctitatis vestrae moneri praecipite constitutis, ut dum a metropolitano antistite ecclesiae Arelatensis ad synodale concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur: quatenus ea quae longaevis saeculis priscorum sanxit auctoritas, vobis praesulibus praesenti futuraeque aetati inviolata serventur. Data p.[6]) ab Aegidio abbate et Messiano notario[7]).

---

[3]) Cod. Reg. *si quem ... compulerit*, vitiose, nisi suppleatur *necessitas*, aut quid simile (c^{11}). Ibidem deinde et supra Bar. removit *vel Hispana*, refragantibus mss. Hunc ipsum Symmachi locum memorare videtur Vigilius epist. 6 n. 2. Jam antea Zosimus epist. 1 n. 1 praeceperat, nulli ecclesiastici ordinis sine formata praesulis Arelatensis peregrinari quoquam licere.

[4]) b omitt. *Flavio*, quae duabus litteris *Fl.* in mss. exprimitur. *Senatoris* (L^3 L^4 *Renatore*) autem nomine designatur Cassiodorus.

[5]) Ita L^2 L^3. c^5 seq. *debet servare*.

[6]) b c^5 seq. *Data ab Aegidio*, omissa notula *p*, qua *petitio* nostra sententia designatur. Certe vocem ipsam supra n. 3 expressam habemus in hunc modum: *Arelatensis ecclesia ... seriem suae petitionis insinuat.* Is Aegidius abbas fuisse videtur, cujus festivitas Kalendis Septembris agitur. Nec alium opinemur ejus socium (quem L^3 *Omissionoro*, L^1 *Omissionario* exprimunt, omittentes *notario*), nisi *Messianum* illum presbyterum, qui una cum Stephano diacono secundum vitae s. Caesarii librum conscripsisse dicitur.

[7]) Ad calcem hujus libelli cod. Reg. habet: *Dilectissimo fratri Caesario Hor-*

Digitized by Google

Epistola 17.

Sigismundi regis ad Symmachum papam

seu

Ab Avito episcopo dictata sub nomine domni Sigismundi regis ad Symmachum papam Urbis.

Per Julianum diaconum sacras reliquias Sigismundus rex a Symmacho papa petit, a quo alias jam pridem acceperat. p. 10

1. Dum sacra reliquiarum pignora, quibus per me Galliam vestram spiritali remuneratione ditastis, negare petentibus non praesumo, me quoque sanctorum patrocinia postulare ab irriguo vestri apostolatus fonte necesse est. Quamquam etsi est adhuc apud nos de dono vestro, quod catholicae religionis debeat studio celebrari, etiam illud tamen convenit justae devotionis intelligi, ut directis litterarii sermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me pontificatus vester vel praesentem monitis docuit vel absentem intercessionibus acquisivit. Nec nunc paginae praesentis obsequium reperta opportunitas complectitur; sed destinato ad vos diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad universalis[1]) Ecclesiae praesulem spiritu repraesentante concurrimus. Crescit quippe beneficiorum recordatione desiderium: nec unquam meis elui sensibus possunt, quae nobis apud Italiam vestram vel pontificalis benignitas vel civilitas[2]) regalis impendit, quum post familiaritatem totius munificentiae commodis praeferendam, quia istic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum.

2. Attentior pro vestris[3]), quod superest, incumbat oratio. In augmento namque ovium crescit custodia pastoralis. Sacris nos apostolorum liminibus commemoratione assidua praesentantes, speciali dum vixero praedicatori[4]) vestro, ubi obtinuistis initium, impetrate profectum. Litteris nos, in quantum possibilitas patitur aut

---

misda. Quamvis ratio exigat ut fraternitati tuae nostri sacerdotii primitias mittimus, tamen Dei beneficia tacere. Deinde sequitur epistola Felicis ad Caesarium (c[11]).

[1]) Variis in libellis actioni 3 concilii Calchedonensis insertis Leo *universalis archiepiscopus* nuncupatur. Sed licet illi apostolicae sedis praesuli datum sit honorificum illud nomen, obtestatur tamen Gregorius lib. al. 8 Ind. 1 epist. 30, ne sibi tribuatur, ac lib. al. 5. Ind. 13 epist. 20, decessores suos ea modestia fuisse testatur, *ut nullus eorum unquam hoc singularitatis nomine uti consenserit.*

[2]) Hic laudatur comitas Theodorici regis.

[3]) Id est, pro nobis, qui jam vestri sumus. Quippe Sigismundus novissime ad Christi fidem conversus, sese cum suis, qui exemplum ipsius secuti erant, summi pastoris precibus, ut ad illius curam pertinens commendat.

[4]) Prima fronte placuit *precatori vestro*. Retinemus tamen *praedicatori*, adeo ut ubi Sigismundus, quoad vixerit, Symmachi se laudatorem profiteatur.

Digitized by Google

libertas, quibus nobis doctrina et incolumitas vestra floreat, frequentate. Et ut supra speravimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte praesidia: quorum cultu et beatissimum Petrum in virtute, et vos semper habere mereamur in munere.

Epistola 18.

Ennodii ad Symmachum papam.

102. *Victo schismate pontifici se recommendat.*

Ennodius papae.

Coelestis utilitatem sequacium cura disponit, inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non praesumit. Agnoverunt adversarii sedis vestrae, quo propugnante vincantur; quod proxime de Aquilejensi[1]) Redemptor noster persona reseravit. Et ideo inter excellentia munerum divinorum peto, ut mei corona vestra meminisse non abnuat. Invitat enim ad famulandum plurimos, qui quamvis longe positum diligit obsequentem. Vale.

Epistola 19.

Ennodii ad Symmachum papam.

02. *Famulatus sui obsequium exhibens de quadam legatione litteras ipsas episcopi referentis indicat.*

Ennodius domno papae.

Pervigil beatitudinis vestrae cura quasi coram positos, in quocunque loci sint, obsequentes attendit, et sine ullis feriis dum gratiae suffragium praestat expertis, invitat extraneos. Etenim plures de spectaculo fructus capiuntur laboris alieni: quia discit operam navare, in cujus oculis redduntur praemia sudoris et fidei. Atque utinam par votis esset effectus, et quod didici pro religione, cuperem, daretur implere! Domine mi, famulatus mei humilitatem exhibens, parca in maximis elocutione contentus, quid domnus episcopus frater vester super directa legatione[1]) senserit, patefaciendum praefati litteris derelinquo.

Epistola 20.

Ennodii ad Symmachum papam.

2. *Pontificis liberalitatem multum laudans, haeredes Marii cujusdam defuncti commendat.*

Ennodius Symmacho papae.

Usque ad temeritatem me apostolica dignatione promovistis:

18 [1]) Nescio, an eadem Laurentii Mediolanensis legatio hic notetur, quae in Symmachi epist. 7 et 19 memoratur.

19 [1]) Sane eadem est legatio, quae supra epist. 7 notata.

Digitized by Google

fiducia concessa exstitit mater audaciae. Sed qui me humilitatis putat ignarum, obedientem probabit, si jussa consideret. Praesumptio est, si dominorum beneficia famuli non sequantur: obsequium aestimandum puto, quod pariturus impendo. Ecce causam scriptionis asserui, quia veritus sum, ne post imperatam styli curam tacens praecepta respuerem. Huc accessit, quod in causa venerabilis memoriae Marii, dum apud Urbem essem, spem meis precibus vos dedistis. Cujus negotium cum sancta ecclesia vestra legitima pactione decisum est; sed haeredes ejus per annos plurimos debitos sibi fructus deflent fuisse subtractos. Pro quibus vestri conscius precator accedo; quia cui mos est pia jugiter facere, justa non despiciet, et qui largitur proprium, aliena non subtrahet. Errat, qui Deo proximam conscientiam credit commodis invitari: detrimentum est sanctae voluntati, non exhibere beneficium. Sola putatis lucra, quae vobis de liberalitate nascuntur; qui divitias dum tribuitis, accipitis. Avara est dispensatio sanctorum, quae nil reservando, universa proprium reducit ad meritum. Nulla sunt potiora, quam quae vobis eveniunt de largitate compendia. Ergo securus comprehensi superius, haeredibus laboris promisi vestra contemplatione jacturam: vos pollicitationem meam benigna dispositione complete, et illos effectu, me relevate colloquio.

Epistola 21.

Ennodii ad Symmachum papam.

Filios Laurentii viri sublimis papae commendat. p. 1[illegible]

Ennodius Symmacho papae.

Quamvis sublimi viro Laurentio [1]) assistat pro pignorum commendatione probitas sua, et patris prudentia causas sobolis exsequatur, attamen sollicitudine genitali ad ampliora procedit, et vix credit pro filiis sufficere quod meretur. Adjutricem in adstipulatione germinis paginam quaerit, et trepidante diligentia patrum ardorem nititur cum universitate partiri. Cogitate, si viro optimo negari effectus potuit et pia et justa poscenti. Tribuat Divinitas effectum precibus ejus, et hunc beatitudinis vestrae nominatis conciliare dignetur affectum, ut erigat parvulos implorata coronae vestrae miseratio: quatenus anxii circa ipsos genitoris vota superentur. Domine mi, spero, ut promissa dudum benignitas in ea parte testimonium ferat, si comprehensis superius geminatam impendi gratiam, qui per me precatur, intelligat.

[1]) De eodem hujus viri negotio Ennodius agere videtur epist. IV, 11.

Digitized by Google

Epistola 22.

Ennodii ad Symmachum papam.

p 102. *Officiorum suorum memoriam revocans, Parthenium germanae filium studiorum litterarum causa Romam petentem pontifici commendat.*

Symmacho papae Ennodius.

1. Dum sedem apostolicam coronae vestrae cura moderatur et coelestis imperii apicem regitis, blanditur profectibus parentum, quod meis promissum tenetur officiis[1]). Spem sine labore obtinet apud constantem virum fideliter obsecutus; grandis est pompa praestantis, quotiens quod unus meruit, pluribus repensatur: superiorum instituta sectantur, per quos generatio recipit, quod persona condiderit. Sic Israelitici delicta populi propter David poena non tetigit, dum genti opitulata est praecessoris integritas, et fides hominis aut eripuit de errore populum aut juvit in gratia. Jes. 37,36.

2. Parthenius igitur praesentium portitor, germanae filius, hac ad coronam vestram fiducia animante directus est, quem sollicitudo liberalis Romam coegit expetere. Sancta sunt studia litterarum, in quibus ante incrementa peritiae vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia, dum quod aetas refugit, norunt instituta praestare. Fovete ergo; veniendi[2]) causas patefacta consanguinitate didicistis. Habetis obsidem, in quo dilucide meritorum apud vos meorum qualitas innotescat. Domine, ut supra, salutationis reverentiam obsequiorum devotione restituens precor, ut perlator praesentium famulus vester felici sorte peregrini apud vos nomen excipiat: quia quod attributum fuerit precibus meis, vestrum supra dotes suas ornat officium.

Epistola 23.

Ennodii ad Symmachum papam.

102. *Juvenem nobilem studia Romana requirentem pontifici commendat.*

Ennodius Symmacho.

Rem necessariam providet, qui parenti[1]) omnium orbatos et peregrinos insinuat. Unica via est apostolatus vestri solatium, quae

22 [1]) Officia illa sua dicit, quae in causa Symmachi praestiterat sive factis legationum variarum expensis (conf. Ennod. epist. III, 10. V, 13. VI, 16 et 33) sive conscripta synodi V apologia.

[2]) Schotti ed. addit *cujus*.

23 [1]) Hoc nomine pontificem universalem honorat, jam tunc inter temporum turbines fere unicum fluctuantium populorum et studiorum liberalium refugium. Simul ex hisce litteris discimus, Romam tum praecipuam ejusmodi studiorum sedem reputatam esse, quam undique juvenes nobiles earum rerum sollertes petebant.

Digitized by Google

medetur externis. Absit afflictos dicere, quos ad vos contigerit pervenisse: creatoris patriam, opes alibi non requirunt, quos coronae vestrae cura susceperit. Praesentum bajulus, ortus nobiliter, profutura ad testimonium ingenuitatis studia Romana requirit. Nunc beatitudini vestrae mea supplicis vestri commendat assertio, ut salutationis servitiis dignanter acceptis, quod usu facitis, pro mei consideratione geminetur.

Epistola 24.

Ennodii ad Symmachum papam.

Beatum sublimem adolescentem pontifici parenti omnium insinuat. p 102.

Ennodius Symmacho.

Non inefficaciter poscit, qui parenti omnium peregrinos insinuat. Nobilibus generalis debetur assertio, maxime apud eos, qui beneficia tribuunt non rogati. Beatum sublimem adolescentem, praesentium bajulum, si corona vestra dignanter accipiat, praeclarum juxta morem pontificis ornat officium. Est enim, qui gratiam vestram et natalibus et moribus mereatur. Sufficit dignis stricta laudatio. Nunc servitiis salutationis exhibitis rogo, ut me amantem vestri crebri relevetis promulgatione colloquii.

Notitia

epistolarum non exstantium, quae ad s. Symmachum papam attinent.

I.

a. 498—506. *Symmachi ad Ennodium de expensis in aula Theodorici regis faciendis cautio.*

[Ed.] In tristi certamine, quod Symmachus initio pontificatus cum adversariis sustinuit, saepe ad aulam Theodorici regis recurrendum, ibique ut moris variae expensae faciendae erant. Eo modo episcopus ut videtur Mediolanensis plus quadringentos auri solidos *certis potentibus* erogavit, fidem dicente Ennodio diacono. Qui ad id *litteras sancti papae* se habuisse testatur (epist. III, 10), *quibus ille jussit, quidquid opus esset fieri, cum (Ennodii) debere securitate compleri.* Quapropter hic quidem, quum repeteretur aurum, Luminosum virum sublimem tunc Romae degentem et Hormisdam Dioscorumque diaconos, ut pro restitutione apud pontificem agerent, rogavit (epist. III, 10, VI, 16 et 33). Quo autem potissimum tempore sponsio ista pontificis facta sit, num statim in initio pontificatus an poster schismate renovato, ubi non minus *regale praesidium saepe deposcebatur* (anon. Blanch.), definiri non potest. Utique inter annos 498 et 506 ponenda est.

II.

a. 499—500. *Symmachi ad Anastasium imperatorem pro catholicis Orientalibus intercessio.*

Frequenti fama de catholicorum in Oriente persecutionibus motus Symmachus apud Anastasium imperatorem intercessit, *vulgatum fuisse, quod* hic *directa militari manu compelleret eos, qui se a contagione perfidorum multis temporibus*

Digitized by Google

abstinere delegerint, vi et armis in praevaricatae communionis consortia detestanda (Symm. epist. 10 n. 11). Quod quidem mox post initia pontificatus sui factum esse ipse Symmachus innuit.

III.

anno 500 *aest. temp. Aeonii Arelatensis ad Symmachum de differentia quadam inter ecclesias Arelatensem et Viennensem oborta relatio.*

Mox post sedatum primum schisma per Crescentium presbyterum litterae ab Aeonio Arelatensi episcopo Romam delatae sunt, quibus *luctamen inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam aliquod de ordinandis episcopis in vicinis oriri* nuntiabatur: *illa re videlicet faciente, quod sanctae recordationis Anastasius* papa *tractans confusionem provinciae aliqua contra veterem consuetudinem jusserit observari.* Rescripsit Symmachus antiqui juris strenuus assertor III Cal. Octobris anni 500 (epist. 3). Quare quum proprius internuntius litteras illas Aeonii transtulisset, ipsas vix prius aestivo tempore ejusdem anni scriptas esse constabit.

IV.

anni 501 *initio. Symmachi ad Theodoricum regem de congreganda synodo litterae assentientes.*

Quum initio anni 501 adversarii Symmachi denuo conspirare coepissent et apud Theodoricum regem omnem lapidem moverent hicque de colligenda synodo cogitaret quae rem cognosceret, *ipse quoque papa in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrare* properavit. Quae quum praefatus rex in congregata *mox post festivitatem* paschalem anni 501 synodo episcopis jam proponeret (Symm. epist. 5 n. 2), litteras illas circa initia anni 501 scriptas esse apparet.

V.

anno 501 *circ. init. Aviti Viennensis episcopi ad Symmachum papam contra sedis suae deminutionem exceptio.*

Anno 501 a. d. III Idus Octobres Symmachus papa ad Avitum Viennensem hoc modo scripsit: *Non debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem et coepiscopum nostrum Aeonium nuper rescripsimus. Non enim juri tuo praejudicatum fuit* etc. (Symm. epist. 5). Unde Avitus generatim certior factus de papae epistola ad Aeonium directa (Symm. epist. 3), quae Anastasii decessoris concessum privilegium in quaestionem vocare videretur, apud illum contra monuisse videtur, ne sedis suae jura minuerentur.

VI.

anno 502. *Libellus schismaticorum adversus synodum Palmarem, sub titulo: adversus synodum absolutionis incongruae.*

1. Quum synodus Palmaris Symmachum ab illatis criminationibus prorsus immunem et unum legitimum pontificem declarasset, adversarii libellum *adversus synodum absolutionis incongruae* vulgarunt. Quem Ennodius tunc diaconus Ticinensis, vir vitae integritate non minus quam eloquentiae laude conspicuus et Symmacho in primis carus, *libello apologetico* minutatim gradatimque insistendo refutavit, unde ejusdem incriminationes satis plane colligere licet.

Primum igitur obtrudebant: *non omnes sacerdotes regis ad concilium adscivit auctoritas, nec omnes in judicatione senserunt* (ed. Sirmond. Opera varia I, 974). *Adversarios* enim *papae Romani dici non debuisse* volebant, *qui praeceptum prolatis petitionibus accusabant*, quum tamen *eos isto nomine praecepta regia non vocassent* ad synodum. *Testis est Romana civitas*, emphatice addebant, *si omnes episcopi senes et debiles convenerunt.* Deinde iteratas con-

Digitized by Google

sultationes episcoporum mordentes subdiderunt, *ex praeceptis regiis evocationis causam fuisse jam cognitam, et Italiae summa moderantem non fuisse quasi de novo negotio consulendum: plus chartae et scriptioni religionis debitum, quam praesentiae principali.* Exhinc digressi, ne regis et virorum honestorum omnium gratiam laedere viderentur, *bonarum rerum* in illo laudarunt *affectum*, et plura texuerunt verba, quibus se summe *colere innocentiam* testarentur (l. c. 975).

2. Mox addiderunt, in ipso illo judicio *contra apostolum impugnatores summi pontificis non auditos, qui coelestis mandati memores partem suam a consortio adulterii* (hoc enim inter alia crimine etiam Symmachum arguisse videntur) *subduxerunt*; immo crimen istud quodammodo approbatum, quia *in criminibus objectis, quod non excluditur, approbatur.* Simul episcoporum libertatem, qui suggesserant papam debuisse synodum convocare, tamquam regi contumeliosam taxantes allegarunt, *oblocutos sacerdotes praeceptionibus*, ac *quoddam sacrilegium* esse, *mali aliquid de terreni domini jussione sentiri*, opponendo: *quis regi debuit dicere, papam oportuisse synodum convocare? Certe quod in hac parte constat exemplum? Illum praecipue, qui criminosis multorum propositionibus jam jacebat, quem hoc fuerat damnare quod argui, cui praerogativam coelitus adscriptam hostium suorum oblocutio jam tulisset? Peccatori dicit Deus:* Psalm. 49, 16. *„quare tu enarras justitias meas?“ Prohibetis* igitur, per apostrophen eosdem episcopos compellabant, *quia papa beati Petri apostoli vicarius aestimatur, archiatrum ejus corpori afferre medicinam: quomodo vos animae ejus curationem exhibere renuetis?* Tali modo, irridebant, *beatum Petrum a Domino cum sedis privilegiis vel successores ejus peccandi judicatis licentiam suscepisse.* Contra ejusmodi praesumptionem sibi ipsis *coelestem* gloriabantur *potentiam suffragio esse, quod ad praesidium beati apostoli adjutricem dexteram commodarent. Cur* denique, addebant, *ad principem convenistis, si audiri non licebat impetitum?* (l. c. 976 et 977).

3. Deinde ut Symmachum dignitatem ipsam pontificiam tum jam perdidisse demonstrarent, eum *Esau* comparabant, *qui senioris naturae beneficium unius cibi commutatione perdidisset et primogeniti canam dignitatem amisisset faucibus obsequendo.* Quod idem ut ipsos episcopos quoddammodo agnovisse ostenderent, *vera est,* inquiebant, *episcoporum assertio, sedis apostolicae praesulem minorum nunquam subjacuisse sententiae; cur* igitur *ad judicium districta conventione productus est?* (l. c. 978). Deinde concilii de rejiciendis accusatoribus inhabilibus sententiam latius perstrinxisse videntur. Cui addebant: *cur personae jussae sint praesentari, quas saepe imperialis flagitasset auctoritas, ad defraudationem genii pertinere ejus, qui nunc in sede apostolica quasi in quadam arce consistit.* Utque amplius admittendos etiam servilis conditionis testes evincerent, adducebant, *ipsum Dominum et Redemptorem nostrum servorum subiisse judicia, et coeli operatorem particulae cuidam sponte subjacuisse* Jes. 5, 3. *terrenae, dum testatur et loquitur: „homo Juda et qui habitas Jerusalem, judicate inter me et vineam meam“; hoc etiam beatum Petrum, hoc Paulum apostolum non horruisse; Samuelem etiam prophetam mirificum de conscientiae suae serenitate vulgi implorasse testimonium;* atque ejusmodi alia quoque (ex. gr. sancti Athanasii) exempla adjecisse videntur (l. c. 980). Deinde ut pontificiorum ad antiquas traditiones appellationem refunderent, *ergo*, ajebant, *Moysi a vobis jejunia et Elisaei miracula, quae egit dum mortuum suscitavit, si annosa tantum sectamini, condemnantur.*

4. Ad novam criminationem transeuntes recluserunt: *quare papa sine exempli instituto praecedentis synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognosceret?* (l. c. 981); arguebantque synodi patres *falsitatis, cur e*

Digitized by Google

principe quae in praefato negotio scripta sunt, dicerent postulata (l. c. 982). Deinde stylo splendidissimo Symmachus arguebatur, *quare conventionem praeveniens cum populorum coetibus examen intravisset, et postea judicia, quum evocatus quater fuisset, sprevisset;* imprimis, *quod mulierum turbae cum praefato ad judicia convenissent*, urbanis coloribus persequebantur (l. c. 983). *Indicta causa, derelictis defensoribus papa decessit*, addebant, fori et platearum deinde exempla proponentes. *Quis* autem *eum*, perorabant, *vidit cum accusatoribus suis aperta ut ajunt pugna confligere? Quomodo*, ex alia parte patribus synodi exprobrabant, *de causa vel qualitate ejus primitus tractabatis, quum necdum haberet synodus firmitatem?* Immo, replicabant, *ipsos venerabiles Laurentium et Petrum episcopos a communione papae se suspendisse* (l. c. 985). Ut amplius refutarent synodum demum consensu papae firmitatem adeptam, *ergo*, inquiebant, *concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia praesentiam papae non habent, valetudinem perdiderunt?* Summopere praeterea *laesum principem, quare* patres synodi *attributum visitatorem contra ecclesiasticas regulas prima voluissent fronte discedere, et nihil amplius liceret hunc vitiis, ne duresceret lolium, ne profana messis nulla disciplinae ante maturitatem succisa falce decumberet, et putaretur licere quod judices non vetabant* (l. c. 986). *Nam ipse visitatores et aliis episcopis dedit, et justum est, ut facti sui lege teneatur* (l. c. 988). Deinde excessus Symmachi taxantes (l. c. 989), saltem ut ille ad exemplum Eulalii et Bonifacii una cum Laurentio expelleretur postulasse videntur. Denique fidem ipsam patrum synodi vere ridicule arrodere tentabant. Quod dixerunt illi causam Symmachi Dei ipsius judicio committendam, „*qui potest corpus occidere et animam mittere in gehennam*“, *a fide aliena*, objurgabant isti, *tenuerunt, resurrectionem corporis non credentes. Johannis etiam apostoli scripta violata* esse, jactabant, quia ex verbis ejus dictum in synodo: „*si dicamus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus et veritas in nobis non est*“ (scil. loco verborum „*nos ipsos decipimus*“ ibi positum „*mendaces sumus*“; l. c. 991).

5. Quae potissimum crimina Symmacho ipsi impingebant, Ennodius vix leviter significat. Accusabant ejus *malitiam;* fornicationem etiam illos ei objecisse, praeter ea quae n. 2 attulimus, haec quoque probant, quod docuisse memorantur, *fornicantibus neminem esse miscendum;* sacerdotes, qui ejus consortium subiere, *quasi obsoleta comparatos communione* et *reos* culpabant (l. c. 992). Plura objectionum istarum capita Ennodius *silentio* damnanda sepeliri aperte dixit. *Nobilitatem* enim, ait, *dat facinoribus, qui ventilationem ipsorum multiplici ad aures posteras relatione transmittit. Multa* enim *ibi fuerunt* eodem Ennodio teste, *quae ita faeculentis ulnis peccandi amor amplectebatur, ut fierent indigna memoratu. Plura levitas dehonestat,* addit idem auctor, *dum subductis eviscerantur verba vestra ponderibus, et de religionis causis elocutio ventosa componitur auris congruam sortita gravitatem: quae in palearum abundantia nihil est horreis illatura de tritico, dum infoecundam frugibus culmorum parturit ubertatem, et spem de herbae luxuria mentitur agricolis, de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt igni debita incendioque peritura* (l. c. 991). Quare quum alii desint fontes, amplius dici non potest.

VII.

anno 506. *Symmachi ad Theodoricum regem de restituendis ecclesiarum titulis petitio.*

Quum Laurentius *ad Urbem veniens per annos circiter quatuor Romanam tenuisset ecclesiam, ad ultimum Symmachus petitionem regi* (Theodorico) *per Dioscorum Alexandrinum diaconum destinavit, adserens magnum sibi prae-*

Digitized by Google

judicium fieri et maxime de titulis ecclesiarum, quos intra Urbem Laurentius obtinebat (anonym. Blanchin. apud Muratori scriptor. rer. Ital. III, 2 col. 47). Quae legatio ipsius anni 506 initiis facta esse suo jure ponetur.

VIII.

mox post ann. 506. *Anastasii imperatoris adversus Symmachum invectiva.*

Mox quum Symmachus exstincto schismate in plenam concordiam cum senatu Romano rediisset, Anastasius imperator libellum *contumeliarum et maledictorum* plenum vulgavit, ita ut pontifex silere nefas duceret (Symm. epist. 10 n. 2 et 5). Ubi eum *Manichaeum* esse conviciabatur *nec ordine consecratum* (l. c. n. 6 et 7), et in peculiare opprobrium vertit, quod *conspirans cum illo senatus* ipsum *excommunicaverit* et *male tractaverit* (l. c. n. 10). Cui pontifex epistola 10 respondit, fere *in modum libelli*, ut ipse ait, *promenda colligens*, nec tamen adversarii vestigia amplius prosequens.

IX.

— — *Alvini et Glafirae illustrium ad Symmachum de dedicanda in fundo Paciniano basilica beati Petri petitio.*

Narrat Anastasius in vita Symmachi: *Rogatus ab Alvino et Glafira illustribus basilicam beati Petri in fundo Paciniano dedicavit.* Quam petitionem sicut scriptis factam haud immerito sumpserimus, ita plus de ea dicere non valemus.

X.

— — *Constituit* Symmachus, *ut omni die dominico et natalitiis martyrum hymnus angelicus diceretur, id est „Gloria in excelsis Deo“.* (Anastasius vit. Symm.)

XI.

Decreta Symmacho falso adscripta.

1. Synodus, quae fertur *post consulatum Avieni* (a. 503) *ante confessionem beati Petri apostolorum principis* habita esse et Symmachi *synodus quinta* appellari solet, (ap. Hard. coll. conc. II, 983, Mansi coll. conc. VIII, 295), est merus Pseudo-Isidori foetus; conf. Ballerin. de antiqu. collect. III c. 6 § 2, Knust de fontibus et consilio Ps. Isid. p. 76, et supra *monita praevia* pag. 90 ss.

2. Synodus, quae *apud beatum Petrum* a Symmacho papa congregata et *sexta* vocatur (apud Hard. coll. conc. II, 989, Mansi l. c. VIII, 295), ex ejusdem Ps. Isidori merce profecta. Conferantur *monita praevia* supra pag. 90 ss.

3. **Symmachi ad Laurentium Mediolanensem archiepiscopum,** a Ps. Isidoro et conciliorum editoribus (apud Mansi l. c. VIII, 210), apud Migne patr. lat. LXII, 52 *ad Maximum Patavinum* inscripta, cujus initium *„Prodit religiosae“*, nihil aliud est quam Ennodii oratio (Ennodii op. ed. Sirmond. p. 473). Conferantur *monita praevia*, supra pag. 102.

4. **Symmachi ad Theodorum Laureacensis ecclesiae archiepiscopum** *„Diebus vitae tuae“* (Mansi l. c. VIII, 228, Migne l. c. LXII, 72), qua episcopo illi usus pallii indulgetur *ad ostendendum eum magistrum et archiepiscopum, ejusque s. Laureacensem ecclesiam provinciae Pannoniorum sedem fore metropolitanam.* De falsitate ejus conferantur, quae supra in *monitis praeviis* pag. 103 dicta sunt.

Digitized by Google

S. HORMISDAE PAPAE EPISTOLAE ET DECRETA.

Vita.

1. Hormisda *natione Campanus* unus ex diaconis, qui fidelissime cum Symmachi partibus steterant, quum sedes apostolica *septem dies* vacasset, die XXVI Julii a. 514 pontifex electus et sequenti dominica die XXVII Julii ordinatus est[1]). Dirum schisma Romanum per Festum et Laurentium excitatum vix compositum erat; si recte intelligo verba libri pontificalis, demum hoc tempore dissidia omnia illiuc manantia prorsus sopita sunt. Sed et Orientale schisma de nomine Acacii exortum, quod inde a Simplicii aetate illam ecclesiam gravissime afflixerat, tandem sub hoc papa feliciter remotum est. Statim sub initio pontificatus ejus Anastasius imperator, et populi Constantinopolitani et Vitaliani magistri militis metu motus, illius intercessionem imploravit et ad concilium quod spoponderat Heracliense invitavit (conf. epist. 1—3). Obsecutus est vir apostolicus, vere *pacis nutritor*, et quum *causam* dictae *congregationis plenius agnovisset*, die XI Augusti 515 legatos misit Ennodium Ticinensem et Fortunatum Catanensem episcopos, Venantium presbyterum et Hilarum notarium (Horm. epist. 7 et 8). Verum imperator, inveteratus schismatis fautor, spem praeceptam fefellit. Synodus Heracliensis teste Theophane ducentorum amplius episcoporum re infecta dimissa est, Anastasius autem, ut sedaret populum, fidei suae professionem emisit, in qua Nestorio et Eutycheti anathema dixit ac concilium Calchedonense et Leonis epistolam se venerari testatus est, sed ab Acacii nomine nullatenus recedere voluit (int. Horm. epist. 10—12). Nec felicior erat secunda legatio per eumdem Ennodium et Peregrinum Misenatem episcopum die III Aprilis a. 517 ab Hormisda destinata. Immo quum opera praesertim monachorum fidei contestationes secretas ab Hormisda traditas per totum Orientem sparsisset, teste libro pontificali ab imperatore male tractata, et contra orthodoxos quique sedis apostolicae communionem amplexi erant ubique terrarum acres persecutiones agitatae[2]) sunt.

2. Quum enim ab apostolica sede sibi subveniri vidissent, fideles per singulas Orientis regiones novos spiritus sumpserant. Dardani, Illyrici et Scythae episcopi, excepto Thessalonicensi metropolita[3]), jam ante primam legationem *errorem praeteritum damnando beati Petri communionem petierant, et scriptis et legationibus destinatis se apostolicae sedis regulis obedire confirmaverant*[4]). Mox a. 516 secuti sunt Epiri veteris episcopi (Horm. epist. 15—19). Eodem fere

[1]) Ita ex relatione libri pontificalis, et Symmachi synodo V (ep. 6), in qua Hormisda diaconus notarii officio fungitur. Conf. Symm. epist. 11, Ennod. epist. IV, 34. V, 13. VI, 33. VII, 12. VIII, 33, 39. IX, 5.

[2]) Conf. praeprimis Cyrillus vita s. Sabae, et inter Hormisdae epist. 22, 23, 30, 39.

[3]) De hujus in schismate pervicacia conf. Horm. epist. 3, 5, 33—37, 65, 97, 100, 102, 103, 110, 128, 141.

[4]) Ita Hormisda in ep. 9 ad Caesarium Arelatensem; conf. not. epist. non exstant. Horm. n. I.

Digitized by Google

tempore orthodoxi episcopi ex variis Orientis regionibus fidem et martyria sua universali patri exponebant et opem flagitabant (conf. Horm. epist. 29—32). Idem archimandritae et monachi secundae Syriae a. 517 fecerunt, quum per Severum Antiochenum et Petrum Apameensem intolerabilia passi essent (cf. l. c. epist. 39 et 40). Quibus omnibus pius papa auxilium aut saltem consolationem ferre haud omisit.

3. Tandem Justino die X Julii a. 518 imperii sceptra adepto ecclesiae Orientali felicior lux affulsit. Ipse fidei catholicae addictissimus erat, populus Constantinopolitanus autem, Hormisdae industria in studio pacis ecclesiasticae etiam confortatus, electo ei prae omnibus acclamasse narratur: *Synodica Romana modo valeant!* Quare statim electionem suam pontifici honorifice nuntiavit (Horm. epist. 41), moxque una cum synodo Constantinopolitana illum rogavit, ut pro plena restitutione unitatis ecclesiasticae legatos mitteret (l. c. epist. 42 et 43 die 7 Sept. a. 518). Libentissimo animo obsecutus est Hormisda, et mense Januario a. 519 legatos misit Germanum et Johannem episcopos, Blandum presbyterum et Felicem Dioscorumque diaconos, cum indiculo rerum gerendarum (l. c. ep. 49) et epistolis ad Justinum imperatorem, Euphemiam Augustam, Johannem episcopum et clerum Constantinopolitanum, ac plures personas nobiles senatus et aulae imperialis (l. c. epist. 50—56). Prospere omnia processerunt, ubique conditionibus a sapientissimo papa propositis satisfactum, libellus fidei transmissus subscriptus, Acacio ejusque sectatoribus anathema dictum, itaque Constantinopoli feria V majoris hebdomadae anni 519 cum ingenti totius civitatis laetitia illa *fidei animorumque concordia sollemnis communionis celebritate roborata est* (conf. l. c. epist. 59—71). Deinde in Asiam profecti, etsi partim majore cum labore et difficultate, tamen similem effectum sortiti sunt (conf. l. c. epist. 75 et 76). Sed mirum est, quanta sedulitate et alacritate, quanta sapientia et moderatione usque Hormisda totum illud arduissimum negotium rexerit[5]), ita ut ipse vere restitutor pacis, quae fecit utramque Romam unam, dici queat. Denique quum jam paucae schismatis reliquiae essent, d. 25 Februarii a. 521 Epiphanio episcopo Constantinopolitano vices suas per Orientem commisit, ut si quid deesset plenae paci ecclesiarum et integritati fidei, ille ordinaret (l. c. epist. 141).

4. Pari sollertia, sapientia et moderatione etiam aliis ex partibus fidem et pacem Ecclesiae tuebatur et disciplinae vigorem sustinuit. Scythas monachos, qui nova assertione, *unum de Trinitate crucifixum* dicendum esse, novas contentiones excitabant, ita compescuit, ut verborum novitates etsi per se minime falsas tempore tam inquieto praecluderet, usitatis patrum eloquiis animos contineret[6]). Similiter quum per Possessorem episcopum Afrum de Fausti Regiensis libris consultus esset, generaliter edixit: *neque illum neque quemquam, quos in auctoritatem patrum non recipit examen, catholicae fidei aut disciplinae ecclesiasticae ambiguitatem posse gignere aut religiosis praejudicium generare* (l. c. epist. 115 et 124). Sed quum infaustis illis inter Occidentem et Orientem turbinibus sane multis ex partibus animi de auctoritatibus fidei et disciplinae ecclesiasticae dubii redditi essent aut vacillarent, primum celeberrimum illum Gelasii *decretalem de libris recipiendis et non recipiendis* pro temporis statu quibusdam mutatum iterum promulgavit (l. c. epist. 125). Deinde docto s. Benedicti filio Dionysio Exiguo imperavit, ut *regulas sanctorum pontificum ad verbum digereret*, atque canones, quos *universitas admitteret*, ita explicaret, ut *in unaquaque pagina aequo divisum tramite textum graecum et latinum subnecteret*

---

[5]) Totum illud epistolarum Hormisdae corpus omnibus fere aliorum decessorum locupletius hujus rei testis est.

[6]) De hac contentione conf. inter Hormisdae epist. 75, 76, 78, 89, 90, 91, 98, 99, 103, 112, 120, 124, 127, 129, 132, 135, 137, 141.

Digitized by Google

(conf. l. c. epist. 148). Qua moderatione simul toti sequenti aevo certam fidei et disciplinae amussim providit.

5. Quo magis primis annis schisma Acacianum sancti praesulis animum movit, eo arctius et amicius vinculum ipsi cum Occidentali ecclesia intercedebat. Duo lumina ecclesiae Gallicanae s. Caesarius Arelatensis et s. Avitus Viennensis ei conjunctissimi erant. Qui sicut plenissimo affectu ejus et curas et gaudia prosequebantur[7]), ita pontifex quae ipsi grata evenerant nuntiare usque festinavit[8]). Simili caritatis nexu cum ecclesia Hispana conjungebatur. Et illuc identidem de causa Orientali nuntios misit (l. c. epist. 26, 88, 143), et disciplinae ecclesiasticae aliquatenus labefactae sapientissimis praeceptionibus subvenit (l. c. epist. 25, 26, 142, 143), et ut necessitatibus ejusdem melius adesset, Johannem Illicitanum die 2 Aprilis a. 517 (l. c. epist. 24) certa restrictione per totam Hispaniam, mense Aprili a. 521 Sallustium Hispalensem per Baeticam et Lusitaniam provincias (l. c. epist. 142) vicarium sedis apostolicae constituit. Denique pro Africana ecclesia, quae etiamtunc sub gravissima persecutione gemebat, illum apud Justinum imperatorem intercessisse, ex hujus responso (l. c. epist. 101) innuitur. Ubi etiam mox Trasamundo mortuo et Hilderico subsecuto fidelibus pax reddita est. — Ita quum sanctus pontifex omni ex parte bonum *certamen certasset, fidem servasset*, die VI Augusti[9]) a. 523 ad aeternae pacis et coronae gaudia vocatus est.

Epistola 1.

Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam.

a. 514 d. 28 Dec.

P. 104. *Ipsum ad concilium Heracleae propter quasdam de fide quaestiones in Scythia motas celebrandum invitat.*

Anastasius Augustus Hormisdae papae.

Omnibus negotiis divinae res praeponendae sunt: Deo etenim omnipotente propitio rempublicam et conservandam et meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quaedam de orthodoxa religione in Scythiae partibus videntur esse commotae, id specialiter clementiae nostrae placuit, ut venerabilis synodus in Heracleotana civitate provinciae Europae celebretur[1]): quatenus concordantibus animis et omni veritate discussa vera fides nostra orbi terrarum omni manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia. Quapropter sanctitas tua cum quibus sibi placuerit

---

[7]) Conf. Aviti ep. ad Horm. (l. c. ep. 21), ad Joh. Constantinopol. (ed. Sirmond. II, 41).

[8]) Conf. Horm. epist. 9, 22 et not. epist. non exst. Horm. n. VIII.

[9]) Hic dies ei assignatur in martyrologio Romano et Bedae. Consentiunt catalogi codicum Vatic. Reg. 1127 et 1997, Sessoriani LXIII et Vallicellani A. 5 ei *annos* 9 (Vatic. Reg. 1127 *annos* 8) *dies* 17 (Vat. Reg. 1997 *dies* 18) tribuentes, si hoc tempus a die obitus Symmachi computetur. Alii catalogi a Blanchino laudati ei *annos 9 dies 27* adscribunt.

1 [1]) Pacis initae cum Vitaliano, qui in gratiam catholicorum rebellaverat, una haec erat conditio secundum Cedrenum ad an. 23, Anastasium scilicet imperatorem concilium Heracleae acturum.

Digitized by Google

a. 514. reverentissimis[2]) episcopis, quos de ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis idoneos et instructos erga orthodoxam religionem esse probaverit, ad praefatam Heracleotanam civitatem intra diem Calendarum Juliarum venire dignetur. Data V Cal. Januarii Constantinopoli, Senatore v. c. consule. Accepta pridie Idus Majas, Florentio v. c. consule.

Epistola 2.

a. 515 d. 12 Jan.

Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam.

Cur pristinum silentium nunc intermittat praefatus (n. 1), Hormisdam rogat, ut p. 104
ad ea, quae in Scythia mota sunt et propter quae concilium celebrandum dixit, se mediatorem faciat.

Victor Anastasius, pius, felix, inclitus, triumphator, semper Augustus, Hormisdae sanctissimo ac religiosissimo archiepiscopo et patriarchae.

1. Beatitudini vestrae non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum atque tacendum, etiam divinae Scripturae provida est admonitione dispositum. Exactum proinde silentii tempus incitamenta nobis loquendi concessit, atque ideo opportunum esse perspeximus, quae apud nos sub religionis specie commoventur, auditui vestro committere. Ante hoc siquidem duritia[1]) eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo commissa, temperare nos a transmittendis faciebat epistolis. Nunc autem currens de vobis suavis opinio ad memoriam nostram bonitatem paternae affectionis adduxit, ut illa requiramus, quae Deus et Salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit ac maxime beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiae suae constituit.

2. His igitur praefatis initiis hortamur, ut ad ea, quae de Scythiae partibus mota sunt, unde et concilium fieri convenire perspeximus, mediatorem se apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis unitas sanctae restituatur Ecclesiae. Nobis autem omnia optata praestantur, si orationibus vestris et frequenti paginarum allocutione nostri memores fueritis. Data pridie Idus Januarii Constantinopoli, et accepta Anthemio et Florentio viris clarissimis consulibus V Cal. Aprilis per Patricium.

Epistola 3.

a. 515 d. 28 Mart.

Dorothei episcopi Thessalonicensis ad Hormisdam papam.

Gratulatur, quod apostolicam sedem regendam susceperit vir fautor et amator p. [illegible]
pacis. De ecclesiarum unitate ut gaudere valeat precatur. Addit, et omnes

[2]) Ita G[1]. Ed. *reverendissimis ep. quod.*

2 [1]) Non igitur lata excommunicationis sententia, sed *duritia* seu verius con-

Digitized by Google

ecclesias Nestorium et Eutychetem eorumque socios detestari, et se imprimis apostolicae sedis venerationi addictum esse (n. 1 et 2). Tandem ut ad se pro pace ecclesiarum scribat obtestatur. a. 515.

Sacro, beatissimo et comministro patri Hormisdae Dorotheus episcopus Thessalonicensis in Domino salutem.

1. Ait quodam loco cuncta beatissimus divinorum praeceptorum promens miracula Salomon: *Sicut aqua frigida animae sitienti suavis est, sic benignum nuntium longinquis ex terris.* Et sacer David spiritualem pulsans lyram psallit: *Quam speciosi pedes eorum, qui evangelizant bona*, sic equidem et nos cunctos docens. Quid[1]) autem sic est animae hominis suave, aut quid ita impinguat ossa, quam specioso nuntio cognoscere: verae pacis nutritorem et rectae nunquam errantes propugnatores fidei ad ecclesiarum sanctarum transire gubernacula, et tamquam ex arce quadam ad consensum Dei congregare dispersa, et continuo quidem in[2]) principatum tuae sedis festinantes; membra Ecclesiae, quae vobis Christus et Deus noster credidit venerandi patris supplicationibus annuens, contemnentia prius concordiam, ad unitatem venire, et praecedentem divisionem atque invidiam vestrae tantum ordinationis perimere calculo[3]); et nunc in concordiam atque serenitatem[4]) constare omnem terminum sanctae illius Ecclesiae? Prov. 25, 25. Rom. 10, 15.

2. Haec didicimus, non ante multa spatia temporis; sperabam[5]) autem, et antiquam consuetudinem cognoscens Ecclesiae et vestrum audiens socialem et irreprehensibilem morem, ex vestris litteris firmiora atque manifestiora cognoscere. Sed quia tempore[6]) hiemis ad haec vos implenda retentos esse consideravi, et aptum atque debitum fuit, et plenam et Dei amatricem caritatem etiam[7])

---

stantia Symmachi ac decessorum in causa fuit, cur Anastasius a litterarum consuetudine sese abstineret.

3 [1]) Ita G[1]; b c c *Quidquid autem est ita animae h. s. aut ita ... pacis nuntiatorem.*

[2]) Ita G[1]; b c c *ad princ. t. s. festinantes v. fratris supplicationibus annuentes et membra Ecclesiae quae ... credidit, contemnentia.*

[3]) G[1] a[1] *clanculo;* b c c *calculo.* Quae sequitur *ordinatio* idem sonat quod *dispositio.*

[4]) Ita G[1] a[1]; b cc *societatem confluere* (vel *conflare*). Mallem *in concordia atque serenitate constare.*

[5]) b cc *sperabamus ... cognoscentes ... audientes*, contra mss. fidem.

[6]) Ita G[1]; b cc mutarunt: *tempus ... retinuisse consideratur et aptum et debitum fuit plenam.*

[7]) Neque hic cum Baronio praeferendum putamus *etiam scabra transire;* hoc enim sibi vult, eum, qui perfecta caritate agitur, nimiam et scrupulosam in officiis diligentiam, ubi interest, missam facere, adeoque licet Hormisda utpote novissime ordinatus, secundum receptum morem prior scribere teneretur, huic tamen consuetudini se scrupulosius servire noluisse.

Digitized by Google

a. 515. scrupulosa transire: scribo atque alloquor beatum vestrae sanctitatis caput, significans collaetari nos beatae sedi sacratissimi Petri apostoli, quod tali regitur manu, quae suscepit principem[8]), non qui honorem raperet sed qui raperetur ab eo, et, sicut sermo multiplex tradit et nos ita se habere credimus, nutritorem pacis et rectae fidei certatorem, et humanitate[9]) mentis et caritate, quae circa cunctos est, tamquam pretiosis lapidibus coronatum. Etenim cuncta te volo, venerande pater, agnoscere, quod ex antiquis sanctis et venerandis patribus suscipiens illius beatae sedis affectum[10]), et hunc tamquam paternam sortem custodiens, addere hoc opto atque festino, ut veniat in hoc studio terminus utilis humanitate quidem Domini et Dei nostri Jesu Christi, intercessionibus autem in cunctis beatissimi apostoli Petri et in omnibus sapientissimi Pauli: ut venerandae eorum sedi et tuae beatitudini juste debitus honos custodiatur atque reddatur, ut nostris temporibus velut secundum principatum sedis apostolicae honorem congruentem suscipiat, et omnis discordia recedat, et ecclesiae[11]) omnium nostrum catholica voluntate, Domini etiam et Dei nostri Jesu Christi, et Nestorium et Eutychetem impios et horum servantes dogmata, et qui istorum fuere sectatores aut exstant, et omnem haeresim anathematizantium semper, et rectam atque incontaminabilem fidem inconcussam tamquam anchoram certam atque firmam tenentium, et paratorum ad pacem, nullo[12]), quod absit, impediente: praesertim venerando capite vestro, sicut didicimus, homines contentiosos horrente, quibus et vita et esca est sacerdotum Dei inter se altercantium separatio, ut[13]) non ab omnibus velociter cogniti tamquam lupi in vestimentis ovium facile ab apostolica Ecclesia repellantur.

---

[8]) b cc omiserunt *principem* i. e. pontificem (ἄρχοντα).

[9]) G[1] a[1] *humanitatem m. e. caritatem ... coronantem*, b cc *humilitate*.

[10]) a[1] *affectu;* b cc *affectum ad hanc*.

[11]) Ferri aliquatenus sensus posset, si infra legeretur *a nullo ... impediantur*. aut ex antecedentibus resumendum *honorem congruentem suscipiant*. Scilicet voces *anathematizantium, tenentium, paratorum* ad *nostrum* referendae sunt. b cc mutaverunt: *anathematizent ..., teneant ... parent jam pacem*. Nobis retinuisse codicis auctoritatem satius visum est. — Ubi simul advertendum, cavere Dorotheum a damnando Acacii nomine. Immo dum testatur ecclesias praedictas detestari eos, qui Nestorii aut Eutychetis placitis adhaereant vel adhaeserint, addendum fuerat: *vel qui his communicaverint*. In eo enim tota erat controversia, quod Acacius Eutychianae sectae fautoribus nominatimque Petro Mongo communicaverat, eamque ob causam merito fuerat excommunicatus, atque hinc summi pontifices inter veneranda mysteria reticendum illius nomen volebant, inde Orientales repugnabant.

[12]) a[1] *nulla* (etiam G[1] *nulla*) ... *capiti nostro, sicut dicimus homines contentiosos horrentes*.

[13]) b cc *qui non*. Redditur ratio, cur praedicti ament sacerdotum Dei dissensiones, ut scilicet in illa confusione facilius lateant.

Digitized by Google

3. Ista nunc scripsi beato capiti vestro[14]) per Patricium virum a. 515.
spectabilem, communem filium, et consuetudinis affectu superans rationem, et circa illam beatam sedem caritate devinctus, et omni die videre desiderans congruentem atque debitam venerationem ei servari. Scribe igitur, in cunctis beate, tamquam unanimi et optanti animam quoque offerre pro fide orthodoxa et ecclesiarum pace sanctarum, et ut custodiantur venerandae sedi in omnibus beati Petri convenientia: quod facile fiet, ordinata unitate cunctorum, et omnium ad vos tamquam ad firmum festinantium portum. Divisiones etenim et[15]) contra contemnere consueverunt, et ordini decentia non servant. Omnem fraternitatem, quae est vestrae sanctitati conjuncta, et ego et qui mecum sunt, multum in Domino salutamus. **Et alia manu:** Salvari me in Domino orate, sanctissimi et beatissimi patres! Accepta epistola Dorothei episcopi Thessalonicensis ecclesiae missa per Patricium virum sublimem die[16]) quinto Calendas Aprilis, Florentio viro clarissimo consule.

Epistola 4

seu

Responsoria[1]) Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem. a. 515 d. 4 April.

Illius pro pace ecclesiarum studium laudat. Decessorum suorum constantiam approbat (n. 1). De concilio convocando respondere differt, quoad causam ejus plenius perspectam habuerit (n. 2).

Hormisda Anastasio Augusto.

1. Gratias supernae virtuti, quae per vestrae pietatis affatus ep. 2.
diuturnum dignata est terminare silentium, tale praestans collocutionis exordium, ut et de vestrae clementiae prosperitate laetemur, et ad unitatem Deo donante reverti posse sanctam confidamus Ecclesiam. Hoc opus supernae clementiae, haec et decessorum nostrorum fuit semper oratio; quos etiam rerum actus paternae traditionis ministros et rectae fidei declarant fuisse custodes. Pax est enim totius bonitatis initium, qua nihil, quantum ad catholicae fidei cultum, validius, nihil aestimari oportet excelsius: pro hac scilicet facere et cuncta sustinere convenit, qui sanctarum Scripturarum probabilis cupit esse discipulus. Hanc omnium bonorum matrem et nutricem Christum Dominum nostrum suis constat praedicasse discipulis, dicentem: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Quam Joh. 14, 27.
vos religiosi cura propositi Domino adspirante providentes, de orthodoxae concordia cogitatis Ecclesiae in beati apostoli Petri reverentia,

[14]) a[1] *nostro.*
[15]) b cc omiserunt *et.*
[16]) Ita G[1] b cc. a[1] *data.* Antea ed. *v. c.*
4 [1]) Qua scilicet respondet ad superiorem epistolam 2.

Digitized by Google

a. 515. divina specialiter praecepta servantes. Quae res majorem superni favoris defensionem vestro procurat imperio. Recte enim oblata Deo veneratio inexpugnabilem devotis mentibus murum defensionis indulget. Proinde omnipotentem Deum fusis precibus exoramus, ut qui vobis studium quaerendae ecclesiarum pacis indulsit, ipse quoque sub[2]) consecratione catholicae fidei desiderio vestro super hac parte praestet effectum.

2. Praeterea directis ad nos sacris affatibus commemorationem sancti concilii facere pietas vestra dignata est. De qua re tunc plenissimum poterimus praebere responsum, quum causam congregationis nos voluerit evidenter agnoscere. Nunc vero quia praestante Domino nostro data est facultas alloquio, congrua veneratione debiti praebebimus sermonis officia. Data pridie Nonas Aprilis, Florentio viro clarissimo consule. **Per**[3]) **Patricium.**

Epistola 5.

(a. 515 d. 4 April.) **Hormisdae papae ad Dorotheum Thessalonicensem episcopum.**

Litteris Dorothei quum deprehendisset, eum ita pacis esse studiosum, ut tamen humanis adhuc rationibus duceretur, eum hortatur, ut omni timore ac vano studio abjecto avitam fidem integram servare laboret.

Dilectissimo fratri Dorotheo episcopo Hormisda[1]) episcopus.

1. Ubi caritatis interest servare praecepta, etiamsi aliquid tale eveniat quod cujuslibet possit animos commovere, tamen ut ea quae[2]) concordiae conversatione praediximus debeant custodiri, oportet aequanimiter praetermitti, quia utique si quid ignorantia tale proveniat, excusationem potest de ipsa simplicitate recipere. Suam Deus noster Ecclesiam propria ordinatione constituit, et[3]) quod divinis praeceptis noscitur esse dispositum, nullatenus poterit praeteriri, cujus notitiam vel scientiam te non convenit[4]) ignorare. In faciendo

---

[2]) Ita G[1] a[1]. b cc emendarunt *sub conservatione*, et consentit quod ad calcem epistolae sequentis subjicitur: *hoc quod a patribus nostris accepimus conservantes.*

[3]) Ita G[1] antiqua manu ad marg. addit; editi omittunt.

[1]) Respondet epistolae 3, quam ut miserat Dorotheus una cum epistola 2 imperatoris, ita et eodem tempore, quo imperator, responsionem meruit. Data igitur fuit d. 4. Aprilis an. 515.

[2]) Magis placeret *quae de concordiae conservatione.* Mox post *oportet aequanimiter praetermitti*, subintellige *scrupulum illum*, quo timeret alicujus animos commovere. *Oportet* enim, ut apertius epist. 9 n. 3 idem papa docet, *ubi interest fidei, quidquid ad gratiam hujus saeculi pertinet respuatur.*

[3]) In vulgatis *ut quod;* orationis series postulat *et quod.* Et frequens quidem in veteribus libris mutatio particulae *et* in *ut*, et vicissim.

[4]) G[1] a[1] *cognovit ... laudantur* (G[1] *laudamus*).

Digitized by Google

namque bona laudamur, et tunc verborum cultus ornatur, quando (a. 515.)
sibi convenientia rite conjungit.

2. Litteras siquidem per Patricium filium nostrum spectabilem virum tuae suscepimus caritatis, in quibus speramus[5]) opus plenum et probabile reperire, ut nihil esset quod ab integritate unitatis secerneret. Sed quia in his ipsis hunc promittis affectum, qui nos ad hoc quod praediximus possit specialiter provocare, Domino nostro preces effundimus, ut ipse cujus et causa tractatur, abstersis vel amputatis universis scandalis ex[6]) Ecclesia sua, sub uno consensu et parili faciat fide connexos: nec in sacerdotibus suis quidquam reperiri patiatur, quod[7]) cujuslibet aut odiis propriis aut inanibus intentionibus, aut hominibus in injuriam Dei, quod nefas est, velle placere, et non magis universa secundum beatum apostolum saecularia contemnentem a spe non possit exorbitare futura. Hortor propter commune remedium, invito pro salute fidelium, propter generalem suadeo medicinam. Quis namque contentus est hos videre divisos, quorum potest unitate gloriari? Unde opus est labore communi, ut hoc, quod a patribus nostris accepimus, conservantes secure[8]) in illo possimus divino adstare judicio.

Epistola 6.

Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem.

a. 515 d. 8 Juli.

Fidei studium reipublicae proficere repetit. Ut imperatoris sollicitudini pro Ecclesiae concordia Deus praestet effectum supplicat. In concilio quid fieri oporteat, legatis proxime secuturis se in mandatis dedisse nuntiat.

Hormisda Anastasio[1]) Augusto. **Per Severianum.**

Bene clementia vestra confidit, sicut datis ad me gloriosis designavit affatibus, quod reipublicae vestrae specialiter proficiat, si ep. 1.
negotiis omnibus orthodoxae fidei causa praeponatur. Haec est enim,

---

[5]) Omnino legendum videtur *sperabamus*. Tacite enim notat se aliquid aliud ab eo, quam quod litteris suis significaverat, desiderare. In his quippe de Calchedonensi concilio, de Acacii nomine, de iis qui cum damnatis communicaverant, altum est silentium.

[6]) In vulgatis *et Ecclesia*. In plerisque autem veteribus libris voculae *et* atque *ex* ita pinguntur, ut utra praeferenda sit, ex sola orationis serie dijudicetur. Haec porro hio postulat *ex Ecclesia*.

[7]) Integra in hunc modum fiet oratio: *quo cujuslibet aut odiis propriis aut inanibus intentionibus hominibus in injuriam Dei, quod nefas est, velint placere, et non magis ... saecularia contemnentes a spe non possint*. Multos, dum imperatori placere cupiebant aut timebant displicere, in schismate perseverare non ignorabat Hormisda, ideoque huic malo studet occurrere.

[8]) Ed. *secunde nisi;* G[1] *secunde his*, voce *his* post. manu cancellata. Unde indubie *secure* mutavimus.

6 [1]) Respondet superiori epistolae 1, quae quamvis prior missa, serius tamen Hormisdae reddita est. G[1] ad marg. addit *per Severianum*.

Digitized by Google

a. 515. venerabilis imperator, de suscepto moderamine rectoris cura salubrior, ut ejus sibi favorem per opera bona conciliet, qui universum et tribuet[2]) et reget imperium. Proinde me quoque et domino nostro Jesu Christo convenit supplicare, ut qui de Ecclesiae suae concordia vestram pietatem cogitare voluit, hunc super hac parte concedere dignetur effectum: quatenus temporibus vestris orthodoxa fide praeditus universus terrarum orbis exsultet. De his vero, quae pro synodali congregatione praecepistis, quid fieri oporteat, per fratres et coepiscopos meos, qui propere subsequentur, gloriae vestrae insinuanda mandavi: quorum suggestione, si divinus favor mea vota prosequitur, competentius poteritis universa cognoscere. Data VIII Idus Julii Florentio consule.

Epistola 7

seu

(a. 515 d. 11 Aug.) **Indiculus, qui datus est Ennodio et Fortunato episcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono, et Hilaro notario.**

Quomodo in legatione sua ad Anastasium imperatorem se gerere, quid de singulis causis respondere debeant, praescribit. p 194

1. Cum Dei adjutorio et orationibus apostolorum venientes in partes Graeciarum, si episcopi voluerint occurrere, in qua decet, eos veneratione suscipite. Et si voluerint secessionem[1]) parare, nolite spernere, ne judicetur a laicis nullam vos cum ipsis habere velle concordiam. Si vero vos ad convivium rogare voluerint, blanda excusatione eos declinate, dicentes: *Orate, ut primum mysticam illam mensam mereamur habere communem, et tunc erit nobis ista jucundior.* Victualia vero vel si qua alia offerre voluerint, excepta tamen subvectione, si causa poposcit, nolite suscipere: sed taliter excusate, nihil deesse dicentes, sperantes etiam, ut animos suos vobis accommodent, ubi sunt et dona et divitiae et caritas et unitas et quidquid ad gaudium religiosum certum est pertinere[2]).

2. Cum ista ordinatione Deo propitio Constantinopolim pervenientes, ibi secedite, ubi ordinaverit clementissimus imperator; et antequam ipsum videatis, nulli detis ad vos veniendi licentiam, praeter quos pietas ejus miserit. Postea tamen quam principem videritis,

---

[2]) Ed. *tribuit et regit.*

7 [1]) G[1] a[1] *successionem,* retinemus cum b cc *secessionem.* Qua voce hospitium intelligi discimus ex subnexis initio num. 2: *Ibi secedite, ubi ordinaverit clementissimus imperator.* Non displiceret tamen *subvectionem.* Nam et hanc suscipere Hormisda infra permittit. Qua de re rursum epist. 49 n. 1 mentem suam aperit his verbis: *Neque ab his victualia praesumatis accipere, nisi subvectionem, si causa poposcerit, et hospitalitatem.*

[2]) G[1] *retinere,* et deinde *succedite.*

Digitized by Google

si qui orthodoxi et nostrae communionis aut habentes zelum unitatis (a. 515.) vos videre voluerint, eos sub omni cautela suscipite; per quos forte et quod agitur deprehendere poteritis. Praesentati itaque imperatori litteras porrigite cum tali allocutione: *Salutat vos pater vester, Deum quotidie rogans, et confessionibus*[3]) *sanctorum apostolorum Petri et Pauli vestrum regnum commendans, ut Deus, qui vobis tale desiderium dedit, ut pro causa Ecclesiae mitti et consulere beatitudinem ipsius elegeritis, ipse et perfectionem bonae tribuat voluntatis.*

3. Et si voluerit, antequam chartas suscipiat, ordinem legationis agnoscere, his verbis utimini: *Jubete scripta suscipere.* Si dixerit: *Quid habent chartae?* respondetis[4]): *Salutes ad pietatem vestram continent, et Deo gratias agunt, quia vos sollicitos de unitate cognoscit Ecclesiae: legite, et agnoscetis.* Et nullius causae mentionem penitus faciatis, nisi prius acceptae litterae relegantur. Et post susceptas litteras et relectas adjicitis: *Nam et ad Vitalianum famulum vestrum misit litteras, qui*[5]) *accepta a pietate vestra, sicut ipse scripsit, licentia suos ad patrem vestrum sanctum papam homines destinavit. Sed quia justum erat, ut prius ad clementiam vestram dirigeret, hoc fecit, ut vobis jubentibus atque ordinantibus ad eum scripta, quae detulimus, Deo propitio perferamus.* Si imperator petierit epistolas a nobis ad Vitalianum directas, sic respondendum est: *Non hoc nobis pater vester sanctus papa praecepit, nec sine jussione ipsius aliquid possumus facere; tamen ut sciatis simplicitatem litterarum, quia nihil aliud habent nisi preces ad pietatem vestram directas, ut accommodetis animum vestrum pro unitate Ecclesiae: jungite nobiscum personam, qua praesente traditae a nobis litterae relegantur.* Si vero dixerit imperator eas se debere legere, respondes[6]): *jam te suggessisse, jussum tibi non fuisse a sancto papa.* Si dixerit: *Hoc tantum est, quod in litteris continetur? possunt enim et mandatis alia nuntiari;* tunc respondes: *Absit a conscientia nostra! Nobis non est talis consuetudo: nos pro Dei causa venimus, et in Deum commissuri sumus? Simplex est sancti papae legatio, et omnibus nota ipsa ejus petitio, ipsae preces: ut constituta*

---

[3]) Ita G[1]; b cc *intercessionibus*. Porro *confessionibus* designari solent apostolorum tumuli; adeoque preces ad apostolorum Petri et Pauli tumulos fusae hic commemorantur.

[4]) b cc *respondete ... adjicite*, ac sic subinde verba similia pro arbitrio mutant. — Mox ed. *quod vos ... cognoscunt;* deinde G[1] *legitis agnoscitis.*

[5]) G[1] a[1] *quia accepta*, littera *a* errore librariis familiari perperam geminata. Anastasius, ut Theophanes pag. 137 et 138 narrat (ed. Bonn. 247 sq.), a Vitaliano pacem impetravit ea conditione, ut concilium, quo accederet Romanus antistes, celebraretur: tuncque eidem duci sacram, qua Hormisda ad synodum Heracleae habendam vocaretur, dare compulsus est.

[6]) b cc *Respondebitis, jam vos suggessisse*, omisso deinde *tibi;* et infra *tum respondebitis* et omitt. *talis.*

Digitized by Google

(a. 515.) *patrum non corrumpantur, ut haeretici de ecclesiis removeantur; praeter ista legatio nostra nihil continet.*

4. Si dixerit: *Inde et ad synodum invitavi sanctum papam, ut si quid est ambiguum, tolleretur de medio;* respondendum est: *Agimus Deo gratias et pietati vestrae, quia hunc vos affectum et animum habere cognoscimus, ut ea quae a patribus constituta sunt generalitas servet: quia tunc vera et sancta unitas potest esse inter ecclesias Christi, si vos*[7]*) Deo adjuvante hoc, quod decessores vestri Marcianus et Leo custodierunt, elegeritis esse servandum.* Si ille dixerit: *Et quae sunt ista, quae dicis?* respondes: *Ut synodus Calchedonensis et epistolae sancti Leonis papae, quae scriptae sunt contra haereticos Nestorium et Eutychetem et Dioscorum, nullatenus corrumpantur.* Si dixerit: *Nos synodum Calchedonensem et epistolas papae Leonis et recepimus et tenemus;* vos mox gratias agite et pectus ejus osculamini dicentes: *Modo cognovimus Deum nobis esse propitium, quando facere talia festinatis; quia ista est fides catholica, ista est, quam praedicaverunt apostoli, sine qua nullus potest esse orthodoxus: ista debet sacerdotum generalitas tenere et praedicando servare.* Si dixerit: *Orthodoxi sunt episcopi, de constitutis patrum non recedunt;* respondes: *Ergo si constituta patrum servantur, et in nullo corrumpitur, quod in sancta Calchedonensi synodo firmatum est; quae causa est, tantum inter ecclesias partium istarum esse discordiae? Vel quae causa facit, in uno Orientis episcopos non consentire*[8]*)?* Si dixerit: *Quieti erant episcopi, nulla inter ipsos discordia versabatur: decessor sancti papae animos eorum missis litteris excitavit et ad confusionem sollicitando*[9]*) perduxit;* respondendum: *Litteras, quas sanctae memoriae papa Symmachus destinavit, prae manibus habemus; si extra haec quae pietas vestra dixit, hoc est: „Calchedonense concilium sequor, epistolas papae Leonis admitto", aliud*[10]*) quidquam continent nisi exhortationem ut ista serventur; verum est, quia per ipsum est generata confusio! At si hoc continetur in litteris, quod et pater vester sperat et pietas vestra consentit, quid*[11]*) ille fecit, quid in eo videatur esse culpabile?* His adjicite preces et lacrymas rogantes: *Domine imperator, considerate Deum, ponite ante oculos vestros futurum ejus judicium. Sancti patres, qui ista constituerunt, beati apostoli Petri fidem secuti sunt, per quam aedificata est Ecclesia Christi.*

---

[7]) Ed. omitt. *vos* et *Et;* moxque *dicitis? respondete ... Deum esse vobis propitium ... istam debet.*

[8]) G[1] *sentinere*, unde a[1] *sentire*. Mallemus antea *in unum.*

[9]) b cc *excitandam* et omitt. *papae*. Symmachi epistolam 13 hic memorari prope indubitatum est.

[10]) b cc *aliud nequidquam continent nisi exhortationem ut ista serventur, quomodo verum est etc.* praeter mentem archetypi et Hormisdae: utpote qui Symmachum, si scripta ejus aliquid praeter praedicta continent, confusionis auctorem constitisse sic largitur, ut aliud quidquam in eis contineri deinde neget.

[11]) b cc *quid ille fecit? quid enim in eo;* moxque omitt. *Petri.*

Digitized by Google

Si imperator dixerit: *Quod me vultis per*[12]) *secutionem facere,* (a. 515.) *habeo: ecce mihi communicate, qui synodum Calchedonensem recipio et epistolas papae Leonis amplector; nunc communicate mihi!* respondendum est: *Quo ordine pietas vestra communicari sibi desiderat? Nec nos praedicantem ista pietatem vestram vitamus, quod scimus Deum timere, et gaudemus, quia gratum vobis*[13]) *est patrum constituta servare. Fiducialiter ergo rogamus, ut per vos in unitatem revertatur Ecclesia. Sciant omnes episcopi voluntatem vestram, et quia synodum Calchedonensem et epistolas papae Leonis servatis vel sedis apostolicae constituta.* Si dixerit: *Quo ordine facienda sunt haec, se debere cognoscere;* iterum preces adhibete, cum humilitate dicentes: *Pater vester scripsit episcopis generaliter, jungite his litteris sacras vestras, significantes hoc vos vindicare*[14]), *quod et sedes apostolica praedicat: ut tunc qui sunt orthodoxi, de unitate sedis apostolicae minime separentur, et qui his sunt contrarii cognoscantur. Quibus ordinatis, paratus est pater vester etiam, si opus fuerit, suam accommodare praesentiam, et quidquid expedit, servatis patrum constitutis pro integritate Ecclesiae non negare.*

5. Si dixerit imperator: *Bene ista, suscipite iterum*[15]) *nostrae civitatis episcopum!* iterum preces adjungite, humiliter dicentes: *Domine imperator, pacem venimus cum Dei adjutorio vobis adnitentibus et praestantibus facere, et intentionem sopire in civitate vestra. De duabus est personis intentio: ista causa proprium cursum habet. Generalitas episcoporum primitus ordinetur, fiat una communio catholica: et sequenti loco de istis, vel si qui sunt alii extra ecclesias suas, tunc diligentius potest causa cognosci.* Si dixerit imperator: *De Macedonio dicitis, intelligo subtilitatem vestram: haereticus est, nulla ratione revocari potest;* respondes: *Nos, domine imperator, nullum personaliter indicamus. Et si pietas vestra considerat, magis pro anima vestra et opinione loquimur, ut sit discussio, et si haereticus est, judicio cognoscatur, et*[16]) *non sub opinione orthodoxi injuste dicatur oppressus.*

---

[12]) G[1] a[1] *quid me vultis persecutionem facere ab eo*, b c c *per locutionem* (al. *prosecutionem*, *per solutionem*) *facere habete.* Nostra lectio ab archetypo vix recedit.

[13]) G[1] a[1] *nobis*, moxque *se debere cognoscere*, ubi b c c *ostendere oportere*, et paulo antea *vel apostolica constituta.*

[14]) a[1] *judicare.* Lectionem *vindicare* subjecta inferius n. 9 Hormisdae verba confirmant. Mox in vulgatis *et tunc*, ubi restituendum curavimus *ut tunc.*

[15]) b c c *interim ... jungite ... contentionem.* Proprium autem est Hormisdae sicut Gelasii vocabulum *intentio*, quod litigium et controversiam apud eum sonat. Controversia illa inter Macedonium, quem Anastasius regiae urbis sede expulerat, et Timotheum, quem idem imperator in ejus locum suffici curaverat, intercedebat.

[16]) b c c *et.* Hoc autem sibi vult totus ille locus: *Pro anima vestra et opinione loquimur*, seu, *animae opinioni ac famae vestrae consulimus, quum petimus, ut sit discussio, qua discussione utrum haereticus sit cognoscatur, ac non jam sub ea*

Digitized by Google

(a. 515.) Si dixerit imperator: *Quid vultis, modo dicite: de synodo Calchedonensi dicetis et de epistolis papae Leonis? Ecce qui*[17]) *est civitatis episcopus, ad ista consentit!* respondendum est: *Si ista custodit, in examinatione causae eum juvare plus poterunt; et quia servo vestro Vitaliano magistro militum talem dedistis licentiam, ut, si speraret a beatissimo papa, ut pro causis talibus, apud eum discussionem*[18]) *causae, his personis, quibus de loco potest esse intentio, integra universa serventur.* Si imperator dixerit: *Sine episcopo debet*[19]) *esse civitas mea? Hoc vobis placet, ut ubi ego maneo, episcopus non sit?* respondendum: *Praediximus, duarum personarum intentionem esse in ista civitate. Quod ad canones pertinet, jam ante suggessimus: canones solvere, in religionem committere est. Multa sunt remedia, multa inventa, per quae pietas vestra sine communione esse non possit, et integer judiciorum forma servetur.* Si dixerit: *Quae sunt ista remedia?* respondes: *Non a nobis noviter inchoata*[20]*): suspensa causa de aliis episcopis, persona, quae consentit confessioni pietatis vestrae et constitutis sedis apostolicae,*

---

opinione, qua orthodoxus vulgo creditur, dicatur injuste oppressus. Quae illae sint causae, ob quas Anastasius Macedonium expelli jusserit, explicant Evagrius III, 32 et 44 et Theodorus lector lib. 2 (edit. Vales. p. 562). Quod autem Anastasius epist. 1 scribit, se propter *dubitationes quasdam, quae de orthodoxa religione in Scythiae partibus videntur esse commotae*, concilium convocandum duxisse, nonnihil confirmat opinionem Evagrii l. c. III, 44. Ibi enim ob hanc causam praeter alias Macedonium expulsum putat, quod quum imperator in hymno Trisagio has voces adjicere voluisset *Qui crucifixus es pro nobis*, gravissima seditio exorta est, cujus auctor ac princeps Macedonius habebatur. Quippe propter hoc unum additamentum dubitationes commotas fuisse inferius manifestum fiet.

[17]) b cc *ecce qui ille est istius civitatis ... si ita custodit.* — Episcopus iste est Timotheus, qui Theodoro lectore lib. 2 teste quum perrexisset ad monasterium Studitarum, ut illic praefectum ordinaret, et ille negaret se ab eo ordinationem suscipere posse, qui Calchedonensem synodum anathemate damnaret, tunc dixit ei: *Anathema sit omnibus, qui aversantur aut anathematizant synodum Calchedonensem!* Moxque propter hanc professionem ab imperatore accersitus et correptus, dictum negavit reclamans: *Anathema omnibus, qui synodum Calchedonensem suscipiunt!* Ita ille ad horam fidem mutabat, et pro tempore paratus erat Calchedonensem synodum vel suscipere vel damnare.

[18]) b cc *discussione.* Post verba *ut pro causis talibus* subintelligi commode potest *per canones fieri debet.* Vide concilium Sardicense can. 5.

[19]) G[1] a[1] *habet*, quod cum b cc correximus. Mox b cc *irreligionem.*

[20]) b cc *inventa.* Novissimum ea de re erat et insigne exemplum visitatoris in Urbem missi, donec Symmachi et Laurentii de sede Romana contendentium controversiae finis impositus fuit. Antiquius erat exemplum, quod Fortunius Donatista apud Augustinum epist. 44 n. 8 narrabat, scilicet *in ipsa schismatis novitate majores suos quum cogitarent culpam Caecilliani, ne schisma fieret, quoque modo velle sopire, dedisse quemdam interventorem populo suae communionis apud Carthaginem constituto.* Interventor autem seu visitator dicebatur, qui ecclesiam regebat episcopo destitutam vel cujus episcopus ab officio summotus fuerat. Hujusmodi interventorum meminit Codex Afric. eccl. c. 74.

Digitized by Google

interim usque ad eventum cognitionis teneat locum Constantinopolitani (a. 515.) *sacerdotis.*

6. Si cum Dei adjutorio episcopi voluerint se accommodare sedi apostolicae, habetis textum libelli ex[21]) scrinio ecclesiae editum, juxta quem debeant profiteri. Si tamen contra alios episcopos catholicis fuerint datae petitiones, magnopere contra illos, qui sine verecundia Calchedonensem synodum anathematizant et epistolas non recipiunt sancti Leonis papae, petitiones suscipite, causa[22]) tamen in sedis apostolicae reservata judicio: ut et spem de audientia detis, et tamen vobis debita reservetur auctoritas. Si tamen imperator serenissimus totum se promiserit esse facturum, tantum ut nostram praesentiam accommodemus, modis omnibus prius cum[23]) sacra ipsius per episcopos vel epistolam nostram, uno de vestris perferente, per provincias una cum personis, quas imperator deputaverit, destinate: ut sic eum servare Calchedonense concilium et epistolas sancti Leonis papae omnibus innotescat. Quibus ita procedentibus, ad nos in Christi signo, ut adventum procuremus, scripta dirigite.

7. Praeterea est consuetudo[24]), per episcopum Constantinopolitanum omnes imperatori episcopos praesentari. Si hoc illorum callidus tractatus invenerit, volentium[25]) formam legationis agnoscere, ut cum Timotheo, qui modo videtur Constantinopolitanam gubernare ecclesiam, imperatorem videatis; sic facite: ut si ante agnoveritis quam ad imperatorem ingrediamini, ista disponi per aliquos, necdum praesentati dicite[26]): *Mandata talia nobis dedit et praecepta pater pietatis vestrae, ut sine aliquo episcoporum vestram clementiam videamus.* Ergo agite, donec se ab hac consuetudine ipse removerit. Quod si omnino noluerit, aut si captiose contigerit ut ante imperatorem inopinate Timotheum videatis, ita suggerite: *Praecipiat pietas vestra nobis dare secretum, ut causas, pro quibus missi sumus, exponamus.* Si dixerit: *Dicite ecce ante ipsum!* respondetis: *Non injuriam facimus, sed quod ad causas pertinet, intimamus: etiam et ipsius continet legatio nostra personam, et suggestionibus nostris praesens esse non*

---

[21]) b cc *in scriniis,* moxque *catholicos.* Illud *catholicis* idem sonat quod *a catholicis* vel *pro catholicis.* Infra n. 8, IV idem repetitur: *adversus episcopos, qui persecuti sunt catholicos.*

[22]) b cc *causam ... reservate ... nobis.*

[23]) G[1] *cum sacra ipsius p. e. vel per epistolam nostram uno de vestris perferendo vel provincias.* b cc mutarunt: *sacram i. p. e. et per epistolam vestram uno de v. perferente, per provincias.* Nostra lectio vix ab archetypo recedit.

[24]) Consuetudinem hanc Justinianus imperator firmavit, Nov. 123 c. 9 praecipiens: *episcopi in regiam civitatem, sicut dictum est, venientes, cujuslibet fuerint dioecesis, prae omnibus beatissimum archiepiscopum Constantinopoleos et patriarcham adeant, et ita per eum ad nostram ingrediantur tranquillitatem.* Vide et Novell. 6 c. 3.

[25]) a[1] *volentem.*

[26]) Grammaticae regulae postularent *dicatis.* Mox G[1] omitt. *exponamus.*

Digitized by Google

(a. 515.) *potest.* Et nulla ratione eo praesente aliquid allegetis, sed egresso ordinem[27]) delegationis exserite.

8. Item Capitula singularum causarum.

I. Ut sancta synodus Calchedonensis et epistolae sancti Leonis papae serventur. Ad[28]) quae clementissimus imperator consentiens, debet pietatis suae sacra generalia ad universos episcopos destinare, in quibus significet supradicta se et credere et vindicare.

II. Consentientes etiam episcopi in ecclesia praesente plebe Christiana haec praedicare debent[29]): amplecti se sanctam fidem Calchedonensem et epistolas sanctissimi Leonis papae, quas scripsit contra haereticos Nestorium et Eutychetem et Dioscorum sed et contra sequaces eorum, Timotheum Aelurum, Petrum, vel contra eos, qui in ipsa causa tenentur obnoxii, simul etiam et Acacium, qui quondam Constantinopolitanae ecclesiae fuit episcopus, sed et Petrum etiam Antiochenum anathematizantes cum sociis eorum. Haec manu propria praesentibus electis venerabilibus viris scribentes, faciant secundum textum libelli, quem per notarios[30]) nostros edidimus.

III. In exsilium deportatos pro causa ecclesiastica ad audientiam sedis apostolicae revocandos, ut judicium et vera examinatio de his possit haberi: ita ut causa eorum inquisitioni integra reservetur. Si qui vero sanctae sedi apostolicae communicantes, catholicam fidem praedicantes atque sequentes, fugati sunt vel in exsilio detinentur, hos justum est ante omnia revocari.

IV. Praetereaque[31]) legatis inter reliqua injunximus, ut si contigerit libellos porrigi adversus eos episcopos, qui persecuti sunt catholicos, de his judicium sedi apostolicae reservetur, ut circa eos venerandorum patrum possint constituta servari, per quae aedificatio generalitati proveniat[32]).

9. Exemplum libelli per Ennodium et Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium.

I. Prima salus est, regulam rectae fidei custodire, et a constitutis

---

[27]) Ita G[1] et consentiunt quae supra n. 3; b c c *delegationis textum.*

[28]) G[1] a[1] *atque*, b c c *utque ... debeat.* Restituendum esse *ad quae* non negabit, qui in veterum codicum lectione peregrinus non est, maxime si recoluerit illud *consentire ad aliquid* stili esse Hormisdae, quippe qui jam dixit num. 5: *Ecce qui est civitatis episcopus ad ista consentit.*

[29]) b c c *debeant.* In sequentibus eae censendae sunt notari epistolae a Leone post mortem Proterii, cujus Timotheus et Petrus auctores exstiterunt, in gratiam Alexandrinae ecclesiae et Calchedonensis synodi conscriptae, puta 145 seqq.

[30]) Ita G[1] a[1]; b c c *notarium nostrum ... inquisitione integre.*

[31]) a[1] b c c *Praeterea quae*, quod corrigendum duximus. Ea hic Hormisda, quae legatis superius n. 6 praecipit, commemorat.

[32]) Hic statim adjungitur in nostro Avellano fol. 70[b] *Exemplum libelli per Ennodium etc.*: Quare idem statim hic subjicere libuit.

Digitized by Google

patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*[33]); haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper catholica servata religio. De hac ergo spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatum in concilio Ephesino a Coelestino papa urbis Romae et a sancto Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite. Una cum isto[34]) anathematizantes Eutychen et Dioscorum Alexandrinum, in sancta synodo, quam sequimur et amplectimur, Calchedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Aelurum cognomento, et discipulum quoque ipsius atque sequacem vel Petrum vel Acacium, qui in eorum communionis societate permanserint; quia quorum se communioni miscuit, ipsorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum sequacibus suis et omnium suprascriptorum. (a. 515.) Matth. 16, 18.

II. Quapropter suscipimus et probamus[35]) epistolas beati Leonis papae universas, quas de religione Christiana conscripsit. Unde, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax Christianae religionis soliditas. Promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est, non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdae, sancto et venerabili papae urbis Romae, obtuli die XV Calendas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 8.

Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem.

a. 515 d. 11 Aug.

Qua conditione, etiamsi nullo praecedente exemplo, ad concilium convenire paratus sit, pluribus exponit.

Hormisda[1]) Anastasio Augusto. **Per Ennodium et Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarionem abbatem.**

1. Bene atque utiliter serenitas vestra curam principalis acu-

---

[33]) Ed. add. *etc.*, moxque *semper servata religio ... Ab hac ergo ... omnes haereticos ... damnatus.*

[34]) Ed. *ipso ... quoque ejus atque sequacem Petrum ... permansit ... illorum similem.*

[35]) Ed. *approbamus omnes epistolas Leonis ... Promittens ... obtuli. Data XV Cal.*

8 [1]) b cc *Hormisda episcopus.* G[2] ad marg. *Per Ennodium et Fortunatum eppos Venantium prbrum Vitalem diaconum et Hilarionem abbatem.*

Digitized by Google

a. 515. minis non tantum in administrando reipublicae exercet officio, sed melioribus eam mobilitat institutis, et[2]) per curam redintegrandae unitatis auctorem venerandi placat imperii. Certi sunt enim de tutela regnantes, si nulla iisdem praesidentibus Ecclesiae castitas importuna diaboli commixtione maculetur. Unde enim potest fieri, ut nitidas pro principibus ad Deum nostrum preces dirigat, si sit lethaliter populus perfidia corruptus? Nam sicut ante bona omnia
Sap. 7,8. est perfecta juxta Deum in imperatoribus sapientia, ita de sacrario mundorum pectorum pro his supplicatio debet et fideli animarum ubertate procedere. Nulla vobis, sublimissime domine, triumphorum materia poterit esse jucundior, quam de subjugatione perfidiae.

2. Hoc etiam fiducialiter et pro commissi nobis officii praerogativa suggerimus, quia prope est, ut suum splendorem aliena patiatur nube fuscari, qui quum Deo tribuente amovere possit, in subditis tenebras manere permittit errorum. Ergo quia mansuetudo vestra futuram synodum scriptis sacratissimis indicavit[3]), cui nos interesse debere iisdem paginis Deo, ut credimus, sibi imperante commonuit, gaudemus, scientes, quoniam directarum mentium est, venerabilis Ecclesiae magistros expetere. Soli enim declinant examen conscientiae, quae[4]) recta sunt, non tenentes. Nam et feriato ore splendorem bonae voluntatis enuntiat, qui per apostolicam immaculatamque fidem et per competentes praedicatores aut confirmari se optat aut corrigi. Verumtamen licet in his nullum saeculi praecedentis exsistat exemplum[5]), neque senioris facti qualitas aut commissa libris aut memoriis inserta teneatur; nihil ad nos, quibus dulce est, beneficio Dei pietate vestra invitante inchoare meliora, et hoc, quod non accepimus a parentibus[6]), tam clari operis institutum nobis ipsis imponere: quia totum pro redintegratione fidei et ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur, si tamen majorum nostrorum definitio et sanctorum patrum in suis radicibus inconcussa permaneat, si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, qui evacuans divinae sacramenta naturae, beatam virginem Mariam nudi

---

[2]) G[1] a[1] omitt. *et;* mox a[1] *placeat.* Deinde b cc *regnante ... si ulla.*

[3]) b cc *indixit.* Mox G[1] *directurum ... declamant.*

[4]) a[1] b cc *qui vitae sunt non continentes* (c[7] *continentis*). Ex G[1], in quo legitur *quae vita sunt non tenentes*, restituendum duximus *quae recta sunt non tenentes.*

[5]) Silvester a Constantino ad Arelatense vocatus concilium, legatos suos eo mittere satis habuerat. Sardicense concilium in epistola ad Julium excusatum habet hunc papam, quod a synodo aberat. Leo a Theodosio ad concilium invitatus epist. 31 n. 4 rescribit: *Quod pietas ipsius etiam me credidit debere interesse concilio, etiamsi secundum aliquod praecedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri.*

[6]) G[1] *apparentibus ... fidei ecclesiarum.* Ibidem post *totum* forte supplendum *quod potest.*

Digitized by Google

hominis mentitur esse genitricem, oblitus angelicae annuntiationis, a. 515.
per quam mundo innotuit, quia quod ex ea nasceretur, vocandum Luc. 1,35.
esset sanctum, Filius Dei. Facessat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia: quoniam sic est in utero virginis operata Divinitas, ut ex ea unita[7]) sibi procederet carnis animaeque humanae indiscreta quidem sed non confusa connexione substantia; et sic in utrisque naturis pro nostrae redemptionis dilectione Christi Jesu Domini nostri persona una est, aedificante mysterio .....[8]) restitutione mortem subire potuisset .... naturae fragilitatem coelestis imperii valuerit virtute reparare, vel ita pro unitate personae et Dominus majestatis crucifixus et Filius hominis credatur descendisse de coelo. Eutychetis quoque ignorantia ....[9]) bonorum omnium et ipso cum sociis detestanda jam nomine abdicetur hebetudo, qui Deum et Dominum nostrum Jesum Christum figuram tantum carnis habuisse testatus est, et nostrae veritatem non habuisse substantiae, nesciens, de quo promissum sit, quia *videbunt persecutores ejus, in quem pugnaverunt.* Ita enim in una eademque persona persistit utraque natura, ut Deus atque homo unus Dei Filius Jesus Christus fidelium cordibus apparescat. Quid enim quadraginta dierum post resurrectionem Domini cum hominibus conviventis et convescentis egit praesentia, nisi in istis negotiis illorum, qui veritatem carnis ejus negaturi erant, seniorem faceret aetatem curationis esse[10]) quam vulneris? Sic enim dixit ad discipulos: *Quid cogitatis in cordibus vestris? Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Neque fuisset mysterium, quod ostiis ad eos clausis ingressus est, si integritatem humani corporis non habebat. Possumus ex hoc dono verbi praecedentem longius proferre sermonem, sed satis

Joh. 19,37. Zach. 12,10.

Luc. 24, 38 et 39.

---

[7]) Hactenus obtinuerat *unitas ibi procederet*, vitio librariorum, qui voces olim ab antiquariis indiscretas recte separare nescierant. Legendum fuerat *unita sibi*, scilicet *Divinitati*. Mox in vulgatis *increata quidem, sed non confusa connexione substantiae et si*. Ex G[1] revocamus *substantia et sic:* antea vero pro *increata* de nostro restituere nobis licere censuimus *indiscreta*, hoc est, *indivisa*. Ita hac una sententia Eutychetis et Nestorii oppositae haereses simul perimuntur.

[8]) Hic in G[1] unius, et mox dimidiae lineae spatium vacuum relictum. Lacunam eam supplendi copia nobis defuit. Tantum observamus, haec ad imitationem dicta esse verborum Leonis epist. 28 ad Flavianum c. 5: *Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam et filius hominis legitur descendisse de coelo ... et rursus filius Dei crucifixus dicitur.*

[9]) G[1] *ignor ... bonorum.* Spatiolum vacuum Baronius addito vocabulo *divinorum* implevit. Ejus loco *expers* magis placeret. Mox ed. *detestando ... apparet.*

[10]) Supple *potius:* quae particula etiam infra epist. 14 n. 1 ut et alibi apud antiquos patres non raro reticetur. Hoc autem sibi vult: *Nisi in his negotiis effecisset, ut senior aetas apostolorum illis, qui deinceps veritatem carnis ejus erant negaturi, curationis esset potius causa, quam vulneris.*

Digitized by Google

a. 515. esse credimus per Dominum nostrum eruditae clementiae vestrae strictis supplicare suggestionibus, sperantes, ut laborem curamque pastoralis officii, venerabilium decessorum vestrorum Marciani et Leonis formam secuti, etiam principalis potentiae participatione fulciatis. Habebitis Deo propitio spem de victoriis non jacentem, si pontificalem[11]) contra diaboli subreptiones congressionem pacifica ad decertandum instructione muniatis. Nunquam in sanctarum ecclesiarum memoria Dioscori participis Eutychetis, Timothei et Petri, parricidarum commemoratio reviviscat: servetur ab omnibus suscipiendae Calchedonensis synodi, Deo operante, definitio. Acacius Petri tenebrarum[12]) filii communione pollutus habeat participes, quos delegit: qui etiam inter suos excessus nec de Petro Antiocheno et complicibus ejus nitidum se esse perpessus est. Cessent maledicta piis sanctae recordationis papae Leonis ingesta dogmatibus, quae solos quidem illo in suis manente puniunt irrogantes.

3. In his, quae praefati sumus, sollicitudinem vestri advocamus imperii: poterit enim pietas vestra, hoc custodiens, apices et sceptra sua post multos annos ad aliud saeculum possidere translata. Suscipite preces nostras per Ennodium atque Fortunatum fratres et coepiscopos nostros, nec non Venantium presbyterum atque Vitalem diaconum vel Hilarum notarium, filios nostros, quorum apud nos fides in Dei timore studiumque perclaruit, pro vestro amore transmissas, et placidam vice nostra supplicantibus conscientiam commodate! Speramus enim, et de Deo habentes fiduciam pollicemur, studia, quae a vobis verae religioni impensa fuerint, sine retributione et praemio non futura. Data III Idus Augusti, Florentio viro clarissimo consule.

Epistola 9.

a. 515 d. 11 Sept.

Hormisdae papae ad Caesarium Arelatensem.

Docet, Dardanos, Illyricos Scythasque episcopos Eutychiana haeresi in omnibus p. 16
damnata ad sedis apostolicae communionem rediisse, ac de ceteris conciliandis legatos a se in Orientem missos esse.

Dilectissimo fratri Caesario vel his[1]), qui sub dilectionis tuae ordinatione consistunt, Hormisda.

1. Justum est, ut qui catholica communione laetamini, nobiscum de Ecclesiae, si qua provenit, concordia gaudeatis: ut quemadmodum unus nobis consensus est fidei, ita sit individua gratulatio

[11]) Ed. *pontificali ... congressione ... instructionem ... Deo per vos operante.*

[12]) Alludit Hormisda ad ipsamet Acacii verba, quibus epist. 8 ad Simplicium n. 1 Petrus *noctis filius* appellatur.

9 [1]) L^1 om. *his*. Deinde L^2 L^3 *Euticiana*.

Digitized by Google

prosperorum. Nostis, qualiter detestabilis Eutychiana haeresis per a. 515.
Orientales serpat ecclesias, et quoties praefatae[2]) superstitionis virus synodus generalis exstinxerit, vel quoties ejus sequaces salubria monita apostolicae sedis spreverint, et quasi erubescentes manus dare veritati aut apostolicae sedis praedicationibus obedire, in hac tamen obstinatione persistant. Elatio enim semper affert saluti periculum, per quam ipsius inventor diabolus angelica potestate privatus est. Pro his nobiscum saepissime[3]) fraternitas vestra condoluit, apostolicae non immemor lectionis, qua monstratur: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sed Dominus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum sensus illuminans, eis desiderium apostolicae communionis infudit[4]), ut quod dudum intentione praedicabant, hoc nunc correctionis professione condemnent. Quorum reditum ideo absque suspicionis morsu recipimus, quia dum peccatum sine aliquo excusationis velamine confitentur, manifestum desiderium correctionis ostendunt. 1 Cor. 12, 26. 1 Tim. 2, 4.

2. Ergo episcopi tam Dardani quam Illyrici pene[5]) omnes nec non Scythae errorem damnando praeteritum, petentes beati Petri apostolorum principis communionem, et scriptis et legationibus destinatis se apostolicae sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, soli quorum fides fervet intelligunt. Sciendum vobis est igitur, anathematizari nunc ab ipsis quoque Nestorium, qui dividit incarnationem Domini nostri Jesu Christi, et per hoc duos filios conatur asserere[6]). Eutyches, carnis negans

[2]) c^{11} *praelatae.* Mox c^{6} c^{10} *perstiterunt,* c^{7} *perstiterint,* ubi c^{5} c^{11} cum mss. *persistant.*

[3]) Illud *saepissime* componendum est cum eo etiam tempore, quod Hormisdae pontificatum antecessit.

[4]) Editi *infundit,* moxque c^{11} *quia qui peccatum.*

[5]) Editi *pene omnes ne sint errore condemnandi praeterito:* corriguntur ex L^{1}, ex quo Baluzius de concord. sacerd. et imper. l. V c. 35 n. 13 locum hunc emendandum esse jam monuerat. Correctionem eamdem confirmat Avitus Viennensis infra epist. 21. n. 1, ubi se his litteris per Arelatenses clericos acceptis ad communionem gaudiorum provocatum scribit propter *conversionem provinciarum, id est Dardaniae, Illyrici vel Scythiae.* Quo nomine Scythiam Ponticam, quae Illyrici Orientalis provincia erat, intelligere est. Et quia hi Scythae Thracibus contermini erant, ideo forte Thraces etiam interdum vocati sunt. Certe Vitalianus, qui a Marcellino Comite in Chronico *Scytha,* ab Evagrio h. e. III, 44 *Thrax* cognominatur; et quos Avitus infra epist. 21 *provinciarum Dardaniae, Illyrici vel Scythiae* scribit, hos subinde Hormisda ad ipsummet Avitum rescribens epist. 22 n. 3 *Thraces, Dardanos et Illyricos* appellat. Quocirca non temere censuerimus eos, de quorum conversione nunc Hormisda laetatur, ipsos esse, quorum ad Symmachum exstat epistola 12., et ad quos Symmachus rescribit epistola 13.

[6]) c^{11} *afferre*, et post *effectus* cum al. ed. omitt. *est;* nescio qua auctoritate. Deinde al. ed. *consensit.*

Digitized by Google

a. 515. veritatem et duas naturas in una persona non praedicans, ut Manichaeam phantasiam ecclesiis Christi quemadmodum putavit insereret, simili ratione damnatur. His adjungitur Dioscorus Alexandrinus, qui malitiae praefatae consentiens, in sancto Calchedonensi concilio particeps damnationis effectus est, et malorum seminum aequales fructus inveniens, in eam cecidit foveam, quam fidelibus parabat. Facti sunt istorum successores Timotheus Aelurus et Petrus: quorum sibi ubique consentit iniquitas, et mentientes magistros in nullo deserunt, sed in omnibus pravitatibus antecedunt. Hi approbati sunt generalis materia laesionis[7]), quorum et manus sacerdotalis sanguinis maculavit effusio, et vitam innocentium peremit interitus. Habent per universum mundum a catholicis infixa aeternae damnationis stigmata, quos orthodoxi non solum fecerunt communionis expertes, verum etiam eos Christianorum spoliavere vocabulo. Petrum Antiochenum cum suis, sicuti ab his de quibus loquimur[8]) factum est, praefatis adjungite. De quibus ne sermonum prolixitas nasceretur, hoc tantum dixisse sufficiat, Petrum et ejus socios in nullo ab eorum, qui damnati sunt, dogmate discrepare. Quos Acacius aliquando condemnans, in laudes suas omnium Christianorum ora converterat, et eos impugnans, qui Eutychianam haeresim vindicabant, fidem colentibus gratissimus apparuerat. Sed huic solitis insidiator fraudibus quod fraudabatur invidit. Nam postea hos suos complices habere desiderans et in catholicos arma convertens, cum ipsis invenit sortem, quos optavit habere participes.

3. Longum est epistolae brevitate per universa discurrere. Unde ex totius summa negotii partem aliquam pro instructione direximus, judicantes, quod tanta res vestram non possit latere notitiam, praecipue quum hoc per praedecessorum nostrorum litteras vestris fuerit regionibus nuntiatum. Quod et nos pro his, quae nuper acciderunt, fraternitatem vestram curavimus instruendam, ne alicubi per ignorantiam fidelium locum invenire possit subreptio perditorum[9]), sed qui nituntur talia vindicare, sacrae consortio communionis arcendi evidentius innotescant. Igitur ubi interest fidei, quidquid ad gratiam hujus pertinet saeculi, respuatur; quum nec naturalis affectio rebus debeat coelestibus anteponi, ut illud praeceptum Domini compleatur:

Matth. 10,37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

4. De ceteris, quae in religionis causa confidentes divinis beneficiis praesenti tempore iterum de Orientis partibus speramus et

[7]) Seu schismatis; quia scil. schisma, quo totus lacsus est Oriens, hinc causam et originem sumsit, quod Acacius Petri, qui cum Timotheo damnatus non semel fuerat, communionem susceperat. In L^1 *lectionis*.

[8]) Ita L^1 L^3 L^4. In c^{10} tota periodus a *loquimur* usque ad *De quibus* excidit, c^{11} om. *praefatis*.

[9]) c^6 seq. *praedictorum*, rejecto ad marg. *perditorum*.

Digitized by Google

legatos direximus[10]), Domino Jesu Christo supplicate, ut ipse, qui a. 515.
pro pietate sua prosperum donavit initium, similem concedere dignetur effectum. Urbanum sedis apostolicae defensorem, etiam huic aptum negotio, ad caritatem tuam direximus: per quem de universarum effectu[11]) causarum responso congruo cupimus quae sunt votiva cognoscere. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi! Data III[12]) Idus Septembres, Florentio viro clarissimo consule.

Epistola 10.

Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam per legatos sedis apostolicae missa.

a. 516 d. 16 Juli.

p 105. I. Fidei professione emissa Nestorium et Eutychen damnat.
II. Calchedonensis synodi constituta multis decessorum suorum decretis confirmata nec a se revocata esse.
III. Acacii aliorumque memoriam sine scandalo expungi non posse, quare paci ecclesiarum consulendum.

Exemplum sacrae Anastasii Augusti Hormisdae papae per Ennodium et Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium.

1. Gratias omnipotenti Deo referimus, quod sanctitas vestra disciplinis coelestibus instituta, sicut poposcimus, legatos fidei Ennodium et Fortunatum venerabiles episcopos sed etiam viros religiosos Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium, quales poscebat causae sublimitas, destinavit; qui negotii magnitudinem implere possint ecclesiastici luce sermonis, quique operante Deo omnia subtiliter requirentes, quae ad rectam et veram Christianorum pertinent fidem, et ipsi sicut decuit declararunt, et a nobis sicut oportuit agnoverunt: quia una est Ecclesia Dei, apostolicis ubique firmata doctrinis. Unde quis audeat de Domini nostri Jesu Christi incarnatione aliter quam habet veritas ipsa sentire, nisi ut confiteatur, aequalem et consubstantialem Patri[1]) Filium salutis nostrae causa, juxta annuntiationem archangeli in utero virginis carnem ex eadem assumentem, hominem factum, et sicut ait apostolus, *in servili forma*, ut crucem pro nobis carne susciperet? De quo Phil. 2, 7.
beatus Petrus apostolus Judaeis dicit: *Vos petistis vobis dimitti virum* Act. 3,
homicidam, auctorem vero vitae interfecistis. De quo etiam legitur in 14 et 15.

---

[10]) Ennodium scilicet ac socios in superiori epistola n. 3 memoratos.

[11]) c^{10} *effectuum*. Mox L^1 *incolumem custodiat fr̄. kr̄e.*

[12]) Ita L^1; L^2 L^4 c^{11} *IIII Idus*, al. ed. *VI Idus.*

10 [1]) Ed. *Patris*. Mox c^6 c^7 c^{10} *assumendo*, G^1 a^1 b *assumente*. Interpres graece videtur legisse „τὸν τὴν σάρκα ἀπὸ τῆς αὐτῆς εἰληφότα“, latine convertisse *carnem ex eadem assumentem*, quum convertere potius debuisset *carne ex eadem assumpta.*

Digitized by Google

a. 516. Paulo apostolo: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*
Phil. 2,8. Confitemur enim, quod genitrix Dei beata virgo Maria in vera carne et anima rationabili et intelligibili nobis Deum peperit Salvatorem. Quem homousion Deo Patri et Spiritui sancto ante saecula, eumdem nobis quoque homousion praeter[2]) peccata nostra, in fine temporum credimus et probamus fuisse progenitum, sicut propheta Da-
Psalm. 21,11. vid dicit: *De ventre matris meae Deus meus es tu.* Quae tamen ita sine defectu vel confusione nostri corporis est assumpta nostra substantia, ut in eadem carne Dei Filius mundum examinaturus adveniat, oculis omnium vulnerum et clavorum indicia repraesentans,
Apoc. 1,7. sicut scriptum est: *Et videbunt, in quem pupugerunt.* Cum omnibus etiam orthodoxis impiissimos Nestorium atque Eutychetem[3]) vitamus pariter et horremus, eorum condemnantes et anathematizantes et personas et dogmata, detestabilibus sacrilegiis comparanda, qui dispensationem divinam et humanae remedia infirmitatis similiter aut nescire voluerunt aut cognita blasphemare. Tale igitur circa fidem clementiae nostrae propositum summus Deus ab exordio vitae sensibus nostris immisit: unde et imperium nostrum credimus custodire[4]).

2. Miramur autem, quamobrem de beatissimis patribus, qui in Calchedone convenerunt, aliqua nobis scribere voluistis, dum ea quae ab his fuerant constituta decessorum nostrorum multiplicibus decretis confirmata monstrantur; et quum nec alia synodus facta fuerit, per quam quae ab illa disposita sunt redderentur infirma, nec lex a nobis processerit, cujus novitate statuta praefati episcopalis concilii solverentur: maxime quum ipsa synodus dixerit anathema esse debere, quicunque aliam fidem, quam apud Nicaeam trecenti decem et octo venerabiles patres constituerunt, docere vel immutare voluerit. Ad hoc etiam eos, quos superius comprehendimus, id est Nestorium et Eutychetem damnaverunt, quos nos quoque

---

[2]) b cc *propter*, G[1] a[1] *praeter*. Similiter etiam in henotico Zenoniano, cujus Anastasius pertinacissimus vindex erat, apud Evagrium III, 14 peccati expers (ἀναμάρτητος) *ex Dei genitrice incarnatio*, seu ut interpretatur Liberatus c. 18, *sine peccato ex Dei genitrice secundum veritatem incarnatio* praedicatur. Post vocem *homousion* subintelligendum est *et per omnia similem*. Mox G[1] a[1] *probamus* (loco *probamus*).

[3]) Eosdem etiam henoticon anathemate perculerat in hunc modum: *Quicunque vero aliter aut sensit aut sentit, vel nunc vel quandocunque alias, sive Calchedone sive in alia qualibet synodo, eum anathematizamus, praecipue tamen Nestorium et Eutychen et eos, qui idem cum illis sentiunt.* Cujus formulae verba quamvis mutet Anastasius, ut rejectae Calchedonensis synodi invidiam declinet, ejus tamen sententiam alte in animo defixam retinet, ut subnexa prodent.

[4]) Ita G[1] a[1]; b cc *custodiri*. Expressa est haec sententia ex henotico, in quo de symbolo Nicaeno dicitur τοῦτο γὰρ καὶ μόνον, ὡς ἔφαμεν, τὴν ἡμετέραν περισώζειν τεθαρρήκαμεν βασιλείαν, quod Liberatus c. 18 latine sic: *hoc enim solum nostrum, ut diximus, regnum salvare confidimus.*

Digitized by Google

damnamus. Nam pro hac causa attestantur nobis etiam divinae[5]) a. 516.
litterae, ad Alexandriam non semel sed multoties destinatae, per quas objurgavimus, cur sibi non arbitrarentur posse sufficere directam fidei doctrinam[6]), recedentes ab anathemate Calchedonensis synodi vel venerandae memoriae Leonis episcopi. Unde non parvum studium apud nos et intentio in praesenti quoque perdurat, quatenus a superfluo[7]) anathemate eosdem possimus abstrahere et sanctae Ecclesiae universali conjungere.

3. De capitulo vero, quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestrae fortasse propter unitatem ecclesiarum convenerat[8]), nisi alia venerabilibus ecclesiis ex hoc renovari scandala crederemus. Nunc universa quae sint facienda perpendite, quia grave esse clementia nostra judicat de Ecclesia venerabili propter mortuos vivos expelli, nec sine multa effusione humani sanguinis scimus posse ea quae super hoc scribitis ordinari. Omnia tamen a Deo sperantes, per[9]) concilium melius agere poteritis, quam ab his hominibus, qui propter errores suos provincias percurrentes, inimicam evangeliis sanctis et ecclesiis volunt esse discordiam. Ergo ut sit placens supernae majestati ecclesiarum unitas, providete: quia qui[10]) nobis in eis, quae praefati sumus, obsistit, ignoramus, si

[5]) H. e. imperiales, quae modo *divinae*, saepius *sacrae* vocantur.

[6]) In Zenonis videlicet henotico expositam, quam non solum Alexandrinis proposuit, sed et ut a Romanis pontificibus susciperetur, Festi patricii opera, ut Theodorus lector auctor est, tentavit. Deinde *recedentes ab anathemate* id est: desinentes anathema dicere Calchedonensi synodo ac Leoni. Ut enim Evagrius III, 30 scribit, quum alii Calchedonensem synodum propugnarent, alii non modo eam non susciperent, *verum etiam illam una cum Leonis epistola sub anathemate damnarent, Anastasius ecclesiis exturbabat, si quem forte deprehendisset praeter locorum consuetudinem aut concilium Calchedonense praedicantem aut idem sub anathemate damnantem.*

[7]) Pro *superfluo* substituit Baronius *suprascripto*, occultam, ut videtur, Anastasii mentem non satis assecutus. Quippe vafer ac perfidus imperator haerens huic henotici sententiae: *Scire vos volumus, nec nos nec eas quae ubique sunt ecclesias aliud symbolum alienamve definitionem fidei aut fidem habuisse vel habere vel habituros esse praeter symbolum CCCXVIII patrum;* paulo ante Calchedonensem synodum ob id commendavit, *quum ipsa dixerit anathema esse debere, quicunque aliam fidem, quam apud Nicaeam CCCXVIII venerabiles patres constituerunt, docere vel immutare voluerit;* innuens, eamdem synodum Calchedonensem sibi ipsi, si, ut sibi persuadebant, Nicaenam fidem immutasset, anathema dixisse, adeoque superfluum esse novum ei anathema adjicere.

[8]) b *conveniret*. Mox G[1] a[1] *removeri*, quod cum b cc in *renovari* mutavimus. Respicit hic Anastasius ad id, quod Hormisda epist. 8 n. 2 praecipit his verbis: *Nunquam in sanctarum ecclesiarum memoria Dioscori participis Eutychetis, Timothei et Petri parricidarum commemoratio reviviscat ... Acacius Petri tenebrarum filii communione pollutus habeat participes, quos delegit.*

[9]) Deest in G[1] a[1] *per* (G[1] *concilium*), quod b cc suppleverunt. Hinc et orationis series deinde *quam per eos homines*, non *quam ab his hominibus* postulat.

[10]) b cc *quid*. Mox a[1] *si bene non arguit*. Anastasius Hormisdae ac decesso-

Digitized by Google

a. 516. bene nos arguit. Per omnia tamen voluntatis nostrae puritatem legatorum nostrorum[11]) poteritis narratione cognoscere. Petimus autem, ut pro nobis apostolatus vester orare dignetur: quod vos libenti animo facere, hac poterimus maxime ratione cognoscere, si perfectam nobis unitatem ecclesiarum dignatus fuerit Deus vobis disponentibus condonare. Illam enim vox Dei magnam benedictionem diligentibus se mandavit atque donavit, qua declaravit: *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis.*

Joh. 14,27.

Epistola 11

a. 516 d. 16 Jul.

Anastasii imperatoris ad Hormisdam.

Theopompum comitem domesticorum et Severianum comitem sacri consistorii legatos pontifici ad salutationis officium et pacem conciliandam mittit. p 104

Anastasius Augustus Hormisdae papae per Theopompum et Severianum viros clarissimos.

Omnia, quae benignitas conceperit animorum, dulci ambitu et festinatione laudabili propagantur; nec sibi requiem putant posse praestari, donec ad affectum saluberrimum desiderata perduxerint: et tunc quaedam ipsius festinationis fit requies, dum contigerit spes votorum. Quod in praesenti nos certa ratione pertulimus, donec coelestis favor et nostrae petitioni aditum[1]) et vestrae promissionis serenum donet effectum. Ergo quia vel maxima itineris longitudo vel ultra solitum morem hiemalis asperitas, quod optabamus[2]), nobis fecit incertum, interim intra animos nostros desiderata compressimus, beneficia divina captantes, quae bonae[3]) exitus rei sua interpositione decidunt agnoscentes. Igitur, quod ejus pietas primam nobis gratiam condonavit, ut missa[4]) legatio ad beatitudinem tuam feliciter remearet, ad secundam processimus, ut dirigeretur a nobis promissa[5]) legatio, per quam et commemoratio fieret eorum, quae

---

rum conatus, ut ipsum ab Acacii communione dimoverent, oblique culpat ac reprobat.

11) b *vestrorum:* quod nulla vel auctoritate vel ratione fulcitur. Quis enim sibi in animum inducat, Anastasium legatis apostolicis, quos re infecta dimittebat, arcana consilia sua crediturum fuisse? Longe est probabilius ne dicam certum, eum de legatione loqui, quam se missurum ipse nunc promisit, quamque in annum sequentem distulit, ut sequens epistola fidem faciet.

11 1) b cc *auditum,* moxque *et ultra.*

2) Vel potius sese optare simulabat, ut nimirum Hormisda concilio praesentiam suam non denegaret.

3) b *boni exitus,* et cum cc *decidunt. Agnoscentes igitur,* deinde *pietas* omitt. Ibi *ejus* ponitur, quasi antea *Dei beneficia* dictum esset.

4) b cc *missa ad nos legatio.*

5) Neque etiam promissis hac in re stetit. Ut enim Hormisda epist. 22. n. 2

Digitized by Google

cum sanctissimis viris longa deliberatione contulimus, et inde Deo a. 516.
auspice tam nostrae petitionis quam vestrae gratiae ad integrum lux serena resplendeat, et toti orbi gaudia exspectata donentur. Commemorationis itaque loco et salutationis honorem reddendo, Theopompum virum illustrem, comitem domesticorum, agentem sacri nostri palatii scholam, fidelem nobis vel pro suis moribus vel pro ipsa affectione genitali nostrae provinciae, sed et Severianum virum clarissimum comitem sacri nostri consistorii ad vestram direximus sanctitatem, qui ordinem litterarum propria voce testantes, ad celeritatem exspectata[6]) provocent, quae etiam coelesti misericordiae credimus placuisse. Data XVII Cal. Augustas Constantinopoli, Petro viro clarissimo consule.

Epistola 12.

Anastasii ad senatum urbis Romae per Theopompum et Severianum viros clarissimos.

a. 516 d. 28 Jul.

p. 104. *Ut pacem Ecclesiae tum apud regem Theodoricum tum apud papam deprecetur.*

Imperator[1]) Caesar Flavius Anastasius, pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Alamannicus inclytus, Francicus inclytus, Sarmaticus inclytus, tribuniciae potestatis XXV, consul III, pius, felix, victor, semper augustus, pater patriae, proconsulibus, consulibus, praetoribus, tribunis plebis senatuique suo salutem dicit.

Si vos liberique vestri valetis, bene est: ego exercitusque meus valemus. Quotiens utrisque publicis rebus prospera voluntate con-

---

memorat de Graecis generatim, in Anastasium nominatim conveniebat: *quum per Ennodium* ait *fratrem et coepiscopum nostrum sacerdotes viros ad confirmanda ea, quae sedes apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent, non solum non religiosos viros, penes quos causae ipsius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt, verum etiam quasi res parva gereretur, laicos et alienos ab ecclesiastico corpore destinarunt.*

[6]) Ita b cc; G[1] a[1] *spectata provocent, quaedam* (a[1] add. *jam*) *caelesti.*

12 [1]) In G[1] a[1] ampliori huic inscriptioni brevior ista praemittitur: *Anastasius Augustus senatui urbis Romae per Theopompum et Severianum VV cc.* — b cc inscriptionem, nescio an sola incuria quadam, paulo mutarunt: *Imp. Caes. Fl. Anast. pius, felix, victor, semper augustus, Germanicus incl., Alamannic. incl., Franc. incl., Sarmaticus inclytus, pater patriae, consulibus etc.* Porro Anastasius consulatum III, a quo sese hic consulem tertio denominat, jam ab anno 507 gesserat. Imperator autem anno 491 mense Aprili fuerat renuntiatus, adeoque *tribunitiae potestatis XXV annus* non a mense, quo imperium iniit, ad mensem quo scribebat, sed ab anno quo creatus fuit imperator, ad annum quo haec epistola missa est, ab illo numeratur.

Digitized by Google

a. 516. sulitur, non solum exhortatio sed postulatio quoque creditur esse conveniens, ut duabus in unum concurrentibus causis animus incitatus, quod felix et bonum partibus sit, valeat adipisci. Si etenim Christus Deus et Dominus noster et per mitissimam voluntatem et quamdam dispensationis petitionem nos revocavit ad se, et redemptos proprio sanguine libertati restituit, ut salutem mortalitati praestaret; non videtur absurdum, tam apud gloriosissimum regem, quam apud beatissimum papam almae urbis Romae patres conscriptos, imperiali petitioni conjunctos, ea sperare, quae et nobis et sibi Deo annuente in commune proficiant: hoc est, ne fugitivorum audiant concinnatos sermones et mendacio solo compositos, sed satisfactione suscepta, quam et veritas et legatorum qui directi sunt inquisitio patefecit, ad desideratam pacem acceptabili Deo voluptate concurrant[2]). Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie, multam partem reipublicae vestram vindicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum coetum vestrum solerti studio ac provido labore contendere tam apud excelsum regem, cui regendi vos potestas et sollicitudo commissa est, quam apud venerabilem papam, cui intercedendi apud Deum facultas est praestita, ut in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere, in qua utriusque reipublicae membra sperata sanitate salventur. Implebitis enim veterem consuetudinem et nimis consilio vestro notissimam, si ea, quae publicae utilitati conveniunt, tractando, sperando, postulando effectum adipisci Deo auspice feceritis. Data V Calendas Augusti Calchedone, Petro viro clarissimo consule.

Epistola 13

(a. 516 p. m. Aug.)

Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem.

Ut viae, quam ingressus videatur, insistat, et fidem verborum suorum effectu rerum comprobet (*n.* 1 *et* 2). *Nam per ipsum stare, ut pax ecclesiarum restituatur* (*n.* 3). p. 106

Hormisda Anastasio Augusto per Theopompum et Severianum.

1. Sollicitari animum tuum, clementissime imperator, ambitiosa aviditate commemoras, donec speratae unitatis redintegratio optata contingat. Bona sunt desideria salutis, et laudabilis quae se hujusmodi Deo commendat intentio. Prudentiae siquidem speciale documentum est, quum id, quod sibi utile credit, impatienter inquirit. Nam si in corporum morbis noxia est tarda curatio, quanto magis in salute animae gravius est ferendus remediorum fidelium serior appetitus? Quum moneamur spiritualibus institutis, ne quae prodesse possunt in diem posterum differantur, clamante sapientissimo Sal-

[2]) Ed. *concurrat*; moxque G[1] *multum ... judicare*, ubi cum ed. correximus.

Digitized by Google

mone: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem:* (a. 416.) quia sicut in incerto vitae tempora, ita in tuto animae convenit esse remedia, ut intret in gaudium domini sui, quem veniens dominus ea quae sibi placent invenerit operari. Unde et fateor me fuisse miratum, cur tamdiu legatio promissa tardaverit, quum facienda[1] vis sit, ut regna coelestia rapiantur. Verumtamen instinctus ipse, quem mansuetudinis vestrae declarat alloquium, spem supernae misericordiae pollicetur; desuper est enim et ipsum velle quod bonum est. Confido autem, quoniam *qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in finem.* Ergo viae cui coepistis insistite, et spretis errantium lubricis nobiscum supra petram solidam tenete vestigia. Tali crevit Ecclesia sancta consensu, quod his verbis apostolicorum actuum testatur historia: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Nam quemadmodum connecti poterunt gratiae vinculis, quorum distant corda sententiis?

Eccli. 5,8. Matth. 11,12. Phil. 1,6. Act. 4,32.

2. Fac, domine imperator, effectum rerum fidem probare verborum. Non enim sermonibus cognoscuntur hominum corda sed fructibus, quum et Abraham pater noster non nuda Deo fide sed opere fidem commendante placuerit. Unde vel pro dispensatione mihi credita vel pietatis vestrae circa me benignitate perpensa, domine fili, hortor et supplico, ut studium pacis, quod per scripta praefertis, ad componenda nobiscum adjutore Deo ea in his, quibus laborant ecclesiae, dirigatis, quia secundum prophetam *pax multa diligentibus nomen tuum, et non est illis scandalum.* Non sunt incognita apud mansuetudinem vestram, quae nos ab ea, quam redintegrare cupimus, unitate discernant. Date operam, ut laudando, quae profitemini, compleantur effectu, et apostoli, cujus communionem creditis expetendam, totis viribus sequimini disciplinam. In totum perdita noxiorum declinate contagia, scientes, non habere cum religiosis impios portionem, nec ullum fidei cum perfidia esse consortium. Consequens est, ut qui errorum detestatur principes, oderit sectatores. Exsecrabile habeatur in flore, quod damnatur in semine. Offerte hoc munus Deo, pro vestris, precor, offerte temporibus: jam diu hanc a vobis hostiam pro tantis quae vobis contulit Christus[2] exspectat.

Jac. 2, 21. Psalm. 118,165.

3. Quid opus est apud illum preces adhibere, qui supplicat? Vos senatui urbis Romae, ut me ad pacem hortaretur, injungitis. Ego non solum cum his ad vos supplicationis verba converto, sed vestigiis vestris cum universali advolvor Ecclesia. Audite me pro

---

13 [1]) G[1] a[1] *facienda jussit*, b cc *facienda ista sint.* Nullis apicibus mutatis, sed quos Romanus editor male copulaverat, debite separatis, genuina redditur sententia Hormisdae, alludentis ad illud Matth. 11, 12: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti* (adeoque non pigri aut negligentes) *rapiunt illud.*

[2]) b cc addunt *beneficiis*, moxque *pro universali ... abscindite ... qualiuntur*

Digitized by Google

(a 516.) Christo legatione fungentem: non patiamini ab improbis canibus Christi membra discerpi; quae insanabilia videtis, abscidite, et quae aegra, curate. Cur quae sana sunt invalidis conjuncta quatiantur? Servate ordinem, quem veritas[3]) ipsa praefinit, et pacem mundo, quam poscitis, reddidistis. Haec et sub praesenti occasione deposco et rursum ac saepius supplicare curabo, sperans, importunitatem hanc meam et Deo esse placituram et apud vos quoque per assiduas petitiones, quoniam id nos Dominus docuit, vacuam non futuram. Data[4]).

Epistola 14

seu

(a. 516 p. m. Aug.) **Rescriptum senatus urbis Romae ad Anastasium Augustum per Theopompum et Severianum viros clarissimos.**

Jussis ejus Theodorico annuente se libenter paruisse, ut papam pro pace deprecaretur. Quantum pacis studium prae se tulerit Hormisda. Quam iniquum sit, pro unius Acacii memoria a caritate recedere (n. 1). Denique senatus Anastasium ipsum ad unitatem ecclesiarum procurandam hortatur (n. 2). p. 105

1. Si prima semper est, imperator invicte, a regentibus supplicum spectata devotio, si sola gratia dominorum conciliatur obsequio; indubitanter agnosces, sacrae jussionis oracula quanta senatus vestri fuerint gratulatione suscepta, maxime quum ad hoc et animus domini nostri invictissimi regis Theodorici filii vestri mandatorum vestrorum obedientiam praecipientis accederet[1]), et sciamus super omnia beneficia vestra tunc magis nos erigi, quum dignos creditis, quibus debeat imperari. Mox igitur sacrae studio jussionis implendae beatissimum papam Hormisdam credidimus deprecandum: de quo parum est dicere, quia vota supplicantium benignitate praecessit; sed et nobiscum suas preces, ut quod hortamini fiat, adjunxit, evangelicis voluntatem suam testimoniis adserendo, ostendens, mundum supra multitudinem peccatorum suorum scandalis plus gravatum, dum vox sit ista dominica: *Vae mundo a scandalis;* et item,

Matth. 18,7 et 8.

---

[3]) Ed. *unitas ... reddite.*

[4]) Al. add. *Romae*, quod G^1 c^7 omittunt. Ut autem consularis nota, quae excidit, suppleatur, perpendendum est: 1. epistolam illam per Theopompum et Severianum, quos Anastasius exeunte Julio mense anni 516 in Urbem legaverat, fuisse destinatam; 2. legatos illos, utpote laicos ad eas res, propter quas exspectabatur legatio, tractandas atque componendas minus idoneos Hormisda ipse epist. 22 n. 2 notat exstitisse; adeoque nihil fuisse, cur eos Hormisda Romae diutius detineret. Quocirca veri est simillimum, eos eodem anno Constantinopolim remeasse: atque adeo epistolam hanc cum sequente, quae simul perlata est, *Petro consule*, hoc est anno 516 post Augustum mensem consignandam esse.

14 [1]) Ita G^1 c^6 c^7 c^{10}; at a^1 b *praecipientes ascenderet.*

Digitized by Google

oportere homines scandalizantium partem[2]) membrorum *abscidere*, (a. 516.)
quam ut in ignem non renuntiando scandalis *mittantur aeternum.* Sed
et post haec divinae lectionis exemplis, quam boni sint fructus
pacis, ostendit quum diceret: et apostolum Paulum gratia Dei ple-
num, nihil tamen quibus bene cupiebat, quod optaret, melius inve-
nisse, nisi ut *pax Dei, quae est supra omnem excellentiam, in eorum* Phil. 4, 7.
sensibus abundaret; quodque[3]) in evangelio Domini sit vox ista di-
centis: *Quoniam pacifici filii Dei vocabuntur.* Et iterum ad ipsum Matth. 5, 9.
Scripturarum omnium revertendo doctorem, quanto ipsa vel fide, qua
et coelestia regna praesumimus et a peccatorum cruciatibus credendo
salvamur, caritas sit major, ostendit, testimonium tale subjiciens:
Spes, fides, caritas, major autem omnium caritas. Idem[4]) Spiritus, 1 Cor. 13, 13.
gratia donante divina, caritatem virtutibus omnibus evacuat non 1 Cor. 13, 1.
habentes. Ergo, si et propter poenam scandala declinamus, et pa-
cem propter pacis bona sectamur, et ad caritatem nos, qui est cari-
tas, Christus hortatur; quid est enim[5]), quod retinet catholico ardore
festinos? Quid est, quod delinquentis[6]) Acacii impedit volentes Chri-
stum videre persona? Quid est, quod a suo liberi alieno gravantur
errore? Haec quum venerabilis papae latius fuerint expedita rescri-
ptis, pro nostrae tamen obsequio credidimus devotionis indenda, ne
non rogasse putaremur recondendo[7]) responsum, quod accepimus
deprecantes.

2. Proinde, piissime imperator, haec suo nomine senatus sere-
nitatis tuae clementia[8]) provocatus adjunxit, ut animo quam benigno
in utraque republica concordanda fuisti, tam esse pio in Ecclesiae
redintegranda unitate noscaris. Nam ut pax illa regnorum tantum
scitur prodesse subjectis, sic[9]) haec religionis cum populo suo pro-
ficit imperanti. Etenim quis non haeresum perfidarum sequaces plus

---

[2]) b cc *partes.* Mox G[1] a[1] omitt. *abscidere.* Hic more veteribus satis usitato (conf. supra epist. 8) particula *potius* reticetur.

[3]) G[1] a[1] *quamquam in.*

[4]) b cc *id est, spiritus gratia donante divina caritatem virtutibus omnibus exaltat. Non habentes ergo.* Nihil in primigenia lectione G[1] a[1] visum est mutandum praeter vitiosam interpunctionem, qua haec verba sic repraesentantur: *virtutibus omnibus evacuat. Non habentes ergo.* Caritate autem destitutos omni pariter virtute destitui ostendit Paulus 1. Cor. 13, 1 etc., ubi ait: *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habuero etc.*

[5]) Superfluere videtur particula *enim:* usitatior foret *igitur.*

[6]) G[1] a[1] *delinquentium Acacii impendit volentes Christum videre personam* (G[1] *persona*); quod b cc feliciter emendarunt.

[7]) Ita b cc, quum G[1] a[1] *recedendo.*

[8]) a[1] *clementiae.* Mox b cc *ut qui animo*, addito *qui*, quod elegantius abest ab G[1] a[1]. Hoc enim sibi vult: *ut animo tam esse pio in Ecclesiae redintegranda unitate noscaris, quam fuisti benigno in utraque republica concordanda*, quum scilicet Theodorico pacem imperium inter et Italiae regnum petenti annuit.

[9]) G[1] a[1] *si haec.* Tum vocem *pax* subaudiri nemo non advertit.

Digitized by Google

(a. 516.) quam ipsos deliquisse putet auctores? Quis non post patibulum crucis dividentes iterum Christi membra condemnet? Utinam haec jam vobis regnantibus causa coepisset, ut facilius mala reprimerentur nascentia quam provecta! Nam quis ambigat, non potuisse ejus exsistere, cujus corrigi temporibus videret errorem?[10])

Epistola 15

sive

(a. 516 c. m. Sept.) **Exemplum relationis Johannis episcopi Nicopolitani per Rufinum diaconum ejusdem ad Hormisdam.**

Ordinationem suam Hormisdae nuntiat, catholicam fidem profitetur, et quae vitanda p. 104
quaeve servanda moneri cupit.

Domino meo cuncta sanctissimo ac beatissimo patri patrum, comministro[1]) ac principi episcoporum Hormisdae Johannes in Domino salutem.

1. Cura mihi exstitit semper, nihil amplius quaerere, nisi agere propriam et familiarem conversationem[2]) sollicitudinis anxietati mandare. Sed quia *Dei judicia abyssus multa est,* sicut et vestram cognosco docere beatitudinem, patre nostro quondam atque archiepiscopo Alcysone episcoporum[3]) principe a Christo ad supernas

Psalm. 35,7.

---

[10]) G[1] hic minoribus characteribus ad marg. notat, quod deinde editi in textum retulerunt: *Per Ennodium et Fortunatum episcopos Venantium presbyterum Vitalem diaconum et Hilarum notarium.* Sed aliunde ea huc adscita esse palam est, quum in fronte praenotati sint, per quos haec epistola perlata fuerit, ac praeviam illam notam tres epistolae superiores confirment, certumque sit, epistolam hanc non Ennodio ac sociis istic nominatis in urbem regiam contendentibus, sed illis jam pridem inde reversis, conscriptam esse. Quum revera Constantius notam illam in suo Vaticano initio epistolae 8, quae in Avellano codice excipit hanc nostram, adscriptam esse memoret, eadem autem ibidem in G[1] desit, perperam inde a librario ad finem praecedentis nostrae epistolae translata esse apparet.

15 [1]) Nihil prope ambigimus, quin graece interpres legerit, *συλλειτουργῷ καὶ ἀρχιεπισκόπῳ Ὁρμίσδᾳ*, atque hic ea ratione Hormisdam, qua inferius Alcysonem, *episcoporum principem* appellet, adeo ut hac appellatione nihil quidquam, quod uni Romano pontifici singulare sit, voluerit designare.

[2]) Locum hunc Baronius ita resarcit: *conversationem vacuam sollicitudinis et anxietatis mundanae:* quamvis satis ad mentem Johannis, qui privatam vitam et a saeculi curis alienam delegisse se significat, tamen quia Baronius ex ed. Rom. totam epistolam a se exscriptam testatur, satius visum est mendosam hujus editionis lectionem ad G[1] fidem expressam retinere, quam sic mutare. Fortasse legendum *agere propria et ... anxietate mundare* (i. e. *liberare* vel *mundam tenere*).

[3]) G[1] *Apostolorum principe Christo.* Recte in ed. Rom. restitutum esse *episcoporum principe,* neque has duas voces a Baronio omittendas fuisse, ex inscriptione epistolae sequentis planum fiet. Quamquam supervacanea est antecedens

Digitized by Google

mansiones evocato, ea ratione, qua ipse cognoscit, qui est possibi- (a. 516.)
lium dominus, in[4]) me sancta synodus bonorum actuum ac clerus pastorum transtulit sortem. Ego autem cuncta referens Deo, qui balbutientium linguas liberas facit, decenter ad vestras orationes concurro, ut juxta consuetudinem apostolicae sedis vestrae[5]) cunctarum ecclesiarum curam et Nicopolitanorum habere dignemini secundum antiquam spiritualem dispositionem vestram. Petenti etenim mihi dari responsum[6]) ad apertionem oris, sicut docuit beatus apo- Eph. 6, 19.
stolus atque ipse etiam Dominus praecepit, mecum petite horum datorem, et cum quaerente pariter quaerite, et pulsantem spirituali manu vestra suscipite. Hoc enim vobis facientibus, potero, sanctissime, et accipere et invenire et aperiente Christo recte per verbum veritatis incedere.

2. Quoniam vero quidam dissimulantes nobiscum credere atque sectari sanctas synodos, quae Nicaeae, Constantinopoli atque Ephesi congregatae sunt, in quibus[7]) principes exstiterunt sanctissimae memoriae episcopi Coelestinus apostolicae sedis vestrae et Cyrillus Alexandrinae; insuper etiam quae Calchedone adversus Eutychetem impium congregrata est, quae omnes praedictas veritates aeque[8]) orthodoxiae in se ratione firmavit: tamen audent nos impugnare tamquam vinculum concordiae sine ratione vitantes. Votum autem mihi est, vestram sequi doctrinam, sicut inter sanctos[9]) praedecessor meus Alcyson exstiterat; et anathematizo Dioscorum, Timotheum appellatione Aelurum et Petrum horum successorem; et Petri communione cum his permixtum Acacium, et Petrum qui Antiochenam perturbavit ecclesiam, sequens in omnibus synodicas ac[10]) proprie apostolicas epistolas scriptas a vero praesule Romanae ecclesiae Leone.

---

archiepiscopo. Ad hunc Alcysonem apud Evagrium lib. 3 c. 31 exstat Palaestinorum monachorum epistola. Is secundum Marcellini chronicon anno 516 supremum diem Constantinopoli obiit, et quidem quum eo, Nicephoro Callisti XVI, 38 teste, una cum aliis orthodoxis Illyrici episcopis evocatus ab imperatore fuisset.

[4]) Bar. movit hinc particulam *in* eamque infra voci *pastorum* praeposuit.

[5]) Ita G[1]. b cc *vestrae quae cunctarum e. c. habet, et Nicopolitanorum.*

[6]) In graeco apostoli textu (Eph. 6, 19) legitur λόγος et in vulgata *sermo.* Ab utroque vero propius recedit *responsum* (ut in G[1]), quam quod Baronius substituit *spiritum.*

[7]) b cc ad marg. *qua*, optime; siquidem quod sequitur, ad unam attinet synodum Ephesinam, cui Cyrillus ut apostolicae sedis legatus et Coelestinus tum per ipsum Cyrillum tum per alios legatos praefuerunt.

[8]) Ita mutavimus, quod in G[1] *atque.* b cc prorsus omiserunt.

[9]) Supple *factus*, quod etiam in epistola sequenti exprimitur. Mox pro *exstiterat* magis placeret *secutus erat.*

[10]) b cc *ac apostolicas*, suppresso *proprie*: quo verbo Leonis epistolae apostolorum successore dignae indicantur.

Digitized by Google

(a. 516.) 3. Rogo autem, plenius atque perfectius, quae servari oportet, commonete, et quibus abstinere debeam, vestris custodibus litteris intimate: ut si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi sive egi apostolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus sermonibus possim haereticorum obsistere machinis. Hoc enim facientes, sanctissimi, firmiores nostrae sanctae synodi invenietis episcopos, et bonorum actuum clerum ac populum confirmabitis, tamquam familiarem vobis reddentes sanctam Nicopolitanorum ecclesiam. Venerabilem vero diaconum Rufinum ad tam necessariam causam directum pacifice, sicut vos decet, rogati suscipite; et fiduciam tribuentes, celerem ejus recursum ad nos praestare dignemini, portantem spiritualia atque apostolica constituta. Cuncta[11]) sanctissime, omnem in Christo fraternitatem vestrae beatitudinis ego et qui mecum sunt plurimum salutamus in Domino.

Epistola 16.

(a. 516 c. m. Sept.) **Epistola**[1]) **synodica** sive **Exemplar relationis synodi Epiri veteris ad Hormisdam papam.**

Epiri episcopi apostolicae sedis directa se sectari profitentes, Johannem a se Nicopolitanae ecclesiae episcopum ordinatum ab Hormisda secundum antiquum morem suscipi atque instrui rogant. p. 104.

Domino nostro cuncta sanctissimo ac beatissimo patri patrum, comministro ac principi episcoporum Hormisdae synodus veteris Epiri, Johannes, Matthaeus, Constantinus, Christodorus[2]), Hilarius, Philippus, Julianus et Chrysippus.

1. Si dignis prooemiis[3]) uti tentemus, necesse est multis fletibus horum depromptiones efficere. Plurimi namque ex nobis in regnante[4]) fuere Constantinopoli, quum vestri sanctissimi vicarii Ennodius et Fortunatus episcopi, Venantius presbyter, Vitalis diaco-

---

[11]) Eo modo hic dicitur *cuncta sanctissime*, quo in inscriptione *cuncta sanctissimo*, subaudito utrobique *per* ante *cuncta*. Quocirca, qui haec ita interpungunt, *constituta cuncta. Sanctissime*, aut qui ita *Cuncta* (vel *Cunctam*), *sanctissime*, minime sunt probandi.

16 [1]) Una cum superiori missa est, quam circa mensem Septembrem anni 516 missam esse probavimus. Ibidem mox G[1] per apertum librarii errorem *Epheri*.

[2]) b *Christophorus*, moxque cum c c *Hilarus*.

[3]) Ita G[1]. Editi *praemiis*.

[4]) Seu *in regia urbe*, graece *βασιλευούσῃ*. Inter catholicos Illyrici sacerdotes, quos Anastasius tum suis praesentari jussit obtutibus, Marcellinus in chronico, et ex eo Nicephorus XVI, 38 recensent Laurentium Lignidensem, Alcysonem Nicopolitanum, Gajanum Naisitanum, et Evangelum Paulitaliensem, quibus adjungit Marcellinus Domnionem, cujus sedem non indicat.

Digitized by Google

nus et Hilarus notarius degerent, pietatis agonem susceptum tenen- (a. 516.)
tes. Nobiscum autem fuit et inter sanctos factus pater atque archiepiscopus noster Alcyson, qui cum omni praesumptione[5]) supplicibus utens libellis, apud vestram beatitudinem dignus effectus est apostolicae sedi vestrae communicare nobiscum. Sed quia repente qui cunctorum retinet potestatem hunc ad se evocavit[6]), nos irrefrenabili[7]) fletu detenti pervenimus tamen ad patriam, nullo modo errorem propter Dei gratiam sustinentes, sed ubique vestra decreta sectantes.

2. Flentibus autem nobis atque lamentantibus[8]) cum his, qui nobiscum relicti sunt in paroecia comministri, quis possit de orthodoxis recte Christi oves transigere, qui consolatur humiles, consolatus est etiam nos per vestras orationes, demonstrans metropolitanae civitati in cunctis sanctissimum Johannem, qui a pueritia in Ecclesia sine culpa nutritus, immo laudabiliter in ea degens, ita ut neque eum in his[9]) quisquam temporibus antecellat, zelo autem circa orthodoxiam juxta apostolicas admonitiones vestras nulli omnino cedens. Hunc ergo Dei providentia ordinavimus praesulem Nicopolitanorum sanctissimae ecclesiae, et rogamus, ut juxta antiquam consuetudinem hunc quoque complectamini paternis visceribus vestris, nobisque atque ipsi Dei gratia efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus vestris atque doctrinis, et precantibus nobis inclinetis aurem, et pietatem concordiae reperiatis juxta inspiratam vobis divinitus apostolicam providentiam: ut in pace, quae est ei amabilis, cunctae sanctissimae Ecclesiae cooptate[10]) immarcescibilem vobis coronam nectentes, in omni pietate atque humilitate comprehendamur in Christo.

3. Venerabilem vero diaconum Rufinum, propter hanc tam necessariam causam directum, libenter rogati conspicite[11]), et ad nos

---

[5]) Graece haud dubie *παῤῥησίᾳ*, quod *fiducia* latine aptius redditum fuisset

[6]) Non Alcysonem solum, sed et Gajanum Byzantii ad Deum migrasse Marcellinus et Nicephorus tradunt. Verum ad synodum, quae Alcysoni successorem datum nuntiabat, nihil attinebat de Gajano facere mentionem.

[7]) b ad marg. *irreprehensibili*, moxque G¹ a¹ *recenti*. Deinde pro *propter Dei gratiam* (ubi haud dubie *διὰ τὴν τοῦ θεοῦ χάριν* graece ferebatur) mallemus *per Dei gratiam*.

[8]) Orationis series potius postulat *anxie quaeritantibus*, quis scilicet posset Christi oves ducere. Deinde quum verbo *comministri* intelligantur *coepiscopi*, pro *qui in paroecia* quispiam forsitan mallet *qui in provincia*. Sed *paroeciae* nomen etiam ab Hormisda pro *provincia* usurpari epist. 18 visuri sumus.

[9]) Ita b; G¹ a¹ *in hac quisquam* (a¹ *quisque*). Mox ed. *circa orthodoxa*. Subinde G¹ a¹ *cedente*, quod ad vocem *zelo* referri potest.

[10]) Ita G¹. b cc *cooptatae immarcescibilem coronam* (omisso *vobis*) *comprehendantur in Christo*.

[11]) b cc *respicite*, moxque b *Incolumis pro me ora*.

Digitized by Google

(a. 516.) sub velocitate remittite portantem doctrinas vestras apostolicas. **Et alia manu**: Incolumem me ora, sanctissime pater patrum!

Ego Johannes episcopus rursus[12]) retuli: Incolumem me ora in Domino, sanctissime ac beatissime pater patrum!

Ego Matthaeus episcopus Butroti[13]) retuli.

Ego Constantinus episcopus Hacnanopoleos[14]) retuli: Incolumem in Domino me ora, sanctissime ac beatissime pater patrum!

Ego Christodorus episcopus Anciasmi[15]) retuli.

Ego Hilarius episcopus Photices[16]) retuli.

Ego Philippus episcopus Photicensis retuli.

Ego Julianus episcopus Dodones retuli.

Ego Chrysippus episcopus Cercires[17]) retuli.

Epistola 17.

a. 516 d. 15 Nov.

Hormisdae papae ad Johannem Nicopolitanum episcopum.

Illius commendat humilitatem ac fidem. Carpit eos, qui conscientia orthodoxi p. 104
fidem suam libere profiteri non audent. Quo ordine recipiendi sint qui ad Ecclesiam revertuntur, monet.

Hormisda Johanni episcopo Nicopolitano. **Per Rufinum diaconum.**

1. Gavisi sumus in Domino valde, frater carissime, acceptis litteris tuis, in quibus te profiteris sacerdotium Dei gratia suscepisse. Haec fides certa, haec spes sine ambiguitate secura, qua creditur

---

[12]) Ideo *rursus*, quia superiorem proprio nomine miserat. Subnexam vero precem, *Incolumem me ora* etc. hic et inferius Baron. expungit.

[13]) a[1] *Butroiti.*

[14]) Legendum videtur *Hadrianopoleos.* Certe litteris episcoporum Epiri veteris ad Leonem Aug. (concil. Calchedon. p. III, n. 38 Hard. II, 765) nullus *Hacnanopoleos*, sed *Hadrianopolis* episcopus Hypatius subscribitur, eaque lectio ex subscriptionibus concil. Calchedon. act. 4 (Hard. II, 393) confirmatur.

[15]) b *Anciasmii*, a[1] *Anciasmu.* In mox dicta autem epistola ad Leonem Aug. legitur *Anciasmi.* Et in subscriptionibus concil. Calchedon. act. IV (Hard. II, 393 conf. 765) Ἀγχιασμοῦ.

[16]) Conjectura est, hic restituendum esse *Phoenices* et mox *Phocensis*, loco *Photicensis:* ut nimirum consensio sit cum epistola laudata ad Leonem Aug., cui subscribunt Valerianus *Phoeniciae* et Didacus *Phocae* (Hard. *Diadochus ... Photices*) episcopi.

[17]) Ed. *Congrae.* *Cercyra* autem secundum veteres libros et graece *Corcyra* dicitur. Ita qui epistolae ad Leonem Aug. subscribit Soterichus *Corcyrae*, secundum ms. Corb. scribendus est *Cercyrae episcopus*, quomodo et inter subscriptiones act. 4 concil. Calchedon. (Hard. II, 399) ἐπίσκοπος Κερκύρας graece legitur. Obiter observo, in concilio Calchedonensi act. 4 (Hard. II, 399) inter subscriptiones episcoporum Epiri veteris legi latine episcopum *Euriae* graece Εὐβοίας, et in laudata epistola ad Leonem Aug. episcopum *Euromae* memorari; in his autem locis, Procopio auctore, qui *Euraeam* Epiri civitatem a Justiniano reparatam tradit, graece Εὐρολας, latine *Euraeae* restituendum esse.

Digitized by Google

totius boni causa in superna dispensatione consistere. Cujus rei (a. 516.)
scientiam habens, frater carissime, beneficiorum, quae a Deo nostro consecutus es, religioso animo gratiam confiteris; licet hoc quoque de eodem clementiae fonte descendit, ut se auctori suo humana submittat humilitas. Ait enim: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?*

2. In his ergo, in quibus hujusmodi probaris, clarius elucescet aliis etiam virtutis hujus futurum exemplum, quando ad hoc etiam Deo instituente perductus es, ut et in[1]) te catholicorum glorietur Ecclesia. Nam sicut divinis testimoniis eruditus et juxta apostolum sacrarum litterarum institutione formatus, hoc auspicium tuae ordinationis edidisti, ut adversus deviantes cum sedis apostolicae sententiis convenires. Neque enim remunerari aliter tantorum beneficiorum poteras largitorem, nisi adversus inimicos ejus evidentem zelum apostolicae confessionis ostenderes. Notum est enim, eos extra religiosa septa consistere, qui et ipsi profitentur conscientiam[2]) fidei fiduciam; atque ideo et infructuosa est apud eos quamvis cum religiosis congrua sanctae communionis aequalitas, quia procul dubio qui ea quam meruit libertate non utitur, subjectum se iniquitatibus confitetur. Quid gloriemur his quas non sequimur disciplinis? Falso appellat magistrum, qui se institutionibus ejus non probat esse discipulum.

3. Sed quia nobis nunc omnia in confessione similia et libertatis propriae resumpsistis affectum; paternae rursus haereditatis cupientes esse consortes, amplectimini gratiam traditionis antiquae, et in illius inconvulsi fundamenti stabilitate persistite, non cum temporibus corda mutantes (inconstantis enim mutabilitas ista solet esse propositi, atque ideo bene fundatis oportet inhaerere, quando hujusmodi studia clementia scit fovere divina): ut fidei vestrae firmitas vobis de aliorum salute fructificet, et fervore vestri studii aliorum quoque animus ad resumptionem bonorum suorum possit accendi, quatenus et de vobis quoque sanctus apostolus dixisse credatur: *Aemulatio vestra provocavit plurimos.* 2 Cor. 9,2.

4. Ergo Nestorii et Eutychetis impietatibus juxta synodalia constituta damnatis, sectatores quoque eorum similiter exsecrantes, cum exsultatione dicamus: *Exite de medio eorum et separamini, et immundum ne tetigeritis, dicit Dominus.* Quemadmodum enim quis malarum inventionum detestabitur principes, si non declinat sequaces, Levit. 11,43.

---

17 [1]) b c^7 c^{10} *de te.* Moxque b *juxta Apostolorum sacrarum litterarum institutionem.*

[2]) b cc *conscientiam fidei atque fiduciam sed infructuosa*: praeter mentem Hormisdae eos hic notantis, qui profiteri timent exterius, quod intra conscientiam credunt. Quocirca mallemus *conscientiam non fiduciam*, sed G^1 G^3 reddidisse satius visum est.

Digitized by Google

a. 516. aut quemadmodum odit originem, qui non exsecratur et sobolem? In discipulis praedicatur fama docentium, et donec male jactorum seminum radix per succedentes culta floruerit, tamdiu auctorum memoria non peribit. Addatur perditis[3]) Eutychetis et Acacius discipulis, sub communione Petri omnium quoque damnatorum mixtus errori: quod vestra dilectio litteris suis, dum fidem suam asserit, evidenter expressit.

5. Ad instructionem vestrae fidei pleniorem, quo ordine ad communionem nostram suscipi deceat revertentes, indiculum[4]) subter
ep. 7 n. 9. 26 n. 4. adjecimus, sperantes in Deum bonorum omnium largitorem, quod
61 n. 2. laudabili circa fidem vestrae dilectionis[5]) instantia, non solum hoc eorum qui vobis vicinitate junguntur saluti prosit, sed eorum quoque, ad quos fidei vestrae et religiosae voluntatis velox fama pervenerit. Rufinum siquidem diaconum, qui nobis litteras vestras obtulit, in Christi caritate suscepimus, quem apostolorum orationibus commendantes cum pace remisimus hortantes, litteras a nobis tam ad caritatem tuam quam ad synodum directas populo relegatis; quod et nos pro fidei vestrae commendatione fecisse cognosce. Data XVII[6]) Calendas Decembris, Petro consule.

---

[3]) Ita locum restituimus, qui in G^1 a^1 *perditis Eutychetis et Acacii discipulis sub comm. Petri omnium quoque damnatorum m. e. quod* (a^1 *quos*) *vestra* etc.; b cc *perdito Eutycheti et Acacius discipulus sub communione Petri omniumque damnatorum m. e. quos vestra* etc. In hac Baronii correctione enim id displicet: primo quod licentior sit; deinde quod non sit satis accurata, et id quidem tum quia Acacius praeter veritatem dicatur Eutychetis discipulus, tum quia idem aeque proxime ceterorum damnatorum atque Petri Mongi communione pollutus inducatur. Ita vero intelligendus est, quasi dixisset: *Perditis Eutychetis discipulis addatur et Accacius, qui cum Petro Mongo dum communicavit, omnium quoque damnatorum mixtus est errori.*

[4]) Hoc est libellum ab iis subscribendum, qui apostolicae sedis communionem desiderabant, ut in sequentibus epistolis declaratur. Is quidem ab hac epistola, cui subnexus fuerat, excidit. Sed quum primum per legatos Ennodium, Fortunatum, Venantium, Vitalem et Hilarum d. 11. Aug. a. 515 (ep. 7) in Orientem directus videatur ac deinde Horm. d. 2. Apr. a. 517 ad episcopos Hispaniae transmitteretur, et illorum indiculo et epistolae ad hos datae in collectione Avellana subditus est (cf. Horm. ep. 7 n. 9, 26 n. 2). Ejusdem et imaginem Hormisdae ep. 61 n. 2 praebet.

[5]) b cc *vestrae devotionis ... remittimus.*

[6]) Numerum *XVII* (loco *XIII*) librariorum oscitantia huc irrepsisse, atque hanc epistolam eo die, quo duae sequentes, datam esse haud temere suspicamur. Nec tamen auctoritatem ms. deserendam duximus.

Digitized by Google

Epistola 18.

Hormisdae papae ad synodum Epiri veteris.

a. 516 d. 19 Nov.

p. 104. *Episcopis Epiri veteris de eorum ad Ecclesiae unitatem reditu gratulatur, ostenditque generalem haereticorum damnationem pro temporis ratione non sufficere, nisi etiam nominatim damnentur.*

.Hormisda synodo Epiri veteris. **Per**[3]) **Rufinum diaconum.**

1. Benedictus Deus Ecclesiae suae membra consocians! Benedictus Deus, qui maligno instigante divisos sub eadem, qua olim fuerunt, facit soliditate conjunctos! Etsi enim diu perdicis modo vociferaverit inimicus, et eos, quos non genuit, sicut asseruit prophetа, collegit, tamen ab[2]) his sine ambiguitate desolabitur. Neque enim oves dominicae sequuntur alienum, aut alterius vocem pastoris exaudiunt. Unde nec vos ad salutis iter rediisse miramur, quum tarditatem magis in hac redintegratione culpemus. Jerem. 17, 11.

2. Debemus, carissimi fratres, domesticis uti[3]) ad hanc, quam quaerimus, stabilitatem documentis. Siquidem tunc Timotheus Chersonensis, gravis quum disceret[4]), gravior quum doceret, (nam Dioscori sectator, et idem Petri nihilominus institutor,) adversus beatae recordationis Proterium saevitiam[5]) suae temeritatis exseruit, et totius finem crudelitatis excessit, religiosi viri caedem inter ipsa operatus altaria, vix faucibus suis ab illo pio cruore suspensis. Tunc excitata[6]) universalis Ecclesia in odium parricidae, auctorem[7]) facinoris tanti non solum communione *, verum etiam ipsae[8]) quoque

* suppl. *spoliavit*

---

18 [1]) Verba *Per Rufinum diaconum* ex generali epistolarum indice, qui in G[1] ipsis epistolis praemittitur, revocamus. Hinc confirmatur conjectura nostra, qua superiorem epistolam 17 non *XVII* sed *XIII Cal.* consignandam observavimus.

[2]) Ita G[1]. Editi *abyssina.*

[3]) G[1] a[1] *ut hac quam quaerimus stabilitate.*

[4]) Et hic emendatio placuit Baronii, quum prius obtineret *descenderet.* Posset et legi *pravus quum disceret*, hoc est, quum Dioscori discipulus Proterium episcopum suum interfecit, *pravior quum doceret*, hoc est, quum episcopus factus Petri, qui ipsi successit, institutor ac magister evasit. Ab Hormisda autem *Timotheus* ideo *Chersonensis* nuncupatus videtur, quia in epistola 8 Acacii ad Simplicium n. 2 legerit, *Timotheum de Chersone* (seu *Cersone*) *spirantem procellas* vitae humanae subtractum. Verum ibi Timotheus non de Chersone ortus, sed de Chersone, ubi exsul degebat, spirans procellas memoratur.

[5]) b *scientiam suae temeritatis exercuit*, corrupte. Mox *fidem* mallemus, quam *finem*, quasi diceret: *et crudelitatem, quae omnem fidem excedat.* Quam crudeliter Proterius necatus et post mortem tractatus a Timotheo fuerit, jam saepius audivimus.

[6]) Videlicet Leonis Augusti litteris per universas provincias destinatis.

[7]) b *ductorem.*

[8]) Ita G[1] a[1]. Resarcitur sensus, si antea *communione spoliavit* legatur. Coust. supplendum suadet *ipsa quoque Christiana appellatione privavit. Adeo omnium*

Digitized by Google

a. 516. Christianae omnium mentes nova quadam admiratione stupuerunt tantae praesumptionis audaciam. Tunc beatus Eugenius paroeciae vestrae obtinens principatum, cum subjecta sibi sancta synodo zelum quemdam, quali Phinees[9]) se Deo commendavit, ostendit. Cujus rei memoriam non solum non potest tempus abscondere, verum etiam de die in diem magna apud orthodoxos fama multiplicat. Horum studia sic probata negligere et sententias non amare, id est, in ipsa Domini nostri confessione delinquere.

3. Et nobis quidem nunc post professionem ac litteras vestras, * (suppl. per) * omnia fidei dogmata Deo suos conjungente similia, orandum est, ut in ea voluntas vestra, qua nostros animos relevavit, confessione permaneat. Sed opus est citra respectum timoris insectari eorum rabiem, qui fidei adversa nituntur. Quanto enim infidelium error exaestuat, tanto magis se, si resistat, securitas nostra commendat. Neque enim haec sunt per patientiam negligenda, quando malum hoc vitio pravae consuetudinis animatum apud plures sub quodam colore legis inolevit, dum aut prava studia in unum congruunt aut recta se subtrahunt. Nam ut eam, quae imminet, rem loquamur, Eutyches ut nefandae haeresis inventor excluditur etiam ab his, a quibus ejus dogmata diliguntur[10]), apud eos ipsos ita exosus atque fugiendus, ut nominis quoque ipsius oderint mentionem. Sed perversi religiosarum institutionum ministri, quem sicut verum detestantur haereticum, hunc alia via tamquam verum amplexantur orthodoxum. Siquidem in sancta Calchedonensi synodo Dioscorus eadem sentiens pari ratione damnatus est: et quum una persecuta sit utrumque sententia, horum alterum si quis sequatur aut diligat, dicat aliquis, quemadmodum se[11]) a sententia, quae designatos damnavit, excipiat; quum eos, quos transgressionis aut impietatis connectit aequalitas, sine dubio unum quoque vinculum damnationis adstringat.

---

mentes etc.; b cc *ipso quoque Christiano nomine spoliavit, et omnium.* Ut enim loquitur Liberatus c. 15, universi episcopi Leonis Augusti litteris rogati rescribunt, *Timotheum non solum inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari. Ipsius nempe damnationem,* inquit eodem alludens Symmachus epist. 10 n. 2, *universalis est Ecclesiae vox locuta, dum eum nomine quoque Christiani honoris exueret.*

[9]) G[1] a[1] *quali fine esse Deo commendavit.* Quem locum Baronius resarcire conatus est in hunc modum: *quali fide esset Deo commendatus,* quod et in edit concil. exinde translatum. Retentis syllabis primaevae lectionis ac tantum conjunctis vel separatis quae perperam disjunctae aut copulatae fuerant, eruitur genuina. Antiqui enim *Finees* loco *Phinees* pingere solent. Epistola autem, qua Eugenius cum sua synodo zelum suum commendavit, inter litteras illas, quae encycliae nuncupantur, habentur concil. Calchedon. p. III cap. 38 (Hard. II, 764).

[10]) G[1] *deliguntur.* Hic notantur Acephali, sic dicti, quia Eutychen, haereseos quam sectabantur caput, aversabantur.

[11]) b cc *se ea sententia.*

Digitized by Google

Timotheus et Petrus horum sequaces homines mente corrupti et a. 516.
pestis quaedam nominis detestanda catholici; quorum communionem in Petro amplexus Acacius, similiter quoque meruit subire sententiam. Qui tantum malum quasi parvi aestimans et propositum nunquam ad meliora convertens, ne ab illis quidem se quae in Antiochia detestamur abstinuit; ibi quoque trangressori Petro communione[12]) connexus, in Apamenam nihilominus hostiliter versatus ecclesiam, Tyriam quoque non ea qua decuit integritate disponens.

4. Propter quae, dilectissimi fratres, ab eorum innodatione solventes, velut regionem[13]) quamdam pestiferam relinquentes, servemus apostolicam disciplinam. Saluti nostrae omni diligentia et sollicitudine providentes, ea cura nefandi Nestorii declinemus errores, qua Eutychetis impia inventa persequimur. Maxime enim nunc religiosa fidei dogmata diverso incursu horum, qui praedicti sunt, incursantur insidiis, scelestis pro ratione temporis sua argumenta nectentibus, si quo possint innocentium viis fraudem suae impietatis inserere. Atque ideo sicut docti numularii et prudenter instructi, ab improbandis laudanda seperantes, talenti vobis crediti poteritis multiplicare substantiam.

5. Haec, dilectissimi fratres, scripsimus plenae caritatis impulsu, quia et spem fidei vestrae primum de Dei dono deinde et fratris nostri Johannis, qui vobis praesidet, professione praesumpsimus, qua nominatim omnes, quos apostolica ac generalis catholicorum condemnat Ecclesia, exsecrabiles sibi esse declaravit. Quod vos quoque in litteris vestris oportuit evidenter exprimere, nec arbitrari posse sufficere sub tantis praesertim insidiis callidorum, quos viritim et singulos insectari convenit atque damnare, sub quadam eos generali damnatione concludere. Diligentem quaerunt vulnera antiqua medicinam, nec abundans esse creditur, quidquid pro integritate fidei et stabilitate religionis adhibetur. Unde libellum cum litteris misimus, cui vos subscriptiones proprias inserite[14]), ut fides vestra, quam directa per Rufinum diaconum scripta testantur, apud nos fiat hujus quoque repetitionis adjectione manifestior. Data XIII Cal. Decembres Petro consule.

---

[12]) Ita b cc; G[1] a[1] *commune*. Quamvis Acacius Petri Fullonis communionem vitare affectaverit, cum eo tamen, cum quo Petrus Mongus communicabat, societate conjunctus censebatur, ex quo Petri hujus Mongi communionem suscepit. Neque etiam Acacius proprie ac per se, sed idem Petrus Fullo in Apamenam ecclesiam hostiliter se gessit, quum invitis Apamenis Johannem ordinavit. Verum hunc Johannem ab his rejectum quum Acacius ipse postea Tyriis praefecit, ut in Gelasii tract. I n. 12 narratur, merito arguitur, ut qui Tyriam ecclesiam non debita integritate disposuerit.

[13]) b cc *religionem ... quos vos quoque ... sufficere sibi tantis.*

[14]) G[1] a[1] *inserere*, fortasse supplendum *oportet.*

Digitized by Google

Epistola 19.

a. 516 d. 19 Nov.

Hormisdae papae ad Johannem Nicopolitanum.

Libellum ei a se mitti, cui episcopi Epiri subscribant; ut suppleant, quod in eorum litteris deerat. p. 10

Hormisda Johanni episcopo Nicopolitano per Pullionem subdiaconum.

Litterarum quas direxisti series et expositio tuae fidei, conveniens sedis apostolicae judiciis, nostros animos relevavit. Tot incitati gaudiis contenti non fuimus, nisi per Pullionem subdiaconum ecclesiae Romanae, quid plenius circa vos ageretur, cuperemus agnoscere; magnopere quia in relatione episcoporum sub ordinatione caritatis tuae degentium non universa, quae ad ecclesiastica constituta pertinent, sicut in vestra, leguntur evidenter expressa. Unde et pro nostra sollicitudine et illorum integra nobiscum conjunctione libellum[1]) direximus, in quo eos oportet debere subscribere, quia et omnes sacerdotes vestrarum partium[2]), qui ad sedis apostolicae communionem reversi sunt, in eadem professione subscripserunt. Ista caritas, ista communis salutis excitavit ambitio, quod credo et fraternitatem vestram gratanter accipere: quia ubi de animarum salute res geritur, studii tui vel intentionis debes operam commodare, ut antecedendo fructum de tali possis laude percipere. Pullionem praedictum cum rescriptis caritatis vestrae ad nos juvante Deo sub celeritate remittite, quatenus desideria nostra diu suspensa esse non possint. Data XIII Cal. Decembres, Petro viro clarissimo consule.

Epistola 20

seu

(a. 516 d. 19 Nov.)

Indiculus per[1]) Pullionem subdiaconum.

Quid in Nicopolitana ecclesia agendum sit.

Cum Dei adjutorio. et orationibus sanctorum apostolorum Petri et Pauli veniens ad Nicopolim, sic debes agere, ut postquam episcopus Nicopolitanus acceperit litteras nostras, episcopos, quos in sua

---

19 [1]) Videlicet duabus epistolis superioribus subter annexum, ut in epistola sequenti planius declaratur, quique in editionibus conciliorum epistolae huic subjicitur veluti *data XV. Kal. Aprilis Agapito v. c. cons.*, licet Agapitus anno tantum 517 consulatum adeptus sit. Nos eum, vestigia G[1] secuti, epistolae 7 n. 9 subjecimus; eumdem nobis epistola 26 suspeditabit.

[2]) Nominatim Illyrici, ad quod Epiri veteris provincia pertinebat, pene omnes sacerdotes inter eos, qui ad communionem sedis apostolicae eo pacto redierant epist. 9 n. 1 memorantur.

20 [1]) Seu potius *datus Pullioni subdiacono*, ut supra epist. 7 *indiculus qui datus est Ennodio*, non *per Ennodium* legitur. Hunc indiculum una cum superiori epistola conscriptum ac datum fuisse, ex eadem epistola liquet.

Digitized by Google

paroecia habet, colligat, et faciat subscribere libellum, quem in epistolis[2]) suis habent annexum. Si tamen dixerit praedictus episcopus esse laboriosum episcopos colligere, dirigat tecum personas per singulos episcopos, ut te praesente subscribant[3]) in praedictum libellum. Sic tamen cum Dei misericordia facere debes, ut epistolae, quae a nobis missae sunt, publice legantur; aut si videris prae timore hoc episcopos facere nolle, saltem clericis suis haec relegant. Quae tamen in ipsorum dimitte potestatem, et scripta episcoporum et illius episcopi, hoc est Johannis metropolitani, ad nos cum misericordia reporta. Post hoc factum nullas moras te volumus ibidem facere, propter insidias et calliditates inimicorum. *Per Johannem diaconum ejus.* (a. 516.)

Epistola 21.

Aviti episcopi Viennensis ad Hormisdam papam. (a. 516 c. fin.)

106. *Gratulatur de conversione provinciarum Dardaniae, Illyrici et Scythiae petitque, ut certior fiat de successu legationis Constantinopolim missae.*

Domino sanctis meritis praecellentissimo, in Christo gloriosissimo et apostolica sede dignissimo papae Hormisdae Avitus.

Dum religionis statui et plenis catholicae fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem per tota vobis universalis Ecclesiae membra commissum pervigil cura vestrae adhortationis informet, Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem[1]) meam litteris visitastis, quae ad me, secundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatensis ecclesiae clericos pervenerunt, et quidem plenissimae sollicitudine pastorali. In quibus nos sicut per conversionem[2]) provinciarum, id est Dardaniae, Illyrici vel Scythiae[3]), ad communionem gaudii provocatis, sic ad-

---

[2]) Hic superior epistola 18 ad episcopos Epiri veteris indicatur. — Ed. *habet.*

[3]) Hormisdam voti compotem fecerunt non modo Nicopolitani seu provinciae Epiri episcopi, sed et Dardani: siquidem chartas ac subscriptiones eorum, ut in epistola 22 n. 5 visuri sumus, ante mensem Februarium anni 517 penes se habebat.

21 [1]) Ex eo, quod Avitus non generatim *ad nos*, sed nominatim *ad humilitatem meam* dicat, colligere est, epistolae 9 exemplum proprio ipsius nomine inscriptum ad eum pervenisse, adeoque epistolam illam ex iis fuisse, quae *a pari* vulgo nuncupantur.

[2]) G[1] a[1] *conversationem.* Rectius aliae *conversionem*, scilicet a schismate et causa Acacii.

[3]) Ita Sirm. G[1] a[1] *Squiciae*, cujus vocis loco Baron. substituit *Thraciae.* Antiquarii quippe pro diversa dictantium pronuntiatione modo *Scythiae*, modo *Squiciae*, alias, ut epist. 26 n. 3 probaturi sumus, *Sciciae* nominibus repraesentarunt.

Digitized by Google

(a. 516.) monitione cautissima, ne quid per ignorantiam praevenire possit instruitis. Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per beatissimos praedecessores sanctae sedis vestrae calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram apostolicae ad nos diligentiae provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit et anxios, quod quum pendere nos ad effectum legationis secundo Constantinopolim destinatae omni exspectationis studio jusseritis, nec quid filius vester, sanctus frater meus, Ennodius retulerit, nec utrum secuta[4]) redierit indicastis: et promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo praedicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Unde sola hac causa servos vestros, filios meos Alerium presbyterum et Viventium diaconum, totius[5]) Viennensis provinciae nomine, quae ecclesiae ad me pertinenti ab universis praedecessoribus vestris et ab apostolica sede commissa est, cum praesentis famulatus pagina destinavi: per quos oraculo beatissimae responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum praefatorum, qui intra Constantinopolitanam urbem vitio perniciosae obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam vel Antiochenam ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente dicentibus digna fuerit correctione restinctus; aut si reversa legatio in paginis evidentibus, quod simplex legeretur, exhibuit, an forte nuncio magis retulit, unde vobis adhuc qualiscunque suspicio reservetur. Veremur enim, ne pontificale judicium, dum non indicat prospera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia ecclesiae Romanae jactitare se Graeciam: quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est, ne callide simuletur. Quaesumus ergo servitio meo cuncti[6]), ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, responderi debeat, instruatis: quia jam[7]) securus, non dicam de Viennensi sed de totius Galliae devotione, pollicear, omnes super statu fidei vestram captare sententiam. Orate, ut sic nos praedictorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas

---

[4]) Hoc est quae primam secuta est; quia nimirum Avitus ex rumore falso secundam legationem post Ennodii reditum destinatam crediderat, ut subsecra docet Hormisdae responsio. Hinc in c^6 c^7 *secura* prave legi liquet.

[5]) His verbis ostenditur, Avito minime probatam esse Viennensis provinciae divisionem a s. Leone factam et ab ejus successoribus confirmatam, sed eum ita affectum fuisse, ut totam provinciam sui juris esse contenderet. — G^1 *Vicentium*, al. *Venantium*.

[6]) b cc *juncto*. Retinendum cum G^1 c^5 c^{11} *cuncti*, scil. Gallicani episcopi, quorum nomine scribit Avitus, et quos sua opera inducit rogantes. Mox editi *respondere debeam*, ubi ex archetypo restituimus *responderi debeat*.

[7]) Ita Sirm. At G^1 a^1 *cum securus*.

Digitized by Google

comperta non separat. Accepta III Calendas Februarii, Agapito v. c. consule, per Alexium presbyterum et Venantium diaconum. (a. 516.)

Epistola 22.

Hormisdae papae ad Avitum episcopum Viennensem.

a. 517 d. 15 Febr.

104. *Cur legationis Constantinopolim destinatae exitum siluerit, exponit (n. 1 et 2), ut ab Orientalibus fraudibus caveant, monet (n. 3). De Thraciae, Illyrici, Dardaniae et Epiri ad communionem Ecclesiae reditu certiores facit (n. 4). Legationem secundam in Orientem parare se monet, ac gesta mittit, quibus quo ordine Nicopolitani ac Dardani ad communionem recepti sint, discere valeant.*

Hormisda Avito episcopo vel universis episcopis provinciae Viennensis sub tua dioecesi consistentibus.

1. Qui de his, quae ad disciplinam catholicam pertinent, maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata divina habeat, evidenter ostendit. Non enim potest esse hujusmodi cura, nisi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exsultamus in Domino de sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Viventium[1]) diaconum litteras intuemur et de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio sedis apostolicae constituta recolere, et si quid adversus eos admonitio nostra promoverit, per quos Orientales ecclesiae confunduntur, inquirere. Digna plane sollicitudo fidelibus, ut de miserorum lapsibus ingemiscant, et ipsi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, ut ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus.

2. Nam quod non saepius nostra admonitio vos frequentet, de conscientiae vestrae et fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis, satis est vitanda indicasse perfectis. Legationis vero nostrae, quam semel non *secundo*, sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri: scientes, hoc rationi, hoc nostro proposito convenire, ut quos participes sollicitudinis fecimus, cum his redintegratae unitatis gaudia jungeremus. Sed quantum ad Graecos, ore potius praeferunt pacis vota quam pectore, et loquuntur magis justa, quam faciunt: verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant; quae fuerint professi, negligunt, et quae damnaverint, haec sequuntur. Nam unde est, quod, quum per Ennodium fratrem et coepiscopum nostrum sacerdotales viros ad confirmanda ea, quae sedes apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent, multa quoque,

22 [1]) G[1] *Viventium*, al. *Venantium*. Mox ed. *de conscientia vestra ... de integritate unitatis.*

Digitized by Google

a. 517. quae ad correctionem pravitatis suae a nobis quaesita fuerant, pollicentes, non solum non religiosos viros, penes quos causae ipsius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt, verum etiam, quasi res parva gereretur, laicos[2]) et alienos ab ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de coeno, quo immersi tenentur, evolvere, verum etiam catholicae fidei claritatem[3]) fulgentem sua, quod absit, se posse crediderunt societate fuscare? Haec fuit nostri causa silentii, quam vos quoque spiritali vobis prudentia revelante vidistis. Quid enim de hac causa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? Novi exitus sollicitae diligentiam relationis inquirunt. Qui de rebus cognitis nihil indicat, abunde in statu suo manere priora declarat.

ep. 11 et 12.

3. Quapropter, dilectissime frater, et vos praesentibus hortamur alloquiis, et per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias, quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus, promissam et amabilem Deo fidei servare constantiam, et transgressorum societate declinata, constantiam vestram *uni viro virginem castam*, sicut spopondistis, *exhibere Christo*. Et cavete, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita sensus aliquorum corrumpantur a simplicitate et castitate, quae est in Christo Jesu. Perniciosa sunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos convenit, quia *adversarius salutis humanae sicut leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide:* quia hoc speciale habent patris sui de coeli arce dejecti[4]), qui vestigia ejus sequuntur et diligunt, ut illa veritatis luce privati et alios gaudeant sua obscuritate fuscari, et quum perversitatis suae poenas luituros esse se sciant, exsultent, si miseros cum sua damnatione conjungant. Nam unde est, quod quum pro magna parte a conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiae spe, fraudibus et variis artibus nituntur allicere: nisi ut lucem, quam ipsi non habent, in aliis quoque impia contagione commaculent?

2 Cor. 11, 2.

1 Petr. 5, 8.

4. Ut autem quae sint partium earum studia possitis agnoscere, plures Thracum, licet persequentium incursibus alterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa

---

[2]) Videlicet *Theopompum et Severianum comites*, quos Anastasius ep. ad Hormisdam a. 516 data commendat. Quod vero subjicitur *et alienos ab ecclesiastico corpore*, ita intelligendum est, ut vel extra clerum vel etiam extra Ecclesiam tamquam pagani aut haereticis addicti fuerint. Quum autem hi ab Anastasio destinati fuerint, nomine Graecorum, quorum hic exponuntur fraudes, maxime is imperator notatur.

[3]) G[1] a[1] *claritate fulgente*; sed litteram *m* in fine verborum facile omittunt vel etiam adjiciunt antiqui librarii. Mox ed. *obscuritate*, ubi G[1] *societate*.

[4]) Diaboli videlicet, qui de coelo dejectus est.

Digitized by Google

clariorem. Dardania et Illyricus vicina Pannoniae a nobis, quod a. 517.
jam fecimus ubi necessarium fuit, ut sibi episcopi ordinarentur expetiit: in tantum se a consortio perditorum separare gaudentes, ut remedia quaererent, dummodo commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri metropolitanus, hoc est Nicopolitanus episcopus, cum synodo sua nuper segregatus ab impiis, ad apostolicam communionem deprompta, quae efficeret[5]), professione se contulit. Quae epist. 15 et 16.
ideo scriptis aestimavimus indenda praesentibus, ut sicut sortem nos convenit dolere pereuntium, ita laetemur pariter de salute remeantium, et ut fideles constituti ab eis longius instruantur, qua virus eorum sollicitudine debeat effugi, quos et a suis[6]) videant tam justa detestatione vitari.

5. Et nos quidem dispensationis nostrae memores, necesse est eos repetitae legationis officio convenire: quod si affectu salvationis suae, si respectu Dei, si rationis intuitu non moventur, saltem pulsantibus importune et pertinaciter acquiescant, et aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impoenitens cor ab omnibus inexcusabiles judicentur, qui et moniti toties in perfidiae obstinatione persistunt. Vos orate et nobiscum ad Deum preces et vota conjungite, ut per opem misericordiae ejus nostra actio laborans pro catholicae fidei stabilitate promoveat, immaculatos vos et integros ab omni trangressorum societate servantes: ut aut cum correctis sensus et corda jungamus, aut ab eorum venenis intacti esse mereamur. Nam qui, sicut vos quoque conscientiam vestram non latere testamini, novimus Eutychetem atque Nestorium apostolicae id est catholicae sententiae auctoritate damnatos; quemadmodum salvi esse poterimus, si eorum sectatoribus ac posteris qualibet parte communionis haereamus, quum Belial cum Christo nostro portionem habere non possit? Instructionis autem vestrae interesse credimus, ut ea, quae apud[7]) nos a Nicopolitanis vel Dardanis acta sunt, vel quo in communionem ordine sunt recepti, vobis nota face-

---

[5]) Primum conjectura erat legendum esse *sufficeret*, quasi episcopi hujus provinciae Hormisdae epistola 18 n. 5 praemoniti, ut *non arbitrarentur posse sufficere sub tantis praesertim insidiis callidorum, quos viritim et singulos consectari convenit atque damnari, sub quadam eos generali damnatione concludere*, postmodum suppleviase dicantur, quod in prima ipsorum professione non satis integrum videbatur. Sed quum hoc nominatim de metropolitano Johanne, cujus professioni nihil deerat, dicatur, hoc potius ita interpretamur, *deprompta professione eorum quae efficeret*, scilicet adversus haereticos atque schismaticos ac pro catholica fide; vel ut c[11] supplet, *quae luculentam fidei et obedientiae declarationem efficeret.*

[6]) Hoc est a vicinis seu conterminis, et qui in eadem regione sunt. Male autem deinde G[1] a[1] *videat*. Mox editi *quo affectu*.

[7]) Id est, quae penes nos sunt, a Pullione, qui anno superiori mense Novembri eam ob causam in illas regiones destinatus fuerat, relata.

Digitized by Google

a. 517. remus ipsarum lectione chartarum. Data XV Calendas Martias Agapito consule.

Epistola 23.

a. 517 d. 3 Mart.

Hormisdae papae ad Johannem Nicopolitanum.

De molestiis, quas ille patitur, consolatur, utque et ipse in fide constans sit et episcopos provinciae suae in eadem constantia confirmet, hortatur. De precibus ad imperatorem pro generalitatis quiete mittendis se cogitare significat. p. 104

Hormisda Johanni episcopo Nicopolitano.

1. Remeante Pullione subdiacono nostro litteras caritatis vestrae suscepimus, de constantia fidei vel de intentione, quam circa communionem sedis apostolicae geritis, gratulantes: sed contristati sumus, quod vos aliquas sustinere molestias[1]) perhibetis. Ista tamen diuturnam non possunt habere substantiam, quia ubi Deus pure colitur, etsi adversa contigerint, in[2]) prosperis commutantur secundum
Rom. 5,5. apostolum dicentem: *Spes non decipit.* Dubitans apostolorum
Matth. 14,30. princeps incedens per pelagus laboravit; mox tamen invocato Domino suo paratum habuit, qui eum porrecta manu non pateretur sustinere discrimen. Ergo auctorum nostrorum sequentes exempla et in ipsorum fide permanentes, illius poscamus auxilium, de quo scriptum
1 Cor. 10,13. est: *Qui nos non dimittit tentari supra quae possumus.* Igitur salutantes caritatem tuam hortamur, ut quemadmodum praediximus, in
Matth. 10,22. his quae bene inchoata sunt perseveres: quia *qui perstiterit usque in finem, hic salvus erit.*

2. Frequenter alloquiis tuis nostram sollicitudinem relevare non desinas. Paroeciales quoque sacerdotes tuos competenti adhortatione confirma, quia ista faciendo talentum tibi creditum poteris multiplicare quotidie. De illa quoque parte, quam dilectio tua postulat, cogitamus[4]), ut ad imperatorem clementissimum pro generalitatis quiete preces nostrae perveniant. Tantum est, ut votum studiumque nostrum congruis orationibus juvare non cesses, quia nos in his Deo auctore perficiendis vacare minime potuerimus. Data V Nonas Martias Agapito viro clarissimo consule.

---

23 [1]) Praesertim, ut infra epist. 36 n. 1 pandetur, a Dorotheo Thessalonicensi episcopo affligebatur Johannes eo obtentu, quod litteras ordinationis suae indices ad ipsum pro more non misisset.

[2]) b cc *in prospera.*

[3]) *Paroeciales sacerdotes* episcopi, qui Nicopolitanae metropoli suberant et quos *provinciales* vocare usu venit, intelligendi sunt, quo pacto *paroeciae* nomen loco *provinciae* usurpari epist. 16, 18 et 20 animadvertimus. — Mox b *allocutione* (loco *adhortatione*).

[4]) Id eum serio cogitare, testis est superior epistola n. 5, ubi scribit: *Et nos quidem dispensationis nostrae memores, necesse est eos repetitae legationis officio convenire.*

Digitized by Google

Epistola 24.

Hormisdae papae ad Johannem Illicitanum episcopum.

a. 517 d. 2 April.

p. 106. *Libenter se de illius in Italiam adventu audivisse et probare ejus pro fidei integritate studium. Per Cassianum diaconum se generalia constituta et certas instructiones de Graecorum causa ad Hispanas ecclesias direxisse significat. Denique vices ei suas reservatis privilegiis metropolitanorum committit.*

Dilectissimo fratri Johanni Hormisda.

1. Fecit dilectio tua rem caritati et fidei congruentem, ut[1]) adventum ad Italiam suum nobis directis litteris indicaret, et quae in te sit summa religiosae voluntatis ostenderet. Atque utinam ad plenioris affectus satietatem praesentiae tuae nobis gaudia contigissent, ut[2]) gratularemur nos ejus eloquio frui, quem ita sumus per scripta complexi! Verum etiam probasti, dilectissime frater, quo Christianam fidem venereris affectu, dum ea, quae ad regulas patrum pertinent et ad mandata catholica, sine aliqua cupis transgressione servari: sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses ecclesias constitutis, quae[3]) aut negligentius aut irreligiosius fiunt, ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus. Amplexi[4]) sumus captatam istius desiderii facultatem. Quid enim aut nobis dulcius, quam cum fidelibus loqui, aut[5]) beatius, quam deviantes ab errore revocare? Salutantes igitur, caritate[6]) qua jungimur, per Cassianum diaconum tuum significamus, nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea quae juxta canones servari debeant competenter ediximus, vel circa eos, qui ex clero Graecorum veniunt, quam haberi oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sed et causae ipsius ordinem instructiones[7]) adjunctae de scriniis ecclesiasticis vos docebunt, ut agnoscentes et impiorum transgressionem et apostolicae sedis curam

---

24 [1]) J[1] *et adventum ad It. suum n. dilectis ... indicare ... tendere.* cc *ut adventum tuum.*

[2]) Editi *ut gratulemur nos et colloquio et praesentia frui, quam sumus ante per scripta complexi. Verumtamen probasti:* castigantur ex β Γ O[10] J[1] *ut gr. nos et conloquio frui quia ita.*

[3]) O[10] add. *superius* forte pro *super iis.* J[1] *constitutis super quia aut ... santiamus.*

[4]) Sic mss. Editi vero: *quod amplexi sumus, captata istius desiderii facultate.*

[5]) Ed. cum J *aut Deo aptius,* O[10] *aut Deo actius.* Magis placet cum aliis mss. *aut beatius,* nisi quis malit *aut Deo gratius.*

[6]) Ita 2 β Γ O[10]. At al. *caritatem,* J[1] *caritatem quam injungimur. — Generalia constituta,* quae hic memorantur, exhibet sequens epistola, sicut et quae hanc excipit, qua cautione Graeci excipiendi sint, docet.

[7]) Ita β Γ O[10]; al. *instructionem abunde decretis ecclesiasticis;* J[1] *instructionem adinuncte.* Eamdem confirmat et illud epistolae 26 n. 2: *satisfacientes igitur et laudabilibus desideriis memorati viri* (Johannis), *documenta quoque de ecclesiae scriniis assumentes.*

Digitized by Google

a. 517. pro patrum regulis excubantem, ostendatis vos per odia[8]) damnatorum consortia amare fidelium.

2. Et quia per insinuationem dilectionis tuae hujus nobis est via[9]) patefacta providentiae, remuneramus sollicitudinem tuam, et servatis privilegiis metropolitanorum vices vobis apostolicae sedis eatenus delegamus, ut in speculis[10]) sitis, et sive ea, quae ad canones pertinent et[11]) a nobis sunt nuper mandata, serventur, sive quid de ecclesiasticis causis dignum relatione contigerit, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuae, ut talem te in his quae injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris. Data IV Nonas Aprilis Agapito viro clarissimo consule. Era[12]) DLV.

Epistola 25.

a. 517 d. 2 April.

Hormisdae papae ad universos episcopos Hispaniae.

I. De sacerdotibus juxta instituta canonum ordinandis. p. [illegible]
II. Ut pro episcopatu praemium non accipiatur.
III. De concilio per annos singulos celebrando.

Dilectissimis fratribus[1]) universis episcopis per Hispaniam constitutis Hormisda.

1. Benedicta Trinitas Deus noster, qui per misericordiam suam Romanae reipublicae per universas partes suae pacis tranquillitate diffusa, nobis quoque viam demonstrandae circa nos invicem caritatis indulsit: ut qui cohaeremus firmitate fidei, jungamur quoque votiva jucunditate colloquii, quo facilius, dum per litterarum mini-

---

[8]) J[1] J[5] J[6] ed. *perosos damnatorum consortia, et amare fidelium.* Praeferimus cum K[3] O[7] O[10] Γ β *per odia damnatorum consortia amare fidelium.* In uno Colb exstat *consortio amare fidelium.*

[9]) Ed. *viae patefacta providentia:* corriguntur ex O[10] Γ β i[2].

[10]) Ita Γ i[2] a[3] (J[1] *in speculis istis*). — Ed. cum O *ut inspectis istis, sive;* 1 β *ut in his saeculis sitis, et sive*, alt. β *ut in spelucis sitis, et sive.* Huc spectat, quod infra Hormisda epist. 142 n. 1 vices suas per Baeticam et Lusitaniam Sallustio committens, habet: *augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem relevantes nostras ejusdem remedio excubias.*

[11]) In vulgatis *sive quae* (vel *sive ea quae*) *a nobis ... sive ea quae de ecclesiasticis causis tuae revelationi contigerint* (vel *contigerunt*). In plerisque mss. *et a nobis ... sive de ecclesiasticis causis tuae revelationi contigerit.* Sinceram lectionem suppeditant 2 β O[10] Γ (J[1] *sive qui de ... causis dum relatione contigerit*). Concinnior esset lectio *et sive qua ad* etc.

[12]) In mss. J hic subjicitur *Era DLV*, quae nota cum eodem anno 517 componitur. — O o[1] *Aera DCXLVIII.*

25 [1]) F[d] inscripsit: *I. Epistola Ormisde pape ad universos epis. Dilectissimis fratribus epis per universam provinciam consistentibus Ormisda papa.* Moxque F[d] *suae pace et tranquillitate ... monstrande circa nos caritatis ... in nos usque ... corda vra.*

Digitized by Google

steria ad vos usque pertendimus, etiam corda vestra ad religiosum a. 517.
cultum apostolicis admonitionibus incitemus[2]), et dum dilectionis nostrae pignus reddimus velut quoddam debitum, plenum circa Deum monstremus affectum. Jungamus igitur, dilectissimi fratres, continuas et humiles preces, et Dominum nostrum oris et cordis lacrymis supplicantes jugi deprecatione poscamus, ut et institutione et opere illi, cujus esse membra cupimus, haereamus, nec unquam ab illa via, quae Christus est, devio tramite declinemus, ne ab eo juste, quem nos impie relinquimus, deseramur. Quod cum superni favoris auxilio ea nobis potest ratione contingere, si apostolica dogmata seu patrum mandata servemus. Dicit enim Dominus noster: *Qui diligit me, ser-* Joh. 14, 23.
monem meum servabit[3]), *et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et licet haec possint generaliter dicta sufficere, ut vel declinemus errata vel custodiamus catholica constituta, tamen quia Johannis fratris et coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reverentiam nonnulla praesumi, periculum, quod doctoribus imminet de taciturnitate, declinans, et prophetica voce compunctus, qua dicitur: *Loquere, ne* Ezech. 24, 26.
taceas, generalibus edicendum credidi constitutis.

I.

2. Ut in sacerdotibus ordinandis, quae sunt a patribus praescripta et definita, cogitetis: quia sicut caput est Ecclesiae Christus, Christi autem vicarii[4]) sacerdotes, sic et in eligendis his curam oportet esse praecipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos 1 Tim. 3, 2.
praeesse necesse est corrigendis: nec quidquam illi deesse personae, penes quam est religionis summa et substantia disciplinae. Aestimet quis pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si[5]) non ad sacerdotii gradus saltu quodam passim laici transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores; sed milites suos probatos

---

[2]) F[d] *incitentur et dum dispensationis nostrae reddimus ... ut velut institutione vel opere ... ne umquam ... nec ab eo.*

[3]) F[d] *custodit.*

[4]) Romanum episcopum vulgo antiqui, ac nominatim Juliana Anicia infra epist. 119, *vicarium beati Petri* appellant. Eumdem et in epistola 30 Gelasii n. 15 *vicarium Christi* nuncupari observavimus. Quod praeclarum nomen cum ceteris episcopis communicare nunc Hormisda non dedignatur. — Mox cum F[d] *praecipuam*, ubi al. *perspicuam* (J[1] *prespicuam*).

[5]) Editi *si non sacerdotii gradus ... laicis transferantur:* corriguntur ope F[d] J[1] β (β *gradum*); F[d] tamen *a laicis transferantur ... decet.* Vide concilium Sardicense can. 13, Zosim. epist. 9 n. 2, Bonifac. epist. 5 n. 4, Coelestin. epist. 4 n. 4 et epist. 5 n. 2, Leon. epist. 12 n. 4.

Digitized by Google

a. 517. sibi quaerunt instituta fidelia[6]). Discere[7]) quis debet ante, quod doceat, et exemplum religiosae conversationis de se potius aliis praestare quam sumere. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa observatione religiosi[8]) cultus teratur, ut luceat, et diu[9]) clericalibus obsequiis erudiendus inserviat, ut ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis, ostendat. Non leve non vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem nisi Levitici generis viri ad sancta admittebantur[10]) altaria, ne passim, meritis aut pretio aut praesumptione contemptis, ad sacros cultus impar accederet. Migravit[11]) illa praerogativa familiarum ad instituta cultorum. Nunc est doctrina pro genere: quod illis fuit *nasci*, hoc nobis *imbui;* illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina.

3. Nec tantum consecrari de laicis inhibemus, sed ne de poenitentibus quidem quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis[12]) illi postulanti sit venia. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis eum, quem paulo ante vidit jacentem, veneretur antistitem? Praeferens[13]) miserandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotii dignitatem.

---

[6]) *β fide.* Rursum infra n. 6 *fidelibus* institutis incumbendum praedicatur. A Coelestino jam audivimus epist. 4 n. 4: *Debet ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit.*

[7]) O c c *discere prius* (O omitt. *prius*) *quisque debet antequam doceat.* F[d] J i[2] *discere quis* (F[d] omitt. *quis*) *debet ante quod* (i[2] *antequam*) *doceat. Emendatiorem* (al. *Emendationem*).

[8]) In vulgatis *religiosus cultus tradatur.* Concinnius in F[d] J[1] *β religiosi cultus teratur* (J[1] *terratur*, F[d] *tenatur*), similitudine ducta ex oleo, quod ex tritis fructibus ac seminibus confectum vim lucendi consequitur.

[9]) Ita F[d] *β*; al. omitt. *diu*, J[1] *de.* Mox *β summam*, ac deinde O c c *Nec leve nec vacuum.*

[10]) K[3] *β admovebantur*, J[1] *admonebantur*, F[d] *movebantur;* tum c[1] sqq. *ne pessime meritis aut pretio aut praesumptione contemptis*, c[7] c[10] *ne pessime meritis contemptis aut pretio aut praesumptione ad.* F[d] J i[2] sequimur, nisi quod J[1] cum c[1] *contentis.* F[d] *confestim.*

[11]) Ed. *Tunc migrabant per illam praerogativam;* castigantur ex i[2] et mss. Docet privilegium familiae Leviticae ad eos translatum esse, qui institutis et disciplinis ecclesiasticis cultiores sunt, ita ut doctrina et eruditio vice generis nunc requiratur.

[12]) F[d] *β Satis illi postulata sit venia, qua conscientiam absolvit reum* (F[d] *absolvat reum*), *qui se peccata populo.* Innocentius epist 17 n. 11 scribit: *Nec post poenitentiam clericum fieri, ipsi canones sua auctoritate permittunt.* Item epist. 39 eosdem nominatim Nicaenis canonibus etiam ab infimis clericorum officiis exclusos docet. Hinc ab ordinibus expoenitentes arcent constituta Hilari epist. 16 n. 5, Gelasii epist. 14 c. 3 et epist. 15 c 1.

[13]) Nonnulli mss. (etiam J[1]) *perferens.* Mox O c[1] *benedictionem p. i. m. quae divina esse cr., quis pretio comparet.* Ceteri vero editi post Crab. verborum ordinem sic mutatum exhibent: *ne benedictionem, quae divina esse creditur, per impositionem manus quis.* F[d] *β Γ* sequimur.

Digitized by Google

II. a. 517.

4. Hoc quoque ad praemissa adjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quae a Deo esse creditur, pretio comparetur: quoniam ante oculos esse convenit, quod Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, apostoli fuerit detestatione percussus. Act. 8, 18 ss. Tunc deinde[14]) quis non vile putet esse, quod venditur? Istam sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi munere[15]) populorum divinum credatur esse judicium. Ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus. Verum nec hanc quidem partem sollicitudinis et admonitionis omittimus, ne vel ille se a culpa aestimet alienum, qui[16]) ipse quidem a redemptione liber, initiaverit benedictione mystica sacerdotem, et tamen ad alterius redempti voluntatem vel sponte in hoc vel necessitate consenserit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum praestat erranti? Procul dubio contra mandata committit, et qui habet peccatum proprium, et qui peccatum sequitur alienum. Incassum animus resistit cupiditati, si non restiterit[17]) et timori. Adversus haec facilius Deo juvante providebitur, si circa metropolitanos privilegia a sanctis patribus constituta permaneant, si metropolitani circa paroecias suas ordinem suum ea qua decet veneratione custodiant: ut nec[18]) elatio praesules nec contemptus depretiet obsequentes. Quae si ita in

---

[14]) J^{13} *inde*. Mox J^1 omitt. *non;* F^d β Γ *quod vendidit*. F^d *justam*.

[15]) Ed. *murmure*, corriguntur ex F^d J^1 β Γ i^2, nisi quod F^d *sensus*. Vox autem *populorum* licet referri possit ad *munus*, quatenus illorum consensu sacerdotium confertur, melius tamen referatur ad *judicium*, quasi legeretur: *judicium populorum credatur esse divinum*. Leo epist. 14 c. 5, statuit: *ut ille omnibus praeponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit*. Conf. Leon. epist. 10 c. 4 et 6, 13 c. 3, 167 inquis. 1, et s. Cyprian. plur. loc.

[16]) O c^1 sq. add. *etsi;* mox F^d omitt. *liber*. Deinde i^2 *errandi*.

[17]) F^d J^1 O cc *resistit*. Eidem vitio Leo epist. 6 c. 3 occurrit his verbis: *nihil gratiae personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis*. Haec Hormisdae sententia iis est sedulo consideranda, quibus etsi is est animus, ut nihil ipsi praeter fas patrare velint, non ea tamen est virtus, ut iniqua petentibus resistere valeant.

[18]) Ita cum F^d J^1 i^2 locum restituimus, nisi quod F^d J^1 *electio praesules* (F^d *praesulis*) *nec contemptus depretii et* (F^d *efferat*) *obsequentis. Quaesita* (F^d *quaeque si ita*) *in ...scripturis* (F^d *scrinis*)*...fomenta* (J^1 *fundamenta*). β Γa^3 *nec electio praesulis nec contemptus decreti et obsequentis. Quae si ita in operibus fixa habeantur in cordibus, quemadmodum relegantur in scripturis, nulla intentionum semina etc.* Et resarciendam lectionem Coust. hoc pacto suadet: *ut nec electio praesulis de contemptu sit decreti subsequentis*. Certe in electione episcopi fiebat ac recens electo tradebatur decretum, in quo qui ab ordinationibus arcendi erant praescribebantur. Cujusmodi decreti formulam Gelasii et epistola 15 exhibet, et epistola 16 commendat. — Alii editi *nec electio praesulis empta detur pretiis et nec obsequentis sit quaesita operibus, sed si ita fixa ... in scripturis. Si nulla sunt in templis emptionum semina etc.* Quae lectio summatim ex mss. O profecta, qui ita proferunt (J^2 O^1 O^2 V^2): *ut nec electio praesulis nec empta* (O^2 *redempta*, V^2 *ne tanta*) *de* (O^2 *detur*) *pretiis* (O^1 add.

Digitized by Google

(a. 516.) monitione cautissima, ne quid per ignorantiam praevenire possit instruitis. Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per beatissimos praedecessores sanctae sedis vestrae calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram apostolicae ad nos diligentiae provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit et anxios, quod quum pendere nos ad effectum legationis secundo Constantinopolim destinatae omni exspectationis studio jusseritis, nec quid filius vester, sanctus frater meus, Ennodius retulerit, nec utrum secuta[4]) redierit indicastis: et promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo praedicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Unde sola hac causa servos vestros, filios meos Alexium presbyterum et Viventium diaconum, totius[5]) Viennensis provinciae nomine, quae ecclesiae ad me pertinenti ab universis praedecessoribus vestris et ab apostolica sede commissa est, cum praesentis famulatus pagina destinavi: per quos oraculo beatissimae responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum praefatorum, qui intra Constantinopolitanam urbem vitio perniciosae obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam vel Antiochenam ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente dicentibus digna fuerit correctione restinctus; aut si reversa legatio in paginis evidentibus, quod simplex legeretur, exhibuit, an forte nuncio magis retulit, unde vobis adhuc qualiscunque suspicio reservetur. Veremur enim, ne pontificale judicium, dum non indicat prospera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia ecclesiae Romanae jactitare se Graeciam: quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est, ne callide simuletur. Quaesumus ergo servitio meo cuncti[6]), ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, responderi debeat, instruatis: quia jam[7]) securus, non dicam de Viennensi sed de totius Galliae devotione, pollicear, omnes super statu fidei vestram captare sententiam. Orate, ut sic nos praedictorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas

---

[4]) Hoc est quae primam secuta est; quia nimirum Avitus ex rumore falso secundam legationem post Ennodii reditum destinatam crediderat, ut subnexa docet Hormisdae responsio. Hinc in c^6 c^7 *secura* prave legi liquet.

[5]) His verbis ostenditur, Avito minime probatam esse Viennensis provinciae divisionem a s. Leone factam et ab ejus successoribus confirmatam, sed eum ita affectum fuisse, ut totam provinciam sui juris esse contenderet. — G^1 *Vincntium*, al. *Venantium*.

[6]) b cc *juncto*. Retinendum cum G^1 c^5 c^{11} *cuncti*, scil. Gallicani episcopi, quorum nomine scribit Avitus, et quos sua opera inducit rogantes. Mox edidi *respondere debeam*, ubi ex archetypo restituimus *responderi debeat*.

[7]) Ita Sirm. At G^1 a^1 *cum securus*.

Digitized by Google

comperta non separat. Accepta III Calendas Februarii, Agapito v. c. consule, per Alexium presbyterum et Venantium diaconum. (a. 516.)

Epistola 22.

Hormisdae papae ad Avitum episcopum Viennensem.

a. 517 d. 15 Febr.

104. *Cur legationis Constantinopolim destinatae exitum siluerit, exponit (n. 1 et 2), ut ab Orientalibus fraudibus caveant, monet (n. 3). De Thraciae, Illyrici, Dardaniae et Epiri ad communionem Ecclesiae reditu certiores facit (n. 4). Legationem secundam in Orientem parare se monet, ac gesta mittit, quibus quo ordine Nicopolitani ac Dardani ad communionem recepti sint, discere valeant.*

Hormisda Avito episcopo vel universis episcopis provinciae Viennensis sub tua dioecesi consistentibus.

1. Qui de his, quae ad disciplinam catholicam pertinent, maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata divina habeat, evidenter ostendit. Non enim potest esse hujusmodi cura, nisi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exsultamus in Domino de sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Viventium[1]) diaconum litteras intuemur et de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio sedis apostolicae constituta recolere, et si quid adversus eos admonitio nostra promoverit, per quos Orientales ecclesiae confunduntur, inquirere. Digna plane sollicitudo fidelibus, ut de miserorum lapsibus ingemiscant, et ipsi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, ut ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus.

2. Nam quod non saepius nostra admonitio vos frequentet, de conscientiae vestrae et fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis, satis est vitanda indicasse perfectis. Legationis vero nostrae, quam semel non *secundo*, sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri: scientes, hoc rationi, hoc nostro proposito convenire, ut quos participes sollicitudinis fecimus, cum his redintegratae unitatis gaudia jungeremus. Sed quantum ad Graecos, ore potius praeferunt pacis vota quam pectore, et loquuntur magis justa, quam faciunt: verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant; quae fuerint professi, negligunt, et quae damnaverint, haec sequuntur. Nam unde est, quod, quum per Ennodium fratrem et coepiscopum nostrum sacerdotales viros ad confirmanda ea, quae sedes apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent, multa quoque,

22 [1]) G[1] *Viventium*, al. *Venantium*. Mox ed. *de conscientia vestra ... de integritate unitatis.*

Digitized by Google

a. 517. quae ad correctionem pravitatis suae a nobis quaesita fuerant, pollicentes, non solum non religiosos viros, penes quos causae ipsius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt, verum etiam, quasi res parva gereretur, laicos[2]) et alienos ab ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de coeno, quo immersi tenentur, evolvere, verum etiam catholicae fidei claritatem[3]) fulgentem sua, quod absit, se posse crediderunt societate fuscare? Haec fuit nostri causa silentii, quam vos quoque spiritali vobis prudentia revelante vidistis. Quid enim de hac causa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? Novi exitus sollicitae diligentiam relationis inquirunt. Qui de rebus cognitis nihil indicat, abunde in statu suo manere priora declarat.

ep. 11 et 12.

3. Quapropter, dilectissime frater, et vos praesentibus hortamur alloquiis, et per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias, quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus, promissam et amabilem Deo fidei servare constantiam, et transgressorum societate declinata, constantiam vestram *uni viro virginem castam*, sicut spopondistis, *exhibere Christo*. Et cavete, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita sensus aliquorum corrumpantur a simplicitate et castitate, quae est in Christo Jesu. Perniciosa sunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos convenit, quia *adversarius salutis humanae sicut leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide:* quia hoc speciale habent patris sui de coeli arce dejecti[4]), qui vestigia ejus sequuntur et diligunt, ut illa veritatis luce privati et alios gaudeant sua obscuritate fuscari, et quum perversitatis suae poenas luituros esse se sciant, exsultent, si miseros cum sua damnatione conjungant. Nam unde est, quod quum pro magna parte a conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiae spe, fraudibus et variis artibus nituntur allicere: nisi ut lucem, quam ipsi non habent, in aliis quoque impia contagione commaculent?

2 Cor. 11, 2.

1 Petr. 5, 8.

4. Ut autem quae sint partium earum studia possitis agnoscere, plures Thracum, licet persequentium incursibus alterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa

---

[2]) Videlicet *Theopompum et Severianum comites*, quos Anastasius ep. ad Hormisdam a. 516 data commendat. Quod vero subjicitur *et alienos ab ecclesiastico corpore*, ita intelligendum est, ut vel extra clerum vel etiam extra Ecclesiam tamquam pagani aut haereticis addicti fuerint. Quum autem hi ab Anastasio destinati fuerint, nomine Graecorum, quorum hic exponuntur fraudes, maxime is imperator notatur.

[3]) G[1] a[1] *claritate fulgente*; sed litteram *m* in fine verborum facile omittunt vel etiam adjiciunt antiqui librarii. Mox ed. *obscuritate*, ubi G[1] *societate*.

[4]) Diaboli videlicet, qui de coelo dejectus est.

Digitized by Google

clariorem. Dardania et Illyricus vicina Pannoniae a nobis, quod a. 517.
jam fecimus ubi necessarium fuit, ut sibi episcopi ordinarentur expetiit: in tantum se a consortio perditorum separare gaudentes, ut remedia quaererent, dummodo commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri metropolitanus, hoc est Nicopolitanus episcopus, cum synodo sua nuper segregatus ab impiis, ad apostolicam communionem deprompta, quae efficeret[5]), professione se contulit. Quae epist. 15 et 16.
ideo scriptis aestimavimus indenda praesentibus, ut sicut sortem nos convenit dolere pereuntium, ita laetemur pariter de salute remeantium, et ut fideles constituti ab eis longius instruantur, qua virus eorum sollicitudine debeat effugi; quos et a suis[6]) videant tam justa detestatione vitari.

5. Et nos quidem dispensationis nostrae memores, necesse est eos repetitae legationis officio convenire: quod si affectu salvationis suae, si respectu Dei, si rationis intuitu non moventur, saltem pulsantibus importune et pertinaciter acquiescant, et aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impoenitens cor ab omnibus inexcusabiles judicentur, qui et moniti toties in perfidiae obstinatione persistunt. Vos orate et nobiscum ad Deum preces et vota conjungite, ut per opem misericordiae ejus nostra actio laborans pro catholicae fidei stabilitate promoveat, immaculatos vos et integros ab omni trangressorum societate servantes: ut aut cum correctis sensus et corda jungamus, aut ab eorum venenis intacti esse mereamur. Nam qui, sicut vos quoque conscientiam vestram non latere testamini, novimus Eutychetem atque Nestorium apostolicae id est catholicae sententiae auctoritate damnatos; quemadmodum salvi esse poterimus, si eorum sectatoribus ac posteris qualibet parte communionis haereamus, quum Belial cum Christo nostro portionem habere non possit? Instructionis autem vestrae interesse credimus, ut ea, quae apud[7]) nos a Nicopolitanis vel Dardanis acta sunt, vel quo in communionem ordine sunt recepti, vobis nota face-

---

[5]) Primum conjectura erat legendum esse *sufficeret*, quasi episcopi hujus provinciae Hormisdae epistola 18 n. 5 praemoniti, ut *non arbitrarentur posse sufficere sub tantis praesertim insidiis callidorum, quos viritim et singulos consectari convenit atque damnari, sub quadam eos generali damnatione concludere*, postmodum supplevisse dicantur, quod in prima ipsorum professione non satis integrum videbatur. Sed quum hoc nominatim de metropolitano Johanne, cujus professioni nihil deerat, dicatur, hoc potius ita interpretamur, *deprompta professione eorum quae efficeret*, scilicet adversus haereticos atque schismaticos ac pro catholica fide; vel ut c[11] supplet, *quae luculentam fidei et obedientiae declarationem efficeret.*

[6]) Hoc est a vicinis seu conterminis, et qui in eadem regione sunt. Male autem deinde G[1] a[1] *videat.* Mox editi *quo affectu.*

[7]) Id est, quae penes nos sunt, a Pullione, qui anno superiori mense Novembri eam ob causam in illas regiones destinatus fuerat, relata.

Digitized by Google

a. 517. remus ipsarum lectione chartarum. Data XV Calendas Martias Agapito consule.

Epistola 23.

a. 517 d. 3 Mart.

Hormisdae papae ad Johannem Nicopolitanum.

De molestiis, quas ille patitur, consolatur, utque et ipse in fide constans sit et episcopos provinciae suae in eadem constantia confirmet, hortatur. De precibus ad imperatorem pro generalitatis quiete mittendis se cogitare significat. p. 104.

Hormisda Johanni episcopo Nicopolitano.

1. Remeante Pullione subdiacono nostro litteras caritatis vestrae suscepimus, de constantia fidei vel de intentione, quam circa communionem sedis apostolicae geritis, gratulantes: sed contristati sumus, quod vos aliquas sustinere molestias[1]) perhibetis. Ista tamen diuturnam non possunt habere substantiam, quia ubi Deus pure colitur, etsi adversa contigerint, in[2]) prosperis commutantur secundum apostolum dicentem: *Spes non decipit.* Dubitans apostolorum princeps incedens per pelagus laboravit; mox tamen invocato Domino suo paratum habuit, qui eum porrecta manu non pateretur sustinere discrimen. Ergo auctorum nostrorum sequentes exempla et in ipsorum fide permanentes, illius poscamus auxilium, de quo scriptum est: *Qui nos non dimittit tentari supra quae possumus.* Igitur salutantes caritatem tuam hortamur, ut quemadmodum praediximus, in his quae bene inchoata sunt perseveres: quia *qui perstiterit usque in finem, hic salvus erit.*

Rom. 5,5. Matth. 14,30. 1 Cor. 10,13. Matth. 10,22.

2. Frequenter alloquiis tuis nostram sollicitudinem relevare non desinas. Paroeciales quoque sacerdotes tuos competenti adhortatione confirma, quia ista faciendo talentum tibi creditum poteris multiplicare quotidie. De illa quoque parte, quam dilectio tua postulat, cogitamus[4]), ut ad imperatorem clementissimum pro generalitatis quiete preces nostrae perveniant. Tantum est, ut votum studiumque nostrum congruis orationibus juvare non cesses, quia nos in his Deo auctore perficiendis vacare minime potuerimus. Data V Nonas Martias Agapito viro clarissimo consule.

---

23 [1]) Praesertim, ut infra epist. 36 n. 1 pandetur, a Dorotheo Thessalonicensi episcopo affligebatur Johannes eo obtentu, quod litteras ordinationis suae indices ad ipsum pro more non misisset.

[2]) b c c *in prospera.*

[3]) *Paroeciales sacerdotes* episcopi, qui Nicopolitanae metropoli suberant et quos *provinciales* vocare usu venit, intelligendi sunt, quo pacto *paroeciae* nomen loco *provinciae* usurpari epist. 16, 18 et 20 animadvertimus. — Mox b *allocutione* (loco *adhortatione*).

[4]) Id eum serio cogitare, testis est superior epistola n. 5, ubi scribit: *Et nos quidem dispensationis nostrae memores, necesse est eos repetitae legationis officio convenire.*

Digitized by Google

Epistola 24.

Hormisdae papae ad Johannem Illicitanum episcopum.

a. 517 d. 2 April.

p. 106. *Libenter se de illius in Italiam adventu audivisse et probare ejus pro fidei integritate studium. Per Cassianum diaconum se generalia constituta et certas instructiones de Graecorum causa ad Hispanas ecclesias direxisse significat. Denique vices ei suas reservatis privilegiis metropolitanorum committit.*

Dilectissimo fratri Johanni Hormisda.

1. Fecit dilectio tua rem caritati et fidei congruentem, ut[1]) adventum ad Italiam suum nobis directis litteris indicaret, et quae in te sit summa religiosae voluntatis ostenderet. Atque utinam ad plenioris affectus satietatem praesentiae tuae nobis gaudia contigissent, ut[2]) gratularemur nos ejus eloquio frui, quem ita sumus per scripta complexi! Verum etiam probasti, dilectissime frater, quo Christianam fidem venereris affectu, dum ea, quae ad regulas patrum pertinent et ad mandata catholica, sine aliqua cupis transgressione servari: sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses ecclesias constitutis, quae[3]) aut negligentius aut irreligiosius fiunt, ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus. Amplexi[4]) sumus captatam istius desiderii facultatem. Quid enim aut nobis dulcius, quam cum fidelibus loqui, aut[5]) beatius, quam deviantes ab errore revocare? Salutantes igitur, caritate[6]) qua jungimur, per Cassianum diaconum tuum significamus, nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea quae juxta canones servari debeant competenter ediximus, vel circa eos, qui ex clero Graecorum veniunt, quam haberi oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sed et causae ipsius ordinem instructiones[7]) adjunctae de scriniis ecclesiasticis vos docebunt, ut agnoscentes et impiorum transgressionem et apostolicae sedis curam

---

24 [1]) J[1] *et adventum ad It. suum n. dilectis ... indicare ... tendere.* cc *ut adventum tuum.*

[2]) Editi *ut gratulemur nos et colloquio et praesentia frui, quam sumus ante per scripta complexi. Verumtamen probasti:* castigantur ex β Γ O[10] J[1] *ut gr. nos et conloquio frui quia ita.*

[3]) O[10] add. *superius* forte pro *super iis.* J[1] *constitutis super quia aut ... santiamus.*

[4]) Sic mss. Editi vero: *quod amplexi sumus, captata istius desiderii facultate.*

[5]) Ed. cum J *aut Deo aptius,* O[10] *aut Deo actius.* Magis placet cum aliis mss. *aut beatius,* nisi quis malit *aut Deo gratius.*

[6]) Ita 2 β Γ O[10]. At al. *caritatem,* J[1] *caritatem quam injungimur. — Generalia constituta,* quae hic memorantur, exhibet sequens epistola, sicut et quae hanc excipit, qua cautione Graeci excipiendi sint, docet.

[7]) Ita β Γ O[10]; al. *instructionem abunde decretis ecclesiasticis;* J[1] *instructionem adinuncte.* Eamdem confirmat et illud epistolae 26 n. 2: *satisfacientes igitur et laudabilibus desideriis memorati viri* (Johannis), *documenta quoque de ecclesiae scriniis assumentes.*

Digitized by Google

a. 517. pro patrum regulis excubantem, ostendatis vos per odia[8]) damnatorum consortia amare fidelium.

2. Et quia per insinuationem dilectionis tuae hujus nobis est via[9]) patefacta providentiae, remuneramus sollicitudinem tuam, et servatis privilegiis metropolitanorum vices vobis apostolicae sedis eatenus delegamus, ut in speculis[10]) sitis, et sive ea, quae ad canones pertinent et[11]) a nobis sunt nuper mandata, serventur, sive quid de ecclesiasticis causis dignum relatione contigerit, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuae, ut talem te in his quae injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris. Data IV Nonas Aprilis Agapito viro clarissimo consule. Era[12]) DLV.

Epistola 25.

a. 517 d. 2 April.

Hormisdae papae ad universos episcopos Hispaniae.

I. De sacerdotibus juxta instituta canonum ordinandis. p. 106.
II. Ut pro episcopatu praemium non accipiatur.
III. De concilio per annos singulos celebrando.

Dilectissimis fratribus[1]) universis episcopis per Hispaniam constitutis Hormisda.

1. Benedicta Trinitas Deus noster, qui per misericordiam suam Romanae reipublicae per universas partes suae pacis tranquillitate diffusa, nobis quoque viam demonstrandae circa nos invicem caritatis indulsit: ut qui cohaeremus firmitate fidei, jungamur quoque votiva jucunditate colloquii, quo facilius, dum per litterarum mini-

---

[8]) J^1 J^5 J^6 ed. *perosos damnatorum consortia, et amare fidelium.* Praeferimus cum K^3 O^7 O^{10} Γ β *per odia damnatorum consortia amare fidelium.* In uno Colb exstat *consortio amare fidelium.*

[9]) Ed. *viae patefacta providentia:* corriguntur ex O^{10} Γ β i^2.

[10]) Ita Γ i^2 a^3 (J^1 *in speculis istis*). — Ed. cum O *ut inspectis istis, sive:* 1 β *ut in his saeculis sitis, et sive,* alt. β *ut in spelucis sitis, et sive.* Huc spectat, quod infra Hormisda epist. 142 n. 1 vices suas per Baeticam et Lusitaniam Sallustio committens, habet: *augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem relevantes nostras ejusdem remedio excubias.*

[11]) In vulgatis *sive quae* (vel *sive ea quae*) *a nobis ... sive ea quae de ecclesiasticis causis tuae revelationi contigerint* (vel *contigerunt*). In plerisque mss. *et a nobis ... sive de ecclesiasticis causis tuae revelationi contigerit.* Sinceram lectionem suppeditant 2 β O^{10} Γ (J^1 *sive qui de ... causis dum relatione contigerit*). Concinnior esset lectio *et sive qua ad* etc.

[12]) In mss. J hic subjicitur *Era DLV,* quae nota cum eodem anno 517 componitur. — O o^1 *Aera DCXLVIII.*

25 [1]) F^d inscripsit: *I. Epistola Ormisde pape ad universos epis. Dilectissimis fratribus epis per universam provinciam consistentibus Ormisda papa.* Moxque F^d *nam pace et tranquillitate ... monstrande circa nos caritatis ... in nos usque ... corda ura.*

Digitized by Google

steria ad vos usque pertendimus, etiam corda vestra ad religiosum a. 517.
cultum apostolicis admonitionibus incitemus[2]), et dum dilectionis nostrae pignus reddimus velut quoddam debitum, plenum circa Deum monstremus affectum. Jungamus igitur, dilectissimi fratres, continuas et humiles preces, et Dominum nostrum oris et cordis lacrymis supplicantes jugi deprecatione poscamus, ut et institutione et opere illi, cujus esse membra cupimus, haereamus, nec unquam ab illa via, quae Christus est, devio tramite declinemus, ne ab eo juste, quem nos impie relinquimus, deseramur. Quod cum superni favoris auxilio ea nobis potest ratione contingere, si apostolica dogmata seu patrum mandata servemus. Dicit enim Dominus noster: *Qui diligit me, sermonem meum servabit*[3]), *et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et licet haec possint generaliter dicta sufficere, ut vel declinemus errata vel custodiamus catholica constituta, tamen quia Johannis fratris et coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reverentiam nonnulla praesumi, periculum, quod doctoribus imminet de taciturnitate, declinans, et prophetica voce compunctus, qua dicitur: *Loquere, ne taceas,* generalibus edicendum credidi constitutis.

Joh. 14, 23.

Ezech. 24, 26.

I.

2. Ut in sacerdotibus ordinandis, quae sunt a patribus praescripta et definita, cogitetis: quia sicut caput est Ecclesiae Christus, Christi autem vicarii[4]) sacerdotes, sic et in eligendis his curam oportet esse praecipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos praeesse necesse est corrigendis: nec quidquam illi deesse personae, penes quam est religionis summa et substantia disciplinae. Aestimet quis pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si[5]) non ad sacerdotii gradus saltu quodam passim laici transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores; sed milites suos probatos

1 Tim. 3, 2.

---

[2]) F[d] *incitentur et dum dispensationis nostrae reddimus ... ut velut institutione vel opere ... ne umquam ... nec ab eo.*

[3]) F[d] *custodit.*

[4]) Romanum episcopum vulgo antiqui, ac nominatim Juliana Anicia infra epist. 119, *vicarium beati Petri* appellant. Eumdem et in epistola 30 Gelasii n. 15 *vicarium Christi* nuncupari observavimus. Quod praeclarum nomen cum ceteris episcopis communicare nunc Hormisda non dedignatur. — Mox cum F[d] *praecipuam*, ubi al. *perspicuam* (J[1] *prespicuam*).

[5]) Editi *si non sacerdotii gradus ... laicis transferantur:* corriguntur ope F[d] J[2] β (β *gradum*); F[d] tamen *a laicis transferantur ... decet.* Vide concilium Sardicense can. 13, Zosim. epist. 9 n. 2, Bonifac. epist. 5 n. 4, Coelestin. epist. 4 n. 4 et epist. 5 n. 2, Leon. epist. 12 n. 4.

Digitized by Google

a. 517. sibi quaerunt instituta fidelia[6]). Discere[7]) quis debet ante, quod doceat, et exemplum religiosae conversationis de se potius aliis praestare quam sumere. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa observatione religiosi[8]) cultus teratur, ut luceat, et diu[9]) clericalibus obsequiis erudiendus inserviat, ut ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis, ostendat. Non leve non vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem nisi Levitici generis viri ad sancta admittebantur[10]) altaria, ne passim, meritis aut pretio aut praesumptione contemptis, ad sacros cultus impar accederet. Migravit[11]) illa praerogativa familiarum ad instituta cultorum. Nunc est doctrina pro genere: quod illis fuit *nasci*, hoc nobis *imbui;* illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina.

3. Nec tantum consecrari de laicis inhibemus, sed ne de poenitentibus quidem quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis[12]) illi postulanti sit venia. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis eum, quem paulo ante vidit jacentem, veneretur antistitem? Praeferens[13]) miserandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotii dignitatem.

---

[6]) β *fide.* Rursum infra n. 6 *fidelibus* institutis incumbendum praedicatur. A Coelestino jam audivimus epist. 4 n. 4: *Debet ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit.*

[7]) O cc *discere prius* (O omitt. *prius*) *quisque debet antequam doceat.* F[d] J i[2] *discere quis* (F[d] omitt. *quis*) *debet ante quod* (i[2] *antequam*) *doceat. Emendatiorem* (al. *Emendationem*).

[8]) In vulgatis *religiosus cultus tradatur.* Concinnius in F[d] J[1] β *religiosi cultus teratur* (J[1] *terratur*, F[d] *tenatur*), similitudine ducta ex oleo, quod ex tritis fructibus ac seminibus confectum vim lucendi consequitur.

[9]) Ita F[d] β; al. omitt. *diu*, J[1] *de.* Mox β *summam*, ac deinde O cc *Nec leve nec vacuum.*

[10]) K[3] β *admovebantur*, J[1] *admonebantur*, F[d] *movebantur;* tum c[1] sqq. *ne pessime meritis aut pretio aut praesumptione contemptis*, c[7] c[10] *ne pessime meritis contemptis aut pretio aut praesumptione ad.* F[d] J i[2] sequimur, nisi quod J[1] cum c[1] *contentis.* F[d] *confestim.*

[11]) Ed. *Tunc migrabant per illam praerogativam;* castigantur ex i[2] et mss. Docet privilegium familiae Leviticae ad eos translatum esse, qui institutis et disciplinis ecclesiasticis cultiores sunt, ita ut doctrina et eruditio vice generis nunc requiratur.

[12]) F[d] β *Satis illi postulata sit venia, qua conscientiam absolvit ream* (F[d] *absolvat reum*), *qui se peccata populo.* Innocentius epist 17 n. 11 scribit: *Nec post poenitentiam clericum fieri, ipsi canones sua auctoritate permittunt.* Item epist. 39 eosdem nominatim Nicaenis canonibus etiam ab infimis clericorum officiis exclusos docet. Hinc ab ordinibus expoenitentes arcent constituta Hilari epist. 16 n. 5, Gelasii epist. 14 c. 3 et epist. 15 c 1.

[13]) Nonnulli mss. (etiam J[1]) *perferens.* Mox O c[1] *benedictionem p. i. m. quae divina esse cr., quis pretio comparet.* Ceteri vero editi post Crab. verborum ordinem sic mutatum exhibent: *ne benedictionem, quae divina esse creditur, per impositionem manus quis.* F[d] β Γ sequimur.

Digitized by Google

II. a. 517.

4. Hoc quoque ad praemissa adjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quae a Deo esse creditur, pretio comparetur: quoniam ante oculos esse convenit, quod Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, apostoli fuerit detestatione percussus. Tunc deinde[14]) quis non vile putet esse, quod venditur? Istam sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi munere[15]) populorum divinum credatur esse judicium. Ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus. Verum nec hanc quidem partem sollicitudinis et admonitionis omittimus, ne vel ille se a culpa aestimet alienum, qui[16]) ipse quidem a redemptione liber, initiaverit benedictione mystica sacerdotem, et tamen ad alterius redempti voluntatem vel sponte in hoc vel necessitate consenserit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum praestat erranti? Procul dubio contra mandata committit, et qui habet peccatum proprium, et qui peccatum sequitur alienum. Incassum animus resistit cupiditati, si non restiterit[17]) et timori. Adversus haec facilius Deo juvante providebitur, si circa metropolitanos privilegia a sanctis patribus constituta permaneant, si metropolitani circa paroecias suas ordinem suum ea qua decet veneratione custodiant: ut nec[18]) elatio praesules nec contemptus depretiet obsequentes. Quae si ita in

Act. 8, 18 ss.

---

[14]) J^{13} *inde*. Mox J^1 omitt. *non;* F^d β Γ *quod vendidit*. F^d *justam*.

[15]) Ed. *murmure*, corriguntur ex F^d J^1 β Γ i^2, nisi quod F^d *sensus*. Vox autem *populorum* licet referri possit ad *munus*, quatenus illorum consensu sacerdotium confertur, melius tamen referatur ad *judicium*, quasi legeretur: *judicium populorum credatur esse divinum*. Leo epist. 14 c. 5, statuit: *ut ille omnibus praeponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit*. Conf. Leon. epist. 10 c. 4 et 6, 13 c. 3, 167 inquis. 1, et s. Cyprian. plur. loc.

[16]) O c^1 sq. add. *etsi;* mox F^d omitt. *liber*. Deinde i^2 *errandi*.

[17]) F^d J^1 O cc *resistit*. Eidem vitio Leo epist. 6 c. 3 occurrit his verbis: *nihil gratiae personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis*. Haec Hormisdae sententia iis est sedulo consideranda, quibus etsi is est animus, ut nihil ipsi praeter fas patrare velint, non ea tamen est virtus, ut iniqua petentibus resistere valeant.

[18]) Ita cum F^d J^1 i^2 locum restituimus, nisi quod F^d J^1 *electio praesules* (F^d *praesulis*) *nec contemptus depretii et* (F^d *efferat*) *obsequentis. Quaesita* (F^d *quaeque si ita*) *in ... scripturis* (F^d *scrinis*) ... *fomenta* (J^1 *fundamenta*). β Γ a^3 *nec electio praesulis nec contemptus decreti et obsequentis. Quae si ita in operibus fixa habeantur in cordibus, quemadmodum relegantur in scripturis, nulla intentionum semina etc.* Et resarciendam lectionem Coust. hoc pacto suadet: *ut nec electio praesulis de contemptu sit decreti subsequentis*. Certe in electione episcopi fiebat ac recens electo tradebatur decretum, in quo qui ab ordinationibus arcendi erant praescribebantur. Cujusmodi decreti formulam Gelasii et epistola 15 exhibet, et epistola 16 commendat. — Alii editi *nec electio praesulis empta detur pretiis et nec obsequentis sit quaesita operibus, sed si ita fixa ... in scripturis. Si nulla sunt in templis emptionum semina etc.* Quae lectio summatim ex mss. O profecta, qui ita proferunt (J^2 O^1 O^2 V^2): *ut nec electio praesulis nec empta* (O^2 *redempta*, V^2 *ne tanta*) *de* (O^2 *detur*) *pretiis* (O^1 add.

Digitized by Google

a. 517. operibus, ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum releguntur in scripturis, nulla intentionum semina, nulla erunt fomenta discordiae, sed regnante caritate sub illa, quam nobis Deus promisit et tribuit[19]), pace vivetur.

III.

5. Ob hoc patres providentia, qua Spiritus sanctus cultores suos compungere dignatus est, incitati bis in anno per paroecias singulas concilia haberi debere docuerunt: ut in unum juxta salubris institutionis dogmata congregati, si qua de ecclesiasticis causis tractanda, deliberent, aut si juxta votum universa consistunt, Deum junctis vocibus, qui praestat desiderata, collaudent. Difficile est enim, ut cujusquam cor sic pravis cogitationibus induretur, ut a se patiatur culpanda fieri, quum noverit sibi judicium subeundum esse concilii. Praecinctos ad hanc viam semper lumbos habeant, scientes rationem actuum suorum esse reddendam. Suspendantur ab illicitis per formidinem, qui nequiverint per pudorem. Sed[20]) de conveniendo notum est, quia sanctis canonibus bis in anno constet esse praefinitum, et quidem si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri. Sed si aut temporum necessitates aut emergentes causae hoc non patiuntur impleri, semel saltem, quum[21]) bis non licuerit, sine ulla excusatione praecipimus conveniri.

6. Haec, fratres carissimi, et alia, quae patrum regulis continentur, in labiis et in cordibus nostris indefessa tractatione medi-
Deut. 6,7. temur; et, sicut scriptum est, *narremus ea filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dor-*
Psalm. 1,2. *mientes atque surgentes: quia beatus apud Dominum, qui in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Hoc[22]) et magister gentium discipulum
1 Tim. 4, 15 et 16. suum secutus instituit, admonens: *haec meditare, in his esto;* et subjiciens ad[23]) institutionem plenitudinem, *attende tibi et doctrinae,*

---

et) nec obsequentis (V² *obsequentibus*) *quaesita operibus, sed si ita fixa habeatur in cordibus, quemadmodum releguntur in scriptis* (O¹ V² *scripturis*), *nulla intemptionum* (V² *intentionum*, O² c¹ *in templis emptionum*) *semina* etc.

[19]) Ed. *retribuit pace vivatur*; a³ *retribuet.* Fᵈ J i² sequimur. Mox Fᵈ reddimus, ubi al. *congregati pro ecclesiasticis causis tractandis libere convenirent aut etc.*, i² omitt. *si qua.*

[20]) Fᵈ *β Γ Sed de conveniendo notum est quia satis* (Fᵈ *scis*) *canonibus bis in anno constet esse definitum: ut* (Fᵈ *quod quidem si possibile est*). Cui satis consonat nostra lectio J¹ i². At O c¹ seq. *De conveniendo notum est canones sanctos bis in anno constituisse et praefinitum* etc. Quae in epistolam 8 Hilari papae annotata sunt, recole.

[21]) Ita Fᵈ (*cum bis*); al. *quamvis.* Mox J¹⁵ *vestris*, ac deinde O c¹ sq. *indivisa* (c⁷ *invisa*). Tum Fᵈ *filiis nostris meditemur in cordibus sedentes.*

[22]) Nativus is est horum verborum ordo: *hoc et magister gentium secutus, discipulum suum instituit.*

[23]) Ita Fᵈ. Al. omitt. *ad institutionem.* Mox O c¹ sq. *sine intermissione*, et Fᵈ *incumbimus in divino opere ... errore.*

Digitized by Google

inquit: quia si fidelibus citra intermissionem incumbimus institutis, a. 517.
separamur a vitiis, dum impensa cura divino operi humano locum non relinquit errori. Data IV Nonas Aprilis, principe[24]) Agapito viro clarissimo. Era DLVI.

Epistola 26.

Hormisdae papae ad omnes episcopos Hispaniae.

(a. 517 d. 2 April.)

p. 107. *Quo ordine Graeci ad Ecclesiae communionem recepti recipiendique sint, ipsa formula adjecta significat.*

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Hispaniam constitutis Hormisda.

1. Inter ea, quae notitiae nostrae Johannes frater et coepiscopus noster studio ecclesiasticae utilitatis ingessit, hoc quoque pro affectu catholicae fidei et apostolicae sedis veneratione consuluit, quo ordine ex clero Graecorum venientibus tribui deberet sancta communio, propter causam scilicet Acacii, a decessoribus nostris pro haereticorum communione damnati, in qua ii[1]) quoque, qui se ab ejus contagione non dividunt, a nostra communione habeantur excepti. Laudamus propositum viri hoc zelo circa fidem et apostolica instituta ferventis, ut nec per ignorantiam quidem quemquam coeno erroris alieni pateretur immergi. Digna haec cura fidelibus, ut sollicito studio semper invigilent, et inculpatos se ab omni perversitate conservent. Ipsa est enim fidei innocentia, ut praevideat, ne vel casu possit errare.

2. Satisfacientes igitur et laudabilibus desideriis memorati viri, et memores nostri sicut oportet officii, documenta quoque[2]) de ecclesiae scriniis assumentes, ad concilium vestrum pro generalitatis instructione direximus, ut ex illis plenius quae sunt acta discentes, ab omni vos errantium cognatione[3]) separetis. Neque enim est personalis odii causa, sed in impios transgressores dicta Deo inspirante sententia; in qua quidem causa neque[4]) praedicatione neque depre-

[24]) Ita i². At β Γ *Pas Agapiti v. c. era LXVI* (Γ *DLVI*); J¹ *pc per per agapetium vc. Era DLVI;* F^d *aprl post consolatum v c cons.* Ceteri *per Agapitum* (c¹ *Agapeto II consule*), atque his verbis epistolam claudunt. Ut haec epistola in superiori indicatur, ita superior in hac memoratur, adeo ut nullus sit dubitandi locus, quin eodem consule utraque consignanda sit, adeoque in eram DLV conveniat.

26 [1]) Ita J O¹⁰ β i². Al. O c¹ sq. omitt. *ii quoque*, moxque *Laudo.*

[2]) Sic J i². Al. *quaeque.* Haec documenta e scriniis ecclesiasticis educta pariter memorantur epist. 24 n. 1.

[3]) O² c¹ c⁷ c¹⁰ *communione*, c² *contagione.* Praeferimus cum J i² β O¹⁰ *cognatione*, praesertim quum faveant ceteri, in quibus exstat *cognitione* (J¹), vel *cogitatione* (O²).

[4]) Ita J i². Al. ed. *nequaquam a praedicatione.*

Digitized by Google

(a 517.) catione cessavimus, et principi supplicando et sacerdotes et populos admonendo, ut a[5]) transgressoribus absoluti, ad rectam se fidem et affectu Dei et judicii timore converterent. Sed obstinatio miseranda perdurat[6]) illos, nec ullis modis mortifera venena vincuntur, malo semine fixis in deterius pullulante radicibus. Ergo, dilectissimi
Act. 20,28. fratres, ad omnia competenter instructi, servate vos Ecclesiam[7]) Dei, et apostolo exsultate conjuncti.

3. Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti, secundum quem[8]) et de Thraciae et Scythiae Illyricique partibus vel Epiri veteris sed et secundae[9]) Syriae multos jam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere et devia declinasse. Unde sub[10]) repetitione mandamus, ut omnis cura et sollicitudo omnis invigilet. Jam[11]) nullus est ignorantiae locus, nullus utatur simplicitatis excusatione praeterita. Scientem[12]) peccare confessio est.

---

[5]) Ed. *transgressores.* J[1] β O[10] *transgressoribus* (O[10] add. *a*). Sunt autem hi *transgressores* Acacius, Timotheus Aelurus, Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, qui utpote vita functi conversationis aut absolutionis jam capaces non erant.

[6]) Ita J[1] β K[3] O[10] i[2], nisi quod J[1] *perduxerat ne illis,* K[3] *ut nullis* etc. c[1] seq. *eo perduxerat illos, ut nullis modis mortifera venena vincantur, sed mala semina fixis in deterius pullulent radicibus.*

[7]) Ita J β i[2]. Al. ed. *et ecclesiam Dei apostoli exhortatione compuncti.* Hispanis gaudendum innuit, quod cum Petri sede sint societate conjuncti.

[8]) Ita J[1] β O[10]; alii vero *quam.* Jam scripserat Hormisda epist. 19 ad Johannem Nicopolitanum: *Libellum direximus, in quo eos oportet debere subscribere, quia et omnes sacerdotes vestrarum partium, qui ad sedis apostolicae communionem reversi sunt, in eadem professione subscripserunt.* — Deinde β *et de Thracia et Scicia.* Tres alii *et de Thracia et Scythia.* Huc spectat, quod Hormisda epist. 124 n. 3 de Scythis monachis scribit, eos discordiam apud Romanos commovere conatos, *per quos adjutorio Dei de regionibus eorum est pulsa dissensio.*

[9]) c[1] *secundum quam de Syriae;* c[2] seq. *secundum quod de Syria;* i[2] *secundum quam Syriae.* Duo mss. *secundum quod de Syriae.* β O[10] *secundum seriem,* alii duo *secundam Syriam,* J[1] *sed et de secundum siries.* Ambiguum non est, legendum esse *secundae Syriae,* cujus provinciae multos fidei et communioni catholicae addictos fuisse infra epistola 39 docebit. Immo dum archimandritae ac monachi eidem epistolae subscripti, professionem, quam ibi n. 5 edunt, *virtutem libelli* habere asserunt, hunc libellum in ea provincia non ignotum, adeoque subscriptionem ejus expetitam jam fuisse palam indicant.

[10]) c[1] seq. *pro subreptione mandamus;* emendantur ex J[10] J[13] β i[2]. Scribunt J[4] J[9] J[15] J[16] *subreptione,* J[1] *subreptionem,* J[11] *sub praestitione,* J[12] *sub trepidatione.*

[11]) c[2] seq. *Et ut jam nullus sit ignorantiae locus,* contra J O c[1] i[2]. Deinde etiam J[17] c[1] i[2] *nullus utatur.* J[1] β O[10] *utantur,* quam lectionem, praemisso *ut,* a[1] praetulit. Tum quidam libri *praeteritis,* fortasse *pro praeteritis.*

[12]) Ita O[10] β J[1]. Editi *Scienti peccare necessaria confessio est.* Quamquam pro *confessio est* mallemus *in confesso est.* Hoc enim sibi vult, eum qui sciens delinquit, peccato et culpae sine controversia esse obnoxium.

Digitized by Google

Necesse est ut errorem adscribat[13]) sibi, qui monstrato non insistit itineri. (a. 517.)

Bonifacius notarius sanctae ecclesiae Romanae ex scrinio edidit[14]) exemplaria libellum. Et sequitur:

4. Prima salus est, rectae fidei regulam custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc.;* haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica citra[15]) maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes et patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes haereses, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatum in concilio Ephesino a beato Coelestino papa urbis Romae et a venerabili viro Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite. Similiter et anathematizantes[16]) et Eutychen et Dioscorum Alexandrinum, in sancta synodo, quam sequimur et amplectimur, Calchedonensi damnatos, quae secuta sanctum concilium Nicaenum fidem apostolicam praedicavit, detestamur et Timotheum parricidam, Aelurum cognomento, discipulum quoque ipsius et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum. Condemnamus etiam et anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam episcopum ab apostolica sede damnatum, eorum complicem et sequacem, vel qui in eorum communionis[17]) societate permanserint: quia Acacius quorum se communioni miscuit, ipsorum similem jure meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis et omnium[18]) suprascriptorum. Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis papae universas, quas de Christiana religione conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et praedicantes ejus omnia constituta. Matth. 16, 18.

---

[13]) Ita J[1] O[10] β i[2] (i[2] tamen *abscribat*, J[1] *monstratur*). Alii vero *ut errorem sibi scribat, qui monstratur institisse pravo itineri.*

[14]) Ita J[1] β (J[1] *edidi ... libelli. Et*). In vulg. *editi exemplaria libelli exequitur*, K[11] *editi exemplar* etc. Ut β sequeremur, suasit non tantum ejus in ceteris probata sinceritas, sed et haec num. 2 verba: *documenta quoque de ecclesiae scriniis assumentes ... direximus*, nec non ista epist. 24 n. 1: *causae ipsius ordinem instructiones adjunctae de scriniis ecclesiasticis vos docebunt.* Hinc enim non unum libelli exemplar, sed et alia documenta e scriniis edita ad Hispanos destinata tum fuisse conficitur.

[15]) c[1] seq. *extra.*

[16]) Ita J[1] β; alii autem *anathematizamus ... Calchedonensi damnatum.*

[17]) c[1] seq. *communione aut societate permanserint. Qui Acacius;* ac subinde *habere meruit* (pro *jure meruit*).

[18]) Editi cum mss. J O *et omnibus supra scriptis* (J[1] *omnibus suprascriptorum*). Rectius β *et omnium supra scriptorum.* Clarius dictum esset *cum sequacibus ejus et omnium suprascriptorum.*

Digitized by Google

(a. 517.) Et[19]) ideo spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax Christianae religionis et perfecta soliditas: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare tentavero, his, quos damnavi, complicem me mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi, et tibi Hormisdae sancto ac venerabili papae urbis Romae direxi.

Epistola 27.

a. 517 d. 3 April. **Hormisdae papae ad Anastasium Augustum per Ennodium Ticinensem et Peregrinum Misenatis ecclesiae in Campania episcopos secundae legationis ad Anastasium destinatae munere fungentes transmissa.**

Se hisce repetitis pro Ecclesiae pace precibus minime importunum videri debere, quum per remedia fidei simul imperio consulatur, et in imperatore sola initia bona non sufficiant. Acacium omnino damnandum, a quo per Orientales ecclesias fermentum erroris inolevit (n. 1 et 2). Quantum dissimulatione error foveatur et propagetur, Alexandriae exemplo probatur (n. 3). Denique imperator impense excitatur, ut tandem Ecclesiam componere et ad unitatem reducere festinet.

Hormisda Anastasio Augusto.

1. Dudum legatis mansuetudinis vestrae remeantibus, ad litteras vestras et mandata respondi[1]), non quidem universa plene, sicut magnitudo rei postulabat, expediens, et tamen pro tempore certa perstringens. Verum etsi sufficienter me allegare omnia contigisset, numquid agens apud clementiam vestram causam fidei, poteram repetitis precibus importunitatis incessi? Timeant notam hujus ingratitudinis, quibus cura est studium negotiis navare mundanis! Opus non implet evangelii, qui a praedicatione ejus venialiter putat posse cessari. Pervigilem pastorum oportet esse custodiam, et lumbos sine relaxatione praecinctos. Bonae admonitionis sicut constat dulcem fructum, ita ejus non decet esse fastidium. Et alias, cur postulationis meae molestam mansuetudini vestrae quisquam dicat esse frequentiam, quum per ea, quae fiunt ex officio meo, per remedia fidei vestro consulatur imperio? Etenim quae me onerat cura, vos relevat: mihi incumbit, sed vobis proficiet; licet ex diverso semine unus fructus amborum est. Nam sicut poena est nec dicere Deo accepta nec facere, ita certa remuneratio vel illi, qui spiritalia praedicaverit, vel illi, qui audita non spreverit.

---

[19]) Ita J β i[2]. Alii *Et per omnia spero*, et mox *vera* (pro *verax*).

27 [1]) Est Hormisdae epistola 13.

Digitized by Google

2. Dedit quidem clementia vestra veluti obsidem propositi sui a. 517.
sub testimonio imperialis alloquii[2]), et se quasi pignore quodam
bonae voluntatis adstrinxit; sed opus est coeptis adjicere firmitatem:
sumant plenum decorem jacta fundamina, non remittantur pro-
pugnantes[3]) pro Dei ecclesiis manus. Toties Israeliticus hostis inter-
cidit, quoties Moyses brachia non remisit. Effectus opera, finis Exod.
commendat initia. Non prodest coepisse deserentem, quia sola per- 17, 11.
severantia fidei dat salutem. Benedicimus Deum, cujus zelo pietas Matth.
vestra transgressores impios Nestorium et Eutychetem[4]) vel odio se 10, 22.
persequi cum nefandis et sacrilegis dogmatibus profitetur. Probat
odisse se vitia, qui condemnat errantes, nec relinquit sibi locum de-
viandi, qui non pepercerit excedenti. Primus innocentiae gradus
est, odisse culpanda: sed veritatis interest, domine fili, et catholicae
disciplinae, ut sectatores etiam eorum atque participes oderitis, quo-
rum exsecrandos principes judicatis. Non in damnandis sola id est
certa nomina, sed in his etiam, qui damnatos sequuntur, sunt cri-
mina persequenda. Frustra aversari se plures asserit, qui unum de
his qui detestatione digni judicantur exceperit: non enim numerus
errantium hominum, sed meritum consideratur errorum. Hoc ideo,
ne facile putet vestra clementia Acacii praetereundam esse perso-
nam. Nonne ille est Acacius, qui coeno Petri, Dioscori et Euty-
chetis dogmate et communione polluti[5]), dum copulatur, immersus
est, illius sustinens in condemnatione supplicium, cujus elegit in
communione consortium? Qui viritim propter impietates suas horum
singulos odit, et in illis Acacium necesse est oderit, et omnes in
Acacio non amavit. Ab illo per Orientales ecclesias fermentum ne-
fandi erroris inolevit.

3. Inde Alexandrinae perfidiae eousque nutrita superbia, ut non

---

[2]) Non hic novum aliquod scriptum, quod desideretur, sed pristinum, per Ennodium ac socios dum a prima legatione reverterentur transmissum, hoc est epistolam 10, hic in memoriam revocari, ex subnexis planum fiet.

[3]) Ita G^1 a^1. b *pugnantes*.

[4]) G^1 *Eutychen se vt odisse pseq quicum nefandis ... profitetur*, unde nostram lectionem eruimus. Nam illud *qui* (in *quicum*) est vitium librarii, ultimam antecedentis verbi syllabam per oscitantiam repetentis. Respicit quippe Hormisda ad haec Anastasii epistolae 10 n. 1: *Impiissimos Nestorium atque Eutychetem vitamus pariter et horremus, eorum condemnantes et anathematizantes et personas et dogmata detestabilibus sacrilegiis comparanda.* Quocirca conciliorum editoribus probanda non fuerat haec Baronii correctio: *et Eutychetem vel eos persequitur, qui cum nefandis et sacrilegis dogmatibus profitentur.* Quid enim sibi vult barbara illa sententia *vel eos qui cum nefandis et sacrilegis dogmatibus profitentur?* Si his verbis intelligantur, qui praedictorum haereticorum placita sectantur, repugnat haec correctio menti Hormisdae, hinc Anastasium arguentis, quod Eutychetem damnare contentus, sectatores ejus tueri non desinat.

[5]) Scilicet Petri Mongi, qui Dioscori et Eutychetis communione atque errore contaminatus erat. — Ed. *pollutus ... amavit.*

Digitized by Google

a. 517. acquiescat, sicut scripsistis, ejus mandatis salutaribus, cujus famulatur imperiis; et in errore declinando non sequatur admonitionem, cujus in agendis rebus experitur sibi utilem potestatem. Unde et majore hujusmodi homines convenit detestatione vitari, quia, quae docere debuerunt, nec dum ab aliis instruuntur assumunt: spernen-
Matth. 10, 28. tes in his imperantis[6]) monita, in quibus tantum non timeri jubentur imperia; et immemores devotionis contra salutem animae, quos contumaces esse oportuit pro salute. Hos mentibus perditis ausus nutrivit Acacii cum perfidis juncta communio: atque ideo aestimandus est auctoris loco[7]), cujus gravius peccatur exemplo. Nihil enim vitia magis quam imitatio fovet, dum creduntur non improbanda esse, ad quae alii quoque videntur accedere. Fragilis est et caduca mortalitas: vix nefariae cogitationes dum comprimuntur intereunt. Jacet saepe[8]) semen noxium sub terrore nec deficit: latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum. Utinam, invictissime imperator, inter ipsa apostolicae districtionis initia Orientales ecclesiae Acacii contagia nefanda vitassent! Non per multos error ille noxia venena diffuderat[9]); ipsa quoque erecta nunc fortasse Alexandriae tunc colla cecidissent, dum perculsam perfidiam suam in damnatione imitatoris agnosceret, et displicere in complicibus se videret. Sed dum male nutriti foventur errores, et pravorum[10]) consensus inutilis aequitate corrigenda dissimulatur, per impunitatem sequacium mala dogmata multiplicavit auctorum. Et vos quidem, si placet, adeo[11]) efficaciter imperetis, quo commendetis

---

[6]) Nimirum fidei causis, in quibus Christi discipuli reges et praesides docentur non timere (Matth. 10, 26 et 28). Ita Hormisda Alexandrinorum arguit contumaciam, ut et ex obliquo imperatorem moneat, ipsum iniquo animo minime ferre debere, si quid ei contra salutem animae praecipienti non pareatur.

[7]) Id est: licet Eutychianae haeresis auctor non sit, pro auctore tamen habendus est, quia exemplo suo alios induxit ad peccandum.

[8]) Ed. omitt *saepe;* moxque *sub errore ... derelinquentibus ... cum improbitate.*

[9]) b cc *diffunderet ... tunc ... Alexandrinae ecclesiae ... agnoscerent ... viderent.* — Jam respondet Hormisda ad id, quod Anastasius epist. 10 n. 2 scripserat: *Pro hac causa attestantur nobis etiam divinae litterae ad Alexandriam non semel sed multoties destinatae* etc.

[10]) In henotici susceptione fit *pravorum consensus inutilis:* quia dum Calchedonense concilium rejicere per illud eis permittitur, nihil est, quo Eutychianae errores deponere jam cogantur. Deinde exitiosam imperatoris erga hos haereticos tolerantiam, quo debitam regiae majestati reverentiam nil laedat, blando *aequitatis,* hoc est, si loqui ita liceat, aequanimitatis seu longanimitatis nomine donat: sed ne quid adulationi dare videatur, hanc non probandam sed corrigendam docet.

[11]) G[1] *a Deo efficaciter imperetis quo commendatis vestrum et de;* b cc *adeo efficaciter impetretis, ut condemnetis vestrum:* Coustantius correxit *quo emendetis,* nescio an necessaria correctio. Ut ne in cassum imperata sua verti sineret, eum hortatur.

Digitized by Google

vestrum de alieno errore propositum. Sed cogitandum est, clemen- a. 517.
tissime imperator, si ei apud Deum sufficiat errata culpasse[12]), cui dedit posse corrigere; non est differenda curatio: amoveantur modicae profundis vulneribus manus! Sola ante Acacium Alexandria perfidiae suae foeditate sordebat[13]): respicite, quantas jam partes emendatio neglecta polluerit!

4. Quousque pateris, domine fili, Ecclesiam Dei divisionem suorum moerere membrorum? Anticipent beneficia tua ad Deum perventura suspiria: assume fidei curam, et vexillum salutis attollens, ad errores ab Israele removendos velut Ezechias alter exsurge: fas tibi laude novorum operum titulos aequare priscorum. Ille dissipavit excelsa, tu superbiam erectae impietatis inclina; ille simulacra contrivit, tu dura infidelium corda confringe; ille memoriam serpentis aerei sustulit, tu virus praesentis effunde. Offer Deo recta quae fecit, et spera dona quae meruit. *Fidelis est enim Dominus, qui red-* Matth. 16,27.
dit singulis secundum opera eorum. In aperto est, quanta sit exspectatio fidelium, quanta trepidatio perfidorum. Illi ambiunt gaudere cum angelis de receptis: isti metuunt, ne ab his, quos deceperant, destituti poenis remaneant praeparatis.

5. Pendent anxia corda cunctorum. Ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, si quid de unitatis redintegratione sollicitudo nostra promovisset[14]), fama secuta, consuluit. Nec difficile opus clementiae tuae: scit Deus suorum laboribus subvenire. Ex usu est, ad principes suos convertere corda subjectos. Dat specie maximum signum recens religiosae memoriae Marciani imperatoris exemplum. Quid egit tunc vulgus aut populus? Non opus nota revolvere. Adulta est perfidia ista per devios, sopita per justos; imitare religiosi integritatem propositi, quam studio civilitatis aequasti. Ad haec nostris lacrymis, nostris precibus alleganda, Ennodium atque Peregrinum fratres et coepiscopos nostros vice nostra pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus, ideo maxime designato viro fasce secundae[15]) legationis imposito, ut qui nobis spei bonae detulit ini-

---

[12]) Et hic respicit Hormisda ad verba Anastasii epist. 10, ubi divinas litteras a se Alexandriam multoties destinatas commemorat, *per quas*, inquit, *objurgavimus etc.* — Ibidem G[1] *amoveantur modicae*, ubi ed. *admoveantur medicae.*

[13]) Primum Dioscori, tum Timothei, demum Petri Mongi, cujus societate se Acacius contaminavit, haeretica pravitate polluta.

[14]) Neque hic *promisisset* cum Baronio praeferendum esse, liquet ex epistola 21 n. 1, quam *totius provinciae Viennensis nomine* detulerat legatio, cujus dicta hic Hormisda perstringit. — Mox ed. *in usu ... colla subjectos.*

[15]) Quia nimirum idem Ennodius jam una functus fuerat. De hac secunda legatione, quum adhuc in procinctu esset, Hormisda epist. 22 n. 5 et epist. 23 n. 2 cogitare se significavit. Hujus etiam fama jam ab initiis hujus anni 517 in Gallias pervaserat, uti fidem facit epist. 21 n. 1. Plures in prima Ennodio adiuncti sunt socii, quia tum synodus celebranda putabatur.

Digitized by Google

a. 517. tium, nunc adjutore Deo plenum reportet effectum. Acquiescite, precamur, fidelibus monitis, cujus vos delectatos dudum legimus institutis. Data III Nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 28.

a. 517 d. 3 April.

Hormisdae papae ad Timotheum Constantinopolitanum episcopum.

Caritate cogente se eum litteris convenire quamvis nondum correctum; ut correctionem ne differat ac praeterita per futura diluat compensetque, hortatur. p. 10

Hormisda Timotheo episcopo Constantinopolitano.

1. Non mirabitur dilectio tua rationem praeteriti silentii mei, si quae praecesserint universa consideret: non mirabitur praesentis alloquii, si quae sit vis caritatis expendat. Sustinere enim omnia caritatem, magistro gentium docente cognovimus; quae si sua, sicut continet doctrina ipsa, non quaerit, an incongrue abusus privilegio meo, quod tibi potius prodesse possit, exhibeo? Exspectare enim me decuit ab errantium conjunctione te liberum, et sic amare correctum: videre ab improbandis dividi, atque ita litterario sermone complecti. Sed quem optes[1]) reducem, cur differas vocare tardantem? Cur non detur locus moderationi, quum nihil detrahitur aequitati? Impendenda sunt quae laborantibus prosunt, si nos societatis contagione non polluunt.

1 Cor. 13,7.

2. Haec causa mihi fuit praesentium litterarum, ut horter, ut moneam, ne terram nostram jacere patiamur negligentius infecundam. Non diu infructuosam arborem occupare solum diligens permittit agricola: patienter exspectat; sed numquid sub continuatione perdurat? Vocatus ad salutaria, non moreris. Prope ab innocentia non recedit, qui ad eam sine tarditate reverterit. Movere patrum monitis, et insistens fidelibus sine lapsu aut errore vestigiis, praecedentia dilue per futura. Adjacet tibi modo ad justa populos incitando, modo pro fide principalibus vestigiis[2]) supplicando, dirigere quod devium est, solidare quod dubium. Magno te convenit labore providere, ut causas transacti temporis rectae tegat sedulitas actionis. Praestat quidem animae suae, per quem universali aliquid confertur Ecclesiae: et ita se res habet, ut si studiosus, si indefessus institeris, fiat tibi utilis causa communis. Data ut supra[3]).

---

28 [1]) b cc *optem reducem, cur differas:* praeter Hormisdae sententiam, qua pro generali locutione: *quem quisque optet reducem, cur differat*, eleganter dicit *quem optes* etc.

[2]) H. e. principis Anastasii vestigiis provolutus. — Mox ed. *confert ... fiet.*

[3]) H. e. in superiore epistola 27, quae in vulgatis ut in exemplari Vaticano, ex quo uno edita est, hanc proxime antecedit.

Digitized by Google

Epistola 29

seu

Hormisdae papae Commonitoria ad universos episcopos Orientis.

a. 517 d. 3 April.

Antistites, qui propria fide ac justitia contenti patrum constituta impune ab aliis labefactari sinebant, a culpa liberos non esse ostendit, eosque ad fidem libere tuendam acriter stimulat.

Hormisda universis episcopis in Orientis partibus constitutis.

1. Etsi admonitionis meae cura desisteret, vos tamen proprii memores conveniret officii, non negligenter omittere, quae enixe omnes decet pro animae suae salute servare: ut mandatorum coelestium disciplina non alieno studio, sed ipso vobis clareret inesse proposito. Nam licet laude non careat qui bonis consiliis obsecundat, tanto est tamen potior in honore sapientiae qui praevenit recta, quam qui sequitur instituta, quanto est illustrius docere quam discere. Recordetur unusquisque, in qua vocatione a Domino sit vocatus, et quid ab eo exspectetur advertat. Miserum est intra meritum jacere propositi, quum id quod praefertur nomine, non ostenditur actione. Magna meruimus, si quod indulta[1]) postulant impleamus. Qui se ad pascendas dominici gregis oves gaudet adscitum, cogitet de commissa sibi gubernatione judicium. Pervigil adhibenda tutela est, continuanda custodia: non dandus lupis rapacibus locus, non ullis[2]) casibus relinquendus; quia neglectus error ovium culpa pastorum est. Veniet, qui rationes creditae dispensationis examinet. Omnium quidem constat esse justitiam, nec ulli impunitam licentiam patere peccandi; sed quis gradus nesciat esse meritorum, et sicut non aeque praemia, ita diversa esse supplicia? Multiplicantur scientibus plagae: pauca flagella leguntur inscitiae. Quid, si ita est sicuti esse non dubium est, aestimandum, quid in eo deceat esse propositi, cui alienos quoque errores necesse est imputari? Clamat sanctus Spiritus per prophetam: *O pastores Israel: numquid semetipsos pascunt pastores?* Ezech. 34,2. Certum est, plus ab eo, cui plus creditur, exigendum; et tanto magis nos obnoxios fieri, quanto effusiore gratia contigerit honorari. Magister bonus et docens per obscura lucem, per similitudinum aenigmata veritatem, servum talenti a se traditi praeter augmenta Matth. 25,26. custodem non arguit infidelem, sed condemnavit inutilem. Unde in aperto est, in quo metu esse deceat eum, qui dominicum numisma perdiderit, si culpatus est ille, qui acceptum sine imminutione servavit. Nullus contentus sit innocentia sua, quia Deo nostro universa

---

29 [1]) Supple *pastoralis dignitatis munia.* b cc ad marg. *indicta*, quod tamen minus aptum.

[2]) Ed. *ullius ... qui gradus ... Quod si ita est.*

Digitized by Google

a. 517. cernenti per praedicationis assiduitatem rationem quoque propositi debemus alieni. Largam scientiam decet esse doctorum. Non amat fides Christiana secretum; quam quisquis in[3]) augmenta non effundit, abscondit. Per universas gentes verbi praedicatio mandatur apostolis, et quam excusabiliter[4]) hoc quisquam potest sibi tacere commissis?

2. Quid prodest cuilibet paternarum reverentiam servare regularum, si concuti haec ab aliis, si sine honore tractari patienter accipiat? Infirmum ostendit affectum[5]), qui quod diligit non tuetur. Incursantur passim sancta a perfidis constituta, et rediviva subinde de compressis et excessibus resurgit improbitas. Quemadmodum, rogo, pietatem in Deum probat, qui tam nefanda dissimulat? Recordemur, qua catholicorum frequentia sacerdotum illa, quibus nitimur, celebrata didicerimus esse concilia; quantos nec debilitas impedivit, nec senectus onerosa tardavit. Exigua visa sunt spatiosarum intervalla regionum, et labores ipsi pro quadam consolatione jucundi, dum Spiritu sanctarum congregationum regente sapientiam, sera[6]) aetas quod servaret acciperet. Et haec insectantibus impiis post damnatam in radice perfidiam tacet, qui scit sibi esse mandatum: *Exalta vocem tuum, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere!* Nonne haec ante oculos habens, discipulum ita gentium doctor instituit, ut opportune importune[7]) evangelizare non cesset, admonens: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis: hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*?

Jes. 40, 9.

2 Tim. 4, 16.

3. Ergo vel propheticis stimulis excitati vel normis apostolicae institutionis instructi, curam salutaris praedicationis assumite. Diligite et vindicate sententias probatas piis, infidelibus inimicas. Et ad petram, supra quam est fundata Ecclesia, revertentes, apud illorum etiam vos patrum spiritus, quorum veneranda constituta improbe labefactantur, absolvite[8]): aestimantes, quum Dominus ad illud

---

[3]) b cc *in aure tantum effundit*, a[1] *quisquis in augmenta effundit*, G[1] *quisquis in augmenta ea effudit*. Pro voce *ea* particulam negantem restituentes, sinceriorem, ut nobis videtur, exhibemus lectionem, qua in similitudine talenti propter augmentum crediti perseveratur.

[4]) b cc *inexcusabiliter ... commissum*, a[1] *excusabiliter ... commissi*. Verius G[1] *commissis*, nimirum gentibus seu populis, hoc est: qua excusatione uti potest, qui illud tacet plebibus sibi commissis?

[5]) G[1] a[1] *effectum*, quod recte b cc emendarunt.

[6]) G[1] *sara*, b ad marg. *sacra*. Id porro ibi est *sera aetas*, quod *futura aetas* seu *posteri*.

[7]) G[1] *inoportune;* b cc omittunt.

[8]) H. e. absolvite ac purgate vos apud spiritus eorum, qui Calchedonensis concilii decreta sanxerunt. Ubi eleganter enuntiat Hormisda eos, qui synodalia constituta labefactant aut labefactari sinant, a spiritibus eorum ligari atque damnari, qui illa condiderunt.

Digitized by Google

quod exspectatur examen advenerit, qualis apostolis creditus, qualis a. 517.
aliquorum tentantium dubitatione compertus, qualis angelo praenuntiante promissus: utrum ab illis melius sit argui, an cum eorum cohorte conjungi; utrum talem qualis videbitur, aut qualis ab impiis negatur, Dominum confiteri. Nil vos retrahat a salute: velocibus ad viam redite vestigiis. Lapsus ruentem non gravat, si resurgat. Larga est dominicae doctrina clementiae, noxia sunt erroris vincula, dum retinent. Odit justitia pertinaces, fovet clementia corrigentes. Data III Nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 30.

Hormisdae papae ad episcopos Orientis orthodoxos.

(a. 517 d. 3 April.)

Ut praemia aeterna intuentes adversa fortiter perferant et constanter fidei exempla aliis praebere ne omittant, hortatur (n. 1—3). Seipsum nec sollicitudine nec labore cessasse, et nunc repetita vice Ennodium et Peregrinum in Orientem misisse nuntiat (n. 4).

Hormisda episcopis orthodoxis.

1. Est quidem fidelium speciale solatium Deus, nec unquam inter quaelibet dura deficiunt, qui se ad eum toto mentis studio contulerunt. Verumtamen hoc votum proposito vestro debere me fateor, ut sicut exsulto de sinceritate fidei vestrae, ita de firmitate merear gaudere constantiae. Unde et adspectu interiore vos intuens, ad desiderium colloquendi vobiscum promptus assurgo, ut et dilectionem circa Deum vestram litterario sermone remunerer, et spem paginali adhortatione confirmem, atque ita his, cum quibus mihi est consortium sanctae communionis, jucundum reddam testimonium caritatis. Non enim sufficit animo meo de vobis esse securum, nisi ostendero illum quoque, quo vos complector, affectum. Siquidem declarat se non ex judicio odisse a Dei dilectione divisos, qui potest non amare conjunctos.

2. Benedico igitur Deum, dum fervorem fidei vestrae inter procellas varias et tempestatum adversa considero. Vos quoque, ut super his pietatem ejus glorificetis, uberiore exsultatione suadeo; qui electorum suorum mentes quo acceptiores sibi reddat, examinat, et licet cognitos sibi, quibusdam tamen difficultatibus probat, ut justitiam quoque inesse dono quod largitur ostendat. Atque ideo pertinaciter bono vos convenit imminere proposito, nec in via quae ducit ad coeli regna deficere. Qui intuetur dominici[1]) munera non aestimanda promissi, nullius potest respectum habere periculi. Non enim frangit consideratio praesentium malorum, nisi futurorum bonorum

---

30 [1]) Ed. *dominica*, G[1] *dnīcē*, unde restituendum duximus *domīnici*. Deinde b c c *aestimanda promissa*.

Digitized by Google

(a. 517.) vincat oblivio: quando omnem amaritudinem laboris excludit, qui dulcedinem spei, quae exspectatur, admiserit[2]). Quae enim difficultas beatitudini par est, aut quae condignae praemiis passiones ad futuram scilicet gloriam, quae in nobis apostolo annuntiante revelabitur? Absit, ne quidquam a Christi caritate nos separet! Quanta est tribulatio, si gloriam parit? Materia prosperorum est quae putatur adversitas. Dum inclinamur, erigimur. Nemo haberet futuram remunerationem, nisi necessitates praesentium sustineret. Videte, quanto opere hominum terrena messis assurgat. Quanto est igitur labore procurandum, ut coelestia dona non pereant! Quieta est negligentium vita, sed non opulenta[3]) substantia: *Dignus est operarius, ut fructum mercedis accipiat.* Indiscreta passim pietas cum impietate languesceret, si examinatio bonos a malis divisura cessaret. Gratum admodum spectaculum Domino est in agone justorum, nec quidquam ita supernam gratiam conciliat homini, sicut adversorum impetus patienter excepti. Quis miles[4]) sub pacis securitate meretur? Non est arduum in sicco secura fixisse vestigia, nec artem gubernatoris ostendit marina tranquillitas. Satis est intrepidum inter bella procedere, inter lubrica non labare, fluctus in tempestate contemnere. Saeviat et motus suos exerceat mundana tentatio, dum manifesti appareant qui probantur!

Rom. 8,18.

Luc. 10,7.

3. Haec scientes, carissimi fratres, fidei vestrae tenete constantiam, et ipsa etiam, si inciderint, militantia meritis vestris amate pericula. Annuntiate quae colitis, et participate[5]) etiam per universum orbem mandata evangelica quae tenetis. Supra stipendia vestra correctio quoque vobis adscribatur aliena. Inter peccatorum[6]) enumerationem, quibus sibi divinam gratiam plenus spiritu Dei propheta conciliat, inter ea, quibus misericordiam, qua conservetur, exorat: docere se iniquos vias Domini, et conversionem per se fieri praedicat impiorum. Beati, quibus vita innocenter acta dat praemium: beati, per quos aliis quoque praestatur exemplum!

Psalm. 50,15.

4. Et nos quidem, quantum in nobis est, nec sollicitudine nec

---

[2]) b *non amiserit*, c[2] seq. *amiserit.*

[3]) Ed. *non voti opulenta ... Indiscrete.*

[4]) b cc *milites ... miretur*, minus concinne.

[5]) H. e. universum orbem evangelicorum mandatorum participem facite. Eadem verbi ejusdem vis ac potestas est in his epistolae 143 n. 2: *Quidquid cum Orientalibus actum fuerit, repetitis vobiscum participamus indiciis.* Hoc etenim sibi vult: participes vos facimus eorum omnium, quae cum Orientalibus acta sunt. Antea id quod dicitur *Amate pericula*, non est distrahendum a temperamentis, quae Hormisda sententiae huic adjungit; adeo ut non quaerantur pericula, sed *si inciderint*, aequo animo ferantur, ut ubi meritis nostris militant, *amentur*.

[6]) b cc *Inter ceterorum enumerationem.* Clarior esset sententia in hunc modum: *In enarratione peccatorum, quibus plenus Spiritus Dei propheta* (Psal. 50, 15 *divinam sibi gratiam ac misericordiam conciliat, inter ea* etc.

Digitized by Google

labore cessamus, ut humilitatem, quam nos Dominus noster docuit, (a. 517.)
imitati, quae saluti eorum conveniunt postulemus: ut dispensationis
mihi creditae, dum agnoscitur cura, probentur officia. Nam repetita
vice Ennodium atque Peregrinum fratres et coepiscopos nostros man-
data legatione direximus, rationem, adhortationes, preces, lacrymas
ingerentes, ut ab impiorum contagione separati, ad veram fidem
iisdem, quibus vos, modis et apostolica scita[7]) se conferant, aut certe
non nos defuisse praedicationi, sed illos propriae saluti mundus
agnoscat[8]).

Epistola 31.

Hormisdae papae ad Possessorem episcopum.

a. 517 d. 3 April.

Fide illius laudata, ut in ea crescat et constanter perseveret, hortatur.

Hormisda[1]) Possessori episcopo.

Optimam vestrae caritatis audientes instantiam, et cognoscentes
rectae fidei[2]) tramitem, quem sine strepitu vindicatis, Deo nostro
gratias sine cessatione persolvimus: ut et in ea dispositione per-
sistas, et ceteris quod sequantur tribuere possis exemplum. Ista
sunt dona coelestia, ista sunt divinae retributionis indicia, ista sunt
Dei judicia, quae te a catholico sacerdotum noluerunt separari con-
sortio. Unde, frater carissime, praesentibus hortamur alloquiis, ut
in ea constantia', qua[3]) electus es, perseveres, et augmenta proba-
bilibus initiis subministres: quia bonum opus, praecipue quod ad
doctrinam fidei pertinet, nisi semper creverit, videtur imminui. Et
si tribulatio mundana contigerit, ante oculos nostros[4]) futura prae-
mia ponentes, apostolica nos admonitione consolemur, dicentes: *Non* Rom.
sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae re- 8,18.
velabitur nobis. Meliora tamen speramus, quia Deus, qui per beatum
apostolum dixit: *Qui vos non dimisit tentari super quod potestis;* ipse 1 Cor.
pro sua pietate, quos suos elegit esse, et de laqueis adversariorum, 10,13.

---

[7]) Vulg. *scit sedes se*, G[1] *scit a se*, unde nostra lectio. *Scita* i. q. statuta.

[8]) b cc haud temere hic addunt: *Data ut supra Agapito v. c. cons.*

31 [1]) Possessor Africanus episcopus is, ut videtur, qui in catalogo episcoporum Carthagine anno 484 jussu regis Hunerici congregatorum appellatur Zabensis in Mauritania Sitifensi episcopus, jam Constantinopoli pro negotiis Ecclesiae versabatur, quum eo primum Ennodius ac socii pervenerunt. Hos ille in propugnanda catholica fide constanter adjuvare non contentus, etiam libello remeantibus dato, summum pontificem de fidei suae sinceritate certiorem fecit; hinc nata epistolae hujus occasio.

[2]) b c c *vitae*. Lectionem nostram G[1] a[1] magis probandam esse, verbum sequens *vindicatis* confirmat.

[3]) Non displiceret quod apud Baron. *qua exorsus es*, si id cum auctoritate posuisset.

[4]) b cc *vestros ... apostolica vos*. Mox *consolemur* loco *consulimus* correximus.

Digitized by Google

a. 517. sicut semper, eripiet. Libellum dilectionis tuae de confessione rectae fidei per legatos nostros remeantes accepimus, et in eo sinceritatem tuae fraternitatis agnovimus: quia quod recte credit, sub attestatione publica praedicare non distulit. Data III Nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 32.

a. 517 d. 3 April. **Hormisdae papae ad orthodoxos Constantinopoli constitutos.**

Ut eos, qui synodum Calchedonensem et Leonis epistolam de fide declinant, aversentur et fugiant, admonet.

Hormisda clero, populo et monachis orthodoxis Constantinopoli consistentibus.

Matth. 10, 42. 1. Si is, qui calicem aquae frigidae, mandata evangelica secutus, obtulerit, mercedem boni propositi ipso Domino, qui haec docuit, restituente consequitur; nonne qui tanto populo fidelium veritatem annuntiare distulerit, juste poenam damnationis incurrit? Hinc est, quod interminationem mandati coelestis effugiens, (quod decet, loquendum est in his quae ad Deum pertinent, nec tacendum) habens quoque vestrae salutis affectum, admonitionem eorum quae praesens necessitas poscit assumpsi, omnes, quibus curae est fide integra Christianam religionem servare, contestans, ut eos, qui sanctam Calchedonensem synodum et beati Leonis de fide catholica conscriptas epistolas declinant, quibus possunt viribus aversentur et fugiant: quando ipsi sunt, qui Eutychetis et Dioscori Alexandrini vel potius nefanda Manichaeorum contagione polluti, verbo quidem adversus constituta patrum videntur habere certamen, rebus autem contra incarnationem Domini nostri Jesu Christi evidenter insurgunt.

2. Recordamini, carissimi, quae fuerunt Basilisco palatinam[1]) archen incubante tentata, et temporum illorum acta vel visa vel audita recolite: quam scelesta tunc fuerit Timothei cognomento Aeluri, quam impudens et monstruosa praesumptio, quantus etiam per universum orbem fidei se vestrae fervor ostenderit. Probavit

---

32 [1]) Vulg. *palatinae arci*, vel *palatinae aulae*. Praetulimus cum G[1] *palatinam archen*, maxime postquam infra epist. 50 n. 1 eodem loquendi modo legimus: *Passim vos aestimet arches inclitae accepisse titulos.* Hic autem Hormisda illud sibi vult: *dum regale imperium Basiliscus injuste possideret.* Eodem intellectu *incubator aulae Siculae Dionysius* a Macrobio dictus est. De verbo *incubare* plura in Simplicii epistolam 6 not. 7 edisseruimus. Porro nunc Hormisda in memoriam revocat, quod Basilisco tyranno contigisse narrat Evagrius hist. eccl. III, 4. *Timotheus Aelurus*, inquit, *quum in urbem regiam venisset, persuasit Basilisco, ut encyclicas litteras ad omnes ubique episcopos mitteret, et ea quae Calchedone gesta fuerant et Leonis tomum anathemati subjiceret.* Verum ut idem scriptor ibid. c. 7 docet, mox idem tyrannus a populo monachisque regiae urbis coactus est, litteras prioribus contrarias, quibus Calchedonensis synodus confirmabatur, mittere

Digitized by Google

tunc Constantinopolitanus populus, quam pure deceat credentes Chri- a. 517.
stiana servare mysteria. Sed transacta utinam studia fuissent, et non nunc similia tempus expeteret! Rursum enim iidem haeretici caput improbum de profundo, quo immersi tenebantur, attollunt. Atque ideo rogo, hortor, admoneo dilectionem vestram: ab eorum vos conciliis et communione secernite. Recordamini zeli prioris, et vivere in vobis lucem scintillam ignis spiritualis ostendite, ne simplicem in vobis veritatis affectum perditorum astutia expugnasse se gaudeat. Et haec quidem, quantum ad praesentem necessitatem et assumendam contra impios cautionem, dixisse sufficiat. Spero tamen, quod si admonitio ista promoverit, et mihi et vobis utilis erit: quando et Deus in vestra salute glorificabitur, et fructus nostrae sollicitudinis apparebit. Data III Nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 33.

Hormisdae papae ad Ennodium et Peregrinum episcopos. a. 517 d. 12 April.

Illis profectis se epistolas a Johanne Nicopolitano ejusque synodo accepisse, quibus se a Dorotheo Thessalonicensi vehementer affligi querebantur et utrum ad eumdem relationem subinde mittere sibi liceret consulebant. Se id negasse nuntiat et de aliis instructionem insinuat.

Hormisda Ennodio et Peregrino episcopis.

Posteaquam profecta est caritas vestra, Nicopolitanus diaconus, qui vobis etiam occurrit in itinere, Romam venit[1]). Quem praeter moram vidimus, cogitantes, ne forte esset quod ad instructionem mandatae vobis legationis adjicere deberemus; quod et rationabiliter factum ipsa res evidenter ostendit. Obtulit enim nobis epistolam Johannis episcopi sui et aliam synodi subjacentis[2]) ecclesiae Nicopolitanae, qua queruntur ab episcopo Thessalonicensi excitatas adversum se tam principales quam judiciarias potestates: concussionibus et dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad episcopum relationem secundum[3]) prisca exempla non miserit. Pro

33 [1]) Adeoque intra 5 Aprilis diem, quo legati profecti sunt.

[2]) Ed. add. *sibi*. Moxque *principales potestates* idem est, quod *imperatoris potestates*, nisi quis hoc verbo malit intelligi *Illyrici praefecturam et sublimissimam inter mundanos apices potestatem*, quam Leonis temporibus Anastasium pariter Thessalonicensem antistitem adiisse atque Attico ejusdem ecclesiae Nicopolitanae episcopo indignissima intulisse, Leo ipse epist. 14 c. 1 testatur.

[3]) Johannem episcopum Nicopolitanum una cum synodo Epiri veteris relationem de ordinatione ad Hormisdam misisse testes sunt superiores epistolae 15 et 16. In libro autem V de concordia sacerd. et imp. c. 25 n. 9 Steph. Baluzius observat, id contra morem veterem factum fuisse, ac de ordinatione Nicopolitani episcopi ad Thessalonicensem antistitem, non ad Romanum referri debuisse. Similiter etiam arbitratur, hac discordia Hormisdae datam esse occasionem *di-*

Digitized by Google

a. 517. qua causa speraverunt, ut de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, utrum[4]) daremus eis licentiam relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi. Unde
ep. 35. tractavimus, et episcopum quidem Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, si nobiscum velit in communione persistere: ne per illum, si ab eo qui a communione nostra alienus est, confirmationem petiisset, nostra quoque communio contagium sustineret. Haec vos, ut omnia sciretis, instruximus. Quid autem propitio Deo vobis de hac causa agendum sit, subjecta declarant. Data pridie Idus Aprilis, Agapito consule.

Epistola 34.

a. 517 d. 12 April. **Hormisdae papae ad Ennodium et Peregrinum episcopos.**

Quid in causa Nicopolitanae ecclesiae tum apud episcopum Thessalonicensem tum p. 1[re]. *apud imperatorem ipsis agendum sit, instruit* (*n.* 1 *et* 2). *Ut litteras suas ad Thessalonicensem datas diversis locis publicari faciant, injungit* (*n.* 3).

Hormisda Ennodio et Peregrino episcopis.

1. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, intercedentibus et adjuvantibus sanctis, quid[1]) agendum sit de causa Nicopolitanae ecclesiae. Primum ubi Thessalonicam Deo juvante veneritis, epistolas[2]) nostras, quas in hac causa misimus, episcopo Thessalonicensi tradite, illum ordinem in ejus salutatione servantes, quem scitis a nobis esse mandatum circa eos, qui cum sede apostolica, hoc est Ecclesia catholica, non communicant. Traditis autem epistolis instanter agere debetis, ut se ab ejus ecclesiae concussione suspendat: rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem et ad corpus Ecclesiae cum illis, qui necdum reversi sunt, quidquam habere conjunctum, nos non solvere a praedecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat. Certe redeat ad unitatem, et nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia, quaecunque consecuta est a sede apostolica ecclesia ejus, inviolata serventur. Dicitis etiam, aperte illum ostendere inimicum se esse fidei, si insequitur eos, quos viderit ad catholicam communionem reverti.

2. Quodsi potueritis causam ibi Deo propitio componere, scri-

---

strahendi Epirum a corpore provinciarum, quae vicario Thessalonicensi parebant, committendique vices apostolicae sedis per eam provinciam episcopo Nicopolitano: atque hoc privilegium a Gregorio lib. 6 Ind. 14 epist. 8 episcopis Epiri confirmatum est.

[4]) b cc *ut* (ad marg. *utrum*).

34 [1]) In G[1] deest *quid*; omitti potest, si postea legatur *agendum sic*.

[2]) Scil. quae sequitur epist. 36. Mox ed. *dicite ... insequitur quos ... Quod poteritis.*

Digitized by Google

ptis ad episcopum Nicopolitanum[3]), quid vestra promoverit opera a. 517.
nuntiate. Si vero obstinatus fuerit nec ab insecutione ejus cessare
voluerit, secundum litteras, quas ad clementissimum imperatorem
misimus, apud principem causam ecclesiae Nicopolitanae sic agitis, ep. 37.
ut dicatis: *Alcyson episcopus Nicopolitanus satisfecit Ecclesiae catholicae, susceptus est et ad communionem reductus. Hujus successor Johannes episcopus, et Deum ante oculos habens et de salute sua cogitans et praedecessoris sui bonum exemplum sequens, condemnatis haereticis vel transgressoribus ad sedem beati Petri apostoli misit, et susceptus est. Huic nunc Thessalonicensis episcopus insidiatur et eum concutit, contraria his quae fecit ab eo exigere volens. Hinc pater vester et omnes orthodoxi rogant, ut jussionibus vestris removeatur ab eo ista molestia: ne videatur hominibus propter hoc illum persecutionem pati, quia ad communionem sedis apostolicae rediit; et qui exspectant per vos unitatem fieri, aliud incipiant credere, si pietatem vestram viderint hoc*[4]) *dissimulare, hoc negligenter accipere.*

3. Visum est nobis expedire, ut litteras, quas ad Thessalonicensem in causa Nicopolitana direximus, quolibet ordine prudentia vestra diversis [in locis] faciat publicari, magnopere tamen in civitate Thessalonicensium, quia hoc facto et a persecutione nostrorum potest cessari, et ad ipsius, si correxerit, credimus pertinere salutem.

Epistola 35.

Hormisdae papae ad Johannem Nicopolitanum et synodum ejus. a. 517 d. 12 April.

). 109. *De angustiis, quas perpessi, consolatur (n. 1), se legationem ad principem et episcopum Thessalonicensem pro illorum sublevatione misisse nuntiat (n. 2); ipsi ad Thessalonicensem litteras ne dirigant (n. 3).*

Hormisda Johanni episcopo Nicopolitano cum synodo.

1. Optaremus, dilectissimi fratres, ab omnibus vos molestiarum fluctibus alienos vitam sub tranquillitatis serenitate transigere, et Deo nostro remota mundanarum tempestatum mentes[1]) perturbatione vestras devotas esse: quia quae fieri nolumus, necesse est, ut facta doleamus. Sed abundat mundus incommodis et tentationibus: saeculum istud, in quo peregrinamur, expositum est passim[2]) veluti magna moles ventorum procellis. Ita fidelium mentes diabolicis

[3]) b cc add. *litteris*, citra necessitatem, quum vox *scriptum* passim apud veteres etiam litteras sonet. Subinde in G^1 desideratur *opera*.

[4]) Supple: *quod Johannes a Dorotheo patitur.*

35 [1]) Ita G^1 (partim secunda manu). Ed. cum G^3 *mentis perturbatione moverunt.* Nescio an hisce Hormisda alludat ad ea, quae Johannes in litteris electionem suam indicantibus praemiserat: *Cura mihi exstitit semper nihil amplius quaerere, nisi agere propriam et familiarem conversationem etc.* (ep. 15 n. 1).

[2]) G^1 sec. manu *passionibus*. Deinde ed. *par erit ei remuneratio.*

Digitized by Google

a. 517. pulsantur insidiis, et, sicut dictum est, *qui volunt pie vivere in Chri-*
2 Tim. 3, 12. *sto, persecutiones patiuntur*. Sed consolatur spes a justo retributore
Matth. 11, 6. promissa: *quia beatus est, qui non fuerit scandalizatus in Domino.* Non dejiciant milites Dei impetus fragiles et caduci. Qui assistit strenuis, non delectatur ignavis. Facile contemnuntur ista quae transeunt, si illa quae sunt mansura cogitentur. Amplectenda est probationis occasio: quia licet sint dura onera laborum, praemia tamen majora virtutum. Quemadmodum par erit remunerationi, qui se imparem monstrat examini? Non simus segnes ad fortia, si pervenire cupimus ad promissa. Quis super hoc exspectet vocem hominis, quum quotidie nobis insonet sententia veritatis: *Beati, qui pas-*
Matth. 5, 10. *siones patiuntur propter justitiam!*

2. Sed ne me, fratres carissimi, licet apud fideles magna sit[3]), spirituali tantum vos credatis confirmatione solari: a providendis pro vestra tribulatione remediis, quantum in homine esse potuit, non quievi. Nam per legatos ad Orientis principem destinatos et Thessalonicensem episcopum, ut ab infestatione vestra cessaret, admonui, et prorogatis paginis, ut imperatori supplicaretur, injunxi.

3. Haec quantum ad praesentia sunt provisa; sed illa, quae ad spem futuram pertinent, haec sunt potius mentibus intuenda. Sane hoc me fateor fuisse miratum, quod inter allegationes angustiarum religiosae prudentiae vestrae haec potuit cura subrepere, ut a me sub consultationis[4]) colore dirigendi ad Thessalonicensem episcopum solidas litteras licentia posceretur. Egone hujus rei auctor existerem, quam si inscio me cognoscerem factam esse, culparem? Absit ista perversitas! Audite apostolicam vocem, sed personae meae con-
Gal. 2, 18. venienter aptandam: *Si quae destruxi, haec iterum reaedifico, praevaricatorem me constituo.* Nolite, obsecro, ad evitata vix redire contagia, nec pedes luto, quo tenebantur, avulsos patiamini male rur-
Luc. 9, 62. sus immergi. Sinite obliterata esse transacta. *Nemo mittens manum suam in aratrum et adspiciens retro aptus est regno Dei.* Impediuntur a processu propositi itineris, qui reflexis oculis respiciunt quod relinquunt. Non amant Ecclesiae[5]) strictae disciplinae eos, in quibus remanet memoria ulla perfidiae: totos ab errantibus oportet abscindi, quia in tantum detestabiles existimantur ad spreta redeuntes, ut

[3]) Ita G[1]. Ed. *sint, spiritualia tantum vestrae exhibere credatis confirmationi solatia; providendis enim.*

[4]) G[1] b cc *consolationis;* sed legendum esse *consultationis*, liquet ex verbis Hormisdae de Johanne ac synodo ejus epist. 33 sic loquentis: *consulentes etiam nos, utrum daremus eis licentiam relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi.* Et vero hoc mendum antiquariis valde est familiare, quum etiam alias, quoties *consultationis* vocabulum orationis evidentia postulat, e veteribus libris aliquem vix reperire sit, in quo *consolationis* vox non ejus loco exhibeatur.

[5]) Ita G[1]. Ed. *ecclesiasticae disciplinae ... memoria illa ... in tradito.*

Digitized by Google

beatus apostolus Petrus melius illis esse praedicaverit, ut non cognoscerent viam justitiae, quam cognoscentes retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato. In aperto est, qua pertinacia traditae fidei debeat constantia custodiri, si tolerabilius est in errore persistere, quam coinquinationibus rursum, quas quis fugerit, implicari. Data pridie Idus Aprilis, Agapito viro clarissimo consule, per[6]) Pullionem subdiaconum. a. 517. 2 Petr. 2, 21.

Epistola 36.

Hormisdae papae ad Dorotheum episcopum Thessalonicensem. a. 517 d. 12 April.

109. *Ne Johannem Nicopolitanum ultra facessere praesumat.*

Hormisda episcopus Dorotheo episcopo Thessalonicensi.

1. Johannes frater et coepiscopus meus Nicopolitanae urbis antistes cum synodo sua variis se concussionibus atque dispendiis graviter causatur affligi, quod a transgressorum societate divisus, postquam communionem sedis apostolicae emeruit, ad Thessalonicensium ecclesiam ordinationis suae indicia[1]) non direxit. Potuisset neglectus hic esse culpabilis, si unum esset inter omnes mysterium caritatis. At quum multi se a petrae illius, quae Christus est, soliditate diviserint, quis non velit ab errantium conjunctione discerni, ut mereatur cum his qui consistunt in veritate conjungi? Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitata contagia. Ergo objicere quis possit errorem, ubi cogitatam salubriter intelligit cautionem? At nos, quod debueras primus assumere, credebamus te sequi saltem post aliena exempla potuisse. Non sufficit in lapsibus mora, nisi ad reprehensionis cumulum circa eos quoque, qui ad viam redeunt, accedat invidia? Quid aliud, quam beati Petri, quod sine impietate dici non potest, ipsum quod a Domino datum est nomen oderunt, qui eos qui ad sedis ipsius altaria confugiunt insequuntur?

2. Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas, et reverentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi sub ecclesiastica potestate deferri? Si in iisdem vestigiis, quibus catholici nituntur, insisteres, insectationem tamen proximi vitare deberes, sciens secundum Domini nostri et Salvatoris, quem colimus, instituta eum, qui scandalizaverit unum de minimis, obnoxium magnis esse peccatis. Ubi est, Domine, humilitas, quam sub occasione discipulorum tuorum certantium de loci qualitate Matth. 18, 6. 18, 1 sq.

[6]) Ita G^1. Alii omitt. *per Pullionem subdiaconum.*

[1]) Ed. *initia.* Mox b *neglectus sic esse,* al. omitt. *hic.* Ideo autem culpabilis fuisset is neglectus, quia, ut constituit Leo epist. 14 c. 6, provinciarum Illyrici metropolitani nonnisi cum Thessalonicensis antistitis notitia et consensu ordinandi erant.

Digitized by Google

a. 571. docuisti? Tu ostendis illum esse maximum, qui exhibere studuerit
Psalm. 79, 15 et 16. se pusillum. *Respice de coelo, vide: visita vineam te cultore plantatam:*
Matth. 5, 19. intende circa mandata tua minimos[2]), et circa ambitum honoris elatos!

3. Cur recentia cupitis, et prisca deseritis, circa summa desides et parva curantes? Nonne hoc est rerum vilia decimare, et legis praecepta contemnere? Servate[3]) illa, quae Deo congruunt, et facile ea quae sunt ab hominibus subsequuntur. Quin potius curam salutis assume, et cur te alius praevenerit in veritate, affectione suspira: ne si insectari eos qui ad Ecclesiae revertuntur membra perstiteris, tu quoque cum his, quos nominatim condemnat catholica sententia, copuleris. Data pridie Idus Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

Epistola 37.

a. 517 d. 12 April.

Hormisdae papae ad Anastasium Augustum.

Ut Johannem Nicopolitanum a molestiis infestantium tueatur, rogat.

Hormisda Anastasio Augusto per Ennodium et Peregrinum episcopos.

Dum sapientiae vestrae, clementissime imperator, profunda considero, providentes saluti propriae vobis displicere non aestimo. Neque enim aut divina monita aut humana continent instituta, ut qui consulit bonae spei, qualibet debeat reprehensione culpari: quum maxime pietas quoque vestra affectu se unitatis et pacis flagrare fateatur. Quae res me quoque vel pro fiducia conscientiae vestrae vel pro creditae quoque mihi dispensationis officio, emergente compulit non supersedere negotio. Johannes frater et coepiscopus meus Nicopolitanae civitatis antistes, praedecessoris sui sanctae recordationis Alcysonis secutus exemplum, beati Petri apostoli communionem cum synodo sua, damnatis his, quos Ecclesia detestatur, expetiit. Is nunc gravibus fatigatur insidiis. Precor mansuetudinem vestram, iniqua molientibus obviate, et removete molestias, et correctum fovete, cui, ut corrigeret[1]), debuisset insisti. Scient enim qui tardaverint, se reos futuros, quum a vobis foveri viderint jam reversos. Fateor, clementissime imperator, miror insidiantium pertinaciam neque Dei neque vestro intuitu permoveri. Nam qui oderunt in

---

[2]) Hoc est, qui quum mandata solvere non vereantur, minimi censendi sunt, secundum illud Matth. 5, 19: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis ... minimus vocabitur.*

[3]) Ed. *Serva ... subsequentur ... apostolica sententia* et omitt. *affectione.*

37 [1]) Supple *se*. Sic et in aliis superiorum praesulum epistolis *corrigentes* pro *se corrigentes* non semel offendimus. Quocirca Baron. substituens *corrigeretur* ab Hormisda potius littera quam mente discessit: sed in utroque peccat, quod subjicit *debuisset assistere.*

Digitized by Google

homine studium desiderii boni, quod de se aestimant judicari, in- a. 517.
sequuntur. Ad recta reduces jure culpandi, si non converterint deviantes. Datae[2]) fidei vestrae clara documenta, si affueritis ad unitatem reductis, effici, omni adhortatione cogitetis.

Epistola 38.

Anastasii Augusti ad Hormisdam papam.

a. 517 d. 11 Julii.

Christi mansuetudinem commendat, ut Hormisdam velut nimiae duritiae reum faciat.

Anastasius Augustus Hormisdae papae.

Etsi magnum aliquid taciturnitas judicatur, tamen necessarium est, admirantes Dei misericordiam assidue frequentare sermonem. Et quia initium fidei, quam nos Dominus et Deus Salvator noster Jesus Christus docuit[1]), in remissione peccatorum praecellit, nulli habetur ignotum. Ipse enim per propriam passionem omnia Adam peccata mundavit, et haec fuit negotiatio humilitatis ipsius, ut et praefatum et omnes fratres liberaret ex servitute peccati, voluntarie personam servi suscipiens. Nam beatus Paulus apostolus docuit nos scribens ad Romanos: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen et in eos, qui non peccaverunt.* Ex quo est universitati quodammodo declaratum, ex generali dispositione sive mirabilibus specialia quemque[2]) exempla debere suscipere semel tanta magnae legis jussione et tam pia bonitate firmata; et omnis doctrina, quam discipulis suis tradidit, in hoc firmamento consistit. Fugavit aegritudines sive multifaria genera passionum, nodum peccati propria, sicut dictum est, passione resolvit; et agens ad implenda similia discipulos factis et sermonibus instruebat. Verum si, sicut aliqui nituntur ostendere, certi ex ipsis[3]) apostolicis tam piam doctrinam per inobedientiam implere

Rom. 5, 14.

---

[2]) Ita G^1 G^3. b cc *Date fidei vestrae clara documenta, si adfore cunctis ad unitatem reductis officio omni et adhortatione cogitetis.* Quae correctio, etiamsi ab editoribus concil. arrepta, non probatur: tum quia a librariorum more alienum est, ut *adfueritis* pro *adfore* eis subrepat, tum etiam admissa, nulla efficitur nitida sententia. Integrior erit in hunc modum: *Datae fidei vestrae clara* (supple *erunt*) *documenta, si adfueritis ad unitatem reductis,* (adde *idemque a ceteris*) *effici omni adhortatione cogitetis.* Quamquam et nunc jam sensus satis purus efficitur.

38 [1]) b *docuit in remissionem.*

[2]) Ita G^1 a^1 (nisi quod a^1 *quaeque*, ubi G^1 $\overline{qq}$ i. e. *quemque*). b cc *quaeque exempla debere semel tam magnae legis jussiones et tam pia bonitate firmatae, ut omnis.* Porro verbum *firmata* ad *exempla* referendum est. Hoc enim sibi vult: Christum ideo carnem suscepisse, ut omnes misericorditer liberaret; adeoque ex hac generali incarnationis suae causa, quam miraculis, gestis ac praeceptis firmavit, specialia nobis dedisse exempla, quibus misericordiam disceremus.

[3]) Non crediderim Anastasium immo ullum, qui Christiano nomine glorietur, ejus impudentiae et impietatis exstitisse, ut apostolos in implendis Christi mandatis inobedientiae arguerent. Quare legendum potius *ipsis apostolicis*, quam

Digitized by Google

a. 517. dissimulant, ignoramus, ubi magisterium misericordis Domini et magni Dei nobis possit occurrere. Nos autem non ea credimus ratione, ut immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt; sed postulationem nostram a praesenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile judicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respuentes[4]): injuriari enim et annullari sustinere possumus, juberi non possumus. Data V Idus Julii Constantinopoli, Anastasio (Augusto IV)[5]) et Apapito vv. cc. consulibus.

Epistola 39

seu

(a. 517 c. fin.) **Exemplum relationis minimorum archimandritarum et ceterorum monachorum secundae Syriae ad Hormisdam papam.**

Quam nefanda a Severo et Petro perpessi sint exponentes (*n.* 1—2), *se frustra* p. 1[09]. *apud imperatorem auxilium quaesiisse queruntur* (*n.* 3). *Hormisdam ut caput omnium appellant* (*n.* 4), *ac fidem suam damnatis nominatim haereticis testatam faciunt* (*n.* 5), *subscriptiones suas singuli submittentes* (*n.* 6—12).

Sanctissimo et beatissimo universae orbis terrae patriarchae Hormisdae, continenti sedem principis apostolorum Petri, deprecatio et supplicatio minimorum archimandritarum et ceterorum monachorum vestrae[1]) secundae Syriae provinciae.

---

quod in aliis *ipsius* (G[1] *ipsis*) *apostolis*. Certe Hormisdam ejusque in apostolica sede antecessores hic notari, haud temere conjectemus.

[4]) Supple *eas* scil. *preces*. Mox pro verbo *annullari*, quo interpres litterae tenax graecum ἐξουθενεῖσθαι reddidit, aptius positum esset *contemni*. Sed vel hinc totam epistolam ab Anastasio graece scriptam et ab interprete non admodum perito latine conversam fuisse planum est.

[5]) b cc add. *Aug. quartum*, ac deinde sustulerunt *vv. cc.*; non male, si cum alicujus codicis auctoritate. Certe legendum *Anastasio Augusto IV et Apapito viro clarissimo consulibus*.

39 [1]) b cc expunx. *vestrae:* quo verbo hanc provinciam Hormisdae addictam eique ut universi orbis patriarchae subjectam significant. In hac autem nuncupatione imitantur Theodorum et Ischyrionem Alexandriae diaconos, Athanasium ejusdem ecclesiae presbyterum et Sophronium, quorum libelli distincti act. 3 concil. Calched. inscribuntur Leoni *οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ* (Hard. II, 321 sq.). Hinc Gregorio lib. 5 indict. 13. epist. 18 et 20 data est occasio scribendi: *Numquid non per venerandum Calchedonense concilium hujus apostolicae sedis antistites universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit.* Hoc est: quamvis ipsis, concilio Calchedonensi audiente nec reclamante, tributum sit, quamvis idem et nunc archimandritae ac monachi Hormisdae et postea Larissaenus episcopus in fronte et ad calcem epistolae 2 ad Bonifacium II huic papae tribuant, nullus tamen illud sibi ipse arrogavit. Quod autem interpres latine hic reddidit verbis *universae orbis terrae*, uno *οἰκουμενικῷ*, ut in libellis supra citatis, expressum crediderim. Silendum non est,

Digitized by Google

1. Gratia Salvatoris omnium nostrum Christi immisit[2]) nobis, (a. 517.) ad vestram beatitudinem refugere, velut de hieme et tempestate ad portum tranquillitatis. Admoniti minime circumvallantibus nos[3]) calamitatibus teneri jam credimus. Nam etsi patimur, gaudentes sustinemus, scientes, *quia non sunt condignae passiones hujus temporis* Rom. 8, 18. *ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Quoniam vero Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit nobis[4]) vestrum sanctum angelum, dignum est, passiones, quae nobis contigerunt, exponere, et immisericordes ostendere lupos, qui dissipant gregem Christi: ut auctoritatis baculo eos expellat de medio ovium, verbo autem doctrinae animam sanet et orationis medicamentis mitiget.

2. Qui autem sint isti, et qui hos adversum nos armaverint, audistis utique, beatissimi: Severus[5]) ille et Petrus, qui nunquam in Christiano numero reputati sunt, qui per singulos dies sanctam Calchedonensem synodum sanctissimumque et beatissimum patrem nostrum Leonem publico anathemate impetentes[6]), qui judicium Dei nihil aestimantes et colendos canones sanctorum patrum conculcan-

---

etiam Johannem regiae urbis episcopum in actis conventus Constantinopoli anno 518 habiti, insertis concilio Constantinopolitano sub Mena act. V (Hard. II, 1317), *patriarcham oecumenicum* vocitari.

[2]) Illud *immisit nobis*, quod est *induxit nos* seu *persuasit nobis*, Baronius suppressit, substituens ejus loco solum *nos*, vocabulumque antecedens *gratia* ad subsequens *admoniti* perinde refert, ac si legeretur, *admoniti gratia Salvatoris nos ad vestram etc.*

[3]) c^7 seq. omitt. *nos calamitatibus.*

[4]) G^1 *nos*, b cc *vos et.* Eodem modo infra n. 5 iidem Syri ajunt: *ad perfectam autem notitiam* (non addito *vestram et*) *vestri sancti angeli.* Similiter Justinianus comes ep. 78 n. 1 scribit: *ad angelum vestrum hinc discedentes*, non praemisso *ad vos et.* Is loquendi modus nititur apocalypsi 2, 1 sq., ubi Johannes jussus scribere septem ecclesiis scribit *angelo Ephesi ecclesiae.*

[5]) Severus ille in Antiochenam, Petrus autem in Apamenam invaserat ecclesiam. Utriusque nefariam vitam perstringunt Apameni monachi in libello actioni V concilii Constantinopoli sub Mena habiti (Hard. II, 1387 sq.) inserto. Hi pseudoepiscopi, quamvis ad vexandos catholicos in unum consentientes, in eamdem tamen sententiam minime conspirabant. Certe Severus Petrum anathemate dignum profiteri non dubitabat, ut ex Liberato cap. 19 colligitur. Verba ejus quia in vulgatis mendosa sunt, e Corbejensi exemplari exscribo. *Severus*, inquit, *dum sederet prius in monasterio Hiberi, non suscipiebat Zenonis edictum, nec Petrum Mongonem; deinde sedens in abbatis Romani et Mamae qui postremus fuit monasterio, et exinde missus est permanere Constantinopolim apocrisiarius, et fit inter eos, qui Petri Mongi erant. Dumque objiceretur ei: „quomodo prius anathematizabas Petrum?" dicebat: „quia Petrum anathematizavi Apamenum."* Sed et hinc se nullius fidei exstitisse prodebat.

[6]) Graeca phrasis dum retinetur, nonnihil hic deesse videtur orationi. Integra autem erit, si tantum reponatur: *impetunt ... faciunt exhiberi ... affligunt.* Hinc perspicuum est, non archimandritas solos cum monachis, sed et nonnullos saltem episcopos secundae Syriae Acephalorum communionem declinasse, adeo

Digitized by Google

(a. 517.) tes, episcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, et nos cogentes illudere praedictam sanctam synodum, suppliciis inaestimabilibus affligentes. Unde et quidam eorum injectas plagas minime sustinentes, de hoc[7]) transierunt, et nostrorum vero non exigua multitudo perempta est. Euntibus[8]) namque nobis ad mandram domini Simeonis pro causa Ecclesiae, insidiati sunt nobis in itinere praedicti coinquinati, et supervenientes occiderunt ex nobis trecentos quinquaginta viros, quosdam autem vulneraverunt; alios vero, qui potuerunt ad colenda altaria confugere, ibidem peremerunt et monasteria incenderunt, per noctem immittentes multitudinem inquietorum hominum redemptorumque omnem paupertatem ecclesiasticam per hujusmodi pestiferos homines consumentes.

3. Ad singula autem delatae ad vestram beatitudinem instruent chartae a venerabilibus fratribus Johanne et Sergio, quos miseramus Constantinopolim, sperantes vindictam fieri de his quae commissa sunt. Sed eos nec verbo dignatus est [*imperator*][9]), sed etiam cum grandi contumelia expulit, comminatus eis, qui ista porrigerent. Unde hinc est nos vel sero cognoscere, quoniam tota pravitas et audacia talium malorum adversus ecclesias facta, ipsius immissione composita est.

4. Deprecamur ergo, beatisssimi[10]), supplicantes et rogantes, ut exsurgatis cum fervore et zelo, et condoleatis juste pro corpore laniato, nam caput estis omnium, et vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, patres blasphematos et talem synodum anathemate impetitam. Vobis a Deo data est potestas et auctoritas ligare et solvere. *Non opus habent qui sani sunt medicis, sed male habentes.* Exsurgite, patres sancti, venientes ad salvandos nos! Imitatores estote Domini nostri, qui de coelo super terram advenit quaerere errantem ovem: Petrum[11]) illum principem apostolorum, cujus sedem

Matth. 9,12.

---

ut eos propterea illi imperatoris potentia et auctoritate ut reos exhiberi ac judicibus sisti cogerent.

[7]) Vulg. add. *saeculo.*

[8]) Apameae monachi in concilio Constantinopolitano sub Mena (Hard. II, 1387), *quum iremus*, inquiunt, *ad pagum figulorum, qui non longe est a venerabili templo beati Simeonis, ad pacem et unitionem caritatis et justam orationem respicientes;* tum secutae caedis unum Severum auctorem faciunt, et quae hic confuse narrantur Severi Petrique facinora distinguunt. Neque hi duo haeretici quamvis similia, simul illa perpetrarunt. Vide laudatum concilium ibid. Hard. II, 1285 sq. et Agapeti I epistolam 9 n. 3.

[9]) Addendum hic videtur cum b c c *imperator.* Integrior esset sententia in hunc modum: *sed eos imperator non solum nec verbo etc.*

[10]) Ita G[1]. a[1] *beatissime*, b c c *beatissime pater.* Mox visuri sumus *Exsurgit patres sancti*, pro *Exsurge pater sancte.*

[11]) Sic orationem prosequitur interpres, quasi prius *imitamini Dominum nostrum*, non *imitatores estote Domini nostri* convertisset. Quod non attendentes editores concil. voci *principem* praemiserunt verbum *respicite.* Legendum igitur

Digitized by Google

ornatis, et Paulum, qui est vas electionis, qui circumeuntes orbem terrarum illuminaverunt; nam magna vulnera majoribus indigent adjumentis. Mercenarii videntes lupos venientes adversus oves dimittunt eas dissipari ab illis; vobis autem veris pastoribus et doctoribus, quibus cura pro salute ovium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere[12]) suum pastorem, ab immitissimis bestiis liberatus et vocem sequens pastoris, sicut Dominus ait: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Non ergo despiciatis nos, sanctissimi, qui a bestiis ferocibus quotidie vulneramur. (a. 517.) Joh. 10, 3 et 14.

5. Ad perfectam autem notitiam vestri sancti angeli anathematizamus in eadem nostra deprecatione virtutem habente libelli[13]) omnes projectos et excommunicatos a vestra apostolica sede. Dicimus autem Nestorium, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, Eutychen, Dioscorum et Petrum Alexandrinum, qui cognominatus est Balbus[14]), et Petrum, qui dicebatur Fullo, Antiochenum, nihilominus et Acacium, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, eorum communicatorem, et omnes, qui unum illorum haereticorum defendunt.

Et subscriptiones.

6. Ego Alexander misericordia Dei presbyter et archimandrita sancti Maronis deprecatus sum. Simeon misericordia Dei presbyter et archimandrita ut supra. Johannes misericordia Dei diaconus et dispensator ut supra. Procopius misericordia Dei presbyter et archimandrita ut supra. Petrus misericordia Dei presbyter ut supra. Eugenius misericordia Dei presbyter ut supra. Geladius misericordia Dei presbyter ut supra. Bassus misericordia Dei presbyter ut supra. Romulus misericordia Dei presbyter ut supra. Eusealius misericordia Dei presbyter ut supra. Malchus misericordia Dei presbyter ut supra. Leontius misericordia Dei diaconus ut supra. Stephanus misericordia Dei presbyter ut supra. Carufas diaconus ut supra. Thomas presbyter ut supra. Samuel diaconus ut supra. Theodorus presbyter ut supra. Johannes misericordia Dei presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Thomas diaconus ut supra. Johannes diaconus ut supra.

7. Simeonius diaconus ut supra. Saulinus archimandrita ut supra. Eusebius presbyter ut supra. Mucymus presbyter ut supra.

---

imitamini Dominum etc. nec non Petrum principem, omisso *illum*, quia graecum articulum exprimere non solent latini.

[12]) b *cognoscens.* Mallemus *pastoris cognoscendi gratia.*

[13]) Quem scilicet Hormisda subscribendum mittere solebat, quique supra epistolis 7 et 26 subnectitur.

[14]) Graece μόγγος et latine *mongus* cognominari solet. Sed quia μόγγος vel potius μογιλάλος id est quod *balbus*, interpres litterae haerens ab usu, quo Petrus iste mongi cognomem obtinuit, secessit.

Digitized by Google

(a. 517.) Simeonius presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Jacobus presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Paulus presbyter ut supra. Priscus presbyter ut supra. Antonius presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Julianus presbyter ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Zachaeus presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Simeonius presbyter ut supra[15]). Sergius presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Eusebius presbyter ut supra. Paulus presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Sergius diaconus ut supra. Item Sergius diaconus ut supra. Julianus presbyter ut supra. Sergius presbyter ut supra. Ammonius diaconus ut supra. Thomas presbyter ut supra. Lucas presbyter ut supra. Thomas diaconus ut supra. Simeonius presbyter ut supra.

8. Flavianus archimandrita ut supra. Monimus diaconus ut supra. Johannes diaconus ut supra. Johannes presbyter ut supra. Antonius diaconus ut supra. Thomas diaconus ut supra. Eliseus presbyter ut supra. Sergius diaconus ut supra. Isaacius presbyter ut supra. Sergius presbyter ut supra. Thomas diaconus ut supra. Johannes presbyter ut supra. Philippus diaconus ut supra. Jacobus presbyter ut supra. Zenobius presbyter ut supra. Moras diaconus ut supra. Isaacius presbyter ut supra. Ananias presbyter ut supra. Sergius presbyter ut supra. Simeon presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Simeon presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Simeon presbyter ut supra. Davidethos diaconus ut supra. Thomas diaconus ut supra. Johannes diaconus ut supra. Lamneus presbyter ut supra.

9. Daniel archimandrita ut supra. Simeon archimandrita ut supra. Abramius presbyter ut supra. David presbyter ut supra. Dorotheus presbyter ut supra. Antoninus presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Darsumas presbyter ut supra. Sergius presbyter ut supra. Eusebius presbyter ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Marcellus presbyter ut supra. Priscus presbyter ut supra. Maras presbyter ut supra. Sergius presbyter ut supra. Jacobus presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Item Thomas presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Salinus presbyter ut supra. Thomas presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra. Varasaldas presbyter ut supra. Johannes diaconus ut supra. Marcellus diaconus ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Gennadius presbyter ut supra. Thomas presby-

[15]) Ed. add. *Thomas presbyter ut supra.*

Digitized by Google

ter ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Abramius presbyter (a. 517.) ut supra. Simeonius presbyter ut supra. Jacobus presbyter ut supra. Johannes presbyter ut supra.

10. Isidorus archimandrita. Julianus presbyter ut supra. Johannes et Romanus et Thomas presbyteri ut supra. Antoninus diaconus ut supra. Abraham presbyter, Maras diaconus et Abraham presbyter ut supra. Zenobius et Stephanus presbyteri ut supra. Simeonius et Demetrius presbyteri ut supra. Thomas et Domnus presbyteri ut supra. Simeonius et Elias presbyteri ut supra. Abramius et Pelagius presbyteri ut supra. Romanus et Abraham presbyteri ut supra. Simeonius presbyter et Carufas diaconus ut supra. Simeonius et Johannes presbyteri ut supra. Simeonius et Julianus presbyteri ut supra. Eutychianus et Johannes diaconi ut supra. Thomas et item Thomas presbyteri ut supra. Romanus diaconus et Johannes presbyter ut supra. Eusebius archimandrita et Eustasius presbyter ut supra. Jacobus et Eusebius presbyteri ut supra. Sergius et Maras presbyteri ut supra. Johannes et Julianus presbyteri ut supra. Paulus et Isacius presbyteri ut supra. Thomas et Dasianus presbyteri ut supra. Johannes et Daniel presbyteri ut supra.

11. Jevenas presbyter et Azizos diaconus et archimandrita ut supra. Antonius diaconus et archimandrita et Cyrillus presbyter ut supra. Job presbyter et Stephanus diaconus et archimandrita ut supra. Bassus diaconus et Basilius presbyter ut supra. Simeonius et Johannes presbyteri ut supra. Jacobus presbyter et Julianus diaconus et archimandrita ut supra. Simeonius et Alpheus presbyteri ut supra. Johannes presbyter et Petrus diaconus ut supra. Daniel diaconus et Eunus diaconus et archimandrita ut supra. Alexander et Epiphanius presbyteri ut supra. Zoilus et Abramius presbyteri ut supra. Julianus presbyter et Johannes diaconus et archimandrita ut supra. Carufas et Simeonius presbyteri ut supra. Timotheus diaconus et Petrus presbyter ut supra.

12. Macedonius presbyter et archimandrita ut supra. Dionysius archimandrita ut supra. Johannes archimandrita ut supra. Simeonius presbyter et archimandrita ut supra. Menas diaconus et archimandrita et Darabsabas presbyter ut supra. Sergius presbyter et Theodorus archimandrita ut supra. Benjamin archimandrita et Isaacius presbyteri ut supra. Daniel presbyter et archimandrita et Abraham archimandrita ut supra. Simeonius archimandrita ut supra.

Digitized by Google

Epistola 40.

a. 518 d. 9 Febr.

Hormisdae papae ad archimandritas Syriae.

Illos solatur, hortaturque, ut in fide catholica perseverent et ab haereticorum consortio se prorsus segregent. p. 1[illegible]

Ὁρμίσδας ἐπίσκοπος πρεσβυτέροις καὶ ἀρχιμανδρίταις τοῖς ἐν δευτέρᾳ Συρίᾳ οὖσι, καὶ λοιποῖς ὀρθοδόξοις ἐν οἱῳδήποτε ἀνατολικῷ κλίματι διάγουσι, καὶ ἐν τῇ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας κοινωνίᾳ διαμένουσιν.

Hormisda episcopus presbyteris, diaconis et archimandritis secundae Syriae.

1. Ἀναγνωσθέντων γραμμάτων τῆς ὑμετέρας ἀγάπης, δι' ὧν τῶν ἐχθρῶν τοῦ Θεοῦ ἀφροσύνη ἐφανερώθη καὶ τῶν ἀπίστων ἡ ἐπίμονος μανία λυπηρῶς δήλη γέγονεν, οἵτινες ἐπειδὴ τῷ κακῶς[1]) ζῶντι πνεύματι ἐμίσησαν τὸν Κύριον, τὰ μέλη ἐκείνου ἀσεβῶς διώκουσιν, ὅσον ἀπὸ τῆς ὑμετέρας βεβαιότητός ἐστι γνῶναι, ηὐλόγησα τὸν Κύριον, τὸν τὴν πίστιν τῶν ἑαυτοῦ στρατιωτῶν μεταξὺ τῶν ἐναντίων φυλάττοντα. Καὶ πάλιν τῶν ἐκκλησιῶν τὸν σάλον, καὶ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τὰς ἐπαχθείας καὶ τοὺς κόπους κατανοήσας, στενάζων κατὰ τὸν προφήτην ἐκέκραξα· „Ἀνάστα, Κύριε, δίκασον τὴν δίκην σου, μνήσθητι τῶν ὀνειδισμῶν σου, τῶν ὑπὸ ἄφρονος ὅλην τὴν ἡμέραν.“ Ἡδέως καὶ τὰ ἑξῆς ὁμοίως ἐπάγω· „Μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς

Psalm. 73, 22 et 23.

1. Lectis litteris dilectionis vestrae, quibus inimicorum Dei patefacta vesania est et infidelium pertinax furor dolenter expositus, qui dum redivivo[1]) spiritu oderunt Dominum, membra illius impie persequuntur: quantum[2]) ad constantiae vestrae agnitionem, benedixi Deum, fidem militum suorum inter[3]) adversa servantem. Sed rursum ecclesiarum concussionem et servorum Dei molestias laboresque considerans, propheta[4]) gemitus meos adjuvante clamavi: *Exsurge, Domine, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die;* libenter ea quoque quae sequuntur adjungens: *Ne obliviscaris vocem quaerentium te; superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper ad te.* Nam sicut oportet nos

40 [1]) Graece debuit converti *πάλιν ζῶντι*; nunc legitur *κακῶς ζῶντες* (in c. seq. *τῷ κακῶς ζῶντι*) et in priscis concil. edit. latine *male viventes.* At pro *κακῶς* legit Baronii interpres *κακῷ*; siquidem latine convertit *spiritu malo vivente.*

[2]) In aliis duobus exemplis *quantum a nostra certitudine est cognoscere, benedixi.*

[3]) Eadem exempla *in medio hostium servavit.*

[4]) In iisd. *gemens secundum Prophetam clamavi.* In exemplaribus collect. Dionysii seu Hadriani, ut monui, quae supersunt desiderantur.

Digitized by Google

τῶν ζητούντων σε, ἡ ὑπερηφάνεια τῶν μισούντων σε ἀνέβη διαπαντὸς πρὸς σέ.“ Καὶ γὰρ ὥσπερ χρὴ ἡμᾶς τὸ ἑδραῖον τῆς πίστεως φυλάττειν, οὕτως οὐχ ἁρμόζει περὶ τῆς δικαιοσύνης τῆς θείας κρίσεως ἀπιστεῖν.

stabilitatem fidei custodire, ita non convenit de divini judicii aequitate diffidere. a. 518.

2. Οὐκ ἔστι νέος, ἀδελφοὶ, τῆς ἐκκλησίας οὗτος ὁ κόπος· ὅμως ἐν αὐτῷ τῷ ταπεινοῦσθαι ὑψοῦται, καὶ δι' ἐκείνων, δι' ὧν πτωχεύειν δοκεῖ, πλουτίζεται. Ἐν πείρᾳ ἐστὶ τοῖς πιστοῖς τοῦ Θεοῦ τὸ διὰ τοῦ θανάτου τῶν σωμάτων τὴν ζωὴν κερδαίνειν τῶν ψυχῶν· ἀποβάλλονται μὲν τὰ ῥέοντα, ἀλλ' ἐμπορεύονται τὰ αἰώνια, καὶ ἐν τῷ τὸν διωγμὸν ὁδοποιεῖν τῇ δοκιμῇ, αἰτία γίνεται τῆς ἀξίας ἡ δοκιμή· ἀνόητοι καὶ ἐν τῇ τυφλώσει μαινόμενοι ἀγνοοῦσιν, ὅτι οὓς ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἀναστροφῆς χωρίζειν δύνασθαι νομίζουσι, τούτους εἰς τὴν βασιλείαν ἄγουσι τοῦ Θεοῦ. Ἐντεῦθεν ἐν αὐτοῖς τοῖς κινδύνοις αἱ εὐφροσύναι καὶ ἡ περὶ τὸ πάσχειν σπουδή· ἐκδέχεται[7]) γὰρ τοὺς ἀγῶνας τῶν ἰδίων ὁ τῶν μεγάλων δωρεῶν ἀνταποδότης. Τίς γὰρ οὐκ ἂν ὀκλάσειεν ἐν τοῖς κακοῖς, εἰ μὴ διὰ τῶν ἐπάθλων παραμυθηθείη τὰ ἐναντία; Ἐκείνη ἐστὶν ἡ ἐλπὶς ἡ μὴ συγχωροῦσα ἐν τῇ ἀνελπιστίᾳ ἡμᾶς ἀτονεῖν· ἀποκλείει τῶν θλίψεων τὸ πικρὸν ἡ γλυκεῖα γεῦσις τῶν ἀρετῶν.

2. Non novus hic, fratres, Ecclesiae labor, et tamen dum humiliatur, erigitur, ac per ea, quibus atteri[5]) creditur, damna ditatur. Ex usu est fidelibus Dei, ut per mortes corporum vitas lucrentur animarum: amittunt quidem caduca, sed mercantur aeterna, et dum persecutio viam facit probationi, probatio causa fit meriti: stulti[6]) et in caecitate saevientes nesciunt, quia quos conversationi hominum subtrahere se posse credunt, ad Dei regna perducunt. Hinc in ipsis periculis gaudia et ambitus passionum: exspectat[7]) enim agones suorum, qui magnorum retributor est munerum. Nam quis non frangeretur malis, nisi consolarentur adversa de praemiis? Spes illa est, quae non sinit in desperatione deficere: excludit siquidem amaritudinem tribulationum dulci[8]) sapore virtutum. Quis enim magni habeat praesentia, sciens aestimare ventura? Quis dispendia vitae renuat, si quae sunt recipienda considerat?

[5]) Ita G[1] b. At a[1] *alteri*, cc *per quae depauperari creditur ditatur:* quod consentaneum est graeco. *Ditatur* etiam G[3], *vitantur* G[1].

[6]) Vox *stulti*, in G[1] G[3] a[1] omissa, ex aliis revocatur.

[7]) Ita antiqui pingere solent verbum *spectat*, quod apud Baronium more nostro repraesentatur. Verbi hujus ambiguitate delusus interpres graece convertit ἐκδέχεται praeter mentem Hormisdae, et ex hoc graeco cc *suscipit.*

[8]) Ita G[1] G[3]. Sed graecus interpres legit *dulcis sapor*, quod et in b cc obtinuit.

Digitized by Google

a. 518. *Τίς γὰρ ἂν οἰηθείη τὰ παρόντα μεγάλα, ἐννοῶν τὰ μέλλοντα; Τίς τὸν θάνατον ἀπαρνεῖται, εἰ τῶν μελλόντων τὴν ἀντίδοσιν κατανοήσειεν;*

3. Ἔνστητε, ἀγαπητοί μου, καὶ ἀσάλευτον τὴν πίστιν βεβαίῳ λογισμῷ φυλάττοντες, τῆς ὑπομονῆς τὸν ἔπαινον, ἐν ᾧ ἔστιν ἡ σωτηρία καὶ τῶν ἀγαθῶν ἔργων[9] *τὸ βραβεῖον, καρπώσασθε. Μεγάλα εἰσὶν, εἰς ἃ καλούμεθα οἱ ἀνάξιοι. Μὴ βραδυνάτω ἡ ἀσθένεια, ὅτι ὁ καλῶν ἀνταποδότης πιστὸς, καὶ δυνατὸς βοηθός ἐστι· μὴ τῇ τῶν καταθυμίων ἐλπίδι ἀπατηθῶμεν μήτε τῶν ἡδέων, μήτε προκρίνωμεν τὰ εὐχερῆ· οὐ τρυφηλὰ ἡμῖν ὁ Κύριος ἡμῶν, οὐ κολακευτικὰ ἐπηγγείλατο· ἐκεῖνος ἔπαθλα ὑπέσχετο, οὐκ ἀργίας. Οὐ συμβαίνουσιν ἔπαινος καὶ ῥᾳθυμία. Τίς τῆς ἀνταμείψεως ἔσεται τόπος, εἰ οὐδεμία ἐστὶ φροντὶς τῆς ἀρετῆς; Στενὴ ἡ πύλη, ἀλλὰ πλάτεα τὰ βασίλεια· ὀλίγοις ἡ εἴσοδος, ἀλλὰ τοῖς δοκίμοις. Οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ πρῶτοι λόγοι πρὸς ἐκείνους, οὓς ἐδί-*
Matth. 10,17. *δαξε· „Διώξουσι καὶ ἐν ταῖς συν-*
ἀγωγαῖς μαστιγώσουσιν ὑμᾶς“;
Luc. 21,19. *Διὰ τῆς ὑπομονῆς, καθὼς γέγραπται, κτησώμεθα τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, μήποτε ταύτας διὰ τῆς οὐχ ὑπομονῆς ἀλγήσωμεν ἀπολέσαντες. Πρῶτος εἰς τὸν σταυρὸν ὁ*

3. Persistite, carissimi mihi, et inconcussam fidem fixa animi virtute servantes, perseverantiae laudem, in qua est salus et bonorum omnium[9]) palma, praesumite. Magna sunt, ad quae vocamur indigni: non retardet infirmitas, quia qui vocat, retributor fidelis et fortis adjutor est. Non[10]) prosperorum spe decipiamur aut mollium, nec facilia proponamus: non deliciosa nobis Dominus noster, non est blanda pollicitus: praemia promisit ille, non otia. Laudi non[11]) convenit et quieti. Quis locus erit remunerationis, si nulla est cura virtutis? Angusta porta, sed regna diffusa: paucis aditus, sed probatis. Nonne haec sunt ad eos prima[12]) verba, quos docuit: *Persequentur et in synagogis flagellabunt vos?* Per patientiam, sicut scriptum est, possideamus animas nostras, ne eas per impatientiam doleamus amissas. Primus crucem Dominus noster et patientiae ipsius magister ascendit, suo[13]) informaturus exemplo, quos erat adjuturus auxilio. Ipse inter vir-

[9]) G^1 a^1 *hominum:* corrigitur ex b. Non displicet tamen quod in cc ex graeco *operum.*

[10]) In aliis duobus exemplis *Non decipiamur spe desideriorum atque voluptatum:* vitio interpretis ex graeco, cujus adjectiva nomina ut substantiva intellexit. Mox b secundum graec. *praeponamus.*

[11]) G^1 G^3 omitt. *non.* cc *Non conveniunt laus et pigritia,* b *Non bene laudi convenit et quieti.*

[12]) Ita G^1 G^3. a^1 *praemia,* cc *praevia.*

[13]) b *suos:* quod graecum aliique codices referunt.

Digitized by Google

Κύριος ἡμῶν καὶ τῆς ὑπομονῆς ἑαυτοῦ διδάσκαλος ἀνῆλθεν, ἐν τῷ ἰδίῳ τυπῶν ὑποδείγματι ἐκείνους, οἷς ἔμελλε βοηθεῖν. Αὐτὸς μεταξὺ τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν κόπων τὸν ζυγὸν κατέχει, ἱστάμενος μετὰ τῶν δηλητηρίων τῶν μεμηνότων, ἵνα κατὰ τὴν ὀργὴν τοῦ διωγμοῦ αὐτὸς καὶ τῆς αἰωνίου βασιλείας τοὺς στεφάνους παράσχῃ. Ἀναλογίσασθε, ποία τῶν Μακαβαίων ἡ ἔξοδος, τοῖς καρτερικοῖς ἡ πάλη, ἱστορία τῶν ἐπαίνων ἐφέπεται, ποίᾳ Ἰούδας κἀκείνη τῶν ἀδελφῶν ἡ φάλαγξ θανάτου τιμῇ ἀναγορεύεται, ἐν ποίοις ἐστὶ στόμασιν ὁ λαὸς ὁ ἐν τῷ ὄρει ἀναλωθείς. Καὶ αὗται πᾶσαι αἱ δυνάμεις ὑπὲρ τῆς τοῦ νόμου φυλακῆς, ὁμοιώματα καὶ σκιαὶ τῶν μελλόντων οὖσαι, ἠξιώθησαν παραδειγμάτων τοσούτων· ἡμεῖς ἐν τοῖς πατράσιν ἑωράκαμεν, ἐψηλαφήσαμεν, ἐδοκιμάσαμεν, ἐν τίνι ἀκολουθήσομεν. Τί οὐκ ἐφαρμόζει τῇ ὑποθέσει; Τί ἀπάδει τῆς ἀληθείας; Τί οὐκ ὀφείλεται τῷ λυτρωτῇ;

tutes et labores lancem retinet, a. 518.
stans contra venena furentium, ut secundum persecutionis iras illis aeterni imperii det coronas. Revolvite, qua[14]) Machabaeorum exitus pertinaces vetus historia laude persequitur, quo Judas et[15]) illa suprema fidelium phalanx mortis honore referatur, in quanto ore sit constans populus in monte consumptus. Et[16]) hae omnes pro custodienda lege virtutes; species et umbra futurorum tanta exempla meruerunt: nos in patribus vidimus, palpavimus, probavimus, quem sequamur. Quid non deferendum est rei? Quid denegandum est veritati? Quid non debitum Redemptori?

---

[14]) Ita G[1] G[3]. a[1] *quas ... laudes.* Hinc et restituendum in graeco *ποίῳ ταῖς τῶν Μακαβαίων ἐξόδοις καρτερικαῖς ἡ παλαία ἱστορία τῷ ἐπαίνῳ ἐφέπεται.* Graecam corruptionem secutus interpres latine in edit. concil. sic eam reddidit: *qualis Machabaeorum exitus, quae luctatio tolerantibus, quae historia laudum secuta est.* Huic consentit b, nisi quod postremae hujus sententiae loco reposuit *qua vetus historia eos laude prosecuta est.*

[15]) Magis placeret quod apud b cc ex graeco expressum est: *et illa fratrum caterva honore praedicatur.* Mox b *et quanto in honore sit,* cc graeco consentiente *in qualibus oribus est.*

[16]) b *Et haec qro custodia legis et virtutis, quae species et umbra futurorum sunt. Nos.* cc *Etenim ipsae virtutes omnes pro custodia legis sunt, et quum similitudines ac umbrae futurorum sint, dignae fuerunt tantorum exemplorum. Nos.* Graeca littera hoc sonat: *Et hae omnes pro legis custodia virtutes quum figurae essent et umbrae futurorum, tanta exempla meruerunt. Nos.* G[1] G[3] a[1] *Et hae omnes pro custodienda lege virtutes* (a[1] *virtutis*) *species et umbra futurorum tanta exempla meruerunt. Nos.* Restituto *virtutes* loco *virtutis* et interpunctione mutata sanatur ac perspicuus fit hic locus, cujus intelligentia et graecum interpretem et alios subinde fugit. — Deinde cc *referendum ... redemptoris ... communicavimus.*

Digitized by Google

a. 518. 4. *Καταθυμίως κοινωνοῦμεν ἐν τούτοις ὑμῖν τοῖς δόγμασι. Λέγει γάρ που ὁ σοφώτατος Σα-*
Eccli. 25, 12. *λομὼν· „Μακάριος ὁ κηρύσσων λόγον εἰς ἀκοὴν ὑπακούοντος·“ εὐφροσμίη μὲν οὖν ἐστι τὸ διαλέγεσθαι τοῖς θέλουσιν, καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν ὁδὸν τοὺς μὴ ἀντι-*
ep. 39. *παλαίοντας προτρέπεσθαι. Κατέχομεν γὰρ ἐνέχυρον τῆς πίστεως τῆς ὑμετέρας, τὴν ἀπὸ τῶν γραμμάτων ὁμολογηθεῖσαν ἔνστασιν, δι' ἧς ἐκ τῆς τῶν παραβατῶν λύμης χωρισθέντες εἰς τὰ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας δόγματα καὶ ἐντολὰς ἐπανέρχεσθε· ὀψὲ μὲν οὖν ἐπιβάντες τῆς ὁδοῦ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' εὐλογητὸς ὁ Θεὸς οὐκ εἰς τέλος ἐπιλανθάνεται, ὃς παιδεύει καὶ ἰᾶται, καὶ οὐδὲ τῆς ἡνωμένης αὐτοῦ ποίμνης τὰ πρόβατα καρτερεῖ τῶν ἐπιβουλευόντων λύκων τῇ ἁρπαγῇ διασπᾶσθαι, ὃς διὰ τῆς κεκραμένης αὐστηρίας οὐδὲ τῆς ἀσφαλείας τῶν ἰδίων ὑπερορᾷ οὐδὲ τῆς σωτηρίας. Ἀλλὰ τί θαυμαστὸν, εἰ τὰ πρόβατα καταλειφθέντος ἐκείνου τοῦ ἑνὸς καὶ ἀληθινοῦ ποιμένος διασκορπισθέντα ὁ πανοῦργος, ὁ αἵμασι πεφυρμένος καὶ ἅρπαξ, ταῖς ἑνέδραις ἐτάραξεν; Οἱ τὴν ἀσφάλειαν τὴν ἰδίαν καταλιμπάνοντες αὐτοὶ ἑαυτοὺς τοῖς κινδύνοις, ὑφ' ὧν σπαράττονται, ἐμβάλλουσιν.*

4. Libenter communicamus dogmata ista vobiscum. Dicit enim sapientissimus Salomon: *Beatus, qui praedicat verbum in aurem obedientis;* gaudium est siquidem, volentes alloqui et ad rectam viam eos, qui non reluctentur, hortari. Tenemus enim obsidem fidei vestrae sub litterarum professione constantiam, qua a transgressorum contagione divisi, ad apostolicae sedis dogmata et mandata recurritis: sero quidem viam veritatis ingressi, sed benedictus Deus, qui non in finem obliviscitur, qui corripit et medetur, nec[17]) continue gregis sui oves patitur insidiantium luporum rapacitate discerpi, qui per districtionis[18]) temperantiam nec coercitionem suorum negligit nec salutem! Sed quid mirum, si oves relicto illo uno et vero pastore dispersas callidus cruentus et rapax turbavit insidiis? Qui tutelam suam deserunt, ipsi se periculis, quibus lanientur, exponunt.

5. *Ὥστε καὶ νῦν γοῦν στερροῖς βήμασιν ἐν τῇ ὁδῷ τῶν πατέρων, πρὸς ἣν ἀνεδράμετε, ἔνστητε· δύναται γὰρ τὸ τοῦ Θεοῦ*

5. Ergo nunc saltem solidis passibus in viam patrum, ad quam recurristis, insistite. Potens erit misericordia Dei, alio-

[17]) b *nec diutius*, cc ut in graeco *nec uniti*.

[18]) G[3] *distinctionem*, a[1] *distinctionis*: mendose. Alii secundum graec. *per moderatam severitatem* (seu *per temperatam austeritatem*) *non negligit suorum tutelam neque salutem.* — Mox cc *illi uno.*

Digitized by Google

ἔλεος καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὁμοίως διόρθωσιν τῷ ὑμετέρῳ μισθῷ, εἰ παρ' ὑμῶν πρὸς τὸ εὐθὲς ὁδηγηθεῖεν, λογίσασθαι. Ἀλλ' ἑαυτοὺς καθόλου ἀπὸ τοῦ βορβόρου, ἐν ᾧ οἱ αἱρετικοὶ καταποθέντες κεκράτηνται, ἀποσπάσατε, καὶ ἐκτινάξαντες τὴν ἀκαθαρσίαν τοῦ κονιορτοῦ τοῦ κολληθέντος, γενικῶς ἅπαντας τοὺς ἀπὸ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων ἀποκλίναντας εὐσεβεῖ ἀποκηρύξει κατακρίνατε. „Οὐδεμία τῷ σκότει πρὸς τὸ φῶς κοινωνία," οὔτε οἱ διὰ τῶν εὐθειῶν ὁδῶν βαδίζοντες τὰ ἑαυτῶν ἴχνη μετὰ τῶν ἀποκλινόντων πλάνης συνάπτουσι. Κατασχετέος ἐστὶ τῆς πίστεως σύνδεσμος καὶ παραιτητέα ἡ ἐκ τῆς ἀπίστου κοινωνίας λύμη, ὅτι κατὰ τὸν ἀπόστολον „ὃν τρόπον ὁ ἑαυτὸν προσκολλῶν τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν, οὕτως ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν γίνεται σῶμα." Ἀγαπῶσιν αἱ ἀρεταὶ τὰς ἀλλήλων κοινωνίας, καὶ τοὺς κολλωμένους αὐτῇ μεθ' ἑαυτῆς ἡ ἀσέβεια ἐν τῷ βυθῷ καταποντίζει. Ἐν ὀφθαλμοῖς, ἐν τῷ στόματι, ἐν αὐταῖς ταῖς χερσίν εἰσι τῶν πατέρων τὰ δόγματα, ἃ φυλάττειν ἐντελλόμεθα· καθ' ἑκάστην πρὸς τὴν φυλακὴν ἑαυτῶν αἱ σεβάσμιαι σύνοδοι περισφίγγουσι.

rum quoque correctionem mercedi vestrae, si a vobis ad rectum deducantur, adscribere. Sed in totum vos a coeno, quo immersi haeretici tenentur, avellite, et excutientes immunditiam pulveris inhaerentis, generaliter universos ab apostolicis dogmatibus declinantes, religiosa detestatione damnate. *Nulla tenebris cum luce communio,* nec qui per recta itinera gradiuntur, vestigia sua cum deviantium errore conjungunt. Tenendum est fidei vinculum et vitandum de perfida societate contagium; quia secundum apostolum quemadmodum *qui se adjungit Domino, unus spiritus est, ita qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur.* Amant virtutes collegia sua, et adhaerentes sibi secum impietas in profunda demergit. In conspectu, in oculis, in ore, in ipsis manibus sunt patrum dogmata, quae custodienda mandamus: quotidie nos ad conservationem sui concilia veneranda constringunt.

a. 518.

2 Cor. 6,14.

1 Cor. 6, 16. 17.

6. Μακρηγορία ἐστὶ καθ' ἕκαστον πάντα φανεροῦν· τὰ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, ἐν ᾗ πασῶν τὸ σέβας περιέχεται, ἀλλὰ καὶ τὰ παρὰ τοῦ σεβασμιωτάτου Λέοντος προενεχθέντα ἐξ αὐτῆς τῶν ἀποστόλων τῆς καρδίας ὁρίσματα, καὶ γινώσκειν ἡμᾶς προσήκει καὶ τηρεῖν. Ἐν τούτοις τὸ σεβάσμιον

6. Longum est singillatim universa retexere: Calchedonensem synodum, in qua omnium reverentia continetur, sed et venerandi Leonis prolata de ipsis apostolorum praecordiis instituta et nosse nos convenit et tueri. In his vexillum fidei, in his propugnaculum veritatis,

Digitized by Google

a. 518. τῆς πίστεως, ἐν τούτοις οἱ προμαχῶνες τῆς ἀληθείας, ἐν τούτοις ὁ Χριστὸς γινώσκεται, ἐν τούτοις
1 Cor. 3, 11 et 12. τῆς λυτρώσεως τῆς ἡμετέρας ἡ ἐλπὶς καὶ ὑπόθεσις φυλάττεται. Οὗτός ἐστιν ἐκεῖνος, ὃν ἐν τῷ ἀποστόλῳ ἀνέγνωμεν, θεμέλιος, ἐν ᾧ ἑαυτόν τις παραλογίζεται, εἴ τις ξύλα, χόρτον, καλάμην καταναλισκόμενα τῷ πυρὶ ἐποικοδομῆσαι πειρασθῇ. Ἐν ταύταις ἀνῃρήθη τὰ Εὐτυχοῦς καὶ Νεστορίου ταῖς συνόδοις δηλητήρια, οἵτινες ἐξ ἐναντίας τῆς δεσποτικῆς τοῦ σωτηριώδους μυστηρίου οἰκονομίας, ἐν ὅσῳ ἐναντίῳ μεταξὺ ἑαυτῶν συλλογισμῷ φιλονεικοῦσιν, ὑπό τινι τῆς ἱεροσυλίας ἰσότητι συμφωνοῦσιν, ἄνισοι ταῖς γνώμαις καὶ ὁμόψυχοι τῇ ἀσεβείᾳ· ὧν ὁ ἕτερος μὴ θέλων τὴν παρθένον Μαρίαν Θεοῦ εἶναι γεννήτριαν, ἅπερ ἐν τῷ Κυρίῳ ἡμῶν εἰσιν ἡνωμένα διαιρεῖ, ὁ δὲ ἕτερος, ἐν ὅσῳ ἴδια τῶν συνελθουσῶν φύσεων καὶ τὰ ἀληθῆ συγχεῖ, τὸ μυστήριον τῆς ἡμετέρας λυτρώσεως σβέννυσιν· ἄλλος Φωτεινοῦ τὴν θρησκείαν, ἕτερος τοῦ Μάνεντος τὴν ἀφροσύνην ἀσεβεῖ συγγενείᾳ συνάπτων.

in[19]) quo Christus agnoscitur; in his redemptionis nostrae spes et causa servatur. Hoc est illud, quod in apostolo legimus, fundamentum, in quo seipsum decipit, quisquis ligna, fenum, stipulas consumendas ignibus superaedificare tentaverit. His interfecta sunt Eutychetis et Nestorii venena conciliis: qui adversum dominicae dispensationis salubre mysterium dum contraria inter se disputatione nituntur, sub quadam sacrilegii aequalitate consentiunt, sententiis dispares, et impietate concordes: quorum alter nolens Mariam virginem Dei esse genitricem, in Domino nostro quae unita sunt dividit, alter dum convenientium naturarum propria et certa confundit, mysterium nostrae redemptionis exstinguit: alter Photini sectam, alter Manetis insaniam impia contagione contingens.

7. Κατὰ τούτων, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί, προενοήθησαν ἰατρεῖαι· ἐκείνας τῇ τοῦ λογισμοῦ δυνάμει διεκδικήσατε, ἐπειδὴ εἰς ἀνατροπὴν αὐτῶν ὁρᾶτε τοὺς αἱρετικοὺς διὰ τῆς ἀσεβείας μαχομένους. Μὴ ἔστω ἐν ὄκνῳ τῆς διδασκαλίας ἡ ἀλήθεια· ποίᾳ χρὴ σπουδῇ τὴν σωτηρίαν ἀγαπᾶσθαι,

7. Adversum hos, dilectissimi fratres, provisa remedia illa animi virtute defendite, qua in labefactionem eorum videtis haereticos impietate pugnare. Non sit pigra veritatis assertio. Quo studio oportet salutem diligi, quum videatis perditionem mortiferam sic amari? Pudeat segni-

[19]) cc sec. graec. *in his Christus.* Concilium Calchedonense act. V in definitione fidei hanc Leonis epistolam laudat ut *magni Petri confessioni congruentem et communem quamdam columnam adversus prave sentientes et ad confirmationem rectorum dogmatum.*

Digitized by Google

ὁπότε ὁρᾶτε τὴν θανατηφόρον ἀπώλειαν οὕτω στεργομένην; Αἰδεσθῶμεν νωχελῶς σαφηνίζεσθαι τῆς ἀληθείας τοὺς νόμους, ὁπότε ἐπιμόνως διεκδικοῦνται αἱ πλάναι. Καὶ τοὺς ἀρχηγοὺς μὲν τῶν κακῶν ἐφευρέσεων, ἃ προείπομεν συνοδικὰ θεσπίσματα, δικαίαις κατακρίσεσι μετέρχονται· ἀλλ' ἡμεῖς καὶ τούτων τοὺς ἀκολούθους ὅπως ἐκκλίνητε, ὁμοίως ὑπομιμνήσκομεν, οὓς ἡ ἀποστολικὴ καθέδρα καὶ κατέλαβε παραπλησίους ὄντας τοῖς ἑαυτῶν διδασκάλοις, καὶ τοῖς κατακριθεῖσι συνέξευξε· Τιμόθεον τὸν πατραλοίαν καὶ Διόσκορον καὶ Πέτρον, τοὺς Ἀλεξανδρεῖς, Ἀκάκιον τὸν Κωνσταντινουπολίτην μετὰ τῶν ἑαυτοῦ ἀκολούθων, ὡσαύτως Πέτρον τὸν Ἀντιοχείας, τῷ προλεχθέντι ὅμοιον τῇ τε πλάνῃ καὶ τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ Σευῆρον τοῦ αὐτοῦ τόπου οὐδὲν ἧττον καὶ τοῦ ἰοῦ, Ξενέαν τὸν Ἱεραπολίτην, Κύρον τὸν Ἐδέσης, Πέτρον τὸν Ἀπαμείας, οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς οἰκείας ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων ὁμοίως ἀπωλείας κατακριτέους, οἵ τινες ἐν ὅσῳ ἑαυτοὺς τοῖς ῥύποις τῆς ἰδίας δόξης ἀπαύστως ἐγκυλίουσιν, ἄλλους ὁμοίως ἐν τῷ διδάσκειν, τοὺς[22]) κακῶς αὐτοῖς ἀκολουθήσαντας, ἐμόλυναν.

ter asseri veritatis leges, quum a. 518.
tam pertinaciter defendantur errores. Et auctores quidem inventionum malarum, quae praediximus, synodica constituta justis condemnationibus insequuntur; sed vos, etiam sequaces eorum ut declinetis, pariter admonemus, quos apostolica sedes et deprehendit pares auctoribus suis et conjunxit addictis: Dioscorum et Timotheum parricidam, Petrum Alexandrinum, Acacium Constantinopolitanum cum sequacibus suis, Antiochenum quoque Petrum, praedicto similem sicut errore sic nomine, sed et Severum ejusdem loci nihilominus et veneni, Xenajam[20]) item Hieropolitem, Cyrum Edessae[21]), Petrum Apameae, non jam pro sua tantum sed pro aliorum quoque damnatione damnandos: qui quum se opinionum suarum sordibus indesinenter involvunt, alios quoque docendo, quae[22]) male assecuti sunt, polluerunt.

[20]) a[1] *Xenam item Hierapolitem*, corrupte. Is est famosus Xenaias, qui teste Theophane pag. 115 (ed. Bonn. 207) Persa genere, conditione servus, a proprio domino fugiens ac se fingens clericum Calendionis temporibus fideles circa Antiochiam a vero fidei sensu necdum baptizatus deturbabat. Eum deinde Hierapoleos episcopum consecravit Petrus Fullo, qui eumdem nondum baptismo initiatum comperiens, ordinatione ejus baptismum suppleri sanxit. Is Xenaias Iconoclastarum princeps, quanta episcopus factus Orienti mala intulerit, idem auctor pag. 128 sq. (ed. Bonn. 232 sq.), ac Nicephorus h. e. XXXI, 31[1]et 32 narrant.

[21]) a[1] *Eladensem*, b *Helladensem*, cc *Edissensem*. Ex G[1] (*Edesse*) restituimus *Edessae* consentiente graeco.

[22]) Graec. *qui male se secuti sunt.*

Digitized by Google

a. 518. 8. *Διὰ γενικῆς σωτηριώδους ἐντολῆς ὑμῖν παραινῶ· πᾶν ὅτι οὖν ἐξεναντίας τῶν πατρικῶν κανόνων ἐξ οἱωνδήποτε ὑπομνημάτων προενεχθείη, ἀπώσασθε. Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπροσφόροις προστάγμασιν ἢ νεωτέροις ὁρίσμασι καινισάτω· εἰ μὲν γάρ εἰσι κοσμικοί, καὶ οὐ δύνανται τὰς ἐκκλησίας κατέχειν, ἐπειδὴ τούτοις ἁρμόζει τὸ διδάσκεσθαι μᾶλλον ἢ διδάσκειν. Ἀθέμιτον γὰρ τοῖς σεβασμίοις θυσιαστηρίοις ξένας προσφέρειν σπονδάς, ἐπειδὴ σαφεῖς εὐσεβέσιν ἐπιστήμαις ὅρους ἐν αὐτοῖς ὁμοίως τῆς ἰδίας τιμῆς τοῖς προοιμίοις προέγραψε, με-*
Lev. 10,1. *ταξὺ Λευιτῶν καὶ τοῦ ἰδίου λαοῦ διεῖλε τὴν λειτουργίαν. Ἄλλη ἐστὶν ἡ τῶν ἀνθρώπων ἐξουσία, ἄλλαι αἱ τῶν ἱερέων ὑπηρεσίαι· παρῴξυνε μᾶλλον τὸν Κύριον ἥπερ ἐξιλεώσατο, ὃς ἀλλότριον πῦρ ἐν τοῖς θείοις ἀδύτοις τὰ ἱερὰ μολύνας ἐπεισήνεγκε. Τίς ἐστιν, ὃς ἑαυτῷ ἐν ἀλλοτρίοις θεσπίσμασι τοῦ κελεύειν τὴν αὐ-*
2 Chron. 26,16 ss. *θεντίαν δύναται προσλαβεῖν; Καὶ γὰρ οὐκ ἔστιν ἀμφίβολόν τι προσφέροντα τιμὴν κεχρεωστημένην*

8. Generalis mandati salubritate vos moneo: quidquid adversus regulas patrum de quibuslibet commentariis profertur, abjicite. Nullus vos incongruentibus praeceptis aut novis moveat institutis: si[23]) enim qui mundani sunt, ecclesias tenere non possunt, quia eis convenit magis discere quam docere. Nefas est enim altaribus piis peregrina inferre libamina, quia certos religiosis disciplinis terminos Deus inter ipsa quoque cultus sui praescripsit initia; inter Levitas et populum suum divisit officium. Alia est potestas hominum, alia ministeria sacerdotum. Inritavit[24]) potius Dominum quam placavit, qui externum ignem divinis adytis sacrorum temerator invexit. Quis est, qui sibi in alienis institutis jubendi auctoritatem possit assumere, quum non sit ambiguum offerentis honorem debitum[25]) pro sola officii praesumptione punitum[26])? In regia Ozias reverentia et administratione permansisset, si monitus tantae districtionis[27]) exem-

[23]) G[1] a[1] *Si enim qui* (i. q. *aliqui*), b *Sic enim qui*, cc *Siquidem saeculares sunt, et non.* Hic *mundani*, hoc est in laico habitu constituti seu saeculo servientes, opponuntur ecclesiasticis. Sic et infra epist. 141 n. 1 *mundani principes* et *ecclesiarum praesules* distinguuntur. Tacite Hormisda Syros munit adversus Anastasii auctoritatem, qua ille, ut henoticum Zenonis suscipiendum praeciperet, abutebatur.

[24]) cc *concitavit*, G[1] a[1] b *Incitavit:* quod graeco suffragante corrigendum duximus.

[25]) Mallemus *arreptum* seu *indebitum*.

[26]) In cc (ubi hic locus valde depravatus est) ut in graeco hic additur *in templo*, sed omittitur *in regia*, cujus loco a[1] *ut regia*. Forsitan graecus interpres ita posuerat: Ἐν τοῦ ἄνακτος Ὀζίας ἂν τῇ εὐλαβείᾳ. Certe poenam, quam Hormisda hic notat, Nadab et Abiu in templo, quod nondum erat constructum, minime dederunt.

[27]) a[1] cc *destructionis*, rectius G[1] b *districtionis*, qua nimirum Nadab et Abiu puniti sunt. Eodem intellectu epist. 141 n. 3 lecturi sumus: *quem non a rigore*

Digitized by Google

ὑπὲρ μόνης τῆς ἐγχειρήσεως τῆς λειτουργίας τετιμωρῆσθαι ἐν[27]) τῷ ναῷ. Ὀζίας ἐν τῇ εὐλαβείᾳ καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ διέμεινεν, εἰ δὲ νουθετηθεὶς τῷ ὑποδείγματι τῆς τοσαύτης ἐπιπλήξεως ἀπὸ τῶν ἱερῶν διατάξεων ἐφοβήθη μᾶλλον ἢ κατετόλμησε τούτων, ἄμεινον ἂν ἐβασίλευσεν. Ἀλλ' ἐπειδὴ μηδὲ κωλυόντων τῶν ἐπιμελητῶν τοῦ ναοῦ ὁ ἐπίμονος παραβάτης ἀπέστη, ἐν αὐτοῖς βδελύγματι λέπρας πληγεὶς, τοῖς θυσιαστηρίοις τὴν λειτουργίαν τῆς βασιλείας ἀπολέσας, τῇ ὑπηρεσίᾳ τοῦ ἱερέως ἐπελθών. Γινωσκέτωσαν τοιγαροῦν μὴ εἶναι Θεοῦ προσδεκτὰ, ἅπερ ἐκ τῶν αὐτοῦ ἐντολῶν παρὰ τῶν τολμηρῶν ὑφαρπάζεται, ὁπότε ἕνα πρὸς ἐπίδειξιν τῆς ἀποφάσεως τῇ τῆς μεγάλης ἀκοσμίας τιμωρίᾳ ἐφύλαξεν, ἄλλους ταχινὴ φλὸξ κατηνάλωσε.

plo, a[28]) religiosis institutis, timendo potius quam assumendo meliora temperasset. Sed dum nec prohibentibus cultoribus templi pertinax temerator absistit, inter ipsam leprae abominationem percussus, altaria et officia regni perdidit, dum ministeria sacerdotis invadit. Sciant ergo non esse accepta a Deo, quae de mandatis ejus a praesumptoribus assumuntur, quando unum ad[29]) ostensionem sententiae vivacis dedecoris poena servavit, alios velox flamma consumpsit. a. 518.

9. Διὸ δὴ ἥπερ τινά εἰσί τινι σχήματι θρησκείας δεδεγμένα, ἰσχὺν ἔχειν οὐ δύναται τοσαύταις αὐθεντίαις καταπαλαιόμενα. Βοᾷ Παῦλος ὁ ἀπόστολος· „κἂν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμᾶς, παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα, ἀνάθεμα ἔστω." Οὐχ ἅπαξ εἰρηκὼς τοῦτο ἠρκέσθη· ἐπανέλαβε δὲ τὴν ὑγιαίνουσαν ἐντολήν· „ὡς προείπομεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω· εἴ τις ὑμᾶς

9. Quodsi sunt, quae religionis aliquo colore suscepta[30]) sint, vires habere nequeunt, quae tantis auctoribus reluctantur. Clamat Paulus apostolus: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Nec semel hoc dixisse sufficit, repetit salubre mandatum: *Sicut praediximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter* Gal. 1, 8. Gal. 1, 9.

districtionis inclinet incauta simplicitas. Eadem vox supra num. 4 idem sonat atque *correptio.*

[28]) b *ac religionis,* G[1] a[1] *ac religiosis.* Orationis series postulat *a religiosis,* sicque ferebat exemplar interpretis graeci, qui mox pro *temperasset* perperam legit *imperasset.*

[29]) G[1] a[1] *ad desertationem* et mox *fama* (pro *flamma*), mendose. Oziam lepra percussum vivacis dedecoris poena servavit, Nadab autem et Abiu velox flamma consumpsit (conf. Lev. 10, 2, 2. Chron. 26, 19).

[30]) G[1] a[1] *contempta,* c[7] c[10] *contecta,* b c[3] c[9] sec. graec. *suscepta*: quod visum est praeferendum.

Digitized by Google

a. 518. εὐαγγελίσεται, παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.“ Φυλάττει γὰρ τὴν προενεχθεῖσαν ὑπὸ τῆς φυλακῆς τῆς πίστεως ἀπόφασιν, εἴ τις τῇ ἀποστολικῇ ἀκολουθεῖ διδασκαλίᾳ. Καὶ ἡμῖν μὲν οὖν φροντὶς ἐνέλειψε· καὶ γὰρ τῇ τῆσδε διπλῆς ὑπηρεσίᾳ πρεσβείας, εἴ τι ἐν ταῖς δεήσεσι ταπεινὸν, εἴ τι ἐν ταῖς δικαιολογίαις εὔλογον, εἴ τι ἐν ταῖς ἐντολαῖς ὑγιὲς, ὑπηνέγκαμεν. Ἀλλὰ μὴ διὰ τοῦτο ἀμελητέα ἐστὶν ἡ ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης, ἐπειδὴ τὰς ἰδίας πλάνας ἀγαπᾷ μετὰ ἀπονοίας ἡ ἀπιστία; Οὐκ ἔστι συνάπτεσθαι μετὰ τοῦ τῶν πιπτόντων ὀλισθήματος· ἄνευ τῆς ἡμετέρας λύμης ἀπολλύσθωσαν οἱ ἀπὸ τῶν οἰκείων ἀσεβειῶν μηδὲ μαστιγουμένης τῆς πλάνης ἐκκλίνοντες. Καὶ ἑτέρᾳ χειρί· Ὁ Θεὸς ὑμᾶς ὑγιαίνοντας διαφυλάξῃ, τέκνα ἀγαπητά.

Ἐδόθη πρὸ τεσσάρων εἰδῶν Φευρουαρίων μετὰ τὴν ὑπατείαν Ἀγαπητοῦ τοῦ λαμπροτάτου.

id quod accepistis, anathema sit! Servet ergo latam pro fidei conservatione sententiam, quisquis apostolicam sequitur disciplinam. Et quidem nobis cura non defuit; nam geminae legationis officio quidquid in precibus humile, quidquid in allegationibus rationabile, quidquid in mandatis salubre, detulimus. Sed numquid ideo negligenda est justitiae via, quia[31]) errores suos diligit cum obstinatione perfidia? Non sunt jungendi cum cadentibus lapsus. Sine nostra contagione pereant, qui ab impietatibus suis nec castigato errore declinant[32])! Data V Idus Februarii post consulatum Agapeti viri clarissimi.

Epistola 41.

a. 518 d. 1 Aug.

Justini imperatoris ad Hormisdam papam.

Se imperatorem electum esse significat.

Justinus Augustus Hormisdae papae.

Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis pontificibus convenit indicari. Proinde sanctitati vestrae per has sacras declaramus epistolas, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis favore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri palatii et sanctissimi senatus nec non electione firmissimi exercitus ad imperium nos, licet nolentes ac recusantes, electos[1]) fuisse atque firmatos. Preca-

---

[31]) Ita G[1] et consentit graecum. At a[1] *qui errores ... perfidiae:* quod Baronius retinens nonnulla supplere (scil. *Anastasius imperator*) compulsus est ab Hormisdae mente aliena.

[32]) cc cum graeco hic add.: *Et altera manu: Deus vos sanos custodiat, fili dilectissimi. Data IV Idus etc.*

41 [1]) Is Anastasio, ut Theophanes p. 141 (ed. Bonn. 253) auctor est, Aprilis

Digitized by Google

mur proinde, ut sanctis orationibus vestris divinae potentiae suppli- a. 518.
cetis, quatenus initia nostri roborentur imperii. Hoc enim et nos sperare et vos decet implere. Data Calendis Augusti Constantinopoli, Magno viro clarissimo consule.

Epistola 42.

Justini imperatoris ad Hormisdam papam.

a. 518 d. 7 Sept.

p. 110. *Synodi Constantinopolitanae litteris pro ecclesiarum pace ipse imperator id petitus per Gratum sacri consistorii comitem suas adjungit, utque Hormisda propter hoc negotium legatos destinet, invitat.*

Justinus Augustus Hormisdae papae.

Johannes vir beatissimus, hujus regiae[1]) urbis antistes, et ceteri viri religiosi episcopi de diversis locis et civitatibus hic reperti, nostram serenitatem docuerunt, pro concordia veram et orthodoxam fidem colentium proque[2]) unitate venerabilium ejus ecclesiarum litteras tuae sanctitati offerendas confecisse, ac magnopere postularunt, nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. Quorum petitiones, utpote semper unitatis amatores constituti[3]), libenter amplexi, hos divinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos. Quibus scriptis, desideriis supradictorum reverendissimorum antistitum subvenire, proque nobis et republica, cujus gubernatio nostrae pietati coelitus credita est, supernam majestatem suis orationibus placare dignetur. Ut autem tuae sanctitatis pacis et unitatis atque concordiae jura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes et desiderantes ad sacratissimum nostrum pervenire disponat, comitatum. Ob hanc enim causam Gratum virum clarissimum sacri nostri consistorii comitem et

---

die 9 repentina morte sublato, secundum chronicon Alexandrinum Julii 9 die imperator renuntiatus est, quum teste Theodoro lectore pag. 565 a militia exorsus ad senatorium usque ordinem pervenisset, et in omni vita egregius exstitisset. Evagrius h. e. IV, 2 scribit, eum summam pecuniae vim ab Amantio eunucho, ut Theocrito cuidam coronam imperialem conciliaret, accepisse, eaque pecunia sibimet seu populi suffragia seu excubitorum benevolentiam redemisse. Quodsi ita est, haec Justini dicta aegre a mendacio purgentur. Sed rem eamdem ita narrat Theophanes pag. 141 et 142, ut quae hic asserit Justinus, cum ejus narratione componere ac conciliare liceat. Hanc sacram per Alexandrum v. c. perlatam esse, ex Hormisdae epistola 45 huic rescripta colligitur.

42 [1]) b *regiae sedis.*

[2]) b *proque universitate*: mendose. Non exstant hae episcoporum litterae, nisi forte hic notetur sequens epistola, quam Johannes proprio nomine destinavit.

[3]) Verbum *constituti* Bar. expunxit. Hoc Justini de se testimonium Theodorus lector pag. 565 confirmat. Eo quippe teste is imperator prius etiam, quam imperii regimen susciperet, *rectae fidei cultor erat ardentissimus.*

Digitized by Google

a. 518. magistrum scrinii[4]) memoriae direximus, cujus praeclaram opinionem multis antea notam habemus temporibus. Data VII Jdus Septembris Constantinopoli, Magno viro clarissimo consule.

Epistola 43

seu

a. 516 d. 7 Sept. accepta d. 20 Dec.

Exemplum relationis Johannis episcopi Constantinopolitani per Gratum missae ad Hormisdam papam.

Se rectae fidei esse studiosum et quatuor synodos suscipere profitetur. Leonis atque ipsius Hormisdae nomen in diptychis inscriptum docet, utque legati pacis amantes mittantur, rogat. p. 110

Domino meo et per omnia Dei amatori sanctissimo fratri et comministro Hormisdae Johannes in Domino salutem.

1. Saluto vestram sanctitatem, carissime in Christo frater, et salutans praedico, quoniam recta fides salva est et caritas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens per studium Christianorum et piissimorum imperatorum fieri voluit. Scribere igitur apostolice et rescripta[1]) suscipere fraterne Dei amore dignemini. Ego enim inquisibili ratione doctrinam sanctissimorum apostolorum secundum traditionem sanctorum patrum tenens, similiter honorem consubstantiali et per omnia sanctae Trinitati offero, sicut in Nicaea trecentorum octodecim coetus promulgavit, et in Constantinopoli centum quinquaginta conventus firmavit, et in Ephesina concursus[2]) ducentorum firmavit, et in Calchedone conventus sexcentorum triginta patrum firmavit. Hanc ergo fidem usque ad ultimum anhelitum per gratiam Dei custodiens, spiritualibus amplexibus tam vestram sanctitatem quam etiam orthodoxas ecclesias ex animo amplector, una tecum in veritate sentiens, et una tecum sperans in illo die per hanc fidem salvari bona voluntate Patris et Filii et Spiritus sancti. Consubstantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc et in saecula saeculorum!

2. Omnem in Christo fraternitatem, quae cum vestra est sanctitate, ego et qui mecum, plurimum in Domino salutamus. Tan-

---

[4]) Ita G[1] a[1]. b cc *scrinii et memoriae*, addita conjunctione *et*, quam tamen infra epist. 46 omittunt. Quodnam sit magistri memoriae munus, explicatur his l. 14 cod. Theod. XI, 16: *Eos, qui cum honore comitum, nomine magistrorum memoriae, praefuerint vel epistolis vel libellis. Scrinia sacra* autem distinguebantur *memoriae epistolarum* ac *libellorum* (conf. cod. Theod. VI, 26 l. 1, 4, 7, 12). — Eumdem Gratum infra Justinus epist. 129 n. 1 *virum sublimem magistrum scrinii* et Johannes Constantinopolitanus epist. 61 n. 1 *clarissimum comitem* simpliciter vocant.

43 [1]) Ita G[1] a[1]; b *scripta*.

[2]) Ita G[1]. b cc omitt. *concursus*.

Digitized by Google

tum ad satisfaciendum scripsimus, ut et venerabile nomen sanctae a. 518.
recordationis Leonis, quondam facti urbis Romae archiepiscopi, in sacris diptychis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur[3]), et vestrum benedictum nomen similiter in diptychis praedicetur. Ut de omnibus autem satisfiat vestrae sanctitati, quoniam pacem vestram amplectimur et de unitate sanctarum Dei ecclesiarum curamus, rogamus vos pacificos viros destinare et vestrae dignos apostolicae sedis, qui debeant satisfacere et satisfactionem nostram suscipere, ut et in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc mundo servavit. Accepta XIII Calendas Januarias, post[4]) consulatum Agapiti.

Epistola 44.

Justiniani comitis ad Hormisdam papam, missa per eumdem Gratum imperatoris legatum. (a. 518 d. 7 Sept.)

p. 110. *De imperatoris sollicitudine pro concordia ecclesiarum nuntiat, utque Hormisda Constantinopolim vel ipse se conferre vel legatos destinare non differat, rogat.*

Justinianus comes Hormisdae papae.

Desiderabile tempus, quod summis votis optavimus, divina clementia, dolores generis humani respiciens, largiri dignata est, quo omnes catholici et Deo perfecte fideles majestati ejus se valeant commendare. Idcirco has ad apostolatum vestrum, libera licentia jam mihi beneficio coelesti indulta, direxi. Dominus etenim noster invictissimus imperator orthodoxam religionem semper amplectens ardentissima fide, cupiensque sacrosanctas ecclesias ad concordiam revocare, mox ut adeptus est coelesti judicio infulas principales, sacerdotibus hic positis denuntiavit, ut pro regulis apostolicis unirentur ecclesiae. Et magna quidem pars fidei[1]) est composita Deo auctore; de nomine tantummodo Acacii vestrae beatitudinis convenit ordiri[2]) consensum. Quam ob causam dominus noster serenissimus

---

[3]) Leonis nomen a Timotheo e sacris diptychis sublatum esse id argumento est; nam hoc nefas a Macedonio, in cujus sedem is Timotheus invaserat, nemo crediderit admissum.

[4]) Inde forsitan movebitur non nemo, quod quum Justinus epistolas anno 518 datas *Magno consule* consignet, eumdem annum non eodem consule, sed verbis *post consulatum Agapiti* Hormisda indicet, non solum in epistola 40 sub initia hujus anni 518, sed et in hac sub ejusdem exitum. Hujus autem rei nulla est alia ratio, nisi quod Magnus in Oriente consul creatus nullum in Occidente collegam habuit. Id porro moris erat, ut Orientales consulis Orientalis, et Occidentales Occidentalis nomine scripta sua consignarent (conf. Rossi inscript. Christ. tom. I pag. 434 sq.). Hinc confirmatur, quod Pagius ad annum 518 n. 1 probat, frustra a nonnullis Florentium Magno collegam adjungi.

44 [1]) b omitt. *fidei.*

[2]) b cc *audire.*

Digitized by Google

princeps Gratum virum sublimem, unanimem mihi amicum, cum paginis augustis ad sanctitatem tuam transmisit, ut modis omnibus dignetur Constantinopolim ad reliqua concordiae componenda venire. Sed absque quadam[3]) dilatione vestrum exspectamus adventum, quem si qua tarditas, quo fieri debet, forsitan retinuerit, interim vel sacerdotes idoneos destinare festinet, quia totus mundus partium nostrarum conversus ad unitatem moras non patitur. Accelerate ergo, domini sanctissimi, ne vobis absentibus, quae debent[4]) praesidentibus, ordinari. Scimus etenim litteras vestrae beatitudinis et antecessorum vestrorum ad Orientem directas, quid super hac eadem causa contineant. Ut autem nihil praetermittatur, propter causam saepius memoratam ad[5]) invictissimum regem religionis quoque negotium filio vestro viro sublimi Grato est injunctum, favente Domino nostro Jesu Christo.

(a. 518.)

Epistola 45.

(a. 518 c. fin. vel initio a. 519.)

Hormisdae papae ad Justinum imperatorem.

Justino initia imperii gratulatur, utque Ecclesiae manus suae solatia porrigat precatur. p. 111

Hormisda Justino Augusto.

1. Venerabilis regni vestri primitiis, fili gloriosissime, loco muneris gratulationem suam catholica transmittit Ecclesia, per quos[1]) se post tantam discordiae fatigationem requiem pacis invenire confidit. Nec est dubium, ideo ad rerum summam coelesti vos providentia pervenisse, ut tantis temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur injuria. Debitas[2]) beato Petro apostolo imperii vestri primitias reddidistis, quas hac ratione devote suscepimus, quia ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. Deus, qui pietatis vestrae sensibus alloquendi nos vota concessit, ipse circa sincerum religionis suae cultum praestabit, sicut optamus, affectum[3]).

ep. 41. 2. Significastis, nolentibus et recusantibus vobis imperii pondus

---

[3]) b *quaque*. Superiore Justini epistola 42 Hormisda tantum ut ad regiam urbem mittat sacerdotes, non ut ipse veniat, rogatur. — Ibidem ed. *quod fieri non debet*.

[4]) b *debet*. Forte legendum: *quae debent praesentibus, incipiant ordinari*.

[5]) G^1 G^3 a^1 *ad invictissimum regem*, al. *ab ivictissimo rege*.

45 [1]) Ed. *quas*, G^1 *quos* (quasi ex verbo *vestri* vox *vos* subaudiatur). Mox ed. *vestris*. G^1 *tantis*, hoc est, tam diuturnis, secundum illud Domini ad Philippum: *tanto tempore vobiscum sum* (Joh. 14, 9).

[2]) Scil. ex consuetudine, quam Symmachus epist. 10 n. 14. memorat his verbis: *Omnes catholici principes, sive quum imperii gubernacula susceperunt sive quum apostolicae sedis novos agnoverunt praesules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes.*

[3]) b cc *effectum ... ordinata sunt*.

Digitized by Google

impositum, qua ratione electos vos coelesti constat esse judicio secundum apostolum dicentem: *Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Superest, ut a Deo electi, sicut et credimus, Ecclesiae, quam laborare cernitis, manus vestrae solatia porrigatis. Cessent qui paci ejus obsistunt, quiescant[4]) qui in forma pastorum conantur gregem Christi dispergere[5])! Istorum correctio vires vestri firmat imperii; quia ubi Deus recte colitur, adversitas non habebit effectum. Hanc gratulationis paginam per Alexandrum virum clarissimum non omisimus destinare, sperantes cum Dei nostri adjutorio per Gratum virum clarissimum filium nostrum de singulis, quae ad unitatem Ecclesiae pertinent, nos clementiae vestrae praebituros esse responsum. (a. 518.) Rom. 13, 1.

Epistola 46.

Hormisdae papae ad Justinum imperatorem.

(a. 519 m. Jan.)

p. 111. *Ut, quae pro pace Ecclesiae imperator incepit, perficiat, precatur. Quid ab episcopis ad unitatem propensis faciendum sit, se et litteris et adjecto libello exposuisse declarat. Justini de Grato judicium confirmat.*

Hormisda Justino Augusto.

Sumptam de imperii vestri ortu laetitiam, quamvis apud nos pollentem merito praecedenti, quoque geminastis alloquio. Reciproca devotione testati, jam tunc secutura praevidimus, quae nunc de ecclesiasticae unitatis affectu coelestis gratiae inspiratione significastis. Habes ergo, clementissime imperator, praesentem de tali voto jam gloriam, sed exspecta[1]) de perfectione perpetuam. Haec sunt validissima imperii vestri fundamenta, quae in ipso nascentis regni principio divinam universis praeferunt sancta dispositione culturam. Tenete itaque hanc piae sollicitudinis curam, et pro catholicorum pace, sicut coepistis, insistite: quia Deus noster, qui vobis hunc tribuit animum, elegit etiam, per quos praestet effectum. Nam et episcoporum vota precesque vobis[2]) effusas gratanter amplectimur: qui tandem loci sui consideratione commoniti ea desiderant, quae dudum ut sequi vellent, sedis apostolicae exhortatio crebra non defuit. Et quoniam clementiam vestram id cupere, illos etiam haec didicimus[3]) postulare, quae res hactenus ecclesiarum ep. 42.

[4]) b cc *obmutescant*: minus bene. Id enim est Hormisdae *quiescant*, quod *cessent* seu *desinant*.

[5]) Ita G[1]. Ed. *disperdere ... Deus recolitur ... habet*. Eadem prope sententia epist. 47 n. 1 repetitur his verbis: *Ubi Deus recte colitur, nunquam adversariorum crescit iniquitas.*

46 [1]) Ed. *exspectatur ... perpetua*. Mox b *regni vestri*.

[2]) b cc *nobis ... tamen*. Magis placet cum G[1] a[1] *vobis ... tandem*. Has enim preces apud Justinum ipsum effusas esse, ex epistola 42 liquet.

[3]) a[1] *dicimus*.

Digitized by Google

(a. 519.) pacem. sub intentiosa[4]) obstinatione diviserit, nec pietatis vestrae nec illorum refugit velut latenti causa notitiam. Quid igitur facere debeant, et litteris nostris et libelli[5]), quem direximus, serie continetur. Haec si, Deo nostro et clementia vestra adjuvante, suscipiunt et sequuntur, poterit ad eam, quam maximo desideramus ardore, perveniri concordiam. Filius praeterea noster vir[6]) sublimis Gratus, sacri consistorii comes et magister scrinii memoriae, ostendit in se vestrum allegationis suae maturitate judicium: cujus mora sensibus vestris eo referente melius asseretur.

Epistola 47.

(a. 519 m. Jan.)

Hormisdae papae ad Johannem Constantinopolitanum episcopum.

Gaudet, quod concilium Calchedonense et s. Leonis epistolas suscipiat ac secum in una fide consentiat (n. 1—2). Restare ait, ut et Acacium exsecretur et libellum, qui propterea annectitur, a se subscriptum remittat (n. 3). Grati quoque fidem commendat (n. 4). p. 111.

Hormisda Johanni episcopo Constantinopolitano.

ep. 43. 1. Spirituale gaudium directis caritas tua significavit affatibus, docendo[1]), ut catholicae religionis disciplina ordinem suum vestris partibus Deo nostro juvante receperit. Haec esse beneficia misericordiae supernae quis dubitet? Haec quis dubitet venerabilis principis tropaeis adjungi? Quis ambigat, quia major ei de hac pace, quam de quibuslibet praeliis triumphus acquiritur? Istius laboris gloria nescit occasum: quia ubi Deus recte colitur, nunquam adversariorum crescit iniquitas.

ep. 43. 2. Dilectionis tuae confessionem gratanter accepimus, per quam sanctae synodi[2]) comprobantur, inter quas instauratione constitutorum omnium Calchedonense concilium praedicastis, et catholicorum

---

[4]) Ita G^1. Ed. *contentiosa.*

[5]) Qui nimirum superioribus epistolis 7 et 26 habetur subnexus.

[6]) a^1 c^4 *vestrae sanctitati*, haud felici notarum *v. s.* interpretatione. Neque verius b cc *vir clarissimus* earum loco substituerunt. Primae sunt litterae vocum *vir sublimis:* quo titulo idem Gratus epist. 44 insignitur. Quam amicus deinceps sibi fuerit is Gratus, Hormisda epist. 86 testificatur.

47 [1]) G^1 G^3 a^1 *dicendo* (G^1 *docendo*) *ut ... vestris pastoribus Deo nostro juvante receperint.* Restituit Bar. *docendo ut ... receperit;* quum c^6 seq. *docendo, ut ... disciplinam ordine suo vestri pastores ... receperint.* — Praeterea *partibus* pro *pastoribus* legendum esse persuasit vocis *partium* loco *regionum* Hormisdae familiaris usus. Sic infra n. 3 habemus *partibus Orientalibus ostende per te quod sequantur exemplum;* et epist. 52 ad eumdem Johannem n. 2: *Desideria quippe tua, quibus te ad ecclesiasticam testaris festinare concordiam, ut haberent partes illae semper optavimus.* Vide et initium epist. 49.

[2]) Inter has sanctas synodos recensetur et Constantinopolitana, quam hic primum ut oecumenicam a summis pontificibus comprobatam legere est.

Digitized by Google

numero adjungi desiderans, sancti papae Leonis in diptychis nomen asseveras scriptum. Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: quia recipere Calchedonense concilium et sequi sancti Leonis epistolas, et adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum et Eutychetem condemnans, innocentem ostendere possit Acacium? Quis Timotheum et Petrum Alexandrinum et alium Petrum Antiochenum et sequaces eorum declinans, sicut diximus, non abominetur Acacium, qui eorum communionem secutus est? (a. 519.)

3. De caritate[3]) siquidem tua meliora Dei omnipotentis exspectamus auxilio, habentes optimae promissionis spem, sicut ad nos quae direxisti tua[4]), *tecum in veritate sentiens, et ipsa defendens, sperans in illo judicio per ipsa te posse salvari.* Post haec quid restat, nisi ut sedis apostolicae, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione judicia? Igitur partibus Orientalibus ostende per te quod sequantur exemplum, ut omnium laus, qui correcti fuerint, tuis laboribus applicetur. Ergo quum magna denunties et fidem beati apostoli Petri te amplecti significes, recte credens in ea salutem nostram posse subsistere[5]), libellum, cujus continentia subter annexa est, a caritate tua subscriptum ad nos dirige, ut sine conscientiae formidine unam communionem, sicut oramus, habere possimus.

4. Pro persona quoque filii nostri Grati viri clarissimi Deo nostro gratias sine cessatione persolvimus, cujus fides et recta credulitas nostrum circa se excitavit affectum: dignus re vera, qui tantae curam susciperet actionis et maximi principis ad nos mandata perferret.

Epistola 48.

Hormisdae papae ad Justinianum comitem.

(a. 519 m. Jan.)

p. 111. *Laudato illius bonae voluntatis initio rogat, ut Acacii cum sequacibus nomen removeatur. Denique missos a se legatos indicat.*

Hormisda episcopus Justiniano[1]).

Litterarum vestrarum serie religionis ope pollente devotionis

[3]) b *civitate*, rejecto ad oram *de caritate*, quod sane praeferendum.

[4]) b cc addunt *scripta ostendunt;* sed nec sic sua orationi redditur integritas. Nihil ei deerit, si legatur: *sicut ad nos ipse direxisti una mecum in veritate sentiens* etc. Recolit quippe Hormisda illud Johannis epist. 43 n. 1: *una tecum in veritate sentiens, et una tecum sperans in illo die per hanc fidem salvari.*

[5]) Ita G^1 c^6 seq., quum a^1 a^3 *sustinere.* Indubie Hormisda hic spectat ad mox allata Johannis verba: *sperans etc.* Libellum autem, qui et huic epistolae annectebatur, repetere licet ex epistolis 7 et 26.

48 [1]) Ita G^1. Ed. add. *Augusto.* Ac vero Augusti nomen Justiniano tum non congruebat.

Digitized by Google

(a. 519.) optatissima gratulatione suscepta, gratias Divinitati retulimus, quia dedistis indicium, facile a vobis fieri quod potuissemus hortari. Hinc est, quod quia sponte laudabilia cupitis, digne ad principatus apicem generis[2]) vestri stemmata pervenerunt. Quapropter insistite et religiosae vivacitatis animis imminete, ut quemadmodum pro bonae voluntatis initio genus vestrum meruit culmen imperii, in aeterna vobis de perfectione gloria sint triumphi. Videte, quo desiderio pacis[3]) gaudia ludificatus diu mundus exoret: respicite, generalitatis animos vestri praesumptione beneficii certa spe quietis attolli. Non est quod se dubietas inserat, non est quod aliquid ambiguitatis accedat, quum testamini, quod et nos quidem bene novimus, accedere ad ecclesiarum concordiam religiosi principis vota. Quapropter tantae magnanimitati gratias agentes, quanta possumus petitione deprecamur, ut Acacii nomen cum sequacibus suis, quod plene unitatis ecclesiarum impedit gaudium, damnationis ordine sit remotum. Nos enim convenientes causae qualitati direximus legatos, quibus praesentibus initium, quod dedistis, gaudii possit secundum quae mandatis continentur impleri.

Epistola 49

seu

(a. 519 m. Jan.) **Indiculus, quem acceperunt legati nostri[1]) qui supra.**

Quid in partibus Orientalibus (n. 1), quid Constantinopoli (n. 2), quid post susceptos in communionem regiae urbis aliosve episcopos ipsis agendum sit, instruit (n. 3).

1. Quum Deo propitio partes Orientales fueritis ingressi, si qui episcopi vobis occurrerint, et libellum, cujus continentiam percepistis, a se subscriptum offerre voluerint, suscipite, eisque praebete sanctae communionis consortium. Si vero occurrentes episcopi eo, quo superius diximus, ordine profiteri noluerint, a vobis equidem sub sacerdotali affectione tractentur: sed neque vobis sit cum

---

[2]) Nempe Justinianus Justini ex sorore ipsius, ut Marcellinus in chronico tradit, nepos erat. Simpliciter a Procopio hist. arcan. c. 6 sororis Justini filius una voce graeca ἀδελφιδοῦς appellatur.

[3]) Ed. *ad pacis* ... (cum G[1]) *exhortet.* Quod in *exoret* correximus. Ita infra epist. 62 *exhortans favorem* pro *exorans favorem* recurret. Antea c[6] *ad pacis gaudia;* quo admisso non displiceret c[7] conjectura, qua legendum putat *exsultet.*

49 [1]) H. e. quos se direxisse ad calcem superioris epistolae meminit, et quorum nomina sequens epistola n. 4 aliaeque indicant. In vulgatis loco *nostri qui supra,* quae ex G[1] revocamus, substitutum erat *apostolicae sedis.* Legatos illos cum Grato Constantinopolim redeunte vel etiam paulo ante ex Urbe profectos esse, adeoque hanc ac septem subsequentes epistolas eodem fere tempore, quo tres superiores, traditas esse, ad epistolam 46 probavimus. Indiculum hunc cum priore, hoc est cum epistola 7, conferre operae pretium fuerit.

Digitized by Google

his mensa communis, neque ab his vel victualia praesumatis accipere, nisi tantum subvectionem, si causa poposcerit, et hospitalitatem, ne credant se omnino fastidiose despectos. (a. 519.)

2. Quum autem Constantinopolim Deo adjuvante veneritis, in eam secedite[2]), quam imperator praebuerit, mansionem; et nullum ad salutationem vestram prius permittatis accedere, exceptis his, quos ipse miserit imperator aut quos nostrae communionis esse cognoscitis, donec ipsum principem videatis. Cui praesentati, salutantes litteras nostras offerte, suggerentes, magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse, et nimium gratulari, quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit[3]) juxta ejus sacras litteras, ut secundum ea, quae sunt ab apostolicae sedis constituta praesulibus, Deo auctore et regno ejus adnitente, ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. Quodsi vos hortatus fuerit, ut Constantinopolitanum videatis episcopum, intimate vos praefinita habere, quae etiam ab eis saepe sint cognita, quae ab universis episcopis catholicam communionem amplectentibus professio debeat celebrari[4]). *Haec si episcopus Constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus; si vero sedis apostolicae adhortationem sequi contemnit, quid necesse est, ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa in mandatis?* Si vero imperator sibi aperiri voluerit, quid sit quod ab episcopo fieri postuletis, formam libelli quam portatis ostendite. Quod si de anathemate Acacii consentiens, successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quod propter defensionem Calchedonensis synodi aliqui[5]) eorum

---

[2]) G[1] *suscendite*, b *accedite*, al. *secedite;* cui consentit illud epist. 7 n. 2: *Constantinopolim pervenientes ibi secedite* etc.

[3]) G[1] a[1] omitt. *evexit*, b supplevit. Supplementum ejus confirmat illud epist. 79 n. 1: *Neque enim te ita Deo placitum principem ad imperii verticem humanus tantum consensus evexit.*

[4]) Hic subintelligendum: *Et adjicite;* nam deinceps verba ipsis legatis tum dicenda praescribuntur. — Mox b *causa mandata*, G[1] *causa mandatis.*

[5]) Euphemius nimirum et Macedonius, in quorum gratiam populus Constantinopolitanus anno 518 die 15 Julii in magna ecclesia congregatus nominatim conclamarat: *Euphemium et Macedonium Ecclesiae restitue ... Euphemii et Macedonii nomina modo ordinentur ad perfectam Ecclesiae ordinationem!* Item monachi orthodoxi libello, quem concilio quinque post diebus habito obtulerunt, in primis petierant: *Sanctae memoriae Euphemius et Macedonius expulsi et in exsilio mortui canonice revocentur ... ponanturque in sacris diptychis ipsorum vocabula, secundum quod omnis populus et monachicus ordo sedulo exclamavit.* Immo jam a primo coetu die 15 Julii non quieverat populus, donec Johannes *accipiens diptycha ordinari jussit nomina in sancta memoria defunctorum archiepiscoporum hujus regiae urbis Euphemii et Macedonii, ac etiam Leonis Romani pontificis*, ut in actis a Baronio initio tomi VII relatis legitur. De hoc populi studio erga episcopos in exsilio propter fidei assertionem defunctos certior factus Hormisda, nec ratus tamen, in sacris diptychis sinendos esse eos qui extra communionem sedis apostolicae obiissent,

Digitized by Google

(a. 519.) fuerint exsilio deportati, insinuabitis, nihil vos de libelli posse forma decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non potueritis intentione deflectere, saltem hoc acquiescite, ut anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de *praedecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de diptychorum inscriptione vocabulis. Quo facto episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite.

*f. *successorum*

3. Libellum vero vel episcopi Constantinopolitani vel aliorum, quos vos suscipere Deo volente contigerit, primo agite, ut praesente populo recitetur. Quodsi hoc fieri non poterit[6]), saltem in secretario praesentibus clericis et archimandritis relegatur. Haec omnia si Deo fuerint volente completa, imperatorem rogate, ut destinatis sacris per metropolitanos episcopos, adjunctis ipsius episcopi[7]) litteris, innotescat, episcopum Constantinopolitanum suo quoque consensu celebrata professione, quam sedes apostolica destinavit, in unitatem communionis fuisse susceptum. Quibus litteris etiam ipsos hortetur similia profiteri. Quodsi in hac parte imperator aliquid difficultatis attulerit, episcopus Constantinopolitanus, directis praeceptionibus episcopis suis paroecialibus[8]) vel ceteris metropolitanis, eis praesentibus[9]), qui a vobis pariter directi fuerint, quid ipse fecerit, innotescat: quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere, ut facti hujus testimonio peragrante etiam universos, vel qui longe sunt positi, latere non possit.

Epistola 50.

(a. 519 m. Jan.)

Hormisdae papae ad Justinum Augustum.

Illius ante imperium merita recensens (n. 1), eum a Deo electum praedicat, ut pacem reddat Ecclesiae (n. 2). Frustra eos addit jactitare, Calchedonensis synodi constituta sibi probari, qui ab eorum sequacibus nolunt recedere, quos illic damnatos sciunt (n. 3). Quam gloriosum ei fuerit, Ecclesiam ad unitatem revocasse rememorans, se propterea Germanum et Johannem episcopos, Blandum presbyterum et Felicem diaconum legatos destinasse indicat (n. 4).

Hormisda Justino Augusto.

1. In tantum pro gratia Divinitatis gloriae vestrae famam constat extensam, et ita vos suffragante vitae merito laudabiliter mundo contigit innotescere probatissimorum hominum opinione vulgante,

---

id unitati sanciendae non levi obstaculo fore prospexit. Quapropter et hac in causa legatis quid agendum sit praecavet.

[6]) Propter populi, ut mox diximus, erga suos episcopos studium. Quamquam in libello subscribendo, quem videre licet epistolis 7 et 26 subnexum, nulla specialis Euphemii vel Macedonii fit mentio.

[7]) b add. *Constantinopolitani.*

[8]) Hoc est provinciae suae subjectis, ut in epistolas 16 et 21 observavimus.

[9]) b *praesidentibus.*

Digitized by Google

ut[1]) per vos potius credatur delatum culmen imperii, quam per im- (a. 519.)
perium vos aliquis dicat agnosci. Certum est quidem, hujusmodi provectione vestra pristino splendori accessisse decoris cumulum; sed[2]) tenuistis olim moribus principatum. Sic[3]) quum vos per ora gentium impatiens secreti magnitudo diffuderit, ad nos quoque, sicut mystice loquuntur Scripturae, testimoniis suavitatis vestrae odor advenit. Et certe quum late prudentium hominum sententia religiosae vitae vestrae fuerint instituta dispersa, habere non potuimus incognitum, quidquid de vobis fuerat mundi attestatione vulgatum: quia sicut mediocri laude digna in immensum sibi nequeunt vindicare praeconia, ita sine fine praedicandum rapitur in populum, quidquid bono fuerit admirationis ornatum. Vindicat enim sibi quantitatis suae jure magnitudo famae testimonia, quia nesciunt latere miranda. Hinc est, quod principatus vobis adoreas[4]) publica jura commiserunt. Nae quod meritorum insignia generalitatis facta sunt vota, nemo ita rerum arbiter iniquus exstabit[5]), qui passim vos aestimet arches inclitae accepisse titulos, quum negari nequeat digne vos meruisse imperii[6]), quorum probitatem mundus agnovit. Sed parum est, quamvis judicio universitatis, suscipere loco praemii jura regnandi. Illud magis est admirabile, quod ita vos hominum laudabilitate firmatos suscipiunt imperia, ut judicia sint divina.

---

50 [1]) Ed. *ut super vos*, G[1] *super vos*, G[3] *u p vos* (*ut per vos*). Quum hoc manifeste sibi velit Hormisda, imperium magis notum fieri per Justinum, quam Justinum per imperium, orationis series postulat *per vos*, nec permittit *dilatatum* loco verbi *delatum* (G[3] *dilatum*) cum Baronio substitui. Nam istud *per vos* non ad *delatum* sed ad verbum *agnosci* refertur.

[2]) Ita G a[1]. b cc *sed sicut tenuistis*. Antea magis arrideret *vestro pristino splendori*, quam *vestra*. Justinus, ut Theodorus lector pag. 565 testis est, in omni *vita egregius semper exstiterat*. Hujusmodi testimonio, quod Theophanes pag. 141 (ed. Bonn. 254) eumdem *rectae fidei studiosum, rerum experientia praestantem, et belli gloria praeclarum* praedicans confirmat, Procopius hist. arc. c. 6 refragatur.

[3]) Ita G[1] G[3], nisi quod corrupte scribant *diffuerit* (b cc *detulerit*). a[1] *Si cum vos ... defuerit ... leguntur.*

[4]) Ita G a[1]. b cc *ac honores*. Subinde G[1] *ne quid*, G[3] a[1] *ne quod*, al. *nam quod*. Retinemus *Ne* vel *Nae*, hoc est *Certe*.

[5]) G[1] a[1] *excitabit*. b cc *exstitit*. Propius a primaeva lectione abest *exstabit*.

[6]) Supple *titulos*. Quare nil necesse est, ut cum b cc contra G adjiciatur *culmen*. Verbis autem *arches inclitae* ea intelligenda est dignitas, qua Justinus decoratus erat, quum ad imperium assumptus est. De hac Procopius hist. arc. cap. 6 ita loquitur: *ἐς μέγα δυνάμεως οὗτος Ἰουστῖνος ἐχώρησεν. Ἄρχοντα γὰρ αὐτὸν Ἀναστάσιος βασιλεὺς κατεστήσατο τῶν ἐν παλατίῳ φυλάκων. Ἐπειδή τε ὁ βασιλεὺς ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο, αὐτὸς τῇ τῆς ἀρχῆς δυνάμει βασιλείαν παρέλαβεν.* Voce *ἀρχῆς* seu *arches* jam usus est Hormisda epist. 32. Procopius laudatus bello Pers. I, 8 etiam magistri officiorum dignitatem seu potestatem *ἀρχήν* vocat.

Digitized by Google

(a. 519.) 2. Non est dubium, electos[7]) vos venerabili praedestinatione Divinitatis ad tantae potestatis ornamenta, quos sincerae fidei documenta circumvallant[8]). Vere vobis prophetici spiritus convenire Jer. 1,5. verba dixerimus: *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Ad hanc vos gloriam, incomprehensibili supernae majestatis dispositione procurante, obsequium naturae mundo protulit, sub custodia fidei transactae vitae probitas instituit, atque ad imperia clementia divina provexit: ob hoc scilicet, ut tandem aliquando divisoribus[9]) dominici corporis fidei vestrae exsecutione compressis, ecclesiarum concordia diabolica impedimenta succideret et universitas de adunatione gauderet. Hoc religioni, hoc fidei, hoc serenitati vestrae specialiter coelitus mandatur officium, quibus et posse omnia et perficere videmus indultum. Itaque sicut instituistis facere, navate suscepti operis munus, quod superna vobis providentia videtis injunctum. Et vere sic decuit, ut per principem pax debeat fieri, quam reverentia Divinitatis exposcit. Date has assumpti Deo nostro oblationes imperii, ut per vos possit pacis fructus impleri. Sine dubio quidquid tali facto animae vestrae fuerit praestitum, a vobis mundo judicatur impensum. Magnum et inaestimabile est, venerabilis imperator, propter quod adsciti estis judicio Divinitatis: distenduntur ecce vota pacem disiderantium, diuturni temporis tractu moeret ecclesiarum indivisibilis discissa communio, non sine[10]) gemitu discrepat fraternitas, quum circa patrum dogmata varia sit voluntas!

3. Accingite ergo lumbos viribus fidei; videte, cui vos regi Divinitas velit obsequi, quantum sit quod per vos procurat impleri. Ecclesiae venerandae corpus, quod propria Christus noster passione fundavit, gloriae vestrae adunare factis instituit. Non est, quo magis circa vos gratiae supernae majestas eluceat, quam si Ecclesiae corpus per vestrum reparetur officium, sanguinis Domini ei redemptione formatum. Est quidem causae hujus vetustissima calamitas, sed pro immanitate sui recentissimus dolor, et tanto Christianis animis fortior gemitus, quanto temporibus est dilatus. Videndum vobis est, in quantum quotidie antiqui hostis fervescat insania: quum[11]) olim causa sit decisa fine sententiae, pacis faciat tardita-

[7]) Ed. *electos suos ... ornamenta venire, quos.* Simili mendo supra epist. 45 n. 2 in G^1 a^1 legebatur *electos suos coelesti constat esse judicio:* littera *s* perperam repetita.

[8]) Ita b cc; G a^1 *circumvolant,* et mox *direximus,* pro *dixerimus.*

[9]) G^1 G^3 a^1 *divisores ... compressis ... succederent;* b cc *divisores ... compressi ... succideret. Divisores dominici corporis* nuncupantur schismatis fautores, qui Ecclesiam scindunt. — Mox ed. *nostro vestri oblationes ... extenduntur ecce.*

[10]) Ita G^1 G^3; a^1 omitt. *non.* b cc *Est in gemitu discerpta fraternitas ... gratia supernae majestatis.*

[11]) c^7 c^9 *et cum.* Mallem *ut quum,* et infra *non desistat* (scil. *antiqui hostis insania*) pro *non desistas* restitui.

Digitized by Google

tem, et quum Calchedonensis synodus et beati papae Leonis consti- (a. 519.)
tuta placeant, quo ad caritatem reverti volumus, a certamine non desistat. Sequuntur quae dogmatibus praedictis adscripta sunt, et ab eorum sequacibus, quos praedicta auctoritate damnatos intelligunt, non recedunt. Tenent adhuc in complexibus nomen Acacii, quem vident judicio sedis apostolicae merito poenam subiisse damnati. Quis non intelligat simulate dici: *sanctorum patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta; quae a sancta synodo Calchedonensi constituta sunt, et quae beati Leonis epistola continet, fovemus, veneramur, amplectimur; sed Acacio, qui damnatorum communionem secutus est, impendimus vota*? Sed quid opus est de judicatis rebus verba facere, quum nos hortari tantummodo deceat, ut expressa superius simulatione submota sub omni puritate pacem debeant, a quibus haec dicuntur, optare?

4. Apud vos mihi est omnis deprecationis causa, imperator egregie: vos his ac talibus religiosi operis resistite viva caritate; vobis imminet, ut qui ecclesiasticae concordiae habuistis in privata vita desiderium, sub principatu detis effectum. Non fuit, quo magis gratiae vestrae cumulus accederet, quam quod vobis divinitus datum est, ut quod semper voluistis fieri, per vos ad terminum possit adduci. Nec breve specimen circa vos gratiae Divinitatis effulsit, quibus datur posse facere quod semper optastis. Quapropter quoniam vobis tantae causae titulum videtis esse servatum, removete, quidquid ambiguum remansisse creditur ad plenitudinem gaudiorum. Nos enim qua decuit affectione per Gratum virum clarissimum, cui pro moderatione sui congrue sensimus officium legationis injunctum, litteris vestri principatus acceptis, causae magnitudini convenientes destinavimus viros Germanum[12]) et Johannem episcopos et Blandum presbyterum nec non et Felicem diaconum[13]): per quos si, quemadmodum praesumimus, serenitatis vestrae favor arriserit, secundum quae mandata sunt, ecclesiarum adunatione generalitatis possint vota firmari.

---

[12]) Hunc Anastasius bibliothecarius seu liber pontificum Capuanum episcopum vocat. Id et Baronius aliique vulgo pro certo ponunt. Sed quum idem cardinalis nihilo minus opinetur non alium esse hunc Germanum ab eo, qui anno 497 ab Anastasio papa ad Anastasium Augustum legatus sit, nec probabilis desit conjectura, eum ab Hormisda missum esse, quem rerum Orientalium peritiorem pristina legatio fecerat: non admodum certa est haec de Germano Capuano sententia. Hunc enim anno 497 Capuanae ecclesiae nondum praepositum fuisse, in Anastasii II epistolam I not. 15 observavimus.

[13]) His adjungitur tum in epist. 52 n. 4 tum in fronte epist. 59 *et Dioscorus diaconus*, cujus in toto legationis negotio non infimas partes fuisse subjectae inferius litterae fidem facient. An hic taceatur, quod non e Romano, sed quemadmodum Hormisda epist. 105 n. 1 indicat, ex Alexandrino clero assumptus sit?

Digitized by Google

Epistola 51.

(a. 519 m. Jan.)

Hormisdae papae ad Euphemiam Augustam.

Illius pro pace studium commendans, ut libellum transmissum ab episcopis subscribi curet, precatur.

Hormisda Euphemiae[1]) Augustae.

1. Ecclesiarum pax jam coelesti ordinatione componitur, quum vos ad imperium Deus elegit, apud quos esse integrum semper religionis suae cognovit affectum. Nam sicut in privata vita Deum semper recto dogmate coluistis, ut de religionis concordia cogitaretis, et multa quidem inter ipsa imperii vestri primordia facta sunt, quae spem nobis correctionis integrae pollicentur. Unde quia in vobis amorem fervere fidei gratulamur, agentes Deo gratias quotidie pro vobis beato Petro apostolo supplicamus, ut votis vestris apud Dominum suffragetur, et cursum bonae voluntatis adimpleat. Nec dubium est divinis vos auxiliis adjuvari, quia tanto religionis studio mandatis coelestibus obeditis. Hinc est, quod quia sanctum conjugii vestri constat esse propositum, has fiducialiter ad vestram clementiam litteras destinamus, ut per vos ad perficiendam Ecclesiae pacem mariti vestri pietas amplius incitetur.

2. Magnum opus arripuistis, magna vobis causa commissa est. Per vos enim[2]) populos Christus vult ad Ecclesiae foedera revocare, quos per se voluit a morte redimere. Magna etiam vestro servi parata est laudis occasio, si vobis instantibus Ecclesiae suae Christus quae divisa fuerant membra conjungat. Nec enim major est gloria, quae humanae salutis lignum scrutata est, et sola crucem, quam omnis veneratur mundus, invenit. Superabitis quinimmo illius merita, quia Ecclesiae unitas per illam suum invenit signum, per vos est habitura remedium. Agat igitur jugalis vestri religiosa clementia, ut fratres et coepiscopi nostri sub eo libelli tenore, quem dudum misimus, fidem suam dignentur asserere, quatenus perfecta possit esse quae est inchoata correctio; quia irrita est quaelibet in cultura Dei confessio, cui deest fidei plenitudo. Hoc enim quod a reliquis fieri poscimus[3]), a multis jam sacerdotibus constat effectum; et unitas esse justa in communione non poterit, si non fuerit in reversione servata.

---

51 [1]) Haec *Lupicina* aut *Lupicia*, Procopio hist. arc. cap. 6 et Theophane chronogr. p. 141 (ed. Bonn. p. 254) testibus, vocabatur. Sed ut Theodorus lector p. 565 et Theophanes l. c. tradunt, postea quam Augusta nuncupata est, populus eam Euphemiam nominavit.

[2]) Ed. *etiam*, moxque *Nec ejus ... solam crucem.*

[3]) Ita G[1] a[1]. b cc *poposcimus.*

Digitized by Google

Epistola 52.

Hormisdae papae ad Johannem Constantinopolitanum episcopum.

(a. 519 m. Jan.)

Pacem, quam laudabiliter desiderat, perfici non posse, nisi Acacium cum sequacibus ejus condemnet, idque subscriptione libelli per legatos transmissi profiteatur.

Hormisda Johanni episcopo Constantinopolitano.

1. Reddidimus quidem frater, congruum litteris tuis sub eccle- ep. 43. siastica libertate responsum[1]); et quid in his gratulati fuerimus, in- ep. 47. sertum, quid taciturnitate praeteritum, evidenter expressimus. Ac licet cuncta sensibus tuis nunc crebra legatio, nunc usu in Ecclesia diuturnae conversationis tuae vetustas infuderit, juvat tamen adhuc latius aperire nostrum repetita ratione consilium: quia tunc bene de fidei firmitate disseritur, quando simplicibus verbis conciliandae pacis cupiditas explicatur.

2. Desideria quippe tua, quibus te ad ecclesiasticam testaris festinare concordiam, ut haberent partes illae, semper optavimus; nec sola votorum ambitione contenti, usi etiam precibus sumus. Vestro sunt haec et mundi testimonio roborata quae loquimur: quia ut catholicae unitatis reparatio fiat, auctoritatem nostram intemerata[2]) fidei integritate submittimus. Inclinet orationibus nostris aurem suam divina miseratio, ut quod creditis postulandum, sequamini et ametis oblatum. Nobis una causae sollicitudo, una custodia est: ita pacem cupere, ut sic religionis, sic venerabilium patrum constituta serventur; quoniam quae inter se consona credulitate non discrepant, aequum est, ut simili observatione subsistant. Sed cur diutius immoramur? Scis ipse, unitatis causa quid exigat, scis ipse, qua via ad beati Petri apostoli debeas venire consortium. Habes itineris tui ducem, quem te jam sequi asseris, Calchedone habitum pro religione conventum. Jam te quoque, quod idem amplecti testatus es, beati Leonis redeuntem dogma comitabitur.

3. Haec si placent, Acacii defensio damnati non placeat: hoc est, quod boni studii a perfectione vota suspendit. Si sunt enim illa adversum Dei et legis ejus inimicos venerabilium patrum congregatione disposita, ut quisquis eos communione sequeretur, jam tunc latam subiret in sua damnatione sententiam: non sunt igitur nova quae constanter exsequimur, sed temporibus illis facta judicia justa patrum constitutione servamus. Hortamur itaque, frater, et mentem tuam Dei nostri misericordia adjuvante pulsamus, ut ab omni te haereticorum contagione, Acacium cum sequacibus suis condemnando, disjungens, una nobiscum dominici corporis participa-

52 [1]) Scil. quae supra epistolae 43, 47. Mox ed. *congratulati.*
[2]) Ed. omitt. *intemerata fidei.* Mox G[1] *quo te jam sequi.*

Digitized by Google

(a. 519.) tione pascaris. Si nobiscum universa praedicas, cur nobiscum non universa condemnas? Tunc enim nobiscum quae veneramur amplecteris, si nobiscum quae detestamur horrueris. Pax integra nescit aliquam habere distantiam, et unius Dei vera esse non potest nisi in confessionis unitate cultura.

4. Quapropter salutantes te fraternae caritatis affectu, petitionem tuam, missis, sicut sperasti, religiosissimis viris Germano ac Johanne episcopis, Felice diacono, Dioscoro diacono atque Blando presbytero, significamus[3]) esse completam. Hi vero quibus fuerint mandatis instructi, ante allegationes eorum, si cogites, evidenter agnosces. Hi pacem tuam sub ea, qua saepe rescripsimus[4]), professione suscipient. Imple ergo, frater carissime, gaudium nostrum, et tuum ad nos per eos rectae fidei tuae remitte praeconium, ut per te universis detur exemplum.

Epistola 53.

(a. 519 m. Jan.) **Hormisdae papae ad Theodosium archidiaconum et universos ecclesiae Constantinopolitanae catholicos.**

Quod ab haereticorum molestiis liberati sint gratulatur, seque legatos destinasse indicat, quo possit perfecta Ecclesiae concordia componi.

Hormisda Theodosio archidiacono Constantinopolitano et universis catholicis a pari.

Gratias misericordiae divinae competenter exsolvimus, quae fidem vestram diu laborare non passa est. Nam tempus oblatum est, quo fidos[1]) milites suos catholica recuperare possit Ecclesia. Quae enim major animum vestrum potest obtinere jucunditas, quam malorum commemorata depulsio? Gaudiis praesentibus compensate afflictionis incommoda: quia Deus noster, qui remedio fuit, adversis opprimi caritatem vestram noluit sed probari. Nam si transacti temporis mala cum praesenti, quae divina esse non ambigitur, retributione compensetis, quis dubitat ampliora vos praemia consecutos, quam nocere potuisset adversitas? Et quamvis pro statu fidei catholicae nunquam sollicitudo nostra cessaverit, tamen serenissimi principis sacris affatibus incitati, legatos destinare curavimus, quorum officio Deo auctore in his, quae saepe mandavimus, subsequi non dubitamus effectum. Et ideo competenter enitere, ut Ecclesiae catholicae hoc praecipuum vestrae liberationis munus possitis offerre: quatenus, repulsis omnibus quae hactenus nocuerunt, in una quam semper optavimus communionae gratulantes, Deo nostro laudes referre sine cessatione possimus.

---

[3]) G[1] a[1] *signamus.* Mox b cc *scripsimus.*

53 [1]) Ita b cc; G[1] a[1] *filios.* Mox b cc *animum vestrae ... consecuturos ... tam serenissimi.*

Digitized by Google

Epistola 54.

Hormisdae papae ad Celerem et Patricium clarissimos aulicos. (a. 519 m. Jan.)

Ut legatorum operam adjuvent, rogat.

Hormisda Celeri et Patricio a pari.

Quamvis pro loci nostri consideratione de causa fidei catholicae minime tacere possimus, tamen ad hanc partem serenissimus princeps magnopere directis affatibus nostrum incitavit studium, pro cujus legatos voluntate direximus. Et quia hujusmodi causa filiorum Ecclesiae sublevari debet auxilio, salutantes cultu atque honorificentia competenti, poscimus, ut pro ecclesiastica pace allegationes eorum, qui directi sunt, apud animos serenissimi principis adjuvetis: siquidem vestrae celsitudinis laborem non parva retributio subsequitur, quum omnipotenti Deo nos gratias persolvere de vestris operibus feceritis.

Epistola 55.

Hormisdae papae ad praefectum praetorio Thessalonicensem aliosque illustres viros. (a. 519 m. Jan.)

Ut pro fidei redintegratione studium suum commodent, poscit.

Hormisda praefecto praetorio Thessalonicensi et ceteris illustribus a pari.

Licet pro causa ecclesiastica nunquam sollicitudo nostra cessaverit, tamen imperatoris serenissimi sacris affatibus promptius incitati, legatos cum coelestis misericordiae favore direximus, quorum officio bona, quae de principis mente praesumimus, impleantur. Et ideo salutantes amplitudinem vestram cultu et honore quo dignum est, poscimus, ut pro redintegratione fidei vestrum commodetis studium, nec tantis fidelium tardari vota temporibus permittatis: quia non est dubium, celsitudinem vestram fructum tantae laudis acquirere, si per eam quae ab omnibus bonis optantur, Dei nostri misericordia operante, proveniant.

---

54 [1]) Is videtur *Patricius* senator, quem legati Hormisdae infra ep. 59 n. 3 proscriptum renuntiant. Et quidem quum plerique omnes, ad quos nunc scribit Hormisda, ipsi postea rescripserint, nullum tamen exstat hujus Patricii rescriptum. Celeris vero *magistri officiorum* meminit Evagr. 3, 32. Apud Procopium autem de bello Pers. 1, 8 inter duces, qui sub Anastasio imperabant, notatur: *Celer ordinum palatinorum dux (magistrum Romani, inquit Procopius, vocant) et Patricius Phryx praefectus militum, qui erant Byzantii.*

Digitized by Google

Epistola 56.

(a. 519 m. Jan.)

Hormisdae papae ad Anastasiam et Palmatiam.

Missis legatis ut pro ecclesiasticae redintegratione concordiae laborem suum impendant, postulat.

Hormisda Anastasiae[1]) et Palmatiae a pari.

Bonae voluntatis studium divinae semper comitatur prosperitatis effectus. Dei nostri providentia temporis facultas oblata est, in qua pro fidei vestrae praemio debeatis anniti. De superna primitus misericordia, deinceps de conscientia clementissimi principis praesumentes, legatos pro religionis catholicae causa direximus, per quos amplitudinem vestram debitae reverentiae salutamus officio, postulantes, ut pro ecclesiasticae redintegratione concordiae vestrum laborem atque operam non negetis: quatenus quum repulsis remotisque iis, quos apostolicae sedis damnavit auctoritas, ad unam quae recta est communionem plebs Christiana redierit, beatum Petrum apostolum, pro cujus fide nitimur, in vestris possitis habere actibus adjutorem.

Epistola 57.

(a. 519 m. Febr.)

Hormisdae papae ad Justinianum domesticorum comitem.

Litteras illius amore fidei plenas cum muneribus se accepisse ac legatos misisse p. 111
significat, utque pacem, quam sperat, ad effectum perduci curet, instat.

Hormisda Justiniano viro illustri.

1. Magnitudinis vestrae litteras sanctae fidei plenas amore suscepimus, quibus ad exercendam apud vos praedicationis apostolicae firmitatem opportunitatem nobis provenisse divinitus nuntiastis. Unde indesinenter Domino nostro agimus gratias, qui ad tam praeclara remedia et tempus vobis et animum dedit. Et nos quidem desuper ista agnoscimus ordinari, postquam ei detulit divina majestas imperium, qui se ad componendam ecclesiarum pacem indicat ordinatum. Ergo restat, ut universi episcopi partis Orientalis juxta libelli seriem ad correctionis pervenisse se testentur effectum. Patet venerandae via concordiae, nota[1]) sunt optatae remedia sanitatis. Sacerdotes, qui catholicam pacem desiderant, professionem catholicam non recusent; non enim opus est partibus[2]) errorem corrigi, sed radicitus amputari. Insistite igitur, sicut coepistis, ut merces

56 [1]) Theodorae uxoris Justiniani soror, teste Procopio hist. arc. c. 9, *Anastasia* nuncupabatur.

57 [1]) G[1] a[1] *notata*, rectius b *nota*. Quocirca et ad ipsummet Johannem in epistola sequenti scribitur: *licet quae pro fidei unitate facienda sunt tuae caritatis notitiam latere non possint.*

[2]) H. e. *ex parte.*

Digitized by Google

apud Deum vestra, quae de boni operis inchoatione habet initium, (a. 519.) de perfectione consequatur effectum. Animum quidem vestrum talem missa ad nos testantur alloquia, ut ad plenitudinem boni propositi non multum indigeatis hortatu; nostri tamen desiderii ea, quae spem dedit, oratio[3]) amplius accendit ardorem, et avidius gaudia impleri cupimus, quae instare jam divinitus arbitramur. Hinc est, quod beatum Petrum apostolum quotidie suppliciter obsecramus, ut vobis, per quos integrari membra sua sancta jam sperat Ecclesia, et effectum Deus celerem et salutem tribuat longiorem.

2. Nos quidem, vestris animis obsequentes, viros direximus ad solidandam sub apostolicae dispositionis ordinatione concordiam. Vestrum est, ut sicut nos bonae intentioni deesse noluimus, ita eos ad[4]) nos optatum referre faciatis effectum. Munus vestrum veneranda sacraria susceperunt: quod amplius beato Petro apostolo facietis acceptius, si per vos optatam ecclesiae receperint unitatem.

Epistola 58.

Hormisdae papae ad Johannem Constantinopolitanum episcopum. (a. 519 m. Febr.)

p. 111. *Quae jam scripserat pro pacis redintegratione praestanda, confirmat.*

Hormisda Johanni episcopo Constantinopolitano.

Ea quae caritas tua destinatis litteris significavit agnovimus, et gratulamur ad conscientiam nostram fidei tuae indicia pervenisse, optantes, ut intentioni tuae, quam rectam esse cupimus, plenum Deus noster circa ecclesiasticam pacem concedere dignetur effectum, cujus spem animo supernae majestatis assumpsimus: quia imperatorem serenissimum ad hoc providentia divina judicamus electum, ut per eum ecclesiarum redintegratio tantis temporibus desiderata proveniat. Quapropter licet quae pro fidei unitate facienda sunt tuae caritatis notitiam latere non possint, legatos tamen direximus, quos ratio causae poscebat: quibus hortantibus, et quae jam pridem a nobis significata et quae nuper iterata sunt, ad effectum Domino nostro auctore perveniant.

Epistola 59

seu

Exemplum suggestionis secundae Germani et Johannis (a. 519 initio Mart.)

[3]) a[1] *ratto*, magis cum b placet *oratio*, adeo ut quod proxime *alloquia*, nunc variandi sermonis ergo dicatur *oratio*, maxime quum Justinianus legationem quam primum mitti instantius rogasset.

[4]) b *apud nos:* minus apte.

Digitized by Google

(a. 519.) **episcoporum[1]), Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri.**

De gestis in Scampina civitate referunt et quibusdam nuntiis sibi privatim allatis. p. 111.

1. In civitate Aulonitana[2]) quo ordine cum Dei adjutorio pervenimus, et quomodo sumus suscepti ab episcopo civitatis ipsius, et quid est actum, vel quale responsum dederunt, et quia hoc promisit, ut cum metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola beatitudini vestrae significavimus.

2. Nam quod in Scampina[3]) civitate factum est, vestris orationibus tacere non permisimus[4]). Antequam nos ingrederemur in civitatem ipsam, venerabilis Trojus episcopus cum suo clero vel plebe in occursum nobis egressus est. Et quomodo Deus in ipsa die benedictus est, et quae festivitas per ipsius pietatem est subsecuta, ad notitiam apostolatus vestri referimus. Nobis praesentibus vel suo clero et nobilibus viris ipsius civitatis, libellum subscripsit, porrexit: suscepimus, et praesente omni clero vel plebe, in gradu[5]) a servo vestro Petro notario sanctae ecclesiae Romanae est relectus. Erat conventus in basilica sancti Petri. Confitemur beatitudini vestrae: tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt. Celebratae sunt missae, nullius nomen obnoxium religionis est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestrae. Noster episcopus venerabilis Germanus missam celebravit. Et promiserunt nec postea recitari, nisi quos sedes apostolica suscepit. Quanta a nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conservet. Istam epistolam ante triginta millia[6]) de Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eadem civitate cum Dei adjutorio pervenire. Et quomodo ad nos pervenit[7]),

---

59 [1]) Ed. *episcopi* et mox *diaconi;* emendantur ex epistolis 64, 76 etc.

[2]) G[1] *Alonitana.* Erat *Aulona* civitas Epiri novae sub metropolitano Dyrrachino, cum quo in epistola encyclica ad Leonem Aug. concil. Calchedon. part. 3 (Hard. II, 767) subscribit *Nazarius episcopus Aulonae.*

[3]) Et haec Epiri novae, ut ex citato loco constat, civitas erat Dyrrachium inter ad occasum et Lignidum ad ortum sita, sed nunc in vicum redacta.

[4]) b cc *permisimus,* G a[1] *omisimus,* forte *admisimus* vel *commisimus* legendum

[5]) Ex eo ut videtur loco, in quo versus, post epistolam inter missarum sollemnia decantari solitus, *gradualis* etiamnum retinet nomen. Hinc perperam cc add. *suo.*

[6]) b cc *milliaria a Lignido.* Hoc ita interpretamur, ut legati e loco amplius triginta millibus a Lignido distante scribere se significent. Quod consulto notant, ut se maximis itineribus celerare fidem faciant. Secundum Baudrandum autem Scampi a Lignido 55 millibus distant.

[7]) b cc *pervenit Scampinus episcopus, speramus et ipsius civitatis Lignidi episcopum,* praeter mentem legatorum, quibus *quomodo ad nos pervenit* idem est, quod *quemadmodum accepimus,* vel scil. fama vulgante vel certis nuntiis. Eodem

Digitized by Google

speramus et ipsius civitatis episcopum similia facere. Quod si fa- (a. 519.)
ctum fuerit, data occasione rescribemus.

3. Scampis nobis[8]) positis, post missas hora coenatoria Stephanus et Leontius vv. ss. ab imperatore missi in occursum nobis venerunt, adhuc nescientes nos in partibus Graeciarum positos, quia talia mandata fuerunt comiti Stephano data, ut ad partes Italiae transirent in occursum nostrum. (Est Stephanus iste, quomodo dicitur, de parentela filii vestri magistri militum Vitaliani.) Qui nobis nuntiaverunt Patricium senatorem proscriptum et in exsilium missum. Pro qua tamen causa, nisi quomodo ad nos pervenerit, non possumus dicere, quia non est de talibus rebus facile deliberare. Dicitur tamen, et apocrisiarios[9]) Thessalonicensis ecclesiae teneri, apud quos dicuntur et epistolas inventas; pro qua causa, nescimus: cum ipsis et Philumenum et Demetrium magistrianum et alias personas, quarum nomina ignoramus. Ista sunt, quomodo praediximus, quae audivimus. De causa tamen ecclesiastica cum Dei misericordia prospera nuntiantur. Cosmatem tamen medicum, pro qua causa in Italiam venit, penitus intelligere non potuimus, nisi hoc, quia fortiter quaeritur. De quo debetis esse solliciti, ut sciatis, pro qua causa ibidem venit.

Epistola 60

seu

Tertia suggestio legatorum supra nominatorum. a. 519 d. 7 Mart.

Etiam Lignidi omnia secundum Hormisdae mandatum acta esse nuntiant.

In alia epistola significavimus[1]) beatitudini vestrae de Scam- ep. 59.
pina civitate de venerabili Trojo episcopo: quo ordine libellum dedit, et qualis festivitas est celebrata in ipsa civitate. Cum Dei misericordia venimus ad[2]) Lignidum. Theodoritus episcopus venera-

---

intellectu infra subjiciunt: *nisi quomodo ad nos pervenerit, non possumus dicere.* Quare G[1] stricte sequi satius duximus.

[8]) G[1] a[1] *nos positos*, quod cum b cc ad grammaticae leges correximus. Mox b cc *vv. cc.* (pro *vv. ss.*, i. e. *viri sublimes*) ... *Hi nobis.* Patricius hic memoratus is videtur, ad quem legati superiorem epistolam 54 deferebant. In arcana autem Procopii historia cap. 17 *Leontius* referendarius memoratur.

[9]) G a[1] *apocrisarius* (G[3] *apocrisiarios*) ... *apud quos dicuntur et.* Mox G[1] *Filuminus.*

60 [1]) G[1] a[1] *significamus*, b cc *significavimus;* hic indicatur superior epistola 59.

[2]) Seu, ut aliis magis placet *Lychnidum.* Re ipsa inter subscriptiones encyclicarum ad Leonem August. concil. Calchedon. part. 3 c. 39 (Hard. II, 767) legitur *Antonius* (seu secundum exemplar Corbejense *Antoninus*) *episcopus Lychnidius.* Verum apud Hilarium fragm. 2 n. 15 inter subscriptiones Sardicensis concilii legitur *Dionysius ab Achaia de Lignedon*, et supra vidimus epistolam 3 Anastasii II Laurentio *de Lignido* (non *de Lychnido*) inscriptam. Laurentio huic,

Digitized by Google

a. 519. bilis vir ipsius civitatis similiter libellum dedit, qui libellus in ecclesia est relectus, et omnia secundum constitutionem vestram sunt facta. Rogate Deum; sperate ab apostolis ejus beatissimo Petro et Paulo, ut Deus, qui initia talia donavit orationibus vestris, similiter sequantur et prospera, ut tempora coronae[3]) vestrae in correctione ecclesiarum semper praedicentur. Quam epistolam ad apostolatum vestrum direximus die Nonarum Martiarum.

Epistola 61

seu

a. 519 d. 28 Mart. **Exemplum libelli Johannis episcopi Constantinopolitani.**

Eamdem se, quam Hormisda, fidem profiteri confirmat, ac libellum per legatos p. 111. *destinatum a se subscriptum remittit.*

Domino meo per omnia sanctissimo et beatissimo fratri et comministro[1]) Hormisdae Johannes episcopus in Domino salutem.

cp. 47. ep. 52. 1. Redditis mihi litteris[2]) vestrae sanctitatis, in Christo frater carissime, per Gratum clarissimum comitem, et nunc per Germanum et Johannem reverendissimos episcopos et Felicem et Dioscorum sanctissimos diaconos et Blandum presbyterum, laetatus sum de spirituali caritate vestrae sanctitatis, quod unitatem sanctissimarum Dei ecclesiarum secundum veterem patrum requiris traditionem, et dilaceratores rationabilis gregis Christi amore pulsare festinas. Certus igitur scito, per omnia sanctissime, quia, secundum quod vobis scripsi, una tecum cum[4]) veritate sentiens, omnes a te repudiatos haereticos renuo et ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei ecclesias, id est superioris[5]) vestrae et novellae istius Romae, unam esse accipio, illam sedem apostoli Petri et istius augustae civitatis unam esse definio. Omnibus actis a sanctissimis[6]) quatuor synodis,

---

cujus laudes Marcellinus Comes ad annum 516 prosequitur, successisse videtur Theodoritus.

[3]) H. e. *pontificatus vestri.* Paulo antea est anacolutha oratio, quasi legatur *Deo auctore ... sequantur,* vel *Deus ... exsequatur.*

61 [1]) G[1] *comministratori* (al. *comministro*) *Johannes,* non addita voce *episcopus.* Eadem omittitur in relatione ejusdem Johannis seu in sup. ep. 43.

[2]) Scil. quae supra Horm. epist. 47 et 52.

[3]) Ita JO c[1] c[2]. G[1] a[1] b c[7] c[10] *laceratores ... Christi animo repulsare.*

[4]) Ita G[1] J[1] a[1] b cc, nisi quod G[1] *tua tecum;* i[2] *tecum veritate;* a[3] secundum sup. ep. 43 n. 1 *in veritate.*

[5]) Ita G[1] J[1] a[1] b cc i[2]; a[3] praetulit *senioris* secundum ejusdem Johannis epist. 67 n. 2.

[6]) Ita JO i[2]. G[1] a[1] b ss. *sanctis illis.* — Ibidem verbis *de confirmatione fidei,* quae Romani praesules, maxime ubi de Calchedonensi synodo sermo erat, adjicere studebant, caute subjungit Johannes *et statu Ecclesiae,* quo quae ab illis synodis in gratiam sedis suae definita erant propugnare posset.

Digitized by Google

id est Nicaena, Constantinopolitana, Ephesina et Calchedonensi, de confirmatione fidei et statu Ecclesiae assentior, et nihil titubare de bene judicatis patior: sed et conantes aut enisos[7]) usque ad unum apicem placitorum perturbare, lapsos esse a sancta Dei generali et apostolica Ecclesia scio, et tuis verbis recte dictis evidenter utens, per praesentia scripta dico: a. 519.

2. Quia[8]) prima salus est, rectae fidei regulam custodire, et a patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, sed patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses, praecipue vero Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae urbis fuit episcopus, damnatum in concilio Ephesino a beato Coelestino papa urbis Romae et a venerabili viro Cyrillo episcopo Alexandrinae civitatis; et una cum illo anathematizamus Eutychetem et Dioscorum Alexandrinae civitatis episcopum, damnatos in sancta synodo Calchedonensi, quam venerantes sequimur et amplectimur, quae sequens sanctam synodum Nicaenam, apostolicam fidem praedicavit; his conjungentes Timotheum parricidam, Aelurum cognominatum, anathematizamus, et hujus discipulum et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter Acacium quondam Constantinopolitanae urbis episcopum complicem eorum et sequacem factum, nec non et perseverantes[9])eorum communioni et participationi. Quorum enim quis communionem complectitur, eorum et similem adjudicationem in condemnatione consequitur. Simili modo et Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum sequacibus suis et omnibus[10]) suprascriptis. Unde probamus et amplectimur epistolas omnes beati Leonis papae urbis Romae, quas conscripsit de recta fide. Quapropter, Matth. 16, 18.

---

[7]) Ita G[1] a[1] b seq. i[2]. J[1] *nisus*, a[3] *nisos*, al. *scissos*. Mox G[1] *placiturum*.

[8]) c[7] omit. particulam *quia*. Et auferenda quidem esset, nisi ex mss. constaret, eam ab interprete additam, et cum superiore verbo *dico* copulatam esse in hunc modum: *dico, quia prima salus*. Abhinc incipit libellus, quem Hormisda subscribendum praescripsit, ab authentico tantum verbis aut verborum ordine, quem interpres servare non valuit, discrepans.

[9]) O[1] c[1] c[2] *perseverantem*, quod ad unum Acacium attineret. At ex epistolis 7 et 26, in quibus is locus ita enuntiatur *vel qui in eorum communionis societate permanserint*, liquet, praeferendum esse *perseverantes*, eoque verbo imprimis notantur Acacii successores, qui ab ejus communione secedere detrectarunt.

[10]) a[1] b c[7] c[10] *de in omnibus suis*, J[1] i[2] *omnibus suis et omnibus suprascriptis*. Restituimus cum mss. a[3] *et omnibus suprascriptis*. Quamquam mallemus *et omnium suprascriptorum* subaudito *sequacibus*, ut epistolis 7 et 26 e castigatioribus mss. est emendatum.

Digitized by Google

a. 519. sicut praediximus, sequentes in omnibus sedem apostolicam, et praedicamus omnia quae ab ipsa decreta sunt; et propterea spero in una communione vobiscum, quam apostolica sedes praedicat, me futurum, in qua est integra Christianae religionis et perfecta soliditas: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est in omnibus non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare[11]) tentavero, his quos condemnavi, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic vero professioni subscripsi mea manu, et direxi per scripta tibi Hormisdae, sancto et beatissimo fratri et papae magnae Romae, per supradictos Germanum et Johannem venerabiles episcopos et Felicem et Dioscorum diaconos et Blandum presbyterum. *Et alia manu.* Johannes misericordia Dei episcopus Constantinopolitanae novellae Romae, hac mea professione consentiens omnibus supradictis, subscripsi sanus in Domino[12]). Data mense Martio die 28[13]), indictione duodecima, consensu[14]) domini Justini imperatoris Augusti, Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 62

seu

a. 519 d. 22 April. acc. d. 19 Jun.

Exemplum epistolae Theodoriti episcopi Lignidensis[1]) ad Hormisdam papam.

Suam ei laetitiam de ecclesiis ad unitatem ipsius opera revocatis significat. p. 1.

Domino sancto, beato, praedicabili et adorando apostolico patri, Hormisdae papae urbis Romae, humilis famulus tuus Theodoritus.

Meae quidem exiguitatis non esset, tam magna praesumere, et ad vestrum pium sanctum apostolatum pusilli sermone praesentes parvulas destinare paginas. Sed quia pro insita vobis humanitate pio propitiationis animo omnia nutu Divinitatis protegere consuevistis, lucidum diem et totius festivitatis repletum omni reddidistis mundo, et omnia[2]) vestris praedicandis precibus ad pristinum uni-

---

[11]) G[1] J[1] a[1] b cc i[2] *dubitare.* a[3] correxit *deviare.*

[12]) J O c[1] c[2] i[2] add. *Ora pro nobis sanctissime et beatissime frater.*

[13]) G[1] a[1] b cc *die XXVII.* Verius J O i[2] *die vicesimo octavo*, utpote quum feria quinta hebdomadae sanctae, quae hoc anno 519 in 28 Martii diem incidebat, libellum a Johanne subscriptum legati in epistola 64 n. 2 testentur.

[14]) J O c[1] c[2] i[2] *consulibus domno Justino imperatore et Eraclio* (seu *Heraclio vv. cc. consulibus era DLVII*, corrupte.

62 [1]) G[1] *Litunidensis*, al. *Litanidensis.* Ex epist. 60 liquet, legendum esse *Lignidensis.* — Mox ed. *non esse tam.*

[2]) Ed. omitt. *omnia.* Mox b cc *veritatis* loco *unitatis.*

Digitized by Google

tatis revocastis statum, et in unum concordare vel subjugare vestris a. 519.
praedicabilibus et adorandis meritis annuistis. Ideoque etsi meis obrutus iniquitatibus et ab eis undique oppressus, ex ipsis[3]) recreatus infernis, recurrente ad gloriosa vestigia vestra confamulo meo viro religioso Pullione, usurpavi me tam per eum quam etiam his parvulis et exiguis[4]), vestris praedicandis et adorandis repraesentare vestigiis, divinum omnibus viribus exorans favorem, et clara voce cum omnibus omnino cantans: *Gloria in excelsis Deo, et in terra* Luc.
pax hominibus bonae voluntatis: qui pro sua incomprehensibili pietate 2, 14.
vestris mirificis precibus omnia illuminavit et liberavit, et lucidum et totius festivitatis repletum diem in toto orbe vestris Deo dignis precibus praestitit, et ab omni iniquitate eripuit, et omnem nodum colligationis absolvit, et omnem semitam aperuit. Hanc itaque gratulationis repletam pio vestro pacem[5]) offerens apostolatui, deprecor, uti pro meae flebilitatis exiguitate vestris piis precibus memores esse dignemini, domini sancti beati apostolici patres! Accepta XIII Calendas Julias, domino Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 63

seu

Exemplum relationis Andreae episcopi Praevalitani.

(a. 519 d. 22 April. acc. d. 19 Jun.)

p. 112. *Frustra quosdam Epiri novi episcopos, maxime illius archiepiscopum, contra unitatem simulasse; Scampinum et Lignidonensem episcopos nec non Constantinopolitanos ad pacem rediisse; epistolas illorum se hic adjungere.*

Domino semper meo beatissimo et apostolica sede intima veneratione praeferendo atque angelicis meritis coaequando patri patrum, papae Hormisdae Andreas.

Commendans me humillime vestigiis vestris piissimis, indico propter synodum Epiri novi, quoniam finxerunt anathematizare intra[1]) semetipsos aliquas personas. Hoc tantummodo ingenio usi

---

[3]) Ita G[1]. Ed. *ipsius*. Mox G[1] a[1] *gloriosa ... cum famulo meo*, b c c *religiosa*, omitt. deinde *cum*. Ubi haud dubitavimus corrigere *confamulo meo*, ex graeco *συνδούλῳ*, quomodo antiquis familiare est sese vocare *conservos, condiaconos, consacerdotes* et *comministros*.

[4]) Supple *paginis*, quod vocabulum vel librario excidit vel more etiamnum nostrae linguae usitato subauditur. Certe initio hujus epistolae Theodoritus *se parvulas* destinare *paginas* dicit. b c c add. *chartis*. Mox ed. *praesentare* (G[1] *me repraesentare*) ... *mirificis operibus*. Ibidem ut supra *exorans* loco *exhortans* correximus.

[5]) Ita G[1]. a[1] *preces*, b c c *pronius*. Malim *precem*.

63 [1]) G[1] a[1] *infra*, quod recte correxerunt b c c *intra*. Epistolae Epiri novae ad Leonem Augustum subscribunt metropolitanus Dyrrachinus, et episcopi Scampinus, Lignidi, Vallidi Apolloniadis, Aulonae, et secundum superiorem obser-

Digitized by Google

a 519. sunt, ut nos in sua malitia caperent. Quibus restitit divina Trinitas per vestras sanctas preces; et quum deprehensi fuissent in sua malitia, nunquam potuimus archiepiscopo suorum[2]) suadere, ut ad viam veritatis et ad vestra praecepta flecteretur[3]). Sed modo quum advenerunt beatissimi atque sanctissimi domini episcopi vel diacones directi a sancta corona vestra, occurrerunt illis Scampinus episcopus vir beatissimus Trojus cum omni gaudio et luminaribus: et, porrecto libello secundum vestram praeceptionem, statim recepti sunt in pace Christi, et missas celebraverunt cum ipso in Scampina civitate. Et videntes Lignidonenses[4]) quod fecit Scampinus, simili modo et ipsi secuti sunt. Nam dum istas litteras ordinaremus, supervenit magistrianus de urbe Constantinopolitana, qui nuntiavit, quia Deo propitio precibus sanctis vestris et Constantinopolitani miserunt anathema Acacio, et cum pace Pascha celebraverunt. Jam quid sequatur, vestra intercessio apud Deum laboret, ut ad perfectum servi sedis apostolicae inveniamur. Epistolas vero, quas destinaverunt ad meam humilitatem supra memorati viri beatissimi episcopi[5]), pietati vestrae junctas transmisi. Accepta die qua supra[6]).

Epistola 64

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Suggestio Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri.**

Quanto cum honore Constantinopoli suscepti, quanto cum gaudio ipsa feria V majoris hebdomadae secundum Hormisdae votum huic ecclesiae pax reddita sit, exponunt. Similia ecclesiae Antiochenae precanda. p. 112

1. Non miramur apostolatus vestri precibus cuncta nobis prospera successisse, scientes, quod amplius nostro ministerio vestra

---

vationem Praevalitanus. Atqui ex his papae voluntati ac votis ex animo consenserunt episcopi Scampinus et Lignidensis cum Praevalitano. Restat igitur, ut si qua fictio fuerit, in reliquos aut in eorum aliquem cadat. Nominatim vero archiepiscopus ipse mox notatur, cui, ut ex verbis epist. 59 n. 1 conjectura est, morem gerebat episcopus Aulonitanus.

[2]) Loco *suorum*, quod b c c supresserunt, graece, ut mea conjectura est, ferebatur *ἑαυτῶν*, hoc est *nostro*. Archiepiscopus seu metropolitanus Epiri novae, ut proxime observabam, erat Dyrrachinus.

[3]) b cc *verteretur*.

[4]) G[1] *Lychidinenses;* mox b cc *hunc dum* (pro *Nam dum*) ... *Jam quod*.

[5]) Unum conceptis verbis memoravit Trojum, sed Lignidonensium nomine episcopum Theodoritum etiam commemorasse censendus est. Epistolas a duobus illis episcopis ad se missas videtur hic indicare.

[6]) Hoc est in superiori epistola, in qua sola ex omnibus epistolis tunc temporis ad Hormisdam destinatis dies qua accepta est notatur. Hinc et superiorem epistolam huic proxime anteponi, non ut prius postponi debuisse, mihi persuasum est.

Digitized by Google

pro nobis elaboret oratio. Ita enim totus se ecclesiastici negotii (a. 519.)
tulit eventus, ut dubitari non possit beati Petri per singula provenisse miraculum: primum quod tantum in ipsis, qui dignitate funguntur, invenimus religionis ardorem, ut Vitalianus, Pompejus et Justinianus nobis occurrerent in decem millibus, et de adventu nostro cum vestra gratiarum actione gloriari non arbitrarentur indignum; deinde quod tanta fuit etiam in plebe devotio, ut pars maxima populorum cum cereis simul et laudibus vestris nostrum praestolaretur adventum. Sub hac itaque celebritate secunda feria hebdomadae majoris Constantinopolim sospites hilaresque convenimus, posteroque die piissimo principi praesentati, tanto ejus relevati sumus affectu, ut si alia minime praecederent, sola nobis ad solatium piissimi principis gratia suffecisset; sed orationibus vestris majora secuta sunt. Nam eo die sub senatus cuncti praesentia episcopi quoque quatuor adfuerunt, quos Johannes Constantinopolitanus antistes pro partis suae defensione transmiserat, quibus apostolicae sedis libellum ostendimus, omniaque in eo recta[1]) canonicaque esse probavimus.

2. Postremo quinta feria, hoc est in coena Domini, ad palatium in generali conventu venit episcopus, et perlecto libello consentiens cum summa devotione subscripsit. Quis explicet, quanta illic principis pariter ac senatus laetitia fuerit, quas ibi lacrymas gaudia pepererint, quas voces vel in laudem principis vel in sedis vestrae, totius coetus et cleri favor emisit? Explicari haec relatione non possunt, sed considerationi vestrae portitorique relinquimus, quod eloqui non valemus. A palatio in ecclesiam summa cum celebritate pervenimus, ut fidei animorumque concordiam sollemnis communionis[2]) quoque celebritas roboraret. Vix credi potest, quis fletus laetantium, quae immensitas fuerit exundatioque populorum: ipsa suam laetitiam turba mirabatur. Nec dubitari poterat, manum adfuisse coelestem, quae talem mundo contulit unitatem. Acacii praevaricatoris anathematizati nomen de diptychis ecclesiasticis, sed et ceterorum episcoporum, qui eum in communione secuti sunt, sub nostro conspectu significamus erasos. Anastasii quoque ac Zenonis nomina similiter ab altaris recitatione submota. Pax est orationibus vestris Christianorum mentibus reddita: una totius est Ecclesiae anima, una laetitia; solus luget humani generis inimicus, vestrae precis expugnatione collisus.

3. Orate, ut Antiochenam quoque similis felicitas illustret ecclesiam, de cujus antistite adhuc tractatus nutare conspicitur; quoniam inter diversa vota populorum de personae electione non constat. Credimus tamen, quod precibus beatitudinis vestrae de ipsa

---

64 [1]) G[1] a[1] *recte canonica esse*, et inferius *perlectum libellum*.
[2]) Ita G[1] a[1]. Al. omitt. *communionis*, moxque *mirabitur*.

Digitized by Google

(a. 519.) quoque velociter ordinatio digna proveniat, ut coepta pax temporibus vestris per omnem mundum pariter dirigatur, et cunctis in apostolicam partibus communionem fidemque convenientibus perfecte, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.

Epistola 65

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Suggestio Dioscori diaconi per Pullionem subdiaconum.**

Quae Thessalonicae, quae Constantinopoli sint gesta (n. 1—5); de ecclesiae Antiochenae statu; qua ratione episcopo Constantinopolitano ab Hormisda rescribendum sit, consilium interponit.

1. Ineffabilis Dei omnipotentis misericordia et pietas ejus, quam super humanum genus clementer effundit, humanis viribus aestimari non potest nec sermonibus explicari; sed sufficit ejus tantum mirabilia[1]) devotis sensibus admirari, et scire omnia bona de ejus tantum gratiae pendere remediis. Est ista quotidiana probatio; audacter tamen praesumo dicere, domine meus beatissime papa, quia praesens causa praeterita cuncta transcendit, quam Deus vestris temporibus et meritis reservavit. Quid in Aulone[2]) sit actum, quid Scampis, quid Lignidi fuerit subsecutum, anteriore significatione suggessi. Ad Thessalonicam pervenimus; quas intentiones[3]) habuerimus cum episcopo Thessalonicensi, et quae dicta fuerint vel etiam constituta, harum portitoris viva insinuatione discetis. Quod tamen non oportet praeterire silentio, insinuare non differo. Post multa certamina praefatus episcopus ratione convictus libellum subscribere voluit. Sed quia episcopi, qui sub ejus sunt ordinatione constituti, omnes non aderant, in praesenti hoc convenit, hoc promisit, ut post dies sanctos[4]), uno ex nobis a sede Constantinopolitanae urbis directo, episcopis congregatis, qui in ejus sunt dioecesi constituti, libellum subscriberent; quod cum Dei adjutorio credimus esse complendum. Haec sunt Thessalonicae constituta.

2. Vestris orationibus commendati ad Constantinopolitanam

---

65 [1]) Ita G[1] a[1]. Al. *consilia.*

[2]) G[1] *in Aulana.* Notantur hic sup. epistolae 59 et 60, quia vix credendum, Dioscorum etiam seorsim de illis rebus ad pontificem retulisse.

[3]) H. e. *concertationes.* Quocirca et mox subdit: *Post multa certamina.* Thessalonicensem ecclesiam tum regebat Dorotheus, cujus est superior epistola 3. nec non infra epist. 128.

[4]) Vel Quadragesimae, ut interpretatur Baronius, vel potius Paschae. *Paroeciae* vocabulum pro provincia metropolitano subjecta frequens superius advertimus. Hic vero, quia Thessalonicensi antistiti non tantum episcopi sed et metropolitani plures parebant, apte Dioscorus coetum illum provinciarum praesuli huic subditarum *dioecesim* mox vocat.

Digitized by Google

pervenimus civitatem feria secunda hebdomadis authenticae[5]). De- (a. 519.)
cimo ab urbe praedicta milliario[6]) sublimes et magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos sunt magister militum Vitalianus, Pompejus et Justinianus; secuti[7]) sunt et alii senatores, multique catholicae fidei calore ac desiderio redintegrandae pacis ardebant. Quid plura? Cum summis pene omnium gaudiis ingredimur civitatem.

3. Alia die, quae est tertia feria, piissimi principis praesentamur adspectibus: cunctus illic aderat senatus, in quo conventu erant et episcopi quatuor, quos episcopus Constantinopolitanus pro sua persona direxerat. Obtulimus beatitudinis vestrae litteras, quas clementissimus princeps cum grandi reverentia suscepit. Dicta sunt, quae ante examinationem causae oportuit intimare: mox causa coepta est. Hortabatur nos clementissimus imperator, hoc dicens[8]): *Videte civitatis hujus episcopum, et invicem vobis pacifico ordine reddite rationem.* Nos e contra respondimus: *Quid imus ad episcopum certamina facere? Dominus noster beatissimus papa Hormisda, qui nos direxit, non nobis praecepit certare; sed prae manibus habemus libellum, quem omnes episcopi volentes sedi apostolicae reconciliari fecerunt*[9]*): si praecipit pietas vestra, legatur; et si est in ipso, quod ignoretur aut verum esse non credatur, dicant, et tunc ostendimus nihil extra judicium ecclesiasticum in eodem libello esse conscriptum; aut si illi possunt docere, quia non convenit religioni catholicae, tunc nobis incumbit probare.* Relectus est libellus sub conspectu principis et senatus. Nos statim subjunximus: *Dicant praesentes quatuor episcopi, qui adsunt pro persona Constantinopolitani episcopi, si haec quae in libello leguntur, gestis ecclesiasticis minime continentur?* Responderunt omnia vera esse. Post quae nos subjunximus: *Domine imperator, et nobis grandem laborem episcopi abstulerunt, et sibi convenientem rem fecerunt dicere veritatem.* Mox clementissimus imperator his qui aderant dixit episcopis: *Et si vera sunt, quare non facitis?* Similiter et aliquanti de ordine senatorio dixerunt: *Nos laici sumus; dicitis haec vera esse: facite, et nos sequimur.*

4. Intermissa quarta feria episcopus Constantinopolitanus in

---

[5]) I. e., ut ipse Dioscorus cum aliis legatis in proxima epistola n. 1 loquebatur, *hebdomadae majoris.*

[6]) Seu, ut in epistola superiori 64 n. 1 diserte enuntiatur, *decem millibus.* Ex eoque conficitur *milliaria decem* et *decem millia* synonyma esse.

[7]) b cc verbis *secuti sunt* omissis subinde *cunctique catholicae ... fidei ardore.*

[8]) Imperatorem hoc dicturum prospiciens Hormisda, quid ei respondendum esset, epist. 49 n. 2 praescripserat. Porro imperator in conspectum suum legatos sine regiae urbis episcopo venire permittens, nonnihil remisit ab illa consuetudine, quae, ut epist. 7 n. 7 vidimus, *per episcopum Constantinopolitanum omnes imperatori episcopos praesentari* volebat.

[9]) b *facient*, ad marg. *fecerunt*, quod perinde est atque *exscripserunt et subscriptione sua ratum habuerunt.*

Digitized by Google

(a. 519.) palatio consuscepit[10]) a nobis libellum, et imprimis quasi tentavit epistolam potius facere quam libellum. Sed non post multa certamina hoc convenit, prooemium modicum facere, et subjungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictavit. Subscriptio ab eodem facta est libello conveniens, similiter et datarium, cujus
ep. 61. exemplaria et graece[11]) et latine apostolatui vestro direximus. Post factum libellum nomen Acacii de diptychis est deletum, similiter et Flavitae, Euphemii, Macedonii et Timothei[12]): et non solum hoc in ipsa sola ecclesia, in qua episcopus manet, verum etiam per omnes ecclesias cum grandi diligentia Deo adjutore suggerimus fuisse factum. Similiter deleta sunt de diptychis Zenonis et Anastasii nomina. Episcopi diversarum civitatum, quanti inventi sunt, libellum similiter obtulerunt: et cum grandi cautela suggerimus custoditum, ne quis nobiscum communicaret episcopus, qui libellum primitus non dedisset. Pari modo et omnes archimandritae fecerunt. Apud quos archimandritas et certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis: *Sufficit, quia archiepiscopus noster fecit; nos factum ejus sequimur.* Quid amplius? Post multa certamina ipsi quoque ratione convicti libellos modis omnibus obtulerunt.

5. Post haec omnia Deo juvante in[13]) ecclesiam processimus: et qualia gaudia facta sint unitatis, et quemadmodum Deus benedictus sit, quae laudes quoque beato Petro apostolo et vobis relatae sunt, ipsius actionis consideratione perspicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil est subsecutum secundum vota inimicorum, non seditio, non effusio sanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea praedicebant. Ipsi quoque ecclesiastici Constantinopolitani admirantes et Deo gratias referentes dicunt, nunquam se meminisse nullis[14]) temporibus tantam populi multitudinem communicasse.

6. His adimpletis etiam clementissimus imperator ad beatitudi-
ep. 66. nem vestram sua scripta subjunxit, ordinem rei gestae significans,

---

[10]) b c c *suscepit.* G[1] *cum suscepit,* quae lectio expuncta deinde proxima particula *et*, non displiceret; nisi forte *consuscepit* legendum, quod correximus.

[11]) Exstant tantum latine, et ex alia quidem interpretatione ab ea, quae a Dioscoro missa fuerat, ut in ipsam Johannis epistolam 61 observavi.

[12]) Quotquot nimirum Acacio in sede Constantinopolitana extra sedis apostolicae communionem successerant.

[13]) a[1] *in ecclesia.* Post verba autem *in ecclesiam processimus* subauditur *missarum sollemnia celebraturi,* usitato scil. tunc loquendi more, quo missarum celebratio simplici *processionis* nomine designari solebat. Hinc intelligitur et quod subjicitur: *nullis temporibus tantam populi multitudinem communicasse*, h. e. sacrum Christi corpus in communionis indicium percepisse.

[14]) Legendum cum b c c *ullis*, nisi forte Dioscorus Graecorum testimonium referens, graecam etiam retinuerit phrasim, qua duplex negatio majorem affirmandi vim obtinet.

Digitized by Google

similiter et vir reverendissimus Johannes Constantinopolitanae civi- (a. 519.)
tatis antistes. Noveris etiam et sacra generalia esse dicta[15]), atque ep. 67.
credimus Deo propitio et vestris sanctis orationibus per universas provincias quantocius destinari. Haec Constantinopoli gesta sunt. Et nunc de Antiochena ecclesia tractatur, et ideo adhuc laboratur, quia necdum persona congrua est electa. Oret ergo beatitudo vestra intentius, ut Deus, qui vestris precibus exoratus Constantinopolitanam ecclesiam apostolicae sedi restituit, ipse et dignam personam donet in Antiochia ordinandam, et assiduas adunet ecclesias. Rescribite episcopo Constantinopolitano. Si videtur beatitudini vestrae, facite mentionem damnationum Severi et illorum, quos nominastis in epistola illa, quam scripsistis ad secundam Syriam per Johannem ep. 40.
et Sergium monachos, hoc ipsum[16]) et ad imperatorem rescribentes. Si feceritis, videtur mihi necessarium esse.

Epistola 66

seu

Sacra Justini ad Hormisdam papam. a. 519 d. 22 April.

p. 112. *Omnia Constantinopoli secundum Hormisdae votum ordinata, ac generalia praecepta in ceteras regiones eadem de causa destinanda a se edicta esse, nuntiat.*

Victor Justinus, pius, felix, inclitus, triumphator semper Augustus, Hormisdae sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo et patriarchae.

Scias effectum[1]) nobis, pater religiosissime, quod diu summis studiis quaerebatur; noveris patefactum, antequam advenerint qui a vobis destinati sunt: quod Johannes vir beatissimus antistes novae Romae nostrae[2]) una cum clero ejus vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis divisi dicordiis; scias libellum ab eo sub-

---

[15]) b cc *edita;* G[1] a[1] *dicta*, i. e. jam dictata vel conscripta esse. Non displiceret *edicta*, secundum illud Justini in epistola sequenti: *Destinanda ubique principalia praecepta ediximus.* Quo respiciens Hormisda epist. 80 n. 5 imperatorem de mittendis, prout pollicitus erat, *edictis* monendum esse docet. Hoc ideo nuntiant legati, ut ne id quidem a se omissum significent, quod Hormisda epist. 49 praeceperat his verbis: *haec omnia si Deo fuerint volente completa, imperatorem rogate, ut destinatis sacris per metropolitanos episcopos etc.;* quippe quum generalia sacra jam dicta seu conscripta sint et quamprimum destinanda.

[16]) Ita correximus, quod ante *ipsum det ad;* nisi quis maluerit *ipsud et ad.*

66 [1]) Ita G[1] J O cc, nisi quod J O cc *et quod ... et antequam.* Teste Hueffero („Beiträge zur Gesch. d. Quellen d. Kirchenrechts" Bonn. 1862 pag. 108) Colb. Polyc. *studiis patet strictum*, Ans. XII, 31 *affectu ... studiis occultabatur patefactum et antequam ... a nobis ... clero vobis consentiunt ... judicaveras. Negatum est ab eis memoriam etc.*

[2]) Ita G[1] J i[2] a[1]. c[1] c[2] *noster*, al. ed. *vestrae.*

Digitized by Google

a. 519. scriptum[3]), quem offerendum indicaveras, sanctissimorum patrum concilio[4]) congruentem. Omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestrae[5]) quam Constantinopolitanae sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat; omnes accelerant libentissime, quos oblectat via dilucida; sequuntur scita patrum sanctissima, leges probatissimas: et consiliis quorumdam firmatis, qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, ut unitatem individuae Trinitatis ipsi quoque unitate[6]) colant mentium. Negatum est inter divina mysteria memoriam in posterum fieri pro tenore libelli, quem diximus, Acacii praevaricatoris quondam regiae urbis hujus episcopi, nec non et aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt apostolica vel successores erroris facti sunt et nulla usque ad ultimum diem suum poenitentia correcti. Et quoniam omnes nostrae[7]) regiones admonendae sunt, ut exemplum imitentur civitatis regiae, destinanda ubique principalia praecepta ediximus[8]); tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicae fidei pro remuneranda coelitus pace nostrae reipublicae, pro conciliando subjectis meis superno praesidio. Quid enim gratius reperiri potest, quid justius, quid illustrius, quam quos idem regnum continet ejusdemque fidei cultus irradiat, eos non diversa contendere, sed collectis in eodem sensibus instituta venerari non humana mente lata[9]) sed divini prudentia Spiritus? Oret igitur vestrae religionis sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia ecclesiarum catholicae fidei procuratur, divini muneris opitulatio jugi perpetuitate servari annuat. Data[10]) X Calendas Maji Constantinopoli.

Epistola 67

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Exemplum relationis episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam.**

Dei munere datum esse principem multis ex partibus, praeprimis studio unitatis

---

[3]) β *scriptum.* Respicit imperator ad superiorem epistolam 61, in qua libellum, quem Hormisda destinavit, a Johanne et *scriptum* et *subscriptum* habemus.

[4]) JO β (sec manu) *consilio.* Vulgatae tamen lectioni magis favet illud epistolae superioris 65 n. 3, ubi legati lecto libello interrogant: *Si haec, quae in libello leguntur, gestis ecclesiasticis* (hoc est synodalibus) *minime continentur?*

[5]) Ita G[1] J[1] J[2] a[1] i[2]. b cc *vestra.* O c[1] c[2] *nostrae.*

[6]) O c[1] c[2] *in unitate.*

[7]) Iidem *nostrae religionis admonendi sunt.* Sequimur G[1] J i[2].

[8]) Ita K[3] O[2] O[5] O[6] c[1] c[2] a[3]. — J β i[2] a[1] seq. *duximus.* J[1] J[5] J[6] O[3] *diximus.*

[9]) J O β c[1] c[2] *inlata, sed in divinae providentiae Spiritu.*

[10]) Nota illa chronica, quae in a[1] b desiderabatur, suppletur ex aliis editis atque omnibus nostris mss. Hujus beneficio quando et Pullio Constantinopoli profectus sit et tot illi litterae Romam perferendae datae sint, comperimus.

Digitized by Google

ecclesiarum commendatum; unde veteris et novae Romae plenam restitutam esse concordiam; legatorum Hormisdae commendatio. (a. 519.)

Domino meo per omnia sancto et Deo amabili fratri et comministro Hormisdae Johannes in Domino salutem.

1. Quando Deus propria mirabilia in suis operatur, tunc oportet ea, quae divinis litteris continentur, ipsius Scripturae vocibus fiducialiter exclamare: *Quis loquetur potentias Domini aut auditas faciet omnes laudes ejus in omni tempore?* Ecce enim talem pium principem Romanae reipublicae suscitavit, quali multo ante et catholicae[1]) indigebant ecclesiae, et omne genus hominum videre cupiebat. Ideoque ita etiam cornu[2]) gratiae super eum coelitus declinavit, ut affluenter in sacrum ejus caput misericordia funderetur: omnesque[3]) annuntiationis ejus tempore cum magna voce Deum omnium principem glorificaverunt, quoniam talem verticem meis manibus tali corona decoravit. Psalm. 105,2.

2. Is vero maximus imperator primam suorum certaminum palmam devicto inimico evidenter ostendit; secundum virtutis ejus meritum, adunationem sanctissimis ecclesiis sapientissime comparavit; regni ejus tertium bonum, dissipata conjunxit et pacem mundi sapientissime procuravit. Idcirco in omnibus Deo magno gratias referens cuncta sapientissime gubernanti, annuntiare tibi pacem pacis filio nuntiavi[4]), in omnibus Deo amantissime: ut illud gaudium salias, quo David quidem secundum legem in arcae Dei revocatione figuraliter exsultabat, apostoli vero per gratiam veraciter laetabantur. Gaude itaque in Domino gaudium tuae conveniens sanctitati, et scribe ea, quae vestrum benignum animum decent, homo Dei! Nam quae fuerant divisa, conjuncta sunt, et dispersa collecta sunt; et quae longe erant, sibi invicem adunata sunt; et, sicut oportet dicere et olim scripsi, utrasque ecclesias tam senioris quam novae Romae unam esse evidenter intelligens, et utriusque earum unam[5]) sedem recte esse definiens, indivisibilem adunationem et utriusque nostrum

---

67 [1]) Ita G[1]. Editi *catholica indigebat ecclesia.*

[2]) b *coronam*, verius alii libri *cornu*, scil. olei, quo inauguratus est, quodque gratiae et misericordiae affluenter effusae symbolum fuit.

[3]) Editi *omnique*, G[1] *omnisque*. Dubium non est, quin praeferendum sit *omnesque*. Deinde loco *annuntiationis* mallem *inunctionis*. Mox ed.. *regnum.*

[4]) Magis arrideret *festinavi* aut quid simile.

[5]) Fidei scilicet et concordiae unitate, ut jam ex utraque non duae divisae sed una et in unum conspirans sit sedes. Confer et ep. 61 n. 1, ubi Johannes similia loquitur. Dixit longe antea s. Cyprianus de unit. Eccl.: *Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* — Ibidem ed. *diffiniens ... utriusque nostrorum.*

Digitized by Google

(a. 519.) consonam confirmationem cum judicii integritate cognosco. Unde rogo Deum semper eam inseparabilem permanere orationibus sanctorum apostolorum et tuae precibus sanctitatis, per quas donari nobis et universo mundo clementissimum et Christianissimum principem Justinum et piissimam ejus conjugem nostram autem filiam Euphemiam in pace multis temporibus comprecatur, per omnia beatissime et[6]) carissime frater.

3. Gavisi igitur de praesentia reverendissimorum episcoporum nec non et clericorum vestrorum, gratias agimus, quoniam secundum petitionem nostram tales pacificos viros et vestrae dignos sedis apostolicae destinastis, regulam patrum sine confusione servantes fidemque indivisam custodientes. Quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad satisfactionem vestrae egimus sanctitatis. Omnem in Christo fraternitatem, quae cum vestra est sanctitate, ego quoque et mei plurimum salutamus.

Epistola 68

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Exemplum epistolae Justiniani comitis ad Hormisdam papam.**

Perfectum esse nuntiat, quidquid Hormisda per legatos mandavit. Imperatorem, rempublicam seque ipsum illius precibus commendat.

Domino meo sanctissimo Hormisdae primae archipontifici et papae urbis Romae Justinianus comes salutem.

Veneranda[1]) sanctitatis vestrae praedicatio regularum, quae Christo Deo pro ecclesiarum pace et pro plebis concordia jugiter supplicat, quidquid nunc per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitia Divinitate cuncta effectui sociata sunt, nulla prorsus quorumdam valente discordia. Igitur vestris sacris orationibus ac praeceptionibus orthodoxorum fide muniti, supplices petimus, uti pro sanctissimo Augusto nostro, totius fidei fautore, proque ejus republica, pro nobis quoque mandatorum vestrorum custodibus, aeterno Regi consueti impetrabiles preces offerre dignemini, nosque vobis fideliter supplices vestris salutiferis rescriptionibus visitare.

Epistola 69

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Exemplum epistolae Pompeji ad Hormisdam.**

Imperatorem ac se ipsum illius precibus commendat.

Domino meo beatissimo et apostolico patri Hor-

[6]) Ed. omitt. *et carissime.*

68 [1]) Ed. *Venerandae ... ut hi pro sanctissimo.*

Digitized by Google

misdae archiepiscopo[1]) universali Ecclesiae (a. 519.)
Pompejus[2]).

Sanctis beatitudinis vestrae precibus omnipotentis Dei pietas exorata tantae nobis fidei principem condonare dignata est, ut religiosissimis clementiae ejus meritis redintegratio pacis ecclesiasticae, quae votis omnium fidelium poscebatur, jure videatur esse collata; in cujus regis proventu solidissima principatus sui fundamenta sancti Spiritus operatione constituit, quae tantum robur obtinent stabilitatis invictae, quantum actionis excellentia unica et admirabilis aestimatur. Et ideo reverendam vestri pontificatus beatitudinem cultu reciprocantis alloquii salutantes quaesumus, ut magis magisque pro clementissimi atque invictissimi domini nostri principis prosperitate orare dignemini, quatenus ineffabilis omnipotentis Dei pietas sua dona, in quibus etiam fructus vestrae agricolationis exuberat, justis gratiae opitulatione custodiat: nobis quoque filiis vestris spirituali vobis conglutinatis affectu, quos hujus operis maxime semper sollicitudo constrinxit, suffragatrix intercessio sanctimoniae pontificalis assistat.

Epistola 70

seu

Exemplum epistolae Anastasiae ad Hormisdam. (a. 519 d. 22 April.)

Imperatorem concordiam pacis ecclesiis restituisse; ut pro illius salute, pro conjuge, pro sobole, pro se ipsa preces Hormisda ad Deum fundat.

Domino sancto et beatissimo patri patrum Hormisdae archiepiscopo universali Ecclesiae Anastasia[1]).

Divini muneris[2]) illuxisse nobis gratiam merito profitemur, apostolatus vestri reverentiam in sancto corde nostri tenere memoriam, paginali assertione noscentes. Veraci namque spe confidimus, supernae misericordiae propitiationem de pontificali intercessione subsistere, domine beatissime et apostolico honore suscipiende pater! Pervigiles vestrarum orationum excubiae et miranda victoriosissimi

---

69 [1]) Ita hic ut epist. 70 latine videtur conversum, quod graece ferebatur *ἀρχιεπισκόπῳ οἰκουμενικῷ*. De eadem locutione quae ad epistolae 39 inscriptionem observata sunt, repete.

[2]) Is erat Anastasii Augusti ex sorore nepos, cujus ut et Hypatii fratris infelix exitus a Procopio de bello Persico I, 24 describitur. Quocirca Cyrillus in vita s. Sabae eum imperatoris consobrinum vocat. Uxorem habebat eodem Cyrillo teste Anastasiam cognatam Julianae, quae ipsius Pompeji consobrina in hist. miscell. lib. 15 appellatur.

70 [1]) Pompeji, cujus est superior epistola, ut in eam observavimus, uxor.

[2]) Ed. *luminis*, moxque G[1] a[1] *confiditur*, deinde ed. *exspectatam*.

Digitized by Google

(a. 519.) principis fides splendore catholico semper irradians diu expetitam sacrosanctis ecclesiis concordiam pacis restituit, quam omnibus triumphis suis solidissime firmatis invictum[3]) jure exsultat praecoluisse vexillum. Ideoque illibata vestrae paternitatis sanctimonia pro incolumitate atque prosperitate praedicti domini nostri Augusti vota precesque omnipotenti Deo offerre indesinenti continuatione persistat: ut ineffabilem tantorum bonorum gratiam, quam ipse piis ejus sensibus inspiravit, ad futurae quoque beatitudinis profectum conservare dignetur. Domino etiam jugali filio vestro et mihi peculiari cultrici vestrae, cum sobole, quam nobis Dominus donare dignatus est, a vestro pontificatu oratio benigniter impendatur, cujus suffragio divini favoris protectio nobis clementer adspiret.

Epistola 71

seu

(a. 519 d. 22 April.) **Exemplum epistolae Julianae Aniciae ad Hormisdam.**

Constantinopolitanos in die sanctae resurrectionis ad ubera materna Ecclesiae congregatos esse; ne permittat Hormisda legatos abscedere, donec pax omnino firmata sit.

Domino beatissimo patri Hormisdae Juliana[1]) Anicia.

Precibus vestrae beatitudinis, adventu legatorum principalis sedis apostolicae elisis erroribus haereticorum, in unitatem fidei catholicae convenimus, congregati simul ad ubera materna Ecclesiae in die sanctae resurrectionis. Quapropter stilo venerationis alloquentes sanctitatem vestram, admonemus, ut intimetis destinatis a vobis reverendissimis viris, nullo modo abscedere, antequam, sicut praeviderit ut oportet, firmentur ea quae bene disposita sunt ab eis: ut, amputatis omnibus reliquiis transacti[2]) erroris, impendiis vestrae beatitudinis roborata unitas ad effectum perpetuum deducatur.

Epistola 72.

a. 519 d. 25 April. **Hormisdae papae ad Germanum et socios.**

De eorum incolumitate et rebus gestis certior fieri cupit. p. 112

Hormisda Germano et Johanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis et Blando presbytero.

Opinionum diversitas diu nos facit de prosperitate vestra vel

[3]) Orationis series postulare videtur *invicto ... vexillo.*

71 [1]) Pompeji, ut ad epist. 69 est annotatum, consobrina et uxoris ejus Anastasiae cognata, cujus praeclarum quoddam facinus Gregorius Turon. lib. de glor. mart. l. I c. 103 commendat.

[2]) G[1] *transiti.*

Digitized by Google

de susceptae actionis qualitate sollicitos, praecipue quum nihil certum tam diuturno tempore vestrae dilectionis potuissemus rescriptione cognoscere. Nos tamen reperta latoris occasione haec ipsa significare maluimus. Quapropter salutantes, cum Dei omnipotentis auxilio incolumes nos esse cognoscite, quod et de vobis audire desideramus. Sed ut de omnibus, quae gesta sunt, nostram plenius possitis instruere notionem, a quibus personis vel in quibus locis bene, sicut credimus, suscepti fueritis, vel ubi aut sub qua festivitate resurrectionis dominicae caritas vestra tenuerit diem, et quid deinceps egeritis, per omnia rescriptis currentibus declarate: quatenus nostram[1]) cogitationem de vestra et actuum prosperitate relevare possitis, et si quid instructioni quam suscepistis causae defuerit, subjungere cum Dei nostri solatio valeamus. Data VII Calendas Majas, Eutharico viro clarissimo consule. a. 519.

Epistola 73.

Hormisdae papae ad eosdem.

a. 519 d. 29 April.

Suam de eorum gestis sollicitudinem Paulino defensore misso significat.

Hormisda quibus supra.

Animus noster diuturna redditur exspectatione sollicitus: praecipue ad tantum principem destinati, sub celeritate nos certiores debuissetis efficere. Nam ante[1]) diem ascensionis dominicae litteras vestras credebamus nos posse suscipere. Idcirco tam vestrae sospitatis indicia quam profectum causae, quam peragendam cum Dei nostri juvamine suscepistis, desideramus agnoscere. Paulinum ecclesiae Romanae defensorem cum scriptis praesentibus destinare curavimus, tam principi litteras, quam singulis, quibus oportuit, dirigentes. Quapropter Deum nostrum congruis precibus oramus, ut ipse salutem vestram sua propitiatione custodiat, et causae qualem desideramus concedere dignetur effectum: quia nihil majus inter titulos optimi imperatoris adscribitur, quam si eum ecclesia Graeca praesens et futura praedicare mereatur pacis auctorem. Data III Calendas Majas, Eutharico viro clarissimo consule.

---

72 [1]) Ed. *vestram cogitationem ... revelare possitis.* Collatione facta hujus loci cum hoc altero epist. 74 (*quod et facere pro nostrae cogitationis relevatione debetis*) emendantur.

73 [1]) Quum Pascha hoc anno in diem 31 Martii incidisset, *Ascensionis* sollemnitas Maji dumtaxat 9 die celebranda nondum affulserat, quum haec scriberet.

Digitized by Google

Epistola 74.

a. 519 d. 29 April.

Hormisdae papae ad eosdem.

Gestit doceri de iis, quae perfecerint, ac Stephanum negotiatorem eis commendat.

Hormisda legatis nostris quibus supra.

Necesse est, ut vel de injunctae actionis statu vel de vestrae dilectionis cogitemus absentia, et pro his rebus sollicitudo nostra non patitur scribendi quaslibet occasiones omittere. Antehac per magistrianum, qui in Symmachi patricii remeavit obsequium, litteras caritati vestrae direximus, hortantes, ut nos de universis, quae in causa ecclesiastica gesta sunt vel geruntur, non omitteretis instruere; quod et facere pro nostrae cogitationis relevatione debetis. Nostri enim voti est, ut labori vestro Deus omnipotens desideratum concedere dignetur effectum. Stephanum negotiatorem, per quem vobis nostra contradentur alloquia, in quo ratio poposcerit, competentibus solatiis adjuvate, quia hunc semper nostrum fuisse recolitis. Data eodem die.

Epistola 75

seu

a. 519 d. 30 Maj.

Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam papam.

Quotidie a diversis episcopis libellos satisfactionis offerri; ad scandalum in Ephesina civitate removendum imperatorem invocatum; Antiochiae Paulum quemdam episcopum ordinatum (*n.* 1). *Novos tumultus excitari a Scythis monachis unum de Trinitate crucifixum dici volentibus; in qua sententia virus haereticum latere explicat* (*n.* 2 *et* 3).

1. Verum est, nulla esse gaudia magnopere spiritualia, a quibus ex toto tribulatio possit esse separata. Gaudemus de unitate Constantinopolitanae ecclesiae, quae facta est cum sede apostolica: laetamur quotidie diversorum episcoporum libellos nobis satisfactionis offerri. Modicum in Ephesina civitate contigit scandalum, ubi contempta est et injuriata synodus Calchedonensis. Est invocatus clementissimus imperator hoc corrigere, quod et sperat cum Dei adjutorio fieri. Nunc, etsi post labores, etsi post intentiones plures, Antiochena ecclesia ordinata est; electus est quidam Paulus [1]) nomine presbyter Constantinopolitanae ecclesiae, quem huic honori aptissi-

---

75 [1]) Qui nimirum recipiendis peregrinis, ut Theophanes pag. 141 (ed. Bonn 255) auctor est, in Eubulorum domo praepositus erat. Justini auctoritate electus in epistola sequenti n. 2 narratur, quum prius Severus, qui hanc in sedem invaserat, Antiochia fugisset. Hunc quippe, ut Evagrius IV, 4 tradit, imperator comprehendi, immo et poscente Vitaliano abscissione linguae plecti jusserat, ejusque rei exsecutionem demandarat Irenaeo, qui tum comes Orientis Antiochiae residebat.

Digitized by Google

mum imperatoris testimonio comprobatum est. Voluerunt et ten- a. 519.
taverunt hic[2]) eum ordinare. Ego jussionis vestrae non immemor contradixi, dicens: *Jussit dominus noster beatissimus papa secundum antiquam consuetudinem ibi eum episcopum ordinari.* Hoc obtinuit, quod praecepistis. Orate, ut Deus precibus apostoli Petri et ipsam civitatem cum pace faciat electum suscipere sacerdotem.

2. Et quia ista aguntur et in his quotidie proficit Ecclesia catholica, insidiator antiquus suscitavit monachos de Scythia, qui de domo magistri militum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis adversarios, quorum inquietudo non parvas moras generavit unitati ecclesiarum et magnopere de praedictae ecclesiae Antiochenae ordinatione. Isti monachi, inter quos est Leontius, qui se dicit esse parentem[3]) magistri militum, Romam festinant, sperantes aliquanta capitula a beatitudine vestra confirmari. Est in ipsis inter cetera, ubi volunt dicere *unum de Trinitate crucifixum:* quod est nec in sanctis synodis dictum nec in epistolis sancti papae Leonis nec in consuetudine ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones aut scandala non mediocria nasci inter ecclesias. Istud Anastasius[4]) imperator magnopere catholicis imponere festinavit:

---

[2]) Scil. Constantinopoli. Molitioni huic intercessit Dioscorus jussu Hormisdae, qui Simplicii epistolae 15 n. 3, quam consulere juverit, non immemor, id ei ne pateretur praeceperat. Nempe ut Constantinopolitani antistites intenti erant, ut jus quod actione 16 Calchedonensis concilii ipsis attributum erat, non solum usu firmarent, sed et in alienas ecclesias protenderent, ita nihil omittebant Romani pontifices, quo hos eorum conatus infringerent.

[3]) H. e. Vitaliano militum magistro, quem Scytham Marcellinus in chronico semel et iterum vocat, cognatione conjunctum. Hinc Dioscorus, quod Leontio conveniebat, etiam sociis ejus attribuens, monachos illos de domo Vitaliani proxime dixit. — Mox ed. *aliqua capitula ... permittuntur fieri.*

[4]) In Zenonis henotico, quod Anastasius pertinaci animo propugnabat, apud Evagrium III, 14 legere est: *Trinitas semper mansit Trinitas, etiam dum unus ex Trinitate Deus Verbum incarnatus est* (*καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς τριάδος θεοῦ Λόγου*), vel ut latine reddidit Liberatus c. 18: *Mansit enim Trinitas, et incarnato uno de Trinitate Deo Verbo.* Quae quidem verba praedicti monachi in epistola ad Afros cap. 4 exscribere affectant in hunc modum: *Trinitas etiam post incarnationis mysterium Trinitas mansit: quia idem Deus Verbum etiam cum propria carne unus est ex Trinitate.* Vel propter hanc igitur sententiae hujus cum henotico affinitatem ab ea admittenda Dioscorum primum abhorruisse, minime mirum est. Sed et eadem favebat impietati Petri Fullonis, qui quum Antiochiam ingressus Trisagio addidisset *Rex Christe qui pro nobis crucifixus es*, subinde Theophane pag. 115 (ed. Bonn. 207) teste, sublato *rex Christe,* mortem Trinitati adscripsit. Et quidem Anastasius henotici primum assertor ad suscipiendum Fullonis additamentum non sine gravi populi scandalo paulatim inductus est. Ut enim memoriae prodidit Evagrius III, 44, *quum imperator Anastasius in hymno Trisagio has voces adjicere voluisset „qui crucifixus es pro nobis", gravissima seditio exorta est, perinde quasi Christiana religio everteretur.* Deterrebat praeterea Dioscorum novitas vocum eo tempore, quo haeretici, ut fidem everterent Calchedonensem, nova excogitare non desistebant. His etiam suffragabantur illi

Digitized by Google

a. 519. istud et Eutychetis discipuli[5]) in synodo Calchedonensi proposuerunt. Quia quotiescunque patres de Dei Filio Domino nostro Jesu Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum, consubstantialem Patri, homousion Patri dixerunt. Iste autem sermo ideo nunquam est in synodis a patribus introductus, quia procul dubio catholicae fidei minime poterat convenire.

3. Cujus sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas haereses pateat et quae mala per eum possint disputationibus ecclesiasticis introduci, quoniam longum est, per praesentes[6]) insinuare poterimus. Unde sanum mihi videtur et utile et ad pacem ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dare nisi: *Sufficit sanctum Calchedonense concilium, in quo et aliae synodi continentur; sufficiunt epistolae papae Leonis, quas synodus confirmavit; novitatem in Ecclesiam introducere nec volumus nec debemus.* Est in propositione eorum callida, et haec dicere: *Nos synodum Calchedonensem suscepimus; hoc speramus, ut jubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic, quomodo est exposita, contra haeresim Nestorianam:* non[7]) quasi non intelligentes, nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, ut disputetur de synodo Calchedonensi. Quod si factum fuerit, dubia et infirma ostenditur, et haereticorum omnium patuit errori. Inter alia si post synodum Calchedonensem, si post epistolas papae Leonis, si post libellos, quos dederunt et dant episcopi, et per ipsos satisfecerunt sedi apostolicae, iterum aliquid novum addatur, sic

---

monachi, quatenus fidem Calchedone expositam contra Nestorianam haeresim non sufficere jactitabant. Quamquam nec negandus est Dioscorus praenovitatis intempestivae horrore malum exaggerasse, quum sententiam praedictam catholicae fidei minime convenire posse asserit. Non enim ei repugnat, Christum, qui crucifixus est, unum ex Trinitate praedicare. Verum huc spectat Ferrandi diaconi in epistola ad Anatolium, quam *de duabus in Christo naturis, et quod unus de Trinitate natus passusque dici possit* inscripsit, cap. 16 prudens monitum: *Nec movere quemquam debet, si vere hanc sententiam* (scil. *unus de Trinitate* etc.), *sicut a quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrisarius in Calchedonensi concilio. Saepe etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem in concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter sententiam catholicam, nec ipsam sententiam catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis* (supple *magis*) *approbasse, quam verba.* Tum subdit, *se aliquando triplicem intellexisse causam, quae dubitare quosdam de hac sententia cogeret* (conf. cet in loco ipso).

[5]) Videlicet, ut mox a Ferrando audivimus, ejus apocrisiarius, nisi forte hic notentur Eutychetis discipuli Carosus et Dorotheus, qui in Calchedonensi synodo act. 4 (Hard. II, 430) *unum de Trinitate esse passum* profitentur.

[6]) Subaudire licet: eos, quibus hae litterae creditae sunt, cujusmodi viris multa saepe explicanda committebantur. Alioquin cum b cc legendum: *quoniam longum est, per praesentes* (supple *litteras*) *insinuare praeterimus.*

[7]) Clarius diceretur: *non aliud conantes, dum non intelligere se fingunt, nisi ad hoc per subtilitatem nos adducere.*

Digitized by Google

mihi videtur, quia quidquid factum est destruitur. Data III Calen- a. 519.
das Junias[8]) Constantinopoli.

Epistola 76

seu

Suggestio Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri. a. 519 d. 29 Jun.

Causam ordinationis ecclesiae Antiochenae post multos labores finitam esse; in Paterni Tomitani antistitis a Scythis monachis accusati causa quid actum sit, significant (n. 1—3). Denique rogant, ut confirmet papa, quod ipsi monachis illis unum de Trinitate crucifixum dici volentibus opposuerunt (n. 4 et 5).

1. Cum Dei misericordia, quo ordine et qua cautela communicavimus in ecclesia Constantinopolitana, jam in aliis litteris per ep. 64.
servum vestrum Pullionem directis vestra beatitudo cognovit. Et similiter in aliis litteris non semel sed secundo, qualia aemuli homi- ep. 75.
nes religionis tentant, significare curavimus: ut nihil sit[1]) aut actum aut cogitandum fieri, quod lateat beatitudinem vestram. Stat nobiscum cum Dei adjutorio, quidquid in Constantinopolitana ecclesia est ordinatum. Non titubant gaudia spiritualia, quae celebrarunt et celebrant catholici.

2. Causa Antiochenae ecclesiae ordinationis non nobis solos labores fecit sed grandes tribulationes: quia homines festinantes impedimentum facere generali unitati, diversis modis diversa impedimenta fecerunt. Nostra erat propositio de his, qui se suspenderant de anathemate, in praedicta ecclesia ordinare sacerdotem. Non proposuerunt ante oculos suos futurum judicium, palam dicentes: *Omnes, qui sedi apostolicae communicabant, Nestoriani sunt;* et magis illis non debere credere[2]), qui modo videntur ad communionem sedis

---

[8]) Forte quis inspectis tot epistolis sequentibus, quae eodem consule *III Calendas Julii* notantur, et hanc pariter *III Cal. Julii* consignandam suspicetur, maxime quum facilis sit unius litterulae mutatio. Ad haec Dioscorus in hac epistola Paulum Antiochenum antistitem electum nuntiat, quem in sequenti quum ipse tum ceteri legati *post protracta pene in tres menses certamina* electum scribunt; quum ex epistola 64 certum sit, eos feria secunda majoris hebdomadae, hoc est Martii 15 die, Constantinopolim advenisse. Verum hoc movere non debet, quum certamina illa ante adventum suum coepisse in eadem epistola 64 n. 3 aperte significent. Sed quod in epistola sequenti n. 4 de monachorum, *qui aliquanta capitula proponere habent,* in Italiam adventu sese Hormisdam *in aliis litteris* jam admonuisse ajunt, hic *III Calendas Junias* retinendum esse omnino persuadet. Nullas enim habemus alias, in quibus id antea denuntietur.

76 [1]) b cc *sit actum aut cogitatum faciendum.* Illud *cogitandum fieri* hoc sonat: *aut quod cogitari debeat ut faciendum.*

[2]) Mallemus *credi.* Ab ipsis etiam Scythis monachis eos omnes, qui Calchedonensem synodum accipiunt, Nestorianos dici, Dioscorus infra epist. 98 n. 3 testatur, licet ipsi, eodem Dioscoro in superiori epistola 75 n. 3 teste, hanc synodum se suscepisse profiterentur.

Digitized by Google

a. 519. apostolicae revocati. Post multas afflictiones et pene in tres menses a partibus[3]) protracta certamina, piissimus imperator sua auctoritate Paulum nomine presbyterum de ecclesia Constantinopolitana elegit episcopum fieri in ecclesia Antiochena, dicens inter alia et hoc testimonium de ipso, quia duobus annis in Antiochia positus non mediocriter resistebat Severo haeretico; similia et omnes catholici consonabant. Omnia tamen ista de persona praedicti imperator se promisit ad vestram beatitudinem relaturum.

3. Harum tamen tribulationum provisores et socii et unitatis[4]) ecclesiarum impedimenta monachi de Scythia fuerunt, qui postea hic defecerunt; assignati ab omnibus nihil pacificum cogitare, ad beatitudinem vestram cucurrerunt, sperantes subrepere et per litteras vestrae sedis suas intentiones confirmare. Isti de sua provincia episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanae civitatis antistes. Petitiones obtulerunt, et coacti piisimi principis et domini Vitaliani magistri militum jussione, frequenter ad audientiam causae convenimus, non quasi volentes nos in his negotiis occupare: quia nobis sunt ante oculos beatitudinis vestrae praecepta, quibus praecepistis, ut causae tantum cui veneramus intenti, nullis aliis negotiis misceremur; sed sperantes posse intentiones eorum pacari, ad hoc descendimus. Et quia nobis diu laborantibus et illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in[5]) quo tendebamus, clementissimus imperator in conventu publico, ubi et nos interfuimus, Paternum praedictum episcopum et magnificum virum Vitalianum reduxit[6]) ad gratiam: accusatores quoque ejus suo praecepit episcopo supplicare. Monachi vero quum similiter ad concordiam quaererentur, fuga lapsi maluerunt de civitate discedere, quam ad concordiam pervenire.

---

[3]) Ita G[1], ed. *patribus protacta.* Haec partium studia legati jam die 28 Martii epist. 64 significaverant: *quóniam*, ajunt, *inter diversa vota populorum de personae electione non constabat.* In hac eligentium discordia saepe imperatoris auctoritas intercessit (conf. Eus. vita Const. III, 61, Socr. VII, 40). Ipse Hormisda epist. 105 n. 1 pii principis ea in re potestatem commendat, quum in procinctu esse se testatur, ut imperatori scribat, quo Dioscorum *Alexandrinum episcopum debeat ordinare.* Quamquam quod ibidem dicitur idem imperator nisus esse, ut mox dictum Dioscorum Antiochenae praeponeret ecclesiae, indicio est, eum in hoc toto negotio non praecipientis sed suadentis usum esse auctoritate. Paulus vero ordinatus est in locum Severi, quem quum imperator ob haereticas illius praedicationes comprehendi jussisset, ab anno superiori mense Septembri ex Antiochena sede fugisse Evagrius IV, 4 tradit.

[4]) Ita G[1]; ed. *unitati ... impedimento ... intentione eorum pacari.*

[5]) b c c *in eo quo tenebamus.*

[6]) H. e. mutuo reconciliavit, quum magistrum militum prius monachi ab episcopo abalienassent. Iste Paternus relationi synodali de ordinatione Epiphanii infra epist. 131 subscribitur.

Digitized by Google

4. Magnopere[7]) praedicti monachi ad Italiam venientes, ali- a 519.
quanta capitula proponere habent, inter quae et *unum de Trinitate* ep. 76 n. 2.
crucifixum continetur: sperantes ita confirmari ex auctoritate beatitudinis vestrae. Sicut et in aliis litteris significavimus, et modo hoc dicimus, ut nulla novitas a sede apostolica scribatur; quia et nos ante imperatorem et ante senatum haec indicavimus, dicentes: *Extra synodos quatuor*[8]), *extra epistolas papae Leonis nec dicimus nec admittimus, quidquid non continetur in praedictis synodis; aut quod non est scriptum a papa Leone, non suscipimus: quia si voluerit dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud initium*[9]) *quam illud, quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet Ecclesiae, quod per sexaginta*[10]) *annos ab Eutychete usque modo sustinuit.* Nobis quod visum est scripsimus; in vestra potestate est deliberare, quod vobis Deus imperaverit: quoniam haec illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, ut ita profiteamur et dicamus *unum de Trinitate passum esse,* quod nec patres nec synodi dixerunt.

5. Ista ideo per singula exposuimus, ne illorum subtilitas glorietur in nostra simplicitate propter istas novas suas intentiones. Vitaliano magnifico viro subrepserunt, ut et talia vindicaret[11]) et pro talibus rebus contra nos quaecunque potuit impedimenta afferret; cujus immutationem omnis nobiscum deflet Ecclesia. Quapropter rogamus, ut consueta cautela et qua solet dominus noster vigilantia, cogitetis, et quomodo suspendendi sint, qui a nobis taliter recesserunt et a nostra communione fuerunt sejuncti, et quid eis respondeatur, vel quomodo eorum capitula repellantur; quia eos omnes Constantinopolitana catholica exhorret ecclesia. Data III Calendas Julias Constantinopoli.

Epistola 77

seu

Suggestio legatorum, qui supra, ad Hormisdam.

a. 519 d. 29 Jun.

Ut Justiniano comiti pro basilica sanctorum apostolorum reliquias ss. Petri et Pauli, de catenis ss. apostolorum ac de craticula s. Laurentii concedat, petunt.

Filius vester magnificus vir Justinianus, res convenientes fidei

[7]) b cc remov. *Magnopere.* Hac voce monachorum festinatio indicatur.

[8]) Nota, quo pacto etiam apud Romanos paulatim obtineat usus quatuor synodos praedicandi.

[9]) Supple *novandi.* Quocirca non placet, quod Baronius ad marg. annotavit *vitium*, quasi voci *initium* haec praeferenda esset. Paulo ante et infra *dominus noster* intelligendus est Hormisda.

[10]) Hos sexaginta annos non ab eo numerat, quo Eutyches haeresim suam tueri coepit, sed ab obitu Marciani, qui in annum 458 incidit. Tunc enim Eutychetis Dioscoriquc discipuli ac nominatim Timotheus Aelurus et Petrus Mongus, cuncta sibi licere arbitrati, episcopum suum Proterium crudeli morte perimere ipso anno ausi sunt.

[11]) Ita G^1; ed. *vindicare pro tal. reb. et contra ... susp. sunt.*

Digitized by Google

a. 519. suae faciens, basilicam sanctorum apostolorum, in qua desiderat et beati Laurentii martyris reliquias esse, constituit; sperat per parvitatem nostram, ut praedictorum sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio praedicti viri secundum morem Graecorum; et nos contra[1]) consuetudinem sedis apostolicae exposuimus. Accepit rationem. Et quia talis est fervor fidei ejus, qui meretur quidquid de apostolica sede depoposcerit, et talis est qui sperat, unde et salus animae et fidei affectus accrescat, talibus desideriis postulata competit non negare. Unde si et beatitudini vestrae videtur, sanctuaria beatorum apostolorum Petri et Pauli secundum morem ei largiri praecipite; et si fieri potest ad secundam cataractam ipsa sanctuaria[2]) deponere, vestrum est deliberare. Petit et de catenis[3]) sanctorum apostolorum, si possibile est, et de craticula beati Laurentii martyris. Ista sunt desideria praedicti viri: in hoc

---

77 [1]) H. e.: et nos Graecorum morem, quo sanctorum ossa contrectare ac distrahere solent, apostolicae sedis consuetudini contrarium esse exposuimus, ille vero rationibus nostris cessit. Utramque autem consuetudinem Gregorius lib. 4 Indict. 12 epist. 30 ad Constantinam Augustam explicat his verbis: *Cognoscat tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam praesumant tangere de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora ponitur. Quod levatum in ecclesia, quae est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, et tantae per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc eorum corpora deferantur ... In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si praesumpserit, certum est, quia haec temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Graecorum consuetudine, qui ossa levare sanctorum se asserunt, vehementer miramur et vix credimus.*

[2]) Sanctuaria illa, quae *brandea* loco mox laudato vocat Gregorius Magnus, panni erant, ut explicat Mabillonius Annal. Bened. lib. IV n. 18, contactu reliquiarum sanctorum apostolorum sacrati. *Cataractae* vero nihil aliud erant, quam fenestrae clathris seu cancellis ferreis munitae, per quas panni illi super sanctorum reliquias demittebantur. Et hae duplices erant: aliae exteriores, in altari vel pavimento, sub quo conditae erant sacrae reliquiae, aliae interiores, in ipsa capsa seu arca, qua reliquiae claudebantur. Petunt ergo legati, ut ad secundam fenestram panni deponerentur, velut ad contrahendam ex proximo contactu majorem virtutem. Gregorius Turonensis de glor. mart. I, 28 unius tantum fenestellae parvulae meminit, per quam, si qui vellent, immisso palliolo seu panno, jejuni in precibus vigilias ad sepulcrum apostolorum agebant. Sed ibi de fenestella tantum, quae vulgo patebat, non de ea quae singulari munere ac beneficio aperiebatur, sermonen habet. Fenestellae, per quam oraria ad interiora loca reliquiarum s. Stephani mittebantur, mentio est apud Augustinum append. tom. 7 in libro Evodii Uzalensis de miraculis s. Stephani c. 12. Vide et Gregor. Turon. de miraculis s. Martini I, 11. Cataractae vocabulum mox exposito intellectu usurpat et Vigilius epist. 15 n. 5.

[3]) Gregorio Magno, uti videmus ex epistolarum ejus libro 1 epist. 26, 30, 31 etc., familiare fuit, claves quibus nonnulla catenarum beati Petri portiuncula infundebatur, effingere, et ad amicos magni muneris loco mittere. An is usus ab Hormisdae aevo jam obtinebat?

Digitized by Google

fides ipsius est incitata. Propter hoc in urbem vestram virum spe- a. 519.
ctabilem Eulogium magistrianum direxit, hoc sibi satisfacere judicans, si de ipso fonte, de quo per omnem terram sanctuaria apostolorum sunt data, inde et ipse reliquias suscipere mereatur. Et bene facitis causam ecclesiasticam magnopere in contestatione Dei tali homini commendare, cujus sinceritas et integritas circa religionem catholicam nota est omnibus hominibus. Hinc[4]) voluerunt capsellas argenteas facere et dirigere; sed postea cogitaverunt, ut hoc quoque a vestra sede pro benedictione suscipiat. Singulas tamen capsellas per singulorum[5]) apostolorum reliquias fieri debere suggerimus. Data III Calendas Julias Constantinopoli.

Epistola 78

seu

Exemplum epistolae Justiniani ad Hormisdam.

(a. 519 d. 29 Jun.)

Ne inquietos Scythas monachos Hormisda suscipiat, utque reliquias ss. apostolorum ipsi ecclesiaeque eorum nomine ab ipso constructae largiri dignetur, petit.

Domino sancto, meritis beatissimo et apostolico domino, patri papae Hormisdae Justinianus[1]).

1. Propitia Divinitate, quae semper Ecclesiam catholicam per incrementa fidei instituit, unitas sanctarum ecclesiarum per doctrinam et auctoritatem apostolatus vestri provenit. Sed quoniam comperimus quosdam nomine monachos, quibus magis discordia in studio est quam caritas et pax Dei, cupientes quaedam perturbare, ad angelum[2]) vestrum hinc discedentes iter arripuisse: quos beatitudo vestra, praesentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens, ita ut merentur suscipere et a se longe pellere dignetur; quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor synodi venerabiles neque sancti Leonis papae epistolae continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. Quamobrem etiam et a viris reverendissimis episcopis et diaconibus directis ab apostolatu vestro ....[3]) ad nos angelus vester destinare dignetur,

---

[4]) G[1]. Ed. *Hic ... ut et hoc.*

[5]) Hoc est, pro reliquiis beati Petri unam et pro reliquiis beati Pauli alteram.

78 [1]) Ex duabus illis litteris majusculis *V. C.*, quas Bar. hic addit et quarum neutra in G[1] exstat, sola *C*, qua *comes* intelligatur, videtur retinenda, hancque conjecturam firmat ista epistolae 44 inscriptio: *Justinianus comes Hormisdae papae.*

[2]) Hujus locutionis intelligentia repetenda est ex epistola 39 n. 1, ubi Syri monachi Hormisdam sic alloquuntur: *Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit nobis vestrum sanctum angelum;* et num. 5: *Ad perfectam autem notitiam vestri sancti angeli anathematizamus etc.*

[3]) Ad orationis integritatem hic nonnihil desideratur: quod et subnexa con-

Digitized by Google

(a. 519.) et ipsos digna correctione perculsos, ut superius dictum est, pellere jubeat. Ergo hoc petimus, ut, sicut supradictum est, ipsas hujusmodi litteras per eumdem portitorem ad nos dirigere magnopere praecipiat[4]). Sunt autem nomina eorum Achilles[5]), Johannes, Leontius et Mauritius[6]). Haec nostra est maxima sollicitudinis causa, ne unitas, quam vester labor oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur, sperantes in Domino Deo, quia si quid est quod adhuc a totius orbis pace dissentiat, hoc quoque orationibus vestris apostolicae sedis communioni societur.

---

firmant. Integra erit, si tantum addatur: *Scripta de iisdem missa sunt. Quae autem rescripserit beatitudo vestra, haec per eumdem portitorem*, tum recte sequetur, *ad nos angelus vester destinare dignetur.*

[4]) b cc *festinet*, praeter fidem G^1 G^3 ac sententiam Justiniani, qui rursum epist. 99 eadem mente scribit: *Ad nos cum vestris litteris jubete remitteri; quarum exemplaria consignata praedicto viro strenuo Eulogio dari praecipite;* tum hanc cautionem ideo adhibendam declarat, ne locus mendaciis vel insidiis detur.

[5]) Rursum Achillis hujus mentio fit epist. 98 n. 4.

[6]) b *Maxentius*, rejecto ad oram *Mauritius*. Fuit quidem inter controversae sententiae defensores praecipuus Johannes Maxentius, cujus in bibliotheca patrum cum aliis ejusdem Johannis operibus exstat epistola inscripta: *Dominis viris beatissimis Germano et Johanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, Blando presbytero et universae legationi sedis apostolicae ab exiguo Maxentio et omnibus qui mecum sunt salutem.* Sed utrum ex his fuerit, qui Romam contenderunt, dubitatione non vacat. Apud Fulgentium epist. 16 ad ipsum Fulgentium aliosque Africae episcopos scribunt: *Petrus diaconus, Johannes, Leontius, alius Johannes et ceteri fratres in causa fidei Romam directi;* ac subscribunt: *Petrus diaconus, Johannes monachus, Leontius monachus, Johannes lector.* Tum epist. 17 rescribunt Fulgentius et alii quindecim episcopi *Petro diacono, Johanni, Leontio, et alii Johanni, ceterisque fratribus, quos una vobiscum in causa fidei Romam directos intimastis.* Sane si inter eos exstitisset Maxentius, nomen ejus, ut qui notior esset ac celebrior, in illis scriptis taceri non debuisset. Nec videri potest alterutrius Johannis nomine exprimi, quum primus Johannes *monachus*, alter *lector* nuncupetur, Maxentius vero, ut Bellarminus auctor est, presbyter vulgo credatur, atque ipse sibi teste Dioscoro (Horm. epist. 98 n. 4) abbatis titulum arrogaret. Sed et in responsione ad Hormisdae epistolam sic ubique loquitur, quasi ex iis non esset. Cum iisdem monachis expostulat Baronius, quod in praedicta apud Fulgentium epistola 16 sese mendaciter *totius Orientalis ecclesiae prae se ferunt esse legatos.* Respicit haud dubie cardinalis eruditus ad titulum epistolae praefixum, ubi legitur: *Petri diaconi et aliorum, qui in causa fidei a Graecis ex Oriente Romam missi fuerunt.* Ipsi vero in inscriptione non se *totius Orientalis ecclesiae legatos*, sed simpliciter *in causa fidei Romam directos* dicunt. Maxentius autem in responsione ad Hormisdae epistolam constare affirmat, *pro sola hac sententia* (scil. *Christum Filium Dei vivi unum confitendum esse ex sancta et individua Trinitate*) *Scytharum monachos ad Romanum fuisse profectos episcopum.* Qua in re de Orientis secum consensione gloriari potuissent. Certe infra epist. 129 n. 6 Jerosolymitani, Antiocheni et secundae Syriae clerici et abbates, nec non possessores provinciae Syriae precibus Justino oblatis, *quia Dominus noster Jesus Christus unus est ex sancta et unius essentiae Trinitate*, conceptis verbis profitentur. Ob id igitur unum culpandi erant, quod rem non necessariam eo tempore, quo omni novitate absistendum erat, importune ac tumultuose quaererent.

Digitized by Google

2. Praesumentes autem de beatitudinis vestrae benevolentia, (a. 519.) paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquiis sanctorum apostolorum tam nos quam basilicam[7]) eorum hic in domo nostra sub nomine praedictorum venerabilium constructam illustrare et illuminare large dignemini, cognoscentes, quod nullum nobis majus nec[8]) munus nec beneficium praestare potestis, domine beatissime pater, quam si hanc nostram petitionem adimpleveritis. Subito autem iter arripiente praedicto agente[9]) in rebus, etiam duo pallia[10]) holoserica ad ornamentum altaris sanctorum apostolorum direximus, quae suscipientes efficacissimis precibus vestris nostri jubete jugiter facere memoriam.

Epistola 79.

Hormisdae papae ad Justinum imperatorem.

a. 519 d. 9 Julii.

Quam gloriosus sit triumphus, quem reddita regiae urbi pace retulit, gratulatur (n. 1—3). Ut idem bonum Antiochiae atque Alexandriae curet, legatosque ad id missos benigne adjuvet, precatur (n. 4—5).

Hormisda episcopus Justino Augusto.

1. Lectis clementiae vestrae paginis, quae restitutam fidei concordiam nuntiabant, in divinae laudis canticum mens totius Ecclesiae laeta prorupit, quo canitur: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis!* Luc. 2, 14. Hujus igitur fiducia hymni dignam fidelibus meritis gloriam felicitatemque praesumite. Neque enim te ita Deo placitum principem ad imperii verticem humanus tantum consensus evexit: te sibi divinus favor ante formaverat. Tradidit

---

[7]) De hac basilica Procopius de aedificiis I, 4 haec habet: *Principio Byzantii* (Justinianus) *Petro et Paulo novum templum extruxit juxta regiam aulam Hormisdae olim nomine dictam: quam ipse, suam antea domum, quum adeo magnifice ornasset, ut speciem haberet dignitatemque palatii, postea Romanus factus imperator eam alteri regiae accessionem adjunxit.* Exinde etiam *Hormisdae* cognomen imperatoris palatium servavit. Quocirca initio collationis catholicorum cum Severianis anno 533 habitae (Hard. III, 1160) legitur: *Evocavit sanctissimum archiepiscopum* (scil. Constantinopolitanum) *tranquillissimus imperator in venerabili palatio suo quod dicitur Hormisdae.* Sed non ab Hormisda nostro hoc ei cognomen inditum est.

[8]) a[1] *nec minus beneficium:* al. *beneficium nec munus;* G[1] *nec minus nec beneficium.* Loco vocabuli *minus* restituto *munus* integra evadit oratio.

[9]) Hoc est, Eulogio, qui in epistola superiori a Justiniano in Urbem destinatus dicitur. Ibi quidem Eulogius *magistrianus* non *agens in rebus* appellatur. Sed promiscuum esse utrumque nomen, argumento est illud, quod concil. Calchedon. act. 3 (Hard. II, 334) legimus, eumdem *Severum magistrianum* ab uno interprete veteri *quondam subadjutorem magistrianorum scholae,* et ab altero *quondam subadjuvam agentium in rebus scholae* nuncupari.

[10]) Ed. *pallia sericia* vel *serica*: corriguntur ope G[1] G[3], in quibus legitur quidem *pallio solo sericos,* sed legendum est *pallios olo sericos,* quae barbara lectio, si cui magis placet ut eam praeferat, per nos licet.

Digitized by Google

a. 519. enim tibi[1]) Orientis imperium, ut ejus operum fieres instrumentum; atque ideo ut hoc in te propheticum dictum jure conveniat efficitis: Psalm. 44,17 sq. *Constitues eos principes super omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie et generatione.* Etenim quum tibi sit Christianam pacem servare propositum, quis te dubitet a Christo esse delectum[2])?

2. Haec prima sunt vestri fundamina principatus, Deum placasse justitia et adscivisse vobis excellentissimae majestatis auxilia, dum adversarios ejus velut proprios comprimitis inimicos. Haec nimirum maxima reipublicae fundamenta sunt, hoc solidum invictumque robur. Neque enim humanis ictibus potest esse pervium, quod est divinae gratiae firmitate vallatum. Testis est huic pro- Psalm. 88,21 sq. phetica Scriptura; ait enim: *Elegi David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.* Contra autem frustra arma, frustra sibi copias quaerit, quem gratia superna destituit. Etenim veraciter scriptum Psalm. 126,1. est: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.*

3. Bellabis tu quidem divino tutus auxilio, excellentissime princeps, et tuae reipublicae jugo ferocissimarum gentium colla submittes; sed nulla victoria potest esse praestantior, quam quod humani generis hostem post quaesita tam longi temporis firmamenta subvertis. Enimvero ceterorum natura proeliorum distincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta; haec omne genus humanum palma complectitur, hunc omnibus regionibus imputabis[3]) triumphum; et quod divinae proximum pietati est, qui paulo ante ductu diaboli grassabantur, nunc ad propriae salutis effectum sine sanguinis effusione vincuntur. Durabit igitur hujus Christianae victoriae per aevum triumphus. Neque enim poterunt labe temporis aboleri, quae in sempiterna fidei stabilitate fundata sunt. Permanebit longe lateque vestrorum fama factorum, et sicut divinis designatur eloquiis, Psalm. 18, 5. *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines terrae verba eorum.* Et ceteris quidem bellis agros, urbes, oppida et, quod supre-

---

79 [1]) G[1] *enim quae tibi ad orientis*, moxque *efficitis* (ed. *efficiatis*).

[2]) Vulg, *dilectum*. Praesensit tamen Baronius legendum esse *delectum*: de quo non ambiget, qui recoluerit haec epist. 50 ad ipsum Justinum n. 2: *Non est dubium electos vos venerabili praedestinatione;* tum illa epist. 58: *Imperatorem serenissimum ad hoc providentia divina judicamus electum, ut per eum ecclesiarum redintegratio* etc; nec non ista epist. 80 n. 2: *An dubium est, cuncta haec providentiam disposuisse divinam: primum eum principem esse delectum* etc. — Mox ed. *fundamenta.*

[3]) b *importabis* (ad marg. *imputabis*). Id vero sibi vult Hormisda, Justiniani triumphum certis regionibus non esse terminatum, sed omnibus proficere. Mox G[1] *proximum pietatis ... sempiternae.*

Digitized by Google

mum[4]) est, subjectorum libertatem tueris, quae mortalium usibus a. 519.
comparata simili quadam mortalitate solvenda sunt: in hoc certamine vita ipsa defenditur, et quodammodo pro sempiternae beatitudinis arce pugnatur.

4. Quocirca continuam tanti operis apparatus clementiae vestrae intentionem requirit. Facite, ut nullum prorsus receptaculum, ex quo rursus immanissimus hostis emergat, inveniat: cunctis eum nudate praesidiis, et si quid usquam vestigiorum ejus reliquum est, id omne clementi remedio repurgate. Omne nequitiae germen funditus eruatur, adversa Deo stirps ad vivum usque resecetur, ne minus compressa, quod absit, iniquitatis radix venenata latius iterum virgulta diffundat. Quorsum haec? Quia superest adhuc vobis Alexandrinae atque Antiochenae et aliarum ecclesiarum nullo modo negligenda correctio, in qua si se[5]) cura clementiae vestrae non demiserit, spes est, quo auctore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore compleri.

5. Commendamus praeterea legatos ab apostolica sede directos, et apud vestram fidem religionemque deponimus; quos ita perfectis omnibus pietas vestra dimittat, ut divinis vestrisque beneficiis ad apostolicam sedem plenam referant de ecclesiarum omnium pace laetitiam. Quae scripta per Paulinum[6]) Romanae ecclesiae defensorem famulum vestrae pietatis ingerenda transmisimus. Data VII[7]) Idus Julii, Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 80.

Hormisdae papae ad Johannem episcopum Constantinopolitanum. a. 519 d. 9 Jul.

Unum se cum eo factum esse gratulatur, jamque episcopum eum agnoscit et ad pastoralem curam hortatur (*n.* 1—3). *Instet apud imperatorem pro ceteris ecclesiis nominatimque Alexandrina et Antiochena a schismate liberandis, et in eo negotio legatos sedis apostolicae adjuvet* (*n.* 4 *et* 5).

Hormisda Johanni episcopo Constantinopolitano.

1. Consideranti mihi tuae scripta caritatis, in quibus cum sede

[4]) G[1] *postremum ... simili quondam ex quo ... clementis remedia* (ed. *eo quo ... elementi remedio purgate*).

[5]) b cc *suam curam clementia vestra immiserit*, a[1] *se curam clementiae vestrae dimiserit*. G[1] *se cura clementiae vestrae demiserit*, ubi indubie particulam *non* addidimus.

[6]) Hormisda necdum ullis de pace regiae urbis aliarumque ecclesiarum nuntiis acceptis, Paulinum defensorem una cum epistola 73 Aprilis 29 die consignata destinare se in eadem epistola significat. Si igitur is ipse defensor hanc epistolam eodem retulit, maxima festinatione et Roma Constantinopolim, et inde Romam contenderit opus est. Et vero infra epist. 89 Justinianus epistolam 78 memorans a se 29 die Junii *per Eulogium* missam, alteram aliquanto ante *per Paulinum* defensorem destinasse se recolit.

[7]) G[1] *VII Idus Februarii.*

Digitized by Google

a. 519. beati apostoli Petri unam tibi esse fidem professus es, prophetica Psalm. 132, 1. libet exclamare licentia: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Neque enim refert, quam longinquis locorum spatiis dividamur, quando jam Deo auctore una fidei cohabitatione conjungimur. Nunc enim misericordia procurante divina in unius corporis vultum dissipata olim Christi membra conveniunt, et ab iniquissimis direpta latronibus annuntiata propheticis vocibus Domini nostri redintegratur haereditas, et vere in hujus petrae fide, id est apostolorum principis firmitate, Orientalis ecclesiae fundamenta solidantur. Quae quum facta tuis litteris indicentur, tempestiva exsultatione dicendum est: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Rom. 10, 15.

2. Gratias igitur excellentissimae Trinitati, quae consentientes[1] in Christo Ecclesiae ac reipublicae dedit esse rectores! Enimvero magna rerum salus est, quoties in fidei catholicae veritate sacerdotes ac principes mens una connectit. Hoc firmum pacis vinculum est, haec coelitus dimissa societas; neque enim fas est, in quo vident concordari praepositos, aliud sentire subjectos. An dubium est, cuncta haec providentiam disposuisse divinam: primum eum principem esse delectum, qui quum se hominum suscepisse videret imperium, non se oblitus est Deo esse subjectum; dehinc quod talem fraternitatem tuam Ecclesiae suae praesulem dedit, quem non esset ambiguum cum sede nostra, id est apostolica, certam mansuramque fidei subiturum esse concordiam? Etenim libello a nobis fidei libenter accepto, quum redintegrationis in Christo fueris avidus, nunquam in praedestinatione divina fuisse a nobis cognosceris alienus.

3. Itaque, dilectissime frater, Dei nostri sponte currentibus instate beneficiis, sparsi olim gregis plenius membra colligite, et custodite collecta. Memento nunc clementer assignatae a Christo navis esse te rectorem: fac cogites diabolicae contumaciae spiritus, quietem[2] itineris et curam turbantes; nec te lateant fluctus tempestatis incertae, quos evigili mente prospicias, et erecta in Deum ratione compescas[3]. Nulla tibi commissi negotii negligentia clavum dominicae ratis extorqueat. Illud unicum recti itineris signum fixis semper obtutibus intuere, quo certius perflantis diaboli turbata contemnas, et ad promissi portus tranquilla pervenias. Haec enim est Christiani palaestra certaminis, tali Christi militiae sempiternae vitae palma proponitur.

4. Haec tibi rectissime cogitanti non deerit suo militi praesidium

---

80 [1]) G^1 a^1 c c *consentientis in Cristum Ecclesiae, hanc* (c c *ac*) *reipublicae:* mendose.

[2]) c^6 seq. *quietem itineris et curam turbantes*, ubi G^1 G^3 *quieti itineris et curae turbantis.* Mox ed. *latent.*

[3]) c^6 seq. *compenses*, ubi G^1 a^1 *compensas*, G^3 *compescas*, mallemus *compescas.*

Digitized by Google

ducis; et quanto hostium multiplicantur insidiae, tanto summi gratia a. 519.
rectoris adversantis venena misericordiae suae facit esse materiam, sicut sermo apostolicae veritatis asseruit, dicens: *Ubi abundavit* Rom. 5,20.
iniquitas, superabundavit et gratia. Tu tantum divinis rectissimisque inhaereas[4]) institutis, ecclesiasticam fovendo concordiam, ut veluti quodam pacificae voluntatis signatus indicio, illius esse discipulus approberis, qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Joh. 14,27.
Hortare etiam, quamquam sponte ad recta tendentem, filium nostrum clementissimum principem Justinum, Christiano saeculo divinitus comparatum, ea perficere, quae regalibus litteris dignatus est polliceri: ut missis ad eos edictis, quos ab Ecclesiae matris uberibus etiamnunc devius error abducit, diabolicam fraudem et auctoritate religionis et moderata potestate compescat imperii, eamque sibi contra communem totius humanitatis hostem maximam ducat esse victoriam, si supernae auxilio Divinitatis vetusti serpentis venena compresserit.

5. De Antiochenae quoque atque Alexandrinae ecclesiarum statu non supersedeas esse sollicitus, et clementissimo subinde principi[5]) supplicato, ut in his quoque pacem religiosa ordinatione restituat, quatenus bonis coeptis plenae cumulum perfectionis adjungat. Frustra enim bonum opus incipitur, si non in totum perfectio subsequatur. Commendamus praeterea legatos a sede apostolica destinatos, quos ita faciat ad nos tua dilectio remeare, ut nobis plenam referre queant de restituta universis ecclesiis pace laetitiam. Data VII Idus Julii, Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 81.

Hormisdae papae ad Justinianum comitem.

a. 519 d. 9 Jul.

Ut qui Justino in pace Ecclesiae reddenda adjutor fuit, opus quod incepit perficiat, hortatur.

Hormisda illustri Justiniano[1]).

1. Benedicimus ineffabile Divinitatis auxilium, quia de ecclesiarum pace universitatis desiderium sub tranquillitate agnovimus fuisse completum. Quod quidem non praeter opinionem nostram contigit fieri: quia religiosissimi Augusti praesumpti genere spem semper gessimus de quiete, et quod credidimus faciendum sub principe Christiano de adunatione, erat in votum. Quare habebit gloriosus imperator de hac causa triumphorum titulos, non quibus

---

[4]) Ed. *inhaerens*, et omitt. *ut*.

[5]) Ed. om. *principi*. Mox G[1] *VII Id. Jul. cons. ss.*, quo magis correctio subscriptionis antecedentis epistolae comprobatur.

81 [1]) Ita G[1]. Ed. *viro Justiniano*.

Digitized by Google

a. 519. se oblivio mortalitatis interserat, sed quos Divinitatis gratia sub[2]) perpetuitate confirmet: et vobis quoque coelestis remunerationis non deerit praemium, qui adjuvistis boni principis institutum, atque obsequio convenienti desiderio horrorem segregationis fecistis excludi.

Luc. 1, 68. *Benedictus Dominus Deus noster, qui visitavit et fecit redemptionem plebis suae!*

2. Superest nunc, ut quia vobis hujusmodi officium certum est providentia Divinitatis injunctum, accingatis, ut ait, lumbos, et pacificae adhortationis viribus persequamini, a quibus pacem non videtis agnosci, maxime quia gratiae gloriae vestrae detrahitur, si quid in hac causa fuerit minus impletum. Circumspicite omnia fide, qua vivitis, et diligentia qua vigetis occurrite omnibus incursibus, quibus religionis Christianae veverentiam videtis esse vexatam, ut

Psalm. 21, 28. instantiae vestrae bene possimus cum exsultatione dicere: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae.* Quae quum ita sint, vos qui Ecclesiae catholicae tranquillitati fecistis initium, procurare decet effectum: non deerit Salvatoris nostri favor in perfectione, qui vobis hoc opus inspiravit incipere. Data consule suprascripto.

Epistola 82.

(a. 519 d. 9 Jul.) **Hormisdae papae ad personam quamdam spectabilem aulae imperialis.**

Legatos missos in opere suo apud imperatorem adjuvandos commendat. p. 113

Hormisda.

ep. 79. Quum necesse fuerit scripta domino filio nostro clementissimo principi destinari, amplitudinem vestram silentio praeterire nequivimus. Et ideo salutationis honorificentiam praeloquentes, eos qui in rem destinati sunt commendamus, postulantes, ut Domino nostro auctore sub vestra dispositione celeriter ad[1]) destinata perveniant: ut sacratissimus et religiosissimus imperator meritorum suorum gloriam possit sine dilatione cognoscere.

Epistola 83.

(a. 519 d. 9 Jul.)

Hormisdae papae ad Pompejum.

Ut ea vivacitate, qua pacis initium curavit, procuret et ejus plenitudinem.

Hormisda Pompejo.

Ita devotionis nostrae animum gaudio concordiae fatemur impletum, ut nulla credamus verba sufficere, quibus fidei vestrae puri-

[2]) Ed. *super.* Deinde G[1] *gratia gloriae ... boni possimus.*

82 [1]) Ita indubie correximus, quod in G *ut.*

Digitized by Google

tatem valeamus explere. Magna profecto memoria felicitatis transibitis ad posteros, quia vos in facienda pace sollicitudine certum est fuisse constrictos. Habetis apud Divinitatem meritum, cujus religioni persolvitis affectum. Operati quidem estis generalitatis desideria, sed et vestra pariter completa sunt vota; et quum animae vestrae paraveritis praemium, universitas sibi gaudet beneficium impensum. Quapropter debita honorificentia salutantes hortamur et petimus, ut vivacitate, qua quietis ecclesiasticae coepistis initium, procuretis effectum, et quocunque contentionis alicujus videritis remansisse vestigia, curetis modis omnibus insequenda. Adeste ecclesiarum Dei plenissimae tranquillitati, insistite labori, quem fidei vestrae munere Domino curastis offerre. Facitis enim, ut majore a vobis fiducia exigamus plenitudinem, quos gratulamur desideratae dulcissimae adunationis initia votiva fundasse. Data[1]) consule suprascripto. (a. 519.)

Epistola 84.

Hormisdae papae ad Anastasiam.

(a. 519 d. 9 Jul.)

Ut propter plenam dissensionis extinctionem vota sua conjungat pontificis precibus.

Hormisda Anastasiae.

Postquam Deus noster Ecclesiae suae membra in pacem pristinam redeuntis solidavit, diu vos desiderasse testamini[1]), quod provenisse gaudentes, et nos quidem indesinenter divinam clementiam deprecamur, ut sicut has regni primitias gratanter accepit, ita fidem boni principis omni semper adjuvet prosperitatis effectu[2]), et tam ipsum quam vos omnes in sacrosancto religionis amore custodiat, ut quorum fides errorem pessimae dissensionis abjecit, et tu ita in terris floreas, ut aeternae salutis remuneratio subsequatur. Nunc igitur vos quoque vota nobiscum conjungite, et omnibus a Deo viribus implorate: ut hujus correctionis exemplum omnes sequantur ecclesiae, ut nihil sibi diabolus remansisse gaudeat, quem in totum pene jam nostra concordia gratulatur exclusum.

Epistola 85.

Hormisdae papae ad Julianam Aniciam.

(a. 519 d. 9 Jul.)

Ut operam navet, ne ullum deinceps schismatis semen remaneat.

Hormisda Julianae Aniciae.

Litteris amplitudinis vestrae perceptis, gratias Deo nostro de

83 [1]) G[1] *Data ȳs coñs. s̄s.*

84 [1]) G[1] *certamini quod.* Ed. *certamina ... Quod.* Sed integra erit oratio, si loco *certamini* legamus *testamini*, praesertim quum haud dubie ad illud Anastasiae epist. 70 hic respiciatur: *diu expetitam sacrosanctis ecclesiis concordiam pacis restituit.*

[2]) Ed. *affectu ... nobis conjungite ... pene nostra.*

Digitized by Google

(a. 519.) catholicae fidei redintegratione persolvimus, optantes, ut ipse vestris sensibus pro religione sua, quod concessit, longa aetate conservare dignetur studium: ut sicut personam vestram imperialis sanguinis vena nobilitat, ita conscientiae bonorum meritorum luce praefulgeat. Unde salutantes cultu atque honorificentia competenti poscimus, ut in eo quo coepistis permanere proposito debeatis, et dare operam, ut ad effectum conatus tantae causae perveniat: ne aliquod in posterum semen hujus mali remaneat, unde posthac sub qualibet occasione inimicus quilibet fidei revirescat.

Epistola 86.

(a. 519 d. 9 Jul.)

Hormisdae papae ad Gratum.

Ut de salute sua ipsum certiorem faciat.

Hormisda Grato viro sublimi[1]).

Contristavit nos amplitudinis vestrae silentium, quia inter quaslibet occupationes nostri esse non debuistis immemores. Et ideo ne quod in vobis reprehendimus incurrere videamur, necesse fuit operam stili praesentis assumere, per quam nobilitatem tuam honorifice salutamus, postulantes, ut sollicitudinem nostram de bono vestrae prosperitatis non desinatis efficere certiorem, quia incolumitatis vestrae bona quibuslibet indiciis Deo nostro cupimus propitiante cognoscere.

Epistola 87.

a. 519 d. 9 Jul.)

Hormisdae papae ad Germanum ceterosque legatos.

Ut apud imperatorem ejusque conjugem agant, quo omnes ecclesiae, praecipue vero Alexandrina et Antiochena, ad apostolicae sedis communionem revocentur.

Hormisda Germano et Johanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.

ep. 64. De his, quae acta caritatis vestrae relatio comprehendit, gratias Deo nostro referimus, qui laborem vestrum juvare dignatus est, et hortamur, ut clementissimo principi et piissimae Augustae conjugi ejus officiis imminere competentibus debeatis, et agere auxiliante Christo nostro universis sub ecclesiastica observatione dispositis, ut omnes ecclesiae, quae in qualibet mundi parte sunt positae, ad communionem sedis apostolicae revocentur. De Alexandrina vero atque Antiochena ecclesiis elaborate, ut nostrae fidei sub observatione rationabili connectantur, quia tantae rei perfectio tam clementissimo

---

86 [1]) Quae hujus Grati dignitas fuerit, ex epistolis 42 et 46 repete. Amice cum eo expostulat, quod Pullionis opportunitate data, nullas ab eo litteras acceperit.

Digitized by Google

principi quam vobis gratiam divinae propitiationis acquirit. Data quo[1]) supra consule. (a. 519.)

Epistola 88.

Hormisdae papae ad Johannem Illicitanae ecclesiae episcopum. (a. 519 m. Jul.)

p. 113. *Ecclesiam Constantinopolitanam ad sedis apostolicae communionem rediisse nuntiat, et libellum a Johanne ejus antistite conscriptum cum sacra Justini transmittit.*

Hormisda Johanni episcopo[1]) Illicitano.

Vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructu redderetur extorris. Et ideo Constantinopolitanam ecclesiam ad communionem nostram rediisse, Domino propitiante tradentibus significamus alloquiis, et mandatorum, quae legatis nostris dedimus, in omnibus seriem fuisse completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfectum[2]) gaudium perveniret, libelli Johannis fratris et consacerdotis nostri Constan- ep. 61.
tinopolitani episcopi, et Justini clementissimi principis Orientis sacrarum litterarum exemplaria[3]) pariter credimus destinanda; indi- ep. 66.
cantes nihilominus, per Orientis partes plurimos episcopos sic fecisse. Superest, ut a nobis competentibus precibus Divinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea vero, quae significare curavimus, in eorum sacerdotum, qui fraternitati tuae vicini sunt, curabis perferre notitiam, ut et ipsi de effectu tantae rei gratias nobiscum coelestis misericordiae beneficiis referre non cessent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime!

Epistola 89

seu

Exemplum epistolae Justiniani per fratrem Proemptoris ad Hormisdam papam. (a. 519 m. Jul.)

113. *Ut expedito Scytharum monachorum negotio Johannem et Leontium ad se remittat.*

Quidquid est cautius, quidquid firmius, ut pro sancta fide et concordia sanctarum ecclesiarum geratur, optamus. Unde ad beati-

---

87 [1]) G[1] *Data quo supra cons.* Nullus autem in proximis epistolis nominatus est consul nisi Eutharicus. Neque obscurum est, hanc epistolam cum superioribus fuisse transmissam.

88 [1]) a[1] et cc ad marg. *Milecopolitano*, et in textu ex „Vatic." *Melicitano.* Haud dubie ex titulo *Ad Johannem Elicitanum* librarius litteram *M* geminans corruptionem hanc induxit, quae ope codicum laudatorum, quamvis in iis non sit haec salutatio, sanatur. Plura de inscriptione conf. supra *mon. praev.* pag. 113.

[2]) Mss. a[3] *perfecte.*

[3]) Exemplaria illa diligenter asservarunt Hispani, et amplae pontificiarum epistolarum collectioni saeculo sexto ab ipsis concinnatae inseri curaverunt.

Digitized by Google

(a. 519.) tudinem vestram et frater[1]) noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum virum sublimem defensorem vestrae ecclesiae rescripsit[2]), et nos per eumdem significare curavimus, illa debere beatitudinem vestram perficere, quae pacem et concordiam sanctis concedant ecclesiis. Subinde tamen, qui[3]) certius responsum ad sanctitatem vestram referat, cum litteris piissimi nostri imperatoris destinavimus. Nam quanta quaestio in partibus nostris orta est, potest etiam antefatus[4]) vir religiosus defensor sanctitatem vestram instruere. Unde petimus, ut, si est possibile, celerrimo dato responso et satisfactis religiosis monachis, Johannem et Leontium ad nos remittatis. Nisi enim precibus et diligentia vestra ista quaestio soluta fuerit, veremur, ne non possit ecclesiarum sanctarum pax[5]) provenire. Ergo cognoscentes, quia et merces et periculum hujus rei vobis servatur, diligenter tractate, et firmissimum responsum per antefatos religiosos monachos, si est possibile, antequam legatus noster ad beatitudinem vestram perveniat, nobis remittite; in hoc enim solo omnis pendet intentio.

Epistola 90.

a. 519 d. 2 Sept.

Hormisdae papae ad Justinianum comitem.

Monachos Scythas usque ad legatorum adventum Romae necessario manere significat. Apostolorum sanctuaria, ut petierat Justinianus, transmittit. p 131

Hormisda Justiniano viro illustri.

1. Ita magnificentiae vestrae animum vigere novimus religionis

89 [1]) Non sanguine, ut Arnoldus Wion perperam intellexit, sed ut Nicolaus Alemannus notis in cap. 6 histor. arc. Procopii interpretatur, ea fraternitate quae ἀδελφοποιτία a Graecis vocatur. *Nam Vitalianus*, ut ibidem Alemannus prosequitur, *ob affectatam sub Anastasio tyrannidem sibi timens, publicam postulavit fidem, quam Justinianus nomine Caesaris non solum dedit, sed etiam super sacram mensam ritu Christianis consueto ἀδελφοποιτίᾳ, id est jurata mutuo fraterna fide, Vitalianum sibi devinxit.* Ad hunc autem ritum respicere putat idem vir eruditus Procopium hist. arc. cap. 6, ubi ait: *Justinianus Vitalianum tyrannum accersit, et cui prius fidem (ὑπὲρ τῆς ἀσφαλείας) una cum eo susceptis Christianorum mysteriis dederat, paulo post dato suspicioni atque offensioni loco hunc cum necessariis in aula impie trucidavit, nihil veritus fidem fallere tam formidandam.* De hujusmodi fraternitate plura quae in nota laudata disseruntur videsis.

[2]) Ut pontificis litterae ad Vitalianum et Justinianum per Paulinum missae (conf. ep. 73), ita et horum responsa jam desiderantur. Conf. not. epist. Horm. non exstant. n. XX et XXI.

[3]) Hic Eulogium magistrianum ac legatum indicari intelligimus (conf. ep. 77 et 78.

[4]) Ed. *antelatus*, et infra *antelatos monachos*, librariorum male legentium vitio. Is defensor, de quo sermo ante habitus fuit, est Paulinus. Ideo vero Justinianus Scytharum monachorum causam citius expediri nunc expetit, quia timebat, ne si Hormisda litteras per Eulogium missas ante reciperet, secus quam vellet cum illis ageretur.

[5]) In G[1] deest *pax*.

Digitized by Google

affectu, ut beneficium a vobis in perfectione pacis Ecclesiae velitis a. 519.
magis exigi quam rogari, judicantes meritis excellentiae vestrae proficere, quod vos generalitatis desiderio contingit offerre. Unde et nos a vobis praesumpte quaerimus tamquam debitum, quod meritis vestris novimus esse profuturum. Et ideo, domine fili, sub omni caritate salutantes speramus, ut immineatis operi, quod Domino adjuvante fundastis, memores divini testimonii: *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* Matth. 10, 22.

2. Praeterea monachos, quos venisse Romam significastis litteris[1]) vestris, ad propria mox voluimus reverti. Sed quia sub testi- ep. 78.
ficatione potentiae divinae dicebant per insidias in itinere paratas vitae sese sustinere posse discrimen, nolentes[2]) redire Constantinopolim, passi non sumus violenter expelli. Quapropter necesse habebimus venientibus legatis nostris inquirere, qua revera faciente causa inter eos fuerit commota discordia.

3. Beatissimorum vero apostolorum Petri et Pauli sanctuaria, sicut religiosissimo quaesistis affectu, per harum portitorem[3]) sub omni veneratione transmisimus, optantes, orationibus eorum[4]) mentis vestrae oblatio et desideria gratiae sint Divinitatis accepta. Petimus itaque, ut tam de his quae geruntur pro concordia, quam de incolumitatis vestrae bono nuntietis sollicitudini nostrae gaudium currente pagina litterarum. Data IV Nonas Septembris, Eutharico[5]) viro clarissimo consule.

Epistola 91.

Hormisdae papae ad Justinianum comitem.

(a. 519 d. 2 Sept.)

Monachos Scythas usque ad legatorum reditum Romae detinendos existimat.
p. 114. *Det ipse Justinianus operam, ut Victor diaconus ab illis accusatus et alii perversas quaestiones objicientes in Urbem dirigantur.*

Hormisda Justiniano illustri.

Eulogio viro clarissimo filio nostro deferente litteras celsitudinis ep. 78.
vestrae suscepimus, eoque remeante debitum persolventes salutationis officium, significamus[1]), Scythas monachos allegasse plurima, quae nos relinquere indiscussa non possumus: sed legatorum nostrorum

---

90 [1]) Quae supra epist. 78, non proxime antecedens epist. 89.

[2]) Ed. *volentes*. Concinnius G[1] *nolentes*. Hoc scribit Hormisda, quia Justinianus epist. 78, ut monachos illos a se depellere dignaretur, semel atque iterum petierat. Mox ed. *habuimus*.

[3]) Eulogium videlicet magistrianum, qui epist. 77 eam ab causam a Justiniano destinatus dicitur.

[4]) c^6 seq. add. *ut*, quod elegantius reticetur.

[5]) G[1] a^1 *Eutychario*, mendose.

91 [1]) G[1] a^1 *significantes*.

Digitized by Google

(a. 519.) Deo juvante sustinemus[2]) adventum; pro qua re eos in Urbe credimus retinendos, a qua nec ipsi ordinatione dissentiunt. Amplitudinem vestram tamen retinere confidimus, quod de ipsis nobis praeterito tempore litteris[3]) destinatis scripserit. In quorum allegationibus, quum legatis remeantibus competenter fuerimus instructi, si quid reprehensione dignum cognitio nostra repererit, necesse est, ut circa eos teneamus ecclesiasticam disciplinam. Victorem[4]) praeterea, qui diaconis habere perhibetur officium, cujus fidem hi ipsi monachi vehementer accusant, vel alios, qui perversas forsitan objiciunt quaestiones, ordinatione domini filii nostri clementissimi imperatoris ad Urbem vobis suggerentibus dirigantur, ut universas allegationes de quibus contendunt nos possimus agnoscere.

Epistola 92.

(a. 519 d. 2 Sept.)

Hormisdae papae ad Eliam, Thomam et Nicostratum.

Se pro eorum causa ad imperatorem, Augustam, Justinianum et Germanum scripsisse p. 111
significat.

Hormisda Eliae, Thomae et Nicostrato episcopis.

Quanto mens nostra doloris vestri participatione fatigetur, supervacuum est apud probantes mutuam caritatem verbis adstruere: sed ille, qui et nostrum animum et vestros labores scrutator praescius intuetur, moerorem nostrum vestra in gaudium prosperitate convertat. Verum ne unquam pro vestro negotio sub allegatione justissima et blanda intercessione cessemus, noveritis nos tam ad clementissimum principem, quam ad praecellentissimam Augustam, nec non ad illustres et magnificos viros Justinianum atque Germanum filios nostros litteras destinasse, vestrum specialiter negotium continentes, quas viro sublimi Eulogio ita tradidimus, ut in vestro primum ponat arbitrio, utrum per vos eas eligatis offerre, an per ipsum potius per-

---

[2]) Al. *festinemus*. Hujus verbi loco *sustinemus* restituendum esse, inter alia persuadent haec Hormisdae epist. 103 n. 3 ad legatos de iisdem monachis dicta: *qui quum nollent sustinere vestrae dilectionis adventum*. Quibus ex verbis praeterea discimus, eos qui Hormisdae ordinationi atque consilio primum assenserant, eidem postea refragatos esse.

[3]) Iis videlicet, quas per Eulogium magistrianum destinarat, hoc est epistola 78, qua ut Hormisda Scythas monachos *digna correctione perculsos pellere juberet*, Justinianus postulabat. Quocirca proximum illud *praeterito tempore* non longum tempus antecedens, sed simpliciter id quod *antea* sonat. Forte prudens papa hac usus est loquendi ratione, ut sententiae, quam Justinianus circa Scythas monachos tulerat, subitam mutationem quodammodo tegeret. Tacite tamen notat inconstantiam ejus, et cur monachos illos non dimittat, rationem reddit.

[4]) Grammaticae leges *Victor* et subinde *vel alii*, non *vel alios*, exigunt. De hoc Victore epist. 98 n. 2 plura edisserentur.

Digitized by Google

latorem tam principi porrigantur quam ceteris, quas designavimus supra, personis. (a. 519.)

Epistola 93.

Hormisdae papae ad Justinum Augustum.

(a. 519 d. 2 Sept.)

p. 114. *Ut suis sedibus etiam Eliam, Thomatem et Nicostratum restituendos curet.*

Hormisda Justino Augusto.

Gloriosis clementiae vestrae laboribus ecclesiasticae prima[1]) concordiae et orbis pacati votiva tranquillitas generali praedicatione respondent. Quae res nostri parcum[2]) reddit ac retinet ad agendas gratias sermonis officium. Illud tamen, quod pro vobis indesinenter Domino nostro preces effundimus, non tacemus. Quia in votis infinitus affectus est, finitum esse potest in praedicatione judicium. Verum inter haec pietatis vestrae beneficia una nos, quae etiam vehementer afficit, cura non deserit, quod Eliam, Thomatem atque Nicostratum fratres et coepiscopos meos, qui primi ecclesiasticam festina secuti sunt devotione concordiam, non solum magni frustratur palma principii, verum etiam mali miseria comitatur exempli. Quare clementiam vestram mixto etiam precibus fletu deposcimus, ne gaudia nostra, quae de haereticorum quotidie conversione praestatis, praefatorum abjectio intoleranda conturbet: quia non sola personarum nos causa sollicitat, quibus et boni facti simul sufficere gloria posset et meriti, sed quod venerabilium constituta canonum contemnuntur[3]),

---

93 [1]) c^6 seq. *palma.* Sine auctoritate mutari non debuit *prima*, quod primas ac praecipuas partes sonat.

[2]) Hoc vel ad superiora refertur, ut quod generali praedicatione celebratur, non egeat peculiari, vel ad inferiora, quia quum in votis infinitus affectus sit, non possit nisi finitum esse in praedicatione judicium seu grati animi indicium, hoc est, quia verba desint, quae affectui respondeant. — Ibidem ed. *nostrum parcum ... taceamus ... uno nos.*

[3]) Addere debuisset *et imperialia edicta sperni*, si, ut scribit Baronius ad annum 518 n. 57, Justinus imperatur ipso anno 518 promulgasset edictum, *quo juberentur exsules omnes fidei causa sub Anastasio condemnati ad propria postlimino redire, pristinosque gradus atque honores recipere, subrogati vero in ipsorum locum haeretici procul pelli.* Nititur Baronius actis s. Sabae, in quibus n. 85 legere est: Justinum, *quum assumpsisset imperium, per universum orbem terrae misisse edictum, ut orthodoxi quidem remitterentur ab exsilio, Calchedonensis autem synodus scriberetur in sacris tabulis, et veteres honores redderentur orthodoxis, et rursus tranquilla pace frueretur Ecclesia.* An aliud dictum notat actorum istorum auctor ab iis principalibus praeceptis, quae Justinus epist. 66, hoc est anno 519 die 22 Aprilis, nondum quidem destinata dicit, sed destinanda pollicetur? Certe Thomae et sociorum eadem videtur exstitisse causa, quae episcoporum illorum, in quorum gratiam Leo epist. 93 c. 3 scribit: *Quia vero non ignoramus, plurimos episcopos, quia haeresim non reciperent, sedibus suis pulsos et in exsilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos: his primitus vulneribus adhibeatur medicina justitiae, nec quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; quum si, ut*

Digitized by Google

(a. 519.) et quod non parvam eorum abjectio apostolicae sedis tangit injuriam: ne[4]) Christianitatis vestrae sinceritas, qua et magnum patrocinium veteribus constitutis impenditis et sedis apostolicae principatum acta noviter veneratione sancitis, in uno inexpugnabilem relinquat posteris negotio quaestionem.

Epistola 94.

(a. 519 d. 2 Sept.)

Hormisdae papae ad Euphemiam Augustam.

Perpetuas pro ejus et imperatoris salute ad Deum se et catholicum quemque preces effundere. Eliam, Thomam et Nicostratum commendat. p. 114.

Hormisda Euphemiae Augustae.

1. Orare nos et pro vestra incolumitate Deo nostro vota persolvere cum catholicorum etiam coetu sine cessatione pontificum, non vestrae studium exorationis invitat, sed devotum atque persistens in ecclesiastica stimulat reconciliatione propositum. Quis enim ab haeretica segregatus conspiratione se teneat, quis aliis in sua utatur deprecatione principiis, nisi ut vobis serenissimoque principi jugali vestro et vita sit longior, et ad prosperitatis augmentum gratia divina proximior: qui initia felicis imperii plectendi exsecrationibus consecrastis erroris, et amicam diabolo pacifica expulistis intentione discordiam? Unde nunc decet vos laudabilibus coeptis insistere et per totum orbem perfectam spargere medicinam, quia Christo major numerus gregis oblatus mercedem confidenter exigit largiorem. Inter quae curae vestrae sit, ut nullum Satanas jamdudum prostratus vulnus efficiat[1]), sed communionis unitas magnum sit justitiae impetrandae suffragium.

2. Quaesumus namque, ut tandem de venerabilibus fratribus et coepiscopis nostris, Elia, Thomate atque Nicostrato, quod sacratissimorum canonum dictat auctoritas, vobis decernentibus impleatur: ne videantur ut auctores alicujus mali, quod primi ad unitatem sedis apostolicae festinarunt, in communi omnium gaudio soli meruisse percelli, et in facto laudabili victam personali odio cessisse justitiam. Nostris ergo precibus apud clementissimum Augustum vestras adjungite, ut fructum, quem illis patrum regulae tribui et conservari praecipiunt, inimica tergiversatio auferre non possit.

---

cupimus, errorem omnes relinquant, nemini quidem perire suus honor debeat, sed illis, qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio suo oporteat jus proprium reformari. Cum his confer Hormisdae dicta infra epist. 95.

[4]) Ed. *nec*, moxque *sancitis*, *uno*.

94 [1]) G^1 a^1 *afficiat*, moxque G^1 *junctam personali*.

Digitized by Google

Epistola 95.

Hormisdae papae ad Justinianum comitem.

(a. 519 d. 2 Sept.)

p. 114. *Illius studium erga ecclesiasticam pacem laudat. Ut Eliae, Thomae et Nicostrati patrocinium suscipiat, enixe precatur.*

Hormisda Justiniano illustri[1]).

1. Studium vestrum erga ecclesiasticam pacem et damnatos haereticae contentionis errores ipsis rerum effectibus approbamus; cujus vos operis magna immensaque sine dubio merces exspectat. Hinc est, quod quidquid pro canonum firmitate et pro apostolicae sedis reverentia necessarium duxerimus, magnitudini vestrae secura peragendum protinus praesumptione mandamus, quia cum magno vos gaudio pro causis talibus sperata suscipere, multiplicia hujusmodi exempla testantur. Quare omissis in longa circuitione principiis ad rem ipsam praesentis paginae verba convertimus.

2. Moeret Ecclesia, et in magno votivae unitatis exordio frui praestita non potest pro unius causae afflictione laetitia: hanc ut nobis sollicitudinem beneficia vestra submoveant, non parvis precibus exoramus. Angit nos enim et praesens dolor et futurorum occasio procurata certaminum, per quam et venerabilium patrum regulae negliguntur, et apostolicae sedis putatur auctoritas posse contemni. Nam quum divino clementissimique principis beneficio sed et vestro simul adnixu hi soli credantur esse pontifices et jure ecclesias continere, qui ad communionem nostram damnatis erroribus redire consentiunt: Eliae, Thomati atque Nicostrato fratribus et coepiscopis nostris, qui bonum causae etiam sub adverso imperatore dedere principium, non solum nihil ad provectum bona studia profuerunt, verum etiam collatae sibi a Domino obtinere nequeunt officia dignitatis, et extorres a commissis sibi gregibus subire coguntur miserias damnatorum. Quapropter quaesumus et per divinam vos misericordiam obtestamur, ut eorum causae, quae justa est, summum patrocinium et probatae vivacitatis impendatis affectum, piissimi principis haerendo[2]) vestigiis: quatenus eos tandem suis ecclesiis et pietatis intuitu et justitiae contemplatione restituat, quia in illorum contumelia[3]) ab inimicis asseritur optatum nostrae communionis displicuisse consortium.

---

95 [1]) Ed. *viro illustri;* vox *viro* constanter abest a G^1.

[2]) Hoc est demisse ac suppliciter eum exorando.

[3]) c^6 seq. *contumeliam.* Rectius G^1 a^1 *contumelia.* Hoc enim sibi vult: contumelia illa, qua a sedibus suis extorres tenentur, occasionem dari, qua sedis apostolicae adversarii jactitent, communionis ejus ab illis susceptae displicuisse consortium.

Digitized by Google

Epistola 96.

(a. 519 d. 2 Sept.)

Hormisdae papae ad Germanum virum illustrem.

Pro officiis Ecclesiae praestitis gratias agens, causam Eliae, Thomae et Nicostrati impense commendat. p. 114

Hormisda Germano viro illustrissimo[1]).

Excubantibus vobis probabili pro ecclesiastica pace proposito et tanto fidei calore ferventibus gratiarum actio sola non sufficit; quia nec vos humanae laudis praerogativa sollicitat, sed divinae exspectatio retributionis inflammat. Quod igitur maxime debemus, exsolvimus, et Deum nostrum, cujus vos causis impenditis, pro incolumitate vestra quotidie deprecamur, rogantes, ut studium vestrum in omni pro ecclesiasticae unitatis affectu parte sic ferveat, ut nullus boni relinquatur locus officii, ubi non paternis regulis vestrae patrocinium defensionis assistat. Praecipue tamen Eliae, Thomae atque Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum causa nos commovet, qui primi mundo necessariam secuti concordiam, ecclesiarum suarum privatione perculsi, cum venerabilium quoque canonum contumelia deprimuntur, fitque illis propriae reconciliationis gloria causa difficilis, quasi ipsi magis pertinaci mente restiterint, et aliis ad sedis apostolicae redeuntibus unitatem ipsi Ecclesiae magis membra discerpserint. Quod quam nobis durum sit quamque clementissimi temporibus imperatoris indignum, prudentiam vestram convenit aestimare, et tandem praestare remedium, quod et illorum labores et nostram grato possit solamine auferre moestitiam.

Epistola 97.

a. 519 d. 13 Oct.

Hormisdae papae ad Germanum aliosque legatos.

Quid de Johannis legati caede ejusque hospitis nece audierit, perstringit. Dorotheus episcopus et Aristides presbyter Thessalonicensis Romam mittantur, ipsi vero legati rerum omnium gestarum plenam relationem exhibeant.

Hormisda Germano et Johanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.[1])

1. Quum nos ecclesiasticae prosperitatis gaudia sublevarent, et prope plenum laboris vestri fructum quotidie carperemus, repente nos inimica universi, quae votive[2]) successerat, fama confudit: cujus

---

96 [1]) Quum Justinianum *illustrem* in epistola superiori et aliis nuncupare Hormisda satis habeat, illud *illustrissimo* sola nota *J* expressum unius librarii interpretationi deberi suspicio est. *Germanum* fratris Justiniani filium fuisse Procopius hist. arc. cap. 5 et alibi docet.

97 [1]) Per Leonem transmissa est, uti fidem facit epistola 110.

[2]) Vulg. *repente*. Revocamus *votive* ex G[1], in quo quum deinde sequatur

Digitized by Google

opinionis ordinem, etsi vobis necdum referentibus suspicamur incer- a. 519.
tum, pro ipsius rei tamen magnitudine credidimus non tacendum. Itaque perlatum est, fratrem et coepiscopum nostrum Johannem[3]), dum ad Thessalonicam pro suscipiendis tantum libellis qui promittebantur accederet, ita plebis irrationabili seditione concussum, ut exstincto primum eo, qui[4]) hospitium venienti praebuerat, ipse quoque non dissimili caede mactatus et vix sacrosancti fontis reverentia vindicatus evaserit: cujus seditionis initium sub interrogationis dolosae commento ab Aristide presbytero narratur exortum. Verum nos, si haec manifesta sunt, adeo de plebe non querimur. Erit in potestate venerandi principis, temporis sui et catholici sacerdotis injuriam qua jubeat resecare censura.

2. Sed id, quod ad nos attinet, cura pervigili per vos Deo propitio desideramus impleri, quia nullum volumus aut non reddita ratione converti aut sic rectam viam fidei profiteri, ut sibi a principe aliquid sine doctrinae remedio[5]) causetur imponi. Hoc igitur suggestione vestrae supplicationis peragite, ut Thessalonicensis episcopus, qui sub interrogationis obtentu ecclesiasticam pacem protracto in longum nititur dissipare negotio, quoniam a vobis suscipere noluit, a principe ad Urbem directus, ab apostolica percipiat sede doctrinam, et quidquid sibi dubium putet, huc veniens praesenti a nobis inquisitione condiscat; sic enim probare potest se catholicae professionis servare cautelam, non malitiose concepta vindicare certamina. Sciat nos paratos esse, et bene inquirentes instruere et errantes ad fidei rectum tramitem scientia duce revocare: quia si dubitans paratam non vult experiri doctrinam nec rursus in simplicitate cordis quae pacis et religionis causa jubentur admittere, in aperto est, qua mente vel Dei nostri praeceptis obsistat vel orthodoxi principis exempla contemnat. In hac ergo parte totus suggestionis vestrae actus immineat, quia nec illi alia possunt ratione salvari, et incitatae plebis sub[6]) hoc melius moderamine causa sedatur. Cum quo etiam Aristidem presbyterum clementissimus princeps ad nos venire praecipiat, quia, sicut praefati sumus, omnes, quorum pax ecclesiastica ambiguitate dividitur, simul ad communio-

---

successerant, hic restituendum esse suspicamur *de universis quae votive successerant*.

[3]) Unum scilicet ex legatis, quem propterea in epistola 100 et aliis minime cum ceteris legatis appellatum observamus.

[4]) Huic etiam Johanni nomen erat, uti prima epistolae 103 verba nos docent.

[5]) *Si enim*, inquit Augustinus epist. 93 n. 5, *terrerentur et non docerentur, improba quasi dominatio videretur*. Haec autem in primis propter ea dicta sunt, quae Dorotheus Thessalonicensis antistes praetexuisse mox innuitur.

[6]) b *Sub hac melius moderatione*. Retinendum *moderamine;* quae quidem vox *temperamentum* sonat, quo res componi queant.

Digitized by Google

a. 519. nem nostram depulsa mali erroris aegritudine catholicae scientiae cupimus sentire medicinam.

3. Praeterea mox ut praesentia vos contigerit scripta suscipere, debebitis ad nos de vestris aliquem destinare cum relatione, quae universa contineat, unde his, quae gesta sunt vel geruntur, sollicitudinem nostram relevare debeatis. Datarium quoque litteris vestris adjungite, ne vobis portitoris tarditas possit adscribi. Data III Idus Octobris, Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 98

seu

a. 519 d. 15 Oct.

Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam papam.

Ab agenda cum Scythis monachis coram episcopo Constantinopolitano causa sua se minime abhorrere (n. 1). Victoris diaconi et eorundem Scytharum coram praedicto episcopo gesta (n. 2); Nestorianos ab eis vocitari omnes, qui synodum Calchedonensem suscipiunt, quapropter ipse Dioscurus fidem suam exponit (n. 3). Maxentius se abbatem venditans, ne monachum quidem se esse probare valet. Achillis prava conscientia (n. 4).

1. Per Eulogium virum carissimum[1]) litteras beatitudinis vestrae suscepimus, in quibus significastis intentionem monachorum Scytharum, et quomodo visum fuerit apostolatui vestro, episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos et qui ab eis impetuntur audirer[2]). Mihi quidem non displicuerat, quia ubi conscientia cum Dei adjutório nulla formidine terretur, a nullo debet declinare, immo magis festinare, ut per examen quod verum est omnibus manifestetur.

2. Significastis mihi ab illis contestationem datam, ut non mihi haeretici jungerentur. Quos dicunt haereticos ego ignoro, nisi illos forte, qui synodum Calchedonensem suscipiunt, quos ego catholicos dico. Victor diaconus dicitur[3]). Quidam cum isto, antequam nos Constantinopolim ingrederemur, habuerunt intentionem de *uno de Trinitate crucifixo* et de *Christo composito,* et de aliis capitulis[4]) nobis

---

98 [1]) Ita G[1]. At ed. *virum sublimem.*

[2]) Ed. *audiret.* Subnexa Dioscori verba manifeste postulant *audirer.* Mox G[1] a[1] *terreretur* pro *terretur.*

[3]) H. e. haereticorum illorum nomine Victorem diaconum intelligunt.

[4]) G[1] a[1] *capitulis nobis hinc positis.* Capitula illa apud Maxentium duodecim anathematismis continentur, in quorum nono legere est: *Si quis non confitetur compositum Christum post incarnationem, anathema sit.* Quid vero *compositum Christum* dicerent, idem Maxentius respons. ad epist. Hormisd., ubi et Dioscorum Nestorianae haereseos postulat, circa medium explicat his verbis: *In his tenebris ideo devolvuntur, quia non juxta compositum Deum Verbum et ab eo susceptam naturam humanam unum intelligunt Christum; sed juxta alterius in altero habitationem, sicut superius docuimus, sive secundum duarum personarum socialem unitionem per gratiam, unam personam Christum intelligunt.* Sed dum Christum audimus

Digitized by Google

hic positis. Obtulerunt contra ipsum libellum tam nobis quam epi- a. 519.
scopo Constantinopolitano. Convenimus in domum episcopi, ut inter eos intentionem, quae vertebatur, agnosceremus. Praedictus episcopus synodum Calchedonensem protulit; legit ante omnes omnia, quae sunt in eodem concilio constituta, dicens: *Praeter ista nihil mihi aliud dicatur; qui sequitur ista, potest inter catholicos esse.* Praedictus Victor respondit: *Suscipio similiter et epistolas papae Leonis et sancti Cyrilli epistolas synodales, quae sunt in Calchedonensi concilio allegatae; et manu subscribo, et sacramentis confirmo, ista me suscipere et praeter ista nihil aliud praedicare; et si inventus fuero aliquando extra ista aliud praedicans, nullam circa me peto misericordiam.* Scythae e contra inchoaverunt dicere: *Addatur et „unus de Trinitate".* Nos e contra diximus: *Quod non est in quatuor conciliis definitum nec in epistolis beati papae Leonis, nos nec dicere possumus nec addere.* Displicuit hoc dictum. Victor tamen[5]) utrum sincero animo haec diceret an doloso, quis nosse potest, nisi qui corda cognoscit? Verba ista nos audivimus; Dei est, animum judicare. Postea sine nobis magnificus vir Vitalianus magister militum inter se et episcopum Constantinopolitanum vocaverunt praedictum Victorem, locuti sunt cum eo: quid definierint inter se, nescimus. Postea nec Victor ad nos venit, nec est causa dicta.

3. Isti tamen Scythae, sciat beatitudo vestra, omnes, qui accipiunt[6]) synodum Calchedonensem, Nestorianos dicunt dicentes: *Non sufficit synodus contra Nestorium;* sic debere synodum suscipere, quo modo ipsi exposuerint. Qui homines quales sunt, et quales intentiones habent, et quid volunt in fide catholica introducere, cum Dei adjutorio manifestatum est omnibus catholicis: nec indiget causa meo labore, quam pro sua misericordia Deus produxit ad lucem. Ego quod a patribus didici, quod semper Ecclesia catholica servavit, non tacui, non abscondi. Unus est Deus, de quo Moyses loquitur, dicens: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est;* et in alio Deut. 6, 4.
loco ait: *Dominus solus ducebat*[7]) *eos.* Unius substantiae credimus 32, 12.

---

compositum, cavendum est, ne *unam ejus ex Divinitate et humanitate compositam* esse *naturam* intelligamus: quod non patiendum esse Facundus pro defens. trium capitul. I, 5 merito docet. Paucis Justinianus in edicto adversus tria capitula non longe post initium rem sic explicat: *ex Deitate et humanitate unum Christum compositum dicentes, confusionem unitioni non introduximus.* Quum autem haec de illis capitulis disceptatio ante quam legati Constantinopolim ingrederentur coeperit, sequitur, ut 24 Martii praecesserit diem, utpote quo legati in illam urbem ingressi sunt.

[5]) Ita G[1], cc *autem ... dolose.*

[6]) H. e., qui non ea ratione accipiunt, qua interpretantur. Ipsi enim Dioscoro etiam epist. 75 n. 3 fatente, hoc ultro profitebantur: *Nos synodum Calchedonensem suscepimus.*

[7]) Dubium nobis non est, quin hic laudetur illud Deut. 32, 12 sec. Vulgatam,

Digitized by Google

a. 519. Trinitatem, quomodo praedixi, unam Deitatem; tres personas, quia nec plures deos dicimus, credentes unum Deum esse, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nec tres personas negamus, ne Sabellii dogma videamur sequi. Verum est, personam Filii, id est Verbi Dei, consubstantialem Patri[8]). Et ipsa caro facta est, ipsa in utero Mariae habitavit, ipsa naturam humanam suscepit sine peccato, ipse Filius Dei homo factus natus est de virgine Maria. Propter quod eam Dei genitricem dicimus et credimus, quia unitas Divinitatis et humanitatis, quae fieri coepta est, ex quo Mariae angelus Luc. 1, 28. Gabriel annuntiavit dicens: *Ave, Maria, gratia plena, Spiritus sanctus superveniet in te etc.*, non tantum in utero non est divisa[9]), sed nec in partu nec in nutrimentis nec in passione nec in sepulcro nec in resurrectione nec in coelo separata est: quia unus est Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, non in personis divisus, non in naturis separatus neque in potentia diversus. Idem est namque[10]) et sustinens passionem, quia omnes[11]) homines, aut dividens quomodo Nestorius, aut negans quomodo Eutyches, aut minus incarnationem credens quomodo Apollinaris, aut phantasiam introducens quomodo Manes, a fide catholica sunt incisi, homines operarii iniquitatis et hostes doctrinae apostolorum. Ista didici, ista audivi a majoribus nostris: et si forte extra ista quid debeamus sequi ignoro, exponente beatitudine vestra necesse est me sequi.

4. Maxentius tamen, quod sub abbatis vocabulo dixit se congregationem habere, si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio aut sub quo abbate monachus factus est, dicere non potest. Similiter et si de Achille dicere voluero, rem facio supervacuam: cui homini sufficit semper latere propter conscientiam suam ab omnibus catholicis damnatam. Data Idibus Octobris, Eutharico consule. Accepta XV Calendas Decembris, consule suprascripto[12]).

Dominus solus dux ejus fuit, adeoque etiam secundum hebraeam linguam legendum sit *ducebat*.

[8]) Supple *esse;* rursumque post *Et ipsa* subaudi *persona Filii*. Deinceps Dioscorus praevertit calumniam, qua ipsi etiam postea Johannes Maxentius resp. contra epist. Hormisdae hanc fidem affinxit: *Loci opportunitas exigit, ut demonstretur a nobis, qualiter et cur haeretici, ex quibus unus est Dioscorus, unam personam Christum praedicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Cristum confiteri nullatenus acquiescant. Personam igitur Dei Verbi habere asserunt Christum, non autem quod ipse Deus Verbum sit Christus, sicut personam Dei videbatur habere propheta ... quia Dei Verbi in se habitantis personam habeat, quae est una ex Trinitate, ut jam sic vicarius quodammodo sive minister sit Dei Verbi Christus.*

[9]) Scil. *unitas Divinitatis et humanitatis*, quae in Christi persona exstitit.

[10]) Hic desideratur *et creans mundum*, vel quid simile, quo ejusdem personae in duabus naturis unitas adstruatur.

[11]) Hic locus mendosus ita est restaurandus: *Ideo omnes hominem* (scil. *in Christo*) *aut dividentes ... a fide catholica sunt excisi, omnes operarii iniquitatis.*

[12]) Ita G[1]. Ed. *Rustico v. c. consule.*

Digitized by Google

Epistola 99

seu

Exemplum epistolae Justiniani ad Hormisdam papam.

(a. 519 d. 15 Oct.)

p. 114. *Num dicendum sit, unum de Trinitate fuisse crucifixum. Ut Scythas monachos remittat.*

Ut plenissima fidei perfectio doctrina beatitudinis vestrae nobis proveniat, iterum Eulogium virum strenuum agentem in rebus juxta alias[1]) causas etiam hacpropter direximus, per quem valde petimus, ut per omnia responso apostolatus vestri circumspecto et cautissimo in confessione catholicae fidei confirmetur. Post semel enim divina misericordia donatam Ecclesiae catholicae unitatem quidam asserunt Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere praedicari: quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur; quoniam verba videntur facere dissensionem, nam sensus[2]) inter catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, etiam in hoc praedecessores vestros sequentes, quorum memoriam et amplectimini et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum. Quia vero dictum est Scythicos monachos hac ratione ad sedem vestram accessisse, pro traditione patrum et ordine regularum praebito eis responso, nihil formidantes[3]) ad nos cum vestris litteris jubete remittere. Quarum etiam exemplaria consignata praedicto viro strenuo Eulogio dari praecipite. Haec enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur: quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes, vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari[4]).

---

99 [1]) Forte pro quibusdam negotiis apud Theodoricum regem tractandis: cujus rei causa Eulogium tribunum ac notarium anno 520 a se in Italiam transmissum esse Justinus imperator infra epist. 126 significat. — Mox ed. *hanc propter.*

[2]) Notandum est hoc Justiniani de controversia recens excitata judicium eo tempore, quo acrius fervebat disceptantium contentio, et contendentes sese mutuo haereseos insimulabant.

[3]) Ed. *formidante.* Orationis autem series postulat cum G[1] *formidantes.* Ad id quippe, quod Hormisda epist. 90 n. 2 Justiniano scripserat: *Monachos ad propria mox voluimus reverti, sed quia sub testificatione potentiae divinae dicebant, per insidias in itinere paratas vitae sustinere se posse discrimen ... passi non sumus expelli;* respondet nunc idem comes, nihil eis hujusmodi formidandum, adeoque nihil vetare, quominus remittantur.

[4]) Ita G[1]. Ed. *condonare.*

Digitized by Google

Epistola 100

seu

acc. 519 d. 28 Nov. (dat. c. d. 26 Oct.)

Suggestio Germani episcopi, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri ad Hormisdam papam.

Quid Thessalonicae actum sit, qua ratione Dorotheus populum ad seditionem praepararit, Johannes legatus ejusque hospes caesi sint, exponunt (n. 1—4): addunt, quomodo ipsi imperatorem contestati, et hic vindictam promiserit (n. 5). p. 114

1, Magna misericordia Dei est et inaestimabilia ejus judicia, qui nihil occultum dimittit, ut probetur uniuscujusque conscientia. Dorotheus Thessalonicensis[1]) non novus apparuit nec ad praesens factus, sed se demonstravit, quem olim vera praedicabat opinio. Iste semper in malis desideriis suis involutus, data occasione exseruit, quod contra fidem catholicam semper parturiebat scelus. In aliis ep. 65. litteris significavimus beatitudini vestrae, quo ordine transeuntes Thessalonica libellos non potuimus suscipere. Erat tamen constitutum post ordinationem sanctae ecclesiae Constantinopolitanae, unum ex nobis ad ipsum dirigere, quia hoc sperabat praedictus, ut unus ex nobis post susceptos libellos cum ipso missas teneret[2]), quasi testimonio habens in generalitate se ad unitatem sedis apostolicae esse conjunctum. Etsi tarde[3]), factum est tamen, ut venerabilem Johannem episcopum ad ipsum dirigeremus. Directus est cum ipso ex communi electione Epiphanius presbyter. Germanus[4]) venerabilis et illustris episcopus erat cum ipsis et Licinius comes scholae ex ordinatione clementissimi imperatoris.

2. Qui Licinius tamen quum prius pro alia causa esset Thessalonicam directus, congregata synodo de paroecia ecclesiae Thessalonicensis, ibi est inventus, exspectans secundum promissionem unum ex nobis. Voluerunt ipso praesente libellos facere et subscribere. Quod factum est: signavit ipsos libellos praedictus vir, et veniens Constantinopolim factum nuntiavit. Dicebatur nobis ab apocrisiario Dorothei: *Jubete dirigere, qui libellos suscipiat.* Denuntiatum[5]) est, sicut praediximus, venerabilem Johannem episcopum ambulare, ut haberet testimonium subscriptionis illorum. Rogavimus piissimum imperatorem, ut et comes Licinius ambularet cum eo: quod et factum est.

---

100 [1]) cc add. *episcopus.*

[2]) Ita G[1]. Ed. *celebraret.*

[3]) H. e. quamvis serius quam speraverunt ipsi legati, quia quod proxime post dies sanctos Paschae faciendum praefixerant, ut exponitur epist. 65 n. 1, circa Septembrem dilatum est. Tum editi contra G[1] *factum est tamen et venerabilem ... dirigentes.*

[4]) Is episcopus a Germano legato est distinguendus.

[5]) Ed. *Deliberatum est.* Mox correximus, quod in G[1] G[3] *nuntiatum est ... praesentia nostrorum.* b cc *nuntiatum ... praesentiam adesse nostrorum.*

Digitized by Google

3. Et quia pervenerunt in civitatem, nuntiata est Dorotheo per a. 519.
comitem Licinium praesentia nostrorum. Qui direxit Aristidem presbyterum cum aliis duobus episcopis, quos solus[6]) sciebat adversarios esse negotii, ut nostros videret. Cum quibus voluerunt facere in primis certamina de libellis, dicentes: *Sunt capitula, quae debeant emendari.* Dixerunt nostri, non esse in potestate ipsorum hoc facere: *si vultis facere, Deo gratias; si non vultis facere, venimus, salutavimus vos, perambulamus*[7]). Discesserunt post ista verba. Ad aliam diem convenerunt, iterum ista loquentes. Et antequam propositionem verborum fecissent, ubi[8]) non est intentio generata, non injuria secuta est, subito populus insanus irruit super ipsum, et duos pueros occiderunt episcopi, caput etiam fregerunt episcopo[9]) in duabus partibus, et renes ejus dissipaverunt, et nisi misericordia Dei et defensio sancti Marci basilicae[10]) eruisset eos de manibus eorum, ibi perierant. Liberati sunt tamen, quomodo dicitur, quia manus publica supervenit, quae eos eruere potuit.

4. Ista et istorum concinnamenta Dorothei malitia fabricavit, qui ante biduum, quam pervenirent nostri Thessalonicam, super duo millia baptizavit[11]), sacramenta tanta erogavit in populo, quae pos-

---

[6]) Ita G^1. b cc *solos*, quod si auctoritate vet. cod. fulciretur, haud displiceret. Quamquam librariis familiaris est litterae *o* in *u* mutatio. — Mox ed. *primum certamen ... debent.*

[7]) H. e. *recedemus et abibimus.* Quocirca male in c^6 seq. substitutum est *perambulavimus.*

[8]) b cc *ibi.* Retinendum cum G^1 G^3 a^1 *ubi*, hoc est: quum nec mota esset controversia, nec injuria secuta, qua populus provocari potuisset.

[9]) Scil. *Johanni legato*, ut etiam fama vulgante didicisse se Hormisda superius epist. 97 n. 1 scripsit. Quod autem ajunt caput Johannis *in duabus partibus* (non *in duas partes*) *fractum*, hoc est duobus vulneribus confossum.

[10]) Testatur Hormisda epist. 97 n. 1, Johannem, quum caesus fuisset, vix *sacrosancti fontis reverentia vindicatum* evasisse. Ipsemet Johannes infra epist. 102 n. 3 *se in baptisterio* absconditum scribit. Hinc vero sequitur, ut hoc baptisterium aedes s. Marco sacra fuerit.

[11]) Notandus hic locus, ac primo recolendum, Johannem cum sociis Thessalonicam circa Septembrem vel Augustum petiisse, adeoque tot hominibus baptismum extra Pascha et Pentecosten fuisse collatum. Quod quemadmodum obsidionis, persecutionis aliisque temporibus semper licitum, ita quum non imminerent hujusmodi discrimina, prohibitum fuisse docent Siricius epist. 1 c. 2 n. 3, Leo epist. 16 c. 5 et epist. 168 c. 1 ac Gelasius epist. 14 c. 10, 15 n. 4. Quocirca ex illo populorum ad baptismum confluentium singulari concursu recte arguunt legati seditiosum Dorothei animum, quo Johannis legati non secus atque crudelis et impii tyranni adventum repraesentarit. Observandus praeterea antiquus usus sacramenta, scil. corporis Christi, tanta populo erogandi, quanta ipsi possent ad tempora illa periculosa sufficere. Denique hoc Thessalonicae Dorothei artificio territis plebibus contigisse advertimus, quod Augustinus epist. 228 n. 8 in gravissimis discriminibus accedere solere enarrat in hunc modum: *An non cogitamus, quum ad istorum periculorum pervenitur extrema nec est potestas ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate*

Digitized by Google

a. 519. sint ipsis ad tempora sufficere, significans plebi, quia fides recta mutatur. Ista quomodo non habuerant excitare populum? Ista quem non invitabant ad seditionem? Post hoc et ipsum libellum, quem fecerat cum episcopis, ante populum scindit[12]), dicens: *Ego istud usque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus consentio.* Occiderunt et hominem venerabilem catholicum, qui nos venientes susceperat in domo sua, qui semper separatus fuit a communione Dorothei propter synodum Calchedonensem: in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi qui sanctum Proterium occiderunt.

5. Ista ad clementissimum imperatorem pervenerunt, et prope in tota civitate catholicis[13]) luctus est propter talia quae contigerunt scelera. Promittit sancta clementia vindicare et jactare Dorotheum, quia nos contestati sumus pietatem ejus, dicentes: *Nulla ratione Dorotheum inter episcopos aut in communione sedis apostolicae potest beatissimus papa recipere, et contra qui voluerint eum in sua communione recipere, scire se esse reos auctoritate ecclesiastica.* Ista ad notitiam beatitudinis vestrae festinavimus referre, ut nihil vos lateat, quod in istis partibus agitur. Accepta IV Calendas Decembris, Eutharico consule.

Epistola 101.

a. 519 d. 17 Nov.

Justini Augusti ad Hormisdam papam.

Se episcopum ab Hormisda recommendatum grato animo suscepisse; de opera tamen et favore sacrosanctis ecclesiis inferendo reditum legatorum et responsum Trasamundi exspectandum esse. p. 115

Justinus Augustus Hormisdae.

Illustrem virum episcopum reverentissimum[1]) grato suscepimus animo non pro honore tantum qui debetur sacerdotibus, verum etiam pro affectu vestrae sanctitudinis. Nam quicunque tuo comprobatus judicio fuerit, est apud nos etiam judicatus probatissimus. De opera tamen et favore, qui sacrosanctis inferendus est eorum ecclesiis,

---

concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem et sacramentorum confectionem et erogationem. Ubi rursum Eucharistia simplici *sacramentorum* nomine enuntiatur. Has autem observationes illustrat et confirmat sequens epistola.

[12]) b c c *scidit.* Mox iidem addiderunt *Joannem* (post *hominem*), ex epistola 103 n. 1.

[13]) Ed. *catholicus.* Mox *promittit sancta clementia* perinde est atque *promittit pius imperator.* Ibidem ed. *vindicare et citare.*

101 [1]) Ita G[1]; Ball. *R.* quasi signum nominis proprii. Num hic episcopus Germanus dicatur, qui caput legationis Hormisdae erat, an Possessor Zabensis in Mauritania Sitifensi episcopus, qui jam inde ab anno 517 Constantinopoli versabatur (cf. supra ep. 31, et infra ep. 115 et 124), an novus quis ex Africa advena episcopus pro calamitatibus illius ecclesiae opem postulaturus, parum constat. — Mox *eorum* (ante *ecclesiis*) cum G[3] addidimus.

Digitized by Google

tunc demum opportunius statuetur, quum legati, quos nuper ad regem magnificum Trasamundum destinasse noscimur, reversi propitia Divinitate responsum nobis detulerint. Vestra autem beatitudo supremum nobis praesidium indefessis orationibus postulare dignetur. Data XV Calendas Decembris Constantinopoli, domino Justino perpetuo Augusto. Accepta XI Calendas Junii, Rustico consule. a. 519.

Epistola 102

seu

Indiculus, qui directus est a Johanne episcopo vel ab Epiphanio presbytero de Thessalonica. (a. 519 m. Nov.)

p. 115. *De episcopis, qui in judicio praefectorum accusati, Thessalonica Constantinopolim adducti sunt: eorum fallacia, malignitas haeretica exponitur.*

1. Si pro peccatis nostris isti, qui hinc adducti[1]) sunt, episcopi Constantinopolim fuerint ingressi, non dicamus, quia imperatorem visuri sunt modis omnibus, sed[2]) suis locis restituentur. Tantas enim pecunias secum detulerunt, ut non homines sed possint angelos excaecare. Si ergo, quod absit, ingressi fuerint, tanta falsa per nostram absentiam dicturi sunt, quanta potest diabolus invenire. Nam si hic[3]) in conspectu nostro plura tentaverunt, et Domino nobiscum stante confusi sunt, quanta facient per absentiam nostri? Ut ergo eorum possit dissipari malignitas, jubete nobis praesentibus[4]), si ad audientiam pro peccatis ventum fuerit: ut constet apud homines, nos immerito mortuos esse, et illos patrocinio pecuniae laborare. Nos enim eos in omnibus in conspectu senatus convincere possumus, quod haeretici perfecti sunt; tunc demum eorum potest monstrari fallacia.

2. Item dicendum: Si haeretici non sunt, quomodo ante duas hebdomadas, quam nos venissemus, statuerunt omnes in unum episcopi, ne quis missas foras civitatem teneret, sed[5]) hic omnes, ut et mul-

---

102 [1]) b cc *abducti*. Hic forte praeter Dorotheum duo illi notantur episcopi, qui in superiore epistola dicuntur a Dorotheo ad congrediendum cum legato missi, ut *quos* ille *sciebat adversarios esse negotii*, propter quod Johannes veniebat.

[2]) G[1] a[1] *et suis*, b cc *Sed quod et suis*. Propius abest nostra correctio a primigenia lectione. Nam in veteribus libris frequens est *set* pro *sed*, et librariis familiare est vocis alicujus litteram primam, quum eadem desinit vox antecedens, omittere.

[3]) G[1] a[1] *hinc in conspectu vestro* (G[1] *nostro*).

[4]) Supple *eos audiri*. Mox ideo *nos mortuos* dicunt, quia quum ipse Johannes graviter caesus, tum duo ipsius pueri cum hospite necati sint. Subinde *laborare* non id quod *egere*, sed contra *plura audere ac moliri* sonat.

[5]) In prius vulgatis *teneret? Sed hinc omnes, ut*: locus omni destitutus intellectu, qui quidem mutata interpunctione, atque *hic* pro *hinc*, ut et paulo ante faciendum fuit, restituto jam integer redditur. Ajunt cautum esse, ut

Digitized by Google

(a. 519.) titudo esset futurae seditioni congregata, et doceri possit secundum errores eorum? Qui postquam senserunt nos venire[6]), publice praedicaverunt festinandum esse cum parvulis, ne persecutione veniente pagani morerentur infantes: et tunc velut ad alterum Pascha tantos baptizaverunt[7]), ut consuetam festivitatem superarent. Item dicendum: Si haeretici non sunt, quomodo tanta sacramenta confecerunt, ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente, sicut dicebant, persecutione communicare non possent? Item si haeretici non sunt, posteaquam[8]) accusati sunt gestis a Candido viro sublimi, vicario magistri militum praetorianorum, in judicio praefectorum, et[9]) sibi maturum periculum cognoscerent adfuturum: quare denuo, tamquam damnandi, velut[10]) subvenire iterum parvulis cupientes, tanta rursum et confutati exercuerunt baptismata, ut vere cunctis se haereticos ostendissent? Ad quam rem satis et magnifica potestas praefectorum gravissime indignata est.

3. Item si haeretici non sunt, quomodo quum in baptisterio absconditi[11]) essemus, consilio inter se habito per noctem, veluti de periculo liberare nos volentes, in navi mittere voluerunt, ut hac occasione mari praecipites darent? Quumque nos respondissemus per Demetrium et Andream diaconos: *Omnes nos apud vos esse cognoscunt; quomodo per noctem navigare possumus? Sed si vos vere pro*

---

nemo extra, sed omnes intra Thessalonicensem civitatem, e qua hunc indiculum scribunt, missas tenerent, quo major multitudo congregata et comparata ad seditionem foret.

[6]) Ed. *venisse, publicaverunt*, rectius G[1] *venire*. Quod enim narrant, factum est biduo antequam pervenirent, ut in epistola 100 n. 4 declaratur.

[7]) Legati in epistola 100 n. 4 *super duo millia* baptizatos narrant, nunc numerum silent. Ex quo confirmatur quod proxime observabamus, eos quibus scribunt, aliunde quam ex hoc indiculo de rebus tum gestis fuisse edoctos. Dorotheus autem id affectans imitari, quod persecutionum temporibus fieri solebat, veterem nos docet usum canistra sacramentis corporis Christi plena fidelibus erogandi, ut Eucharistiae perceptione et sacra communione non fraudarentur, etiam quum persecutione saeviente sacros conventus adire aut celebrare non liceret.

[8]) b cc *postea quare accusatis*. Felicius exinde idem cardinalis, ubi obtinebat *praeter*, restituit *praetorianorum* (G[1] *pt̃*).

[9]) G[1] *et sibi ... cognoscerent*. Ed. *praefectorum? Et si ... cognoscent.*

[10]) Ita G[1]. Ed. *velint*, unde recte a[1] ad marg. notat *locus obscurus*, nec a[1] extricare satis valuit (suasit resarciendum: *damnandi citra judicium fuerint, iterum etc*). — Hinc docemur, Dorotheum cum suis baptismum bis intempestive administrasse, semel antequam Johannes legatus Thessalonicam pervenisset, et iterum, quum eos ille confutasset atque accusati jam essent in judicio praefectorum.

[11]) G[1] *absconsi essemus*, ac deinde cum ed. *consilium inter se habitum*, mendo antiquariis satis familiari. — Subinde a[1] *darentur*, G[1] b cc *darent* (scil. *nos*, a[1] mut. *daremur*.

Digitized by Google

nostra salute consulitis[12]), *crastina die secrete quinque vel sex senatores, qui periculum substantiae vel salutis suae metuunt, una cum magistri militum vicario Candido comite jubete advocare; cognoscant et ipsi ubi transferimur, et facimus quod *jubent; sin autem soli secretim, hoc non facimus:* tunc illi non invenientes effectum, ad horam tacuerunt, et alia die iterum seditionem populi commoverunt, unde vix Deo volente evasimus. (a. 519.) *f. *jubetis*

Epistola 103.

Hormisdae papae ad Germanum et Johannem episcopos et Blandum presbyterum.

a. 519 d. 3 Dec.

p. 115. *Ut Dorotheus Thessalonicensis procul ab ecclesia sua relegetur aut dirigatur Romam. Ne Aristidem in ejusdem locum suffici sinant, sed virum eligant catholicis acceptum (n. 1). Thomam et Nicostratum ecclesiis propriis ita restituendos, ut eorum occupatores, si rectae sint fidei, alibi ordinentur (n. 2). Scythas monachos Romae ad legatorum adventum sollicitius custodiri (n. 3).*

Hormisda Germano et Johanni episcopis et Blando presbytero.

1. Graviter nos Johannis catholici afflixit interitus, quem haeretici Dorothei vesania perhibetis[1]) exstinctum. Nam eumdem Dorotheum Constantinopolim jussu[2]) principis didicimus evocatum. Adversus quem domino et filio nostro clementissimo principi debetis insistere, ne ad eamdem civitatem denuo revertatur, sed episcopatus, quem nunquam bene gessit, honore deposito, ab eodem loco ac ecclesia longius relegetur, vel certe huc ad Urbem sub prosecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiam partem evigilare debetis, ne in locum ejus Aristides totius mali incentor et conscius quibuslibet subreptionibus ordinetur; nam nulli prodest mutari personam, si ejusdem forma nequitiae perseveret: sed talem virum debetis eligere, ut de judicio vestro cuncta catholicorum congregatio gratuletur. ep. 100.

2. Iis igitur observatis, pro Thomae et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum personis intentio dilectionis vestrae vehementer debet incumbere. Nam quid prodest Ecclesiam redintegrasse, si ab ejus corpore sacerdotes videamus extraneos, quos in nostram communionem vos caute aut rationabiliter non ignorastis esse susceptos? Unde non leviter nos res ista contristat, si ab iis, qui

[12]) G[1] *consuletis*. Unde magis placet cum a[1] *consulitis*, quam cum b cc *consuluistis*. Mox ed. *magistris militum et vicario*.

103 [1]) Hoc perhibent epist. 100, nec mirum videri debet, quod hospitis occisi nomen ab illis praetermissum Hormisda exprimat, quum aliunde illud compertum habere potuisset.

[2]) Eo pacto festinavit imperator implere, quod epist. 100 n. 5 promisisse significatur.

Digitized by Google

a. 519. sedis apostolicae praedicationem sequuntur, negligantur qui in ejus fide et consensu recepti sunt. Idcirco, sicut hortati sumus, pro eorum communione[3]) atque loco serenissimo principi vehementer
ep. 93 insistite[4]), (nam in eadem causa domino et filio nostro clementissimo
et 95. principi et viro illustri Justiniano filio nostro scripta direximus), hortantes, ut cum vestra, quantum ad ecclesiarum suarum receptionem pertinet, debeant caritate tractare. De eo vos articulo nostrae ordinationis suspicamur non immemores. Diximus enim, quemadmodum exclusis occupatoribus hi, de quibus loquimur, ad proprias revertantur ecclesias, ut illi alibi, si tamen rectae sunt fidei, ordinentur.

3. De personis Scytharum monachorum Justinianus vir illustris
ep. 89. nobis scripsit[5]), quarum exemplaria litterarum fraternitati vestrae direximus; qui quum nollent sustinere vestrae dilectionis adventum, et observationum moras se dicerent ferre non posse, tentaverunt clam de Urbe discedere. Quos tum nos fecimus sollicitius custodiri, ea quae de vobis contraria dixerunt volentes agnoscere, ut quum reversi Deo propitio fueritis, eorum error[6]) rationabilibus adhortationibus corrigatur. Data III Nonas Decembris, Eutharico viro clarissimo consule.

Epistola 104.

(a. 519 d. 3 Dec.)

Hormisdae papae ad Dioscorum diaconum.

Ut cogitet, quomodo ii, qui Calchedonense concilium scripto damnaverant, recipiendi sint. Ecclesias Alexandrinam et Antiochenam, nec non Thomam, Nicostratum et Johannem Nicopolitanum ei commendat. p. 115

Hormisda Dioscoro diacono[1]).

1. De laboris tui, quem cum Dei omnipotentis juvamine suscepisti, pro ea parte, quae acta est, gratulamur effectu; et indicamus, ut quemadmodum revocandi sunt hi, qui ex scripto Calchedonensis concilii constituta damnaverunt, debeas cogitare, ne[2]) forsitan tales non schismatici sed magis haeretici videantur. An certe una sit causa tam eorum, qui sermonibus, quam eorum, qui convincuntur

---

[3]) Quia nimirum et a communione suspensi, et a sedibus suis erant ejecti, uti diserte docetur epist. 106.

[4]) Ed. *insistere.* Mox G[1] *hortantes ut,* ubi ed. *hortantes eum, ut.*

[5]) Tres de iis exstant Justiniani epistolae, scil. 78, 89 et 99. Ex iis autem vel 89 vel 99 videtur memorari. — Mox ed. *faciemus.*

[6]) Non tam ex sententia sua, quam ex legatorum nominatimque Dioscori, Scythis *errorem* hic Hormisda attribuit. Certum enim est, eum de illorum causa nihil hactenus judicare voluisse, sed ejus cognitionem ad legatorum reditum distulisse.

104 [1]) Inscriptio nulla exstat in G[1].

[2]) Ed. *cogitare. Forsitan.* Mox G[1] *conjunguntur scripto.*

Digitized by Google

scripto damnasse[3]), quia per hanc distantiam filius noster vir illu- (a. 519.)
stris Albinus religiosus videtur facere quaestionem? Et cogita, utrum et scribentes contra Calchedonense concilium per illum generalem libellum tantum suscipi debeant, an certe aliquid amplius adjicere[4]).

2. De Alexandrina et Antiochena ecclesiis[5]) solatio Dei nostri adjutus enitere, ut omnibus recte dispositis communioni catholicae socientur. Thomae quoque et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum observatio[6]) nos longa contristat; et miramur, cur apud catholicum principem rectae fidei laborare videantur episcopi, quorum desideria tua debebit caritas sublevare agendo, quatenus optata consequentium[7]) moeror converti possit in gaudium.

3. Johannes Nicopolitanus episcopus per Ammonium diaconum nobis scripsit, quod ei aliqui malevoli apud principem nituntur generare calumniam: quem dilectioni tuae commendamus hortantes, ut elabores, ne ejus quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium diaconum ad nos venientem in sedis apostolicae noluimus communione suscipere tamdiu, donec habito cum Sergio diacono tractatu, quid ordinari debuerit, quaereremus; et hoc deliberatio nostra supradicto[8]) diacono probabilis invenit, ut per testimonium libelli communioni catholicae jungeretur: quem libellum sollemniter oblatum, et nostrae offerentem communioni significamus adjunctum. Data.

Epistola 105.

Hormisdae papae ad Dioscorum diaconum.

(a. 519 d. 3 Dec.)

p. 115. *Quae per eum acta, Italiae populis placuisse. Ad imperatorem se litteras daturum, ut ipsum Alexandrinae ecclesiae praeficiendum curet (n. 1). Thomam, Nicostratum, Johannem Nicopolitanum et Paulinum defensorem ei commendat. Ne pro reditus festinatione quid indispositum aut non ordinatum relinquat.*

Hormisda Dioscoro diacono.

1. De laboris tui quidem, quem Dei omnipotentis juvamine

---

[3]) Supple Calchedonensem synodum. Deinde mallemus *quia propter hanc distantiam* ceu *propter hoc discrimen.*

[4]) In vulg. *addicere;* in G[1] quum legatur *adicere,* non littera *d* sed *i* geminanda fuit.

[5]) Dum haec scribebat Hormisda, Antiochenae ecclesiae episcopatum Dorotheo destinatum esse nondum audierat.

[6]) Eodem intellectu in epistola superiori n. 3 narrantur Scythae monachi dicere, *observationum moras se ferre non posse.* Quocirca *observationes* ibi perinde intelligere est, atque *dilationes,* seu ut Hormisda epist. 144 loquitur, *tarditates.*

[7]) Ita G[1] a[1]. Al. *consequendo.* Moxque illud *ei* ad Ammonium, ut ex subnexis liquet, refertur.

[8]) Ed. add. *de* et sub fin. *consule supra scripto.* Ibid. in seq. epistola *quo libello ... oblato.*

Digitized by Google

a. 519. suscepisti, pro ea parte, quae acta est, gratulamur effectu, indicantes, omnibus Italiae populis quae auctore Deo per te acta sunt placuisse; et gratias Deo nostro sine cessatione persolvimus, qui te fecit agnoscere, quia non pro odio[1]) sed pro causae magis fueris amplitudine destinatus. Unde quoniam supplicem[2]) et puram cogitationem nostram per te misericordia divinae propitiationis adjuvit, necesse est, ut de industriae vel fatigationis tuae praemio et vicissitudine cogitemus. Nam sequenti tempore scribere domino et filio nostro imperatori disponimus, ut te Alexandrinum episcopum debeat ordinare. Justum est enim, ut ea doctrina et moderatione tua corrigatur ecclesia, in qua praecipue ab ipsis aetatis tuae principiis militasti. Nam displicuit nobis, quod caritatem tuam clementissimus imperator Antiochenae praeponere nitebatur ecclesiae. Melius enim in solo patriae tanti accipies sacerdotii dignitatem, ut Aegyptios populos doceas, quam inter Syros, novos et incognitos homines, in alia orbis parte progenitus errare[3]) videaris.

2. Thomae quoque et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum observatio longa nos contristat, et miramur, cur apud catholicum principem rectae fidei laborare videantur episcopi; quorum desideria tua debebit caritas sublevare agendo, quatenus optata consequentium[4]) moeror converti possit in gaudium.

3. Johannes Nicopolitanus episcopus per Ammonium diaconum nobis scripsit, quod ei aliqui malevoli apud principem nituntur generare calumniam: quem dilectioni tuae commendamus hortantes, ut elabores, ne ejus quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium diaconum ad nos venientem in sedis apostolicae noluimus communione suscipere tamdiu, donec habito cum Sergio diacono tractatu, quid ordinari debuerit, quaereremus; et hoc deliberatio nostra[5]) supradicto diacono probabilis invenit, ut per testimonium libelli communioni catholicae jungeretur. Quo libello sollemniter oblato nostrae offerentem communioni significamus adjunctum.

4. Paulinum ecclesiae Romanae defensorem commendamus. Et hortamur, ut nihil indispositum pro festinatione vestri reditus relinquatis[6]): quia melius cuncta sub prolixitate temporis cum Dei nostri

---

105 [1]) Hoc verbo innuitur, Dioscorum primo legationis munus hac ratione excusasse, quod inde sibi odium invidiamque concitari timeret, vel etiam quod odio progressus sui ab ecclesiae suae gremio abstraheretur.

[2]) Concinnior videretur vox *simplicem:* nisi forte hic memorat Hormisda preces, quibus Dioscorum ne legationem recusaret obtestatus est.

[3]) Hoc est: peregrinus esse videaris adeoque praeter canonicas leges electus.

[4]) Ed. ut supra *consequendo.*

[5]) Ed. add. *de.*

[6]) Hac in re prudentem pontificem sequi non pudet consilium piissimae feminae Julianae Aniciae, quae epist. 71 ad ipsum scripserat: *Sanctitatem vestram admonemus, ut intimetis destinatis a vobis reverendissimis viris, nullo modo abscedere,*

Digitized by Google

juvamine disponuntur, et gratius est, ut sub mora omnium ecclesia- a. 519.
rum ordinetur status, quam quum per festinationem aliquid imperfectum remaneat, unde iterum et labor nobis generetur et nostris afferatur ordinationibus difficultas. Data[7]) consule suprascripto.

Epistola 106.

Hormisdae papae ad Johannem Constantinopolitanum.

(a. 519 d. 3 Dec.)

Thoma et Nicostrato Constantinopoli indigne susceptis, se ipsum spretum videri. Iis quam primum consultum vult.

Hormisda Johanni[1]) episcopo Constantinopolitano.

Reperimus Thomatem et Nicostratum fratres et coepiscopos nostros Constantinopoli non ita susceptos, sicuti nostra fuere desideria, et ipsi semper optabant. Non solum enim loca eis debita[2]) dicuntur ablata, sed a communione quoque eos cognovimus fuisse suspensos. Quod quam acerbe ferat animus noster, etiam fraternitatem et dilectionem tuam credimus aestimare. Et ideo quantam diligentiam causae videtis magnitudinem poscere, tantam vos efficaciam debetis sine mora praestare, et agere, ne nos magis, apud[3]) quos fuerunt, videamur esse contempti; quum illis contra, quam desiderium commune habuit, sollicitudinis molestia fuerit indecenter injecta in tantum, ut nec de facultatibus eorum, quae eis dicuntur invasae, a fratre et coepiscopo nostro Johanne, dicatur aliquod[4])

---

antequam, sicut perviderit, ut oportet, firmentur ea quae bene disposita sunt ab eis.

[7]) G[1] *Data dīs coñs. s̄s*, ed. *Data supradicto consule.*

106 [1]) In vulg. *Johanni episcopo et Dioscoro diacono.* Addimus cum G[1] *Constantinopolitano.* In eodem G[1] quidem postea hic adjicitur *et Dioscoro diacono*, sed in praevio illius indice generali haec verba absunt. Et ea quidem abesse debere inde nobis persuasum est: 1° quod in ea Hormisda unum et singularem alloquitur his verbis *fraternitatem et dilectionem tuam* (non *vestram*) *credimus aestimare;* 2° quod eam in epistola 144 recolat ac memoret ut ad unum Johannem scriptam; 3° quod non aliter de ea in subnexa epistola 107 loquatur. Verum antiquarius, hujus epistolae 107 illud legens: *tam ad Johannem fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, quam dilectissimo filio nostro Dioscoro diacono per litteras injunximus*, in eum inductus est errorem, ut unam eamdemque epistolam ibi designari, adeoque hanc 106 non tantum Johanni episcopo, sed et Dioscoro diacono inscribendam existimaret.

[2]) H. e. *sedes et ecclesiae propriae.*

[3]) Ellipticus locus ita est explicandus, quasi legeretur: *apud eos, apud quos fuerunt, spreti videamur* etc.

[4]) Mallemus *aliquid ordinatum*, unde scilicet necessaria vitae subsidia perciperent. De quo Johanne hic loquatur Hormisda, obscurum est. Tantum observamus, tunc temporis ecclesiae Jerosolymitanae ac tribus Palaestinis praefuisse Johannem, cujus epistola synodica ad Johannem Constantinopolitanum concilii Constantinopolitani sub Mena actioni V (Hard. II, 1342) inserta est, eique primum subscribere Johannem Caesareae (in Palaestina) episcopum. Nec deest conjectura,

Digitized by Google

a. 519. ordinatum, nec litteras nostras, quas per eos misimus[5]), fuisse susceptas. De quibus omnibus ita vos agere desideramus instanter, ut ad nos caritas vestra de effectu hujus causae valeat sub celeritate rescribere. Data quo supra consule.

Epistola 107.

(a. 519 d. 3 Dec.)

Hormisdae papae ad Thomam et Nicostratum episcopos.

De eorum causa se semper sollicitum fuisse ejusque curam nuper Johanni et Dioscoro demandasse.

Hormisda Thomae et Nicostrato episcopis.

Animum nostrum pro negotio vestro otiosum aut desidem non putetis; nam non aliter de vestra fatigatione quam de propria cogitamus. Mena siquidem ecclesiae nostrae notario insinuante, cognovimus caritatem vestram adhuc observationum molestias sustinere. Et ideo ut[1]) istis adversitatibus Deus omnipotens dignetur praestare remedium, tam ad
ep. 106. Johannem fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, quam
ep. 105. filio nostro Dioscoro diacono per litteras nostras injunximus, ut domino et filio nostro Justino principi necessitatem et causam vestrae dilectionis insinuet, et instanter agat, quatenus desideriis vestris dominus noster congruum dignetur praestare effectum. Cum quo Dioscoro diacono debet loqui vestra fraternitas, quia necesse est, ut intentioni vestrae vel intuitu catholicae communionis vel considerationе nostrae adhortationis studeat. Data quo supra consule.

Epistola 108.

a. 520 d. 19 Jan.

Justini Augusti ad Hormisdam papam.

Preces sibi ab Orientalibus porrectas significat, in quibus illi quaedam de fide disserunt, quae Dioscoro non satis probantur. Missurum se, qui eas ad Hormisdam ferat et responsum ipsius referat. p. 116

Justinus Augustus Hormisdae papae.

Quanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis ecclesiis, jamdudum nos palam fecisse dignoscitur: qui ab ineunte
ep. 42. nostro imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, ut interventu eorum remedium aliquod his rebus

---

alterutrum ex illis duobus episcopis hic notari. Sed neque perspicuum est, utrum illud *a fratre et coepiscopo nostro Johanne* ad verbum *invasae*, an ad *ordinatum* referendum sit, licet qui nos praecesserunt editores ad *invasae* referre non dubitarint.

[5]) Videlicet in epistola 92 ad Eliam, Thomam et Nicostratum scripta recensitas: quas ideo dicit *per eos missas*, quia ibi eorum permittit arbitrio, *utrum per vos*, inquit, *eas eligatis offerre*, an *per ipsum potius perlatorem*. Sed et eos elegisse, ut per se illas offerrent, hinc colligitur.

107 [1]) Ed. *in*, moxque *quam dilectissimo filio ... nostrae dilectionis*.

Digitized by Google

inveniri possit; et antequam advenerint qui destinati sunt, cuncta a. 520.
praeparavimus, quo facilius transigerentur, quae per hanc florentissimam urbem disponenda fuerant. Verum quoniam preces nostro ep. 129 n. 5.
numini porrectae sunt ex diversis Eois provinciis, certa quaedam disserentibus pro fide catholica, secretaque suae mentis declarantibus, quae apud se pro individua Trinitate constituta testantur, quaeque firmiter sese recepturos[1]) ostendunt; hisque relectis, Dioscorus aliqua asseruit non convenienti ordine inserta fuisse: merito duximus aperienda vobis ea, quae sumus edocti. Non multo itaque post a nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus et insinuandas vobis supplicationes quae nobis oblatae sunt, et responsum pietatis vestrae referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruae. Securi igitur de nostro concilio, sollicitis orationibus placare nobis Divinitatem summam dignemini. Data XIV Calendas Februarii Constantinopoli, Vitaliano et Rustico consulibus.

Epistola 109

seu

Exemplar relationis Johannis episcopi Constantinopolitani. a. 520 d. 19 Jan.

Proximum Pascha d. 19 Aprilis celebrandum ex repositis Constantinopoli diei paschalis annalibus nuntiat.

Domino per omnia amabili Deo, sanctissimoque fratri comministratori Hormisdae in Domino salutem.

1. Quemadmodum puro corde et caritate spirituali apud nosmetipsos habemus te, frater carissime, et quemadmodum te per omnia ducimus venerandum, ex operibus his[1]) satisfactum esse vestrae reverentiae judicamus. Dominicae obsequentes voci manifeste clamanti: *Quae vultis ut faciant vobis homines, sic et vos facite eis,* et apostoli- Matth. 7, 12.
cam doctrinam amplectentes docentem: *Vos invicem honore praevenientes*; haec operibus ostendere festinamus, vinculum insolubile Rom. 12, 10.
spirituali caritate ad[2]) unitionem sanctarum ecclesiarum continentes,

---

108 [1]) Non modo ea se recepturos, sed ab initio suscepisse et constanter propugnasse affirmant. Qui infra epist. 129 n. 4 ab eodem imperatore de eodem libello dictum legerit: *in quo sese duraturos ostendunt firmiter, et quo nulla ratione desistendum aestimant,* vix dubitabit, quin hic restituendum sit *sese retenturos ostendunt.* Ibidem G^1 cc *ostenditur*, moxque a^1 *his relictis*, ubi al. *relectis.*

109 [1]) Redundare videtur pronomen *his* atque interpretis esse, qui linguae latinae potestatem ac proprietatem non satis callens, articulum graecum τοῖς reticere timuit.

[2]) Ita c^6 seq., quum G^1 a^1 *adunationem ... quae nec ... nec* (G^1 add. *contrariorum*) *... fluctuationibus malorum principi vel veritatis inimico ... sanctae et consubstantialis Trinitatis intercessione.*

Digitized by Google

a. 520. quo nec contrariorum spirituum ictibus nec fluctuationibus malorum principis vel veritatis inimici titubare possimus, auxiliante nobis sancta et consubstantiali Trinitate intercessione gloriosae et verae Dei genitricis Mariae: per quae praecipue nobis, domine atque sanctissime, immobilem permanere oramus nostrarum vestrarumque sanctarum ecclesiarum statum, nihilominus et inseparabilem custodire fidei unitionem; potens est enim Deus victoriae palmam sperantibus in eum sine certamine condonare.

2. Instantis autem dominicae[3]) passionis numerum, qui vestris continetur litteris, ex repositis apud nos diei paschalis annalibus recte habere significamus: et ante quidem scientes et nunc scrupulosius requirentes, sine dubitatione mundi[4]) festivitatem incolumes vos celebrare XIII Calendarum Majarum die optamus, qui est proprie nonus decimus dies futuri mensis Aprilis. Orate igitur, et circa nostram memoriam nullam oblivionem vester animus, sanctissime, habere dignetur. Omnem, quae cum vestra est sanctitate, in Christo fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus. *Et alia manu:* Incolumes in Domino orate pro nobis, amabilis Deo et sanctissime frater! Data Constantinopoli XIV Calendas Februarii, Vitaliano et Rustico vv. cc. consulibus.

Epistola 110

seu

(a. 520 d. 19 Jan.) **Suggestio Germani episcopi, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri.**

Dorotheum Thessalonicensem Heracleam fuisse perductum, donec causa ejus finiretur; ut tamen idem cum Aristide Romam mitteretur, imperatorem remisse, immo interea illum Heraclea repente dimissum modo accipiunt (*n.* 1). *De proximo Paschate die* 19 *Aprilis celebrando Orientalem ecclesiam cum Romana consentire* (*n.* 2).

1. Reverenda vestri apostolatus alloquia[1]) per filios vestros Leo-

[3]) *Dominicae passionis diem* et *paschalem diem* velut synonyma accepere qui nos antecesserunt editores; adeo ut pro summa epistolae in fronte praemiserint: *Instantem Dominicae passionis diem recte celebrari XIII Calendas Majas.* Cui intelligentiae favent veteres, qui Pascha a passione derivant. Quia tamen verum est, eum qui in die Paschae non fallitur, neque in Dominicae passionis designanda errare, nihil vetaret, quominus Dominicae passionis diem etiam secundum proprietatem verborum intelligeremus, nisi ipse Johannes, quod primo *Dominicae passionis* nominibus, apertius postea *diei paschalis* vocabulis designaret. Ceterum Pascha, quod anno 520 ecclesia Romana cum Constantinopolitana d. 19. Aprilis celebravit, quidam Occidentales die 22 Martii celebrandum duxerunt.

[4]) Loco *mundi* legendum *omni.* Sic epist. seq. n. 2 *XIII Cal. Maj. die festivitas* (non addito *mundi*, sed subaudito *Paschae*) *celebranda speretur.* — Mox ed. *incolumis ... ora ... Dei.*

110 [1]) Hic memorantur duae Hormisdae epistolae, una per Leonem, scil. su-

Digitized by Google

nem atque Eulogium desiderabili hilaritate suscepimus; quorum prius (a. 520.)
praeceptum, cur quae Thessalonicae contigerunt non insinuavimus, ep. 97.
arguebat. Sed longe ante ejus adventum occasione comparata cura- ep. 100.
vimus significare, quaecunque vel rumore venientium vel eorum qui
pertulerunt scriptis, quorum exemplaria[2]) subter adjunximus, vel ep. 102.
piissimi principis narratione comperimus. Secuta est vindictae pro-
missio: adeo ut Dorotheus Thessalonicensis episcopus ad Heracleam
deduceretur civitatem, donec causa terminum reperiret. Inter haec
secundum ea, quae praecepistis, auctoritatem apostolatus vestri prin- ep. 97 n. 2.
cipi insinuare curavimus, ut ad percipiendam doctrinam catholicae
puritatis Romam praefatus Dorotheus una cum Aristide mitteretur.
Qui respondit causam non esse, pro qua Romam dirigerentur[3])
audiendi, ubi sine accusatorum controversia se possent liberius
excusare. Sed repente, dum haec geruntur, ab Heracliensi, quantum
agnovimus, in qua tenebatur, dimissus est civitate: quam ob causam,
vel qua ratione aut conditione, vel quibus agentibus, ignoramus.

2. De paschali die vestra beatitudo cognoscat concordare Orien-
talium cum apostolica sede sententiam, ut XIII Calendarum Majarum
die festivitas celebranda speretur, sicut Johannis quoque Constanti-
nopolitani antistitis relatione clarebit. Superest, ut orationis beati- ep. 109.
tudinis vestrae adminiculo celeriter, sicut cupimus, vestris mereamur
praesentari vestigiis.

Epistola 111

seu

Suggestio[1]) Dioscori diaconi ad Hormisdam papam.

a. 520 d. 29 Febr. acc. d. 7 April.

Johannem Constantinopolitanum antistitem ex hac vita discessisse ejusque loco electum esse Epiphanium.

Erat optabile et voto nostro conveniens, consonantia praeteritis

perior 97, altera per Eulogium, quae adhuc latet, transmissa. De hac postrema loqui videtur Johannes in proxima epistola 109 n. 2, ubi Dominicae passionis diem, qui in ipsius Hormisdae litteris continetur, recte adscribi respondet. Conf. not. epist. Horm. non exstant. n. XXVII.

[2]) Ita G[1]. Ed. *exempla*. Ex his unum ad nos pervenit, scil. epistola 102 seu indiculus a Johanne episcopo et Epiphanio presbytero directus, qui re ipsa in Vaticano exemplari epistolae huic subnectitur.

[3]) G[1] *deligerentur*, ed. *delegarentur*. Propius abest a primaeva lectione *dirigerentur*. Ipse Hormisda epist. 97 n. 2 petitionem suam, ad quam hic respicitur, eodem verbo sic exprimit: *ut Thessalonicensis antistes a principe in Urbem directus, ab apostolica percipiat sede doctrinam*. Notatu dignum est id, quod de percipienda doctrina Hormisda dixerat, de subeundo judicio a Justino explicari. Verum causa, cur hic princeps Dorotheum cum Aristide Romam mittere renuit, ea ipsa aut fere ipsa est, ob quam, ut Coustantius in Innocentii epistolam 4 not. c exposuit, peregrina judicia pluribus canonum decretis principumque edictis prohibentur.

111 [1]) Theophanes pag. 142 (ed. Bonn. p. 256) Epiphanium anno 520 Februa-

Digitized by Google

a. 520. nuntiare, scilicet pontificem Constantinopolitanae ecclesiae Johannem esse superstitem, et confessionem libello editam; cujus merita non est dubium Deo placere, qui inter catholicos et communicatores sedis apostolicae meruit ad aliam ex hac vita discedere. In cujus locum Epiphanius[2]) quidam presbyter quondam syncellus ejus successit, cujus initia bona videntur; nam rationabilia loquitur, et promittit patrum se regulas servaturum, pacem unitatemque ordinatam non dissipare sed magis augere. Ista sunt quae promittit; quid tamen opere possit implere, adhuc ignoramus. Has siquidem litteras quarta post ordinationem ejusdem die reperta occasione transmisimus; necdum cum eo communicavimus, non quasi resistentes, sed quia adhuc ab eo non sumus invitati. Superest, ut beatitudinis vestrae insistat oratio, quatenus divinae gratiae adjutorio talis erumpat, per quem de perfecta possimus unitate gaudere. Accepta VII Idus Aprilis, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 112.

(a. 520 c. fin. Mart.)

Hormisdae papae ad Justinianum.

Illius erga se reverentiam laudat. Propter exortas contentiones mysterium ss. p. 116.
Trinitatis paucis explicat, donec suscepta quam exspectat legatione plenius illud edisserat.

Hormisda Justiniano viro illustri.

ep. 99. 1. Quod celsitudo vestra animi circa me sui benevolentiam dignatur ostendere, facitis rem Deo placitam et rectae conscientiae congruentem; sed non parva sunt vobis[1]) hujus emolumenta propositi. Major in vos fructus de tali bonitate revertitur, neque enim vacua honorificentia est, quae defertur antistiti. Indubitatum siquidem est, quia honor ministri cultus est domini, et qui personam sacerdotis magni habet, majorem remunerationem ab eo cui sacerdos famulatur accipiet, dicente Domino Jesu iis, qui prophetas in honore suscipiunt, suam mercedem esse reddendam. Et apud me quidem magni est gratia vestra momenti, eo tamen pretiosior, quia quid-

Matth. 10, 41.

---

rii 25 die ordinatum esse tradit. Dioscorus vero has litteras *quarta post ordinationem ejus die* mittere se significat. Ex quo consequens est, ut ejusdem mensis, qui hoc anno bisextilis erat, 29 die missae sint.

[2]) De Epiphanio sic deinceps Dioscorus loquitur, ut inde in dubitationem inducatur lector, num ille ipse sit Constantinopolitanae ecclesiae presbyter, qui epist. 100 n. 1 Thessalonicam ad curandam ecclesiae hujus utilitatem cum Johanne apostolicae sedis legato *directus ex communi electione* dicitur. Ut alium tamen cogitemus, non sinit testimonium ceterorum Hormisdae legatorum, a quibus Hormisda ipse epist. 113 hunc Epiphanium apud se *pro impensis in negotio propugnandae unitatis officiis multipliciter* laudatum scribit. — Ibidem G[1] *quartum post ordinem ejusdem recepta occasione.*

112 [1]) Ed. *nobis*, et mox *major in nos.*

Digitized by Google

quid mihi gratiae dignanter impenditis, in ecclesiarum defensione monstratis. (a. 520.)

2. Sed ut ad id, quod celsitudo vestra desiderat, noster sermo dirigatur, quamquam et clementissimus imperator et vos promittatis[2]) legationem esse venturam, et id cum ratione convenerit, ut eorum qui dirigendi sunt super omnibus nos decuerit exspectare praesentiam: tamen quia gratum nobis est studium, quod circa religionem vos habere declarastis, non gravat praelibare dicendo, non opus, ut stabilitatem fidei vestrae intentionis[3]) potius quam rationis sequaces procaci verborum novitate confundant. Sancta Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus. Hanc Israel jussus adorare, cujus inseparabilis et indiscreta substantia non potest dividi, non potest sacrilega distinctione separari, servata tamen proprietate sua unicuique personae. Haec interim commendanda fidei vestrae, epistolaris stili terminum cogitantes, congrua credimus brevitate sufficere, plenius disserenda, quum florente imperio clementissimi principis[4]) promissam legationem et nos suscipere Deo propitiante contigerit, et cognitis omnibus cum adjutorio Dei nostri responso reddito pro universitatis informatione remittere. ep. 108.

Epistola 113.

Hormisdae papae ad Epiphanium episcopum Constantinopolitanum. (a. 520 m. Maj.)

p. 116. *Arguit eum, quod ordinationem suam occasione data missis legatis ipsi notam non fecerit, et ut veterem hunc morem non praetermittat, hortatur.*

Hormisda Epiphanio Constantinopolitano episcopo.

Diu nos[1]) nuntiata tuae primordia dignitatis tenuere suspensos, et in ipsa communis gratulatione laetitiae mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum; quia reparata ecclesiarum Deo annuente concordia, plenum fraternae pacis id flagitabat officium, praesertim quod sibi[2]) non arrogantia personalis, sed regula-

[2]) Scil. Justini quae supra epist. 108; Justiniani autem epistola simul annexa deperiit.

[3]) Hoc est *contentionis:* quod de Scythis monachis dictum, quorum in verborum novitate procaciam ita arguit, ut nusquam eis haereticae labis notam inurat.

[4]) c^{d} seq. add. *si.*

113 [1]) G^{1} *nos nuntiata,* scil. a Dioscoro diacono (ep. 111). b cc *nos non nuntiata.*

[2]) b cc *illud sibi,* G^{1} *si* (abbrev. pro *sibi*). Scribebat olim Cyprianus ad Cornelium (Corn. epist. 2 n. 3): *Quod autem scripta collegarum nostrorum, qui illic ordinationi tuae adfuerant, desideravimus, non veteres mores obliti, novum aliquid quaerebamus. Nam satis erat, ut tu te episcopum factis litteris nuntiares, nisi esset ex diverso discrepans factio, quae ... plurimorum mentes turbaret.* Sed novas quasdam leges majoris cautionis ergo tempus induxit, et a diversis sedibus diversa

Digitized by Google

(a. 520.) rum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad apostolicam sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse, ut et quem tibi debeamus affectum bene cognosceres, et vetustae consuetudinis formam rite compleres. Sed licet his omissis paginalia tantum sufficere judicasses ex occasione colloquia, nos tamen gratia stimulante[3]) compulsi, interim justae constantiam expectationis abrumpimus, reciproca mutuae caritatis verba reddentes: quia et noster animus amoris impatiens, et legatorum nostrorum votiva relatio[4]) exclusum, quod imperabat causa, silentium ad officia benigna traxerunt, quibus ad praesens gaudii nostri signa monstramus et privatae quodammodo amicitiae[5]) votiva persolvimus. Legationem autem tuam et ea qua dudum gratia sustinemus, et fulti veteribus constitutis exigimus, ut quantum gaudii fructum vel de tui pontificatus honore capiamus, vel quas tibi gratias referri conveniat pro impensis in negotio propagandae unitatis officiis, sicut nostrorum multipliciter adstruxit legatorum narratio, exprimamus evidentius.

Epistola 114.

a. 520 d. 7 Jun.

Justiniani Augusti ad Hormisdam papam.

De Elia, Thoma et Nicostrato quid visum sit decernendum.

Justinianus Augustus[1]) Hormisdae papae.

1. Quum in animo nobis sit, pater religiosissime, ut in omni

---

exigi mirum non est. Prudentiae autem erat regiae urbis praesulibus, qui summam prope in Ecclesia potestatem affectabant, nihil ab hujusmodi officiis, quae ipsis consuetudo imposuerat, remittere. Ejus vero moris, quem Hormisda vindicat, exemplum videre est apud Palladium in vita Chrysostomi, ubi Acacius Berocensis episcopus Romam venisse memoratur *ferens ordinationis Johannis episcopi decretum*. Sed neque hunc solum tunc venisse, Theodoretus h. e. II, 23 et Sozomenus h. e. VIII, 3 testes sunt. Anatolium episcopum Constantinopolitanum post ordinationem suam Casterium presbyterum nec non Patricium et Asclepiadem diaconos cum litteris Romam legasse, Leonis epistola 80 n. 1 fidem facit. Gregorius epist. lib. VI ind. 14 epist. 66 quum animo ad scribendum Cyriaco recens ordinato regiae urbis episcopo propenderet, sese cohibuit, quia, inquit, *consuetudo non est, ut prius quam ad nos ejus synodica deferatur, debeamus scribere*. Et vero synodicam illam Georgio presbytero et Theodoro diacono deferentibus se non ita multo post accepisse lib. VII ind. 15 epist. 4 testatur.

[3]) Ita G[1]; a[1] *stipulante;* moxque ed. cum G[1] *juste*, praeter mentem Hormisdae, qui nequaquam *juste* abrumpere se ait constantiam exspectationis, sed jure ac merito exspectare se potuisse Epiphanii legationem, antequam ad ipsum scribere inciperet. — Deinde ed. *abrupimus*.

[4]) Desideratur haec relatio, quam a superiori Dioscori epistola 111 distinguendam esse subnexa persuadent (conf. not. epist. non exst. Horm. n. XXX).

[5]) Non apostolicae sedis nomine, uti Baronius observavit. Hic porro distinguitur, et quod jus per se exigit, et quod praeter jus *amicitia privata* permittit. Mox verbum *sustinemus* id est, quod *patienter expectamus*.

114 [1]) Ita G[1] a[1]. In aliis autem omittitur *Augusti* titulus, quem re ipsa, libra-

Digitized by Google

re nostra inter se concurrant consilia, tum et in Elia viro reveren- a. 520.
dissimo episcopo id constituendum credimus legatis admonentibus
vestris, quod inter varias *utrasque rationes expeditius esse per- *f. utrim-que
spectum est. Nam et in praesenti pontificem Caesariensium[2]) urbis
favor tutatur omnium, quem ob instituta pulcherrima non solum
incolae validissime retinendum arbitrantur, sed prope cunctus Oriens
sine dubio veneratur, et qui prior in eodem fuit sacerdotio, injuria[3])
se esse remotum queritur. Visum est itaque convenire[4]), ut nec
faciamus impetum contra infinitarum vota multitudinum, aut homo
integritate nobilis sede dejiciatur, qua se dignum exhibet, nec an-
teriori spem prorsus adimi patiamur repetendi locum denuo, quo se
spoliatum sine causa confirmat; sed in re dubia temperantius ver-
semur, ita ut interim quidem hic idem Elias vir reverendissimus
episcopus in quiete permaneat, verum postquam successor ejus vitam
deposuerit, tum demum ad sedem revertatur qua[5]) destitit, adhiben-
dis prius omnibus, quae ad impetrandam reditionis licentiam sacra-
tissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam con-
sensu tam tuae sedis apostolicae quam florentissimae hujus urbis nec
non aliarum quarum hoc interest.

2. De Thoma etiam et Nicostrato viris religiosissimis episcopis
omnia mancipabuntur effectui, postquam ceterae etiam vobis copu-
latae fuerint et[6]) ad unitatem venerabiles ecclesiae, quae praecedente

---

riorum errore huc irrepsisse arbitramur. Marcellino quippe in chronico et Evagrio h. e. IV, 9 testibus Justinianus tantum Calendis Aprilis anni 527 quatuor ante obitum Justini menses Augustus nuncupatus est. Unde Possessor in epistola sequenti, quam ex Hormisdae rescripto circa idem tempus scriptam esse liquet, Justinianum et Vitalianum aeque *magistros militum* cognominat.

[2]) Baronius ad ann. 519 et 520 hoc de Caesareae Cappadociae civitate interpretatur, sed nullam interpretationis suae rationem affert. Probabilius tamen videtur de Caesareae Palaestinae urbe dictum esse, maxime quum adversariorum Calchedonensis synodi notae sint impiae in Syria secunda et Palaestina molitiones, ac de Cappadocia nihil simile memoriae proditum sit. Vide, quae in epistolas 39 et 106 observavimus.

[3]) Ita correximus, quod in G[1] *injurias esse*, in al. *injuria esse*.

[4]) Augustinus epist. 43 n. 16 sententiam laudavit, qua Melchiades *quibuscunque locis duo essent episcopi quos dissensio geminasset, eum confirmari voluit, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem plebs alia regenda provideretur*. Cui sententiae quoad penes ipsum fuit haerens, Hormisda Eliae, qui prior ordinatus fuerat, ecclesiam suam quam primum restituendam esse constituit. Sed quia varia temporum necessitas diversa cogit invenire pacis ruptae remedia, ac pro ovibus pastores non oves pro pastoribus institui constat, ipsi nunc exponit Justinianus, episcopum Eliae loco suffectum eidem ecclesiae utilem atque carum esse, nec nisi *contra infinitarum vota multitudinum* ab ea dejici posse.

[5]) Ed. *quia destitit adhibendis*. Hoc temperamentum, quod nunc Justinianus proponit, Hormisdae placuisse inde conjectura est, quod anno 536, ut jam observavi, Jerosolymitano concilio secundus subscribit *Elias Caesareae episcopus*.

[6]) Ed. *sed et ad unitatem*, G[1] *et ad unitatem;* forte legendum *et adunatae*.

Digitized by Google

a. 520. superno praesidio statuenda duxerimus pro sacratissimarum regularum itidem ordine. Quoniam itaque vestrae quoque sanctitudini deliberationem nostram oportuerat declarari, ut ex hac etiam patefiat desiderium, in quo omnem operam intendimus ad compescendas atque temperandas controversias et optatam inter omnes concordiam prorogandam, praesentes quoque litteras duximus destinandas, monentes[7]) praecipue, ut pro incolumi statu reipublicae numen supernum vestris exoretur precibus. Data VII Idus Junias Constantinopoli, Vitaliano et Rustico consulibus.

Epistola 115

seu

acc. a. 520 d. 18 Julii.

Relatio Possessoris episcopi Afri[1]).

De Fausti Regiensis dictis consultus quid responderit referens, quid respondendum sit a sede apostolica doceri cupit.

Domino beatissimo et ineffabiliter mirabili et in Christi gratia praeferendo papae Hormisdae Possessor episcopus in Domino aeternam salutem.

1. Decet et expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda[2]), quam ab ejus sedis praeside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*? Arbitror vestram beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana urbe Ecclesia laboret insidiis, et ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quaerat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde quum quorumdam fratrum animus

Matth. 16,18.

Certe verbum idem usurpat et Justinus epist. 116, cujus initio Hormisdae laudat operam *ad colligendas adunandasque venerabiles ecclesias.*

[7]) Ita G[1]. Ed. *moventes.* Similiter Justinus epist. 116 deprecatur: *tam appellandam vestram reverentiam credidimus quam commonendam,* (non *commovendam*), *ut suis orationibus pro nostro utatur imperio.* Cui concinit Euphemia epist. 117: *Poscimus ac monemus, ut orationibus vestris nunquam excedat nomen meum.*

115 [1]) In vulgatis hic additur *per Justinum diaconum ejus,* quod abest a G[1], ac supervacaneum est hic praefigere, quum Possessor infra id enuntiet. Missa est haec epistola Constantinopoli, ubi Possessor jam ab initiis anni 517 versabatur, ubi et Hormisdae epistolam 31 ejusdem anni mense Aprili ad se scriptam suscipere meruit. Quum autem haec anno 520 Julii 18 die accepta notetur, certum est, eam sequentibus ejusdem mensis 9 die datis, licet eis in prius vulgatis postponatur, esse anteriorem. Qui enim Constantinopoli Romam summa festinatione contenderunt, in hoc itinere conficiendo mensem ut minimum consumpsisse deprehenduntur.

[2]) b cc *exspectanda.*

Digitized by Google

de codice Fausti cujusdam natione Galli Reginae[3]) civitatis episcopi, a. 520.
qui de diversis rebus et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum.

2. Dixi quidem ea, quae a tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari; sed habere nos certa, scilicet quae veteri lege vel nova conscripta et generalibus patrum sunt decreta judiciis, ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem; haec autem, quae antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine praejudicio fidei solere censeri. Sed quum haec, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur, vel pro eorum prece vel pro obsequii occasione reddendi apostolatui vestro, per Justinum diaconem meum praesumpsi apices parvitatis meae ingerere. Quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens quaeso, ut consulentes, quid de praefati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicae responsionis agnoscant, maxime quod filii quoque vestri magistri militum Vitalianus[4]) et Justinianus praecipue super hac re rescripto beatitudinis vestrae similiter informari desiderant.

3. Codicem quoque retractandum[5]) antehac direxisse me memini, continentem beati Pauli apostoli epistolarum explanationes, pro quo rescripto gratulari non merui. Unde simili prece[6]) deposco, ut praerogativam benedictionis vestrae competenti responsione merear adipisci. Accepta XV Calendas Augusti, Rustico[7]) viro clarissimo consule.

---

[3]) G[1] *Regia.* Faustum pluribus locis se Britannum natione non Gallum indicare, adeoque errare Possessorem, Labbeus in hunc locum observat. Sed et a Facundo contra Mocianum *Gallus* item nuncupatur. Avitus quidem Viennensis episcopus Fausti nationem ab ejus habitatione distinguens, eum *ortu Britannum habitaculo Regiensem* vocat, cui consentiens Sidonius epist. IX, 9 ad ipsummet Faustum sic scribit: *Legi volumina tua, quae Riochatus antistes ac monachus atque istiusmodi bis peregrinus, tuis Britannis reportat.* Sed Jac. Sirmondus notis in allatum Facundi locum Sidonii et Aviti verba *de Britannis Gallis supra Ligerim sitis* interpretatur. Porro si Johanni Maxentio habenda fides, eorum qui Fausti libros ut catholicos vindicabant, Possessor princeps fuit.

[4]) Hunc consulatus sui mense septimo, adeoque non longe postquam haec epistola scripta est, in palatio interemptum esse, Marcellinus in chronico tradit. De nece illius Victor Tununensis ita loquitur: *Vitalianus Constantinopoli intra palatium loco, quem Delphicum graeco vocabulo dicunt, Justiniani patricii factione dicitur interfectus fuisse.*

[5]) b *tractatuum* (ad marg. *tractandum*) et omitt. *me.*

[6]) Ei nimirum, quae Vitaliani Justinianique nominibus mox praemissa est.

[7]) Vitaliani nomen ideo hic reticeri forsitan quis suspicetur, quia jam fuisset interemptus; sed hujus rei ratio non aliunde repetenda, nisi quod Hormisdam consulis Orientalis nomen latuerit.

Digitized by Google

Epistola 116.

Justini Augusti ad Hormisdam papam.

a. 520 d. 9 Jul. (acc. d. 17 Sept.)

Legatos ipsius fideliter perfecisse, quae Hormisda mandaverat. Reliquos Orientales, ut ad unitatem reduci valerent, aliqua indigere clementia. p. 117

Justinus Augustus Hormisdae papae per legatos Germanum[1]) et Johannem episcopos, Felicem et Dioscorum diaconos, et Blandum presbyterum.

Summa quidem habenda vobis est gratia, quod alacrem operam non dubitatis impendere ad colligendas adunandasque venerabiles ecclesias; verum in ea praelucet maxime perfecta sollertia, quod homines adoptatis, qui voto benevolo tuae sanctitudinis sincero ac integro possint animo deservire. Germanus siquidem reverendissimus episcopus nec non Felix et Dioscorus et Blandus viri religiosissimi tanta semet praebuerunt attentos industria ac in tanta sapientia versati sunt, ut quantum ad officium eorum pertinet, transactis in plenum et elaboratis omnibus, nihil altercationis superesset ulterius. Sed quum ea conditione sit mortalis fragilitas, ut remissius circa se agi desideret, et interrogationibus suis planum praeberi responsum, maxime quum aliqua causa in immensa hominum fuerit multitudine devoluta, factum est, ut in hac quidem urbe florentissima quidquid ordinatum est de causa religionis deque unitate celebranda cum apostolica sede sub temporibus Johannis religiosissimae memoriae, quum in sacerdotio regiae esset hujus urbis, id favente Deo servetur immobile; quin et in aliis compluribus civitatibus probata sit vestra ordinatio atque suscepta; cetera vero clementiore quodam indigeant moderamine in nominibus antistitum, non eorum qui specialiter numerati sunt in epistola[2]), quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum, quorum memoriam maximae civitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Quamobrem legatis quidem tuae sanctitudinis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt: omnis autem finis negotii vestro jam tantum pendet arbitrio, ut solus pacem concludere debeat, qui prima rei commovit exordia. Sed ea quidem nec non quaedam commemorabuntur apertius per legatum nostrum, qui paulo post destinabitur. In praesenti vero redeuntibus viris religiosissimis tam appellandam[3])

---

116 [1]) Ex epistolae contextu colligitur, hic legendum esse *Germanum episcopum, Felicem* etc., non addito nomine Johannis, quem quidem ex vulneribus Thessalonicae acceptis nondum reconvaluisse verisimile est (conf. epist. 121 n. 3 et 123). Johannem autem episcopum, Justini legatum in epistolis 126, 127, 129 memoratum, ab hoc alium esse putamus (conf. epist. 129 not. 19).

[2]) H. e. in libello, quem Hormisda redeuntibus ad unitatem suscipiendum ac subscribendum praefinivit quique superioribus epistolis 7, 26 et 61 annexus est.

[3]) Quum legatis in potestate non fuisset, ab eo, quod in mandatis accepe-

Digitized by Google

vestram reverentiam credidimus quam commonendam, ut suis oratio- a. 520.
nibus pro nostro utatur imperio proque incolumi statu reipublicae. Data VII Idus Julii Constantinopoli, Vitaliano et Rustico viris clarissimis consulibus.

Epistola 117.

(a. 520 d. 9 Jul. acc. d. 17 Sept.)

Euphemiae Augustae ad Hormisdam papam.

Ipsius orationibus se virumque suum et rempublicam commendat.

Euphemia Augusta Hormisdae papae.

Beatitudinis tuae litteras grato jucundoque suscepimus animo. ep. 51 et 94.
Quem etenim non solum apostolicae sedis auctoritas celebrat, sed vitae quoque commendat integritas et studiosa rectae fidei sollertia, hujus verba quis non libentissimis suscipiet auribus? Igitur poscimus ac monemus, ut orationibus vestris nunquam excedat nomen meum, ac praecipue serenissimi conjugis nostri, sed tam utrique nostrum[1]) quam reipublicae supernum precibus vestris placetur praesidium.

Epistola 118.

(a. 520 d. 9 Jul. acc. d. 17 Sept.)

Celeris illustris ad Hormisdam papam.

Constantinopolitana ecclesia feliciter ad unitatem reducta, circa alias ecclesias singulari clementia opus esse innuit.

Domino beatissimo et apostolico patri Hormisdae Celer[1]).

Maxima nobis gratulationis causa praestatur, quotiens ad apostolatum vestrum scribendi tempus emerserit. Nunc igitur remeante beatissimo Germano episcopo vel reverendissimis viris, qui a vobis pro conjungendis sanctis ecclesiis fuerunt destinati, necessarium duximus sanctitatem vestram debite[2]) venerari, indicantes, antedictos habuisse quidem studium, ut voluntatem vestram plenus sequeretur effectus; sed quia totum corpus erat infirmum, interim caput, quod prius necessarium judicatur, adhibito medicamine vestro sanatum est, et dissensio, quae erat inter venerabiles ecclesias Ro-

---

rant, quidpiam relaxare, nunc appellat Justinus ab Hormisda ad Hormisdam, ab ipsius severitate ad ejus clementiam, a rigore disciplinae ad moderatiorem quamdam indulgentiae demissionem.

117 [1]) Ed. *nostrorum.* Mox G[1] *precibus nostris.*

118 [1]) In G[1] hic deest *vir illustris:* sed in hujus scripti fronte legitur *Epistola Celeris illustris.*

[2]) Ed. *debere*, ac deinde *et mansuetudine.* Tum pro *et dispensatione* graece haud dubie habebatur *καὶ διαγνώσει*, quo verbo indicatur virtus, quae se infirmantium imbecillitati, ut eos sanet ac relevet, novit attemperare.

Digitized by Google

(a. 520.) manam et Constantinopolitanam, unitate interveniente sepulta est, et alia non parva membra simili Divinitatis gratia purgata atque conjuncta. Hanc etiam spem gerimus universi, quod gratia Dei, quae semper sedi vestrae permansit et permanet, hujusmodi vobis inspirationem bonitatis praebeat, ut mansuetudine et dispensatione vestra reliquum adhuc corpus, quod habetur infirmum, sicut superius a nobis dictum, vestro medicamine unitate recepta jungatur. Specialiter autem deprecamur pontificium vestrum, ut pro nobis benigno patris animo orare jubeatis.

Epistola 119.

(a. 520 d. 9 Jul. acc. d. 17 Sept.)

Julianae Aniciae ad Hormisdam papam.

Pontificem salutans, ejus sedulitatem circa fidem laudat, et quomodo ipsa studiis ejus responderit exponit.

Domino beatissimo atque apostolicae sedis probatissimo pontifici Hormisdae papae patri Juliana Anicia.

Quae prima sunt, tuae beatitudinis salutationis obsequia persolvimus, optantes, ut hanc paginam tuis venerandis obtutibus Divinitas faciat recenseri, et pro suae Ecclesiae vigore augmenta salutaria vestrae vitae suffragari dignetur, quatenus te pervigili possit contra adversos et rabidos canes status Ecclesiae vindicari. Etenim, venerabilis pater, quod de nostrae fidei integritate curam geris, vicariis gloriosi Petri apostoli ista conveniunt, cui Dominus pascendarum ovium injunxit officium. Cognoscat ergo tua pro nobis sancta sollicitudo, nos firmius tenere rectae fidei firmitatem immobilem: pro qua ne ejus violaretur sanctimonia, hactenus repugnavimus. Quod vero tuus apo-
ep. 85. stolatus pro tantae pietatis causa curam ferre praecepit, in quantum potuimus, pro nostris viribus non desivimus spiritu lenitatis adversos admonere, et Dei nobis gratia cooperante .... *(deest reliquum.)*

Epistola 120

seu

acc. 520 d. 17 Sept. (dat. d. 9 Jul.)

Exemplum epistolae Justiniani[1]) illustris ad Hormisdam.

Ut ad perfectam ecclesiarum unitatem duo praestet, nempe: ne cogat alios praeter haeresis auctores nominatim damnari, et ut decernat, num Christus recte dicatur unus de Trinitate in carne passus. p 111

Domino nostro Jesu Christo favente regnat in saeculo, qui sacra religione suum fundat imperium; quoniam bene gubernat humana, cui prius divina placuerint. Quod praesentibus evenisse temporibus gratulamur. Filius etenim vester clementissimus imperator aeternitatis

120 [1]) Ed. add. *viri*, omit. G[1].

Digitized by Google

beneficio sceptra sortitus, fidei causas arripuit explicandas, et ad a. 520.
tuam sanctitatem missa legatione[2]) sedis apostolicae promeruimus
sacerdotes[3]), quorum adventu non mediocriter adolevit ecclesiarum
concordia sacrosanctarum, vobis instantibus, ut decebat. Acacii namque,
quod dissidium gerebat, nomine stirpitus amputato, pro tenore libel- cf. ep. 7, 26 et 61.
lorum, quos direxistis, in hac urbe regia multisque civitatibus unitas
optata provenit, quam summis inventam laboribus venerari convenit,
in perpetuumque custodiri necesse est. Haec quibuslibet argumentis
retractari quispiam patietur, quae sempiterna majestas rite composuit?

2. Sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non exsiliis nec ferro flammisque compelli potest, ut episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet: quae difficultas generali concordiae moras innectit. Sanctitas itaque vestra coelitus inspirata temporum rerumque qualitatem consideret, et condemnatis hujus erroris auctoribus, id est Acacio Constantinopolitano, Petro et Timotheo Aeluro et Dioscoro Alexandrinis Petroque Antiocheno, finire dignetur[4]) inveteratum certamen, de ceterorum nominibus quaestione sopita: ut redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit, ac non persecutionibus ac cruore sed patientia sacerdotali populum Domino nostro concilietis: ne, dum volumus animas lucrari, et corpora multorum perdamus et animas. Errores etenim diuturnos lenitate clementiaque convenit emendari, praecipue quia vestrae beatitudinis praedecessores[5]) saepissime voluerunt reipublicae nostrae antistites ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius cete-

---

[2]) Grato videlicet anno 518 die 7 Septembris destinato.

[3]) Nempe Germanum, Johannem, Blandum ac Felicem, qui sub initia anni 519 ex Urbe profecti sunt, Dioscoro eis subinde adjuncto.

[4]) Hoc ipsum et Justinus epist. 116 ea conditione petit, *ut quidquid* (in urbe regia) *ordinatum est de causa religionis deque unitate celebranda cum apostolica sede sub temporibus Johannis* (episcopi Constantinopolitani), *servetur immobile.* Quibus concinens Justinianus proxime negavit *quibuslibet argumentis retractari posse, quae sempiterna majestas rite composuit.* Quocirca Flavitae, Euphemii, Macedonii ac Timothei nomina e sacris diptychis, ut vidimus epist. 65 n. 4, deleta ambo revocari nolunt. Et haec quidem Justini Justinianique in his litteris consensio eas simul missas fuisse confirmat.

[5]) Praedecessores habuit Hormisda Gelasium, Anastasium, Symmachum. Atqui Gelasius epist. 30 num. 5 Miseno absolutionem non impertit, nisi postquam anathematizavit *Eutychianam haeresim* cum *suo scilicet auctore Eutychete et ejus sectatore Dioscoro vel successoribus ejus atque communicatoribus Timotheo Aeluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petro Antiocheno, cunctisque eorum complicibus et communicatoribus.* Quod vero exegit Gelasius, hoc et Symmachus praesertim epist. 13 n. 8 postulat. Restat igitur Anastasius, de quo uno Justinianum loqui, ex epistola 129 n. 3 Justini et ep. 132 n. 2 Justiniani, et utrumque hujus papae verbis ad Anastasium Augustum epist. 1 scribentis abuti, manifestum est. Vide annotata in epistolam 1 Anastasii II n. 4.

Digitized by Google

a. 520. rique praedicti. Non est ergo grave, quod suasit[6]) vestra sedes, ut praestet.

3. Illud etiam magis magisque deposcimus, ut tua sanctitas concepta gratia coelesti, quod praetendunt Orientales episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem praebere consensum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi Dominus noster Jesus Chri-
1 Petr. 4, 1. stus ex virgine Maria natus, quem praedicat summus apostolorum *carne passum*, recte dicitur unus in Trinitate cum Patre Spirituque sancto regnare. Sicut enim videtur ambiguum dicere simpliciter *unum de Trinitate*, non praemisso nomine Domini nostri Jesu Christi, sic ejus personam in Trinitate cum Patris Spiritusque sancti personis non dubitamus esse; sine Christi namque persona nec credi Trinitas religiose potest nec adorari fideliter, quemadmodum sanctus Augustinus ait[7]): *An aliqua ex Trinitate persona;* et alio loco: *Solus in Trinitate corpus accepit;* et iterum[8]): *Unus trium.*

4. Rogamus igitur reverendissime salutantes, ut futuri judicii memores, causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum: quatenus omni scrupulo discordiarum sublato, pacis desideratae per orbem totum vincula renoventur, et venerandarum floreat ecclesiarum concordia, corporisque unius in pristinum statum membra recolligantur. Ille namque medicus jure laudatur, qui veteres aegritudines ita sanare deproperat, ut ex his nova vulnera non nascantur. Specialiter ergo cognoscat vester apostolatus, compositis eisdem duobus capitulis, universos sacerdotes istius reipublicae libenter amplecti vestram communionem. Accepta XV Calendas Octobris, Rustico viro clarissimo consule.

---

[6]) Hoc est, ut id vestra sedes praestet, quod ipsa suasit, scil. Anastasii II epistola 1 perperam intellecta.

[7]) Scil. de Trinit. II, 9 n. 16, cujus etiam verba antecedentia et sequentia Johannes Maxentius in professione de Christo profert in hunc modum: *Utrum indiscrete Deus apparuerit patribus nostris, antequam Christus venerit in carne, an aliqua ex Trinitate persona, an singillatim quasi per vices;* item illud cap. 10 n. 19: *Neque hic ergo evidenter apparet, utrum aliqua ex Trinitate persona, an Deus ipse Trinitas ... visus fuerit.* Verum duo illi loci iis potius favebant, qui Deum Verbum *unam ex Trinitate personam* malebant praedicari; ex iisque nihil conficitur adversus eos, quos Maxentius respons. ad Hormisdam sugillat, qui *unum ex Trinitate* pariter asserere formidabant.

[8]) Idem Maxentius loco citato postquam praemisit: *nec enim verendi sunt ii, qui nos reprehendere tentant, dicentes eo quod Trinitatem dividere est, Christum dicere unum ex Trinitate; quum et ex Trinitate, et quod amplius est, unus trium a beato Augustino dictum sit:* hanc subdit Enchiridii c. 38 sententiam: *Quam illam creaturam, quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam Filii personam pertinentem, tota Trinitas fecerit; neque enim separabilia sunt opera Trinitatis; cur in ea facienda solus Christus* (leg. *Spiritus sanctus*) *nominatus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universae opera intelligitur Trinitatis* (leg. *universa operari intelligitur Trinitas*)?

Digitized by Google

Epistola 121

seu

Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam.

acc. a. 520 d. 17 Sept. (dat. d. 9 Jul.)

117. *Has litteras electionis suae vult esse indices (n. 1). Se cum Hormisda fide conjunctum ipsius fidei suae expositione testatur (n. 2). Ejusdem rei legatos illius testes appellat, et jam ejus preces pro se suisque sacerdotibus ac principe et Augusta rogat (n. 3).*

Sanctissimo ac beatissimo domino fratri et comministratori Hormisdae Epiphanius in Domino salutem.

1. *Deus, qui in alto habitat et humilia respicit,* et omnia pro salute hominum affluenter providet, pro sua bonitate et misericordia meam respexit parvitatem, et post obitum sanctae memoriae quondam archiepiscopi et patriarchae Johannis sedem sacerdotalem sanctae ecclesiae catholicae regiae urbis mihi conferre dignatus est, sententia et electione Christianissimi et justissimi principis nostri Justini et piissimae reginae, quae ei ad omne studium communicat divinum, sequentiumque[1]) eorum. His, quibus est bona conversatio et qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul et sacerdotum et monachorum et fidelissimae plebis consensus accessit. Quapropter necessarium duxi hoc primum indicium meis inserere litteris, ut ostendam quam circa vestram apostolicam sedem habeo voluntatem. Psalm. 137, 6.

2. Est mihi oratio[2]) magnopere, beatissime, uniri me vobis et divina amplecti dogmata, quae ex beatis et sanctis discipulis et apostolis Dei praecipue summi Petri apostolorum sedi sanctae vestrae sunt tradita, et nihil eis pretiosius existimare. Neque enim extra[3]) aliunde veniens sanctae Ecclesiae constituta ignoro, sed nutritus per Dei voluntatem ex teneris unguibus in sancta catholica Ecclesia, parui per tempora sanctissimis sacerdotibus et patriarchis. Nam saepius praepositus his, qui per sacratissimum et ineffabile baptisma sua eruunt peccata, rectam[4]) et veram unius essentiae Trinitatis docui fidem, quam, sicut praefatus sum, ex discipulis Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi procedentem omnium sacerdotum et omnium

---

121 [1]) Legendum videtur *sequentiumque eos:* adeo ut interpres graecam phrasin, qua verbum ἕπεσθαι cum gignendi casu conjungitur, latine imitatus sit.

[2]) b cc *ratio.* Veri est simillimum, pro voce *oratio* in graeco exstitisse εὐχή, quod vocabulum aliquando quidem *orationem* sed saepe etiam, nominatimque hic, *votum* ac *desiderium* sonat.

[3]) Supple *sanctam Ecclesiam catholicam.* Simul indicat Epiphanius, se neque ex haeretica secta neque e laica vita episcopatum usurpasse, sed neque in ecclesiasticis disciplinis tyronem ac novitium subito ad ecclesiae regimen fuisse assumptum.

[4]) Ed. omitt. *rectam.*

Digitized by Google

a. 520. quam[5]) amplectitur coetus. Divinum enim revera sanctum et a Deo datum symbolum trecentorum decem et octo sanctorum patrum in Nicaea congregatorum adoro et praedico, et Christiani splendoris manifestum judicium esse annuntio; et quinquaginta et centum sanctorum sacerdotum in hac urbe regia factam venerabilem synodum, similiter et ducentorum Dei amatorum patrum conventum in Ephesina factum, triginta et sexcentorum reverendissimorum patrum et sacerdotum synodum factam Calchedone unam[6]) esse et convenientem et compaginatam praedictis sanctis conciliis, ipse ego didici, aliosque docere cognovi. In his ergo quatuor synodis sanctis et sacris magnum pietatis praedicatum mysterium, et omnium hominum est reposita salus. Eos enim, qui fuerunt vel sunt ejusdem sententiae, et suscipio et amplector et unire me eis diligo. E contra autem eos, qui praeter istas quid sentiunt aut praedicant vel praeterito tempore aliquid conati sunt, a coetu orthodoxorum extorres esse existimo. Similiter rectas et revera religiosissimas epistolas venerabilis papae Leonis pro recta fide conscriptas circumamplector et suscipio.

3. Habeat igitur hanc sententiam circa me vestrae beatitudinis sancta fraternitas. Vobis enim manifestum feci, et sub[7]) me ecclesiis haec praedico, festinans per omnia eas mihique et vestrae beatitudini vinculo caritatis adunari, quas omnino oportet esse unitas et inviolabiles, et corpus unum communis apostolicae Ecclesiae idemque perpetuo custodire. Quantus enim circa vestram venerabilem fraternitatem in omnibus sit amor, jubete perpendere[8]): quia quos vestra

---

[5]) Loco particulae *quam* Baronius substituit *laicorum*, ejusque lectionem arripuerunt edit. concil. Ecclesia tamen in clericos et laicos, non in sacerdotum et laicorum coetum dividi solet. Sane mallemus *et omnium catholicorum amplectitur coetus.* Dioscorus epist. 111 Epiphanium episcopi sui syncellum exstitisse docet. Eumdem synodus Constantinopolitana epist. 131 maximas ecclesiae curas sustinuisse, nominatimque paternam orphanorum sollicitudinem gessisse praedicat. Ipse nunc se baptizandis, ut eos fidei doctrina imbueret, praepositum fuisse scribit. Sed hinc inferri nequit, rudes instituendi seu catechizandi munus syncelli officio fuisse illigatum. Id porro episcoporum erat. Ipsi vero ad hoc munus eos potissimum deligebant, qui et idonea scientia et disserendi facilitate pollerent. Eam ob causam delecti sunt, qui eo munere Alexandriae fungerentur, Pantaenus, Clemens, Origenes, Heraclas ac Dionysius, ut Eusebius h. e. V, 13. VI, 3, 5, 6, 19, 26, 29 tradit. Idem quoque in ecclesia latina usitatum fuisse docet Augustinus, dum librum de catechizandis rudibus sic exorditur: *Petisti a me, frater Deogratias, quod tibi usui esset scriberem. Dixisti enim, quod saepe apud Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducuntur qui fide Christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, et doctrina fidei et suavitate sermonis.*

[6]) b praetulit *veram*, rejecto ad marg. *unam:* quo verbo Epiphanius unam et eamdem hujus concilii atque trium superiorum fidem esse adstruit.

[7]) Ad litteram graecam *ταῖς ὑπὸ μοῦ ἐκκλησίαις*, quod est: *subjectis mihi ecclesiis.* Mox G[1] a[1] *eumdemque perpetue.*

[8]) Concinnius legeretur *exinde perpendite*, ac mox: *non recitari jussit.* Hoc

Digitized by Google

apostolica sedes condemnans in sacris diptychis non recitare jussit, a. 520.
eos nec ego inter sacra facio nominari mysteria. Hoc autem et[9]) his notum est, qui a vobis sunt directi viri reverendissimi, id est Germano sanctissimo episcopo[10]), Felici et Dioscoro diaconibus, et Blando presbytero, qui efficaciter exsecuti[11]) sunt ea, quae eis sunt a vobis injuncta. Oret igitur vestra sanctitas tam pro me quam pro subjectis meis sacerdotibus, ut perpetue custodiamur, rectam Dei tenentes confessionem; similiter et pro serenissimo principe nostro et pro Christianissima Augusta, quia eorum salus communis sanctarum ubique est ecclesiarum profuturum firmamentum. Istam igitur nobis[12]) habentibus intentionem, nullo modo jam licebit sanctam Dei dilacerari Ecclesiam, per gratiam sancti Spiritus et intercessiones sanctae ac gloriosae Dei genitricis virginis Mariae. Omnem quamcunque vestram fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus. *Et alia manu:* Incolumis in Domino ora pro nobis, Dei amator sanctissime frater! Accepta XV Calendas Octobris, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 122.

Hormisdae papae ad legatos suos.

a. 520 d. 10 Jul.

De eorum salute, rebus gestis ac mora suam eis sollicitudinem significat.

Hormisda legatis[1]) suis.

Ita nos incolumitatis et actuum vestrorum cura sollicitat, ut quamvis frequentibus occasionibus non praetermittamus hortari, certiores nos[2]) de his, quae circa vos aguntur, fieri litteris destinatis. Nam et quum per hominem illustris viri atque magnifici patricii filii nostri Agapiti desideriis nostris congruos miserimus affatus[3]), et nunc quoque anxietatis nostrae credidimus solatium, si ad vos praesentia scripta mitteremus: tantum est, ut de actibus atque sospitate vestra nec non et de mora, per quam vos detineri plurimum dolemus, relevetis nos alloquiis sub occasione idonea portitoris. Data VI Idus Julias, Rustico viro clarissimo consule.

---

est: omnes qui ab Acacio ipsum Epiphanium praecesserunt, Hormisdae jussu e diptychis sunt expuncti.

[9]) a[1] *de his.*

[10]) Ita G[1] a[1]. b cc *et Johanne episcopis.* Johannem autem tacet Epiphanius, quia illum cum aliis legatis regredi valetudo non sinebat.

[11]) b cc *secuti sunt.*

[12]) Ed. *vobis*, deinde G[1] c[1] *absentibus*, moxque ed. omitt. *ac.*

122 [1]) In G[1], in quo epistolam 103 *Germano et Johanni eppis et Blando prbro* inscriptam haec excipit, hic legere est *Hormisda quibus supra.*

[2]) In vulg. *certiores vos ... desideriis vestris ... anxietati vestrae ... relevetis vos.*

[3]) Hi ad nos minime pervenerunt. Neque vero ullas habemus ab Hormisda ad legatos litteras epistolis 103 et 104 d. 3. Dec. a. 519 datis recentiores, conf. not. epist. Horm. non exst. n. XXXI.

Digitized by Google

Epistola 123.

a. 520 d. 15 Jul.

Hormisdae papae ad eosdem legatos.

Unde tanta fiat reditus illorum mora, et quaecunque circa ipsos agentur, quam primum rescire cupit.

Hormisda Germano episcopo, Felici et Dioscoro diaconis et Blando presbytero.

Animos nostros tam diuturnum dilectionis vestrae silentium ut tantorum temporum contristat absentia, praecipue quum vir magnificus patricius Symmachus[1]) et vir illustris Romanus magister militum filii nostri reditum apud nos caritatis vestrae sine dilatione promiserint, et ignoramus, utrum illic causarum qualitas an certe fraus aliqua simulata sub necessitate detineat; quia nobis sollicitudinem sine cessatione gerentibus et pene universos homines illarum partium percunctantibus diversa et dissimilia nuntiantur. Et ideo, quoniam vos causas tantae tarditatis melius deprehendere et intelligere potestis atque cognoscere, significare nobis ista, de quibus noster cruciatur animus, debuistis; vel si est causa dilationis idonea, sicut constitutum est, aliquem de vestris ad nos oportuerat destinari. Unde ne forsitan per versutias aut aliquam concinnationem vobis dilatio et impedimenta generentur, sub celeritate nobis scribite, ut sub rationabili ordinatione pro vestra repetitione ad filium nostrum clementissimum imperatorem dirigamus. Ergo tam circa personas quam de causa fidei, pro qua diu moramini, quid geratur instruite, atque plenissime nobis universa rescribite: ut omnibus cognitis Deo nostro favente tractemus, quemadmodum personis vestris et causae ipsius cujus res agitur possit misericordia subvenire. Data Idibus Julii, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 124.

(a. 520 d. 13 Aug.)

Hormisdae papae ad Possessorem episcopum.

Fidem ejus, quae de infidelium perversitate gemebat, laudat et solatur (*n.* 1). p. 117
Scytharum monachorum superbiam, obstinationem, tumultus describit (*n.* 2 *et* 3); *quae Fausti aliorumve libris tribuenda auctoritas* (*n.* 4); *de gratia et libero arbitrio quid sequendum, exponit* (*n.* 5).

Hormisda Possessori episcopo.

1. Sicut rationi congruit, ut consulant ambigentes, ita par est

123 [1]) Symmachi senatoris nec non praefecti praetorio Africae et quaestoris castrensis Procopius de bello Vand. 2, 16 et 19 meminit. Propius autem ad rem nostram attinet, quod Maxentius respons. ad Horm., dum Romanus in Urbe esset, contigisse sic narrat: *Ut se* (Hormisda) *a pravitate proprii legati* (Dioscori) *purificaret, multis idoneis viris praesentibus Romanum virum gloriosissimum magistrum militum deprecatus est, quatenus sua verba piissimo imperatori insinuaret, quae fuere*

Digitized by Google

respondere consultos, quia ipse impellit in errorem qui non instruit a. 520.
ignorantem; nec quidquam aptius est studioso religionis, quam inquisitio[1]) veritatis, quando facilius devium vitat, qui iter per quod gradiatur rogat. Sed priusquam respondendi curam de his, quae dilectio tua percontatur, aggrediar, libenter in litteris tuis fidei tuae ep. 115.
me fateor invenisse fervorem, cujus calore succensus, redivivam in illis partibus infidelium perversitatem vigere suspiras. Dignissimus dolor, qui dedita Deo corda contristet; nec enim est apud eos lapsus inlamentabilis, quibus est igniculus caritatis, quia unum spiritualium votum est salus inconcussa cunctorum. Sed non est ignota ecclesiis Dei de hujusmodi procellis aut insueta tempestas: quamvis rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, variis tamen insurgentium[2]) fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam unde est psalmidici vox prophetae, qui ipsius Ecclesiae personam spiritu quo implebatur assumens, *Saepe*, inquit, *expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi*? Concutiunt, sed in nihilo praevalebunt. Adhuc in area sumus, mixta sunt frumenta cum paleis, gemunt boni consortia malorum; sed superest flamma non necessariis, et parata sunt horrea jam probatis. Ubi terrarum non est ista permixtio? Nos fixis decet stare[3]) vestigiis: proficiemus inter adversantes propriis[4]) bonis, si erroribus non involvamur alienis. Probat enim virtutis suae validum robur, qui quum impellitur non movetur. Psalm. 128, 2.

2. Ubi non variae tentationis aculei? Quales per hunc fere jugem annum[5]) quorumdam Scytharum, qui monachos praeferebant specie non veritate, professione non opere, subtili tectas calliditate versutias et sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiae

---

hujusmodi: „*Nisi Christum Filium Dei, qui pro nobis passus est in carne, unum esse ex sancta et individua Trinitate fuerit confessus Dioscurus, pelago demergatur.*“ Verum Hormisdae moderationem non sapit hujusmodi sententia. Sed et Maxentii fidem, quae idem papa et nunc scribit et postea gessit, dubiam faciunt.

124 [1]) Ita G[1] a[1]. Al. ed. *impositio ... graditur*. Moxque apud Maxentium et Cochlaeum *contristat*.

[2]) Maxent. *incursantium*. Antea a[1] *ecclesiis*.

[3]) G[1] a[1] b cc *instare*, b ad marg. *insistere*. Max. et Cochl. *stare*, quod et a[3] praetulit.

[4]) Ita quidem Dei munere partis, ut propria nobis fiant, ac vere et Dei munera et merita nostra dicantur. *Neque enim*, inquit Augustinus epist. 194 n. 16, *et hoc, quod recte agimus, ita fit de nobis tamquam nihil facientibus nobis.* Quocirca Maxentii, qui in verbo *propriis* Pelagianam superbiam latere vult, mera calumnia est, quum illud Hormisda *alienis* dumtaxat, non gratiae auxilio comparatis, opponat.

[5]) Fatetur Maxentius eos *per quatuordecim pene menses* Romae detentos. Porro eos Romam festinare Dioscorus epistola 75 anno 519 Maji 30 scripta Hormisdae nuntiavit: adeoque proxime ab Urbe discesserant, quum Hormisda hanc rescripsit.

Digitized by Google

a. 520. moderamine[6]) sanare, beati Pauli monita non tacentes: *Noli verbis* 2 Tim. 2, 14. *contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Sed quando virus, quod viscera penetravit, evellitur? Quando corda male sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiae humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis[7]) assueti, sola certamina amantes de religione captare et mandata negligere? Nunquam apud eos caritas novo commendata praecepto, nunquam pax dominico relicta discessu; una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare[8]), non cedere: contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quaestionum, solam putantes scientiae rectam viam qualibet susceptam[9]) facilitate sententiam; eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternae, si suae viderint cedere[10]) nolle sententiae; docti crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiae corpus odisse, seditiones instruere, invidiam concitare, et pro obedientia, quae in coenobiis principatum regularis obtinet disciplinae, obstinationem pertinacis amare superbiae.

3. Non illos potuimus monitis, non mansuetudine[11]), non auctoritate comprimere. In publicum usque prodiere conventum, ad concussionem[12]) quietis circa regum etiam statuas inclamantes[13]); et nisi fidelis populi constantia restitisset, per diabolicae semina nefanda zizaniae apud illos dissensionem[14]) et discordiam commovissent, per

---

[6]) Apud Cochl. et Maxent. *moderatione*, ac subinde *non tenentes* (pro *non tacentes*).

[7]) Apud eosdem *stimulis assueti, sola certamina aventes.*

[8]) Ita G[1], nisi quod vitio librariis haud inusitato praepostero ordine *non cedere imperare*. Al. ed. *imperare non credere.*

[9]) Ita Maxent. Alii vero libri *concepta* (Cochl. *conceptam*) *facilitate.*

[10]) Max. et Cochl. *credere.* Antea *utriusque orbis* nomine Orientis et Occidentis ecclesiae intelliguntur.

[11]) Mansuetudinis hujus argumento est, quod quamvis Justiniani epist. 78 rogatus, ut *ipsos digna correctione perculsos Urbe pelleret*, tam diu eos sustinuerit, ac toto illo tempore, Maxentio fatente, suam eis communionem non negarit.

[12]) a[1] b cc *concursionem:* emendantur ex Max. et Cochl.

[13]) Hoc inficiari non ausus Maxentius, *quod nullus*, inquit, *nisi qui violentissime molestatur, facere cogitur*, inde maximam eis vim illatam fuisse sibi persuadet. Tum et factum excusare nititur his verbis: *Quamvis non quasi regiae potestatis auxilium flagitantes, sicut haeretici* (hoc est Hormisdae et Dioscori amici) *factitant, saepe dicti monachi circa regum statuas inclamaverunt: sed postquam e loco, quemadmodum acceperant, pro mandato ejusdem Romani pontificis fuerant expulsi, in publico, ubi casu regum imagines fuerant, quod petitioni suae audientia negaretur populo contestati sunt:* additque id eos fecisse, *ne post suum discessum jam eos recessisse fautores Dioscori apud Ecclesiam diffamarent.*

[14]) G[1] a[1] *dispensationem.* Maxentius haec verba secundo repetens *dissipatio-*

Digitized by Google

quos adjutorio Dei de[15]) regionibus eorum est pulsa dissensio. De eis sero probavimus prophetica apostolum voce dixisse, in novissimis diebus instare tempora periculosa, et fore homines sui tantum amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, itaque esse vitandos. Haec ideo dilectioni vestrae indicanda sub occasione credidimus, ne, si illuc fuerint forte delati, ignorantes, quemadmodum se in urbe Romana tractaverint[16]), sub aliqua verborum simulatione deciperent. a. 520. 2 Tim. 3, 1—5.

4. Hi vero, quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum[17]) neque quemquam, quos in auctoritatem patrum non recipit examen, catholicae fidei aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem posse gignere, aut religiosis praejudicium comparare. Fixa sunt a patribus, quae fideles sectari debeant instituta, sive interpretatio, sive praedicatio, seu verbum populi aedificatione compositum: si cum fide recta et doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, aboletur. Unum est fundamentum, extra quod quaelibet fabrica si consurgit, infirma est, super illud quisquis[18]) aedificat seu vilia seu pretiosa, consideret. Errat autem a[19]) via, qui ab eo quod patrum electio monstravit exorbitat. Nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus a veritate declinans. Saepe de his necessaria providetur, de quibus ipsi aemuli convincantur, instructio. Nec vitio dari potest nosse, quod fugias; atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquievisset nuntiare fidelibus: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Non abs re est, etsi mundanum non tamen a ratione discretum miscere sermonem. Fert[20]) quidam no- 1 Cor. 3, 11. 1 Thess. 5, 21.

---

nem postmodum exhibet, quum primo praetulisset *dissenstonem*, quod et apud Cochl. et in aliis libris obtinet.

[15]) a[1] *de religionibus est pulsa*, omisso *eorum dissensio;* b cc *de religione eorum est pulsa dissensio*, Cochl. *de regione* etc. Praeferimus cum G[1] et Max. *de regionibus*, hoc est: praedictos monachos apud Romanos, quorum subsidio schismatis dissensio e partibus Scythiae adeoque e regionibus eorum depulsa fuerat, discordiam agitare voluisse. De hac partium Scytharum reconciliatione Hormisda anno 517 epist. 26 n. 3 ad Hispanos scripsit.

[16]) Ita cum aliis libris etiam Maxent. apud Cochl.; at in biblioth. patr. Colon. *subgesserint aliqua*, ex nota scholiastis, qui ad marg. adscripserit *gesserint sub aliqua.* Re ipsa hic verbum *tractaverint* perinde est atque *gesserint.*

[17]) b cc add. *recipi.* Hoc autem sibi vult Hormisda: *neque illum neque quemquam eorum, quos in auctoritatem* etc., *ambiguitatem posse gignere in causa catholicae fidei aut ecclesiasticae disciplinae.* Faustum autem nominatim ideo ambiguitatem gignere non posse censet, quia eumdem *in auctoritatem patrum non recipit examen catholicae fidei*, a Gelasio videlicet institutum.

[18]) Apud Cochl. *quisquis superaedificat.* Magis arrideret *quisque quae aedificat.*

[19]) Cochl. *qui a via quam patrum.*

[20]) Ita G[1] a[1]. Ed. *Fertur ... sibi proposuisse.*

Digitized by Google

a. 520. bilis arte pingendi, quum equum penicillo vellet explicare perfectum, asellum sibi profuisse pingenti, asserens, non ut jumentum imitaretur informe, sed ne in alicujus informis lineamenti similitudinem lapsus incideret. Non improvide veneranda patrum sapientia fideli posteritati[21]) quae essent canonica dogmata definiit, certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instituente, praefigens: ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conveniret, sed quod voluntas[22]) sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiae terminos porrigere quaestiones, et de his quae ita[23]) habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina, quum Christiana fides canonicis libris et synodalibus[24]) praeceptis et patrum regularibus constitutis stabili et inconcusso tramite limitetur?

5. De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana hoc est catholica sequatur et servet[25]) Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula[26]) continentur,

---

[21]) Ed. *potestati ... catholica dogmata,* G[1] *definiunt.* Aperte declarat Hormisda, qui in auctoritatem recipiendi essent veterum libri, jam a majoribus suis Spiritu sancto instituente, adeoque in synodo, fuisse definitum. Hoc reipsa a Gelasio in decreto, quod de libris recipiendis sanxit, praestitum quam plurium codicum auctoritate firmatur. Hinc locus iste confert non tantum ad asserendam praedicti decreti veritatem, sed et ad censurae, qua Gelasius plures libros apocryphos declarat, percipiendam intelligentiam. Hoc enim verbo, Hormisda interprete, non eos legi prohibet, sed quadam cum cautione vult legi.

[22]) b cc *voluptas.*

[23]) b cc omitt. *ita.*

[24]) Cochl. *synodalibus disciplinis.* Mox b cc *inconcusso termino.* Hanc autem Hormisdae de libris Fausti responsionem Maxentius sic sugillat: *his ita finitis, multa et non necessaria de libris Fausti cujusdam Galli episcopi in consequentibus loquitur, nec ad id quod quaeritur respondens, sed alia nescio quae ad rem non pertinentia inani et prolixo sermone digerit. Nam quum de ipsis libris, non utrum legendi sint, sed utrum sint catholici, vertatur quaestio, ille non de ipsis quid sentiendum sit, sed eos quamvis non in auctoritate habendos, tamen legendos esse decernit.* Quamquam si diligentius expendantur Possessoris consulentis verba, appositum ad ea judicabitur Hormisdae responsum. Non enim ille de librorum Fausti, ut ita dicam, catholicitate, sed de eorum auctoritate interrogavit; et utrum quod ea de re jam praelibarat responsum approbaret Hormisda, rescire cum aliis expetiit.

[25]) Ita G[1] et Cochl.; a[1] *asservet,* b cc *asseveret.* Nostrae lectioni concinit illud episcoporum in Sardinia exsulum apud Fulgentium epist. 15 n. 18: *Prae omnibus studium gerite, libros s. Augustini, quos ad Prosperum et Hilarium scripsit, memoratis fratribus ingerere. Quorum mentionem beatae memoriae Hormisda sedis apostolicae gloriosus antistes in epistola, quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno praeconio laudis inseruit, cujus haec verba sunt: „De arbitrio tamen et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet Ecclesia* etc.

[26]) Inter plures eruditos convenit, ea hic memorari capitula, quae Coelestini epistolae 21 subjiciuntur. Ita in ecclesiasticis scriniis continebantur, ut tamen

Digitized by Google

quae si tibi desunt et necessaria creditis, destinabimus; quamquam a. 520.
qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat. Data[27]) Idibus Augusti.

Epistola 125

seu

Decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum de scripturis divinis, quid universaliter catholica recipiat Ecclesia vel quid post haec vitare debeat. (a. 520 d. 13 Aug.)

p. 118. **I. De ordine librorum canonicorum. Tituli Veteris et Novi Testamenti.**
II. De numero apostolicarum sedium.
III. De constitutionibus sanctorum conciliorum.
IV. De opusculis sanctorum patrum quae recipiantur.
V. De opusculis apocryphorum quae recipienda non sunt.

Cap. I.

1. **Ordo de Veteri Testamento, quem sancta et catholica Romana suscipit et honorat ecclesia, iste est:**

Geneseos liber 1. Exodi liber 1. Levitici liber 1. Numeri liber 1. Deuteronomii liber 1. Jesu Nave liber 1. Judicum liber 1. Ruth liber 1. Regum[1]) libri 4. Paralipomenon libri 2. Psalmorum 150 liber 1. Salomonis libri 3: Proverbia, Ecclesiastes et Cantica Canticorum. *Item* Sapientiae[2]) liber 1. Ecclesiastici liber 1.

Item ordo prophetarum: Esaiae liber 1. Jeremiae liber 1, cum[3]) Cinoth, id est lamentationibus suis. Ezechielis liber 1. Danielis

---

publica facta essent, ideoque non offeruntur Possessori, nisi quatenus ipsi desint.

[27]) Apud Cochl. in Orthodoxogr. clausula ista scioli alicujus opera sic interpolata legitur: *Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data Idibus Augustis Rusticio ac Olybrio consulibus.* Certe temporibus Hormisdae, ut a Sirmondo notis in Ennodii epist. VI, 5 est observatum, cum Rustico non *Olybrius* sed Vitalianus consulatum gessit. Verum anno 464 Hilaro papa Rusticus alter Olybrium in consulatu collegam habuit, unde haud dubie sciolus noster deceptus est.

125 [1]) Ita Chiffletius cum mss., qui seu Gelasii seu Hormisdae nomen prae se ferunt. At editi apud Gelas. *Regnorum*, quod Innocentius epist. 6 n. 10 secundum LXX praetulit.

[2]) Ita J^{c} i^{2}; al. *Sapientia liber 1, Ecclesiasticus.* Hi duo libri ab Innocentio epist. 6 et concilio Carthaginensi III can. 47 cum tribus antecedentibus uni: *Salomonis libri quinque.* Gelasio concinit Hormisda.

[3]) J^{c} J^{17} *cum Cinoth ac Lamentationibus suis.* Nulla quidem hic sicut nec apud Innocentium aut in concilio Carthaginensi III prophetiae Baruch fit mentio, quia nimirum antiquis id moris erat, ut eam Jeremiae ipsi attribuerent. Non alio nomine eam laudant Hilarius de Trin. l. IV n. 4 et l. V n. 3, antiquus auctor quaest. vet. et nov. Testam. apud Augustin. append. tom. 3 pag. 87, item auctor sermonis de symbolo apud eumdem Augustinum tom. 8 pag. 16 nec non Augustinus ipse de civ. Dei XVIII, 33, ubi et illud adjungit monitum:

Digitized by Google

(a. 520.) liber 1. Oseae liber 1. Amos liber 1. Michaeae liber 1. Johel liber 1. Abdiae liber 1. Jonae liber 1. Naum liber 1. Abacuc liber 1. Sophoniae liber 1. Aggaei liber 1. Zachariae liber 1. Malachiae liber 1.

Item ordo historiarum: Job liber 1. Tobi[4]) liber 1. Esdrae libri[5]) 2. Hesther liber 1. Judith liber 1. Machabaeorum libri 2.

2. **Item ordo scripturarum Novi et[6]) Aeterni Testamenti**: Evangeliorum libri 4: Secundum Matthaeum liber 1. Secundum Marcum liber 1. Secundum Lucam liber 1. Secundum Johannem liber 1.

Item Actuum apostolorum liber 1.

Epistolae Pauli apostoli numero 14: Ad Romanos epistola 1. Ad Corinthios epistolae 2. Ad Ephesios epistola 1. Ad Thessalonicenses epistolae 2. Ad Galatas epistola 1. Ad Philippenses epistola 1. Ad Colossenses epistola 1. Ad Timotheum epistolae 2. Ad Titum epistola 1. Ad Philemonem epistola 1. Ad Hebraeos epistola 1.

Item Apocalypsis Johannis liber 1.

Item Canonicae epistolae numero septem: Petri apostoli epistolae 2. Jacobi apostoli epistola 1. Johannis apostoli epistolae 3. Judae Zelotis apostoli epistola una.

Cap. II.

3. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universae per orbem diffusae catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *Tu es Petrus,* inquientis, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferni non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelo.* Matth. 16, 18 et 19.

Addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans, coronatus est. Et patientes[7]) supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt aliisque

---

hoc testimonium quidam non Jeremiae sed scribae ejus attribuunt, qui vocabatur Baruchi, sed Jeremiae celebratius habetur.

[4]) Ita J[17] consentientibus etiam veteribus Innocentii codicibus epist. 6. J[c] i[2] *Tobiae.*

[5]) J[17] H[3] *lib.* 1; corriguntur ex J[c] i[2], quibus Innocentius et Carthaginense III concilium suffragantur.

[6]) J[17] omitt. *et aeterni.*

[7]) J[17] i[2] *patientes,* J[c] *pariter.*

Digitized by Google

omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. (a. 520.)

Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana ecclesia, non habens maculam neque rugam nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est. Ipseque in Aegypto, directus a Petro apostolo, verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam item beatissimi apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est. Act. 11,26.

Cap. III.

4. Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus, tamen ad[8]) aedificationem sancta id est Romana Ecclesia post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas regulariter superius enumeravimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est: 1 Cor. 3,11.

Sanctam synodum Nicaenam secundum trecentos decem et octo patres, mediante Maximo Constantino Augusto, in qua Arius haereticus condemnatus est; sanctam[9]) synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit; sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Coelestini papae, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio episcopo ab Italia destinato; sanctam synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana haereses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatae sunt. Sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post[10]) istorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus.

---

[8]) J^{c} *ad aedificationem nostram eadem Romana*, i^{s} *ad aedificationem sanctam item Romana.*

[9]) Illic quidem in J^{17} ut in Gelasianis exemplaribus proxime subjicitur *sanctam synodum Ephesinam;* sed in dicto codice meram esse librarii praetermissionem, ac J^{c} eo loci integriorem esse hoc argumento est, quod infra praedictus ms. pariter cum J^{c} exhibeat: *Post istorum quatuor* (non *trium*) *auctoritatem etc.*, quae non exstant apud Gelasium. Pearsonio autem Ignatian. pag. 53 alia a quatuor prioribus pariter generalia concilia hic designari arbitranti non assentiendum, quum de iis sit sermo conciliis, quibus non omnino par, sed minor (particula *post* notata) tribuatur auctoritas. Eo in numero concilium illud, ex quo prodiit Gelasii de recipiendis libris, Hormisdae fuisse, ex superiori epistola jam probavimus.

[10]) In uno recentiore ms. *praeter istorum*, minus sincere. Ad imitationem hujus loci, qui a Gelasianis exemplaribus abest, expressa sunt, ut praemonui, Isidori orig. VI, 15 verba.

Digitized by Google

(a. 520.) CAP. IV.

5. Jam nunc subjiciendum de opusculis sanctorum patrum, quae in Ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati Caecilii Cypriani martyris, Carthaginensis episcopi, in[11]) omnibus recipienda.

Item opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula beati Basilii Cappadociae episcopi.

Item opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Johannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi.

Item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi.

Item opuscula beati Augustini Hipponeregiensis episcopi.

Item opuscula beati Hieronymi presbyteri.

Item opuscula beati[12]) Prosperi viri religiosissimi.

Item epistolam beati papae Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam: de cujus textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctae Romanae ecclesiae consortio deviarunt nec ab ejus fide vel praedicatione sejuncti sunt, sed ipsius communicationi per gratiam Dei usque in ultimum diem vitae suae fuere participes, legendos decernimus.

Item decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.

6. Item gesta sanctorum martyrum, quae multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Quis ista catholicorum dubitet et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus sed Dei gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur: sicut

---

[11]) Verba in *omnibus recipienda* Gelasiani codices non repraesentant. Nec compertum est, quo pacto recipi jubeantur, quibus baptismum haereticis quibusque ad Ecclesiam redeuntibus conferendum esse contra Stephani papae sententiam propugnatur.

[12]) Horm. exempl. cum C^1 C^2 Γ add. *beati*. — De reliquis pleniorem codicum et rerum rationem supra ad Gelasii epistolam 42 dedimus. Ad quae lectorem demandantes, hoc loco solum textum secundum J^{17} J^c i^2 praebemus, paucissima adnotasse contenti.

Digitized by Google

Quirici cujusdam et Julitae, sicut Georgii aliorumque ejusmodi pas- (a. 520.)
siones, quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum praedicta Romana ecclesia omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item vitas patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus descripsit, cum omni honore suscipimus.

Item actus beatissimi Silvestri apostolicae sedis praesulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus et pro antiquo usu multae hoc imitantur ecclesiae.

Item scriptura de inventione dominicae crucis et alia scriptura de inventione capitis beati Johannis Baptistae novellae quidem relationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt. Sed quum haec ad catholicorum manus pervenerint, beati apostoli Pauli praecedat sententia: *Omnia probate, et quod bonum est retinete.* 1 Thess. 5, 21.

Item Rufinus vir religiosissimus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quae praedictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus: et non solum de Rufino sed etiam de universis, quos vir saepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.

Item Chronica Eusebii Caesariensis atque ejusdem historiae ecclesiasticae libros, quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularum notitiam, quae ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum collaudamus, qui valde necessariam nobis adversus paganorum calumnias ordinavit historiam, miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis viri Sedulii opus paschale, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude praeferimus.

Juvenci quoque nihilominus laboriosum opus non spernimus sed miramur.

7. Cetera, quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia: e quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

Digitized by Google

(a. 520.) CAP. V.

In primis Ariminensem synodum a Constantio Caesare Constantini filio congregatam, mediante Tauro praefecto, ex tunc et nunc et in aeternum confitemur esse damnatam.

8. Itinerarium quoque in nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri numero novem, apocryphum esse scimus.

Actus nomine Andreae apostoli apocryphi.

Actus nomine Thomae apostoli libri X apocryphi.

Actus nomine Petri apostoli apocryphi.

Actus nomine Philippi apostoli apocryphi.

Evangelia nomine Mathiae apostoli apocrypha.

Evangelia[13]) nomine Barnabae apocrypha.

Evangelia nomine Jacobi minoris apocrypha.

Evangelia nomine Petri apostoli apocrypha.

Evangelia nomine Thomae apostoli, quibus Manichaei utuntur, apocrypha.

Evangelia nomine Bartholomaei apostoli apocrypha.

Evangelia nomine Andreae apostoli apocrypha.

Evangelia, quae falsavit Lucianus, apocrypha.

Evangelia, quae falsavit Hesychius, apocrypha.

Liber de infantia Salvatoris apocryphus.

Liber de nativitate Salvatoris et de Maria vel obstetrice apocryphus.

9. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.

Libri omnes, quos fecit Leucius discipulus diaboli, apocryphi.

Liber, qui appellatur Fundamentum, apocryphus.

Liber, qui appellatur Thesaurorum, apocryphus.

Liber de filiabus Adae, hoc est Leptogenesis, apocryphus.

Liber, qui appellatur actus Theclae et Pauli, apocryphus.

Liber, qui appellatur Nepotis, apocryphus.

Liber Proverbiorum, qui est ab haereticis conscriptus et sub nomine sancti Sixti[14]) praesignatus, apocryphus.

10. Revelatio, quae appellatur Pauli apostoli, apocrypha.

Revelatio, quae appellatur Thomae apostoli, apocrypha.

Revelatio, quae appellatur sancti Stephani, apocrypha.

Liber, qui appellatur Transitus id es adsumptio sanctae Mariae, apocryphus.

Liber, qui appellatur Poenitentia Adae, apocryphus.

Liber de Eugenia[15]) nomine gigante, qui cum dracone post diluvium ab haereticis pugnasse fingitur, apocryphus.

---

[13]) Exempl. Horm. cum C^2 F^3 H^5 X^k ubique *Evangelia* (al. *Evangelium*).

[14]) J^{10} *Stephani.*

[15]) Ita J^c J^{17} cum C^1 C^2 O^1; i^2 *Ugia.* Conf. Gelas. ep. 42 not. 63.

Digitized by Google

Liber[16]), qui appellatur Testamentum Job, apocryphus. (a 520.)
Liber, qui appellatur Poenitentia Origenis, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia Jamne et Mambre, apocryphus.
Liber, qui appellatur Sortes apostolorum, apocryphus.
Liber, qui appellatur Jus[17]) apostolorum, apocryphus.
Liber, qui appellatur Canones apostolorum, apocryphus.
Liber Physiologus, ab haereticis conscriptus et beati Ambrosii nomine praesignatus, apocryphus.
11. Historia Eusebii Pamphili apocrypha.
Opuscula Tertulliani apocrypha.
Opuscula Lactantii apocrypha.
Opuscula Africani apocrypha.
Opuscula Postumiani apocrypha.
Opuscula Montani, Priscillae et Maximillae apocrypha.
Opuscula Fausti Manichaei apocrypha.
Opuscula Commodiani apocrypha.
Opuscula alterius Clementis Alexandrini apocrypha.
Opuscula Tascii Cypriani apocrypha.
Opuscula Arnobii apocrypha.
Opuscula Ticonii apocrypha.
Opuscula Cassiani presbyteri Galliensis apocrypha.
Opuscula Victorini Pietabiensis apocrypha.
Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha.
Opuscula Frumenti Caeci apocrypha.
Centones de Christo, Virgilianis compaginati, apocryphi.
12. Epistola Jesu ad Abgarum apocrypha.
Epistola Abgari ad Jesum apocrypha.
Passio Quirici et Julitae apocrypha.
Passio Georgii apocrypha.
Scriptura, quae appellatur Salomonis interdictio, apocrypha.
13. Philacteria omnia, quae non angelorum, ut illi confingunt, sed daemonum magis conscripta sunt nominibus, apocrypha.

Haec et his similia, quae Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscoenissimis sequacibus, Appollinaris, Valentinus, sive Manichaeus Faustus Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius[18]), Novatius, Sabbatius, Callistus, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis, Coelestinus, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cyni-

[16]) Deest in J^c, quum in aliis habetur.

[17]) Ita i^2. J^{17} *Jussa*, J^e cum Gelas. exempl. *Lusa* (conf. l. c. not. 66). Sequentia de *canonibus apostolorum* desunt in exempl. Gelas.

[18]) J^c add. *Conomius*, mendosa antecedentis repetitio.

Digitized by Google

(a. 520.) cus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam alius Antiochiam maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, necnon et omnes haeresiarchae et eorum discipuli sive schismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinuimus: non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana catholica et apostolica ecclesia eliminata atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis et indissolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.

Explicit decretale editum ab Hormisda papa urbis Romanae.

Epistola 126

seu

a. 520 d. 31 Aug. acc. d. 1 Oct.

Sacra Justini Augusti ad Hormisdam papam.

Excusat moram, qua de destinandis per Johannem episcopum quibusdam capitulis promissa nondum complerit. p. 129

Justinus Augustus Hormisdae papae.

Dum beatissimum Germanum episcopum vel eos, qui cum eo a vobis fuerant destinati, de hac dimitteremus[1]) regia civitate, hujusmodi illis mandata tradidimus, quod capitula[2]), quae ad perfectam unitatem ecclesiarum pertinebant, apostolatui vestro per reverentissimum Johannem[3]) episcopum sequenter manifesta faceremus. Quae tamen ipsis hic praesentibus fuerant declarata; sed evenit, praefatum Johannem antistitem longa aegritudine detineri. Ne qua igitur vestram reverentiam ingrediatur adversa sententia, quasi nobis[4]) promissa nostra desidia quadam ultronea minus ad effectum perducentibus, necessarium esse perspeximus dilationis causam vobis exponere per Eulogium v.[5]) s. tribunum et notarium, quem ad praecelsum regem Theodoricum super negotiis quibusdam transmisimus: hoc quoque adjicientes, quod dum propitia Domini et Dei nostri majestas eumdem virum religiosissimum Johannem pristinae voluerit reddere

126 [1]) Eos VII Idus Julii inde dimissos fuisse, ex epistola 116 didicimus.

[2]) H. e. preces ipsi Justino ab Eois partibus oblatas, et coram Hormisdae legatis nominatimque Dioscoro recitatas, quas ad Hormisdam missurum se idem imperator epist. 108 et 116 pollicetur. Quod autem promiserat, eum postmodum exsolvisse epist. 129 visuri sumus.

[3]) Isne intelligendus sit, qui Thessalonicae factione Dorothei laesus vix baptisterii praesidio necem evaserat, uti epist. 100 et 102 narratur, in epistolam 129 excutiemus.

[4]) In vulg. *vobis;* orationis series postulat *nobis*.

[5]) H. e., ut in epistola sequenti conceptis verbis legitur, *virum sublimem*. Eumdem infra epist. 133 Hormisda *virum spectabilem* vocat. Ansvero is ipse sit Eulogius magistrianus et agens in rebus, qui epist. 77 *vir spectabilis*, epist. 92 et 98 *vir sublimis* (in ep. 92 al. *vir carissimus*), epist. 99 *vir strenuus* et epist. 91 *vir clarissimus* cognominatur, aliorum judicio permitto.

Digitized by Google

sanitati, sicut semel promiseramus, statim illum ad tuam sanctitatem a. 520.
transmittemus. Superest, ut sanctitudo tua divinum nobis praesidium orationibus suis dignetur acquirere. Data pridie Calendas Septembris Constantinopoli. Accepta Romae Calendis Octobris, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 127

seu

Exemplum epistolae Justiniani viri clarissimi ad Hormisdam. (a. 520 d. 31 Aug.)

p. 120. *Enixius rogat, ut Hormisda pro ecclesiarum concordia usque laboret, atque ad duo illa, de quibus etiam tunc controvertebatur, integrum et indubitatum destinare responsum ne differat.*

Domino beatissimo atque apostolico patri Hormisdae papae urbis Romae Justinianus.

Quanta reverentia vestram beatitudinem veneremur, multis epistolis, ex quo serenissimus imperator filius vester regnavit, cognoscitis. In praesenti quoque debito pudore salutantes tuam sanctitatem, postulamus enixius, ut assiduis precibus et frequentissimis orationibus pro concordia laboretis ecclesiarum[1]) venerandarum, nobisque, sicut per legatos etiam vestros post omnia scripsimus, tam ep. 120 n. 3.
de sermone, de quo vertitur controversia, quam de nominibus episcoporum sub[2]) Acacio defunctorum per Eulogium virum sublimem tribunum et notarium dignetur apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum, omnibus videlicet, quae praesentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuo firmiter duraturis[3]). Vir namque religiosus Johannes episcopus, qui venturus est Romam, detinetur aegritudine corporali. Nihil enim prohibet ante ejus quoque adventum concordiam provenire, sublata dubitatione religionis, (et eum tamen mox dimittemus favente Divinitate, quia jam melius habet), quoniam nec difficilia sunt quae ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit diutius causam vitae protrahi sempiternae, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius. Aeternitatis igitur supernae tremendique judicii non immemor, sanctitas vestra, quae sibi commissa sunt, efficaciae tradi deproperet, ut intelligant cuncti recte

---

127 b cc *ecclesiarum vestrarum:* renitente G[1]. Sed et Justiniano ac Justino sollemne est, hoc epitheto ecclesias exornare, ut eas vel *venerandas* vel *venerabiles* praedicent, ut videre est epist. 115 n. 2, epist. 116, epist. 120 n. 4 et epist. 129 n. 4.

[2]) H. e. quod idem Justinianus epist. 120 n. 2 ait *episcoporum post Acacium defunctorum.*

[3]) Hoc est, ut in sacra diptycha nunquam revocentur Timothei, Macedonii, Euphemii aliorumque nomina, quae ex iis sub temporibus Johannis Constantinopoli expuncta sunt, uti Justinus epist. 116 declarat.

Digitized by Google

(a. 520.) vos apostolicae sedis esse primatum sortitos. Haec igitur, quae[4]) scribuntur a filiis, affectu paterno jubete quantocius adimpleri. Scitis namque, quam sit admirabilis gloria, tantorum errores annorum vestri pontificatus tempore stirpitus aboleri.

Epistola 128

seu

(a. 520 m. Aug.)

Relatio Dorothei episcopi Thessalonicensis.

A facinore, quo insimulabatur, purgare se nititur. p. 139

Sanctissimo ac beatissimo patri ac comministratori Hormisdae Dorotheus in Domino salutem.

Propositi nostri et orationis est summum studium, per omnia beatissime et ter beate pater, et scribere frequenter ad vos sanctissimos, et mutua mereri colloquia; et nullo tempore exsortem[1]) me ab hujusmodi laetitia esse condecet. Quoniam igitur manifeste cognovi quosdam sanctas aures vestras perturbare, et scio procul dubio vos in omnibus esse perfectos, et quia nihil sine judicio audire positis nec ulli penitus vestrum animum accommodare: ut non amplius per taciturnitatem largiri tempus videar illis, qui nihil quidem a nobis laesi sunt, sed sine causa et superflue adversus nos armati sunt, Deo tamen et vestrae satisfacio sanctitati, quia pro Johanne viro reverendissimo episcopo, qui paulo ante a vestra venerabili corona directus est, praedestinavi me periculis et mortem sustinui[2]) et meam pro ejus scio me objecisse animam: et hoc ostenditur gestis, et ex his, qui quamquam per meam absentiam acerrime videantur esse discussi[3]). Et quid longo sermone opus est uti, quum vobis omnia Dominus Deus noster Jesus Christus patefacere et satisfacere possit; quia et quando cognovi vos ad apostolicae sedis praesulatum advocari, commune gaudium totius mundi esse judicavi. Ab illo
ep. 3. enim tempore hoc ipsum scribens ad vos, quantum ad me, quidquid ad honorem et satisfactionem vobis et apostolicae sedi pertinet, nihil praetermisi sed nec praetermitto. Paulo post autem scietis, per-

---

[4]) b cc *quae a nobis scribuntur* vel *quae scribuntur a nobis* omisso *filiis*, quo verbo et se et Justinum, qui similia scripsit, Justinianus intelligit. Estque inter verba *a filiis* et *affectu paterno* elegans antithesis aut potius aequa relatio, quare primigenia lectio retinenda.

128 [1]) b cc *extorrem ... animum commodare et ut.*

[2]) a[1] *substinui*, id est, periculis me exposui, unde exspectanda mihi mors erat.

[3]) Dorotheus epist. 110 dicitur Heracleam missus, *donec causa terminum acciperet.* Forte hic inquisitio notatur ac testium interrogatio per id temporis facta. Johannes autem epist. 102 Thessalonica scribit, a Dorothei consciis secum Constantinopolim tantas delatas esse pecunias, *ut non homines sed possint angelos excaecare.* Unde mirum non est, gesta tunc confecta nunc a Dorotheo venditari.

Digitized by Google

venerabiles[4]), annuente Domino Jesu Christo, quia haec ab exordio (a. 520.)
mihi sunt excogitata, et quando Dominus Deus tempus dedit, ad
effectum haec sunt perducta. Omnem cum vestra sanctitate in Christo
fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus.

Epistola 129.

Justini imperatoris ad Hormisdam papam.

a. 520 d. 9 Sept.

p. 120. *Recolit Justinus, quae pietatis studio fecerit, testaturque, se animo non mutatum esse (n. 1). Multas ecclesias a recitandis episcoporum suorum nominibus nec suppliciis deterreri posse (n. 2). Quibus veniam flagitat, salvis iis quae jam gesta sunt (n. 3). Earumdem nunc ecclesiarum libellum per Johannem episcopum mittit, in quo haereticos omnes detestantur, fidem suam quatenus Christum unum ex Trinitate credant exponunt, utque imperatoris opera ad unitatem catholicam admittantur rogant (n. 4—7).*

Justinus Augustus Hormisdae papae[1]).

1. Quo fuimus semper et quo sumus studio pro conciliandis sententiis catholicam fidem colentium, ut eodem animo cuncti venerentur lumen[2]) individuum Trinitatis, palam fecisse dignoscimur: nunc legatum ad vestram beatitudinem ultro ob[3]) hoc ipsum dirigentes Gratum virum sublimem[4]) magistrum scrinii, quo remedium ep. 42.
tandem reperiatur discordiis varia certantium, nunc prono[5]) libentique suscipientes affectu viros religiosissimos[6]), quos interventores unitatis vestra[7]) sedes apostolica credidit destinandos. Profecto enim tamquam ipsam pacem et jucundis eos oculis adspeximus, et extensis manibus duximus amplectendos. Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis ecclesia Constantinopolitana nec non complures aliae vota suscipiant vestra non solum in ceteris, sed in aufe-

---

4) Ed. *per venerabiles.*

129 1) H^{10} K^{3} K^{11} *Sacratissimo et beatissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae Hormisdae imperator Justinus.*

2) Ita omnes mss. b cc *nomen individuum.*

3) F^{1} *in hoc*, ac deinde in vetustioribus *ipsud.* Nimirum ut in aliis etiam veteribus monimentis deprehendi, antiquis usitatum erat *ipsud*, quomodo etiam nunc nobis *illud* et *istud* in usu est. Justini mentem non assecutus Romanus editor in epistolae summa sic locum hunc reddidit: *Gratum ad pontificem mittit*, eaque summa deinceps obtinuit. Hinc deceptus annalium parens existimavit, novam Grati legationem hic commendari, quum tantum pristina, quam 7 Septembris die anni 518, ut vidimus epist. 42 et seqq., suscepit, memoretur.

4) H^{10} *exspectabilem*, H^{6} *vc.* Mox a^{1} seq. *cunctantium*, ubi c^{1} c^{2} cum mss. *certantium* (G^{1} *ctantium*).

5) H^{6} *proni.*

6) Germanum videlicet ac socios, qui anno 519 ineunte Roma profecti, feria II majoris hebdomadae Constantinopolim pervenientes, quo affectu suscepti sint, epist. 64 ipsi narrant.

7) H^{6} *vestrae sedis apostolicae credi ... Profecto etenim.*

Digitized by Google

a. 520. rendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quae removenda maxime postulastis.

2. Verum nonnullae fuerunt urbes et ecclesiae tam[8]) Ponticae quam Asianae ac praecipue Orientales, quarum clerici vel populi omnibus pertentati minis et persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt, ut tollant antistitum et repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit; sed morte vitam duriorem aestimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciae, quae nec dicto audiens exsistit, et tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum judicet, si corpore prius quam religioso desistat consilio? Nobis quidem videtur opus esse mollius agendi et clementius: quae si[9]) non in tua sanctitate, jam nec in alio potuerunt inveniri. Nam neque sanguinis et suppliciorum cupidi, quod dictum etiam grave est, libellum suscepimus, neque ut parvo discrimine remaneant imperfecta concordiae desideria, sed ad prorogandam[10]) quo possumus ordine conjunctionem membrorum Ecclesiae. Utrum itaque praestantius erit, minorum gratia in totum esse nobis abreptas[11]) tantas multitudines, an concessis exiguis et remissis majora et omni ratione quaerenda corrigi, ut quae non licuit per omnia, saltem ex necessariis partibus allegantur[12])?

3. Veniam itaque nominum postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos datae sanctitatis tuae epistolae[13]) continebant, sed quos in aliis celebravit civitatibus episcopalis reverentia, et hoc exceptis urbibus, ubi vestrae beatitudinis libellus jam in plenum admissus est, nisi hanc quoque partem benevolentia statuerit vestra mitius corrigendam. Verum nec judicio res[14]) caret sedis apostolicae, ut non magis venia dicenda sit, quam deliberata jam ac perspecta definitio. Anastasius siquidem[15])

Anast. II ep. 1 n. 4.

---

[8]) Ed. *tum Ponticae tum Asianae praecipuae.* Mox H^6 H^9 *atque suasionibus*, et H^5 *condemnaverit ... gloriabuntur.*

[9]) Ita mss. (G^1 H^8 H^9). Ed. *si uno.* Mox H^8 H^{10} c^1 c^2 *sanctitudine.* Deinde c^1 a^3 *poterunt invenire*, ubi G^1 H^8 a^1 sequimur.

[10]) b cc *propagandam*, H^8 *qui possumus.*

[11]) c^1 c^2 *acceptas*, et c^2 in marg. *absentes* seu *adversas.* a^1 seq. *adjectas*, G^1 *adsectas*, H^8 H^{10} *abseptas*, al. mss. a^3 *abreptas.* Antea *minorum gratia* id est: dum levioris momenti res exiguntur.

[12]) In vulg. *allegentur.* Verius in mss. *allegantur* a verbo *allegere*, quod est aliquem alicui societati adjungere aut in novum ordinem admittere. — Paulo ante H^{10} sec. manu *licuit missis majora per omnia saltem.*

[13]) Quarum exemplar in epist. 7 et 26 subnexum, cujusmodi et Johannes Constantinopolitanus epist. 61 suscipere se professus est.

[14]) c^7 c^{10} omitt. *res.* H^8 *resecaret ... venia discenda.*

[15]) a^1 seq. *quidem.* Particula *siquidem* restituitur nexus orationis, qua probare vult Justinus, rem a se quaeri, quae nec a ratione nec ab apostolicae sedis

Digitized by Google

religiosissimae memoriae, vestrae culmen ecclesiae, palam aperteque a. 520.
constituit, quum ob[16]) hoc idem scriberet negotium decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo priora vestrae sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indignum habeatur et incongruum[17]), si non placidior omnibus non solum defunctis sed etiam superstitibus vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitaverimus ita gratiosum vobis futurum, ut pacifico statim responso laetior mundus reddatur.

4. Retineat autem vestra sanctitas, quod dudum scripsimus, ep. 108.
ex Oriente supplicationes nobis esse destinatas, voluntatem ipsorum continentes et arbitrium, in quo sese[18]) duraturos ostendunt firmiter, et quo nulla ratione desistendum existimant. Hanc itaque chartulam secundum nostra promissa[19]) per Johannem virum reve-

---

judicio abhorreat; siquidem nihil petit, nisi quod ab Anastasio jam definitum atque constitutum arbitratur.

[16]) Ed. omitt. *ob;* iidem *praedecessori*. Quemadmodum Justinianus in epist. 120, ita etiam in hac Justinus loco verbi *specialiter*, quo Anastasius usus est, substituto *tantum*, hunc papam aliud, quam quod revera voluit, et voluisse et constituisse sibi persuaserunt.

[17]) H[s] *incognitum*.

[18]) H[s] *se sedatur ... resistendum aestimant*.

[19]) Ab initio anni hujus Justinus epist. 108 scripserat: *Non multo itaque post a nobis quidam destinabitur ad insinuandas vobis supplicationes, quae nobis* (ab Eois partibus) *oblatae sunt*. Rursum mense Julio epist. 116 eamdem legationem promittit his verbis: *Ea quidem, nec non quaedam commemorabuntur apertius per legatum nostrum, qui paulo post destinabitur*. Tum autem legatum nominatim indicat epist. 126 nempe Johannem antistitem, quem a se proxime post legatos Germanum, Blandum, Felicem et Dioscorum, quibus mox dictam epistolam 126 tradiderat, mittendum decrevisse declarat, sed longa aegritudine detineri. Idem simul et Justinianus epist. 127 testatur in hunc modum: *Vir namque religiosus Johannes episcopus, qui venturus est Romam, detinetur aegritudine*. Nunc igitur Justinus *hunc mittens Johannem promissa exsolvit;* sed ideo quis ille sit Johannes, isne, qui ab Hormisda cum Germano ac sociis in Orientem legatus cum iis Romam rediisse minime legitur, an alius, nunc expendendum. Si ipse est, id quod de illo Baronius ad annum 520 n. 72 scribit: *De susceptis pro fidei defensione vulneribus insignibus meruit coronari martyrii*, non ita intelligendum est, ut vitam ei vulnera illa abstulerint. Et ipse quidem Johannes quum epist. 102 ex urbe Thessalonicensi scribens petit, ut si sui ipsius adversarii Constantinopolim venerint, nonnisi se praesente audiantur, sua se vulnera lethalia non putare, immo ab iis convaluisse se non obscure significat. Immo eum ubi convaluit, cum ceteris legatis Romam revertisse, Baronius ad eumdem annum diserte, haud scio qua auctoritate, scribit. Censet igitur doctus ille cardinalis, hunc Johannnem, de quo agimus, ab Hormisdae legato alium esse. Re ipsa Justinus epist. 116 capitula missurum se esse promiserat *per legatum nostrum*, non per legatum Hormisdae. Deinde si per aliquem Hormisdae legatum ea destinare voluisset, cur per aegrum, cur non per eos, qui jam paulo ante regressi essent, maxime quum timeret, ne dilatio illa affectata atque suspecta papae videretur? Neque vero alium hic designari existimamus, nisi *Johannem Claudio-*

Digitized by Google

a. 520. rentissimum episcopum dirigendam vobis in praesenti merito credidimus, ut a vestra sede etiam tenor ejus admissus ad colligendas proficiat et adunandas ubique venerabiles ecclesias, et Ierosolymitanam praecipue, cui tantum[20]) omnes favorem impendunt quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere. Consensum itaque propitium tuam sanctitudinem epistolari quoque pagina convenit declarare: ut cognito omnibus atque patefacto, tenorem[21]) ejusdem chartulae a vobis etiam laudari et tenaciter custodiri, laetior mundus exsistat. Data[22]) V Idus Septembris Calchedone, Rustico viro clarissimo consule. Accepta pridie Calendas Decembris, consule suprascripto.

Exemplar precum.

Deo amabili ac piissimo imperatori ex Deo Augusto et principi Justino[23]) Christianissimo deprecatio et supplicatio ab Ierosolymitanis et Antiochenis et secundae Syriae clericis et abbatibus et possessoribus Syriae provinciae.

Jes. 12, 3. 5. Haurite *aquam cum laetitia ex fonte salutis,* vociferator Esaias propheta exclamat, fontes salutis evangelicae veritatis praedicationes manifeste ostendens, ex quibus beati apostoli et eorum qui per ordinem fuerunt discipuli et sapientes Ecclesiae doctores, salutarem aquam fidei haurientes, omnem sanctam Dei[24]) Ecclesiam irrigaverunt, quae in petra summi apostolorum subnixa rectam et inflexibilem confessionem custodiens, fiducialiter cum eo ad unigenitum Filium Matth. 16, 16. Dei omni tempore exclamat, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hanc salutarem confessionem[25]) a sanctis quatuor synodis, quae evangelicis praeceptis sunt honoratae, suscipientes, nunquam per Christi gratiam a traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, sicut rerum testatur probatio, et tempore necessitatis fidei constantia demonstrat. Si igitur ut Christiani rationis[26]) fidei sumus participes,

---

politanae civitatis episcopum, qui legationis ab Epiphanio et synodo ejus destinatae, ut ipsius Epiphanii ordinationem sollemniter nuntiaret, dux et princeps fuit (ep. 131 n. 3, conf. ep. 130 n. 2). Ejus porro aegritudo haud dubie in causa fuit, cur Epiphanius huic officio, quod ab illo Hormisda exegerat, tardius satis fecerit.

[20]) a[1] seq. *cui tamen omnes.* H[8] *civitatum omnes fav. imp. et quasi ... proprium.*

[21]) a[1] *tenor.* Clarius ita hoc enuntiaretur: *ut quum omnibus cognitum atque petefactum fuerit, tenorem etc.*

[22]) b cc *Data Idibus.*

[23]) H[6] *gloriosissimo.* Mox H[8] *fontibus salvatoris.*

[24]) H[6] omitt. *Dei.* H[8] *petrum ... inconflexibilem.*

[25]) H[10] add. *custodiens fiducialiter.*

[26]) H[6] *ratione fidei ... domne.*

Digitized by Google

domine piissime, et ad communem pacem et ad unitatem festinamus, a. 520.
nostram fidem, quam ab initio suscepimus, per hanc satisfactionem nostram manifestam vestrae facimus pietati: ut notum sit, quia et paci concurrimus, et a recta cum Dei juvamine non divertimus fide, sed omnem ex aequo haeresim exsecramur, non solum Eutychianistas[27]) et Acephalos, sed et Nestorianos et hominem colentes toto animo odientes[28]) anathematizamus.

6. Nos autem, domine Christianissime[29]) imperator, sicut superius dictum est, in Patrem et Filium et Spiritum sanctum ab initio baptizati quoque et credentes, unam[30]) essentiam Dei in tribus subsistentiis adoramus: secundum sanctorum patrum mathema[31]) et symbolum credentes in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Deum Verbum, similiter et in unum Spiritum sanctum. Et secundum hoc divinum mathema definitionem a sancta Calchedonensi synodo promulgatam intelligimus quoque et suscipimus, confitentes[32]) et credentes, quia unam substantiam vel personam, quod idem est, ipsa sancta synodus in duabus naturis, id est in deitate et humanitate, indivise et inconfuse

---

[27]) Quidnam Eutychianos inter et Acephalos sit discrimen, Facundus pro defens. trium capit. I c. 5. sic explicat: *Eutychianorum duae sunt partes, una quae per totum sequitur Eutychis principis sui sententiam, alia vero quae in quibusdam ab eo dissentiens per superbiam tamen dedignatur ad Ecclesiam poenitendo reverti. Illi qui licet recedentes in quibusdam ab ipsius Eutychis auctoris et capitis sui sententia, sequi tamen dedignantur Ecclesiam, cujus caput est Christus, ... tamquam sine capite remanentes Acephali vocantur a Graecis, quos significantius nos Semieutychianos possumus appellare.*

[28]) a[1] seq. *audentes;* rectius vetustiores ac mss. *odientes* ceu exsecrantes. Qui hominem in Christo a divina persona secundum Nestorium separabant, graece uno verbo ἀνθρωπόλατραι (hominem colentes) vocitabantur. Aperta est ea de re Justiniani l. 5 et 6 §. 2 C. I, 1 professio, ubi anathematizat *omnem haeresim*, praesertim vero Nestorium *anthropolatram*, *dividentem unum Dominum nostrum Jesum Christum.* Quocirca et hic forsitan legendum *Nestorianos hominem colentes*, expuncta media particula *et.* Nunc primum in his epistolis auditur Acephalorum mentio.

[29]) Ed. *carissime ... supra.*

[30]) Ed. omitt. *unam.* Mox H[10] sec. manu *substantiis*, H[8] *subsistentibus.*

[31]) a[1] seq. omitt. *mathema et*, moxque scribunt *divinam majestatem* (loco *div. math.*), H[8] *patrum anathema.* H[10] *Unigenitum Dei Verbum*, H[8] *deum verum.*

[32]) Sic mss. At c[1] *confidentes et confitentes*, c[2] *credentes et confitentes*, editi alii *confidentes et credentes.* Subinde pro his *quia unam substantiam vel personam quod idem est*, graece, ut probabile est, tantum legebatur ὅτι μίαν ὑπόστασιν. H[8] *una substantia vel persona quod idem ipsa sancta*, et omitt. cum ed. *et* (ante *Dominus*). Quo in loco imitatus est interpres Augustinum, qui Graecorum locutioni sese accomodans de Trin. VII n. 8 tres in Trinitate substantias sive personas praedicat: *Sic enim*, inquit, *dicunt illi tres substantias unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas unam essentiam vel substantiam.* Unde ibidem ex Graecorum sententia ita *tres* in Deo *substantias* vocat, ut simul adjiciat *vel personas*, ne quis in perversam intelligentiam abducatur.

Digitized by Google

a. 520. praedicavit Deum Verbum, et Dominus noster Jesus Christus unus est ex sancta et unius[33]) essentiae Trinitate. Si enim unum Deum in tribus subsistentiis, sicut dictum est, accipimus, Pater autem non est incarnatus, nec Spiritus sanctus: Deus Verbum incarnatus est, et homo factus est unus ex sancta et unius essentiae Trinitate secundum filiationis proprietatem. Sic ita secundum praedictas sanctas quatuor synodos credentes, et[34]) secundam Dei Verbi nativitatem secundum carnem confiteri non renuimus, (unde proprie Dei genitrix sancta Virgo esse creditur, tamquam quae natura et veritate unius essentiae Patri[35]) Filium Deum Verbum per naturam immutabilem, ex ipsa factum hominem, enixa est): et duas naturas in Christo per[36]) essentiam vel substantiam unitas confitentes sicut in unius persona vel substantia, neque harum diversitatem vel proprietatem post unitionem auferimus, nec eas dividere in duabus personis et substantiis per unitionem sumus edocti. Eumdemque scimus unigenitum Filium Dei et ante incarnationem ejus et post, id[37]) est: Deum simul et hominem, passibilem carne, impassibilem deitate, circumscriptum corpore, non circumscriptum spiritu, id est terrenum et coelestem, quem mundus ut hominem cepit et ut Deum continere non potuit, mortalem et immortalem, nusquam naturarum diversitate sublata[38]), neque dividentes per essentiam unitionem. Hoc enim

---

[33]) c¹ hic et infra *et unus essentia Trinitatis.* G¹ H h¹ a¹ *unius essentia Trinitatis*: quod recte a c² emendatum. Prope enim certum est, graecum prae se tulisse: ἐκ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. Hoc praecipuum est capitulum, quod decidendum Justinus et Justinianus tot ad Hormisdam litteris flagitarunt.

[34]) H[10] omitt. *et secundam.* Mox ed. *Dei virgo genitrix esse*, contra mss. h¹ a¹.

[35]) c¹ c² cum mss. *Patris*, al. *Patri.* Haud obscurum est, graece exstitisse ὁμοούσιον τῷ πατρί. Totum hunc locum sic planius reddere licuisset: *utpote quae naturaliter et vere consubstantialem Patris filium Deum Verbum immutabilem per naturam et ex se factum hominem enixa est.* — Mox c⁷ seq. *Verbum natura immutabilem*, H[6] *incommutabilem.*

[36]) Qui hanc fidei confessionem concinnarunt, graece dubio procul scripserunt διὰ τῆς οὐσίας, his verbis duas Christi naturas *per substantiam* non per *accidens* unitas profitentes. Interpres autem latine convertens *per essentiam vel substantiam*, ancipitem se esse probat, utra ex illis vocibus graeco aptius responderet. Similis ejus perplexitas apparet in eo, quod mox subjicit *in unius persona vel substantia.* Haud temere enim conjectemus, eum in graeco tantum reperisse ὡς ἓν ἑνὸς ὑποστάσει. Unde fit, ut eodem *substantiae* nomine et οὐσίαν et ὑπόστασιν Graecorum, nec non *essentiam* ac *personam* Latinorum exprimat, eoque pacto duo vocabula quae distinguere interest confundat. Mallent hic theologi: *et duas naturas in Christo substantialiter utpote in unitate personae unitas confitentes.*

[37]) Ita mss.. At H[6] a¹ *item Deum quidem simul*, et infra *idem terrenum*: h¹ *idem Deum simul* (c¹ c² *similiter*); al. *eumdem Deum quidem simul.*

[38]) Ita h¹ cum mss. G¹ a¹ sequ. *ejus ablata ... unionem.* H[6] corrupte *diversitates sublata ... dividendes presentiam in unitione.* — Accuratius diceretur: *neque dividentes substantialem unitionem.*

Digitized by Google

vere magnum pietatis mysterium, quia unus ex sancta et[39]) unius a. 520.
essentiae Trinitate incarnatus, et homo factus Deus Verbum, in utraque natura deitatis et humanitatis indivise et inconfuse cognoscitur et adoratur, non conversionem vel mutationem sustinens, sed proprietatem utriusque naturae in una persona in semetipso conservans.

7. Ob hanc igitur fidem praedictas sanctas synodos suscipientes et custodientes, anathematizamus omnes, qui adversus eas quocunque tempore vel modo aliquid conscripserunt, praecipue Johannem Aegeotam[40]), qui adversus memoratam sanctam Calchedonensem synodum multas ut Nestorianus blasphemias evomuit; similiter condemnantes et Timotheum Aelurum cognominatum, sicut Eutychianistam adversus eam cum suis latrantem sequacibus. Ita ergo cum Dei juvamine semper sensimus et etiam nunc sentimus. Quapropter hanc satisfactionem vestrae obtulimus pietati; jubere[41]) enim dignata est, nos proprium intellectum et quemadmodum de sana fide sentimus exponere: quia quidam haeretici, dum suam malam fidem occultare festinant, nostram in Christo libertatem et rectam fidem detrectare conantur. Supplicamus igitur, vestram clementiam sollicitudinem[42]) de perfecta ecclesiarum unitione sanctarum habere debere: ut unitas, quae cum Dei facta fuerit juvamine, nec ullo deinceps rationabili aut irrationabili occasionis fomite inquietari pax possit. Deus autem omnium vestrum pium adimpleat desiderium in gloriam sui et reipublicae disciplinam!

Epistola 130

seu

Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam. (a. 520 d. 9 Sept. acc. d. 30 Nov.)

p. 120. *Quae Constantinopoli secundum Hormisdae voluntatem peracta sint atque etiam nunc observentur, brevibus perstringit, utque ille libelli supplicis provinciarum Ponti, Asiae et maxime Orientis rationem habeat, rogat. Preces pro se et pro ecclesiarum unitione ab eodem flagitat et munera pro s. Petri ministerio destinat.*

Domino per omnia sancto ac beatissimo fratri et

[39]) Ita corrigendum duximus, quamvis nostri codices ut supra prae se ferant *et unius essentia Trinitatis.*

[40]) G[1] *Aegrotam,* H[6] *Egotamen*, al. *Egotam.* Forte legendum *Nicaeotam,* quem Theophanes pag. 127 (ed. Bonn. p. 229) alteri Johanni Alexandrino praesuli successisse tradit, quique, eodem Theophane pag. 130 (ed. Bonn. p. 234) auctore, synodo Calchedonensi ita infestus erat, ut Anastasio imperatori ducentas auri libras daturum se pollicitus sit, si eam funditus abrogaret. De eodem Johanne Liberatus c. 18 hoc memoriae prodidit, quod cum Timotheo episcopo Constantinopolitano unitatem iniri non posse existimaret, *eo quod ille eamdem synodum* non *anathematizavit.* Is in vulgatis quidem Liberati codicibus *Machiota,* sed in exemplari Corb. *Niciota* cognominatur.

[41]) Sic cum mss. h[1] c[2]. Posteriores *et ut jubere dignata.*

[42]) Ita mss. h[1] a[1]. Poster. *sollicitudinem perfectam in*, et omitt. *facta.*

Digitized by Google

a. 520. comministratori nostro Hormisdae Epiphanius episcopus in Domino salutem.

1. Quantam habuimus alacritatem nos quoque et piissimus et Christianissimus[1]) imperator una cum fidelissima et in omnibus bonis florente conjuge sua circa rectam et puram sanctarum ecclesiarum unitionem, et quemadmodum cum caritate Dei, qua nos decebat, destinatos a vobis sanctos episcopos et religiosos suscepimus et venerandos habuimus clericos[2]), existimamus quidem et ante ex his, quae acta sunt, satisfactum vestrae beatitudini. Credidimus tamen, quodsi Dominus et Salvator Jesus Christus Deus noster idem[3]) ipsos reverendissimos comministratores nostros incolumes vestris obtutibus praesentavit, omnia quae excitata sunt, vobis sanctissimis manifesta fieri, et laborem, quem potuimus sustinere. Per hos ipsos manifestius cognoscetis, quemadmodum per Dei gratiam et fidelissimorum principum nostrorum Constantinopolitanae civitatis nostra ecclesia pacifice est gubernata, et nomina eorum inter sacra non sunt recitata mysteria, quae sedi vestrae profana cognovimus, sed quatuor conciliorum pro[4]) recta fide consonantia praedicatur, et hoc ipsum omnibus sacrorum diptychorum recitatione manifestum est. Annuntient igitur vobis, quia non parvi nobis subjecti sacerdotes, nec rursus sub eorum ordinatione episcoporum parva est subdita multitudo, quae bonum hujus coeptae unitionis amplectitur: vestra etiam sanctitas cognoscat, istius se generalis boni et principem et inceptorem nihilominus constitutum[5]).

2. Unde fortiter ad vigilandum beatitudo vestra laudibus est stimulis excitanda, ne, id quod divina in honorem vestri coeperat ordinare misericordia, non ad plenum ita, ut condecet, communis unitas pervenire videatur. Diligentius autem de his fidelissimi et piissimi nostri principes de sanctarum Dei ecclesiarum unitate et
ep. 116 et 129. concordia gaudentes, ad vestram mandaverunt beatitudinem, supplicationes a plurimis sanctis sacerdotibus suscipientes tam Ponti quam Asiae provinciae et maxime Orientis, apud quos nomina quondam sacerdotum suorum tacere difficile et impossibile esse videtur, tan-

130 [1]) b *Christo amantissimus.* Idem imperator ab eodem Epiphanio supra epist. 121 *Christianissimus* item appellatur.

[2]) Puta Germanum et Johannem episcopos, et Dioscorum, Felicem et Blandum clericos, quatenus hac generali voce etiam presbyteri censeantur.

[3]) Mallemus *eosdem ipsos*, scil. legatos praedictos, qui Julii 9 die ex urbe regia dimissi fuerant, ut ex epistola 116 discimus, et quos medio Septembri Romam pervenisse ex epistolae 120 clausula colligitur.

[4]) G[1] *pro rectae fidei*, b *pro recta fide;* a[3] *pro sancta* praefert. Testatur hic Epiphanius, quatuor synodorum in sacrorum diptychorum recitatione mentionem fieri. Mox b c c *pauci* (loco *parvi*).

[5]) b *constitutam.* Mox ed. *laudum est ... ad vestra mandaverunt ... omnes periculum.*

Digitized by Google

taque eorum obstinatio est, ut omne periculum pro tali facto parati a. 520.
sint sustinere. Igitur praecedentes omnes circa pacis studium necessarium causas considerantes, quia per solam istam humilitatis viam communem omnibus unitionem et salutem invenimus, interrogantes, sicut dictum est, et satisfacientes vobis ab illis, qui a vobis in hoc negotio sunt destinati, causam cum pacifica, qua vos decet, gubernatione dispensetis. Nam dum una utraque sit ecclesia, procul dubio et bona, quae per vigilantiam eveniunt, communis exinde laudis gloria utrisque[6]) patriarchalibus sedibus rimatur, ut consuete omnium Dominus et conditor Christus verus Deus noster magnificetur. De his autem omnibus summo vobis supplicentur affectu Johannes sanctissimus episcopus, multos nobiscum sudores in praesenti deponens certamine, et Heraclianus reverendissimus presbyter sanctae nostrae majoris ecclesiae et cohabitator[7]) noster, et Constantinus reverendissimus diaconus ejusdem majoris ecclesiae, per quos et nostra synodalia symbola[8]) secundum ecclesiasticas vestrae beatitudinis de- ep. 131.
stinavimus leges. Nunc igitur piissimi nostri imperatoris studium circa sanctarum ecclesiarum unitionem ostendentes[9]), pacificis ad vestram beatitudinem de his causis utendo litteris, et oblatas sibimet ab Hierosolymitanis et Orientalibus petitiones destinavit. Nos ergo occasionem salutationis invenire volentes, hanc ad vos fecimus epistolam, per quam supplicamus, proponentes vobis sanctissimis hanc vocem divinam: *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis!* Ecce 2 Cor. 6, 2.
credidit nobis omnium Dominus talentum, quod augmentatum[10]) possit restitui boni operis fructu, et[11]) salvare per laudabilem ve-

---

[6]) b cc *Utriusque*. Mox forte legendum (pro *rimatur*) *derivatur*, et paulo ante *una utraque fit* (non *sit*). Neque vero existimandum, *utrasque patriarchales sedes* ab Epiphanio Romanam et Constantinopolitanam dici. Quippe qui studiose adeo cavebat, ne quid quod Hormisdae offensioni esse posset proferret, procul aberat, ut sedem suam patriarchalem cognominaret, quam Romani pontifices hactenus *ne inter sedes quidem*, ut ait Gelasius epist 26 n. 10, recenseri posse contendissent. Sed *utramque ecclesiam* intelligit Orientalem et Occidentalem, graecam et latinam.

[7]) Graece σύγκελλος, quod eadem ratione et ab eodem, ut videtur, interprete epist. 131 n. 3 latino fuit conversum. Usu tamen receptum erat, ut qui hoc fungebatur munere, etiam latine *syncellus diceretur*, quo nomine recte utitur Dioscorus epist. 111, dum Epiphanium Johannis *syncellum* ipsi Johanni successisse nuntiat. Eum autem Johannem, qui hic proxime laudatus est, Claudiopolitanae civitatis episcopum fuisse, sequens epistola n. 3 docet.

[8]) Ita G[1]. Ed. omitt. *symbola*.

[9]) b cc *ostendentis*. Verbum *ostendentes* autem ad *petitiones* referri potest, maxime quum verbo *oblatas* praeponatur *et*.

[10]) Ita G[1] c[7] sq.; a[1] b[1] a[3] *augmentum*.

[11]) G[1] a[1] *ut salvati*, b cc *et salvari*, orationis series postulat *et salvare*. Tum per *dispensationem*, quae flagitatur, indulgentia et remissio severioris disciplinae, illa Graecorum διατύπωσις, οἰκονομία vel συγκατάβασις, significatur.

Digitized by Google

a. 520. stram dispensationem tantas quidem sanctas ecclesias tantosque eorum sacerdotes et multitudinem innumerabilem, nunc quidem unitam sanctae Ecclesiae, periclitantem autem et errantem[12]), si vestrae beatitudinis gubernaculum commoretur, et maxime his, qui in sanctis locis habitant Christi Dei nostri, ita ubique sanctis adhaerentes ecclesiis, ut eorum respui non debeat multitudo. Nam omnes per suggestionem eorum ita in obstinationis suae malo perdurant, ut velint ante e vita recedere, quam excogitata relinquere: ut si Deus hos per vestram beatitudinem adunari praeceperit, vestrae laudis meritum et praesentibus et futuris adscribatur temporibus.

3. Oret igitur vestra sanctitas tam pro piissimis et Christianissimis principibus, quam pro nostra parvitate et universali unitione, ut gratia sanctae et unius essentiae Trinitatis et intercessionibus dominae nostrae sanctae et gloriosae virginis et Dei genitricis Mariae omnia ad unitatem indivisam conveniant, et fundamentum inconcussum catholicae fidei confirmetur, per omnia sanctissime frater!

4. Indicia autem nostrae secundum Christum Dominum nostrum caritatis per viros reverendissimos destinavimus ad[13]) ministrationem divinae culturae et sanctae apostolicae vestrae ecclesiae calicem autem gemmis circumdatum, patenam auream et alium calicem argenteum, vela holoserica duo: quae suscipere vestram beatitudinem supplicamus cum illa caritate, quam vos habere secundum Deum non dubitamus. Omnem in Christo fraternitatem, quae cum vestra est sanctitate, nos quoque et qui nobiscum sunt plurimum salutamus. Accepta pridie Calendas Decembris, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 131

seu

(a. 520 d. 9 Sept. acc. d. 30 Nov.)

Relatio synodi Constantinopolitanae ad Hormisdam.

Synodus papam certiorem facit de ordinatione Epiphanii, cujus et laudes prosequitur. Tum legatos suos commendat. p. 12[1])

Domino nostro sancto ac beatissimo patri patrum archiepiscopo et patriarchae Hormisdae Theo-

---

[12]) G[1] *errantes sui ... commemoretur*, quod indubie cum b e c correximus. Est autem *commoretur* id quod *tardet succurrere*, ac deinde eorum *qui in sanctis locis habitant* nomine intelliguntur Jerosolymitani, quibus etiam praecipuam impendi curam imperator epist. 129 n. 4 rogat.

[13]) G[1] a[1] *administrationem* uno verbo, al. *ad administrationem*. Priorem lectionem, si in duo verba dividatur, sanam esse suadet, quod Hormisda rescribit epist. 138, ipsius videlicet accepisse se munera *ministerio basilicae beati Petri apostoli profutura*. Haec Epiphanius per eos, qui litteras ordinationis suae indices sollemniter deferebant, velut communionis suae cum ecclesia beati Petri pignora destinavit. Simili pietatis affectu superius epist. 78 n. 2 vidimus Justinianum *duo pallia holoserica ad ornamentum altaris sanctorum apostolorum* mit-

Digitized by Google

philus, Basiliscus, Esaias, Anastasius, Paternus, Martianus et cetera sancta synodus, quae in Constantinopolitana est civitate congregata.

1. Innumerabilem et investigatam magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi sapientiam, quantum hominibus datur intelligi, considerantes, caritatem ejus immensam juste miramur, et cum magna clamamus voce: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Ecce enim per bonam voluntatem sanctae et unius essentiae Trinitatis et intercessiones gloriosae Mariae virginis, studio quoque et vigilantia Christianissimi et fidelissimi imperatoris et piissimae reginae, olim quae fuerant membra divisa, per Spiritus sancti gratiam ad unitatem et caritatem perfectam sunt redacta: et sicut Moyses et Aaron duces Dei vere culturae Israeliticae nominati, nunc ita et nos gaudentes clamamus: *Cantemus Domino! gloriose enim honorificatus est; adjutor et protector factus est mihi in salutem!* Et haec sentire et praedicare cum fiducia sumus edocti. Psalm. 105, 2. Exod. 15, 1.

2. Considerantes autem caritatem et Deo amabilem vestrae beatitudinis vitam etiam ex his, qui a vobis sunt destinati reverendissimi legati, similiter et pacem sanctarum Dei ecclesiarum tam senioris quam novellae Romae, cui nos ipsi participes fuisse monstramur, bono pastori et principi omnium Christo Deo nostro consuete gratias referimus. Nam post obitum sanctae recordationis quondam archiepiscopi et patriarchae Johannis Constantinopolitanae civitatis Deus, qui propriam sanctam Ecclesiam in petra rectae fidei incorrupta fundavit, et portas inferi non praevalere ei decrevit, dedit nobis sanctum pastorem et patriarcham Epiphanium, virtutibus et correctionibus[1]) et meditatione divinarum florentem scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, et orbatorum paternam regentem[2]) sollicitudinem, et, quid amplius dicam, omnem praeconiorum fontem transcendentem. His ergo virtutibus pollens, non immerito proprias et creditas sibimet maximas Ecclesiae curas sapienter et honeste ges- Matth. 16, 18.

tentem. Sic aliquando Juvenalem Jerosolymitanum episcopum particulam *sanctae Crucis cum eulogiis* ad Leonem misisse, ex ipsius Leonis epistola 139 c. IV colligitur. — Ibidem mox G[1] *olo serica*, ed. *serica*.

131 [1]) Pro *correctionibus* haud dubie graece erat *ταῖς παιδείαις*. Vocis autem *παιδεία* duplex est potestas. Aliquando enim correptionem et castigationem, saepius disciplinam, eruditionem ac litterarum studium sonat. Nec ambiguum est, quin hic *institutis, litterarum studiis, seu disciplinis et eruditione* interpreti praeferendum fuerit. Hormisdam *institutis* legisse, ex rescripto seu epistola 139 manifestum fiet.

[2]) Magis arrideret *gerentem*. Epiphanius supra epist. 111 Johannis decessoris sui syncellus praedicatur. Eumdem et orphanotrophiis praefuisse, seu orphanorum curam cum laude gessisse, hinc discimus. Theophanes pag. 142 (ed. Bonn. p. 256) Februarii 25 die eum ordinatum tradit.

Digitized by Google

(a. 520.) sisse dignoscitur, habens in mente illud, quod a sacri cantici auctore
Psalm. relatum est: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei*
48, 4. *prudentiam.* Unde secundum rectam et probabilem fidelissimi et
Christianissimi nostri principis et piissimae reginae et gloriosissimo-
rum communis reipublicae procerum sententiam, nostra quoque etiam
omnium in hac urbe habitantium testificatione, judicium Pauli mira-
1 Tim. bilis communis Ecclesiae doctoris non est in eo fraudatum, qui
3, 2. irreprehensibilem debere esse episcopum denuntiat: ita et nostrum
pontificem virtutibus undique coronatum esse videmus. Igitur eccle-
siasticam legem implentes, apostolatui vestro salutationis debitum
persolventes officium, speramus, ut amplius caritatis vinculum et
paternum affectum circa nos caritas vestra custodire dignetur, et
sapienti gubernatione et humilitate, quae Christianum decet, et man-
suetudine, quae ad rationabilis traditi vobis ovilis salutem pertinet,
peragatis, commune lucrum existimantes, quod per vos et vestrum[3])
germanum et comministratorem, nostrum autem dominum et patri-
Prov. archam, pacem totius orbis ecclesiarum esse provisam. *Frater enim*
18, 19. *a fratre adjuvari*[4]) *spiritualiter, murus est inexpugnabilis et civitas*
munita, ex divinis est accipere scripturis. Nam si[5]) quae inter-
cessionibus vestrae beatitudinis generalis tranquillitas ecclesiis ortho-
Luc. 2, 24. doxorum fuerit redonata, gloria quidem in excelsis Deo omnium
Salvatori per angelos cum laetitia referetur, pax vero in terra con-
firmabitur, bona autem voluntas in fidelibus communis Domini et
Salvatoris nostri Jesu Christi servis fundetur.

3. Adjicient igitur nostris supplicationibus, quod minus dictum est, Johannes sanctissimus episcopus Claudiopolitanae civitatis noster comministrator, et Heraclianus reverendissimus presbyter sanctae majoris ecclesiae et cohabitator[6]) praedicti sanctissimi archiepiscopi et patriarchae Epiphanii, et Constantinus vir reverendissimus diaconus ejusdem sanctae ecclesiae, qui probationem suae rectae fidei et bonae voluntatis olim his, qui a vestra apostolica sede fuerant directi, dedisse[7]) cognoscuntur: digni autem et vestrae sanctitatis et ministratione pacis, et gratiae Domini nostri Jesu Christi Dei nostri

---

[3]) a[1] *vestrum Germanum* cum prima littera majuscula, quasi nomen proprium efferretur. Graece dubio procul exstabat ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν, quod interpres *fratrem et consacerdotem* seu *comministrum* latine convertere debuerat, ac subinde: *pax ... sit provisa, seu paci sit provisum atque consultum.*

[4]) Lege *adjutus.* Mox G[1] *civitatem munitam.*

[5]) G[1] *si quod,* unde nostram lectionem hausimus. cc *si in.*

[6]) Vox σύγκελλος, quam in graeco fonte exstitisse pro certo ponimus, vocabulo latino *syncellus* reddi solet. Atque hinc habemus Heraclianum idem apud Epiphanium munus obiisse, quo Epiphanius apud Johannem, et Johannes apud Timotheum utriusque decessorem functi fuerant.

[7]) Puta libellum subscribendo, quem legatis Hormisda dederat. Mox G[1] *cognoscitur ... ministratione* (ed. *cognoscuntur ... administratione*).

Digitized by Google

et unitionis sanctarum ecclesiarum monstrabuntur. Quos, speramus, (a. 520.) laetantes in Domino et pacem desideratam nuntiantes, ad nos citius vestris Deo amabilibus correctionibus[8]) edoctos remeare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem nos quoque et qui nobiscum sunt plurimum salutamus.

Et subscriptiones.

Theophilus misericordia Dei episcopus Heracliensis civitatis metropolitanus, subscribens in synodalibus, saluto vos in Domino, domine.

Basiliscus misericordia Dei episcopus Cyzinensium[9]) metropolitanus ut supra.

Stephanus misericordia Dei episcopus Nicomediensium metropolitanus ut supra.

Esaias misericordia Dei episcopus Rhodiae civitatis metropolitanus ut supra.

Anastasius misericordia Dei episcopus Nicaeensium metropolitanus ut supra.

Johannes misericordia Dei episcopus Claudiopolitanae civitatis provinciae Isauriae ut supra.

Paternus misericordia Dei episcopus[10]) provinciae Scythiae metropolitanus ut supra.

Marcianus misericordia Dei episcopus Calchedonensis civitatis metropolitanus ut supra.

Patricius misericordia Dei episcopus Eudoxiopolitanae civitatis metropolitanus ut supra.

Polydeucius misericordia Dei episcopus Antiochenae civitatis metropolitanus ut supra.

Eulogius misericordia Dei episcopus Melisiecium civitatis metropolitanus ut supra.

Stephanus misericordia Dei episcopus Philomeliensis civitatis provinciae Pisidiae ut supra.

---

[8]) Graece *ταῖς παιδείαις* aptius latine *institutionibus* redderetur. Idem qui supra interpretis lapsus.

[9]) Ita G[1]; ed. *qui Zicinensium*, duobus verbis; emendantur ex Constantinopolitano concilio anno 518 habito, synodi item Constantinopolitanae sub Mena actioni V inserto, cui idem subscribit *Basiliscus episcopus Cyzici*, graece *τῆς ... Κυζικήνων μητροπόλεως*. Quocirca *Cyzicenorum* quam *Cyzicinensium* mallemus. Nam prius vulgatorum mendum non aliunde irrepsit, quam quod antiquarii *qui* pro *cy* (puta *Quiriacus* pro *Cyriacus*) solent pingere. Obiter observo, ex infra subscriptis episcopis etiam supradicto concilio Constantinopolitano sub Mena subscribere *Theophilum Heracliensem*, *Anastasium Nicaeensem*, *Marcianum Calchedonensem*, *Johannem Claudiopolitanum*, *Phocam Dardanae et Marcianum Marcianae civitatis episcopos*.

[10]) Is est *Tomitanae civitatis episcopus*, quem a Scythis monachis nominatim accusatum Germanus sociique legati epist. 76 n. 3 nuntiant.

Digitized by Google

(a. 520.) Christodolus[11]) misericordia Dei episcopus Methymnensis civitatis ut supra.

Palmantius minimus episcopus Oenandae civitatis provinciae Lyciae ut supra.

Johannes misericordia Dei episcopus Attaliensis civitatis ut supra.

Johannes misericordia Dei episcopus Olympinae civitatis provinciae Lyciae ut supra.

Marcianus minimus episcopus Marcianae civitatis provinciae Lyciae ut supra.

Phocas minimus episcopus Dardanae civitatis provinciae Hellesponti ut supra.

Zoticus misericordia Dei episcopus Carpatiensis civitatis provinciae Insularum ut supra.

Sabbatius misericordia Dei episcopus Stratoniciae civitatis provinciae Lydiae ut supra.

Epistola 132

seu

(a. 520 d. 9 Sept.) **Exemplum epistolae Justiniani consulis ad Hormisdam papam.**

Suum pro fide catholica studium contestans precatur, ut Hormisda de duobus capitulis etiamtunc controversis perfectas pacificasque paginas ad imperatorem rescribat. p. 13

Domino viro beatissimo sanctoque patri Hormisdae urbis Romae pontifici Justinianus[1]).

1. Quantam venerationem religionis habeamus, quamque solliciti semper fuerimus propter uniendas sanctas ecclesias, testis est quoque vestra beatitudo. Postquam regnavit etenim dominus noster inclitus imperator, per omnes ad Italiam venientes direximus litteras, apostolatum tuum rogantes sicut decebat. Nunc etiam ne quid eorum quae fieri convenit praetermittatur, Johannes vir reverendissimus antistes, Heraclianus presbyter, et Constantinus diaconus sacrosanctae ecclesiae hujus inclitae civitatis destinati sunt ad Urbem feliciter, ut super omnibus, quae scripsit filius vester serenissimus imperator, integrum responsum accipiant. Dignetur ergo sanctitas tua suscipere memoratos viros religiosissimos libenter, et habitis orationibus placataque Divinitate sic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguum.

2. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi Dominus noster Jesus Christus ex virgine Maria natus, quem praedicat summus apostolorum *carne passum*, recte dicitur unus in Trinitate cum Patre

1 Petr. 4, 1.

[11]) G[1] *Christodolus* i. e. Christi servus. Ed. *Christodorus*.

132 [1]) Ed. addunt *cos* (q. e. *consul*) aut *v. c.*, quod utrumque deest in G[1].

Digitized by Google

Spirituque sancto regnare, majestatisque ejus personam in Trinitate et ex Trinitate non infideliter credimus. De nominibus autem defunctorum episcoporum clementer, et ut decet pacificum patrem disponite: quia vester quoque praedecessor beatae recordationis ad memoriae principalis Anastasium scripsit, ut si nomen Acacii tantummodo[2]) tolleretur, una nobis esset communio. Nonne igitur suasit vestra sedes, ut[3]) praestet? Imitari debetis etenim sanctissimum Leonem Romanum pontificem, ac sicut ille scripsit Leoni, ita et vos omnibus amputatis dubitationibus perfectas pacificasque paginas ad invictissimum principem filium vestrum rescribere Ecclesiae[4]), ut ante tribunal venturi judicis particeps[5]) eorum sitis, quorum sedem jure sacerdotali tenetis. Ostendat ergo tuus apostolatus, quod Petro successit apostolo; quoniam Dominus a vobis utpote summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. Nos etenim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, ultra[6]) non patiemur a quoquam controversiam religionis in republica nostra moveri, nec vestram sanctitatem convenit audire superflua concertantes.

(a. 520.)

Anast. II ep. 1 n. 4.

Leon. ep. 165.

---

[2]) Anastasius II papa epist. 1 ad Anastasium *principalis memoriae*, hoc est, qui olim princeps fuit, num. 4 non ait, *ut tantummodo*, sed ut *specialiter nomen taceatur Acacii:* quod scilicet unum hactenus ecclesia Constantinopolitana maxime recusarat. Sed hoc nominatim edicens, nequaquam ut aliorum qui damnati fuerant nomina recitarentur permittebat. Immo ne id fieret, ibidem n. 2 diserte deprecatus est his verbis: *Legatione itaque fungimur pro Christo, ne eos propter ostensionem vel scandalum patiamini publice nominari, quorum merita vel actus apud illum judicem latere non possunt.*

[3]) Ita G[1]. a[1] *ut praestet imitari debeatis et enim;* aliae *ut praestet imitari beatissimum et sanctissimum Leonem.* Vel legendum: *Nunc igitur quod suasit sedes vestra id praestet*, vel ut in ejusdem Justiniani epistola 120 n. 2 *non est ergo grave, quod suasit sedes vestra, ut praestet.*

[4]) Loco *Ecclesiae* mallemus *debetis.*

[5]) Is loquendi modus, quo verbum pluralis numeri propter reverentiam personae cum nomine singularis numeri propter ejusdem personae singularitatem copulatur, in nostra lingua etiamnunc usitatus antiquis non inusitatus fuit. Quocirca nihil est, cur cum cc *participes* ponamus.

[6]) Ita cum c[10] a[3] correximus, quod antea *ultra nos patiemur.* Capitula, quae Justinianus finiri flagitat, non alia sunt ab illis duobus, quibus compositis universos Orientis sacerdotes Romanae sedis communionem amplexuros idem comes ad calcem epistolae 120 item adstruit, scil. ut Hormisda *unum ex Trinitate crucifixum* dici et *episcoporum post Acacium defunctorum nomina recitari* permittat. Iis autem, quae nunc Justinianus pollicetur, illum minime stetisse, testis est controversia de tribus capitulis et aliae, quas in Ecclesia non sine scandalo moveri passus est ac praeter id quod ipsum decebat promovit.

Digitized by Google

Epistola 133.

a. 520 d. 29 Oct.

Hormisdae papae ad Justinum imperatorem.

De fide promissorum ejus nunquam se dubitasse significat.

Hormisda[1]) Justino Augusto.

Benedicta Trinitas Deus noster, qui vobis gubernacula commisit mundani imperii, quibus non solum pro jure regni veneratio deberetur, verum etiam pro gloriosi modestia et integritate propositi. ep. 126. Vere enim glorificamus Deum, lectis vestrae pietatis apicibus[2]), quibus promissae legationis moram pro infirmitate ejus, qui dirigendus fuerat, excusando luce clarius reddidistis, quam curam fidei et pudoris haberetis, ostendentes, rerum summam regentibus non sufficere ad dominationis apicem quam obtinent potestatem, nisi ornamenta morum pretiosiorem faciant principatum. Servet circa vos, clementissime imperator, Deus noster beneficia sua, et respiciens bona vestra, largiatur aeterna! Nec nos tamen momordit ulla suspicio, aut implendi tarditatem promissi de[3]) mutatione credidimus evenisse consilii. Nefas enim erat de ejus verbis qualibet sollicitudine dubitari, cujus fidem in magnis rebus datum est tam evidenter agnosci. Redeunte igitur filio nostro spectabili viro Eulogio tribuno et notario, cultum debitae salutationis exsolvimus, Deo magno continuis precibus supplicantes, ut qui vestro studio per infideles vulnera impacta curavit, aevo vobis per longiora tempora propagato, unitatem Ecclesiae redditam ex omni quoque faciat parte securam. Data IV Calendas Novembris, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 134.

a. 520 d. 29 Oct.

Hormisdae papae ad Dorotheum Thessalonicensem episcopum.

Utinam quae de illo fama nuntiat vera non sint! Ut in reconciliatione fidei aliorum, qui reversi, sequatur exemplum.

Hormisda[1]) Dorotheo episcopo Thessalonicensi.

Considerantes tuae fraternitatis ecclesiam ante praetereuntis mala discordiae olim cum sede apostolica praecipua fuisse caritate conjunctam, te nuper pacis desuper[2]) redditae esse credebamus aucto-

---

133 [1]) Superiori Justini epistolae 126, quam Eulogius detulerat, rescribitur, eidemque Eulogio Constantinopolim redeunti creditur.

[2]) Ita G^1. Ed. *epistolis ... reddidisti.*

[3]) Ita G^1. Ed. *nec mutatione ... credimus.*

134 [1]) Ipsius Dorothei epistolae 128 respondet. Ut eodem die quo proxima, ita et eidem Eulogio videtur tradita.

[2]) Ed. omitt. *desuper*, et mox *pro fraternitatis tuae ... tarditate ... tam exsecrabile.*

Digitized by Google

rem. Sed quia quos praevenire debueras, sequi etiam remoraris, a. 520.
non leviter pro fraternitate tua dilatae correctionis ingemiscimus
tarditatem. Scribis enim aures nostras cujusdam sceleris atrocitate ep. 128.
turbatas. Utinam usque ad nos tantum detestabilis fama percurreret, et non toto orbe Christianis mentibus tam dolendum quam exsecrabile facinus nuntiaret, ut[3]) qui te innocentem nesciunt, a Christianitatis simul credant tramite deviasse! In qua enim mundi parte immanitatis hujus invidia non et catholicas contristat ecclesias, et haereticorum prava vota laetificat, quae nos a dilectionis tuae conscientia, sicut litteris intimas, ostendi cupimus aliena! Quid enim votis nostris magis convenit, nisi ut redire ad pacem catholicam volentes episcopos a crudelitate et criminibus contingat semper innoxios comprobari. Exspectamus igitur, si non desunt fraternitati tuae veritatis Deo nota praesidia, ut et tanti sceleris a te repellas invidiam, et in reconciliatione fidei tandem eorum qui reversi sunt sequaris exempla. Data IV Calendas Novembris, Rustico viro clarissimo consule.

Epistola 135.

Justiniani viri illustris ad Hormisdam papam.

(a. 520 post 9 Sept.)

p. 120. *Ut de capitulis, quae per legatos nuper destinata, sententiam suam quantocius explicet, monet.*

Diligenter apostololatus vester cognovit, quanto fidei calore filius vester serenissimus imperator nosque fuimus ab initio. Nunquam cessavimus agere, quae pertinebant ad firmamentum religionis divinae. Pro qua re nuper etiam reverendissimos sacerdotes Romam direximus, ut integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur. Sed ignoramus, quae difficultas provenerit, ut minime sopirentur hactenus ea quae videntur esse levissima. Salutantes ergo vestram reverentiam petimus[1]), ut nulla praebeatur occasio, qua de tua quisquam possit ambigere voluntate, sed habentes prae oculis judicium majestatis supernae, modis omnibus festinare dignemini.

---

[3]) Hic particula *ut* causae vim ac finem minime habet, sed refertur ad *tam*, eaque declaratur, de Dorotheo immane adeo scelus jactari, ut qui eum illius re ipsa reum credunt, simul et Christianam professionem ejurasse putent. Notanda Hormisdae moderatio atque prudentia, qua Dorotheum praecipuae sedis antistitem devincire atque ad unitatem Ecclesiae reducere conatur: sic animo comparatus, ut cum eo velut cum insonte agat, modo haec indulgentia unitatis beneficio compensetur.

135 [1]) Ita cum b cc correximus. G[1] a[1] *peto*, et omittt. *qua* ac *voluntate*.

Digitized by Google

Epistola 136.

(a. 520 post 9 Sept.)

Epiphanii Constantinopolitani ad Hormisdam papam.

De precibus Orientalium, quas imperator sibi oblatas ad eum misit, ne differat p. 120 *aperire quid sentiat, modeste monet.*

Domino meo per omnia amabili Deo sanctissimoque fratri et comministratori Hormisdae Epiphanius episcopus in Domino salutem.

Quantam alacritatem aut quale desiderium piissimus et Christianissimus imperator circa[1]) perfectam unitionem universarum ecclesiarum habeat, non voluntate tantum sed operibus ipsis, habitantibus in hac regia urbe, et antequam ad regnum a Deo sibi datum perveniret, ostendit[2]). Sanctitati autem vestrae ex correctis[3]) ab initio regni ejus et usque nunc laboribus maxime manifestavit, per quos omnia catholicae Ecclesiae membra in unum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi corpus cum prompto nititur animo conjungere; et quid opus est verbis uti prolixis, qui rebus ipsis, quamquam[4]) nos veri testes, exsistere valeamus? Habet tamen et vestra sanctitas experimentum, quod et per se ipsa cognovit: confirmat quidem haec quod et nunc additur. Nam quidam, qui sub potentissima ejus manu sunt, religiosissimorum sacerdotum ex Orientalium partium regionibus preces porrexerunt, docentes de his quae voluerunt. Nec hoc latere vestram volens sanctitatem, bene deliberavit,
ep. 129. ut quod jam factum est, in praesenti denuntiaret vestrae sanctitati; paulo post de ea his manifestius significare[5]): ut communi consilio, praecedente omnium Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, ea, quae ad utilitatem communem conveniunt et undique sunt irrepre-

136 [1]) Ita indubie secundum similitudinem ep. 130 n. 1 correximus, quod G[1] *cari*, ed. *caram*.

[2]) Eam ob causam sibi tunc Anastasii Augusti odium concitavit, adeo ut ejus jussu comprehensus, etiam novae alicujus machinationis obtentu Zonara et Cedreno testibus interficiendus esset, nisi imperatorem ipsum Deus per somnum a tanto flagitio deterruisset.

[3]) Graecum prae se tulisse conjectamus *κατωρθωμένων*, quod latine aptius converteretur *susceptis* quam *correctis*, scilicet *laboribus*.

[4]) Pro illo *quamquam* interpretem dictasse arbitramur *tamquam* ex Graeco ὡς Clarius legeretur: *quum rerum ipsarum nos veri testes* etc. — Mox b cc *per scripta cognovit*.

[5]) a[3] *significate* mutandum suadet, quod ad personam Hormisdae referendum foret. Sed rectius retinetur *significare* et ad personam Justini refertur, scil. ad superius *volens* vel *deliberavit* respiciens, id quod in graeco contextu non ita dure sonat. — Mox non placet mutatio c[7] seq. *communi concilio*, quum de synodo nullum Epiphanius sermonem habeat. Deinde *praelucente* mallem quam *praecedente*, aut ibi *praecedente* nihil aliud sonat, quam in his Justiniani epist. 114 n. 2 *quae praecedente superno praesidio statuenda duxerimus*, ut hoc verbo praeveniens Die adjutorium significetur.

Digitized by Google

hensibilia, catholicae fidei correctionibus[6]) clarescant. Opportune[7]) igitur existimantes fraternis litteris vestram sanctitatem et carissimis alloqui, rogamus, ut majus et instantius pro piissimo principe nostro omnium Dominum Deum orare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem, quae cum vestra est sanctitate, ego quoque et mei plurimum salutamus. **Et alia manu.** Incolumis in Domino ora pro nobis, amabilis Deo et sanctissime frater[8])! (a. 520.)

Epistola 137.

Hormisdae papae ad Justinum imperatorem.

a. 521 d. 25 Mart.

p. 120. *Interrogatus, num Christum unum de Trinitate crucifixum profiteri necesse sit, respondet, ad confutationem errorum Nestorii et Eutychetis post synodica decreta et beati papae Leonis constituta nihil amplius desiderandum (n. 1 et 2). Quare ad horum formam brevibus repetit, quid in Trinitate unum, quid singulis personis proprium sit (n. 3); deinde quomodo Verbo propria sit carnis susceptio, atque in Christo sine confusione unitae Dei hominisque naturae, demum quid in eo personae quid substantiae deferendum, explicat (n. 4 et 5). Haec jam sufficere existimat, ut propositis quaestionibus et latentibus insidiis obvietur (n. 6 et 7).*

Hormisda Justino Augusto.

1. Inter ea, quae ad unitatem Ecclesiae pertinentia[1]), propter quam Deus clementiae vestrae elegit imperium, in litteras contulistis, hoc quoque, venerabilis imperator, cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adjecit, ut aliquorum preces perferendae ad humilitatis meae notitiam jungerentur, quibus vel quid quaestionis oriretur agnoscerem, vel ad submovendum propositae consultationis ambiguum responsum a me religiosae scientiae conveniens redderetur. Legi omnia sollicitudine qua decebat; et licet ad responsi plenitudinem sufficere potuisset, si illa tantum quae a[2]) veteribus sunt definita rescriberem, tamen ut religiosi propositi vestri remunerarer affectum, non subtrahendum credidi mei quoque sermonis obsequium. ep. 129 n. 5 ss.

2. Quid enim est, quod emergentibus Nestorii et Eutychetis venenis paterna omittit instructio? Pene omnes impietates cum in-

---

[6]) G[1] a[1] *correctionis*. Non dubitamus, quin scripserit interpres, ut exstat in c[6] seq., *correctionibus*. Sed graecum ταῖς παιδείαις latino verbo *institutionibus* rectius reddidisset. Simile ejus peccatum epist. 131 n. 2 et 3 notavimus. — Mox ed. *alloquitis*.

[7]) Clarius: *hoc igitur conducere existimantes ... ut*, vel *hanc igitur habentes opportunitatem, qua fraternis et apertis apicibus vestram sanctitatem alloquamur, rogamus, ut magis ac magis pro piissimo etc.*

[8]) Ita G[1]. Ed. *sanctissime pater*. Et ipsa quidem epistola *sanctissimo fratri* non *patri* inscribitur, et supra Johannis cui Epiphanius successit epist. 109 his verbis item clauditur: *Ora pro nobis sanctissime frater.*

137 [1]) h[1] c[1] *pertinent*, O[1] *pertinet*. Mox c[7] seq. *haec quoque* et omitt. *meae*. Deinde i[2] *consultationis ambitum*.

[2]) J O c[1] c[2] i[2] *ab auctoribus sunt*.

Digitized by Google

a. 521. ventoribus tam nefandorum dogmatum convenientia in unum synodica decreta presserunt, nec ulterius remansit locus ullus tam diris perfidiae seminibus amputatis, aut Christum Dominum nostrum credere sine carnis fuisse veritate, aut eumdem non et[3]) Deum et hominem de materni uteri intemereta fecunditate prodiisse: quum alter eorum dispensationem qua salvati sumus negando, quantum in se est, irritam faceret, alter opinione contraria sed impietate consimili in eodem Domino nostro Jesu Christo potestatem divinam a vera humilitate[4]) secluderet; neque ille recordatus, quia palpandam
Luc. 24,39. carnem suam Christus ostendit, neque ille evangelii memor Verbum
Joh. 1,14. carnem factum esse dicentis, cui vox Domini indeficienter insonare
Joh. 3,13. debuerat, qua dixit et docuit: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit Filius hominis qui est in coelo.* Saepe haec et multis praecedentium[5]) sunt comprehensa sententiis; sed nec clementia vestra, licet jam dicta sint, fastidiose poterit repetita cognoscere, nec nobis pudor est, ea quae sunt a praedecessoribus nostris praedicata revolvere. Neque enim possibile est, ut sit diversitas praedicationis, ubi una est forma veritatis; nec ab re judicabitur alienum, si cum his, cum quibus convenimus fide, congruamus et dogmate. Revolvantur piis mansuetudinis vestrae auribus decreta synodica et beati papae Leonis convenientia sacrae fidei constituta: eadem invenietis in illis, quae recensetis[6]) in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statutorum quod[7]) amplius, si tamen fidei terminos servat, quamlibet curiosus scrutator inquirat? Non[8]) opus

---

[3]) a[1] seq. omitt. *et.* Mox H[9] *opinioni omne contraria.*

[4]) J O cc *humanitate,* concinnius G[1] H h[1] *humilitate;* ut omnimoda sit antithesis cum *potestate,* hic et infra n. 4 idem Christus *humilitas et majestas* praedicatur. Quamquam utrobique *humilitas* humanam naturam sonat, sicut et *potestas* aut *majestas* divinam. Ita Leo serm. I in natal. Dom. dicit n. 4: *Cum saevissimo hoste non in sua majestate sed in nostra congreditur humilitate.*

[5]) H[8] *praedicentium sunt comprehendenda;* moxque h[1] i[2] *agnoscere* (H[9] J[1] *cognoscere*), c[7] seq. *a decessoribus ... praedicta.* Deinde ed. *conveniemus.*

[6]) G[1] H h[1] i[2] *recensetis,* J[1] *recenseritis,* al. *recensueritis.*

[7]) G[1] a[1] *qui,* al. *quid.* Subinde a[1] c[6] seq. *fidei terminum;* corriguntur ex mss. et h[1] i[2].

[8]) G[1] a[1] c[4] *non opera aut institutione perfectis,* c[6] c[7] c[10] *aut opere aut institutione perfectius,* et in marg. *non opus aut adjectione plenius aut institutione perfectius.* c[1] h[1] cum H[8] H[9] H[10] J[2] et 12 mss. a[3]: *Non opus aut adjectione* (H[8] *adjectione*) *plebis aut institutione perfectis,* ubi cum c[2] a[3] i[2] loco *plebis* restituimus *plenis.* Similem Leonis papae ad Leonem Augustum pro ipso concilio Calchedonensi respondentis sententiam Facundus lib. 2 cap. 6 laudat his verbis enuntiatam: *Perfectio incrementum et adjectionem plenitudo non recipit.* Sed et hoc ipsum idem papa ad eumdem imperatorem variis epistolis, puta 115, 148, 156, 162 et 164 inculcare non desinit. Haec Hormisda adversus Scythas monachos eloquitur, qui Calchedonensis synodi definitionem, nisi ei adjiceretur *unum ex Trinitate pro nobis crucifixum esse,* imperfectam volebant. Quamquam eorum socius ac facile princeps Johannes Maxentius in confessione de Christo quatuor

Digitized by Google

aut adjectione plenis aut institutione perfectis: nisi forte mavult a. 521.
quisquam dubitare quam credere, certare quam nosse, sequi dubia quam servare decreta.

3. Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus autem unus, specialiter legislatore dicente: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est:* qui aliter habet, necesse est aut Divinitatem in multa dividat[9]), aut specialiter passionem ipsi essentiae Trinitatis impingat, et, quod absit a fidelium mentibus, hoc est, aut plures deos more profanae gentilitatis inducere, aut sensibilem poenam ad eam naturam quae aliena est ab omni passione transferre. Unus[10]) est sancta Trinitas, non multiplicatur numero, non crescit augmento; nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus est discretione sejungi. Quis ergo illi secreto aeternae impenetrabilisque substantiae, quod neque[11]) ulla visibilium vel invisibilium creaturarum potuit investigare natura, profanam divisionem tentet ingerere, et divini arcana mysterii revocare ad calculum moris humani? Adoremus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, indistinctam distincte, incomprehensibilem et inenarrabilem substantiam Trinitatis, ubi etsi admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiae[12]), ita tamen ut servemus divinae propria naturae, servemus propria unicuique personae: ut[13]) nec personis Divinitatis singularitas denegetur, nec ad essentiam hoc, quod est proprium nominum, transferatur. Magnum est sanctae et incomprehensibile mysterium Trinitatis, Deus Pater, Deut. 6,4.

synodos nominatimque quae a Calchedonensi definita sunt se suscipere professus subdit: *Anathematizamus autem omnes, si quis dubitat aut retractat aut imperfecta judicat.*

[9]) Ita H J O. G[1] a[1] seq. *dividens.*

[10]) Editi cum plerisque mss. *unum est.* Verius, ut videtur, F[1] J[11] *unus est* supple *Deus.* Ferrandus diaconus epist. ad Anat. c. 15, postquam observavit, vocem *unus* personam sonare, subdit: *Potest quidem unus etiam substantiam significare, sed si addes substantiae proprium manifestumque vocabulum, sicut quando dicis: „Trinitas est unus", et continue subinfers „Deus".* Nostra autem lectio magis cohaeret cum superioribus, quibus Hormisda Scytharum sententiam quamvis orthodoxe accipi posse non neget, a Tritheitarum Theopaschitarumve sensibus non satis abhorrere innuit. Ab his tamen palam recedebant, qui *unum ex Trinitate* tantum *carne passum* profitebantur.

[11]) G[1] a[1] sequ. *quod nulla vel invisibilium naturarum:* restaurantur ex H J O h[1] c[1] i[2].

[12]) O cc hic add. *separationem,* h[1] *singularitatem,* quod rectius abest a G[1] H[6] H[9] et 5 mss. a[3], subaudita voce *numerum.* J *non amittit essentiam,* J[10] i[2] *non amittit essentiae separationem.* Neque Aeneam Parisiensem aliter legisse probabile est, licet apud eum nunc cum mss. J legatur: *non amittit essentiam.* Nam veteres *ammittit* pro *admittit* pingere solent, *et essentiam* loco *essentiae* facile substituerunt, qui quo pacto haec vox cum verbo antecedente construeretur, perspectum non habebant.

[13]) a[1] seq. omitt. *ut;* mox H[6] *singularitas generetur.*

Digitized by Google

a. 521. Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, Trinitas indivisa: et tamen notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium, poprium Filii Dei, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis[14]), proprium Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis.

4. Poprium quoque Filii Dei, ut juxta id, quod scriptum est, Joh. 1,14. *in novissimis temporibus Verbum caro fieret et habitaret in nobis:* ita intra viscera sanctae Mariae virginis genitricis Dei unitis utriusque[15]) sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, et nasceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus aperiens[16]), et virginitatem matris Deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quod ex Patre erat, et repraesentans quod ex matre suscepit. Nam unde[17]) jacens in praesepio videbatur in coelo, involutus pannis adorabatur a magis, inter animalia editus ab angelis nuntiatus[18]), vix egressus infantiam et annuntians mysticam sine instituente[19]) doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens coelestium signa virtutum? Idem enim Deus et homo, non, ut ab infidelibus dicitur, sub quartae introductione personae: sed ipse Dei Filius Deus et homo, idem[20]) virtus et infirmitas, humilitas et majestas, redimens et venditus, in cruce positus et coeli regna largitus: ita nostrae infirmitatis[21]), ut posset interimi, ita ingenitae potentiae, ne posset morte consumi. Sepultus est juxta id, quod homo voluit nasci, et juxta id quod Patri erat similis resurrexit: patiens vulnerum et salvator aegrorum, unus[22]) defunctorum et vivificator obeuntium, ad inferna descendens et a Patris gremio non recedens; unde et animam,

---

[14]) H^8 H^{10} prima manu *notum etiam quod* (H^8 *quid*) *sit proprium Spiritus S. proprium autem Filii Dei ut juxta id etc.* In G^1 autem *quia proprium Patris Filii Dei ut juxta id*, omissis intermediis.

[15]) G^1 J^1 a^1 seq. *utriusque*, al. *utrisque* (c^1 h^1 i^2). Mox G^1 a^1 seq. *ex tempore*, al. *in tempore* (J^1 J^2 O^1 V^2 c^1 h^1 i^2).

[16]) c^1 seq. i^2 *vulvam non aperiens*, renitentibus magno consensu mss. (etiam G^1 H^8 H^9 J^1 J^2 O^1 h^1). Et vero nostra lectio consentanea est verbis Lucae 2, 23 dicentis, Mariam in templo filium obtulisse, *sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam* etc. Iis autem, quae subnectuntur, salva fit de Mariae virginitate fides Ecclesiae.

[17]) G^1 H^1 J^1 J^{17} h^1 add. *unde*, quod ed. omittunt.

[18]) Ita G^1 H^8 H^{10} h^1; H^6 J O c^1 i^2 *nuntiatur*, c^7 c^{10} *nuntiabatur*.

[19]) J^{17} *sine institutione;* mox c^7 c^{10} *coelestia*, H^8 *sub quarta*.

[20]) a^1 sequ. *id est*, H J O h^1 i^2 *idem*.

[21]) Editi *infirmitatis particeps ut possit ... potentiae dominus, ne possit*: castigantur ex mss. (G^1 H J O).

[22]) Non obscure hic innuit Hormisda, se non repugnare, quominus Christus, ubi semel distinctae fuerint naturarum illius proprietates, *unus de Trinitate* dicatur. Nam qui duas naturas in se uno complectitur, et propter naturam humanam *unus defunctorum* et propter divinam *unus de Trinitate* praedicari potest

Digitized by Google

quam pro communi conditione posuit, pro singulari virtute et admirabili potentia[23]) mox resumpsit. a. 521.

5. Haec ita esse nec ullam dubitationem oportere recipere, id[24]) est, ne Dominus noster Jesus Christus aut inter corporis passiones Deus non esse crederetur, aut ne Deus tantum, non etiam homo, inter opera mirabilium stupenda virtutum, proposito nos duorum apostolorum informavit exemplo, Deum esse se Christum Dominum nostrum Petri fide, hominem Thomae dubitatione declarans. Quid enim intererat, ut quem se homines dicerent, discipulos suos vellet inquirere, nisi ut respondente Petro: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* notum faceret[25]), non hoc de carne et sanguine proditum, sed a Patre Deo inspirante revelatum, et per testimonium laudatae responsionis fides patefactae[26]) fieret veritatis? Quid intererat, ut apparente post resurrectionem Domino, Thomas tantum[27]) aut deesset ceteris aut solus ambigeret, nisi ut mundus crederet, quod ambigens discipulus explorasset, ut dum unius manibus se pateretur tangi, ab[28]) universitate fidelium, quid esset, posset agnosci? Non ergo ad improbandum discipulum interposita est dubitatio, sed quaesita posteritatis instructio. Anne aliud spectat[29]), quod se idem Dominus Cleophae cum alio discipulo, quum ad Emmaum tendentes de se loquerentur, inseruit, et quamquam de resurrectione Domini per mulieres, quae primae ad monumentum convenerant, agnovissent, tamen ut per eorum dubitationem daret credendi futuris saeculis firmitatem, *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, oportuisse pati Christum, et ita intrare in gloriam suam,* interpretatus[30]) ostendit, et per passionem humanam naturam, et divinam in eo esse per gloriam? Matth. 16,16. Joh. 20,24 ss. Luc. 24,13 ss.

6. Multiplicibus[31]) haec sanctarum Scripturarum insinuantur exemplis, nec apud religiosam conscientiam[32]) tuam, venerabilis im-

---

[23]) a^1 seq. *patientia;* emendantur ex aliis libris (G^1 H J O h^1 i^2).

[24]) Ita c^1 c^2 h^1 i^2 cum G^1 H J O. a^1 sequ. *et deinceps idem Dominus noster J. C. ne inter ... tantum et non homo.*

[25]) In aliquot mss. et i^2 *fateretur non,* moxque H^6 h^1 i^2 *sed Patre.*

[26]) J^{17} *patefieret veritas. Quid etiam intererat;* c^2 c^3 *patefieret veritatis. Quid etiam;* H^6 *patefacta fieret.*

[27]) Ita h^1 i^2 cum mss., nisi quod in aliquibus sequioris notae ut apud c^1 *tantum ut abesset,* H^6 *tantum deesset ... aut solus,* c^2 *tantum aut abesset,* a^1 *tamen aut deesse ... ambigere discipulus exploraret,* c^6 seq. *tamen ... deesset ... ambigeret ... exploraret.*

[28]) a^1 seq. *ad universitatem;* moxque c^1 c^2 cum sequioribus mss. *ad explorandum,* H^6 a^1 *ad implorandum.*

[29]) Veteres codices (ut et c^1 c^2 h^1) more antiquo *expectat.* Subinde plerique mss. *Cleopae.*

[30]) c^6 sequ. add. *scripturas.*

[31]) Ita H J O h^1 c^1 c^2 i^2; G^1 a^1 *multiplicibus ... testantur exemplis nec;* c^6 c^7 c^{10} *multipliciter ... testificatus exemplis. Haec apud.* H^6 *Ne apud.*

[32]) H^6 prima manu *clementiam tuam,* sec. cur. *conscientiam.*

Digitized by Google

a. 521. perator, tamquam ignota dicuntur. Fides enim ipsa, quae a te constanter asseritur, tibi reddit hoc muneris, ut sensibus tuis et affectum sui inserat[33]), et scientiam, per quam diligentius asseratur, infundat. Et tamen[34]) interest dispensationis mihi creditae, ut ego quoque vel apud scientes nota non taceam: ut succedente sibi per vices temporum catholicorum praedicatione, sensim quod indeficienter asseritur sine fine credatur.

7. Latius haec, quae ad deitatem humanitatemque Domini nostri Jesu Christi pertinent et in eo unitas duas sine confusione naturas, potuissem secundum veterum definita disserere, si esset adversum eos, qui his dissentiunt, disputandum. Sed quum in manibus omnium sint et synodica constituta et beati papae Leonis dogmata, perstrinxisse potius pauca quam evolvere credidi convenientius universa. Nunc vero agnoscere satis est et cavere, ita proprietatem et essentiam cogitandam, ut sciatur, quid personae, quid nos oporteat deferre substantiae: quae qui indecenter ignorant aut callida impietate dissimulant, dum omittunt quod[35]) sit proprium Filii, trinae tendunt

---

[33]) Ita mss. et vet. ed. At c^6 sequ. *miserat*.

[34]) H^6 a^1 seq. *tantum*. Mox cum H h^1 *sensim* correximus, ubi al. *sensum*.

[35]) H^6 h^1 cc *quid sit*. Rectius in mss. et i^2 *quod sit*, quasi *id quod sit*. Deinde c^1 c^2 cum J O H^6 *in* (H^6 omitt. *in*) *Trinitate tendunt insidias unitati* (O *divinitati*). Perstringitur hic sententia Scytharum monachorum, quatenus *unus ex Trinitate passus* tacita Filii proprietate dicentes trinae insidias struerent unitati, dantes nimirum occasionem, ut vel tres inducerentur Dii, vel passio Deitati attribueretur. Nota, *trinam unitatem* etiam ab Hormisda asseri, eaque locutione, quae Hincmaro (Op. tom. I pag. 450) frustra displicuit, trium personarum in una substantia fidem intelligi. Hormisdae praeiverant Gregorius Naz. carm. 3 de principiis v. 46, et Augustinus lib. de moribus Eccl. n. 14, et confess. XII, 7; eumdem secutus est Pelagius I epist. 10 n. 2, ut alios multos taceam. Non ab re erit observare, Fulgentium lib. de incarnat. et grat. ad Petrum et socios, qui de sententia, num unus ex Trinitate crucifixus dicendus esset, ipsum interrogaverant, eadem methodo atque cautione, qua Hormisda nunc utitur, respondisse. Nusquam enim eis concedit unum de Trinitate incarnatum aut crucifixum simpliciter dicendum, sed ubi fidem adversus Nestorianos Eutychianosque luculenter explicuit, tandem cap. 10 n. 18 concludit: *Igitur non Trinitas, id est non simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec solus Pater aut solus Spiritus, sed solus Filius, id est ille quem in unitate naturae Pater coaeternum sibi filium et coaequalem genuit, id est una ex Trinitate persona, Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus et natus est de ventre virginis matris*: Christum consulto non *unum de Trinitate*, sed *unam de Trinitate personam* profitens, ut omnem insidiis locum praecluderet: quia, ut Ferrandus epist. ad Anatolium diac. c. 12 observat, *et Pater unus de Trinitate et Spiritus sanctus unus de Trinitate*. Quocirca Ferrandus idem non nisi certis conditionibus permittit, ut dicatur *unus de Trinitate*, si nimirum adjungatur *id est Filius, una persona de tribus personis, passus est secundum carnem quam suscepit ex nobis, ut dignaretur passionem tolerare pro nobis*. Subinde et Dionysius Exiguus praefat. in epistolam Procli ad Armenos, Christum unum ex Trinitate apte contra Theodori Mopsvesteni discipulos ac Nestorianos praedicari, eaque locutione Proclum haereticos revicisse, docuit.

Digitized by Google

insidias unitati. Sed si, quae praedicta sunt, validis teneantur fixa a. 521.
radicibus, nec a paterna traditione receditur et constanter quaestionibus obviatur. Data VIII[36]) Calendas Apriles, Valerio viro clarissimo consule.

Epistola 138.

Hormisdae papae ad Epiphanium episcopum Constantinopolitanum.

a. 521 d. 26 Mart.

p. 120. *Gratam sibi fuisse synodicam ordinationis illius relationem, gratos legatos, grata quoque munera ab illo in ministerium s. Petri destinata.*

Hormisda Epiphanio Constantinopolitano.

Benedicimus Dominum fraternae caritatis affectu, quia non solum synodica relatione ad sacerdotium te digne pervenisse cognovimus, ep. 131.
sed factis atque moribus comprobamus, et ita se meriti tui gradus patefecit affectibus, ut ante fratrum et coepiscoporum nostrorum testimonium cuncta crederemus. Quod enim illi te promittunt posse[1]) moribus agere, nos videmus implesse; et tamquam fidei tuae servata pacis fuerit gratia, sic unitatis hactenus dilata sunt vota[2]). Divina eorum praedestinatione caritati tuae vocabulum quo nuncuparis accessit, sub quo spiritu apparente concordia factum est, ut dicamus: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Quapropter in Christo Domino nostro reddentes officia salutationis, hortamur, ut boni operis initium laudabile continuet institutum secundum sanctum evangelium, quo monemur: *Qui perseveraverit in fine, hic salvus erit.* Adhortamini igitur reliquos, invitate monitis, colligite blandimentis: quia talenti crediti multiplicata compendia sacrificia sunt divina. Praeterea gratissime tulimus, quod Johanni fratri et coepiscopo nostro necnon Heracliano presbytero atque Constantino filiis nostris internuntiis promotionem caritatis tuae cognovimus, qua esse aliquid dulcius non putamus. Et quum te praedicti viri, etsi pro obsequio suscepto facerent, non tantum ratione, laudarent, beati omnium sumus, quod dignae rei nuntius relator dignus exstabat, ut tibi absolutissime de legatorum meritis probatio sit honoris. **Et manu papae**: Suscepimus calicem aureum gemmatum, patenam argenteam et alium calicem argenteum et vela duo ministerio basilicae

Psalm. 132, 1.

Matth. 10, 22.

---

[36]) Sic G[1] H; a[1] sequ. *VII Kalendas*, h[1] *IX Kal.*, J O c[1] i[2] datum prorsus omittunt.

138 [1]) G[1] *possessoribus agere*, quod ad similitudinem ep. 139 (conf. etiam ep. 111 et 131 n. 2) correximus. Ed. *posse omnia.*

[2]) c[6] seq. *vota divina. Eorum praedestinationi caritatis tuae.* In aliis sola est interpunctio vitiosa. Hoc autem sibi vult: Dei nutu factum est, ut quum nostra de unitate vota ad aetatem tuam distulisset, ac tandem ea implere atque impleta affectu manifesto palam facere praedestinasset, Epiphanius a vocabulo *ἐπιφάνεια*, quod apparitionem sonat, nomen sortiretur.

Digitized by Google

a. 521. beati Petri apostoli profutura, a caritate tua directa. Data VII[3]) Calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule.

Epistola 139.

a. 521 d. 26 Mart. **Hormisdae papae ad synodum Constantinopolitanam.**

Synodi de Epiphanio testimonium se gratanter accepisse significat. Illius ordinationem probat atque ut hinc ecclesiarum perfecta concordia sequatur optat. p. 129

Hormisda synodo[1]) Constantinopolitanae.

Fratrem et coepiscopum nostrum Epiphanium apud felicissimam Deo favente Constantinopolim in officium muneris sacerdotalis as-
ep. 131. sumptum pervenisse ad nos fraternitate vestra referente, gaudemus; quia gratius quodammodo suscipiuntur indicia, quae significaverit amata persona, et tanto majus pro auctoritate nuntii nascitur gaudium, quanto non est quod de testimonio disputetur. Sic erat congruum, carissimi nobis, sic[2]) se circa proximum patefacere decebat affectum, ut per vos sedi apostolicae innotescat, quod moribus et sanctitate fulgeret, quod usque adeo se olim[3]) bonis, sicut et vos asseritis, imbuit institutis, ut non sit fortius meriti testimonium, quam[4]) in honorem sacerdotis adscitum. Quid est enim, quod de eo habeatur ambiguum, in quo de bonis moribus sub probatione factae concordiae praesuscepta sunt divina? Quapropter facitis sancte, facitis religiose, facitis pie, quod veritati testimonium libenter impenditis, quod praemium bene meritis non negatis; quia idem error est tacere veritatem, qui est falsis assistere, et eadem injustitia est, si negetur honor moribus placitis, quae est, si concedatur indignis. Certum est, amantissimi, participari vos cum sacerdotis laudibus intimatis, quia omni fraternitatis ordini transcribitur[5]), quod in uno, quem ex vobis elegistis, esse laudatur. Deus omnipotens, fidei suae pacem sub perpetuitate conservans, electionem ordinationemque vestram, quam insinuandam sedi apostolicae per Johannem fratrem et coepiscopum nostrum nec non et Heraclianum presbyterum atque Constantinum diaconum filios nostros religiose

---

[3]) Ed. *VIII Cal.;* corriguntur ex fide G[1], cujus lectionem sequens epistola confirmat.

139 [1]) Cujus nimirum est superior epistola 131.

[2]) H. e., sic vestrum affectum circa Epiphanium proximum ac fratrem vestrum se patefacere decebat.

[3]) Ed. *se omnium bonis ... meritis.* Hinc Hormisdam epist. 131 n. 2, ubi habemus: *Epiphanium virtutibus et correctionibus et meditatione divinarum florentem scripturarum,* non *correctionibus* sed *institutis* legisse liquet. Unde et incertum evadit, utrum interpretatio praedictae epistolae 131, quae ad nos pervenit, ea ipsa fuerit, qua Hormisda usus est.

[4]) Planius: *quam quod a vobis in honorem sacerdotis est adscitum.*

[5]) G[1] a[1] *transcribuntur.* Mox ed. *ita et omnium.*

Digitized by Google

credidistis, tanta firmitate confortet, et ita omnium discordantium a. 521.
luctamina disjiciat, ita dissidentium corda compescat, ut quemadmodum sub fratre et coepiscopo nostro Epiphanio pacificationis datum est indicium, gratulemur effectum! Data VII Calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule.

Gesta in causa Abundantii episcopi Trajanopolitani in scrinio habemus.

Epistola 140.

Hormisdae papae ad Justinum Augustum.

a. 521 d. 26 Mart.

p. 120. *Eum laudibus humanis non egere neque illas quaerere, sed se tamen ab eo laudando et extollendis meritis ejus temperare sibi non posse ait. Quae merita tunc pluribus exsequitur (n. 1—3), utque deinceps obstinatorum pertinaciae non cedat hortatur (n. 4 et 5). Denique se causam eorum, qui indulgentia digni sint, Epiphanio Constantinopolitano commisisse significat (n. 6).*

Hormisda Justino Augusto.

1. Scio quidem, venerabilis imperator, clementiam tuam conscientia boni operis tantum esse contentam, nec in his, quae pro catholicae Ecclesiae unitate disponitis, humanis laudibus indigere, ne[1]) magni studii gloria non digna remuneratione vilescat. Quanta est enim circa eum humani summa praeconii, cui contigit terrarum regna committi, quum[2]) obnoxia sint blandimenta adulationis suspicioni, quae humilitas detulerit imperanti! Et alias secundum evan- Matth. 6, 1 sq.
gelicam traditionem necesse est, ut fructu supernae remunerationis careat, qui retributionem laudis exspectat. Hinc mansuetudinem vestram omni bonitatis perfectione pollentem ad Deum universa, quae memorabiliter facitis, referre non ambigo, nec caduca cogitantes ab illo exspectatis pro actuum vestrorum retributione mercedem, quem bonorum omnium constat auctorem.

2. Et tamen ego divinis, quibus obsecundo, convenio institutis, ne religiosa conscientiae vestrae beneficia comperta dissimulem, ne taciturnitas mea, quae vobis crescit ad gloriam, mihi, quod absit, vertatur in culpam. Novi enim de illis decem Domini et Salvatoris Luc. 17, 17 sq.
nostri pietate mundatis, quia et novem sunt nota ingratitudinis improbati, et unus testimonium fidei et merito[3]) receptae salutis retulit, qui gratiarum actionem sanatus exsolvit. Exsequor exempla quae didici, et quod per officii mihi crediti materiam praedico, sub

---

140 [1]) G[1] *nec*, quod correximus. Forte quis malit *nec magni studii gloriam ... vilescere*. Ed. *et magni* (ad marg. *ne*).

[2]) Ita correximus, quod in G[1] ed. *cum eo noxia ... imperandi* (ed. *imperanti*). Mox ed. *retributionis laudem ... religiosae ... conferta*.

[3]) b seq. *merita*. Minus ambigua esset haec verborum constructio: *unus fidei et salutis merito receptae testimonium retulit*.

Digitized by Google

a. 521. occasione litterarii sermonis exhibeo. Ago gratias quantas[4]) humilis possum, etsi quantas debeo, non possum. Sed solatium mihi est, quod de beneficiis mecum vestris mundus exsultat, et lacerata hactenus Ecclesiae membra ad compagem suam revocata gloriantur. Reduxisti populis fidem, persecutus errorem; inclinata est superbia inimicorum Ecclesiae Dei, et humilitas erecta fidelium. Magna res tibi contigit, imperator, magna in te emolumenta cum potestate coierunt. Quae merearis, intellige. Non exiguam in te partem boni
Joh. 14, 27. operis illius, quod vadens ad coelos Dominus noster Jesus Christus contulit, transtulisti: nam pacem, quam ille discipulis dedit, per te mundus invenit. Non est dubium congratulari tibi angelos coeli;
Luc. 15, 7. nam si juxta assertionem evangelicam laetitia est eis de uno peccatore salvato, quae potest esse populo? Salve Ezechias praesentis aetatis! Nam etsi fuerunt ante eum reges Juda[5]), qui facerent,
4 Reg. 20, 6. nullus tamen eorum dissipavit excelsa. Tu quoque schismatum et superbiae dissipator et cultus veteris restitutor, praesume tibi similitudinem[6]) illius annorum augenda curricula, qui operum ejus imitaris exempla. Et haec omnia, quae ad majus gloriae tuae spectant augmentum, non stimulo adhortationis alienae, non ullis precibus excitatus aggrederis: solus tibi in consilio Deus. Non est, qui se ad participationem tanti operis tentet inserere: tibi debes actionis hujus studium, tibi bonae actionis effectum!

3. Tu me, venerabilis imperator, Ecclesiae vulnera tam longa moerentem ad spem reddendae salutis animasti. Tu me post tam continuos turbines jam pene desperatione cessantem ad novam tran-
ep. 42. quillitatem directis ultro piis litteris excitasti: hoc quoque procul dubio divina intelligentia conferente, ut inter ipsa tui principatus exordia fidei ejus dicares obsequium, cui acceptum debebas imperium. Sed qui te ad incipienda haec non potui primus impellere, nunc majore fiducia tantis beneficiis compellor provocatus orare, ne patiaris in re tam boni operis esse defectum, ne manus, quas ad Deum erigis, a coepti operis perfectione suspendas. Negare non possum pro Domini nostri haec me affectu et unitatis exposcere: sed fateor et saluti tuae pro tanta mansuetudinis gratia haec studia me
Matth. 10, 22. debere. Scriptum est enim, *quia qui perseveraverit, hic salvus erit.*

---

[4]) Ita G^1. a^1 *quanto humilius*, b seq. *quanto amplius*, et mox *laceratae*.

[5]) b cc add. *bonum*. De Asa quidem 3 Reg. 15, 11 legimus: *et fecit Asa rectum ante conspectum Domini*, et v. 14: *Excelsa autem non abstulit;* item 4 Reg. 14, 3 de Amasia: *Et fecit rectum coram Domino, nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit;* et de Azaria 4 Reg. 15, 3 et 4: *Fecitque quod erat placitum coram Domino, verumtamen excelsa non est demolitus.* Quocirca et *rectum* et *quod erat placitum coram Domino* addere hic liceret.

[6]) c^7 c^{10} *similitudine*, G^1 a^1 b *similitudinem*, cui a^3 *in* praemittendum durit. Deinde G^1 a^1 *sed quibus te ad incipienda*, et ed. *perseveraverit usque ad finem salvus.*

Digitized by Google

4. Nec vos aliquorum obstinatio reddat a proposito pigriores. a. 521.
Durum est, ut efficacior sit eorum pertinacia qui dividunt pacem, quam eorum qui asserunt unitatem. Amentur vulnera, quum provideantur pro salute remedia, et praeoptabilius[7]) esse putetur sociari cum mortuis, quam inhaerere cum vivis. An non aequum est, ut religiosi principis subdantur imperio, qui non moventur exemplo? Non omnis aeger[8]) salubribus acquiescit, et medendi studium saepe ipsis quibus adhibetur ingratum est: et tamen grata est admota pro salute necessitas, nec ipsi post respirationem non sunt beneficiis obnoxii, qui curantur inviti. Cavenda est subtilium magna circumspectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare composita. Et quis hoc possit admittere, ut ad illa per pacem credamur adduci, ad quae non potuimus discordiae necessitate compelli; et putetur aequum, ut contra salutem princeps subjectorum voluntatem sequatur[9]), quam pro sua salute subjecti principis non famulentur imperio?

5. Ipsam tibi mecum, venerabilis fili, crede Ecclesiam Dei supplicare, ut eam sine macula et ruga, sicut scis Domino placere, Eph. 5,27.
custodias, nec in ea oculus ille, qui pervigil[10]) est, naevum aliquem quem aversetur adspiciat. Ama quod a Deo cumpunctus elegisti, et intemeratum serva illud cujus pars esse voluisti. Fuerit ante sollicitudo tantum mea: nunc unam nobis causam tua fecit esse clementia. Nec austeriorem me quisquam dicat esse prioribus, nec adhortatio alicujus pro sententiae auctoritate teneatur. Diligentiorem me non pertinaciae studium, sed scandala secuta fecerunt. Forte inter initia locus[11]) esse potuit lenitati: male, sicut notum est, per

---

[7]) Ed. *praeoptabile ... putetur se ... mortuis.* In G[1] lacuna hujusmodi: *praeoptabi ... putetur so ... cum mortuis.* Quam supplendam nostro modo ex spatio vacuo relicto aestimavimus, quum similiter Norisius de uno ex Trinitate passo pag. 72 supplesset *praeoptabile esse putetur sociari cum mortuis.* Responsio haec ad illud attinet, quod Justinus epist. 129 n. 2 interrogaverat: *Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciae, quae nec dicto audiens exsistit, et tormenta in tantum despicit, ut* etc.

[8]) Ed. add. *remediis.* Mox a[1] b seq. *tamen* (a[1] *tantum*) et omitt. *admota.*

[9]) Hic supplendum *potius*, ac subinde particula negans expungenda. Nihil vero vel supplendum vel removendum foret, si pro proximo *quam* legeretur *et.*

[10]) b cc *pervigilat*, a[1] edit. *pervigilem*, imperitia librarii, qui quum in veteribus libris *pervigil est* atque *pervigilem* eadem ratione pingi videret, puta *pervigile*, veram lectionem secernere non valuit.

[11]) b cc add. *locus ... potuit*, quod abest a G[1] a[1]. Objectum hic Hormisda diluit Justini epist. 129 n. 3 exemplum Anastasii papae opponentis. Quamquam neque is papa Anastasio imperatori mitior visus est, de quo non secus ac de ceteris Hormisdae decessoribus ad Hormisdam ipsum epist. 2 scribit: *Ante hoc siquidem duritia eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo commissa, temperare nos faciebat a transmittendis epistolis.* Quae ea de re tum ad praedictam epistolam 129 tum alibi annotata sunt recole.

Digitized by Google

a. 521. accessus praecedentium temporum errorum augmenta creverunt. Non parvi habeas, fili sanctissime, quod curasti! Ubi sancta Calchedonensis synodus et inter sanctos venerandi papae Leonis religiosissima constituta locum alicujus honoris habuerunt? Ubi non adversum tanta fidei fundamenta quasi quoddam bellicum hostium Dei insonuit exercitus? Quanto acrioribus haec impetita sunt jaculis, tanto validioribus sunt munienda subsidiis. Rogo, clementissime imperator, ne me aut ad deserenda [12]) haec, quae dudum beneplacita sunt, aut mutanda compellas. Vox enim illa auribus meis indesi-
Luc. 9,62. nenter immurmurat: *Quia nemo manum ad aratrum mittens et post se respiciens aptus est regno Dei;* quum in evidenti sit, quia poenitentia malorum est operum, non bonorum.

6. Sed quamquam his urgemur angustiis, tamen et [13]) propter mansuetudinis tuae considerationem, et quia venerabilium legatorum Johannis episcopi, Heracliani presbyteri et Constantini diaconi allegatio nos non inhumana permovit, qui [14]) innocentibus aut ignaris causae remedia credidit esse poscenda: ad fratrem et coepisco-
ep. 141. pum nostrum Epiphanium scripta transmissimus, ut memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, aut communione [15]) quam respuimus sicut asseritur innocentes, eos ad
ep. 7, 26 et 61. societatem sacrae communionis admittat, libelli tamen qui a nobis interpositus est tenore servato. Melius est enim et magis Deo placitum, si salva fide ecclesiastico corpori jungantur abscissi, quam in abscissos transeant, qui in beati Petri immaculata communione manserunt. Data septimo Calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule.

Epistola 141.

a. 521 d. 26 Mart.

Hormisdae papae ad Epiphanium Constantinopolitanum.

Vices suas ei ad redintegrandas reliquas Orientales ecclesias committit, et quas in p. 121
hoc opere regulas servari deceat praescribit (n. 1—6). Thessalonicensium tamen causam sibi reservat (n. 6 et 7). Legatos a regia urbe missos laudat.

Ὁρμίσδας Ἐπιφανίῳ ἐπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως.	Hormisda [1]) Epiphanio episcopo Constantinopolitano.
1. Πολλῆς ἐπλήσθην χαρᾶς,	1. Multo gaudio sum repletus,

[12]) Ita G[1] a[1]. b cc *delenda.*

[13]) Ed. omitt. *et*, moxque *quia.* Deinde G[1] *nos inhumana.*

[14]) Aut *quae* aut deinde *crediderunt* legendum, aut vox *qui* cum sequente *ad fratrem etc.* conjungendum est.

[15]) Vel *communionis innocentes*, hoc est: *communione quam respuimus non contaminatos.* Liberior autem placeat lectio b cc *alienas a communione.* Mox c[1] c[2] *societatem suae communionis.*

141 [1]) Ita G[1] a[1] et text. graec.; J O c[1] c[2] i[2] *Dilectissimo fratri Epiphanio episcopo Hormisda.*

Digitized by Google

ὅτι περὶ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας καὶ τοῦ ἁγιωτάτου βασιλέως καὶ τῆς σῆς ἀγάπης τοιαύτην σπουδὴν οἵαν διὰ τῶν γραμμάτων ἐμήνυσας, καὶ διὰ τῆς τῶν ἐμῶν πρέσβεων καταθέσεως ἔγνων. Σαφὴς γὰρ ἐντεῦθεν τῆς οὐρανίου εὐσπλαγχνίας ἀπόδειξις πρόεισιν, ὅταν καὶ οἱ τοῦ κόσμου βασιλεῖς τὰς ὑποθέσεις τὰς περὶ τῆς πίστεως μετὰ τῆς διοικήσεως τῆς πολιτείας συζευγνύωσι, καὶ οἱ τῶν ἐκκλησιῶν ἡγούμενοι τὰ συντείνοντα εἰς τὴν ἰδίαν οἰκονομίαν μεμνημένοι τοῦ καθήκοντος ἐκτελῶσι. Τοιούτων ἔχρησε μετὰ τὰς τῆς διχονοίας καταιγίδας ἡ Χριστιανικὴ θρησκεία ἰθυντήρων, οἵ τινες κατευνασθεισῶν προνοητικωτάτῃ διατυπώσει τῶν θυελλῶν, τὴν ἐπιπολὺ ξενωθεῖσαν εἰρήνην ἐξωσθέντος τοῦ χειμῶνος ἐπανάξωσι, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας μετὰ ταῦτα αἰῶνας τῆς ἰδίας προθέσεως τὰ ὑποδείγματα ἐπεκτείνοντες, ἑαυτοῖς ἐπιγεγράφθαι ἀναμφιβόλως ἐπιδείξουσιν, εἴ τι τῷ Θεῷ ἀρέσκον οἱ μεταγενέστεροι ἀπὸ τῆς αὐτῶν μιμήσεως ποιήσουσιν.

quod circa Ecclesiae pacem et sanctissimi imperatoris et dilectionis tuae tale studium, quale litteris indicasti, legatorum[2]) quoque meorum assertione cognovi. Manifesta enim hinc supernae misericordiae documenta produntur, quando et mundani[3]) principes causam fidei cum reipublicae ordinatione conjungunt, et ecclesiarum praesules, quod ad dispensationem suam pertinet, officii memores exsequuntur. Talibus indigebat post discordiae procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis provida dispositione[4]) turbinibus diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, et in futura post saecula propositi sui exempla tendentes, sibi adscribendum indubitanter ostenderent, quidquid Deo placitum posteri pro sua imitatione fecissent.

a. 521. ep. 121 et 130.

2. Εὐλογήσωμεν τὸν Θεὸν, ἀδελφοὶ, ταῖς ἡμῶν τοῦτο ἡμέραις συγκεχωρημένον γεγονέναι, καὶ πάσαις εὐχῶν καὶ μεριμνῶν δυνάμεσιν ἐπερεισθῶμεν, ἵνα ἅπερ διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν

2. Benedicamus Dominum, frater carissime, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus annitamur, ut quae Dei[5]) ope bene coepta sunt, ipso adjuvante

---

[2]) Germani scilicet aliorumque qui proxime redierant. Subinde in J O c¹ c² sequitur: *Manifestum enim hinc* (J¹ Γ i²: *manifeste hic* (i²· *hinc*) *enim*) *supernae misericordiae documentum perdocetur* (i² *documento perdocetur*).

[3]) Ita G¹ J O. At a¹ b cc *humani principes*. Jam in epistola 40, quae pariter graece exstat, n. 8 legimus: *Si enim qui mundani sunt.*

[4]) O cc *dispensatione*, moxque a¹ b seq. omitt. *post.*

[5]) G¹ a¹ seq. *per Dei nostri opem bene correcta* (G¹ *correpta*). Sequimur J O c¹ c² i² consentiente graeco.

Digitized by Google

a. 521. συνεργίας καλῶς ἤρχθη, αὐτοῦ βοηθοῦντος ἐν πᾶσι κληρωθῶσιν. Ἐλπὶς γάρ ἐστιν, ὅτιπερ εἰς τὴν ἁρμονίαν τοῦ οἰκείου σώματος καὶ τὰ λοιπὰ καὶ ἔτι νῦν διῃρημένα μέλη σπουδάσουσι, καὶ ἀπὸ τῶν κρεισσόνων τὰ ἥττονα οὐ διαφωνήσουσιν· εἰς ὃ ἐπείπερ με ἡ σὴ διάθεσις τῇ σπουδῇ τῆς Χριστιανικῆς ἀγάπης προτρέπεται, ὀφείλεις εἰς ὃ διεγείρει ἀκολουθῆσαι, καὶ ὅπερ ἀγαπᾶσθαι συμβουλεύει, περιπτύξασθαι. Ὁμοίαν γὰρ λοιπὸν τῆς πίστεως φροντίδα χειρίζοντες, διὰ τῆς εὐσεβοῦς ὑπομονῆς ἴσον καὶ τὸ ἔπαθλον τοῦ ἀγαθοῦ ἔργου ἐκβάσει ἐλπίζομεν. Οὔτε γὰρ ταῖς δυσχερείαις ἐστὶ παραχωρητέον· οὐ καταπονεῖται τοῖς τραχέσιν ἡ πίστις, οὐδὲ εἰς τὰ τῶν οὐρανῶν ὑψώματα διὰ κατωφεροῦς τις ἐπεκτείνεται, οὔτε τῆς ἀνταμείψεως ἄνευ τῆς τοῦ καμάτου γυμνασίας τις ἀξιοῦται. Διὸ ἵνα μὴ ἐκκακῶμεν τὸ ἀγαθὸν ποιοῦντες, ἰδικῶς ὑπομιμνησκώμεθα. Καὶ
Psalm. 105,3. γὰρ μακάριοι, ὡς μαρτυρεῖ ὁ ψαλμῳδὸς, οἱ φυλάσσοντες κρίσιν καὶ ποιοῦντες δικαιοσύνην ἐν παντὶ καιρῷ· ὅτι οὐχὶ ἀρχὴ τοῦ καμάτου τὴν ἀντάμειψιν τοῦ ἐπάθλου εἴωθεν εὑρίσκειν ἀλλὰ τὸ τέλος. Τοιγαροῦν ἴσην σπουδὴν τῆς μερίμνης ἀναλαβόμενοι, οἷς ἐστι μία ἐν τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ πίστει ἡ ἑταιρία, ὃν τρόπον περὶ τῆς ἑνωθείσης περὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας ἐπί-

per omnia compleantur. Sperandum enim est, ut ad compagem corporis sui reliqua quoque, quae adhuc divisa sunt, membra festinent, et a potioribus minora non discrepent. Ad quod quum me dilectio tua Christianae studio caritatis hortatur, debet[6]) quo invitat sequi, et quod amandum suadet amplecti. Similem enim jam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam par etiam praemium de boni operis speramus effectu. Neque enim difficultatibus est cedendum. Non fatigatur asperis fides, nec ad coelorum ardua per proclive contenditur, nec remunerationem citra[7]) laboris exercitium quis meretur. Unde ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur: *Beati* etiam, teste Psalmista, *qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore;* quia non initium laboris remunerationem praemii consuevit invenire, sed terminus. Ergo par studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione et credulitate societas, quemadmodum de adunata sedi apostolicae Constantinopolitana ecclesia pariter exsultamus in Domino, ita de reliquarum quoque, sicut affectuose admones, redintegratione laetemur[8]), et curemus primum, ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus.

[6]) G[1] a[1] *debet quod incitat et amandum*, J[5] J[6] *ad quod invitat*, al. cum c[1] c[2] i[2] *debet ad id quod invitat*. Unde restituendum censuimus *quo invitat*.

[7]) c[7] c[10] *circa laboris exercitia*.

[8]) G[1] β Γ J[1] a[1] seq. et i[2] omitt *laetemur et*. Mox G[1] omitt. *per*.

Digitized by Google

σης ἀγαλλιῶμεν ἐν Κυρίῳ· οὕτω καὶ περὶ τῆς τῶν λοιπῶν, καθὼς ἐνδιαθέτως παραινεῖς, ἀποκαταστάσεως φροντίσωμεν πρῶτον, ἵνα τὴν πίστιν καὶ τὴν τελειότητα ἡμῶν ἄσπιλον ἀπὸ παντὸς μιάσματος φυλάξωμεν. a. 521.

3. Καὶ γὰρ οἶσθα, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ποῖοι τὴν ἐκκλησιαστικὴν ὁμόνοιαν φυλάττουσι σύνδεσμοι, τίνα ἡμᾶς ἀπὸ τῶν αἱρετικῶν φυλάττουσιν ἐπιβουλῶν, καὶ διὰ ποίων ἡ τῶν κανόνων φυλάττεται αὐθεντία. Τούτων ἐν τῇ ἰδίᾳ ἰσχύϊ πάσῃ προσοχῇ φυλαττομένων, ἴασις τοῖς ἐλπίζουσι προσενεχθήσεται. Ἔχει γὰρ τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων ἡ τάξις καὶ αὐτῆς τῆς δικαιοσύνης ὁ τύπος, ὅπως εὔλογος θεραπεία τοῖς καλοθελῶς καὶ πιστῶς ἐλπίζουσι μὴ ἀρνηθείη. Οὐδέ τίς ἐστιν οὕτως ἀπὸ τῆς φιλανθρωπίας διῳρημένος, ὃν οὐχὶ ἀπὸ τῆς σκληρότητος τοῦ δεσμοῦ ἐπικάμψει ἡ ἀπάνουργος ἁπλότης.

3. Nosti enim, frater carissime, quae ecclesiasticam servent vincula concordiam, quae nos ab haereticorum tueantur insidiis, per quae etiam canonum custodiatur auctoritas. His in robore suo omni circumspectione servatis, remedia sperantibus conferentur. Habet enim et ecclesiasticarum ordo regularum et ipsius forma justitiae, ut medicina rationabilis benignè et fideliter sperantibus non negetur: nec quisquam ita est ab humanitate discretus, quem non a rigore districtionis[9]) inclinet incauta simplicitas.

4. Ἀλλ' ἵνα ἀσφαλῶς τοῦτο καὶ χωρὶς μέμψεως ἤ τινος νεφώδους πλάνης ἰσχύσειε προελθεῖν, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, τὸ ἐμὸν πρόσωπόν σε ἐν τούτῳ χρὴ ὑπελθεῖν ἐπιστάμενον ἐν ταῖς τοιαύταις ὑποθέσεσι, καθὼς προείρηται, τί ποιητέον εἴη, τί φυλακτέον, οὕτω πάντων προνοούμενον, ὡς μὴ

4. Sed ut caute hoc et[10]) citra querelam aut erroris alicujus naevum valeas expedire, dilectissime frater, personam meam te in hoc oportet induere, scientem in hujusmodi causis, sicut praedictum est, quid faciendum sit, quid cavendum: ita omnia providendo[11]), ut non ambigas ratio-

[9]) c[1] a[1] seq. *discretionis;* corriguntur ex G[1] J i[2]. Deinde c[1] c[2] cum nonnullis mss. *cauta simplicitas*, male. Ii enim hic notantur, qui prae imperitia ac simplicitate cavere nesciunt artes seducentium. Cum his mitius agendum esse nunc Hormisda docet.

[10]) c[1] c[2] *et caeteras quaerelas aut errores alicujus te* (c[1] *eo*) *valeas expedire.* G[1] a[1] b cc *citra querelam aut erroris alicujus naevum valeat expediri.* Legisse etiam videtur interpres graecus *valeat expediri.* Potior tamen est lectio J i[2] quos sequimur. Subinde a[1] b *et in hoc.*

[11]) c[1] c[2] *praevidendum*, a[1] b seq. *providenda*, G[1] *providendi;* corriguntur ex J i[2], quibus et graecum suffragatur.

Digitized by Google

a. 521. ἀμφιβάλλοντα λόγον ταύτης τῆς διατυπώσεως τῷ Θεῷ ἀποδώσοντα, οὕτω μέντοι, ἵνα τούτους, οἵ τινες ὑμῖν τῇ κοινωνίᾳ συναφθεῖεν, καὶ δι' ὑμῶν τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ, τὰ ὑμέτερα γράμματα ἡμῖν δηλώσουσιν, οἷς καὶ τὰ περιεχόμενα τοῖς λιβέλλοις, οὓς ἂν προσενέγκοιεν, ἐμφερέσθω. Οὕτω γὰρ τοῦ Σευήρου καὶ τῶν τούτῳ συμπλεκομένων καὶ τῶν ὁμοίων ἀπολυθήσονται πλάνης, καὶ οὐδὲ τούτων, οἵ τινες ἰαθῆναι δυνήσονται, τὴν ζημίαν ὑπομείνωμεν. Ὅπερ διὰ τοῦτο ὑμῖν ἰδικῶς ᾠήθημεν ἐπιθεῖναι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν, τὰ ἡμέτερα μεταφέροντες βάρη, ἐπείπερ οὐ μικρὰς ἤδη ἀποδείξεις τοῖς αἱρετικοῖς ἀνθιστάμενοι δεδώκατε, καὶ οὐ χρὴ περὶ τούτου διστάζειν, ὃν καλῶς συνέβη δόκιμον ἀποδειχθῆναι. Ἅμα προσλαβέσθαι τὰς θεραπείας τῆς ἰάσεως, ἀναζώσασθαι τὴν αὐθεντίαν τῆς δικαιοσύνης, καὶ

nem dispensationis hujus Deo esse reddendam, ita tamen ut eos, qui vobis fuerint communione sociati vel per vos sedi apostolicae, vestra nobis scripta declarent, quibus etiam continentia libellorum[12]), quos obtulerint, inseratur. Sic enim et Severi[13]) vel complicum ejus aut similium absolvemur[14]) errore, nec eorum qui sanari potuerint dispendia patiemur. Quod ideo vobis specialiter credidimus imponendum, ad diligentiam vestram nostra onera transferentes, quia non parva jam documenta resistentes haereticis edidistis, nec debet de eo ambigi quem bene contigerit explorari. Simul assume remedia medicinae, accingere auctoritate justitiae: et sic circa supplices humanitate mollire, ut in haereticorum contagione perdurantes, aut eos, qui innocentiam simulant et cum nostris sola voce consentiunt, ab

---

[12]) Quibus scil. libello ipsis ab Hormisda praescripto subscribere se fidem faciant, ut in epistola proxima ad Justinum n. 6 Hormisda docet his verbis: *ad fratrem et coepiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, ut memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, aut communione quam remisimus* (adeoque et Macedonii et Euphemii), *sicut asseritur, innocentes, eos ad societatem sacrae communionis admittat, libelli tamen qui a nobis interpositus est tenore servato.* Proindeque nihil a pristina severitate hic remittit, quamvis Ant. Pagius ad an. 521 n. 15 et 16 tandem ab Hormisda hac epistola ad communionem admissos putet, qui Euphemii Macedoniique nomina e diptychis expungi passi non essent. Immo etiam postea Justinianus imp. epist. 6 ad Agapetum non solum ipse secundum formam libelli ab Hormisda praescripti fidem profitetur, sed et sese operam daturum pollicetur, ut omnes idem faciant episcopi.

[13]) c^1 c^2 cum nonnullis mss. *Severi vel Sulpicii*, in aliis ut H^{10} *vel Sulpicii aut similium.* Non hic Severi Sulpicii sed Pseudo-Antiocheni episcopi, qui Calchedonensi synodo adversabatur, fit mentio. Ac propter hunc maxime locum adversus Severum istum in concilio sub Mena haec epistola lecta est. Hinc liquet, quam negligenter *severi* cum prima littera minuscula quasi merum nomen adjectivum in a^1 i^3 expressum sit.

[14]) Ita G^1. β Γ *observemus;* ed. *absolvemus errores.* Graecus interpres legit *absolventur errore.* Mox ed. *credimus ... prava.*

Digitized by Google

οὕτω περὶ τοὺς ἱκέτας τῇ φιλανθρωπίᾳ ἀπαλύνεσθαι, ἵνα τοὺς ἐν τῷ τῶν αἱρετικῶν μιάσματι ἐπιμένοντας, ἢ τούτους, οἷ τὸ ἀνεύθυνον ἀποκρίνονται καὶ μετὰ τῶν ἡμετέρων μόνῃ τῇ φωνῇ συμφωνοῦσιν, ἀπὸ τούτων, ὧν ὑπὲρ τῆς ἀποκαταστάσεως τῆς ἐκκλησίας φροντὶς καὶ πρόνοιά ἐστιν, ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. Οὐδὲ γὰρ συντελεῖ περὶ τούτους ἐκκλησιαστικὴν κεράσαι αὐστηρίαν. Οὐ γὰρ ἔσται λοιπὸν τοῦ ἐλέους τὰ ἀγαθὰ διὰ τὴν τῶν προνοηθῆναι ὀφειλόντων ἀνάγκην συναχθέντα, ἐὰν διακρίτως ἔσονται κοινὰ καλοῖς καὶ κακοῖς.

his, quibus pro Ecclesiae redintegratione consulitur et providetur, excludas; nec enim expedit circa hos ecclesiasticam temperare censuram. Non enim erunt miserationis bona pro eorum, quibus consuli oportet, necessitate collata, si indiscrete fuerint bonis malisque communia. a. 521.

5. Καὶ ἐπειδὴ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν ὁμοίως ποιήσασθαι ᾠήθη ἐν τοῖς οἰκείοις γράμμασι μνήμην ἡ σὴ ἀγάπη, ὧν καὶ πρὸς ἡμᾶς ἠνέχθη τις ὁμολογία, ἀναγκαῖον ἡγησάμεθα, καὶ ἀναγνῶναι τὰ γραφέντα καὶ ἀποκρίνασθαι τὰ πρόσφορα. Οἵ τινες εἰς τὰς τῶν ἁγίων πατέρων διατυπώσεις φυλάττουσιν, εἰ ἐκείνης τῆς πίστεως τοὺς θεμελίους σέβονται, καὶ ἀπὸ τούτων τῶν δι' αὐτῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος κατανύσσοντος ὁρισθέντων οὐκ ἀναχωρήσουσιν. Εἰ γάρ εἰσι τέλεια, ὥσπερ εἰσὶ, καὶ προσθήκης οὐ δέονται, ἢ καλῶς βέβαια, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀνταμειπτέα, ὁπότε δι' αὐτῶν πάντα τὰ τῶν αἱρετικῶν δηλητήρια κατεπιεσθῇ. Οὐδέ τι ἡ ἐν Χαλκη-

5. Et quia Hierosolymitanorum quoque[15]) faciendam credidit litteris suis tua dilectio mentionem, quorum etiam ad nos quaedam delata professio est, necessarium duximus, vel recensere quae scripta sunt, vel respondere quae congrua. Qui si sanctorum patrum constituta custodiunt, si illa fidei fundamenta venerantur, ab his, quae per eos sancto Spiritu compungente definita sunt, non recedent. Aut enim perfecta sunt, ita[16]) ut sunt, et adjectione non indigent, aut bene valida, et ideo non mutanda: quando per ea omnia haereticorum venena compressa sunt. Nec quidquam Calchedonensis synodus, quod utile quae- ep. 136 n. 2. ep. 129 n. 5.

[15]) a[1] b seq. *quoque faciebat in tuis litteris*, G[1] *quoque faciendam in tris suis tua*, J i[2] *faciendam credidit in litteris tua*. Mox β Γ *recipere* (pro *recensere*).

[16]) Pluribus in mss. desideratur *ita ut sunt*, quod tamen in J O et graeco additum. Hic occurritur Hierosolymitanorum aliorumque sententiae, qua Calchedonensis synodi definitionem non sufficere volebant, nisi simul quisque *unum ex Trinitate crucifixum* profiteretur. Illud *ita ut sunt* id est: *ut reipsa sunt* adeoque *adjectione non indigent*.

Digitized by Google

a. 521. δόνι σύνοδος, ὅπερ χρήσιμον οἱαδήποτε ἐπιμέλεια ἠδύνατο ἐπινοῆσαι, παρέδραμεν, ἤτις τῶν προλαβουσῶν ὁμοίως τὰ δόγματα ἢ τηλαυγέστερον ἐφανέρωσεν, ἢ ἐπαναληφθεῖσα τῇ αὐθεντίᾳ ἐβεβαίωσεν, ἰδικόν τινα κατὰ Νεστορίου καὶ Εὐτυχοῦς ἀναδεξαμένη ἀγῶνα, τοῦ μὲν ἑτέρου τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θεότητα ἀπὸ τῆς σαρκὸς χωρίζοντος, καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἁγίαν Μαρίαν θεοτόκον ἐξαγγέλλειν ἐκκλίνοντος, τοῦ δὲ ἑτέρου τὴν ἀλήθειαν τῆς σαρκὸς ἐν τῷ Κυρίῳ ἀπαναινομένου, ὁπότε ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς οὗτος υἱὸς Θεοῦ, ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος, ἓν πρόσωπον ἐν δύο φύσεσι, καὶ θεότητος καὶ σαρκὸς, οὐδὲ τῶν φύσεων ἐν τῇ ἑνώσει συγχυσθεισῶν, οὐχ ὡς τετάρτου προσώπου προστεθέντος τῇ τριάδι, ἀλλ' αὐτὸς ὁ υἱὸς
Philipp. 2,7. τοῦ Θεοῦ ἐκένωσεν ἑαυτὸν καὶ μορφὴν δούλου ἔλαβε. Διὸ καὶ μίαν καὶ οὐδὲ διαιρετὴν ὁμολογοῦμεν οὐσίαν τῆς τριάδος, καὶ τὴν ἰδίαν ὁμοίως ἰδιότητα ἴσμεν ἐνεῖναι τοῖς προσώποις. Ἓν γὰρ τοῦ πατρὸς ὁμολογοῦμεν εἶναι πρόσωπον, ἓν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῆς προσληφθείσης

libet diligentia potuisset excogitare, praeteriit: quae praecedentium quoque dogmata vel clarius manifestavit, vel repetita auctoritate firmavit, speciale quoddam adversus Nestorium et Eutychem aggressa certamen, alterum deitatem Domini nostri Jesu Christi a carne separantem et ideo sanctam Mariam Dei genitricem pronuntiare vitantem, alterum veritatem carnis in Domino renuentem: quando Dominus noster Jesus Christus idem Filius Dei, idem[17]) hominis, una in duabus persona naturis divinitatis et[18]) carnis, nec naturis adunatione confusis, non velut quarta persona addita Trinitati, sed ipse Filius Dei *exinanivit*[19]) *semetipsum, formam servi accipiens.* Propter quod et unam nec divisibilem profitemur essentiam Trinitatis, et proprietatem tamen suam scimus inesse personis. Unam[20]) enim Patris profitemur esse personam, unam Filii Dei cum assumpta carne, unam Spiritus sancti, et personas proprietatibus designantes, et per unitatem essentiae inseparabile Trinitatis mysterium confiten-

[17]) Ita J i²; al. add. *filius*, sec. graec. *idem homo.*

[18]) Ita G¹ J O c¹ c² i² et graec.; a¹ b seq. *et humanitatis carnis.*

[19]) G¹ a¹ b seq. *exinaniens semetipsum et formam;* castigantur ex J O c¹ i². Ita Hormisda necdum tempora sinere ratus, ut Christum *unum ex Trinitate* confitendum decerneret, *quartam* Trinitati *personam* additam negat, ut locum praecludat eorum obtrectationibus, qui id necessario praedicari volebant, ne simile commentum valeret. Inter quos Maxentius in respons. ad ipsius Hormisdae epistolam scribit: *Confidenter etenim dicere audes,* inquit, *quia quisquis hoc non confitetur, non est dubium, quod Nestorianae perfidiae tenebris excaecatus quartam et extraneum a sancta et ineffabili Trinitate eum qui pro nobis crucem sustinuit praedicare contendat.*

[20]) Verba *Unam e. P. prof. e. personam* errore librarii exciderunt in G¹ a¹ seq.; b *unam Patris, unam Flii.*

Digitized by Google

σαρκὸς, ἓν τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, καὶ τὰ πρόσωπα ταῖς ἰδιότησι σημαίνοντες, καὶ διὰ τῆς ἑνότητος τῆς οὐσίας τὸ ἀχώριστον τῆς τριάδος μυστήριον ὁμολογοῦντες. Οὔτε γὰρ δυνατὸν ἀμφιβάλλεσθαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς τῆς μητρὸς σπλάγχνοις διὰ τῆς σαρκὸς τὴν ἀνθρωπείαν προσειληφέναι φύσιν, καὶ μὴ μετὰ τὴν παρ' αὐτοῦ γενομένην ἐν τῇ μήτρᾳ τῶν φύσεων ἕνωσιν διῃρημένον. Καθάπερ γὰρ οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ἀνθρωπότης ἄνευ Θεοῦ γεννηθεῖσα, οὕτως ἐν τῷ σταυρῷ ἡ ἀπαθὴς θεότης οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ τῆς σαρκὸς πάθους διῃρημένη· ὅπερ ὁ τῆς παρθένου τόκος, καὶ ἡ ἄχραντος γονιμότης, καὶ ἡ ἐξαίρετος ἐκ νεκρῶν ἀνάστασις, καὶ ἡ εἰς οὐρανοὺς δείκνυσιν ἄνοδος. Ταῦτα εἰ καθὼς παρὰ τῶν πατέρων ὡρίσθη, φυλάττουσι, πιστευέτωσαν καὶ μηδὲ τὰ ὡρισμένα παραβαινέτωσαν, ἀφ' ἧς τρίβου οἱ ἐκκλίνοντες αὐτοὶ ἑαυτοῖς νέφος ἀμφιβολίας περιχέουσιν. Ἡμῖν δὲ ἐκεῖνο τὸ ἀποστολικὸν τοῖς φιλονείκοις ἀποκρίνασθαι ἀνάγκη ἐστίν· Ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. Ταῦτα διὰ τοῦτο διὰ βραχέων, ἐπειδὴ οὔτε ἀμφιβάλλεσθαι προσήκει περὶ πραγμάτων τῶν περὶ τῆς πίστεως πολλάκις

tes[21]). Neque enim ambigi po- a. 521.
test, Verbum Dei intra matris viscera per carnem humanam assumpsisse naturam, nec[22]) post a se factam intra vulvam naturarum unitionem divisum. Nam sicut non est in eo humanitas sine Deo edita, sic in cruce non est impassibilis divinitas a carnis passione divisa: quod virginis partus et intemerata fecunditas et singularis a mortuis resurrectio et ad coelos declarat ascensio. Haec si quemadmodum a patribus constituta sunt servant, credant nec definita transcendant: a quo tramite qui declinant, ipsi sibi nebulam dubitationis obtendunt[23]). Nobis autem illud apostolicum contentiosis respondere necesse est: *Nos* 1 Cor. 11, 16.
hanc consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Haec ideo breviter, quia nec ambigi convenit de rebus juxta fidem definitis saepius, et pene supervacua est allegatio, quae adhibetur instructis, quum super hac re et ad clementissimum principem filium nostrum non[24]) pauca perstrinxerimus.

[21]) β a[1] seq. *confirmantes*, al. (G[1]) et graec. *confitentes*.

[22]) c[1] c[2] *Nec ab obstetrice factum intra vulvam naturarum munitione divisum. Nam sicut et.* Addidit c[2] in marg. *et non divisam post unionem naturarum ab ipso factam in vulva.* G[1] a[1] b *nec post a se intra vulvam naturam unitione divisam. Nam ut* (G[1] *eo*) *humanitas*, i[2] *nec post a se intra vulvam naturarum unitione divisum.* Restaurantur subsidio mss., consentiente graeco.

[23]) Ita J O c[1] c[2] i[2]. At a[1] b seq. *offundunt.*

[24]) c[1] c[2] i[2] *non parva.* a[1] b seq. i[2] *perstrinxerim.*

Digitized by Google

a. 521. ὁρισθέντων, καὶ παντελῶς περιττή ἐστιν ἡ δικαιολογία ἡ προσφερομένη τοῖς παρεσκευασμένοις, ὁπότε περὶ τούτου τοῦ πράγματος καὶ πρὸς τὸν ἐνδοξότατον καὶ φιλανθρωπότατον βασιλέα τὸν ἡμέτερον υἱὸν οὐκ ὀλίγα ἠσημάναμεν.

6. Καὶ ἐπειδὴ περὶ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν ὁμολογίας ἀπεκρινάμεθα, καὶ τοῦτο ὑπελάβομεν τῆς τούτων σωτηρίας χάριν ἁρμοδίως προσθεῖναι, ἵνα ἐὰν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπιποθῶσι τὴν ἕνωσιν, τῆς ἰδίας ὁμολογίας τὸ ὕφος ἐγγράφως μηνυθεῖσαν, ἣν τοῖς ἡμετέροις πρεσβευταῖς ἐν Κωνσταντινουπόλει διάγουσι προσήνεγκαν, διὰ τῶν ἰδίων πρὸς ἡμᾶς ἀποστείλωσιν, ἢ τῇ ὑμετέρᾳ ἀδελφότητι δώσουσι, τῇ αὐτῇ μέντοι, καθῶς εἶπον, δυνάμει συγγεγραμμένην, ἥ τις πρὸς ἡμᾶς πᾶσι τοῖς τρόποις δι' ὑμετέρας διατυπώσεως κομισθήσεται. Περὶ γὰρ Θεσσαλονικέων, ὧν πρὸς ἡμᾶς οἱ πρέσβεις διὰ τῆς τοῦ πιστοτάτου καὶ ἐνδοξοτάτου βασιλέως τοῦ ἡμετέρου υἱοῦ διατυπώσεως ἦλθον, ἵνα μήτι παραλελοιπέναι δόξωμεν, γινώσκειν ὑμᾶς βουλόμεθα κατὰ ταῦτα, ἅπερ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐμπνέοντος ἤρεσαν, τὴν ὑπόθεσιν πᾶσαν τῇ ὑμετέρᾳ διασκέψει ψηλαφητέαν, καὶ εἰ ὅπερ χρὴ πληρώσουσι διατυπωτέαν.

6. Et quia de Hierosolymitanorum professione[25]) respondimus, hoc quoque aestimavimus salutis eorum causa competenter addendum, ut si communionis apostolicae desiderant[26]) unitatem, professionem suam scripto inditam, quam legatis nostris apud Constantinopolim positis obtulerunt, aut per suos ad nos dirigant, aut fraternitati vestrae tradant, eodem tamen, sicut diximus, tenore conscriptam, quae ad nos modis omnibus sub vestra ordinatione deferatur. Nam et de Thessalonicensibus, quorum ad nos legati sub clementissimi et fidelissimi principis filii nostri ordinatione venerunt, ne quid omisisse credamur, nosse vos volumus, secundum hoc, quod Domino nostro Jesu Christo inspirante placuerit, causam omnem nostra dispositione tractandam, et si[27]) quod oportet impleverint, ordinandam.

[25]) a[1] b seq. *propositione*, J[1] *pro confessione*, al. *professione*.

[26]) J[2] c[1] *se dederunt* (c[1] *dederint*) *unitati* (c[1] *et professionem*). Deinde c[1] c[2] i[1] cum aliquot mss. (etiam J[2]) *scripto indicent* (i[2] *indicant*), *quam legatis nostris* c[1] *legatis vestris*) *apud Constantinopolim positis offerant* (i[2] *obtulerunt*); a[1] *scripto in clytam quam ... obtulerunt*.

[27]) J[1] *sic oportet implerint*, J[2] c[1] *sicut oportet impleri*. Ibidem editi *ordinanda* (c[1] *ordinandam*) *haec etc.*; perturbate et praeter mentem Hormisdae, qui

Digitized by Google

7. *Ταῦτα διὰ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συνεπισκόπου ἡμῶν τοῦ σεβασμιωτάτου ἀνδρὸς Ἰωάννου, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν υἱῶν ἡμῶν, Ἡρακλειανοῦ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ Κωνσταντίνου τοῦ διακόνου, τῆς ἐκκλησιαστικῆς τιμῆς ἀξίων, τὰ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἀνήκοντα ἀρκεσθέντες ἀντιγράψαι, ἥσθημεν ἐν ἀνδρὶ τῆς ἡμετέρας τάξεως ἴσην ἀξίαν καὶ εὐλαβῆ πρόθεσιν ἡμᾶς εὑρηκέναι, καὶ μετὰ τῶν τῆς πρεσβείας ἐντολῶν τῇ φρονήσει καὶ τοῖς τρόποις συνᾴδοντα. Εὐκταῖον γὰρ πρᾶγμα καὶ πλῆρες χαρᾶς, ἵνα ὧσι κεκριμένως δόκιμοι, οὓς τῆς κοινωνίας καὶ τῆς τάξεως συνέβη εἶναι συγκλήρους. Καὶ ἄλλῃ χειρὶ· Ὁ Θεός σε ὑγιῆ διαφυλάττῃ, ἀδελφὲ τιμιώτατε.*

7. Haec per fratrem nostrum a 521.
et coepiscopum venerabilem virum Johannem sed et filios nostros Heraclianum presbyterum et Constantinum diaconum, ecclesiastico honore dignissimos, ad causam pertinentia rescripsisse[28]) contenti, gratulati sumus in viro ordinis nostri par meritum et religiosum nos invenisse propositum, et cum legationis[29]) mandatis sapientia et moribus congruens. Votiva enim res et plena gaudii est, ut sint juxta[30]) aestimationem probabiles, quos communionis et officii contigerit esse consortes. Data[31]) VII Calendas Aprilis, Valerio consule.

Epistola 142.

Hormisdae papae ad Salustium Hispalensem episcopum.

(a. 521 m. April.)

p. 121. *De commissa vice per Baeticam et Lusitaniam provincias.*

Dilectissimo fratri Salustio Hormisda.

1. Suscipientes plena fraternitatis tuae votiva gratulatione colloquia, quibus[1]) nos geminae salutis tuae laetificavit indicium, corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixum, congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire laetitiam. Edidisti enim boni documenta pontificis, dum et praedi-

causam Thessalonicensium nec Epiphanio nedum ipsius legatis committendam, sed sibi servandam putavit, utpote apud quos apostolicae sedis legatus caesus indigne fuerat.

[28]) a[1] b seq. *conscripsisse*, G[1] *scripsisse;* concinnius c[1] c[2] cum al. mss. *rescripsisse*, quia nimirum Epiphanius prius scripserat.

[29]) c[1] c[2] *legationis mandato et sapientia;* G[1] a[1] b seq. i[2] *legatione mandata sapientiae* (G[1] i[2] *sapientia*) ... *congruente*. Haeret Hormisda in laudibus Johannis episcopi Claudiopolitani, quia legationis princeps erat, adeo ut Justinus, quum hanc destinandam polliceretur, unum illum memoraret, ut vidimus epist. 126.

[30]) Ita c[1] c[2] cum mss. favente graeco. At a[1] b seq. *justa aestimatione.*

[31]) Ita G[1] a[1] b. At graec. ita claudit: *Et alia manu. Deus te sanum custodiat frater venerabilis.* J O c[1] i[2] utrumque omittunt.

142 [1]) Ita J i[2]. At c[1] seq. *quae nos ... laetificaverunt indicio, siquidem retulerunt te corporali.* Mox ed. (praeter i[2]) *gerimus expedire laetitiam,* J[2] *verbis experire.*

Digitized by Google

(a. 521.) canda facis, et ea suadere non differs. Praerogativam de nostri sumpsimus electione judicii, quando id te[2]) operatum sponte didicimus, quod ceteris imperamus. Oramus siquidem divina[3]) beneficia cunctos agnoscere, et hoc ad te studio ecclesiasticae pacis instrumenta transmisimus. Tu vota nostra et fideli intelligentia percepisti, et officii protinus devotione complesti, cunctis fratribus innotescens, quae per coelestem gratiam cunctis profutura cognoveras. Suffragantibus igitur tibi tot meritis piae sollicitudinis et laboris, certe jam delectat injungere, quae ad nostri curam constat officii pertinere: ut provinciis tanta longinquitate disjunctis et nostram possis exhibere personam, et patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Baeticam Lusitaniamque[4]) provincias, salvis privilegiis quae metropolitanis episcopis decrevit antiquitas, praesenti auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a[5]) quo jam probavimus cautius universa servari, gratius tamen esse solet, si[6]) ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur.

2. Paternas igitur regulas et decreta a sanctis definita conciliis ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternae monitu exhortationis ostendimus. His ea, qua dignum est, reverentia custoditis nullum relinquit culpae locum sanctae[7]) observationis obstaculum. Ibi fas nefasque praescriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare, ibi concessum, quid debeat mens Deo placitura praesumere. Quoties universum[8]) poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant: et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio[9]), jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illic[10]) pro fide et veteribus constitutis vel

---

[2]) Ita J i². Al. ed. *te sponte amplecti*, O¹ *te sponte operari*. J² *te sponte dicimus*; corriguntur ex probae notae mss. β Γ, quibus vulgata ad s. Remigium epistola suffragatur.

[3]) Ita J β Γ et i², nisi quod i² *et haec*. Al. ed. *divinam clementiam cunctis et haec ad studia*; quidam mss. (etiam J²) *et hoc ad studia*.

[4]) i² *Lusitaniamque provinciam*. Mox cc *praesenti tibi auctoritate*.

[5]) Ita plures mss. J i². J² cc *quem jam ... servare*.

[6]) J² cc *si iterum trames ostenditur et laboris* (J² *laboratoris*) *injunctio superius formata monstratur*. Emendantur ex β Γ J¹ i², favente epist. ad Remig.

[7]) Ita β Γ J¹, fav. ep. ad Remig. Editi *nec sanctae*. Porro *obstaculum* recto casu effertur, quasi diceret Hormisda: *Nullum relinquit culpae locum, qui sanctae observationem ei opponit*.

[8]) cc et plures mss. (etiam J²) *universalis poscit religionis causa ad concilium*. Laudatos sequimur β Γ J¹ i², epistola ad Remig. eis consentiente.

[9]) Editi *contentio*. At mss. magno consensu *intentio*, quod est *lis intenta*.

[10]) Sic i² cum melioribus mss. (etiam J¹). Al. (etiam J² cc) *illis*, et infra *formabis* pro *firmabis*.

Digitized by Google

providа dispositione praecipies vel personae nostrae auctoritate firmabis, totum ad scientiam nostram instructae relationis attestatione perveniat. Eo[11]) fiet, ut et noster animus officii caritate dati et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime! (a. 521.)

Epistola 143.

Hormisdae papae ad episcopos Baeticae provinciae.

(a. 521 m. April.).

p. 121. *De mutua inter ipsos pace gaudet. De Orientalibus ad Ecclesiae unitatem revocatis denuo eos certiores facit. Vetera eorum privilegia se minime convellere testatur.*

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Baeticam provinciam constitutis Hormisda episcopus.

1. Quid tam dulce sollicito, quam quod mihi de vobis innotescunt illa quae cupio? Quid tam religiosis conveniens institutis, quam ut inter se[1]) sacerdotes pacem, quam eos necesse est aliis pro officio annuntiare, conservent? Plena, fateor, gratulatione suscepi, quod votiva mihi de caritate, quae inter vos est, et ecclesiarum pace litteris indicastis. Sponte mihi, quidquid hortari poteram, quidquid monere, delatum est. *Confirmet hoc Deus, quod operatur in nobis:* et quae praecipit pro animarum salute facienda, haec ipse esse praecipiat pro ea, qua nos redemit, pietate facilia! Psalm. 67, 29.

2. Sed his tam bonis nuntiis nos quoque religiosorum vicem reddimus nuntiorum, et quidquid cum Orientalibus, quos ad Ecclesiae corpus unitatemque revocatos dudum Dei nostri ope[3]) litteris significavimus destinatis, denuo[4]) actum fuerit, repetitis vobiscum participamus indiciis. Mox post[5]) nostrorum reditum ab Orientalibus missa legatio est. Certa speravit, certa consuluit. Sed faci- ep. 26.

---

[11]) Ita J β Γ i^2. Al. omitt. *Eo fiet.*

143 [1]) cc omitt. *se.* Deinde a^1 *Plane.* Mox cc *est ecclesiarum et pace.*

[2]) c^1 a^1 seq. (cum J^2) *operatus est in nobis et quae praecepit ... haec ipse qui praecepit* (J^2 *praecipit*) *pro ea qua nos redemit pietate faciat. Et his tam;* corriguntur ex J^1 β Γ O^{10} i^2.

[3]) a^1 omitt *ope.* Hic memorari videtur epistola 26 anno 517 die 2 Aprilis ad Hispanos scripta.

[4]) Ita J^1 β Γ O^{10} i^2. At c^1 a^1 seq. *denuo cum aptum fuerit repetitis vobiscum participabimus*; J^2 J^5 J^6 O *denuo aptum ... participamus.*

[5]) Quidam mss. O *pro nostro edito*, O^8 *pro nostro edita* et secundis curis *edictu*, J^2 J^5 O^3 K^{11} *pro nostro edicto*, quam lectionem Isidorus in epistola Marcellini nomine conficta secutus est. Retinendum cum vulgatis et K^3 β Γ O^{10} i^2 *post nostrorum reditum* (J^1 *p nrorum edictum*). Porro legati Hormisdae d. 9 Julii anni 520 ex urbe regia profecti, d. 17 Septembris Romae excepti sunt (Horm. ep. 116—121). Orientalium autem legati d. 9 Septembris secuti, in eamdem urbem ultimo Novembris die pervenerunt (Horm. ep. 129—132).

Digitized by Google

(a. 521.) mus de his, quae fuerunt dicenda, compendium, ipsa[6]) potius ad
ep. 141. instruendam notitiam vestram, quae[7]) a nobis sunt responsa dirigentes, ne quid sibi sub spatio prolixiorum terrarum aut opinio vindicet aut error assumat, quum ad rerum fidem ipsam tenere sufficiat veritatem.

3. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet litterarum, oportuit quidem desideria planius[8]) expediri, ut aestimatis omnibus responsum rationi congruum redderetur. Sed quia privilegiorum veterum et statutorum paternorum indidistis iisdem litteris mentionem, ad Salustium fratrem et coepiscopum nostrum super[9]) hac parte rescripsimus, vobis quoque strictim, quae dicta sunt[10]) latius, indicantes, nec privilegia nos indulta convellere et nihil tam conveniens fidei judicare, quam ut in honore suo a patribus decreta serventur. Deus autem vos incolumes custodiat, fratres carissimi!

Epistola 144.

(a. 521 m. April.)

Hormisdae papae ad Epiphanium Constantinopolitanum.

In Eliae, Thomae et Nicostrati suscipienda communione ne moram ullam ponat. p. [illegible]

Hormisda Epiphanio episcopo Constantinopolitano.

Oportuerat quidem fraternitatem tuam divini contemplatione judicii atque caritatis nostrae respectu Eliam, Thomam atque Nicostratum fratres et coepiscopos nostros, postquam in consortium communionis nostrae recepimus, ad divina tecum[1]) mysteria incunctanter admittere, atque ad ecclesias suas, a quibus eos discordiae error excluserat, pro pacis nostrae plenitudine revocare: ut unitas, quam post annorum multa curricula per totum orbem suis Deus restauravit ecclesiis, nulla voluntatum nostrarum distantia laederetur. Sed quia rem tam gratam et patrum statutis venerabilibus congruentem quibusdam tarditatibus contigit nunc usque differri, unde etiam ad
ep. 106. decessorem fraternitatis tuae nos scripsisse meminimus: hortamur,

---

[6]) Ita J[1] K[3] Γ O[10] i[2]. β *ipsam*, J[2] cc *ipsi*. Mox K[3] Γ O[10] *ad struendam*.

[7]) Ex epistola, quam Isidorus Marcellini nomine confinxit, eum hic legisse colligitur *quae nobis*, ut in β prima manu. Ex veteribus collectionis Hispanae ut et Isidori libris, in quibus superior Hormisdae ad Epiphanium epistola 141 proximae ejusdem ad Salustium praemittitur, hunc papam id quod Epiphanio illic respondet notare, ac praedictae epistolae 141 exemplar ad Baeticos destinasse conjectamus. Unde consequens est, ut haec ad Baeticos et illa ad Salustium non citius mense Aprili anni 521 conscripta sint.

[8]) Ita β Γ O[10] i[2]. Al. *plenius expedire* (J[1] *expediri*).

[9]) J[1] J[2] c[1] seq. *sub hac parte;* corriguntur ex iisdem mss. et i[2].

[10]) Ita J[1] β Γ i[2], nisi quod i[2] *nobis indulta*. Al. *sunt illis latius indic. ne priv. nobis* (J[2] *nos*) *ind. convellerent.* Ac vero Hormisda in epistola superiori non propria sed aliorum privilegia servari curat.

144 [1]) b cc omitt. *tecum*, moxque G[1] *post quam annorum ... unde nunc etiam*

Digitized by Google

ut laetitiam, quam de damnato praeteritae dissensionis errore per- (a 521.)
cipimus, in nullo iterum discrepantium animorum causa contristet. Etenim nulli videtur vos[2]) nobiscum pleno communicare mentis affectu, si eos qui nobiscum communicant a vestro consortio segregatis. Incassum certe videntur pacem recipere, qui pacis differunt praecepta complere. Quidquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrahitis. Et providendum est, frater carissime, ne si ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta concordia ab his exordium sumat exemplis, et religionis veneranda regula et apostolicae sedis auctoritas imminuta, quod absit, per Orientem potius quam restituta videatur.

Epistola 145.

Justini imperatoris ad Hormisdam papam.

a. 521 d. 1 Maj.

Paulum Antiochenum a multis accusatum ultro de episcopatu se abdicasse nuntiat.

Justinus Augustus Hormisdae papae.

Ut quod in Paulo[1]) viro reverendissimo contigit apostolatui vestro patefiat, qui sacerdotio praeditus Antiochenae civitatis, ita versatus esse dicitur in multis causis, quae religiosis alienae sunt episcopis, ut clericorum suorum proditione, habitatorum etiam dictae civitatis, aliorum insuper frequentium incusetur, non tantum legatis[2]) vestrae sanctitudinis in hac regia positis urbe, ut ipsos quoque retinere censemus, verum post eorum recessum: qui malae conscientiae suae victus[3]) testimonio, territus insuper, ne quaestione habita graviorem formam exitus rei posceret, recusatorios libellos obtulit, ut liceret ei secedere a suscepto, sicut dictum est, episcopatus officio. Quoniam igitur cordi nobis et est et fuit, ut semper civitatum antistites in amore sint omnium communi, quorum regendas creduntur[4]) animas, Paulus autem vir reverendissimus ultro se suo, prout memoravimus, abdicavit sacerdotio, praesentem epistolam duximus dirigendam, ut vobis aperiatur, et orationibus propriis coeleste nobis praesidium digneris acquirere. Data Calendis Majis Constantinopoli, Justiniano et Valerio viris clarissimis consulibus.

---

[2]) a[1] *nos*, moxque G[1] *qui vobiscum ... memoramini;* deinde ed. *potius divulgata quam.*

145 [1]) Qui nimirum anno 519 mense Majo vel circiter, quum Constantinopolitanae ecclesiae presbyter esset, Justini imperatoris testimonio et auctoritate Antiochenis praefectus fuerat, uti epist. 75 n. 1 et 76 n. 2 docetur.

[2]) Germano scilicet ceterisque collegis, qui anno 520 e regia urbe discedentes epistolam 116 et sequentes d. 9 Julii consignatas retulerunt. — Ibidem ed. *incusaretur.*

[3]) Ita G[1]. Ed. *suae testimonio veritus insuper ... recusatores.*

[4]) G a[1] *creduntur* (forte supplendum *suscepisse*) et add. *vir.* b cc substituerunt *acceperunt ... dignetur.*

Digitized by Google

Epistola 146

seu

a. 521 d. 1 Maj.)

Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani [1]).

De abdicatione Pauli episcopi Antiocheni. Ut legatos cum bonis nuntiis quam primum remittat.

Per omnia sanctissimo ac beatissimo domino fratri et comministratori Hormisdae Epiphanius [2]).

1. Frequentiores quidem litteras facere ad vestram beatitudinem et frui affectu fraternae caritatis optamus, nunc autem ea quae evenerunt cupientes vestram sanctimoniam non latere, praesentibus usi sumus scriptis. Multis enim et non parvo spatio temporis perturbationibus Antiochiae maximam civitatem, quae est in dioecesi Orientali prima, circumstantibus sub occasione, quia Paulus amabilis Deo episcopatum memoratae habuit civitatis, et multorum urbis ipsius habitatorum, sicut dixerunt aliqui, a catholica Ecclesia sese separantibus, et assiduas interpellationes tranquillissimo et fidelissimo principi nostro ingerentibus, et eorum quae in accusationem ducebantur inquisitionem supplicantibus fieri manifestam. Quae [3]) quidem initium olim sumpserunt, sicut nec directos a vestra sanctitate Deo amabiles legatos latuit, quum in regia degerent civitate, agnoscentes super his omnia. Memoratus ergo amabilis Deo Paulus prodesse sibi hoc existimans, per libellos proprios designatae civitatis desertionem et episcopatus elegit, et universalem [4]) quietem et causis alienationem

146 [1]) Eodem tempore eademque de re, de qua superior, conscripta est. Graeci sermonis simplex et litterae tenacior ideoque inelegans et obscura est ejus interpretatio.

[2]) Ed. add. *episcopus*. Deinde G[1] *multorum urbis ipsius habitatorum sicut ... a catholica ecclesia ēē* (esse) *separantibus* (G[3] *sperantibus*). Quae sanare sine aliorum codicum ope haud confisi, simpliciter reddidisse satius duximus. Quamquam id nobis fere persuasum est, *multorum habitatorum* (loco *multis habitatoribus*) ab interprete genitivi absoluti graeci tenaciore conversum, et loco *esse* sane legendum *sese* (separantibus). Editi ita mutarunt: *multis u. i. habitatoribus ... a catholica sese separantibus;* vix minus obscure. Suspicio est, hoc ita graece dictum esse, ut non se ipsi separarent, sed se injusta episcopi sententia separari quererentur. Narrationem hanc exponere sic liceret: *Multis et non ex parvo temporis spatio perturbationibus Antiochia civitas maxima, quae in Orientali dioecesi est prima, commovetur ea occasione, quod Deo amabilis Paulus memoratae civitatis episcopatum habuit, et multi ipsius urbis cives, inter quos aliqui quod ipsos a catholica Ecclesia separasset conquesti sunt, assiduis libellis interpellarunt tranquillissimum et fidelissimum principem nostrum, obtestantes illum, ut ea de quibus accusabatur inquisitione facta exploraret.*

[3]) Clarius: *Quae quidem non nunc primum sed jam pridem coeperunt, adeo ut nec directos a vestra sanctitate Deo amabiles legatos, quum in regia essent civitate positi, laterent, sed omnia iis comperta essent.*

[4]) Hoc est: *omnimodam quietem, qua a dicenda causa liber evaderet, ipsi episcopali dignitati se praeferre monstravit.* Ibidem ed. *et a causis*, G omitt. *a.*

Digitized by Google

se praeferre monstravit. Quae omnia et amabilem Christo principem (a. 521.)
nostrum manifesta reverentiae vestrae fecisse novimus.

2. Sed nunc omnibus nobis pretiosius, et de quo maxime noctibus et diebus bonum nuntium de his, qui a b[5]) amantissimo principe et a nobis directi sunt ad vestram beatitudinem, Deo amabiles legatos laetos, amicam Deo pacem nuntiantes, et omnia pulchritudine decora unitatem sanctarum ecclesiarum annuntiantes, quam cito ad nos destinare dignemini, ut praesentis causae, sicut saepe scripsimus, sit coeleste lucrum his, qui in celeritate sunt bonae correctionis auctores, beatissime et sanctissime frater. Omnem, quae est cum tua beatitudine in Christo fraternitas, et nos et qui nobiscum sunt multis salutamus annis.

Epistola 147

seu

Relatio episcopi Epiphanii Constantinopolitani.

(a. 521 m. Jul.)

p. 122. *Paulinum defensorem laudat, seque in ecclesiarum redintegratione omnia ex Hormisdae sententia gessisse, sed miti dispositione opus esse significat.*

Domino meo per omnia amabili Deo sanctissimoque fratri et comministratori Hormisdae Epiphanius in Domino salutem.

Paulinus venerabilis[1]) defensor, qui vestram retulit epistolam, ep. 144.
vestraeque sanctitatis virtutes[2]) in se ostendens, cum gaudio nobiscum conversatus, suam sollicitudinem communibus consiliis actibusque contulit. Sed quoniam ad vos festinantem non oportebat eum prolixiore tempore remorari, ideoque reciprocis alloquentes vestram sanctitatem, protegi praefatum virum et vestri[3]) dignum amoris fidelem servum subsistentem commendamus. Erit autem de his, quae a nobis gesta sunt pro vestro animo, et circa sanctas ecclesias sollicitudine quam gerimus vigilare, nobis dignus fide enarrator[4]). Nam nos

---

[5]) G[1] b cc *ab* (G[1] omitt. *ab*) *amantissimo principe et a nobis directi sunt ad* (G[1] *directos ad*) ... *legati* (G[1] *legatos letos*) *amicam etc.* Sic potius resarciendus videtur totus hic locus: *sed nunc omnibus bonis* (non *nobis*) *pretiosius, et de quo maxime noctibus et diebus solliciti sumus, bonum nuntium detis, atque* (non *de his qui*) *ab amantissimo principe et a nobis directos ... et omni pulchritudine decoram unitatem.* Hinc perspicuum est, legatos Johannem Heraclianum et Constantinum, quibus epistolae 137 et sequentes diebus 25 et 26 Martii traditae sunt, necdum ineunte Majo Constantinopolim fuisse regressos, immo nihildum ibi de eorum profectione ab Urbe fuisse compertum.

147 [1]) G[1] *vb*, quod est *venerabilis*. a[1] *vestrae*, b cc *vestrae sedis*. In superioribus epistolis 73, 89 et 105 Paulinus *Romanae defensor ecclesiae* constanter appellatur.

[2]) Ita G[1]. Ed. *virtutem*. Moxque mallemus *ideo* (loco *ideoque*).

[3]) Ceu *utpote fidelem servum vestrum*. Hunc *virum sublimem* appellare Justinianus epist. 89 non dedignatur. Ed. *nostri*.

[4]) Hoc est: idoneus erit ac fide dignus testis, qui enarret, quae a nobis

Digitized by Google

(a. 521.) orationibus vestrae sanctitatis, et[5]) naturalem bonitatem hujus rei respicientes, vigilantissimum habentem studium, et Deo cooperante in plurimis verbum gratiae discurrens sine aliqua obsistentia ad effectum nostram ducit intentionem. Sed quia difficultates aliquae accesserunt, gubernatione utique et miti dispositione ea, quae hic moventur, oportet[6]) competenter exponi, sicut et vestra cognoscit super omnia sanctitas: et quemadmodum oportet eos, qui Dei greges pascere sortiti sunt, universa ad gloriam Dei et agere et moliri,
Rom. 8, 28. spem salutis in eum habentes, et sicut scriptum est: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ea enim, quae vobis placeant, sicut dictum est, sentire quoque et agere nitimur, sanctissime. Omnem in Christo fraternitatem, quae cum vestra est sanctitate, ego quoque et mei plurimum salutamus.

Epistola 148.

Dionysii Exigui ad Hormisdam papam.

Graeco-latinam collectionem canonum, jussu Hormisdae susceptam, a se absolutam p. 12
esse illi nuntiat.

Domino beatissimo papae Hormisdae Dionysius exiguus.

Sanctorum pontificum regulas, quas ad verbum digerere vestra beatitudo de graeco me compellit eloquio, jamdudum parvitatis meae nonnullo studio absolutas esse cognosco. Sed quorumdam supercilium, qui se graecorum canonum peritissimos esse jactitant, quique sciscitati de quolibet ecclesiastico constituto respondere se velut ex occulto videntur oraculo, veneratio vestra non sustinens, imperare dignata est potestate, qua supra ceteros excellit antistites, ut qua possum diligentia nitar a graecis latina minime discrepare, atque in unaquaque pagina aequo divisa tramite utraque e regione subnectam, propter eos maxime, qui temeritate quadam Nicaenos canones credunt se posse violare et pro eis alia quaedam constituta supponere. Quapropter apostolatus vestri jussis obtemperans, omnem veritatem graecorum canonum prout qui fideliter explicui, incipiens a Nicaenis

---

gesta sunt pro vestro desiderio ac voluntate, et quanta vigilemus sollicitudine circa sanctas ecclesias. — Ed. *sollicitudinem.* G[1] *vigilaver.*

[5]) Ed. *ut naturalem* et inferius *decurrens ... ad effectum nostrum ducit et intentionem.* Locus obscurus et intricatus sic potest clarius enuntiari: *Nam orationibus vestrae sanctitatis, quam naturali bonitate hujus rei* (sc. redintegrationis ecclesiarum) *respicimus, vigilantissimum habere studium et Deo cooperante etc.*

[6]) c[6] seq. add. *et.* Antea pro *gubernatione* graece exstitisse videtur οἰκονομίας, hoc est *miti et indulgentiore dispensatione*, quae de summo jure ac disciplinae severitate nonnihil remittit. Quocirca ab Epiphanii mente non recessurum putamus qui legerit: *cum indulgentiori utique et miti ac moderata dispositione ea quae moventur oportet competenter componi.*

Digitized by Google

definitis et in Calchedonensibus desinens. Canones autem, qui dicuntur apostolorum, et Sardicensis concilii atque Africanae provinciae, quos non admisit universitas, ego quoque in hoc opere praetermisi, quia, ut superius memini, ut hos in illa prima digessi translatione, et ut vestra paternitas, auctoritate qua tenentur ecclesiae Orientales, quaesivit agnoscere.

Epistola 149

seu

p. 123. **Ex epistola encyclica Hormisdae papae fragmentum.**

Τοῦ ἁγίου Ὁρμίσδα πάπα Ῥώμης ἐκ τῆς ἐγκυκλίου αὐτοῦ ἐπιστόλης.

Ἐχέτω τὰ ἐν τῇ Χαλκηδονέων συνόδῳ πραχθέντα τὸ ἀσάλευτον, ἐν ᾗ Εὐτυχὴς ὁ δυσσεβὴς κατακέκριται, μίαν φύσιν ἐν τῷ Χριστῷ βουλόμενος εἶναι, καὶ τῆς σαρκὸς ἀρνούμενος τὴν ἀλήθειαν, ἐν Χριστιανῷ δῆθεν προσχήματι τὴν Μανιχαϊκὴν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεισφέρειν πειρώμενος δόξαν. Εἰ γὰρ ἐν τῷ δεσπότῃ Χριστῷ ἀπώλετο τῶν φύσεων ἡ ἀλήθεια, καὶ κράσιν τὸ ἐν ἑκατέρᾳ τῶν οὐσιῶν ὑπέμεινεν ἴδιον, δυοῖν ἀνάγκη θάτερον· ἢ θεότητος λέγειν παρατροπὴν, καὶ τὸ λεγόμενον εἰς κεφαλὴν τῶν οὕτω πιστευόντων τραπείη, ἢ τῆς ἀνθρωπείας ὑπομεινάσης τὸν ἀφανισμὸν, τῇ πρὸς τὸν Λόγον ἑνώσει ἄλλην τινὰ τρίτην οὐσίαν, ὅπερ οὐ θέμις, ἐργάσασθαι. Ἀλλὰ μένει τῶν ἑκατέρων οὐσιῶν τὸ τέλειον, καὶ σώζεται τοῦ τῶν οὐσιῶν ὡς καὶ φύσεων ἔχουσα ἡ ἐνέργεια.

Sancti Hormisdae papae Romae ex encyclica epistola ejus.

Teneant inconcusse, quae in sancta synodo Calchedonensi acta sunt, in qua impius Eutyches condemnatus est, in Christo unam naturam esse volens et carnis veritatem negans, per speciem Christiani videlicet Manichaeam[1]) sententiam in Ecclesiam subintroducere tentans. Si enim in domino Christo naturarum veritas deleta et proprietas utriusque substantiae commixtionem passa, duorum alterum necesse est: aut Deitatis dicere conversionem, et dictum istud in caput ita credentium verteretur; aut humanitate deletionem passa, unitione Verbi aliam quamdam tertiam substantiam, quod nefas est, effectam esse. Sed manet utriusque substantiae perfectio, et servatur operatio quae est substantiarum sicut et naturarum.

---

149 [1]) In his et sequentibus conferre juverit, quae Hormisda simillime epist. 40 n. 2 et 141 n. 5 disputat. Sub finem ἔχουσα loco ἔχουσιν correximus.

Digitized by Google

Epistola 150.

Hormisdae papae ad Caesarium Arelatensem.

1. *Caesarium impense laudat ob erectum puellarum monasterium, cujus privilegia* p. 12
confirmari petierat.
2. *Vetat, ne quis episcopus Arelatensis quicquam sibi vindicet in hoc monasterium praeter sollicitudinem pastoralem.*
3. *Etsi magis probasset monasterium aliunde quam ex bonis ecclesiae dotari, concessiones tamen eidem factas confirmat.*

Dilectissimo[1]) fratri Caesario Hormisda.

1. Exsulto in Domino, dilectissime frater, et indesinenter exsulto, ita apud te religiosae studium vigere reverentiae, ut indefessae sollicitudinis continuatione pervigiles, quatenus in Ecclesia Dei quicquid ad cultum ejus pertinet, novis quoque profectibus augeatur, et de cetero non aliquid satis officio putes, nisi semper adjunxeris. Est tibi fideli cura specialis[2]) infixus propositus, et unde
Psalm. 70, 11. amabilis Deo propheta, quum diceret: *Ego semper in te speravi, Domine,* devotionem hanc sibi non credens suffecisse, subjunxit: *Et adjiciam super omnem laudem tuam.* Amor verus non est solitus esse contentus obsequiis; et defectum sui caritas putat, nisi fervor dilectionis exaestuet. Videat licet inhaerentem praecordiis fidem ut secretorum speculator et cognitor Deus, non tamen dispensationem suam
Matth. 10, 27. patitur occuli aut thesaurum suum citra incrementum celari: jubet cultores suos arcanam reverentiam in aperto producere, et laudem suam personanti exsultatione cantare. Haec ideo, quia in Arelatensi ecclesia super clericorum et monachorum excubias consuetas puellarum quoque Dei noviter[3]) choros instituisse te directis litteris indicasti, poscens, ut in praefato puellarum monasterio a te nuper condito nullam potestatem successores quandoque tui habere penitus

---

150 Perperam hic praemittitur *Paulinus:* quod mendum ex imperitia lectoris ortum existimo, quia quum Christi monogramma pontificiis diplomatibus non raro praeponi solitum vidisset, pro littera graeca *P.* Paulinum compendio scriptum opinatus est. (*Mabillonius* lib. 2 annal. Bened. n. 20.) Aliam interpretationem praebet Labatus conc. Gall. I, 879.

[2]) Forte *et speciali infixus ac propositus exinde amabilis Deo propheta, qui quum diceret.*

[3]) Caesarium ex ipsius vitae libro 2 n. 35 et 36 vita functum esse discimus anno aetatis suae 73, pontificatus sui anno 40, a constitutione monasterii puellarum lapsis annis plenariis 30. Mabillonius autem notis in vitam praedictam act Bened. tom I p. 677 sancti praesulis obitum anno 542 illigandum censet Ex quo sequitur, ut monasterium puellarum anno 512 conditum ab illo fuerit. Si itaque ad annum 515, quo Hormisdae ad Caesarium habemus epistolam mense Septembri datam, in qua idem papa jam ad eum scripsisse se memorat, illud privilegium referatur, stabit veritas dicti, quo monasterium *noviter institutum ac nuper conditum* nunc praedicatur. Quamquam haec vocabula angustiores latiores ve terminos saepe apud antiquos patiuntur.

Digitized by Google

permittantur: quatenus sacratae Deo virgines ab omni inquietudine vel molestia absolutae, omnipotenti Deo liberis mentibus valeant jugiter famulari.

2. Digna providentia sacerdotalibus institutis, ad pudicitiam decantandam Deo corda compungere, et sacro cultui de illis seminibus mysticis fructum virginitatis offerre. Hoc esse summum votum suum in illis voluminibus sacris declaravit apostolus dicens: *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quamobrem petitionibus fraternitatis tuae annuentes, apostolica auctoritate firmamus atque decernimus, ut nullus episcoporum, successorum quoque tuorum, in antedicto monasterio audeat sibi potestatem aliquam penitus vindicare, nisi tantum pro Dei intuitu pastoralem[4]) sollicitudinem gerens, familiam Christi Domini ibidem positam congruis quibusque temporibus, juxta quod condecet, sincero animo cum suis clericis studeat visitare. Tum denique aequum est, ut parili devotione uterque sexus locis sibi congruis consistens, Dei gloriam concinat, sicut stabili atque plenissima fide uterque spem redemptionis exspectat. 2 Cor. 11, 2.

3. Quod autem venditionem a[5]) dilectione tua donationemque in monasterio earumdem puellarum Dei ante factam nostra postulas auctoritate roborari, sperans, ut ecclesiasticorum alienatio praediorum non praesumatur in posterum, nostris interdicta decretis[6]): probamus propositum tuum, et desiderium in tantum fatemur esse laudabile, ut gaudeamus vobis quoque eadem non licere. Sed non oportuit distrahi, quod ecclesiae servituris de ecclesiae substantia ratio suadebat prorsus emptione concedi. Boni operis fructum decet esse gratuitum. Exspectanda est recti studii merces potius quam petenda, ne per utilitatem venditionis imminuatur remuneratio caritatis. Confirmamus tamen circa monasterium virginum a vobis vel

---

[4]) Hic intelligendum, quod Caesarius in testamento suo praecipit, ut scilicet idem monasterium *sub potestate Arelatensis pontificis canonice sit.* De qua potestate canonica fusius disserere non est hujus loci.

[5]) Ita legendum omnino videtur, non ut hactenus *ad dilectionem tuam.* Hinc et infra habetur *a vobis* (non *ad vos*) *venditum vel donatum.* Venditionem hanc excusare, et monasterio impensam collationem ratam facere studuit Caesarius in suo testamento, ubi et quidquam eorum, quae puellis a se collata sunt, auferri prohibet, *quia,* inquit, *Deo propitio non sine discretione et justitia quibuscumque saecularibus jure directo res ecclesiae vendimus, nisi hoc quod ecclesiae minus utile et infructuosum est*; et vult, ut *quod animabus sanctis et Deo servientibus cum sanctorum fratrum consensu vel subscriptione tribuimus, perpetuo illis jure permaneat.* Vide concilium Agathense can. 7 et 45.

[6]) Scil. tum Hilari papae epistola 8 n. 7 ad episcopos diversarum provinciarum Galliae, Gelasii fragmento 23, ac Symmachi epistola 15 n. 2 ad ipsum Caesarium. Addit tamen Symmachus ibidem: *nisi forsitan aliquid religionis intuitu monasteriis fuerit largiendum.* Vide ejusdem epistolam 6 seu decretum ab eo in synodo Hormisda praesente editum n. 5 sq.

Digitized by Google

venditum vel donatum, et sub eadem via alienationem ecclesiasticorum praediorum decretis praesentibus exhibemus[7]). Quod per sacerdotes omnes ad caritatis vestrae dioecesim pertinentes sub vestra dispositione perferte[8]); aequum est enim, ut quae salubriter ordinantur, generaliter obediant. Deus te incolumem custodiat, frater carissime![9])

Marcellus episcopus relegi et consensi. Johannes consensi et subscripsi. Severus consensi et subscripsi. Cyprianus relegi et consensi. Contumeliosus episcopus relegi et consensi. Montanus episcopus relegi et consensi. Petrus in Christi nomine relegi et consensi.

APPENDIX[1]) EPISTOLARUM S. HORMISDAE PAPAE.

Epistolae ad Hormisdam diaconum.

Epistola 1.

Ennod. ep. IV, 34.

Ennodius Hormisdae.

Postquam votiva mihi necessitas vestra beneficio proximitatis desiderii coepit spondere effectum, animo ad longiora transiistis; et

---

[7]) c[11] ad marg. „forte *inhibemus*", quum e contrario hisce conditionibus alienatio illa ab Hormisda concedatur ac rata habeatur.

[8]) Id consentaneum est decreto, quo Hilarus papa in epistola ad episcopos Galliae n. 7 cavit: *ne praedia quae ad ecclesiam pertinent aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur*, adeo ut saltem post alienationem suppleri voluerit Hormisda, quod *prius* fieri debuerat Ejus autem voluntati Caesarium paruisse subscriptiones subnexae fidem faciunt. Quocirca pio illi praesuli in testamento suo dicere licuit, id egisse se *quod sancti papae urbicani suasit auctoritas*. Unde et subscriptiones episcoporum, a Labato in dubium vocatae, optime toti epistolae conveniunt.

[9]) Apud Bollandum sequuntur subscriptiones 7 episcoporum Galliae, quae quum in aliis regulae Caesarii exemplaribus, in quibus deest epistola, inveniantur, non epistolam sed regulam spectare ejusque confirmationem continere a Labato censentur.

[1]) Ut hoc loco productis epistolis Romanorum pontificum simul totam vitam illorum illustraremus, eorumdem si qua invenire erant scripta ante susceptum pontificatum concepta, eodem ordine exhibuimus. Simili ratione etiam hic plures epistolas Ennodii ad Hormisdam diaconum missas ex editione Sirmondi (Op. var. I, 801 ss.) repetere operae pretium duximus, videlicet illius epistolarum IV ep. 34, l. V ep. 13, l. VI ep. 33, l. VII ep. 12, l. VIII ep. 33 et 39, l. IX ep. 5 Quas etsi in lectoris commodum continuatis numeris, tamen pro appendice quodam adjiciendas rati sumus, quippe omnes non nisi private scriptae, nihil causam universalis Ecclesiae tractant. Quamquam et ipsae pro historia Hormisdae et ipsius Symmachi haud parum conferunt.

Digitized by Google

quum Liguriam pene manu contingit, linguam feriis deputastis. Minus licuit absentiae, dum sanctitatem vestram prolixa viarum intervalla tenuerunt: pensabat confabulatio dispendia visionis, et in remediis provisa diligentiae litterarum commercia praestabantur, per quae officia inter habitatione discretos nil peribat affectui. Sed credo eligitis amicis difficiliora tribuere: non putantes beneficium, si pascar in tanta vicinitate colloquiis. At ergo casum meum versa aestimatione suspiro, ne beatitudo tua retulerit ad judicium, quod exhibuit blandimentis; dum quod praecessit, adscribit tempori, non amori. Facessat a nostro in amicitiis frons picta proposito! Nos ad hanc fabricam nulla praecedentium studiorum lima composuit: nudam scimus ad conjunctionem afferre concordiam, urbanitatem inter caros ut venena respuimus. Ergo, mi domine, salutationem accipiens, amantem tui in hac potius parte sectare, et ut culturam fidei per frequentiam sermonis impendas, et ex secreto pectoris infucata exspectanti verba concedas. Vale.

Epistola 2.

Ennodius Hormisdae.

Ennod. V, 13.

Scimus religiosi sacramenta propositi ab obnoxia peccatis multitudine innocentia et fide separari, et titulos venerabilis officii mores potius insignire, quam corpora. Quis bonum conscientiae inter homines quaerat, si mundi adhibenda est circa pontificum statuta necessitas, si sacerdotum promissio circumspecta cautione servabitur? Nunquam habuit in affectu constantiam, cui facere aliud de pollicitatione non licuit. Saeculi conversatio legum metu retinetur: Dei famulos quod bonum est exhibere convenit non formidini, sed amori. Dudum dum nobis metus instaret, et de clementia pii regis dubio meritorum aestimatione penderemus incerto, camelos tot dandos domno papae[1]) tali reverentiae vestrae conditione tradidimus, ut si nobis animalia ipsa non essent necessaria, justum pro ipsis pretium mitteretur. Et quia novit optime sanctitas vestra, nos, dum potuimus, per allegationem tuam utilitates sanctae Romanae ecclesiae sublevasse, nunc pro vicissitudine facite de veritate beneficium. Quaesumus etiam salutatione praefata, ut quid super hac parte deliberatio vestra habeat, indicetis: quia credimus, nec praefatum sedis apostolicae praesulem nec vos, qui mediatores exsistitis, aliud cogitare, nisi quod et proposito et justitiae sine dubitatione conveniat.

2. [1]) Haud dubie Symmachus papa ibi dicitur, cui Ennodius noster praeprimis inter schismatis certamina omnibus modis servire studuit; conf. Ennod. epist. III, 10, VI, 16 et 33, lib. apolog. pro syn. Rom. IV, et supra int. Symm. epist. 7, 9, 18—24.

Digitized by Google

Epistola 3.

Ennod. VI, 33.

Ennodius Hormisdae et Dioscoro.

Scio conscientiam religiosam grande aestimare compendium, si praestandi nascatur occasio, his maxime, quos devotos exstitisse meminerunt. Ergo quamvis prima reverentiae vestrae causa sit scripta mittendi, et utilitatis allegatio sit subjicienda diligentiae: attamen anxius animus saepe necessaria praeponit affectui. Retinet fraternitas vestra, domnum papam de expensa, quam episcopus meus apud Ravenam pro ejus utilitate me spondente fecerat, restitutionem fuisse pollicitum. Sed actum est, ut vix ad vos dirigendi praestaret inducias: et de mea sibi satisfaciendum esse substantia protestatur. Nunc quia grandis summa non est quae reposcitur, et summum est beneficium, me ab ingratitudine ejus, quae videtur justa, subtrahere: ordinate quod vobis retributio superna compenset. Domine mi, salutem abundantissimam reddens, Deum quaeso, quo animis vestris, quod me sublevare possit, inspiret. Ego autem adfui partibus meis, qui cum contestatione moeroris per paginas indicati direxi fidelissimum perlatorem, qui nobis perferenda sine imminutione suscipiat.

Epistola 4.

Ennod. VII, 12.

Ennodius Hormisdae diacono.

Nullus remaneret imperitis locus veniae, si plura loquerentur: sola brevitas commendat indoctos. Supra errorem est prolixa narratio rusticantis: quando ab ignaro extortum fuerit, quod diu legatur, sibi rancorem suum debet exactor. Quisquamne hominum in longum vult fastidienda procedere, et nullo sapore condita breves terminos non habere? Romana hoc, frater, et nimium artifici subtilitate flagitasti. Sed nos contra fabricatos munit simplicitas nullis colorata praestigiis. Etenim quamvis me delenifica epistolae tuae oratione produxeris, mei immemorem non fecisti. Scio artare paginam, cujus pretium promulgator intelligo. Noveris me tamen meis partibus non deesse, quamvis vocet in medium et urbanus et clericus. Sed quid produco paginam, cujus superius angustiam pollicebar? Haec mihi cum amante concertatio, talis fructus est litterarum. Domine mi, salutem uberrimam dicens precor, ut Dei nostri tribuente misericordia, crebro salutem vestram votivis mihi, dum meam quaeritis, nuntietis affatibus.

Epistola 5.

Ennod. VIII, 33.

Ennodius Hormisdae diacono.

Et quod es, miseratione ornatur, et quod futurus es, pietate conquiritur, et diaconum his studiis extulisti, cujus rei promittit

Digitized by Google

cura pontificem. Praesentium bajulus, honestus moribus, natura sublimis, gemini solatii orbatus praesidio, Romam pro honestis artibus, licet peregrinaturus, expetiit. Vide, si mereantur a religioso, bene nato, locupleti juvari ista, quae praetuli. Nunc officio salutationis exhibito rogo, ut si me, si bonam quam coëmisti opinionem diligis, impensis portitor adulescat auxiliis.

Epistola 6.

Ennodius Hormisdae diacono. Ennod. VIII, 39

Si dignatio circa me promissa duraret, assereretur frequentia litterarum. Vix respiciunt humiles, quos ad arcem eventus prosper evexerit. Grave est, si spes secundarum rerum caritatis nexus incidat: non debet praejudicare diligentiae, cui secundum vota blanditur. Si tamen aliquid circa me gratiae custoditis, si vivit amoris polliciti scintilla, Beatum commendo nobilissimum adolescentem praesentium portitorem; cui justum est, ut consideratione mei et parentem beatitudo vestra impendat et patriam. Esto specialis tutor, omnium mox futurus! Domine frater, salutationis humilitate depensa rogo, ut sub celeritate, quam bene valeatis, scriptione signetis.

Epistola 7.

Ennodius Hormisdae diacono. Ennod. IX, 5.

Coelestis dispensatio epistolaribus beneficiis junctos caritate consociat: dum quos discernit itinerum prolixitas, in remedio sollicitudinis jungit affectio, si sit cura sermonis. Silentium tamen vestrum nimis admiror, quod post depositae sarcinas aegritudinis nulla me allocutione sublevastis. Sed quia loquendo opportune cogimus ut loquaris, vel garruli imitatione responde. Bene enim res desiderii et poscitur et impetratur exemplis. Ergo honorem salutationis impendens, indico me Deo propitio jam valere: supplicans, ut vicaria mihi styli promulgatione benedicas.

Notitia

epistolarum non exstantium, quae ad s. Hormisdam papam attinent. [Ed.]

I.

a. 514 *mox post d. XXVII Julii. Hormisdae papae ad Caesarium Arelatensem ordinationis suae indices.*

Codice Regio Parisiensi 3849 fol. 21 hoc profertur fragmentum: *Dilectissimo fratri Caesario Hormisda. Quamvis ratio exigat, ut fraternitati tuae nostri sacerdotii primitias nuntiemus tamen Dei beneficia tacere.* Quibus satis palam fit, Hormisdam ibi Caesario Arelatensi pontificatus sui initia nuntiasse, idque mox post susceptam ordinationem, i. e. post d. XXVII Julii a. 514, factum esse consentaneum est.

Digitized by Google

II.

a. 514 *temp. autumn. Caesarii Arelatensis ad Hormisdam pro confirmatione fundationis monasterii puellarum petitio.*

Directis ad Hormisdam litteris sanctus Caesarius indicavit, se *in Arelatensi ecclesia super clericorum et monachorum excubias consuetas puellarum quoque Dei noviter choros instituisse*, poscebatque, ut *in praefato puellarum monasterio nullam potestatem successores quandoque* ipsius *habere penitus permitterentur: quatenus sacratae Deo virgines ab omni inquietudine vel molestia absolutae omnipotenti Deo liberis mentibus valerent jugiter famulari.* Simul ibidem postulavit, ut pontifex *venditionem* ab ipso *donationemque in monasterio earumdem puellarum ante factam* sua *auctoritate* roboraret, adjiciens, se *sperare, ut ecclesiasticorum alienatio praediorum non praesumeretur in posterum sedis apostolicae interdicta decretis* (Horm. epist. 150 n. 1 et 3). De tempore, quo scripta haec epistola, nihil certi statui potest. Quum tamen monasterium illud puellarum jam circa annum 512 a Caesario conditum sit (conf. epist. 150 not. 3), mox post acceptas ab Hormisda ordinationis indices exemptionem et confirmationem istam petitam esse verisimile est.

III.

a. 514 *d.* 28 *Dec. Vitaliani magistri militum ad Hormisdam de mittendis ad synodum Heracleensem legatis preces.*

Ut rebus in desperatis Anastasius juraverat, concilium Heracleense saltem fraudulenter agitare coepit, suasque sacras Romam mittendas, quibus papam ad illud invitaret (Horm. epist. 1), Theophane chronogr. pag. 138 (Bonn. 248) teste, ipsi Vitaliano tradidit. Qui *accepta ab imperatore licentia suos ad papam homines destinavit*, qui simul proprias ejusdem litteras Romam pertulerunt. Ibi Vitalianus aperte declaravit, sibi ad id *licentiam ab imperatore datam*, simulque ab hoc addictum esse, ut, *si speraret a beatissimo papa ut pro causis talibus apud eum discussionem causae, his personis, quibus de loco posset esse intentio, integra omnia servarentur* (Horm. epist. 7 n. 3 et 5). Ut igitur pontifex ne ad concilium venire dedignaretur, institit. Quae epistola eadem qua Anastasii (Horm. epist. 1) legatione transmissa, eodem quoque tempore, i. e. V Cal. Januarii a. 514, data esse apparet.

IV.

a. 514 *d.* 28 *Dec. Episcoporum Dardanorum, Illyricorum et Scytharum ad Hormisdam pro impetranda communione legatio.*

Hormisda a. d. III Idus Septembres a. 515 ad Caesarium Arelatensem scribens (Horm. epist. 9 n. 2), *episcopi*, ait, *tam Dardani quam Illyrici pene omnes nec non Scythae errorem damnando praeteritum, petentes beati Petri apostolorum principis communionem, et scriptis et legationibus destinatis se apostolicae sedis regulis obedire confirmant.* Simul adjungit, anathematizari nunc ab illis *Nestorium ...*, *Eutychen ...*, *Dioscorum Alexandrinum ...*, *Timotheum Aelurum*, *Petrum Alexandrinum et Petrum Antiochenum;* quod utique anathema scriptis illorum directe insertum fuisse credendum est. Porro per *Scythiam* ibi notari Scythiam Ponticam ad provinciam Thraciam pertinentem, recte Coustantius ad epistolam 9 notat. Legationem autem illam eodem tempore, quo Vitalianus, et ipse *Thrax* vel *Scytha* dictus, *suos ad Hormisdam homines destinavit* (Horm. epist. 7 n. 3), i. e. die 28 Dec. anni 514 aut certe paulo post, factam esse, haud temere conjiciemus. Nec levis suspicio adest, ad eamdem pertinere, quod Theophanes chronogr. p. 250 ad a. 508 (i. e. 516) in hunc modum refert: *episcopo Thessalonicensi ob imperatoris metum cum Timotheo Constantinopoli-*

Digitized by Google

tano episcopo communionem tenente, quadraginta Illyrici Graeciaeque episcopi una convenientes tabulis etiam testibus professi sunt, ab eo velut a proprio metropolita se discedere, missisque Romam tabulis Romani pontificis communionem observare polliciti sunt. Quod etiam magis Hormisdae epistola 22 n. 4 confirmatur (conf. infra n. XI).

V.

a. 515 *initio. Theodorici Gothorum regis ad Hormisdam pro mittendis in Graeciam legatis intercessio.*

Secundum librum pontificalem Hormisda legationem in Graeciam misit *cum consilio regis Theodorici.* Similiter Theophanes chronogr. pag. 138 (ed. Bonn. p. 248) illum legatos Ennodium et socios misisse ait *sollicitatum a Theudericho, qui Vitaliano favebat.* Unde hunc regem Ravennae habitantem propria legatione missa apud pontificem postulata Vitaliani adjuvisse conjicere est. Immo et ipsum ad synodum Heracleensem legatum Agapitum direxisse, ex ejus epistola (ap. Cassiodor. Variar. II ep. 6) comperimus.

VI.

a. 515 *initio Julii. Hormisdae synodus Romana pro instructione legatorum Constantinopolim mittendorum.*

De legatione Ennodii et sociorum in vita Hormisdae liber pontificalis ita refert (Migne patr. lat. CXXVIII col. 473 sq.): *Eodem tempore ex constituto synodi misit in Graeciam, humanitatem ostendens sedis apostolicae.* Nec ambigendum est, quin pontifex, quum inopinata spes schismatis inveterati exstinguendi arrisisset, statim morem decessorum suorum secutus sit, ut pro componenda re illa gravissima synodum Romam convocaret. Ex collatis hoc modo consiliis legatio illa instituta est, quam d. 11 Augusti a. 515 Hormisda instruxit et imperatori praesentavit (ep. 7 et 8). Quum autem jam d. 8 Julii huic ipsi eamdem nuntiarit (epist. 6), suspicio adest, jam tunc synodum illam congregatam fuisse et ipsius nomine pontificem dicta scripta direxisse. Nam consuetudinem obtinuisse, ut quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas synodus conveniret, papa solus synodicas litteras subscriberet et transmitteret, apertis verbis synodus Felicis II (Fel. II epist. 11 n. 4) docet.

VII.

a. 515 *d.* 11 *Aug. Hormisdae ad Vitalianum pro adjuvanda apud imperatorem unitate ecclesiastica intercessio.*

Hormisda legatis suis Ennodio et Fortunato episcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono et Hilaro notario, quos propter petitam synodum Heracleensem ad Anastasium imperatorem direxit (Horm. epist. 8), etiam litteras ad Vitalianum magistrum militum dedit, cujus opera totum illud fidei negotium incoeptum erat. Quae, sicut in legatorum indiculo (Horm. epist. 7 n. 3) dicitur, *nihil aliud habebant nisi preces ad imperatorem directas, ut ipse accommodaret animum pro unitate Ecclesiae: ut constituta patrum non corrumperentur, ut haeretici de ecclesiis removerentur.* Quare illas eodem die, quo ad imperatorem litterae (epist. 8) signatae, i. e. die 11 Augusti anni 515, datas esse patet.

VIII.

a. 515 *die* 11 *Sept. Hormisdae papae ad Avitum Viennensem de Graecorum conversione litterae a pari datae.*

Avitus Viennensis ad Hormisdam scribens (Horm. epist. 21), quum aperte illius epistolam 9 notet nunc quidem *Caesario vel his qui sub ejus ordinatione consistunt* inscriptam, eam etiam ad se ipsum a pontifice directam ponit. *Vien-*

Digitized by Google

nensem provinciam, ait, *superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem meam litteris visitastis, quae ad me, secundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatensis ecclesiae clericos pervenerunt.* Unde illas litteras ad Caesarium directas etiam a pari ad Avitum Viennensem datas esse, haud dubium est. Si autem Bencinus notis in Anastasium bibliothecarium (Migne patr. lat. CXXVIII, col. 482) easdem litteras encyclicas fuisse putat, quibus episcopi Occidentales ad celebrandas contra schisma Graecorum synodos provinciales admoniti sint, atque ejusmodi synodos revera ubique celebratas et earum constituta deinde in synodum Romanam quasi confluxisse addit, magis ingenium suum quam res gestas narrat.

IX.

a. 515 *temp. autumn. Possessoris episcopi Africani ad Hormisdam fidei suae contestatio.*

Possessor episcopus Africanus, pro fide catholica Constantinopoli degens, legatos apostolicae sedis primo illuc missos non solum solertia sua omni ex parte adjuvit, sed iis remeantibus etiam *libellum de confessione rectae fidei* ad pontificem dedit. In quo hic, III Nonas Apriles a. 517 rescribens (epist. 31), diserte *sinceritatem* illius extollit, *quia quod recte credidit, sub attestatione publica praedicare non distulit.* Libellum ipsum autem remeantibus legatis, i. e. circa finem vel ante hiemem anni 515 (conf. epist. 11), conscriptum esse, manifestum est.

X.

a. 515 *temp. autumn. Episcoporum Orientalium orthodoxorum ad Hormisdam fidei suae et calamitatum quas pro hac patiebantur contestatio.*

Ni fallimur, Ennodius et socii a prima legatione redeuntes ab episcopis orthodoxis Orientalibus, quorum haud dubie non parvus numerus ipsa in Constantinopoli versabatur, litteras ad Hormisdam detulerunt, quibus iidem et fidei suae fervorem et varias quas patiebantur procellas exponebant, pontificisque et preces et opem efflagitabant. Saltem Hormisda, quum secunda legatione missa illos de ejusmodi rebus speciali epistola (Horm. epist. 30) consoletur, se illorum dilectionem circa Deum litterario sermone *remunerare*, spem paginali adhortatione confirmare et illis jucundum caritatis *reddere* testimonium significat (epist. 30 n. 1). Ac vix credendum, episcopos illos pro fide confessores tali data occasione non usuros fuisse, ut communem patrem et consolatorem proprio sermone alloquerentur. Ceterum simillima illarum regionum conditio jam in Gelasii epistola 43 ac deinde im Hormisdae epistolis 39 et 40 nobis occurrit.

XI.

a. 516 *ante mens. Sept. Dardaniae et Illyrici ad Hormisdam ut sibi episcopi ordinarentur petitio.*

In epistola 22 ad Avitum Viennensem Hormisda inter illa, quae ipsius animum laetitia adimplerent, praeprimis Thracum, Dardanorum et Illyricorum constantiam effert. Ubi, quod jam epist. 9 (d. 11 Sept. a. 515) de illorum conversione nuntiaverat, quodammodo persecutus, *Thraces, licet persequentium incursibus atterantur, in sedis apostolicae tamen communione persistere* memorat. *Dardania et Illyricus vicina Pannoniae*, deinde pergit, *a nobis, quod jam fecimus ubi necessarium fuit, ut sibi episcopi ordinarentur, expetiit.* Ibi quidem de alia legatione illarum regionum, quam quae supra n. IV memorata, agi haud dubium est, quum jam constantia fidei antea promissae quodammodo praedicetur. Sed et tempus, quo id factum, aliquatenus innuitur. Nam illis exemplis quasi argumenta nectit, quibus legationem Graecorum per Theopompum et Severianum die 16 Julii a. 516 directam (Horm. ep. 11 et 12) fraudulentam et contra promissorum

Digitized by Google

sinceritatem esse probet. Ibique haec ipsa exempla ordine quodam chronologico producere plane videtur. Quare quum statim postea legationem episcopi Nicopolitani et synodi Epiri ad se mense Septembri ejusdem anni 516 factam (epist. 15 et 16) addat, consentaneum est, illas Dardanorum et Illyricorum preces, quibus episcoporum suorum ordinationes a schismatico episcopo Thessalonicensi ad sedem apostolicam transferebant, mense circiter Augusto Romam perlatas esse.

XII.

a. 516 *c. fin. Johannis Illicitani ad Hormisdam de itinere suo Romano quod intendebat nuntius et de variis causis ecclesiasticis consultatio.*

Variis de schismate Graecorum et conservanda ecclesiae Hispanae disciplina curis agitatus, Johannes Illicitanus ipse sedem apostolicam adire et ejus vivum oraculum consulere voluit. Jamque, ni fallor, *adventum ad Italiam suum directis litteris*, quibus *quae in ipso esset summa religiosae voluntatis ostendebat*, pontifici indicarat, quum aliqua causa ab incoepto suo praepeditus est. Misit igitur per Cassianum diaconum apices, quibus frustratum propositum suum nuntians, voti sui apud illum particeps fieret. Ubi expressit, se summopere *cupere ea, quae ad regulas patrum pertinerent et ad mandata catholica, sine aliqua transgressione servari*, quumque *contra canonum reverentiam nonnulla praesumerentur, se sperare, ut Hormisda prorogatis generalibus ad Hispanienses ecclesias constitutis, quae aut negligentius aut irreligiosius fiunt, ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciret* (Horm. epist. 24 n. 1, 25 n. 1). Simul ibi Hormisdam consuluit, *quo ordine ex clero Graecorum venientibus tribui deberet sancta communio, propter causam scilicet Acacii a decessoribus* illius *pro haereticorum communione damnati, in qua ii quoque, qui se ab ejus communione non dividunt, a sedis apostolicae communione haberentur excepti* (Horm. epist. 26 n. 1). Responsum a pontifice meruit epistolis 24, 25 et 26, datis die 2 Aprilis a. 517. Unde etsi prior nuntius jam tempore autumnali a. 516 Romam missus fuerit, alter vix ante mensem Februarium a. 517 directus est. Quamquam ex verbis Hormisdae non plane patet, num duplex omnino, an una potius ad ipsum ab Johanne legatio destinata sit.

XIII.

a. 517 *circa initia. Johannis Nicopolitani ad Hormisdam de molestiis quas pro fide patiebatur contestatio.*

Remeante Pullione diacono, qui nuntio synodi Epiri revertenti ab Hormisda die 19 Novembris a. 516 additus erat (Horm. epist. 20), Johannes Nicopolitanus ad pontificem litteras destinavit, quibus ipsius *constantia fidei et intentio, quam circa communionem sedis apostolicae gereret*, luculenter significabatur, simulque nuntiabatur, illum *aliquas sustinere molestias*, et Hormisda petebatur, ut *ad imperatorem clementissimum pro generalitatis quiete preces mitteret*. Quibus quum Hormisda jam die III Martii a. 517 respondeat (epist. 23), eas circa initia anni 517 datas esse patet.

XIV.

a. 517 *m. Martio (accepta inter d.* 3 *et* 12 *April). Johannis Nicopolitani et alia synodi Epiri veteris ad Hormisdam contra Dorotheum Thessalonicensem conquestio.*

Quum secundo Ennodius in Orientem profectus esset, Nicopolitanus diaconus Romam advenit, Johannis *episcopi sui* et *synodi ecclesiae subjacentis* (i. e. Epiri veteris) *epistolas deferens*, quibus illi querebantur, *ab episcopo Thessalonicensi excitatas adversus se tam principales quam judiciarias potestates: concussionibus et dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua*

Digitized by Google

ad episcopum (scil. Thessalonicensem) *relationem secundum prisca exempla non miserint.* Pro qua causa *speraverunt, ut* Hormisda *de remedio cogitare deberet, consulentes etiam, utrum ipse daret eis licentiam relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi* (Horm. epist. 33, 35 n. 2 et 3, 36 n. 1). Haud dubie tota querela illa inde exorta est, quod orthodoxi Dardaniae et Illyrici, ut supra n. XI vidimus, ab a. 516 ordinationes episcoporum suorum a metropolita suo Thessalonicensi schismatico ad sedem apostolicam transtulerant. Statim pontifex non solum legatis suis aptas instructiones (epist. 33 et 34) misit, sed etiam imperatorem Anastasium (epist. 37) ipsumque Dorotheum Thessalonicensem (epist. 36) de causa illa adiit, haud omittens, quominus et Johannem et synodum ejus propriis litteris (epist. 35) consolaretur. Quae omnes epistolae *pridie Idus Apriles* a. 517 datae sunt, quum legati demum *III Nonas Apriles* (conf. Horm. epist. 27 seq.) profecti essent. Quare nihil dubium est, quin scripta illa Johannis et synodi ejus Romae inter dies 3 et 12 Aprilis a. 517 tradita, ac mense circiter Martio confecta sint.

XV.

a. 517 *die* 3 *April. Hormisdae ad orthodoxos Orientales contestationes secretae numero XIX.*

Ennodius Ticinensis et Peregrinus Misenas secundo ad Anastasium Constantinopolim missi, libro pontificali teste illuc portaverunt *epistolas confortatorias fidei et contestationes secretas numero XIX et textum libelli, in quo libello noluit consentire Augustus Anastasius.* Plures hujus legationis epistolae supersunt, quas *confortatorias* appellare licet, quales sunt inter Horm. epist. 27—32, datae d. 3 April. a. 517. Nec *libellus* ille fidei deperiit, quem jam priori legationi Hormisda tradiderat quemque invenire est in Horm. epist. 7 n. 9, 26 n. 4 et 61 n. 2. Solae illae *contestationes secretae numero XIX*, quae nimirum a pontifice legatis traditae sunt, ut, si iterum statuta sedis apostolicae palam praepedirentur, clam per Orientem spargerentur, deperierunt. Ejusmodi formae exemplar prostat in illa contestatione Eusebii tunc scholastici postea Dorileensium episcopi contra Nestorium proposita, quae inter acta concilii Ephesini part. I vulgata (Hard. I, 1271). Ceterum *legati,* ut deinde prosequitur liber pontificalis, quum ab imperatore *in navim periculosam* sub certa custodia reducendi impositi essent, *secretius suprascriptas epistolas fidei XIX per manus monachorum orthodoxorum exposuerunt per omnes civitates. Quas tamen epistolas episcopi civitatum, qui erant complices Anastasii Augusti, timore omnes pro crimine Constantinopolim direxerunt.* Unde jam nec mirari adest, cur illae deinceps prorsus delituerint.

XVI.

a. 518 *m. Augusto. Johannis Constantinopolitani et episcoporum catholicorum Constantinopoli congregatorum ad Hormisdam pro concordia ecclesiarum litterae.*

Scribit Justinus imperator VII Idus Septembres a. 518, *Johannem* Constantinopolitanum *et ceteros viros religiosos episcopos de diversis locis et civitatibus illic repertos docuisse, pro concordia veram et orthodoxam fidem colentium proque unitate venerabilium ejus ecclesiarum litteras* se Hormisdae *offerendas confecisse* (Horm. epist. 42). Quae litterae jam desiderantur, nisi forte Johannis Constantinopolitani epistola die 20 Decembris a. 518 a pontifice accepta (Horm. epist. 43) pro illis sumatur. Quum illi ipsi episcopi ab imperatore quoque *epistolares paginas* efflagitarint, et Justinus iis misso Grato sacri consistorii comite VII Idus Septembres a. 518 satisfecerit (Horm. epist. 42), nescio an dictae litterae initio mensis Septembris aut potius fine mensis Augusti anni 518 post-

Digitized by Google

dae sint. Plura acta hujus ipsius synodi videsis in conc. Constantinop. sub Mena act. V (Hard. II, 1317 ss., Mansi VIII, 1037 ss.).

XVII.

a. 518 *post d.* 7 *Sept. (accepta initio Februarii a.* 519*). Justiniani domesticorum comitis ad Hormisdam de capessenda unitatis reconciliandae opportunitate iterata admonitio.*

Justinianus domesticorum comes, fidei catholicae ardore incensus, satis non habuit, per Gratum avunculi sui imperatoris legatum die 7 Septembris a. 518 pontificem pro reconcilianda pace adiisse (Horm. epist. 44). Mox proprium tabellarium misisse videtur cum *litteris sanctae fidei plenis*, quibus iterato et quasi privatim *ad exercendam in Oriente praedicationis apostolicae firmitatem opportunitatem* illi *provenisse divinitus nuntiavit.* Simul ibi institit, ut Hormisda *ad solidandam sub apostolicae dispositionis ordinatione concordiam* certos *viros dirigeret,* et munus beato Petro addidit (Horm. epist. 57 n. 1 et 2). Quum in responso suo (epist. 57 n. 2) pontifex se jam ejusmodi viros direxisse significet, id quod exeunte mense Januario a. 519 factum est (epist. 46—56), epistola illa Justiniani paulo post, ineunte mense Februario, Romam pervenisse et dictum responsum meruisse putanda est.

XVIII.

a. 518 *eod. temp. Johannis Constantinopolitani ad Hormisdam de fide sua et pace ecclesiarum contestatio.*

Simili consilio ductus, forte eodem Justiniani tabellario usus, Johannes quoque Constantinopolitanus episcopus ad Hormisdam litteras dedit, quibus res quasdam ad ecclesiasticae pacis causam pertinentes nuntiasse videtur, unde pontifex *fidei* illius certa *indicia* gratulanter agnovit (Horm. epist. 58). Plura autem de iis dici nequeunt, nisi quod eaedem, quas modo memoravimus, notae chronologicae adsint.

XIX.

a. 519 *mense Februario. Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri, sedis apostolicae legatorum, ad Hormisdam suggestio prima de iis, quae Aulonae acta sunt.*

Legati sedis apostolicae exeunte mense Januario anni 519 Roma profecti, initio Martii Scampis ad Hormisdam nuntium miserunt, simul ibi aliam de civitate Aulonitana suggestionem a se factam indicantes (Horm. epist. 59 n. 1). *In civitate Aulonitana*, ajunt, *quo ordine cum Dei adjutorio pervenimus, et quomodo sumus suscepti ab episcopo civitatis ipsius, et quid est actum vel quale responsum dederunt, et quia haec promisit, ut cum metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola beatitudini vestrae significavimus.* Quae epistola sicut libellus promissus, si re vera scriptus est, jam desideratur. Sed quum dicta relatio Scampina initio Martii ab iisdem legatis facta sit, et esset summa eorum in Epiro celeritas (conf. Horm. epist. 59 et 60), relatio Aulonitana haud dubie mense Februario anni 519 data est.

XX.

a. 519 *die* 29 *April. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem, Justinianum et Vitalianum atque alias personas aulae imperialis pro adjuvanda legationis suae causa intercessio.*

Hormisda quum nullo a legatis nuntio accepto non mediocri anxietate laboraret, et ideo a. d. III Calendas Majas anni 519 Paulinum Romanae ecclesiae defensorem Constantinopolim mitteret, significat se per eumdem *Paulinum tam*

Digitized by Google

principi litteras quam singulis quibus oportuit direxisse (Horm. epist. 73). Quae omnes interierunt, nisi forte quis epistolas 57 et 58 certa nota chronologica carentes huic potius occasioni assignandas maluerit. Certe inter illos *singulos quibus oportuit* Justinianum comitem et Vitalianum magistrum militum fuisse, ex Hormisdae epistola 89 resciscimus, ubi hi per dictum Paulinum pontifici *rescripsisse* dicuntur (conf. seq. n. XXI).

XXI.

a. 519 *mense Junio. Justiniani ad Hormisdam de concilianda ecclesiis pace exhortatio. — Vitaliani ad Hormisdam in eadem causa intercessio.*

Pontifex morae impatiens, quum die 29 Aprilis a. 519 et Justino et aliis *quibus oportuit* litteras de pace per Paulinum Romanae ecclesiae defensorem direxisset (conf. Horm. epist. 73), a Justiniano et Vitaliano, quorum intercessio haud dubie primo loco petita erat, responsum per eumdem Paulinum mox meruit. De quo Justinianus (Horm. epist. 89) scribit: *ad beatitudinem vestram et frater noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum virum sublimem defensorem vestrae ecclesiae rescripsit, et nos per eumdem significare curavimus, illa debere beatitudinem vestram perficere, quae pacem et concordiam sanctis concedant ecclesiis.* Quum deinde haud obscure legationem die 29 Junii a. 519 ad Hormisdam destinatam (Horm. epist. 77 et 78) quasi *subinde* secutam ponat, responsa illa jam ita mense Junio ponenda erunt, ut legatus Paulinus post diem 29 Aprilis satis temporis ad iter Roma Constantinopolim perficiendum habuerit.

XXII.

a. 519 *d.* 29 *Junii. Justini imperatoris ad Hormisdam de concilianda pace per Eulogium legatio.*

Justinianus in Hormisdae epist. 89 refert, profecto Paulino se nuntium, *qui certius responsum* ad *pontificem referret, cum litteris imperatoris destinasse.* Sicut responsum istud Justiniani facile idem esse agnoscitur, quod supra Horm. epist. 78 praebuimus, ita hae imperatoris litterae intercidisse dicendae sunt. Quum legatorum suggestio simul missa (Horm. epist. 77) *III Calendas Julias* a. 519 data signetur, etiam haec Justini sacra eidem tempori attribuenda erit, et per eumdem Eulogium ibidem nominatum translata est. Quapropter quum Hormisdae epistola 79 ad Justinum directa *VII Idus Julii* a. 519 data signetur, non ad nostram hanc, sed ad aliam ab eodem die 22 Aprilis destinatam (Horm. epist. 66) pontifex ibi respicere apparet. Potius scripta illa ab Hormisda die 2 Septembris 519 Constantinopolim per eumdem Eulogium missa (Horm. epist. 90—96), inter quae etiam ad Justinum litterae (Horm. epist. 93), huic legationi respondere putanda sunt.

XXIII.

a. 519 d. 2 *Sept. Hormisdae ad legatos Germanum et Johannem episcopos et Blandum presbyterum de causa Thomae et Nicostrati instructio.*

In epistola 103 die 3 Decembris a. 519 scripta Hormisda legatis suis hortationem quamdam in memoriam revocat, qua illis injunxerat, ut *pro Thomae et Nicostrati fratrum et coepiscoporum communione atque loco serenissimo principi vehementer insisterent:* ut dicti episcopi *exclusis occupatoribus ad propries reverterentur ecclesias*, isti autem *alibi, si tamen rectae fidei essent, ordinarentur.* Etsi plures in memorata causa Hormisdae epistolas habemus (Horm. epist. 92—96), nullibi tamen ejusmodi admonitionem invenimus. Quare has quidem ad legatos litteras deperditas esse conficitur. Ac mirum sane est, quod Hormisda in illo negotio, quum per Eulogium ad plures intercessiones miserit, non etiam legatos ipsos suos interpellaverit et instruxerit, etsi in epistola 92, ubi ejusmodi

Digitized by Google

epistolas suas recenset, de legatis sileat. Unde suspicio adest, per eumdem Eulogium die 2 Septembris a. 519 illam instructionem ad legatos translatam, quem etiam ad Dioscorum in causa Scytharum monachorum pontificis placita tulisse ex epistola 97 proxime adnotabimus.

XXIV.

a. 519 *d.* 2 *Sept. Hormisdae ad Dioscorum diaconum legatum de Scythis monachis sententia.*

Eulogio Justini legato revertente, ideoque eodem die 2 Septembris a. 519, quo epistolae 90—96 datae sunt, Hormisda ad Dioscorum litteras direxit, *quibus significavit intentionem monachorum Scytharum, et quomodo ipsi visum fuerit episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse* Dioscorus *inter eos et qui ab eis impetebantur* ibi *audirentur.* Rescripsit Dioscorus Idibus Octobris a. 519 (Horm. epist. 98), unde simul Eulogium die 2 Septembris Roma profectum tunc Constantinopolim jam advenisse comperimus.

XXV.

a. 519 *m. Octobri. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem pro auxilio ecclesiarum Africanarum deprecatio.*

Innuit ejusmodi Hormisdae legationem Justinus epist. 101 die 17 Novembris a. 519 data, qua se *illustrem virum reverentissimum episcopum grato suscepisse animo* praefatus, addit: *de opera tamen et favore, qui sacrosanctis inferendus est ecclesiis, tunc demum opportunius statuetur, quum legati, quos nuper ad regem magnificum Trasamundum destinasse noscimur, reversi propitia Divinitate responsum nobis detulerint.* Sed nihil amplius certi ibi statui potest, nisi ut ex tempore quo responsum datum, tempus, quo Romae illa recommendatio subministrata est, in mense Octobri anni 519 ponamus.

XXVI.

a. 519 *c. initium m. Nov. Johannis Nicopolitani ad Hormisdam contra calumnias Ammonio diacono suo apud imperatorem inspersas conquestio.*

Anno 519 die 3 Decembris Hormisda legato suo Dioscoro inter alia nuntiat, Johannem Nicopolitanum per Ammonium diaconum sibi scripsisse, quod *ei* (scil. Ammonio) *aliqui malevoli apud principem niluntur generare calumniam* (Horm. epist. 104 n. 3 et 105 n. 3). Quod scriptum jam deperiit, sicut nec satis constat, qui potissimum scrupulus contra dictum diaconum motus sit. Sed quum eo fere ipso tempore, quo id scripsit pontifex, ille Romam advenisse videatur (die 13 Octobris eum nondum ibi fuisse Hormisdae epistola 97 docet), circa initium mensis Novembris legatio a Johanne Nicopolitano instructa esse putanda est.

XXVII.

a. 519 *m. Decembri. Hormisdae ad legatos de Paschatis celebratione litterae.*

Innuit Johannes Constantinopolitanus (in Horm. epist. 109 n. 2 die 19 Jan. a. 520 signata) Hormisdae litteras Constantinopolim directas continuisse *instantis dominicae passionis numerum*, quem ipse tunc *ex repositis* in urbe regia *diei paschalis annalibus* in diem XIII Calendas Majas figendum significat. In Occidente quippe dubitatio exorta erat, quum quidam Pascha die 22 Martii celebrandum putarent et vere celebrarent (cf. *L'art de vérifier les dates.* ed. II pag. 11). Unde Hormisdae ansa data, ut litteras ad legatos Constantinopolim dirigeret, quibus et suam sententiam de die, quo Pascha celebrandum esset, exponebat, et quid

Digitized by Google

de ea re Johannes Constantinopolitanus censeret, ut illi consulerent praecipiebat. Subest suspicio, litteras hasce easdem esse, quas legati (Horm. epist. 110) per *Eulogium* sibi allatas asserunt ac de paschali die quaesiisse innuunt. Quumque ipsi ea *alloquia* vocitent, Johannes autem simpliciter *litterarum* voce utatur, eas ad legatos, non ad episcopum Constantinopolitanum signatas esse crediderim. *Eulogius* ille, qui eas attulisse dicitur quemque a legatione Romana (Horm. epist. 76—78, 90—96) Idibus Octobribus a. 519 jam Constantinopolim reversum denuo Romam directum esse ex Hormisdae epistola 99 intelligimus, fortasse ex nova hac legatione post profectum Paulinum (i. e. post 3 Decembris a. 519, conf. Horm. epist. 103—107) hanc nostram deperditam retulit.

XXVIII.

a. 520 *d.* 19 *Januar. Justiniani comitis ad Hormisdam de causa Scytharum monachorum iterata intercessio.*

Hormisda in epistola 112 n. 1 haud obscure Justiniani epistolam die 15 Octobris a. 519 datam (Horm. epist. 99) significat, quum quae ibi perstringuntur cum hujus verbis satis conveniant. Sed ibidem n. 2 aliam epistolam innuit, qua ille aeque atque imperator *promiserit legationem esse venturam*. Quam jam deperditam esse deprehendimus, sed una cum Justini epistola ibidem laudata (Horm. epist. 108) ideoque die 19 Januarii anni 520 missam esse consentaneum est.

XXIX.

a. 520 *mox post d.* 25 *Febr. Epiphanii Constantinopolitani ad Hormisdam ordinationis suae indices.*

Arguit Hormisda epist. 113 Epiphanium, quod de ordinatione sua non legationem misisset, sed *paginalia tantum sufficere judicasset ex occasione colloquia*. Sed et haec *paginalia colloquia*, factae videlicet ordinationis indices, jam deperierunt. Verum ea mox post illam ordinationem, quae Theophane (chronograph. pag. 142, ed. Bonn. pag. 256) teste die 25 Februarii a. 520 peracta est, missa esse vix dubium est.

XXX.

a. 520 *mox post d.* 25 *Febr. Legatorum apostolicae sedis ad Hormisdam de eadem Epiphanii ordinatione relatio.*

Hormisda epist. 113 *paginalibus colloquiis* Epiphanii mox accessisse ait *legatorum* suorum (puta Germani et sociorum) *votivam relationem*, quae *exclusum quod causa imperabat silentium ad officia benigna traxerit*. Exstat quidem *Dioscori* de ea re relatio quarta die post illam ordinationem transmissa (Horm. epist. 111). Sed ibidem nulla etiamtunc communio cum Epiphanio inita, immo ne invitata quidem esse, expressis verbis dicitur, quare plena de illo sententia consulto suspenditur. Unde illa *votiva relatio legatorum* deperiisse putanda est, etsi non multo post missa esse apparet.

XXXI.

a. 520 *c. fin. Martii. Hormisdae ad legatos Germanum, Felicem, Dioscorum et Blandum de rebus circa ipsos gestis requisitio.*

Sub die 10 Julii anni 520 Hormisda legatis suis Germano episcopo, Felici et Dioscoro diaconis et Blando presbytero sollicitudinem magnam suam exponens, etiam se *per hominem illustris viri atque magnifici patricii Agapiti desideriis ipsorum congruos affatus misisse* significat, ut eum de omnibus quae circa ipsos agerentur certiorem redderent (Horm. epist. 122). Quae litterae deperierunt, quum praeter Hormisdae epistolas 103 et 104 die 3 Decembris a. 519 ad legatos per Paulinum defensorem missas nulla illius ad eosdem circa id tempus scripta

Digitized by Google

habeamus. Fortasse eadem est legatio, quae circa exitum Martii a. 520 Hormisdae litteras ad Justinianum datas (Horm. epist. 112) detulit.

XXXII.

a. 517—520. *Possessoris episcopi Africani ad Hormisdam codicis explanationum epistolarum beati Pauli transmissio.*

Possessor episcopus Afer quum initio mensis Junii a. 520 Hormisdam de libris Fausti Regiensis consuleret, simul meminit, se *antehac codicem quoque tractandum direxisse continentem b. Pauli apostoli epistolarum explanationes. Pro quo*, ait, *rescripto gratulari non merui* (Horm. epist. 115). Quibus satis indicatur, pontificem ibi etiam propria epistola consultum esse. Verum plura de hisce dici non possunt, nisi ea ita post diem 3 Aprilis anni 517 (Horm. epist. 31) ponenda esse, ut tamen mense Junio anni 520 (Horm. epist. 115) satis anteriora sint.

XXXIII.

a. 520 *d.* 9 *Jul. Justini imperatoris ad Hormisdam mandatum legatis redeuntibus traditum.*

Ipse Justinus die 31 Augusti a. 520 Hormisdae memorat, se legatis sedis apostolicae (puta Germano, Felici, Dioscoro et Blando) redeuntibus *hujusmodi mandata tradidisse, quod capitula, quae ad perfectam unitatem ecclesiarum pertinerent, illi per reverentissimum Johannem episcopum sequenter manifesta faceret* (Horm. epist. 126, conf. epist. 116). *Capitula* illa sane ea erant, quae Justinus l. c. epist. 108 sibi *ex diversis Eois provinciis porrecta, certa quaedam disserentibus pro fide catholica, secretaque suae mentis declarantibus, quae apud se pro individua Trinitate constituta testabantur, quaeque firmiter se recepturos ostendebant;* quaeque, ut l. c. epist. 116 ait, *clementiore quodam indigebant moderamine.* Exemplar eorum Justinus postea revera per dictum Johannem transmisit (Horm. epist. 129 n. 5 ss.). Sed et *mandatum* istud, quin legatis die 9 Julii a. 520 (Horm. epist. 116—121) redeuntibus in scriptis datum sit, vix dubitandum est; quae scripta jam temporis injuria nobis interierunt.

XXXIV.

a. 520 *m. Decembri. Hormisdae ad Salustium Hispalensem de pace in Oriente restituta nuntius.*

Hormisda id satagens, ut *divina beneficia cuncti agnoscerent*, simulque pristina Hispanorum de ea re sollicitudine (conf. Horm. epist. 26) incitatus, quum unionem ecclesiarum Orientalium restitutam esse cognosceret, statim illis episcopis nuntiare festinavit, et ipsa ecclesiasticae pacis instrumenta ad Salustium Hispalensem transmisit (Horm. epist. 142 n. 1). Tempus, quo id factum, non satis constat, sed certe sub finem anni 520 statuendum est. Nam quum epist. 142 n. 1 Hormisda jam Salustium laude prosequatur, quod transmissa illa pacis instrumenta ad aliorum episcoporum notitiam pertulisset, epistola 143 eodem prorsus tempore scripta his episcopis de eadem re *responsa* sua dirigit, quibus haud dubie ipsius epistola 141 (d. 26 Mart. a. 521) notatur. Quare illis *ecclesiasticae pacis instrumentis* non nisi acta sive per suos (l. c. epist. 116—121) sive per Justini (l. c. epist. 129—132) legatos allata significari possunt, quorum illa die 17 Septembris, haec die 30 Novembris a. 520 Romae tradita sunt. Itaque certe exeunti anno 520 illa Hormisdae ad Salustium legatio attribuenda erit.

Digitized by Google

XXXV.

a. 521 *c. initia.* ***Salustii Hispalensis episcopi ad Hormisdam de restituta pace gratulatio.***

Quum de unitate ecclesiarum Orientalis et Occidentalis feliciter restituta nuntius in Hispaniam pervenisset, Salustius episcopus Hispalensis litteras *votiva gratulatione plenas* ad Hormisdam direxit. Simul ibi *geminae salutis suae indicium* dedit, se *corporali cum spiritualibus officiis incolumitate* gaudere significans. Alia quoque *documenta boni pontificis*, quae ipse interea ediderat, litteris illis inseruit, ita ut Hormisda laetus de illis testaretur, eum *et praedicanda fecisse et ea suadere non distulisse*. Inter quae speciatim fuisse videtur, quod *ecclesiasticae pacis instrumenta* a pontifice transmissa et alia ejusdem *vota* omnibus Hispaniae episcopis *officii devotione* nota fecisset, *fideli intelligentia*, ut ait Hormisda, *cunctis innotescens*, *quae per coelestem gratiam cunctis profutura cognoverat*. Quapropter pontifex vices ei salvis metropolitanorum privilegiis per Baeticam Lusitaniamque provincias commisit (Horm. epist. 142). De tempore quidem veri simile est, Salustium comperta pace ecclesiastica, quae tamdiu in summis omnium votis fuerat, mox cum gratulatione sua festinasse. Quare quum legati sedis apostolicae plenis pacis illius monumentis Constantinopoli die 9 Septembris anni 520 instructi die 30 Novembris ejusdem anni Romam pervenissent (conf. Horm. epist. 129—132), circa finem hujus anni aut initium sequentis ista Salustii legatio ponenda est.

XXXVI.

a. 521 *c. initia.* ***Episcoporum Baeticae provinciae ad Hormisdam de statu illius ecclesiae relatio.***

Eodem fere tempore, quo Salustius Hormisdam adiit, etiam ab episcopis Baeticae provinciae Romam gratae de statu ecclesiae illius litterae pervenerunt. Indicabant videlicet, quomodo ibi per omnes *votiva caritas* vigeret et *plena ecclesiarum pax*. Simul *privilegiorum veterum et statutorum paternorum* mentionem indiderunt, utque *in honore suo a patribus decreta servarentur* innuisse videntur (Horm. epist. 143). Ad quae quum Hormisda eodem quo ad Salustium tempore rescripsit (epist. 143), illa etiam fere eodem tempore, i. e. circa initia anni 521, Romam allata esse putanda sunt.

XXXVII.

— — ***Hormisdae confirmatio constitutionis s. Gregorii Lingonensis in gratiam monasterii s. Benigni Divionensis editae.***

In chronico s. Benigni Divionensis (Dacheri spicileg. tom. I pag. 360) Hormisda constitutionem s. Gregorii *Lingonensis episcopi in gratiam monasterii s. Benigni Divionensis editam confirmasse* narratur. Sicut consentaneum est, confirmationem istam peculiari apice per dictum episcopum a pontifice petitam et ab hoc datam esse, ita tamen plura de ea re mihi praesto non sunt.

XXXVIII.

Epistolae et decreta Gelasio falso adscripta.

1. **Hormisda Remigio episcopo Remensi.** „*Suscipientes plena.*“ Remigio vices suas per omne regnum dilecti et spiritalis filii sui Ludovici (seu Chlodovei) nuper cum gente integra conversi, salvis privilegiis, quae metropolitanis decreverit antiquitas, committit (Hincmar. lib. 55 cap. c. 16, Cocquelines Bullar. I, 77, Mansi l. c. VIII, 383, Labat. conc. Gall. I, 883, Migne l. c. LXIII, 524) — apocryphum (conf. Labat. l. c. I, 383 et supra *monita praev.* pag. 123 ss.).

Digitized by Google

2. **Epistola Hormisdae papae per universas provincias directa** *episcopis, presbyteris, diaconibus vel cuncto clero, imperatoribus, regibus, ducibus, principibus hujus mundi, qui sub catholica atque apostolica soliditate firmati esse videntur: ut praecessorum nostrorum patrum regulam non spernant de omnibus judiciis, quod ad ecclesiastica jura pertinere videntur, vel ex omni re, quod hic politum esse videtur. Si quis diaconus aut presbyter post acceptam benedictionem liviticam cum uxore sua incontenens invenitur, ab officio abjiciatur.* „*Ecce manifestissime etc.*“ Hac inscriptione epistolam, cujus falsitas prima fronte prostat, codex Monacensis latinus 6243 fol. 234—238, etsi posteriori tamen saeculi IX—X manu, corpori aliorum genuinorum decretalium adsuit. Praebetur etiam codice Vaticano 1343, collectione Herovalliana t. XVIII (in cod. Eremensi 205 *tit. XV* pag. 88) et poenitentiali Halitgarii Cameracensis, unde et Gratianus c. 29 et 58 D. 50 quaedam fragmenta sumpsit, et Jac. Petit *Poenit. Theodor. Cant.* tom. I pag. 143 ac Canisius *Lect. antiqu.* ed. Basnage t. II p. 2 pag. 143 sq. ediderunt, ex quibus repetierunt sequentes collectores (Mansi l. c. VIII, 527, Migne l. c. LXIII, 527 ss.). De falsitate ejus nihil jam addendum. Tantum moneo, in dicto Monacensi non solum textum puriorem sed edito etiam pluribus pleniorem praeberi, quae hic producere libet. Post verba *continere videntur*, quibus editi clauduntur, illic fol. 237ª additur: *Et ideo perpendite, fratres carissimi, et sollicite cogitate, sicut sanctos patres sensisse conperimus, quam laudabiliter pro catholice fidei veritate unusquisque debet moveri, et quam sollicitae dominico gregi devotione officii pastoralis unusquisque impendere debeat. Et sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes, nos indesinenter ortamini, quamvis sponte vigilantes ac praecurrentes, in vos divinum zelum solito demonstratis, nec quisquam nostrum Christiana plebe pereunte reatum deditionis incurrat et mercenarius potius videatur esse quam pastor. Unde ortamur omnem clerum et devotissimum populum, ut hanc seriem nostram suprascriptam unusquisque non renuat sed potius intemeratam custodiat, si cum supra dictos sanctos patres non causas sed pacem habere desiderat. Metuat unusquisque aeternum supplicium, et desideret adepturum se regnum. Unde, fratres carissimi, permanete in eum qui est, ut vincatis in vobis. In ipso sensu et in eadem sententia estote* Exod. 3, 14. *perfecti, ut a filio hominis, cum venerit in majestate sua, non audiatis:* „*discedite a me maledicti*“, *sed:* „*venite benedicti*“, *possitis, audire. Angustam* Matth. 25, 41. *nunc portam festinanter intrate, quae eos accepit, quos numquam spatiosa invenerunt. Haec dilectioni vestrae pro letitia catholicorum dicta sufficiant; quae saepius recensere vos volumus, ut triumpho fidei gratulantes intellegatis domini caritatis et pacis esse vobis, cum cavere nos convenit in futurum, ne posset magis ac magis quae abscissa sunt pullulare. Elaborate, fratres carissimi, laborate obsecro, ut vere tollantur de medio vestrum, qui statuta canonum spernunt, ut non sit in collegio vestro; credendum tamen de divina est pietate, quod omnes in viam redeant, si de supra dicto horum malorum caput et causa tollatur. Principes hujus mundi hortor et admoneo, ut sic fruantur rebus terrenis, ut non amittant caelestibus remediis, sic de vita praesente gratulentur, ut favorem caelestem non perdant. Videte, fratres, unde in libro regum legimus de duobus regibus Saul et David; sed si de eorum vitam pensamus, possumus aliquid ad nostram imitationem collegi. Iste prior et presens regnum perdedit et caelestem amisit, ille sequens et presentem habuit et caelestem adeptus est. Nimia sunt qui loquimur, sed penset unusque, quam rationem in tanto districti examinis judicii die redditurus sit, qui sanctos vel tantos patres, quod supra memoravimus, eorum praeceptionibus obaedire contemnit, non solum autem illos sed et omnes sanctos patres, qui*

Digitized by Google

jura ecclesiastica constituerunt. Ortor vos fratres, ut in quantum vires sup-
f. *quanto-cius* *petunt, per eorum admonitionibus ad regnum caelestem quam totius pro-perate, praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in saecula saeculorum.*

3. **Hormisda papa Eusebio episcopo:** ut pater adultum filium invitum ad matrimonium cogere non possit, possit filium nondum adultum. „*Tua sanctitas*“ (Palea in Grat. c. 2 C. XXXI qu. 2; c. 1 X. IV, 2) — apocryphum.

4. **Hormisda papa in decretis c. 6:** *Nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino* (Burch. decr. IX c. 3, Ivo decr. p. VIII c. 141, Pannorm. l. VI c. 5, Gratian. c. 2 C. XXX qu. 5) — apocryphum.

5. **Hormisda papa in decretis c. 10:** *Nullus presbyter in ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci sanctificatum est vel permissum, ut sit discretio inter sacrum et non sacrum; nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur, si vero laicus, anathematizetur* (Burch. decr. l. III c. 17, Ivo decr. p. III c. 20, Polyc. l. IV, t. 31, Gratian. c. 25 D. I de consecr.) — est capitularium reg. Franc. l. VI c. 202.

6. **Ex doctrina Hormisdae papae c. 4:** *Si quis baptizat aut aliquod divinum officium exercuerit per temeritatem non ordinatus, abjiciatur ab Ecclesia et nunquam ordinetur* (Burch. decr. IV c. 57) — apocryphum (conf. Berardus *Gratiani canon. genuin.* ed. II p. II t. 1 pag. 384 sq.).

Digitized by Google

INDEX GENERALIS.

Praefatio editoris.

pag.

§. 1. De causis et origine hujus novae editionis epistolarum Romanorum pontificum V

§. 2. De prioribus harum epistolarum editionibus, quae Coustantii curas exceperunt VII

§. 3. Prospectus hujus novae editionis. Quomodo Coustantii et Durandi ibi studia connexa. Principia critica, quae in eadem adhibita XIV

§. 4. Brevis recensio codicum, qui in hac editione adhibiti sunt . . XVII

§. 5. Tabula codicum adhibitorum eorumque siglorum XXXV

Monita praevia

in epistolas Romanorum Pontificum

Hilari, Simplicii, Felicis II, Gelasii, Anastasii II, Symmachi, Hormisdae.

Monita praevia in Hilari epistolas 1

Monita praevia in Simplicii epistolas 6

Monita praevia in Felicis II epistolas 9

Monita praevia in Gelasii epistolas 21

Monita praevia in Anastasii II epistolas 82

Monita praevia in Symmachi epistolas 85

Monita praevia in Hormisdae epistolas 104

Textus Epistolarum.

S. Hilarus papa

(d. 19 Nov. a. 461 — d. 21 Febr. a. 468).

Epist.

S. Hilari papae vita 126

1. Hilari diaconi ad Pulcheriam Augustam. „*Σπουδήν*“. „*Studium*“. . 127

2. Hilari archidiaconi ad Victorium. „*Quum pleraque*“. 130

3. Victorii ad Hilarum archidiaconum. „*Utinam*“. 130

4. Hilari papae ad Leontium episcopum Arelatensem. „*Quantum*“. . . 137

5. Leontii episcopi Arelatensis ad Hilarum. „*Quod Leonem*“. . . . 138

6. Hilari papae ad Leontium Arelatensem. „*Dilectioni meae*“ . . . 139

7. Ejd. ad Leontium Arelatensem. „*Miramur*“. 140

8. Ejd. ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. „*Quamquam*“. . 141

Digitized by Google

Epist. pag.
9. Hilari papae ad Leontium Arelatensem. „*Qualiter*“. 146
10. Ejd. ad episcopos in causa Mamerti congregatos. „*Sollicitis*“ . . 148
11. Ejd. ad episcopos diversarum provinciarum Galliae. „*Etsi meminerimus*“ 151
12. Ejd. ad Leontium, Veranum et Victurum episcopos. „*Movemur*“. . 152
13. Episcoporum Tarraconensium ad Hilarum. „*Etiamsi nulla*“ . . . 155
14. Episcoporum Tarraconensium ad Hilarum. „*Quam curam*“ . . . 157
15. Decretum synodale Hilari papae (d. 19 Nov. a. 465). „*Flavio Basilisco*“ 159
16. Hilari p. ad Ascanium et reliquos episcopos Tarraconensis provinciae. „*Postquam litteras*“. 165
17. Hilari p. ad Ascanium Tarraconensem (d. 19 Nov. a. 465). „*Divinae*“. 169
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Hilarum papam attinent 170

S. Simplicius papa
(d. 25 Febr. a. 468 — d. 2 Mart. a. 483).

S. Simplicii papae vita 174
1. Simplicii p. ad Florentium, Equitium et Severum episcopos. „*Relatio*“ 175
2. Simplicii p. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Quantum*“ . . . 177
3. Ejd. ad Basiliscum Augustum. „*Cuperem.*“ 179
4. Ejd. ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos. „*Per filium*“ 183
5. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Quum filii*“ 186
6. Ejd. ad Zenonem imperatorem. „*Inter opera*“ 186
7. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Litteris*“ 189
8. Acacii Constantinopolitani ad Simplicium p. „*Sollicitudinem*“ . . 192
9. Simplicii p. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Quam sit*“ . . . 195
10. Ejd. ad Zenonem imperatorem. „*Olim divinorum*“ 196
11. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Quantos*“ 197
12. Ejd. ad Zenonem imperatorem. „*Proxime quidem quum*“. 199
13. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Proxime quidem dilectioni*“ 200
14. Ejd. ad Johannem Ravennatem episcopum. „*Si quis*“ 201
15. Ejd. ad Zenonem imperatorem. „*De ecclesia*“. 202
16. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Clementissimi*“. 205
17. Ejd. ad Acacium. „*Antiocheni*“. 206
18. Ejd. ad Acacium. „*Miramur*“. 208
19. Ejd. ad Zenonem imp. Fragm. „*Sed jam*“ 212
20. Ejd. ad Acacium. „*Cogitationum*“ 213
21. Ejd. ad Zenonem Hispalensem. „*Plurimorum*“ 213
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Simplicium papam attinent 214

S. Felix II papa
(d. 6 Mart. a. 483 — d. 25 Febr. a. 492).

S. Felicis II papae vita 221
1. Felicis papae ed Zenonem imperatorem. „*Decebat*“ 222
2. Ejd. ad Acacium Constantinopolitanum. „*Postquam*“ 232
3. Ejd. ad Acacium libellus citationis. „*Episcopali*“ 239
4. Ejd. libellus ex decreto concilii ad Zenonem imperatorem. „*Quum sibi*“ 240
5. Ejd. ad Zenonem episcopum. „*Filius*“ 242
6. Ejd. ad Acacium. „*Multarum*“ 243

Digitized by Google

Epist. pag.
7. Edictum sententiae Felicis p. propter Acacii damnationem. „*Acacius*". 247
8. Felicis p. ad Zenonem imperatorem. „*Quoniam*". 247
9. Ejd. ad episcopos per Aegyptum, Thebaidem, Libyam et Pentapolim constitutos. Fragm. „*Petrum*". 250
10. Ejd. ad clerum et plebem Constantinopolitanum. „*Probatam*". . . 251
11. Synodus Romana ad presbyteros et archimandritas Constantinopoli atque in Bithynia constitutos. „*Olim nobis*" 252
11. Felicis p. ad monachos urbis Constantinopolitanae et Bithyniae. „*Diabolicae*" 257
13. Exemplar gestorum synodi Romanae a. 487 d. 13 Mart. et a. 488 d. 15 Mart. „*Flavio Boetio*" 259
14. Felicis p. ad Flavitam episcopum Constantinopolitanum. „*Multa*" . 266
15. Ejd. ad Zenonem imperatorem. „*Dignas*" 270
16. Ejd. ad Thalasium archimandritam Constantinopolitanum. „*Post factas*" 273
17. Ejd. ad Vetranionem episcopum. „*Quod unitatis*" 275
18. Ejd. ad Andream episcopum Thessalonicensem. Fragm. „*Quod plene*" 277
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Felicem II papam attinent 278

S. Gelasius papa
(d. 1 Mart. a. 492 — d. 19 Nov. a. 496).

S. Gelasii papae vita 285
1. Beati Gelasii ad episcopos Orientales. Fragm. „*Post quingentos*" . 287
2. Gelasii p. ad Laurentium de Lignido. „*In prolixitate*" (est Anast. II papae epist. 3) 311
3. Ejd. ad Euphemium. „*Quod plena*" 312
4. Ejd. ad Honorium Dalmatiae episcopum. „*Licet*" 321
5. Ejd. ad eumdem Honorium. „*Miramur*" 324
6. Ejd. ad epicopos per Picenum constitutos. „*Barbaricis*" 325
7. Ejd. ad episcopos per Dardaniam constitutos. „*Ubi primum*" . . . 335
8. Ejd. ad Natalem abbatem. „*Quamvis pro*" 337
9. Ejd. ad Succonium episcopum Afrum. „*Quum tuae*" 339
10. Ejd. commonitorium ad Faustum magistrum. „*Ego quoque*" . . . 341
11. Episcoporum Dardaniae ad Gelasium p. „*Saluberrima*" 348
12. Gelasii p. ad Anastasium Augustum. „*Famuli*" 349
13. Ejd. ad Rusticum. „*Inter ingruentium*" 358
14. Ejd. ad universos episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos. „*Necessaria*" 360
15. Epistolaris formula Gelasii papae. „*Probabilibus*" 379
16. Gelasii p. ad Brundisios. „*Concesso*" 380
17. Ejd. ad episcopos Siciliae. „*Praesulum*" 381
18. Ejd. ad episcopos Dardaniae et Illyrici. „*Audientes*" 382
19. Ejd. ad Aeonium episcopum Arelatensem. „*Inter difficultates*" . . 385
20. Ejd. ad Martyrium et Justum episcopos. „*Et antiquis*" 386
21. Ejd. ad Herculentium, Stephanum et Justum episcopos. „*Frequens*" 388
22. Ejd. ad Rufinum et Aprilem episcopos. Fragm. „*Quis enim*" . . 389
23. Ejd. ad Crispinum et Sabinum episcopos. „*Silvester*" 389
24. Ejd. ad Zejam comitem. „*Christianis*" 390
25. Ejd. ad quemdam episcopum. „*Praecepta synodalia*" 391
26. Ejd. ad episcopos Dardaniae. „*Valde mirati*" 392
Eadem epistola ex editione Balleriniorum 414

Digitized by Google

Epist. pag.
27. Gelasii p. ad episcopos Orientales de ead. ratione reddenda. „*Quid ergo*“ 422
28. Ejd. ad episcopos Dardaniae. „*Quia per*“ 435
29. Gelasii p. ad Natalem episcopum. „*Quia per*“ 436
30. Exemplar gestorum de absolutione Miseni (syn. Rom. a. 495 d. 13 Mart.). „*Residente*“ 437
31. Gelasii p. ad actores urbicos. „*Constat*“ 447
32. Ejd. ad Vincomalum. „*Constat*“ 448
33. Ejd. ad Johannem episcopum Soranum. „*Certum est*“ 448
34. Ejd. ad Senecionem episcopum. „*Piae mentis*“ 448
35. Ejd. ad Herculentium episcopum Potentinum. „*Trigetius*“ 449
36. Ejd. ad Johannem episcopum. „*Nos ausus*“ 449
37. Ejd. ad Majoricum et Johannem episcopos. „*Ita nos Scyllacenorum*“ . 450
38. Ejd. ad Philippum et Cassiodorum. „*Coelestini*“ 452
39. Ejd. ad Majoricum, Serenum et Johannem episcopos. „*Qui et humanis*“ 453
40. Ejd. ad Johannem Spoletanum. „*Olibula*“ 453
41. Ejd. ad Bonum episcopum Sabinatem. „*In parochia*“ 454
42. Ejd. **decretalis de recipiendis et non recipiendis libris.** „*Post propheticas*“ 454
43. Ejd. exemplar epistolae ad Syriae episcopos. „*Εἰ ἅπερ*“. „*Si quae*“ 471

Gelasii papae fragmenta.

Fragm.
1. Gelasius p. Johanni illustri. „*De sacra*“ 483
2. Id. Agilulpho. „*Precor*“ 484
3. Id. Dulcio defensori. „*Experientia*“ 484
4. Id. Philippo et Gerontio episcopis. „*Plebs Clientensis*“ 485
5. Id. Coelestino episcopo. „*Presbyteri*“ 485
6. Id. Sabino episcopo. „*Quartum*“ 486
7. Id. Elpidio episcopo Volaterrano. „*Quo ausu*“. 486
8. Id. Rustico et Fortunato episcopis. „*Nuper*“ 487
9. Id. Palladio episcopo. „*Praecepta canonum*“ 488
10. Id. Victori episcopo. „*Consuluit*“ 488
11. Id. Gerontio et Johanni episcopis. „*Frater et coepiscopus noster Serenus*“ 489
12. Id. Theodorico regi. „*Certum est*“ 489
13. Id. Quinigesio et Constantio episcopis. „*Felix et Petrus*“ 490
14. Id. Justo et Stephano episcopis. „*Frater et coepiscopus noster Proficuus*“ 490
15. Id. Rufino et Justo episcopis. „*Honorati*“ 491
16. Id. Secundino Visinensi. „*Atroces*“ 492
17. Id. Maximo et Eusebio episcopis. „*Licet*“ 492
18. Id. Justo episcopo. „*Dilectio*“ 493
19. Idem. „*Quid novae*“ 493
20. Id. Sabino episcopo. „... *Nec enim*“ 494
21. Id. Victori episcopo. „*Dudum*“ 495
22. Id. Respecto et Leonino episcopis. „*Johannes archidiaconus*“ . . . 496
23. Id. Justino archidiacono et Fausto defensori. „*Volaterranae*“ . . . 496
24. Id. Justino archidiacono et Fausto defensori. „*Vobis*“ 498
25. Id. Cresconio, Johanni et Messalae episcopis. „*Decessorum*“ . . . 499
26. Id. Maximo et Clero episcopis. „*Nihil*“. 499
27. Id. Johanni episcopo Pisano. „*Ecclesiastica*“ 499
28. Id. Honorio episcopo. „*Divinae*“ 499
29. Id. Laurentio. „*Consideratio*“ 500
30. Id. Leontio et Petro episcopis. „*Quisquis*“ 500
31. Id. Gerontio et Petro episcopis. „*Licet*“ 500
32. Id. Anastasio. „*Desolatis*“ 500

Digitized by Google

Fragm. pag.
33. Gelasius p. Fortunato episcopo. „*Irreligiosum*“ 501
34. Id. Januario. „*Sed causas*“ 501
35. Id. Firminae illustri feminae. „*Ad cumulum*“ 501
36. Id. Hereleuvae reginae. „*Qui pro victu*“ 502
37. Idem. „*Quicunque*“ 502
38. Id. Stephano episcopo. „*Oportuerat*“ 503
39. Id. Epiphanio episcopo. „*Ad episcopos*“ 504
40. Id. Victori, Constantino, Martyrio, Felicissimo, Sereno et Timotheo episcopis. „*Frater et coepiscopus noster Epiphanius*“ 504
41. Id. Bonifacio episcopo. „*Metuentes*“ 505
42. Id. Johanni episcopo Vibonensi. „*Uxor Felicis*“ 506
43. Id. Siracusio, Constantio et Laurentio episcopis. „*Judas*“ 506
44. Id. Gerontio, Johanni, Germano et Petro episcopis. „*Si illic*“ . . 507
45. Id. Quinigesio episcopo. „*Vir clarissimus*“ 508
46. Id. Quinigesio episcopo. „*Quia res*“ 508
47. Idem. „*Lex illa*“ 508
48. Idem. „*Diligenter*“ 508
49. Idem. **Dicta Gelasii papae.** „*Catechumeni*“ 509

Gelasii papae tractatus.

Tractatus I. **Gesta de nomine Acacii** seu **Breviculus hist. Eutychianistarum** 510
Idem tractatus ex codice Vallicellano XVIII 520
Idem tractatus ex editione Balleriniorum 522
Tractatus II. **De damnatione nominum Petri et Acacii.** „*Ex epistola*“ . . 524
Tractatus III. **De duabus naturis in Christo adversus Eutychem et Nestorium.** „*Necessarium*“ 530
Tractatus IV. **Tomus de anathematis vinculo.** „*Ne forte*“ 557
Tractatus V. **Dicta beatissimi Gelasii papae adversus Pelagianam haeresim.** „*De Pelagianis*“ 571
Tractatus VI. **Adversus Andromachum senatorem ceterosque Romanos, qui Lupercalia secundum morem pristinum colenda constituebant.** „*Sedent quidam*“ 598
Notitia scriptorum non exstantium, quae ad s. Gelasium papam attinent 607

S. Anastasius II papa
(d. 24 Nov. a. 496 — d. 17 Nov. a. 498).

Epist.
S. Anastasii papae vita 614
1. Anastasii II papae ad Anastasium imperatorem pro pace ecclesiarum. „*Exordium*“ 615
2. Ejd. ad Clodoveum Francorum regem. „*Tuum gloriose*“ 623
3. Ejd. ad Laurentium de Lignido. „*In prolixitate*“ 624
4. Ejd. ad Ursicinum fragmenta. „*Nam principium*“. „*Confitemur*“ . . 627
4. Libellus, quem dederunt apocrisiarii Alexandrinae ecclesiae legatis ab urbe Roma Constantinopolim destinatis. „*Venerabiles*“ . . . 628
6. Anastasii II papae ad universos episcopos per Gallias constitutos. „*Bonum*“ 634
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Anastasium II papam attinent 637

Digitized by Google

S. Symmachus papa
(d. 22 Nov. a. 498 — d. 19 Jul. a. 514).

Epist. pag.

S. Symmachi papae vita 639
1. Symmachi p. **decretum synodale.** „*Post cons. Paulini v. c.*“ (a. 499 d. 1 Mart.) 641
2. Ejd. ad Aeonium Arelatensem episcopum. „*Movit equidem*“ . . . 654
3. Ejd. ad eumdem Aeonium. „*Dilectionis tuae*“ 655
4. Ejd. ad Avitum episcopum Viennensem. „*Non debuit*“ 656
5. Ejd. **Quarta synodus habita Romae Palmaris.** „*Rufio Magno Fausto Avieno v. c. cons.*“ (a. 501 d. 23 Oct.) 657
Appendix. Acta quaedam ad synodos Romanas II, III et IV in causa Symmachi habitas pertinentia. „*Vos quidem*“ 670
6. **Exemplar constituti facti a domino Symmacho papa de rebus Ecclesiae conservandis,** vel **Quinta synodus s. Symmachi papae habita Romae.** „*Flavio Avieno jun. v. c. cons.*“ (a. 502 die 6 Nov.) 682
Appendix. Lex data a gloriosissimo rege Theodorico contra illos, sacerdotes, qui substantiam Ecclesiae jure directo aut vendere aut donare praesumunt. „*Pervenit*“ 695
7. Ennodii episcopi Ticinensis ad Symmachum p. „*Boni imperatoris*“ . 696
8. Libellus Johannis diaconi, quem obtulit s. papae Symmacho. „*Coelius Johannes*“ 697
9. Ennodii episcopi Ticinensis ad Symmachum papam. „*Natura*“ . . 698
10. Symmachi p. **apologeticus adversus Anastasium imperatorem.** „*Ad augustae*“ 700
11. Ejd. (vel saltem ipsius nomine scripta) ad episcopos Afros. „*Lucrum*“ 708
12. Orientalium episcoporum ad Symmachum. „*Bonus ille*“ 709
13. Symmachi papae ad Orientales. „*Quod plene*“ 717
14. Ejd. ad episcopos Galliae. „*Sedis apostolicae*“ 722
15. Ejd. ad Caesarium episcopum Arelatensem. „*Hortatur*“ (**Lib. pet.** „*Sicut*“ 723
16. Ejd. ad eumdem Caesarium. „*Qui veneranda*“ (**Lib. pet.** „*Quantum*“) . 728
17. Sigismundi regis ad Symmachum papam. „*Dum sacra*“ 730
18. Ennodii ad Symmachum papam. „*Coelestis*“ 731
19. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Pervigil*“ 731
20. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Usque ad*“ 731
21. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Quamvis*“ 732
22. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Dum sedem*“ 733
23. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Rem necessariam*“ 733
24. Ejd. ad eumdem Symmachum. „*Non inefficaciter*“ 734
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Symmachum papam attinent 734

S. Hormisda papa
(d. 26 Jul. a. 514 — d. 6 Aug. a. 523).

S. Hormisdae papae vita 739
1. Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam. „*Omnibus*“ 741
2. Ejusdem ad Hormisdam. „*Beatitudini*“ 742
3. Dorothei episcopi Thessalonicensis ad Hormisdam p. „*Ait quodam*“ . 742
4. Responsoria Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem. „*Gratias supernae*“ 745
5. Hormisdae ad Dorotheum Thessalonicensem episcopum. „*Ubi caritatis*“ 746
6. Ejd. ad Anastasium imperatorem. „*Bene clementia*“ 747

Digitized by Google

Epist. pag.
7. Hormisdae papae indiculus, qui datus est Ennodio et Fortunato episcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono et Hilaro notario. „*Cum Dei adjutorio*“ 748
8. Hormisdae papae ad Anastasium imperatorem. „*Bene atque*“ . . . 755
9. Ejd. ad Caesarium Arelatensem. „*Justum est*“ 758
10. Anastasii imperatoris ad Hormisdam papam. „*Gratias*“ 761
11. Ejd. ad Hormisdam p. „*Omnia quae*“ 764
12. Ejd. ad senatum urbis Romae. „*Si vos*“ 765
13. Hormisdae p. ad Anastasium imperatorem. „*Sollicitari*“ 766
14. Rescriptum senatus urbis Romae ad Anastasium Augustum. „*Si prima*“ 768
15. Exemplum relationis Johannis episcopi Nicopolitani ad Hormisdam p. „*Cura mihi*“ 770
16. **Epistola synodica** sive **exemplar relationis synodi Epiri veteris ad Hormisdam.** „*Si dignis*“ 772
17. Hormisdae p. ad Johannem Nicopolitanum episcopum. „*Gavisi*“ . . 774
18. Ejd. ad synodum Epiri veteris. „*Benedictus Deus*“ 777
19. Ejd. ad Johannem Nicopolitanum. „*Litterarum*“ 780
20. Ejd. indiculus per Pullionem subdiaconum. „*Cum Dei adjutorio*“ . . 780
21. Aviti episcopi Viennensis ad Hormisdam p. „*Dum religionis*“ . . . 781
22. Hormisdae p. ad Avitum episcopum Viennensem. „*Qui de his*“ . . 783
23. Ejd. ad Johannem Nicopolitanum. „*Remeante Pullione*“ 786
24. Ejd. ad Johannem Illicitanum episcopum. „*Fecit dilectio*“ 787
25. Ejd. ad universos episcopos Hispaniae. „*Benedicta*“ 788
26. Ejd. ad omnes episcopos Hispaniae. „*Inter ea*“ 793
27. Ejd. ad Anastasium Augustum. „*Dudum legatis*“ 796
28. Ejd. ad Timotheum Constantinopolitanum episcopum. „*Non mirabitur*“ 800
29. Ejd. commonitoria ad universos episcopos Orientis. „*Etsi admonitionis*“ 801
30. Ejd. ad episcopos Orientis orthodoxos. „*Est quidem*“ 803
31. Ejd. ad Possessorem episcopum. „*Optimam*“ 805
32. Ejd. ad orthodoxos Constantinopoli constitutos. „*Si is*“ 806
33. Ejd. ad Ennodium et Peregrinum episcopos. „*Posteaquam*“ . . . 807
34. Ejd. ad eosdem Ennodium et Peregrinum. „*In nomine*“ 808
35. Ejd. ad Johannem Nicopolitanum et synodum ejus. „*Optaremus*“ . 809
36. Ejd. ad Dorotheum episcopum Thessalonicensem. „*Johannes frater*“ . 811
37. Ejd. ad Anastasium Augustum. „*Dum sapientiae*“ 812
38. Anastasii Augusti ad Hormisdam p. „*Etsi magnum*“ 813
39. Exemplum relationis archimandritarum et monachorum secundae Syriae ad Hormisdam p. „*Gratia*“ 814
40. Hormisdae p. ad archimandritas Syriae. „*Ἀναγνωσθέντων*“. „*Lectis litteris*“ 820
41. Justini imperatoris ad Hormisdam p. „*Dei beneficia*“ 830
42. Ejusdem ad eumdem Hormisdam p. „*Johannes vir*“ 831
43. Exemplum relationis Johannis episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam p. „*Saluto vestram*“ 832
44. Justiniani comitis ad Hormisdam p. „*Desiderabile*“ 833
45. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem. „*Venerabilis*“ . . . 834
46. Ejd. ad eumdem Justinum. „*Sumptam*“. 835
47. Ejd. ad Johannem Constantinopolitanum episcopum. „*Spirituale*“ . 836
48. Ejd. ad Justinianum comitem. „*Litterarum*“ 837
49. Ejd. indiculus, quem acceperunt legati nostri qui supra. „*Quum Deo*“ 838
50. Ejd. ad Justinum Augustum. „*In tantum*“ 840
51. Ejd. ad Euphemiam Augustam. „*Ecclesiarum*“ 844

Digitized by Google

Epist. pag
52. Hormisdae papae ad Johannem Constantinopolitanum episcopum. „*Reddidimus*“ 845
53. Ejd. ad Theodosium archidiaconum et universos ecclesiae Constantinopolitanae catholicos. „*Gratias*“ 846
54. Ejd. ad Celerem et Patricium clarissimos aulicos. „*Quamvis*“ . . . 847
55. Ejd. ad praefectum praetorio Thessalonicensem aliosque illustres viros. „*Licet pro*“ 847
56. Ejd. ad Anastasiam et Palmatiam. „*Bonae*“ 848
57. Ejd. ad Justinianum domesticorum comitem. „*Magnitudinis*“ . . . 848
58. Ejd. ad Johannem Constantinopolitanum episcopum. „*Ea quae*“ . . 849
59. Exemplum suggestionis secundae Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri ad Hormisdam p. „*In civitate*“ 849
60. Tertia suggestio legatorum supra nominatorum ad Hormisdam papam. „*In alia*“ 851
61. Exemplum libelli Johannis episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam. „*Redditis*“. 852
62. Exemplum epistolae Theodoriti episcopi Lignidensis ad Hormisdam p. „*Meae quidem*“ 854
63. Exemplum relationis Andreae episcopi Praevalitani ad Hormisdam p. „*Commendans*“ 855
64. Suggestio Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri ad Hormisdam p. „*Non miramur*“ 856
65. Suggestio Dioscori diaconi per Pullionem subdiaconum ad Hormisdam papam. „*Ineffabilis*“ 858
66. Sacra Justini ad Hormisdam p. „*Scias effectum*“ 861
67. Exemplum relationis episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam p. „*Quando Deus*“ 862
68. Exemplum epistolae Justiniani comitis ad Hormisdam papam. „*Veneranda*“. 864
69. Exemplum epistolae Pompeji ad Hormisdam p. „*Sanctis*“. 864
70. Exemplum epistolae Anastasiae ad Hormisdam p. „*Divini muneris*“ . 865
71. Exemplum epistolae Julianae Aniciae ad Hormisdam p. „*Precibus*“ . 866
72. Hormisdae papae ad Germanum et socios. „*Opinionum*“ 866
73. Ejd. ad eosdem. „*Animus noster*“ 867
74. Ejd. ad eosdem. „*Necesse est*“ 868
75. Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam p. „*Verum est*“ . . . 868
76. Suggestio Germani et Johannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri. „*Cum Dei misericordia*“ . . . 871
77. Suggestio legatorum, qui supra, ad Hormisdam p. „*Filius vester*“ . 873
78. Exemplum epistolae Justiniani ad Hormisdam. „*Propitia*“. . . . 875
79. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem. „*Lectis clementiae*“. . 877
80. Ejd. ad Johannem episcopum Constantinopolitanum. „*Consideranti*“ . 879
81. Ejd. ad Justinianum comitem. „*Benedicimus*“. 881
82. Ejd. ad personam quamdam spectabilem aulae imperialis. „*Quam necesse*“ 882
83. Ejd. ad Pompejum. „*Ita devotionis*“ 882
84. Ejd. ad Anastasiam. „*Postquam Deus*“ 883
85. Ejd. ad Julianam Aniciam. „*Litteris amplitudinis*“ 883
86. Ejd. ad Gratum. „*Contristavit*“ 884
87. Ejd. ad Germanum ceterosque legatos. „*De his*“ 884
88. Ejd. ad Johannem Illicitanae ecclesiae episcopum. „*Vota nostra*“ . 885

Digitized by Google

Epist.		pag.
89.	Exemplum epistolae Justiniani per fratrem Proemptoris ad Hormisdam p. „*Quidquid*“	885
90.	Hormisdae papae ad Justinianum comitem. „*Ita magnificentiae*“	886
91.	Ejd. ad eumdem. „*Eulogio viro*“	887
92.	Ejd. ad Eliam, Thomam et Nicostratum. „*Quanto*“	888
93.	Ejd. ad Justinum Augustum. „*Gloriosis*“	889
94.	Ejd. ad Euphemiam Augustam. „*Orare nos*“	890
95.	Ejd. ad Justinianum comitem. „*Studium vestrum*“	891
96.	Ejd. ad Germanum virum illustrem. „*Excubantibus*“	892
97.	Ejd. ad Germanum aliosque legatos. „*Quum nos*“	892
98.	Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam p. „*Per Eulogium*“	894
99.	Exemplum epistolae Justiniani ad Hormisdam p. „*Ut plenissima*“	897
100.	Suggestio Germani episcopi, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri ad Hormisdam p. „*Magna misericordia*“	898
101.	Justini Augusti ad Hormisdam p. „*Illustrem*“	900
102.	Indiculus, qui directus est a Johanne episcopo vel ab Epiphanio presbytero de Thessalonica. „*Si pro peccatis*“	901
103.	Hormisdae papae ad Germanum et Johannem episcopos et Blandum presbyterum. „*Graviter*“	903
104.	Ejd. ad Dioscorum diaconum. „*De laboris tui quem*“	904
105.	Ejd. ad eumdem. „*De laboris tui quidem*“	905
106.	Ejd. ad Johannem Constantinopolitanum. „*Reperimus*“	907
107.	Ejd. ad Thomam et Nicostratum episcopos. „*Animum*“	908
108.	Justini Augusti ad Hormisdam p. „*Quanto flagramus*“	908
109.	Exemplar relationis Johannis episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam papam. „*Quemadmodum*“	909
110.	Suggestio Germani episcopi, Felicis et Dioscori diaconorum et Blandi presbyteri. „*Reverenda*“	910
111.	Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam p. „*Erat optabile*“	911
112.	Hormisdae papae ad Justinianum virum illustrem. „*Quod celsitudo*“	912
113.	Ejd. ad Epiphanium episcopum Constantinopolitanum. „*Diu nos*“	913
114.	Justiniani Augusti ad Hormisdam p. „*Quum in animo*“	914
115.	Relatio Possessoris episcopi Afri ad Hormisdam p. „*Decet*“	916
116.	Justini Augusti ad Hormisdam p. „*Summa quidem*“	918
117.	Euphemiae Augustae ad Hormisdam p. „*Beatitudinis*“	919
118.	Celeris illustris ad Hormisdam p. „*Maxima nobis*“	919
119.	Julianae Aniciae ad Hormisdam p. „*Quae prima*“	920
130.	Exemplum epistolae Justiniani illustris ad Horm. p. „*Domino nostro*“	920
121.	Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam papam. „*Deus, qui*“	923
122.	Hormisdae papae ad legatos suos. „*Ità nos*“	925
123.	Ejd. ad eosdem legatos. „*Animos nostros*“	926
124.	Ejd. ad Possessorem episcopum. „*Sicut rationi*“	926
125.	**Decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum de scripturis divinis.** „*Ordo de Veteri Testamento*“	931
126.	Sacra Justini Augusti ad Hormisdam p. „*Dum beatissimum*“	938
127.	Exemplum epist. Justiniani v. cl. ad Hormisdam p. „*Quanta reverentia*“	939
128.	Relatio Dorothei episcopi Thessalonicensis ad Hormisdam p. „*Propositi*“	940
129.	Justini imperatoris ad Hormisdam p. „*Quo fuimus*“	941
130.	Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani ad Hormisdam papam. „*Quantam habuimus*“	947
131.	Relatio synodi Constantinopolitanae ad Horm. p. „*Innumerabilem*“	950

Digitized by Google

Epist. pag.
132. Exemplum epist. Justiniani cons. ad Horm. p. „*Quantam veneratione*m" 954
133. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem. „*Benedicta*" 956
134. Ejd. ad Dorotheum Thessalonicensem episcopum. „*Considerantes*" . 956
135. Justiniani viri illustris ad Hormisdam p. „*Diligenter*" 957
136. Epiphanii Constantinopolitani ad Hormisdam p. „*Quantam alacritatem*" 958
137. Hormisdae papae ad Justinum imperatorem. „*Inter ea*" 959
138. Hormisdae papae ad Epiphanium episcopum Constantinopolitanum. „*Benedicimus*" 965
139. Ejd. ad synodum Constantinopolitanam. „*Fratrem*" 966
140. Ejd. ad Justinum Augustum. „*Scio quidem*" 967
141. Ejd. ad Epiphanium Constantinopolitanum. „Πολλῆς". „*Multo gaudio*" 970
142. Ejd. ad Salustium Hispalensem episcopum. „*Suscipientes*" 979
143. Ejd. ad episcopos Baeticae provinciae. „*Quid tam dulce*" 981
144. Ejd. ad Epiphanium Constantinopolitanum. „*Oportuerat*" 982
145. Justini imperatoris ad Hormisdam p. „*Ut quod*" 983
146. Relatio Epiphanii episcopi Constantinop. ad Horm. p. „*Frequentiores*" 984
147. Relatio Epiphanii episcopi Constantinop. ad Horm. p. „*Paulinus*" . 985
148. Dionysii Exigui ad Hormisdam papam. „*Sanctorum*" 986
149. Ex epistola encyclica Hormisdae papae. Fragmentum. „Ἐχέτω". „*Teneant*" 987
150. Hormisdae papae ad Caesarium Arelatensem. „*Exsulto*" 988

Appendix epistolarum Hormisdae.

1. Ennodius Hormisdae. „*Postquam votiva*" 990
2. Id. Hormisdae. „*Scimus*" 991
3. Id. Hormisdae et Dioscoro. „*Scio conscientiam*" 992
4. Id. Hormisdae diacono. „*Nullus*" 992
5. Id. Hormisdae diacono. „*Et quod*" 992
6. Id. Hormisdae diacono. „*Si dignatio*" 993
7. Id. Hormisdae diacono. „*Coelestis*" 993
Notitia epistolarum non exstantium, quae ad s. Hormisdam papam attinent 993

Digitized by Google

CORRIGENDA.

Pag. **VII.** lin. 17 loco *recurrendem* leg. *recurrendum.* **IX.** lin. 22 l. *Tavelli* sec. Labatum leg. *Ravelli.* **XIII.** lin. 1 l. *editionis* leg. *editione.* **XV.** lin. 13 l. *resecavi* leg. *resecui.* **XXIII.** not. 4 lin. 6 l. *II*, 184 leg. *LIV*, 184. **XXXII.** lin. 3 inf. l. *fol.* 18 leg. *fol.* 17. **XXXIII.** lin. 2 l. 35 leg. 45. **XXXIV.** lin. 2 l. *IV* leg. *VI.* **XXXVI.** Addatur: *G³ Vaticanus* 3787 *saec. XI aut XII, a me consultus.*

Pag. **23.** not. 6 lin. 1 l. *not.* 2*t.* leg. *not.* 44 (quum ubique in notis litterae numeris commutatae sint; conf. **corrig.** pag. 58, 72, 99). **27.** ep. 8 n. 1 lin. 8 l. *XLXII* leg. *XLII.* **48.** lin. 11 l. *Ferrariensis* leg. *Ferreriensis.* **50.** n. 10 l. 1 l. *Hermisdae* leg. *Hormisdae.* **53.** n. 15 l. 6 add. *ita* ante *nuncupemus.* **54.** n. 4 lin. 11 et not. 1, 2, ac pag. **55** not. 3, 4, 5, 7 loco *F*ª leg. *F*ᵐ. **55.** lin. 2 et 4 ac not. 6 et 9, pag. **57** not. 19, loco *F*ᵐ leg. *Ff.* **55.** not. 7 lin. 1 l. *Damasa* leg. *Damaso.* **57.** loc. *not.* 1, 2, 3, leg. *not.* 19, 20, 21. **58.** n. 2 lin. 5 l. *not. b* leg. *not.* 2; ibid. lin. 14 l. 37 *n.* 1 leg. 37 *n.* 2. **72.** n. 5 lin. 2 et 8 inf. l. *not.* 2*l* leg. *not.* 35, et lin. 9 l. *not.* 2*s et* 2*u* leg. *not.* 42 *et* 44. **88.** n 4 lin. 5 l. *nuncupeter* leg. *nuncupetur;* ibid. not. 2 lin. 6 l. *III*, 623 leg. *II*, 623. **96.** ep. 9 lin. 1 l. *IX*, 39 leg. *IX*, 30. **99.** not. 1 lin. 4 l. *not. d* leg. *not.* 4; ibid. lin. 1 inf. l. *not. f et i* leg. *not.* 6 *et* 9.

Pag. **105.** lin. 4 l. *Avellano* leg. *Avellana.* **108.** ep. 28 inscript. l. „*Mirabitur*" leg. „*Non mirabitur*". **112.** lin. 20 et 24 l. 62 leg. 63. **114.** lin. 2 l. *Justinianum* leg. *Justinianus.* **122.** in ep. 148 lin. 6 l. *III pag.* 39 leg. *IV pag.* 39. **124.** n. 4 lin. 3 inf. l. *eadem* leg. *ea de re.* **129.** not. 5 lin. 2 l. *cf.* leg. *scil.* **134.** ad marg. add. *o.* ante *C.* 455. **141.** not. 1 lin. 1 l. *L*³ leg. (*L*³?). **142.** not. 3 lin. 1 del. *α*¹. **165.** ad marg. l. 30 *Oct.* leg. 30 *Dec.* **191.** lin. 7 et not. 6 lin. 3 l. *quondam* leg. *quodam* rsp. *quemdam.* **195.** lin. 4 inf. l. *qui* leg. *quia.* **197.** n. 2 lin. 2 l. *praestistis* leg. *praestitistis.*

Pag. **203.** n. 3 lin. 1 l. *religiossissimo* leg. *religiosissimo.* **208.** n. 1 lin. 1 inf. l. *invigilia* leg. *invigila.* **211.** in marg. l. 1 *Tim.* 6, 8 leg. 2 *Tim.* 4, 2; ibid. not. 10 lin. 3 l. *amalibem* leg. *amabilem.* **212.** in Simpl. ep. 19 ex auctoritate Fd Fm corrigantur: *persona Petri meritumque, pandamus ... consequenter offerret ... quia post poenitudinem ... Tunc enim religiosus poterit ... remeare praelegerit ... miseris animabus ... verae fidei.* **213.** ep. 20 lin. 10 add. *nobiscum* ante *sicut semper.* **216.** infra lin. 3 leg. *apostolica*, lin. 2 *ali-*, lin. 1 *poe-.* **219.** n. XV lin. 6 l. *idem auctor* leg. *Felix II;* ibid. lin. 1 inf. l. 20 leg. 19. **220.** inscr. leg. *NON EXSTANT. N, XVI—XVII* **223.** text. lin. 2 inf. l. *sollicitus* leg. *sollicitius.* **229.** ad marg. l. *Deut.* 25, 32 leg. *Deut.* 5, 32. **239.** not. 1 lin. 4 l. *D and.* leg. *Vand.* **243.** add. lect. Fd Fm, et leg. not. 2: *edili cum Fd Fm omitt. et;* not. 4: *Fd Fm tu tuos;* not. 5: *Fd Fm Tyriis relisisti et emelius* (*Fm emerius*); not. 6: *Ita mss. D Fd Fm;* not. 7: add. *Fd Fm* post *F*²; pag. **244** not. 9: *Fd Fm regulariter ordinatus;* not. 13: *Fd Fm nunti i;* pag. **245** not. 16 lin. 4: *Fd Fm in lusione;* not. 17: *Fd Fm obsecutus;* pag. **246** not. 20: *Fd Fm per tuum;* pag. **247** not. 22 add. *Fd Fm* ante *N³ Occ a³.* **245.** in textu corrig. ex Fd Fm: lin. 2 *habebatur* (loco *habetur*); pag. **246** text. lin. 1 inf. add. *Et alia manu* ante *Coelius* etc. **269.** ad marg. l. *Act.* 1, 15 leg. *Act.* 1, 25. **281.** n. XII lin. 11 l. *n.* 39 leg. *n.* 38. **288.** n. XVIII lin. 2 l. *deciperetrr* leg. *deciperetur.* **287.** n. 6 lin. 3 l. *casiiica* leg. *basilica.*

Pag. **321.** n. 1 lin. 15 l. *perniciosor* leg. *perniciosior.* **322.** lin. 5 l. *praevacemus* leg. *praecavemus.* **324.** not. 1 l. *sanarenus* leg. *sanaremus.* **325.** not. 5 l. *Dalmatos* leg. *Dalmatas.* **326.** n. 2 lin. 3 inf. l. *intellegere* leg. *intelligere.* **327.** n. 3 lin. 3 inf. l. *intellecta* leg. *intellectu.* **329.** lin. 2 inf. l. *nullam* leg. *nullum.* **336.** ad marg. l. 2 *Joh.* 7, 7 leg. 2 *Joh.* 7. **337.** n. 4 lin. 13 l. *definitioni* leg. *definitioni.* **351.** not. 10 lin. 3 l. *I*, 85 leg. *I*, 75. **352.** not. 19 lin. 5 ante *Sed dum* etc. add.: *Ab Evagrio H. E. III*, 30 *ut pacis studiosissimus praedicatur.* **355.** not. 40 l. *a*¹ leg. *c*¹. **360.** not. 6 et 8 l. *N*ˢ leg. *H*ˢ. **363.** n. 3 lin. 2 l. *tantos ollicitius* leg. *tanto sollicitius.* **364.** not. 41 l. *H*⁹ leg. *H*⁸, not. 45 l. *D*⁴ leg. *D*⁵. **368.** not. 69 l. *H*¹¹ leg. *H*¹³. **371.** not. 83 l. *Da* leg. *D*⁵; not. 84 l. *NJO.* leg. *HJO.* **373.** not. 91 lin. 3 l. *H*⁹ leg. *H*⁸; not. 94 l. *omittit* leg. *omittunt.* **375.** not. 102 lin. 2 l. *D*⁸ leg. *D*⁷. **376.** not. 106 lin. 2 add. *non* ante *vitavit.* **378.** not. 114 lin. 1 l. *O*⁴ leg. *D*⁴. **379.** not. 2 lin. 3 l. *H*² leg. *H*⁸. **384.** n. 4 lin. 4 inf. l. *nec catholicts* leg. *ne catholicis.* **389.** not. 1 lin. 3 l. *tit.* 46 leg. *tit.* 47. **392.** not. 3 l. *D*⁴ leg. *D*¹. **399.** lin. 5 l. *praefixa* leg. *praefixae.*

Digitized by Google

Pag. **400.** not. 46 add. Q^1Q^2 post O^1O^2; ibid. lin. 2 l. OO^1 leg. Q^1Q^2. **401.** lin. 2 l. *recipit* leg. *recepit*. **404.** text. lin. 5 inf. del. *et* ante *qui*. **406.** text. lin. 13 inf. l. *episcopis* leg. *episcop.* **410.** not. 81 l. Q^1Q^1 leg. Q^1Q^2. **422.** not. 2 l. *subjicit* leg. *subjiciunt*. **447.** ep. 31 inscr. l. *urbic.* leg. *urbicos*. **468.** not. 50 lin. 1 inf. l. *ese* leg. *esse*. **470.** not. 85 lin. 2 l. *vocius* leg. *vocis*. **484.** lin. 1 l. *sustodire* leg. *custodire*. **487.** not. 6 l. a^2 leg. a^3.

Pag. **501.** frgm. 33 lin. 2 inf. add. *alia retinendo* ante *alia contra leg.* etc. **503.** lin. 4 l. *scientes* leg. *scienter*. **505.** frgm. 41 lin. 4 add. *suum* post *servum*. **506.** not. 4 add. *Al. exstiterir* **511.** not. 5 lin. ult. l. *Jovenati* leg. *Jovenali*. **519.** n. 14 lin. 1 l. *Johanres* leg. *Johannes*. **522.** n. 1 lin. 1 l. *vivit* leg. *vixit*. **542.** lin. 5 l. *demonstrant* leg. *demonstrent;* ibid. not. 28 lin. 22 l. *nullum* leg. *nullam;* lin. 8 inf. l. *in quo* leg. *in qua*. **544.** lin. 8 l. *magistorum* leg. *magistrorum*. **545.** not. 37 l. 42 leg. 43. **550.** not. 58 lin. 3 l. *sublimen* leg. *sublimem*. **571.** text. lin. 6 inf. l. *nullus* leg. *nullis*. **577.** not. 20 lin. 4 post *absque culpa est* add.: *in corpore non consentientis si absque culpa est*. **578.** ad marg. l. 1 *Cor.* 15, 13 leg. 1 *Cor.* 15, 53. **589.** ad marg. l. 1 *Cor.* 7, 13 leg. 1 *Cor.* 7, 14. **595.** not. 80 lin. 2 l. *proprius* leg. *propius*.

Pag. **603.** not. 21 lin. 4 l. *nostris* leg. *rostris*. **606.** n. 13 lin. 4 inf. l. *meritoque* leg. *merito*. **607.** n. 3 lin. 2 l. *l. s.* leg. *l. c.* **609.** n. IV inscr. del. *com-*. **631.** n. 15 lin. ult. l. *gad ratione* leg. *ad gratiam*. **637.** lin. 3 l. *Quomado* leg. *Quomodo*. **641.** n. 4 lin. 9 l. *cogerent* leg. *cogeret*. **670.** not. 79 add.: *In Cassiodori Var. IV, 44 Antonius episcopus Polensis occurrit.*

Pag. **751.** not. 14 l. *n.* 9 leg. *n.* 8.

Alios apertos calami aut librarii errores benevolus lector ipse corrigat.

Digitized by Google